8 F 9 7

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

A CONGREGATIONE CONDITA

PARS ALTERA

AVCTORE IOSEPHO SILOS BITVNTINO
Ex eiſdem Clericis Regularibus Præsbytero.



ROMAE,
Typis Hęredum Corbelletti. M D C L V.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

R R. Admodum Patribus

CONGREGATIONIS CLERICORVM

REGVLARIVM

IOSEPH SILOS

C. R. D. D.

QVI ſumma noſtri Ordinis Capita, ſanctiſsimos, videlicet, diſciplinæ Auctores, deuenerari principe loco, ac primis mearum vigiliarum donarijs debui; ſuam nunc egregio Corpori, Vobis nempè, religioſiſſimi Patres, exhibere altera hac Commentariorum parte obſeruantiam volui. Nihil profectò congruentiús, nihil item ſplendidiús, quàm nuncupari hęc Vobis. Domeſtica ſiquidem virtutũ hiſtoria non extra domeſticos parietes præſidium ſibi, ac decus quæreret: atq; adeò recta inuolat in ſinum Veſtrum, quorum inſtituta, curarumque contentionem, ac fructum explicat. Neque collimauerit aliò Auctor ipſe: cuius ea præcipuè mens, vt Vobis potiſſimúm ſcriptionem probaret ſuam: ratus, abundè reſpondiſſe operi pretium, ſi quicquid ipſe Theatinæ virtutis ſtylo exceperit, veſtra, aut manus tereret, aut foueret beneuolentia, aut imitaretur ſedulitas. Ad hæc, dum ſcriberem, cùm non vnis, veluti in diuturna velificatione, fluctibus iactarer; haud alium, fateor, commodiorem vnquam incidiſſe in vela ventum, quàm veſtram humanitatem; quæ cùm nõ adeó improbaret, quæ hactenús lucubraui, & animos inſuper faceret, vt pergerem; eluctari hac aura Euripos, ac ſecundiſſimè euadere in portum, contigit. Eapropter ingratus planè ſim, niſi poſt emenſum id pelagi, hos ipſos Annales meos, votiuum nempè munus, ad aram veſtrę benignitatis appenderem. Quãquam ſi dignitatem, ac lucem ab inſigni aliqua nominis claritudine huic Operi adfectauerim; quid illi ornando

magnificentius, quàm Regulares ipſos Clericos appellaſſe? qui cùm ſatis habeant à vetuſtate, atque ab ſtirpe generis, hoc eſt, ab ipſo Apoſtolorum æuo, ac ſanctimonia auiti ſplendoris; túm inſtaurata ſuperiore proximè ſeculo à noſtris Conditoribus priſca decorum amplitudine, non minimum profectò ab eximia eorum virtute acceſſit Apoſtolico Ordini exiſtimationis, ac laudis. Mitto reliquū ab illuſtri Clericorum Regularium poſteritate ſplendorem. Neq. enim citra inuidiam memorauerim decerpta è præcipuis Italiæ familijs capita, eximium religionis, ac ſacrorum cultum, meditamenta virtutum, ſtudiorum præſidia, à ſacra eloquentia plauſus, ab Eccleſiaſticis Infulis lucem, in procuratione animorum alacritatem, in Orientis nouatibus curas, aliaque non exigua quidem Ordinis ornamēta, quę in id, quicquid eſt ſcriptionis deriuare non mediocrem planè laudem, ac decus poſſunt. Quapropter quantum externæ lucis, ac pompæ à magnorum nominū vſurpatione accederet, cùm à Vobis, veſtroque Inſtituto cumulatè exiſtat, labores hoſce ſatis ſplēdidè dedicaui. Quòd ſi qui adeò luculenter frontem Operis exornatis, Opus ipſum veſtra etiam clientela, atque approbatione commendabitis, ardentior quędam accedet lateri meo fax; & quod eſt reliquum noſtrarum hiſtoriarum, alacriore quidē ſpiritu, ſtyloque percurram. Interim monumenta iſthæc per otium euoluere, ne pigeat. Oblectabit profectò ſuis expreſſa lineis, quę veſtros paſſim in oculos incurret, Maiorū imago, ac virtus: quibus id etiam obſeruantiæ debetur, vt præclara eorum facta aſſidua commentatione repetatis. Nec ſanè ijs, quos ęterna fauſtitas cœlo beat, exiguę voluptati erit, ſuperſtites ſe in poſterorum animis adhuc eſſe memoria, ac venerationis cultu. Valete. E domo noſtra Quirinali.

PIO

PIO LECTORI.

POLLICITVS, Lector, poſt primam rerum noſtrarum ſcriptionem alteram adornare: ita intra triennium, vel eò ampliùs, adfuit lucubranti diuinum Numen, vt liberare, quam oppignoraueram fidē, ſecundis h ſce commentarijs potuerim. Valetudo, atque opes corporis à cunis modicæ, ac nunquam non à præſenti aliquo incommodo laborātes, viſæ pugnaciſſimè obluctari, quominùs id operis perficerem: adeò vt cùm virium aliquando imbecillitatem per otium mecum ipſe reputem, ſcripſiſſe me, idcircò mihi perſuadeam; quòd iam ſcripſerim. Valuit profectò erigendo ingenio, confirmandæque potiſſimùm valetudini acre parendi maioribus meis deſiderium. Enimuerò, cùm annis ſuperioribus id generalia comitia decreuerint, vt aliquis deſignaretur, qui annales noſtros, & quicquid præclari operis in communem pietatem nauauerint noſtri homines, ſtylo complecteretur; Gregorio Carafæ, nunc Epiſcopo Caſſanenſi, Viro & luce generis, & eruditionis laude perindè nobili, qui cùm Præpoſitus Generalis renunciatus, habenas Ordinis capeſſiuit, datum id negotij fuit, vt ſcriptorem deligeret. Is verò ita me operi deſtinauit, vt cùm & iudicio non minimū honeſtauerit, & obſtrinxerit magnopere beneuolentia, refragari nutui, nefas putauerim. Aggreſſuſque vigilias inſigni fiducia, nihil non mihi in ipſo ſcriptionis curſu ab obedientiæ afflatu virium, nihil non à iubentis auctoritate ardoris, atque alacritatis inditum ſenſi: vt cùm vnum, atque alterum confecerim hiſtoriarum volumen; tertium etiam inchoauerim: quod quidem à recenti nimiùm exemplorum ſegete, vereor, vt citò aſpicere lucem poſſit. Quamquam & in ſecunda hac Commentariorum parte eſt, quod à nupera quadam virtute ij non ſatis probent, qui priſca cùm laudent, valdè cupiunt, vt inquit [a] Hieronymus, probari hominum facta, quaſi vinum ab antiquitate. Aurea quidem vt ætas, ita & virtus illa veterum, ac Sanctiſſimorum Patrum fuit: ita tamen vt eniti hoc etiam æuum clarorum operum documenta poſſit, quæ cum priſca ea ſanctimonia æqua lance certent. Ineſt ſuum cuique virtuti pretium, ac ſplendor. Quicquid deindè additur à vetuſtate, externa quædam temporum lacinia eſt, non inſita virtuti ipſi præſtantia: atque adeò nihil operum excellentiæ detrahi nouitate: ac veriſſimum planè illud ab inſigni [b] calamo: Quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit. Illud præterea in hoc volumine verti vitio non debet, quòd egreſſus non ſanè rarò è rerum noſtrarum finibus, alienos mores, vitamque deſcribam, inſignium præſertim fœminarum: quas diutiùs interdum, quàm locus poſceret, in externa veluti ſcena detinuiſſe, earumque virtutibus augeri Theatinos faſtos, præter hiſtoriæ inſtitutum, ac leges, videri poſſet. Quæ res diù me incertum animi tenuit: diſſimularem, videlicet, omninò hæc, an, quam continenti rerum noſtrarum filo ordimur hiſtoriæ telam, aſcititia hac etiam purpura condecorarem? Cur id facerem, cùm multæ ſuppeterent cauſæ; ea certè potiſſima: quòd cùm è noſtratum ſchola, ac diſciplina ea incrementa ſpiritus, morumque exempla extiterint; omitti profectò ſine Theatini nominis iniuria, ac fraude minùs poſſent. Nam quid magis noſtrum, quàm quæ no-

[a] Epiſt. 10.

[b] Tacit. lib. 11. Ann.

ſtratũ ſtudijs, ac vigilijs, culturaq. noſtris veluti in areolis naſcitur, atq. alitur virtus? Nacta egregium cultorem tellus, quicquid opulentæ, ac pulcherrimæ ſegetis gignit, illi profectò referat, neceſſe eſt, qui aſſiduo proſcidit vomere, iterauit, tertiauit. Quod ipſum cũ in re, cultuque animorum contingat, noſtra procul dubio erit tota ea virtutum autumnitas, quam noſtratum curis, ac monitis prouenisſe, compertum eſt: atque adeò, vt in Hieronymi laude Romanas, ac ſanctiſſimas eas fœminas ponimus, Paulam, Euſtochium, Marcellã, Felicitatem, quarum ille formauit mores, ac ſanctimoniam; ita & pleraſque inſigni religione virgines noſtris inſeri commentarijs, æquum eſt; vt ſua ſtat auctori laus: atque interim in eorum ipſæ literis perennent, à quorum induſtria, ac contentione in egregiam quandam ſanctioris vitę laudem eniti, viſæ ſunt. Iam verò, quòd ſępè ſæpiùs, vt obnoxia ſunt controuerſijs humana omnia, velitari cum alijs religioſorum hominum familijs contigit; nihil ipſe antiquius habui, nihil monuere me frequentiùs noſtri homines, quàm vt in ijs diſceptationibus deſcribendis intra modeſtię leges ſtylum continerem. Ac nonnullas quidem, quod minùs intererat denarraſſe, obuolutas penitùs ſilentio volui: pleraſque parcè delibaſse, abundè fuit; quaſdam ita aliquantò fuſiùs recéſui, vt neminẽ profectò peracuta quædã ſcribendi alacritas, aut admordens laceſſiuerit dictio. Peccat ſanè plùs nimio interdum ardor, ac ſui ſtudium: eòque non raro ingenium, ac calamum abripit, vt inſperſiſse identidem contumelijs lucubrationem, parum ſit, niſi meras etiam ſatyras ad famæ bonæ dehoneſtamentum procudant. Atrox quidem iſtiuſmodi ſcriptio, quæ nunquam non auctorem ſuum damnat: nihil religioſorum hominum calamo indignius, nihil ſanguinaria ea facundia truculentius. Qui bellè concinnat, ſpargitque in vulgus egregium acroama, lictorem profectò cùm bonorum omnium ſenſum, tũ conſcium ſuimet criminis animum habebit ſemper: vtinam & diuinam non ſentiat à tergo Nemeſim, proſciſsæ alienæ exiſtimationis, ingenijque præpoſterè diſerti vindicem. Certè niſi verecundiam prorsùs omnem abſorbuit obtrectandi libido; quiſquis ille fuerit, ſi leget hæc, pudebit adornati operis tanto cum vulnere charitatis. Redeo ad noſtram hiſtoriam: in qua quidem cùm non adeò laborauerim, vt inculpatè omninò ſcriberem, non me cenſoria quorundam virgula valdè perculit. Scio, literarum, ac latini præſertim ſermonis hoc æuo Antiſtites grammaticorum ſupercilium, ac vnguem minimè effugiſse: vt mirum planè non ſit, in meis hiſce Commentarijs dictiones aliquot non neminem carpſiſse; ac plauſiſse ſibi magnoperè, veluti totã labefactauerit ſtatuam exiguo ad fictiles pedes lapide. Inſuper hęc, inquam, habeo: præſertim quòd qui Regularium Clericorum annales pertexere, ac parère duntaxat propoſitum habui, nihil vnquam lucis, gloriæque ab his mihi vigilijs quæſiuerim. Et amens profectò fuerim, integram mihi in tãta ingeniorum, iudiciorumque varietate laudem polliceri: quando neq. ſummis viris, quibus nullum ab officina eloquentiæ inſtrumentum pulcherrimæ dictionis defuit, id nouerim, contigiſse. Quid preſſa Criſpi Salluſtij facundia aut propius maieſtati, aut cultu elegantius? qui tamen, vt refert [a] Suetonius, peracri cuiuſdam Pompeij Magni liberti ſatyra vapulauit: illumque audacem verborum architectum Doletus vocat. Liuio obiecta à Pollione patauinitas. Taciti hiſtoriam ſenticeta appellauit [b] Alciatus. In Suetonio frequens elliniſmus nimiùm, quàm frequenter proſciſsus. Flos ipſe elegantiarum Flo-

rus,

[a] De Clar. grammat.

[b] Epiſt. ad Iouium.

Digitized by Google

rus, audijt declamator, non hiſtoricus. Mitto Plinios, Paterculos, Curtios, Iuſtinos: mitto noſtri, aut paulò ſuperioris æui nomina: planè cùm nihil deſiderari in ijs poſſit ad ſtyli cultum, grauitatem, pondus, copiam, videre nihilominùs eſt, in illos paſsim inſurgere literatorum ſtudia; eorumq. peti iugulum. Igitur cùm non captandis theatri plauſibus ſcripſerim; nihil eſt, cur aut à meis maculis, aut ab aliorum telis hiſtoriam hanc vindicem. Quæ paſſim occurrunt virtutum documenta, ſi quid bonæ mentis in legentium animis excitauerint, tuliſſe me laboris pretium reputauerim. Hæ religioſi viri partes, hic ſcopus: formare mortalium mores; faces ad honeſtiſſima quæq. ſubdere, ac citra fucum virtutem perindè explicare, vt natiuus diuini eius oris color, ac forma intuentes capiat. Vale.

Digitized by Google

AVCTOR AD HISTORIAM,

O D E.

ENATA virtus ætere patrio ;
Gaudet coæuo Numine; & igneis
Affinis aſtris, hauſta cælo,
Progenie ſuperùm ſuperbit.
Hinc fuſa terris, fulget amabili
Fronte, & decora luce ſupercili ;
Cla...que mortales, & Orbem
Temperat imperio ter amplum :
Virtus honeſti norma, fidelior
Menſura recti, venaque nobilis
Æqui, & boni ; lux vna morum,
Vna decus, columenque vitæ ;
Hęc illa, fræno quæ regit aureo
Inſana turpis vota cupidinis :
Afflatque mentes, & ſerenat
Arbitrio melioris auræ.
Eſt pectus ingens, & vigor igneus ;
Vrgetque factis grandibus ardua.
Non ima temnit, nec ſuprema
Pertimuit generoſus ardor.
Seu dira Mauors claſſica concinit,
M ſcetque gentes bella per aſpera :
Sagata virtus fronte dura
Per medias volitat phalanges.
Seu Marte pulſo, diſſociabiles.
Pax alma nectit fœdere Principes ;
Togata virtus pace regnat,
Inſtruit & populos, beatque.
Dat iura regnis : ſcilicet erudit
Gemmata Regum ſceptra potentium ;
Faſceſque, & æratas ſecures
Ipſa regit potiore dextra.
Nec ſiſtit : œui præcipites vices
Nutu coercet, fataque triſtia ;
Legeſque naturæ refingit,
Et ſuperis dominatur aſtris,
Spectata grandi ſed licet indole,
Factiſque magnis inclyta fulgure ;
Exculta chartis, & diſertâ
Gratiùs hiſtoriâ tenidet.
Heroa magnum ſi notet eloquens
Papyrus, aut vis nobilis ingeni,
Sat pulchriùs, quàm fictus ære,
Aut rutilo radiabit auro.
Nec ducta cælo ſecla volubili,
Dentemque ſæui temporis inuidum
Virtus timebit ; doctus auctor
Si celebret monumenta rerum.
Hoc nempè vindex pagina nititur :
Arcere fatum. Sic reparabilis
Vernat vetuſtas ; induitque
Canicies viridem iuuentam.

VA Hinc

Digitized by Google

Hinc docta ſacris laurea frontibus
Pubeſcit annis; Quercus & inclyta,
Sudara campis bellicoſis,
Perpetuo reuireſcit æuo,
Auriga morum relligio, fides
Intacta, pulchris indita mentibus,
Si ſcribis, innectiſque faſtis,
Nomine inocciduo perennant;
At culta deſit ſi manus, impigra
Nec ſignat actus linea ſtrenuos,
Quod fama iactat multilinguis;
Flore vel in roſeo ſeneſcit.
Huc ò Thienis progenies ades,
Laudara pubes, quæ memori facis
Scribenda cedro; Gens ſacrorum
Docta, tenax veterumque legum.
Laborioſis inſita literis,
Et clara factis nomina perlege:
Euolue faſtos ſanctiores,
Egregia & documenta laudum.
Conatus audax ingenio artifex
Dictante, mores fingere candidos:
Veſtramque pigmentis, & acri
Effigiem variare cura.
Artem verendos ſed pudet anxiam
Tractaſſe vultus impare dextera;
Vultus Apelle, & fulguranti
Chryſolyto, aut adamante dignos.
Sua eſt decoris attamen artibus
Merces: veſtra nepotibus
Tranſmiſſa ſeris, culta virtus
Viuet in hiſtoriis ſuperſtes.
Traducta votis ſupplicibus dies,
Abrupta flagris nox, pia lachymæ,
Siticuloſum guttur, auri
Pauperies inimica fului,
Ibunt in æuum, temporis orbita
Luctante fruſtra, nomina quæ terit,
Molitur & mundi ruinam
Præcipitem, ſeniumque velox.
Non vrna Vobis, non cinis incubat:
Viuetque terris gloria; Vos beat
Dum nectar almum cælo, & ora
Ambroſia recreantur vnda.

D. Vinç

Digitized by Google

D. Vincentius Caracciolus Præpoſitus Generalis Congregationis Clericorum Regularium.

HOC Opus inſcriptum Hiſtoriarum Clericorum Regularium Pars altera Auctore Ioſepho Silos Clerico Regulari, cùm duo ex noſtris P.P. quibus id commiſimus, recognouerint, & approbauerint; vt typis mandari poſſit, quod ad nos pertinet, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes literas manu noſtra ſubſcriptas, ac ſolito noſtræ Congregationis ſigillo munitas dedimus. Romæ die 24. Menſis Auguſti 1652.

D. Vincentius Caracciolus Præpoſitus Generalis Congregationis Clericorum Regularium.

D. Hieronymus Vitalis à Secretis.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Sacr. Palat. Apoſtol. Magiſt.

M. Anania Viceſg.

ALTERAM Hiſtoriarum partem Eximiæ Religionis Clericorum Regularium ab Admodum R. P. D. Ioſepho Silos eruditiſsimè de more conſcriptam, Iuſſus à Reuerendiſſimo P. Fr. Vincentio Candido Sac. Palat. Apoſtolici Magiſtro, accuratè cognoui, nihilque in ea vel Orthodoxæ fidei aduerſum, vel optimis moribus repugnans depræhendi, imò admirabundus ſuſpexi præ cæteris tantę familiæ arctiſſimam Paupertatem iam ſupra centenarium illibatè ſeruatam, vt meritò eam dixerim, & Eccleſię ſingulare decus, & iuge diuinæ Prouidentiæ miraculum. Vnde non mirum ſi ab eius teſſeræ Viris tot commoda Chriſtianæ Reipublicæ promanarunt, quot præcipuę totius ferè Italiæ Vrbes proteſtantur. Ab his enim, & Eccleſijs inducta munditics; & ſacris Aris nitor, ac ſplendor reſtitutus; Odæis priſca Regularium Clericorum renouata pſalmodia; Deo, Diuiſque cultus exactior impenſus; Sacramentorum vſus frequentior Chriſti fidelibus procuratus: Templis ornatus elegantior inuectus; Emendati perditorum hominum mores; Expiata proſtitutarum mulierum lupanaria; Virginum Collegia ſanctiſsimis diſciplinis inſtructa; quà publicis Diuini Verbi decla-

clama-

clamationibus habendis, quà regendis Virorum ſodalitijs, quà conſcientijs expurgandis, omni denique eorum virtute ad omnes officij partes adeò ſolerter expoſita, vt, & ſinguli ad exempla probitatis, & cuncti, ad Vitæ Innocentiam in dies prouocentur. Quapropter cenſeo, poſse publici Iuris fieri typorum impreſsione ad glorioſam poſteris memoriam conſecrandam, Romæ in Conuentu S. Mariæ ſupra Mineruam Decimo octauo Kal.Octob. 1655.

Fr. Hyacinthus Balada Sac. Theolog. Mag. Ord. Præd.

IMPRIMATVR.

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Prędic. Sacr. Palat. Apoſt. Magiſt.

Digitized by Google

AVCTORIS PROTESTATIO.

CVM Sanctiſs. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in Sacra Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iunij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſiue quæcumque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij: & quæ hactenùs ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſs. die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirùm non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes Auctorem. Huic decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruantia, & reuerentia, qua par eſt, inſiſtendo, profiteor, me haud alio ſenſu, quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, iis tantummodò exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

Digitized by Google

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER PRIMVS.

ALTERAM noſtrarum hiſtoriarum partem diuini præſidio Numinis molior: in qua quidem adornāda neſcio quid maioris ſiue peritię,ſiue facultatis, ac cultus poſtulari à me video: præterea veri fidem,quā hactenus illibatā,atq.integrā volui,ſanctiùs nunc quodāmodò & polliceri,& præſtare,neceſſe eſt. Nam quod ad hiſtoriæ, ſcribendiq. peritiam attinet,quando aſſidua iam ſtyli tractatione, vſuq. erudiri abundè potuit ingenium,expeditior quidem ars ipſa,ac paratior eſſe calamus deberet; proindèq. fluere feliciore quadam vena oratio. Nihil ſiquidem eſt quod expoliat, formetque pulchriùs dictionem,quàm exercitatio. Adhæc,non minimum præſidii, ac documenti attuliſſe videri poterunt explorata iam hominum iudicia. Enimuerò, expoſitis pridem luci publicę prioribus mearum vigiliarum monumentis, imitatus ipſe Apellem,audire veluti intra velum ſingulorum ſententias debui: edoctuſque inde quid peccauerit imperitia,corrigere ad eam regulam,ac limam conſequentes annalium labores,facilè potui. Planè,ſumma quędam auctoritas, atque arbitriū eſt in ingenia,& quicquid vſpiam vigiliarum, ac ſcriptionis cuditur, penes publica hominum iudicia; probant incorruptè, ac improbant, emendantque, quæ peccant: vt ſcripſerint ſanè ſine venia, quicunque eruditarum aurium ſenſum, ac præceptiones minimè neglexerint. Quę cum ita ſint,non auſim nihilominùs emendatiora, atque elegantiora à me polliceri, excellētibus licet præceptoribus hiſce eruditus, mortalium nempè iudicio,ac vſu. Etenim qui pergo domeſtica,ac propria commentaris abundè eſſe mihi perſuaſi,ſi æquabili quodam ſcribendi genere,neque nimiùm eluceat ſtudium,neque nimia indiligentia, ac mundiciæ contemptus in inuidiam ſcriptorem vocet. Perſpectum nanque mihi cùm ſit, grauiſſima,ac ſacra exquiſito, ac minuto dicendi charactere nunquam cum laude exprimi, diſſimulauerim libenter, quæ in officina politioris elegantiæ elaborantur artis parerga, ac phaleræ. Iam, quod ad veri fidem,ac religionem ſpectat,cùm ea præcipuè ſit hiſtoricorum cura, vt narrent quā candidiſſimè,tùm illos maximè lucubrare incorruptè,ac citra omnē mendaciorum fucum,neceſſe eſt,qui res non adeò ſupra noſtram memoriam cùm ſcribant,damnari facilè præſentium teſtimonio,ſi fallant,ceu læſæ hiſtorię manifeſti, poſſunt. Quocirca cum ea nunc me dictare in hoc opere oporteat,quæ conſcios, ac cenſores adhuc ſuperſtites habent, accedatque propiùs ad noſtra hæc tempora ſtylus,profectò mentiri impunè nunquam licebit; eòque enitendum ſumma ope duxi, ne quid inconſultò excidat; ſed conſtante rerum ſerie,ac ordine, auſpice in primis veritate,cohæreant aptè omnia: ne paucorum incertitudine laboret omnium fides, corrūpatq. modicum fermenti integros commentarios. Quo quidem ſincerę mentis habitu dum hiſtoriam reſumo,haud dubito, quin idem aderit ſecundis hiſce vigiliis Numen,cuius auſpiciis reliquas abſolui; & qui cœpit,ipſe perficiet. Igitur altera iſthæc noſtri Ordinis monumenta annus reparati orbis octogeſimus octauus ſupra millesimum auſpicatur: cùm mutata priſca regiminis forma, quæ ad Ariſtocratię cuiuſdam modum,ac temperationem proximè accedebat, inuecta in Ordinem generalis præfectura,atque vnius auctoritas fuit.

Continuantur Cler. Reg. Commentaria

Scriptionem iuuat exercitatio.

Et hominum eruditorum iudicia.

Ornamenta in feriis inſuper habentur.

Fides apud hiſtoricos potiſſima.

In hoc opere ſumma.

Mutatur in Ordine regiminis forma.

Regebatur,vti in loco monuimus, Congregatio plurimorum ſuffragiis; confirmandæque huic adminiſtrationis formæ iam inde ab anno ſuperioris ſeculi ſeptimo,

Capitulum repræſentant.

Digitized by Google

& trigeſimo, petente Carafa Cardinali Theatino, ex cõmuni videlicet Patrum ſententia, viuæ, vt aiunt, vocis oraculũ Gregorii Pontificis Tertii Decimi acceſſerat. Eiuſmodi autẽ adminiſtrãdæ diſciplinæ ratio hęc erat: vt exactis comitiis, quæ quotannis habebãtur, ab ea domo res Theatina vſq. ad alia ſubindè comitia eo interſtitio regeretur, vbi Patrũ, quos Vocales appellamus, maior pars tũc agere contigiſſet. Huic magiſtratui nomen fecerant Capituli repræſentãtis: quippè cõmuni quodam iure cũ regeret; agere, ac repręſentare Capituli generalis vices videbatur. Hanc porrò vicariam poteſtatem non perindè exercebat princeps ea domus, vt ſtatuere de re communi, ac legibus pro nutu, atque arbitrio poſſet: verùm, adſtricta admodum auctoritate, nonniſi curare leuiora poterat, atque ea duntaxat rerũ grauiorum momenta temperare, quæ præſenti conſilio, manuque eũ indigerent, differri ſine diſciplinæ incommodo ad proxima comitiorum ſuffragia minimè potuiſſent.

Eius poteſtas.

Apta initiis gubernatio.

Viſa iis initiis opportunior hæc rectionis idea, ac ſpecies; vt modica adhuc, ac veluti adreptans inter cunas Sodalitas, cautiùs inter plurimorũ curas adoleſceret. Ea ſiquidem eſt mortaliũ conditio; vt infantiã plures regant: cùm creuere, ſuo ſe præſidio ſatis tuentur. At enim verò domiciliorum numero, cenſuque capitum adaucto, cùm ſua iam conſtaret Ordini ætas, ac moles, atque alius quidem rerum ſtatus aliam etiam magiſtratus formam depoſceret, intendere plerique è noſtratibus ad perfectiſſimũ regiminis genus, quæ Monocratia eſt, animum, ac cogitationes ſuas occœpere. Monuerat nempè iudex rerum vſus, non eam Capituli repræſentantis vim, ac poteſtatẽ eſſe, quæ ordinare communem diſciplinam cum incremento Ordinis poſſet: neque æquum eſſe, vt vnius arbitrio domus cœtera Congregatio, quæ multiplici iam ſede conſtabat, regeretur: præſertim cũ diſſentire inter ſe ſe capita, quod eſt in multitudine frequentiſſimum, aliquando contingeret; non ea poſſe à diſtracto hominũ ſenſu manare in publicum remedia, ac conſilia, quæ vſui forent. Præterea ſacrorum Ordinum ferè omnium inſtituta, ac publicæ adminiſtrationis forma perſuadere hoc ipſum videbantur, qui vno capite cùm regerentur, quo maximè imperii genere temperari ſuccedentes familias oporteret, docebant. Atq. id eſſe & rationi oppidò conſentaneum, ipſamet Chriſtianę Reip. moderatio indicabat, quæ vnius ſupercilio conſtat, regitq. vnus ſacrorũ Princeps, ritu Numinis, vniuerſitatem naturæ ad monarchiæ ſpecimen adminiſtrantis.

Non vna ex cauſa.

Non omnibus hic idem ſenſus.

Ratio à vetuſtate.

Hæc cũ ſecum ipſi ſeriò agitarent prudentiſſimi plerique Patrum, qui tùm communi rei magnoperè ſtudebant, præclarè cũ Ordine actum iri putarunt, ſi ab eo Capituli repræſentãtis, atq. optimatũ regimine in vnius magiſtratum euaderet. At enim verò quamquàm plurimorum ea erat ſententia, nõ deerant, qui primæuo inſtituto impensè addicti, nouam hanc magiſtratus ſpeciem minùs probaſſent, ſi conſilium cum iis communicaretur. Planè vetuſtas ipſa venerationem quandam afflat: vt religio omninò ſit ſeuerioribus ingeniis à maiorũ veſtigiis, ac orbita vel latum vnguem diuertere: eaque propter non pauci quidem momenti apud vetuſtatis aſſertores id erat, ſcilicet, coæuã Theatinæ Sodalitati hãc regiminis rationem eſſe: induxiſſe ſapientiſſimos Conditores ipſos: ſanciuiſſe vſum: firmaſſe Summorum Pontificum nutus. Secundùm hæc, mutari res longa conſuetudine comprobatas, fieri ſine communis rei detrimento, ac fraude minimè poſſe. Noua ſiquidem inducta procurationis forma, refigi priſcas leges omnes, miſceri inſtitutum, ac totam penè conuelli rem publicam oportet.

Et à conſuetudine.

Itaque qui ſuffragari Ordinis progreſſionibus hãc regiminis nouitatem, ſibi perſuaſerãt; cũ probè ſcirent, pleroſq. refragaturos, ſi eorum iudicio res expenderetur, externa vtendum ope, ac cautè agendũ, duxere. Fallit ſiquidem plerũq. læditq. ſucceſſum plurimorum conſcientia, ac fama. Quapropter Antonium Cardinalem Carafam, Pauli Quarti gentilem, eoque nomine, ac ſua etiam ſponte noſtræ Sodalitatis percupidum, conueniunt. Rem, vti animo conceperant, exponunt: valuitque adeò apud Cardinalem Patrum auctoritas, ac facundia, vt, & in eorum illicò ſententiam diſceſſerit, & cauſam apud Pontificem ſumma fide tranſigendam ſuſceperit.

Monarchiam tranſigit Antonius Card. Carafa.

Egregiè namque in noſtram familiam animatus, cum nullam eius honeſtandæ labi occaſionem ſineret, tùm hanc complecti ex animo, atque impenſiùs voluit, qua cum optima rectionis idea accedere præclaro inſtituto non minimum vtilitatis, intelligebat. Supplica-

Et impetrat à Pontifice.

tum

tum illicò ea ſuper te Sixto Quinto, qui rem tùm Chriſtianam moderabatur: fauitq. proniore quadam indole, ac aure Pontifex; vt qui noſtri Ordinis commoda eximio etiam ſtudio proſequeretur; ac mutata Reipublicæ forma, quæ hactenus tenuerat, ornamento, ac fructui futurum exiſtimauit, ſi quemadmodum cœteri Sacri Ordines, ita ſuo etiam capite regi Theatinæ Congregationis corpus contigiſſet. Obſignatæ Pontificię literæ ad diem Aprilis menſis octauum fuere. Adportare tempus alium rerum ſtatum, & ordinem in ijs monet Pontifex. Generalis Prępoſiti delectum probat, ac pro ſanctiore imperio iubet. Eandęm illi, atque aliarum familiarum Generalibus vim, ac poteſtatem eſſe, iiſdemque honeſtari priuilegijs ſtatuit. Eius ſedem præſcribit, nempè Romanam in Quirinali Cœnobio: tempus, vt cum œuo finiat: ac ne euagari, ac diſtrahi in multiplicem capitum virtutem ſuffragia, contingeret, tres omninò egregię virtutis opinione, atque excellenti quodam genere prudentiæ grauiſſimos Patres deſignat, è quibus vnum legerent: idque hac tantum vice, relicta ſuccedentibus ſubindè Comitijs iudiciorum libertate. Fuere hi Ioannes Baptiſta Milanus, Venetus, qui tùm Patauij cum laude præerat, Auguſtinus Paparus Neapolitanus, eximij vir ſpiritus, qui Placentinum cœnobium adminiſtrabat, & Matthæus Bencius, Politianus, vir à ſuauitate, ac ſanctitate morum commendatiſſimus, qui Viſitatoris in Gallia Ciſalpina munere fungebatur. Hæc porrò naſcentis præfecturę initia, ac ſanctiones diſtinctè vſurpauerit lector in ipſo Pontificis diplomate, quod ſubiectum hic volui.

Datis Apoſtolicis literis.

Earum exemplar.

SIXTVS PAPA QVINTVS.

Dilectis filijs Prępoſitis, & Clericis Regularibus Theatinis nuncupatis, Capitulo proximè celebrando in domo S. Syri Genuenſi interuenturis.

Dilecti filij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Etſi exploratum nobis eſt, naſcentem veſtram Congregationem iuxta laudabiles conſtitutiones, à nonnullis Romanis Pontificibus, prædeceſſoribus noſtris ſibi præſcriptas, ſine aliquo Generali Rectore communibus votis, ac ſtudijs non ſolùm rectè adminiſtratam fuiſſe, ſed magnos etiam in via Domini cum proximorum ædificatione progreſſus feciſſe. Nunc tamen, quoniam proceſſu temporis, & creſcente in dies magis Clericorum veſtri Ordinis numero; ſimulque humana imbecillitate in deterius ſemper prolabente, compertum eſt, ex ſupradicta veſtri Ordinis forma, qua plures Religioni pręſunt, tā imperādi, quā parēdi rationē plerumque perturbari, ac propterea tùm ſanctę obedientię retardari curſum, tùm felicem, quem cupimus in ipſa religione, non mediocriter impediri progreſſum. Nos pro paterna charitate, qua eandem religionem veſtram complectimur; quaque bono eius in Domino regimini cupidi ſtudemus, & quieti opportunum fore iudicauimus, ſummam poteſtatem totius Congregationis, quemadmodum in alijs itidem Congregationibus fieri ſolet, penes aliquem vnum reſidere, qui illius pręcipuam curam, & peculiarem adminiſtrationem, & regimen ſollicitè, fideliter, & prudenter gerere ſtudeat. Quocirca vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna harum ſerie præcipimus, & mandamus, quatenus in pręſenti Capitulo, poſt feſta Paſchalia iſthic celebrando, intra triduum à die præſentationis harum literarum, facta priùs de more per vos S. Spiritus inuocatione, vnū ex tribus, quos eligendos vobis pro hac vice tantùm (liberam nihilominùs electionem futuris temporibus Capitulo relinquentes) proponimus; videlicet, aut Ioannem Baptiſtam Venetum, domui veſtræ Patauinæ Prępoſitum, aut Auguſtinum Neapolitanum, Placentinę domui itidem Prępoſitum, aut Matthęum, Ordinis veſtri in præſentiarum Viſitatorem, de quorum pietate, religione, ac prudentia plurimùm in Domino confidimus, per vota ſecreta iuxta Concilij Tridentini decreta in Præpoſitum Generalem prædictæ veſtræ Congregationis eligatis, ac deputetis, qui huiuſmodi Patris Generalis officium, ad eius vitam duraturum exerceat, ac omnibus, & ſingulis præminentijs, facultatibus, auctoritatibus, priuilegijs, & indultis vtatur, fruatur, ac gaudeat, quibus alij aliarum Congregationum Generales vtuntur, fruuntur, potiuntur, ac gaudent: quique, vt præfertur, electus, ac deputatus in domo S. Siluestri de Vrbe, quemadmodum etiam eius ſucceſſores, debeat reſidere, non obſtantibus Conſtitu-

Digitized by Google

tionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus cœteris, contrarijs quibuſcumque non obſtantibus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die Octauo Aprilis 1588. Pontificatus noſtri anno tertio.

Peracta hæc matutiùs, ac tacitè ab Antonio Cardinali Carafa. Interim habendis generalibus comitijs conuenere Genuam Patres: cœptoque conuentu adfuit Nico-

Traduntur Patribus Pontificiæ literæ.

laus Tutius, Genuenſis Archiepiſcopi generalis Vicarius, qui quas Roma literas Apoſtolicas acceperat, congregatis vnà Patribus reddidit vnà cum Cardinalis Caraſę epiſtolis, officij pleniſſimis, ac ſingularis in ſodalitatem ſtudij teſtibus. Quibus perlectis,

Quibus non idem ſenſus.

non vnus profectò fuit omnibus animi ſenſus, atque index animi, oris habitus. Enimuerò qui rem familiæ percommodam, ac longè vtiliſſimam accuraſſe exiſtimabant, gaudere in ſinu, ac probare ſummoperè conſilium, veluti è cœlo delapſum, cernebantur: qui verò vetuſtatis ſummè cupidi inſiſtere maiorum inſtitutis, ac veſtigijs maluiſſent, improuiſo eo nuntio perculſi, quamquam Maximi Pontificis decreta, ac nutus prolixiùs venerari profeſſi ex animo ſunt, viſi nihilominùs arcanum pectus minimè diſſimulaſſe, certabantque in vultu reciprocantes animi notæ, dum & obſequi

Sed idem diſciplinę zelus,

omninò vellent, & ea ſibi imperari noluiſſent. Certè non ſemel id accidit, vt vnus, idemque tuendæ diſciplinę zelus diuerſa præcipiat. Sua cuique indoles; iturque perſępè ad eandem virtutem non eadem via. Teſtimonio fuerint ſtudia in contraria ſciſſi nunc Patres, quibus inter ſe ſe diſſidentibus, eadem omninò Congregationis felicitas, atque amplitudo propoſita erat. & hi quidem vnius pręfecturam, cœterorũ Ordinum exemplo, illi plurimorum regimen, more, inſtitutoque maiorum, facere ad dignitatem, atque incrementum diſciplinę, perſuaſum habebant. Ergo vbi ſumma illa auctoritas Numinis, cœlique Vicaria, atque interpres acceſſerat, componi ad omnem iudicij ſubiectionem, ac modeſtiam oportuit: ſtatimque qui ſtudere veteri inſtituto videbantur, ſingulari quadam ſerenę, atque obſequentiſſimæ mentis ſignificatione intimam obſeruantiam teſtati, ad noua ſuffragia animum appulere: non ſine ſpe, fore vt aliam aliquando mentem indueret Pontifex, ſi ipſorum ſemel rationibus accomodare benignè aures contigiſſet. Iam, in re grauiſſima, implorato priùs de more Numine, cœpta acriore quodam examine expendi deſignata à Pontifice ſuſtinendæ prouinciæ tergemina Patrum virtus, vt robuſtior quædam animi facultas oneri ſuccederet. Eminuit hic ſtatim Matthęi Bencij animi demiſſio. Nam cum in-

Matthæi Bencij humilitas.

cumbere in ipſum pleraque Patrum ſtudia, ac vota intelligeret, dilertè renuit, ardentique oratione electorum animos occupauit, teſtatus, nunquam fore, vt honorem illum capeſſeret, quem nouerat maiorem humeris, atque interiori ſuo homini minùs frugiferum. Tùm precatus enixè eſt Numen, vt ſtudia, ac ſuffragationem luderet, ne illa recepti muneris documenta à ſe homines haberent, luceretque magnificè humilitas non exiguo cũ ſui detrimento. Atq. hæc quidem pronunciare ea oris, animique conſtantia videbatur, vt expugnatum iri obfirmatum ęquè aduerſus honores, ac preces pectus, diffiderent Patres. Quocirca aduertere aliò mentem decreuere. Et quamuis Auguſtino Paparo ſui eſſent prudentię nerui, ac par ſupremo magiſtratui indoles: tamen grandiore quidem natu cum eſſet Ioannes Baptiſta Milanus, eoque prudentia non impar, in ipſum omnium vota conſpirarunt, collata

Eligitur Præpoſitus Generalis Io. Baptiſta Milanus.

generali, ac perpetua, quoad viueret, Ordinis Pręfectura; cuius auctoritas, ac vis Infulę, cum non ſatis explicaſſet ſuis literis Pontifex, definita conſequentibus comitijs fuit, quæ Romę, vt in tempore dicemus habita.

Porrò Ioannis Baptiſtę Milani vix libaſſe me nomen memini, cùm eius ſolemnia Religionis vota ad annum huius ſeculi ſextum, & ſexageſimum adnotaui. Libeat nunc aliqua eius lineamenta virtutis appingere, vt qui rector ſodalitati contigerit, agnoſcat ſtatim veluti de vultu lector: ac par eſt, vt qui magiſtratu iam eminet, eius nõ

Eius genus,

lateat genus, inſtitutio, ac cœtera animi ſuppellex. Cunabula Venetię dedere, honeſto quidem inter ciues loco. Maiores publicis domi, foriſq. muneribus obeundis operam Reipublicę nauarunt: & Pater quidem ſupremi Rogatorum, vt vocãt, Magiſtratus à ſecretis fuit, quod in Venetiarum Vrbe perhonorificum. Educatus inter publica hæc munera Ioannes Baptiſta, eandem ſibi è ſuorum documemto, exem-

ploque

Digitized by Google

ploque vitæ rationem propoſuit. Eminebat quippe in Iuuene accomodata foren-
ſibus negotijs indoles, aderantque ijs peragendis cætera adiumenta naturæ, in-
genium, iudicium, atque ipſa oris, ac vultus flexa ad grauitatem maturitas: vt
facile quidem fuerit, accedente poſtmodum vſu rerum, ac æuo, non mediocrem
ſibi ab ampliſſimo Patrum Senatu opinionem conciliare. Quapropter non
in Vrbe modò admotus publicis functionibus fuit, verùm ad externas etiam
aulas ijs legationibus procurandis, quas adminiſtrare honeſtiſſimi quique Ciues
ſolent, amandarunt: obiuitque ea munia ſecundiſſima fama. At enim adaucta
vehementer apud omnes ſui æſtimatione, curiſque, ac grauiſſimarum tractatione
rerum limatus, cum maximè ad honores, & commoda intendere, ac continuare
curſum videri poterat, adſpirante meliore diuinitùs aura; ab importuoſo mundi pe-
lago aliò velificauit, atque in Religionis ſe ſe ſtationem aſſeruit. Hoc ſanè perſpicax
perindè ac ſapiens, quòd latentes inter criſpantes ſeculi vndas ſcopulos, & tempeſtiuè
viderit, & cautè declinauerit. Perſpecta ſtatim in ordine viri probitas; & quæ attu-
lerat ornamenta virtutum: ita vt quod erat in noſtra diſciplina rariſſimum, ſtatim à
votorum nuncupatione illum iure ſuffragij honeſtarint Patres. Inerat quippè in ipſo
vitæ regularis rudimento prouecta iam virtus, moreſque grauiſſimos ſpecies ipſa cō-
mendabat. Princeps in eo virtus, humilitas, qua opes animi, ac præcipuè acre iudi-
cium, quæſitamque vſu prudentiam, ac doctrinarum præſidia inumbrare conabatur.
Silentij, arcanæque vitæ percupidus, extra conclaue, niſi cum poſceret neceſſitas, aut
vrbanitas, nunquam viſus. Cùm è grauioribus ſtudijs tempus ſuppeteret, transferre
è latio, aut in latium libros ſolitus erat; quos deindè, vt oſtenderet fallendis horis, ac
gratia ſe ſe in cellula continendi, ſuſcepiſſe lucubrandos, dilacerabat, priſcorum exē-
plo patrum, qui calathis texendis, retexendiſque tempus terebant. Legum noſtra-
rum ſeruantiſſimus fuit, vt regularis obſeruantiæ viuam quandam imaginem intuen-
tibus repræſentaret; Cauebatque potiſsimùm, dum præerat, ne vel minutiſsima ne-
gligerent ſubditi, aut quoquo pacto iret imminutum. Cuius quidem religioſæ di-
ſciplinæ, ac Theatini moris quàm fuerit in Ordine ſtudioſus, ac tenax, luculenter de-
indè declarauit ad Bergomenſem Eccleſiam euectus. Eius nanque Inſulę dignitatem
ac ſplendorem vſque adeò priuato, regularique cultui accomodauit, vt inter opes, &
commoda lautiſsimi ſacerdotij nudus paries, frugaliſque vbique ſuppellex, ac menſa
Clericum Regularem exprimerent. Id quod dicendum in loco vna cum cætera inſi-
gni virtute, quam vſque ad ſanctimoniæ famam Antiſtes excoluit. Ab exacto, con-
ſtantique hoc morum cultu facilè ſibi perſuaſere Patres, fore vt optimè Congregatio-
nem regeret, qui priuatam domorum obſeruantiam tam diligenter, ſtudioſèque ac-
curabat: renunciatuſque eſt communi hac omnium perſuaſione Præpoſitus Genera-
lis, dignus planè, qui primus hunc Congregationis totius magiſtratum capeſſeret: vt
proſtaret ſubinde cæteris non vulgaris quædam rectè adminiſtrandæ Religionis idea,
ac forma. Ac præclarè quidem cum ipſa Præfectura actum. Ea nanque eſt Princi-
patus ratio, vt optimi quique præſint. Quod & in animantibus docuit natura ipſa.
Multis quippè gregibus, ait morum ille a Cenſor, aut maxima corpora præſunt, aut
vehementiſsima. Non præcedit armenta degener taurus. Elephantorum gregem
excelſiſsimus ducit.

Igitur Pater Generalis, poſtquam ad Ordinis incrementum, & commodum plera-
que in eo Conuentu ſciuiſſent Patres, ac ſuum cuique cœnobio Præpoſitum deſignaſ-
ſent, dimiſſo Capitulo, ordinare illicò ex ſui officij ratione rem communem cum lau-
de cœpit, reſponditque adamuſsim opinioni, quam inſigni prudentia, ac pietate de
ſe concitauerat. In primis Congregationis vniuerſæ inſpectionem ſtatim à comitijs in-
ſtituit. Quod ſanè præſentiſsimum amplificandæ regulari obſeruantiæ præſidium
eſt. Florere ſiquidem eo aſpectu, ac domorum luſtratione Ordo cernitur: nec aliter
Sol ipſe ornat, fœcundatque orbem, quàm per planetarum domos circumcurſando.
Tùm hærent firmiùs, ac luculentiùs animo illa oculorum fide ſubditorum mores, in-
doles, ingenia: adeò vt regere deindè familiam, ac ſua cuique diſtribuere munera ab
oculata ea notitia, & quàm facillimè, & quàm optimè Rectores valeant. Quam
quidem exactam ſuorum cognitionem, moderatori pernecessariam, acquiſiuiſſe

con-

Et vitæ ſecularis ratio.

Publicis muneribus à Veneta Rep. admouetur.

A quibus contrahit mox vela.

Multiplex eius virtus.

Obſeruantiæ regularis tenax.

Quā in Inſulis retinuit.

Primus Præpoſitus Generalis.

a Seneca epiſt. XCI. apud lipſ. monit. polit. lib. 2. cap. 1.

Prouinciam ſtrenuè capeſſit.

Quam vtilis moderatorum aſpectus, & cenſura.

confeſtim voluit Milanus: ſparſumque iam latiùs Ordinem nulla itineris, aut temporum iniquitate deterritus, integrum priore hoc anno luſtrauit, vt mirum profectò fuerit, maturioris æui viro adeò vires ſuffeciſſe, vt inſpecta Gallia Ciſalpina, continenti, ac difficillimo itinere, reſumpto vix ſpiritu, ad extremos vſque Regni Neapolitani, atque Italiæ fines, nempè ad Salentinos, inuiſendo Licienſi cœnobio, excurrerit. Atque in hac potiſsimùm Salentina inſpectione gratulari illum maximo quidem opere contigit, quòd florere præter opinionem domeſticam diſciplinam, atque externam

Licienſium in noſtros beneuolentia.

ciuium gratiam, ac beneuolentiam in eo Collegio competiſſet. Enimuero, vt adnotaſſe me aliàs, memini, anguſta nimis eius rudimenta domus fuere, atque ea mente acceſſerat Pater Generalis, vt quando ab difficili re familiari vacare ſuo inſtituto Patres nequirent, eaque eſſet ſoli ſterilitas, vt minimè proueniret animorum ſeges, familiam inde reduceret. At conſilium mutata Ciuitatis ſtudia luſere. Siquidem explorata propiùs licienſes ſuprema inopia; cumque vnicum noſtris perfugium eſſe Ciuium liberalitatem cognouiſſent; præterea nihil neque auri domi, neque prædiorum foris, mirùm quàm copioſè priuata, ac publica effluxerit alendæ familiæ pietas.

Quā auxit ſuis concionibus Marcellus Toloſa.

Adauxitque communem beneuolentiam, ac ſtudium Marcellus Toloſa, qui hoc anno in principe Eccleſia ferijs Quadrageſimæ declamauit, eo quidem ſpiritu, ac flamma dictionis, vt nunquam ſic hominem loquutum vulgò affirmarent. Viget adhuc hominis diſertiſſimi in ea Vrbe fama, quæ ad cineris, ac ſacci pœnitentiam, velut altera Niniue, viſa per eos dies à neruoſis, ac plenis animæ, ac ignis Marcelli declamationibus cogitationes ſuas omnes conuertiſſe. Certè vix aliquis eloquentiæ fama celebris, aut nominari, aut auſcultari hodièque ab ea Gente contingit, quin Marcelli in dicendo robur, atque actuoſior facundia cœlo tenùs efferatur.

Et Paulus frater.

Dixerat eodem etiam in templo, eodemque verno ieiunio ante paucos annos Paulus Toloſa, germanus frater, cuius audiendi auiditas, ac ſubſelliorum celebritas ea fuit, vt occupata accurſu populorum ſummo mane Eccleſia, vnus erat omnium timor, ne à confertiſſima turba excluderentur. Atque hi quidem fratres præcipua fuere inſtrumenta, vt conciliato communi ſtudio, incumberent vehementer in noſtrum Ordinem, eamque familiam Licienſes. Ingens profectò erat inter nobiles viros, matronaſque de Patribus benemerendi ſtudium, ac æmulatio.

Cæſaris Priuli in Congregationem affectus,

Præcipuè viſus intimè complecti ſodalitatem Cæſar Priulus, è prænobili Venetorum gente, qui, vt tranſiſſe affectu quodam in noſtram familiam oſtenderet, pulcherrima veluti inſitione ſuo ſtemmati noſtri Ordinis inſignia; hoc eſt, Crucem adiunxit. Sed de hoc ſuus erit dicendi locus. Fuere item noſtro inſtituto addictiſſimæ Adriana Franconia, Iſabella Pignatella, & Conſtantia à Falconibus, primariæ Vrbis fœminæ, quarum inſignis pietas, vt domeſtica omni ſuppellectili,

Et nobilium matronarum.

ſacroque inſtrumento, ac quotidiana munificentia Theatinam inopiam ſubleuabat, ita incitamento alijs erat, vt adeſſent affectu, ac manu. Quibus cæleſtis prouidentiæ documentis, ac liberali hominum beneficentiſſimorum pietate excitati etiam, atque

Noſtratum licij ſedulitas,

etiam noſtri, inſigni quadam animi contentione operā, laboreſque ſuos communi animorum vtilitati, ac bono viciſſim commodabant: & quà domi ſacris concionibus, expiandiſque ritè conſcientijs, ac cæteris noſtri Inſtituti functionibus; quà foris componendis ciuium ſimultatibus, atque altercationibus, quæ frequentiſſima in præferuida licienſi ea indole erant, atque in omni ſe ſe pietatis genere exercebant.

Præcipuè in morientes,

Aſſidui præſertim erant in morientium præſidio, ac ope. Nulla apud ipſos perſonarum acceptio, nulla temporis, aut loci ratio, quominùs Chriſtianis officijs, præſentique cohortatione moribundos iuuarent; inuolabantque æquo pede ad nobiles, ac plebeios interdiù, ac noctu; vt breui communi vocabulo morientium Patres vulgò audirent. Ad hæc, inſtituta ſodalitia hìc duo; alterum nobilium; popularium alterum, à quibus preclara ſubindè exemplorum ſeges extitit.

Licij ſodalitia à noſtris.

Et nobilium quidem cœtum, quem à Chriſto Crucifixo nominant, quòd inſignem quandam Redemptoris è cruce pendentis imaginem in ornatiſsimo, quà picturis, quà auro Oratorio ſodales colunt, mirum, quo florere religionis, piorumque operum cultu cœperit. Nam præter ſuum in Sacramentorum vſu, priuatiſque concionibus profectum, charitatem aduersùs mortales ſtrenuè exercent, præſertim orphanis virginibus omninò decem quotannis die Diuæ Irene ſacra ex vrna ſolenni ritu dotem diſtribuunt. Populares verò ſingulis Dominicis die-

bus

bus in altero, quod diximus, ſodalitio pomeridianis horis conueniunt. Formantur hic ad omnem virtutem, ac pietatem mores: in egenos deindè ab emendicata ab ipſis ſtipe prompta munificentia. Præcipua verò in deſunctos charitas, quibus ab altari, certiſque ſacrificijs non mediocre planè ſubſidium: vnde & mortuorum Oratorium appellatur. Floruere in his porrò ſodalitijs excellentis ſpiritus viri. Duos præſertim è nobilium cenſu non ita pridem mors abſtulit, Ioannem Petrum Verardum, & Thomam Perronem, ſumma innocentia, atque omni laudum genere ornatiſsimos, quorum vitæ ſanctitas, ac virtutum ſtudia, excepta ſtylo, ac typis, proſtant hodièque ad morum imitamentum. Abſolutiſsimæ item virtutis virum in altero, quod à mortuis nuncupatur, ſodalitio, contigit nuper efferri, Pacificum nomine, cuius incorruptos omninò mores viuidum adhuc ſupra communem temporum iniuriam corpus demonſtrat. Atque hæc quidem pietatis in commune bonum exercitia ab ipſo ſtatim Licienſis Coloniæ initio cœpta à noſtris: ita vt creuerit ſenſim communis inde voluntas, ac propenſio in Ordinem, atque ad Itenianam Ædem accurſus frequentia. Quæ omnia cùm coram inſpiceret Pater Generalis, qui haud æquo planè animo acceſſerat, incredibilem quandam voluptatem cœpit; & quòd tàm fructuosè, tantoque cum populatium plauſu ponerent ſuas operas noſtri homines, ingentes Deo grates habuit.

Et inde prouentus.

Id quod & in cætera luſtratione domorum accidit, in quibus diuini cultus dignitatem, atque inſtituti æſtimationem apud vulgus, ac principes viros excreuiſſe, maximoperè eſt gratulatus. Et Venetijs quidem cum maximè florerent gratia apud nobilium ordinem noſtri, tùm hoc anno adaucta in illos omnium beneuolentia, ac opinio eſt. Illud nanque accidit eorum opera in Monialium Aſceterio, Diuo Andreæ ſacro, quod alibi innuimus. Præcipuum in Venetiarum Vrbe hoc Collegium eſt, quod lectiſsimæ, atque è primaria nobilitate Virgines incolunt, deſudauitque olim in eo formando, inſtituendoque Hieremias Iſachinus, qui cùm inibi ex vetere inſtituto publica minimè nuncupari vota comperiſſet, id enixè contenderat, vt ex Tridentini Concilij præſcripto vouerent ſolenni ritu Virgines. At quod ardua plerumque ſunt rerum initia, ac rarò euincitur nimis pertinax fœminarum conſtantia, niſi accedat, atque emolliat tempus: quamquam ſedulò in id operis Hieremiæ ardor incubuit, non adeò reſpondit excultus ager induſtriæ. Nam præter paucas, quæ perpetuo eo votorum Sacramento Deo ſe obligauerant, cæteris potior fuit libera ab ſuauiſſimo Chriſti iugo ceruix, ac vetus Monaſterij conſuetudo. Contigit hoc anno integra hæc laus Silueſtro Tuſo, qui tum rem noſtram Venetijs adminiſtrabat. Nam audiendis earum noxis deſtinatus, qui erat in adhortando actuoſiſsimus, valebatque arcana vi quadam in tractandis animis, breui tantùm inibi in regularem diſciplinam, votamque virginitatem ſtudium excitauit, vt vna ſimul die Moniales ad quinque, & viginti Sacramentum Deo dixerint, emiſſa publica profeſſione. Quod & ſummæ dignitati, atque exiſtimationi Monaſterio fuit, & laudi non exiguæ Tuſo: conciliauitque nobilitatis beneuolentiam, affectumque in noſtros, quorum opera cernerent aſſertos cœnobio eos nexus: proindèque ſancitum votis ſuarum Virginum ſtatum, ac propoſitum; vt non amplius metuerent, ne perfectioris vitæ pœnitentia in ſua patrimonia, auitaſque fortunas reſilirent.

Venetijs res benè geritur.

Silueſter Tuſus moniales hortatur ad ſolénia vota.

Et impetrat.

Hęc Silueſter Tuſus Venetijs, quo tempore Ioannes Baptiſta germanus frater, quẽ ad Acerrenſes Inſulas biduò ante prouocauerat ſua virtus, munus honeſtiſſimum, vt ipſemet narrat paucis, obit in Montis Virginis cœnobio, quod & ob celeberrimam Virginis tutelam, quæ locum implet ſuo Numine, & miraculorum frequentia nobilitat, & ob inſignem D. Guglielmi memoriam, qui eius montis ſupercilium, ac minas exercendæ ſanctiori diſciplinæ delegit, & ob exactam Monachorum obſeruantiam, quæ ſingulari inibi exemplo viget, principem in eo Ordine, qui à Monte Virginis appellatur, locum obtinet. Contigit nanque hoc anno generalia haberi in eo Monaſterio Patrum comitia: cumque allegandus eò eſſet perſpecta vir virtute, qui Maximi Pontificis nomine, ac vice præeſſet conuentui, & ſuo nutu communia illa ſuffragia temperaret: cui hanc prouinciam demandaret Sixtus Pontifex Quintus, commodiorem vidit neminem Tuſo noſtro Acerrenſi, quem regularis diſciplinæ laude floruiſſe,

Io. Baptiſta Tuſus Epiſcopus Acerren.

Preſes comitiorum Patrũ Montis Virginis,

ruiſſe, atque eximia prudentia, vſuque rerum inſtructum nouerat. Præfecturam is
minimè recuſauit: quantaque alacritate ſuſcepit, tanta ſubindè viſus adminiſtraſſe
integritate, ac fide: ita vt Pontificem obſequio, & Patres illos ſumma æquitare, ac
Prouinciam egregiè obit. beneuolentia demeruerir. Rem benè geſtam teſratus abundè eſt Franciſcus Maria
Taurusius, ſua virtute, ac poſtmodum etiam luce purpuræ clarus, quem Tuſus, vtpote amicum hominem, & cuius operam, ac vim iudicij perutilem fore ſibi in grauiſ-
ſimo negotio, perſuaſum habebat, comitem voluit, ac præterea ſui teſtem. Nec ſuum
deſuit labori præmium. Nam præterquam quod accuraſſe cum laude munus, non
exigua quidem merces videri poterat: tùm habuit, vnde non minimum operæ pre-
tium feciſſe, lętaretur. Etenim, quæ donaria accipi etiam à viro incorruptiſsimo poſ-
ſunt, tulit ipſe ab illorum Patrum munificentia: nempè inſignia aliquot Diuorum
Donatus Diuorũ lipſanis. lipſana. Cumulatum olim magnorum Principum curis, ac magnificentia pretioſis
iſtiuſmodi opibus fuit vetuſtiſsimũ Montis Virginis cœnobium; vt planè non modò
princeps Deiparæ patrocinium, ac nomen venerationem conciliet templo, ſed præ-
ſignes etiam ſanctorum cineres ſuum ſaciant loco pretium, ac decus. Delibara pia
hæc pignora, ac oſſa Tuſum liberaliter ditauerunt. Quę poſtea vnà cum innumetis
penè alijs, ijſque præcipuis, ingenti pietate, ac ſtudio quæſitis, hebeno, argentoque
culta quàm elegantiſſimè, Neapolitano Diui Pauli noſtri Ordinis templo eius dono
ceſſere, vt in loco exponam.

Porrò accuraſſe identidem noſtros homines aliorum ſacrorum Ordinum commo-
Noſtratum in curandis aliarum diſciplinarum cõmodis ſtudium. da, ijſque ſiue ſundandis, ſiue formandis, reformandiſque ſedulam impendiſſe ope-
ram, haud ſanè inſolens noſtræ diſciplinæ, ac nouum. Qui rerum noſtrarum monu-
menta à condita Congregatione excutiet, cognoſcet profectò, quàm id ſamiliare
fuerit noſtratibus: vnumq. Ioannem Petrum Caraſam, dum Regularem Clericum
ageret, ante purpuram, ac ſaſces, plures religioſorum hominum ſamilias, œuo labo-
rantes, Summorum Pontificum nutu inſtauraſſe, ac nonnullas etiam, vt in lucem
ſauſtè prodirent, ſuis conatibus iuuiſſe, comperiet. Quo quidem ſpiritu afflatæ ſuc-
cedentes deindè Patrum curæ, viſæ nihil nauaſſe ardentiùs, quàm quod religioſę ali-
cuius diſciplinæ bono cederet. Enarrauimus in loco id genus plura. Quod hìc mo-
dò perſtringendum, id eſt, in Diſcalceatos Carmelitas noſtratum ſtudium. Enimuerò,
a Supplem hiſt. Cl Reg. cap. 107. vt a Tuſus memorat, Ioannes Scurcouillus Sipontinus, vir ex noſtris nunquam ſine
eximiæ virtutis elogio nominandus, frugiferam eius Ordinis operam, quem ſanctiſſi-
Neapolitanam Diſcalceatorũ Coloniam iuuant noſtri. ma illa Heroinà Thereſia, Virgo, & Mater ſundauerat, Genuæ conſpicatus, fore illam
Neapolitanis perutilem intellexit; cognouitque mox religioſiſſimis ijs hominibus id
eſſe maximè in votis, vt fixo Neapoli domicilio, in ampliſſimam eam ſegetem falcem,
curaſque ſuas immitterent. Ergò animos ipſe, ac ſpem facere, accenditque vehemẽ-
ter Patrum vota, pollicita ſui, ac ſuorum, qui Neapoli agerent, opera; quos, vt pro
gratia, qua apud primarios eius Vrbis proceres valebant, nouerat poſſe, ita pro inſita
noſtræ diſciplinæ in huiuſmodi officijs indole, non dubitabat, fore vt vellent aggredi,
ac promouere opus. Simul Ioannes Sipontinus literas ad noſtros dedit, ſimul Diſcal-
ceati Carmelitæ par hominum præſtantiſſimorum eò allegarunt: nempè Hierony-
mum à Sancto Hilarione, & Petrum à Matre Dei, vtrumque à ſacræ eloquentiæ, vi-
tæque partibus longe commendatiſſimum. Nec eos noſtratum beneuolentia, ac in-
duſtria ſefellit. Nihil enim ab ijs prætermiſſum, vt ſedes inibi laudabili Inſtituto con-
tingeret, accederentque præclara ea morum exempla Neapolitanis. Et verò poſita
quędam rudimenta operis fuere: ac tùm quidem re nec infecta, nec abſoluta reuerti
Genuam coacti Patres: ſed non poſt multò illorum alter, nempè Petrus à Matre Dei
eò reuocatus, cùm conciones in templo, ſalutatæ ab Angelo Virgini ſacro, ferijs cine-
ralibus habuiſſet, vſque adeò felicitate, atque ardore linguæ Neapolitanorum ſibi vo-
luntates deuinxit, vt facile fuerit, rem confeciſſe: deſignatumque domicilium eſt in
ſuburbano, eoque prænobili ſitu, quod nunc, & incolarum virtute; & ipſa molis ſub-
ſtructione percelebre Neapoli eſt. Atque hæc quamuis hoc planè anno non accide-
rint, ne materiam diſtraherem, hìc retuli.

Propoſita verò nunc maximè pulcherrima iſtiuſmodi ſeges eſt Theatinę induſtrię,
atque hæreditario huic ſtudio aliorum inſtituta promouendi. Enimuerò excitatus
hoc

hoc anno eſt Clericorum Minorum Ordo,præclarum ſanè religioſæ rei additamentum: qui quòd poſtremis hiſce temporibus poſt tot nobiliſſimarum familiarum Inſtituta datus Chriſtiano Orbi fuerit, decerpere ab ijs potuit, quicquid eſſet in ſingulis excellentis diſciplinæ,ac moris. Et verò aſperiore quodā vitæ cultu,commentationum,precumque in orbem aſſiduitate, doctrinarum ſplendore, ſedula animorum procuratione,Eccleſiaſticarum dignitatum cōtemptu viſa eò collineaſſe præſtantiſſima Auctorum mens, vt delibatis cæterorum Ordinum Inſtitutionibus,atque egregijs partibus,effingerent ipſi,Zeuxis ritu, pulcherrimam diſciplinam. Ac ſucceſſiſſe ex animi ſententia conſilium,conſequuta per Italiam,ac Hiſpanias mortalium aſſenſio,ac fama apertè declarat: vt ſint quidem Clerici humilitate, atque appellatione Minores; cœterū,ſi progreſſiones metiaris,ſuo ſunt cognomento longè maiores. Qui verò Sodalitatem fundauerint, fuere omninò tres abſolutiſſima virtute Viri, & quibus ſeuerioris vitæ obſeruantia,ac ſanctitas generis nobilitate, ac faſtu potior fuit; nempè Auguſtinus Adornus Genuenſis, Franciſcus Caracciolus, & Auguſtinus item Caracciolus Neapolitani. Adornus è fortunarum naufragio religioſi inſtituti portum cogitauit. Caraccioli ne inter lautioris fortunæ commoda naufragarent,occupare ſtationem decreuere: conflatoq. eo capipitum Triumuiratu, initum excitandæ familię conſilium. Opus omninò vt pręclarum,ita perarduum: cui perficiendo peropportuna familiaritas fuit,quæ pridem ijs interceſſerat cum Baſilio Pignatello,& Iuſtino Barnaba,viris ex noſtris ſpectata virtute,ac eruditione. Nam in Pignatello præter natalium lucem eminebat vis publicæ,ſacræque eloquentiæ, ac ſingularis quædam religioſi, Theatinique moris obſeruantia: in Barnaba, vti aliàs ſignificatum eſt, vnà cum ipſa ſeuerioris diſciplinæ ratione,quędam etiam inerat inſtituendis mortalibus,virtutique inſtillandæ peculiaris facultas. His quidem,antequàm suū conderent Inſtitutum,familiariter vtebantur cùm Neapoli Caraccioli, tùm Genuæ Adornus, qui Barnabam præcipuè arctiori quadam conſuetudine intimè ſibi adiunxerat,eiuſque ſe ſe clientelæ, ac fidei permiſerat; expiandęque ſuæ conſcientiæ adhibebat. Quocirca quòd piorum hominum vſu, ac veluti attactu concipitur facilè pietas; ea ſubindè à noſtris iniecta mens eſt egregiis ijs viris, vt non in mediocri, priuataque virtute ſiſterent; ſed eximia quadam indole,animique impetu altiùs profectò,atque in publicum etiam Chriſtianæ rei commodum collimarent: inſtituta,videlicet, Clericorum Minorum Cōgregatione. Cuius quidem operis initia ijdem ipſi Pignatellus, & Barnaba, regularis diſciplinæ, vti innuimus,ſcientiſſimi,non ſine Apoſtolicę Sedis nutu complexi conſilio,ac curis ſuis, non minimum ſanè operæ, atque adiumenti ordinandæ communi illi rei, formandoque Ordini contulere. Quod hic delibaſſe abundè fuerit.

Inſtituitur Clericorum Minorum Ordo.

Iuuant ex noſtris Pignatellus, & Barnaba.

Verùm, qui noſtratum in religioſis familiis iuuandis operā denarraui,eorūdem in amoliendis quibuſdam Laico monachis induſtriam explicare, pretiū operæ puto. Stirpes quippè bonos alere,ac malos excindere perindè laudabile. Genuenſe D.Syri cœnobium quidam olim inſederant monachi: vnde, aut quomodò, incertum: cum quibus dixi aliàs,diù noſtris colluctatum,vt quam Vincentii Card.Iuſtiniani, loci rectoris beneuolentia impetrauerant ſedem, cederent ipſi ſua ſponte: ac tandem Romanæ Sedis nutu cum ijs conuentum, vt inirent quidem Theatini homines loci poſſeſſionem, ac cœnobio potirentur; verùm liberum illis eſſet, eiſdem ædibus,quoad viuerent, inſiſtere; ſoluta inſuper annua ijs penſione, quibus abire collibuiſſet. Hominum conditio, ac indoles à religioſis moribus omninò diſſona. D. Benedicti monachi paſſim audiebant: at quiduis aliud præſeferre, quàm ſanctiſſimam eam diſciplinam videbantur. Cultus,ac habitus omninò ſecularis,niſi quod ſub clericali indumento neſcio quid monaſticæ laciniæ induebant. Nulla iis regularis vitæ inſtitutio, ac præter contubernium, ac quandam in odèo pſalmodiæ rationem, nihil præterea religioſi in ijs inſtituti cernebatur. Addubitatum planè fuit,

D. Syri cœnobium Monachi olim incoluere.

quando aliquid externæ religionis, ac promiſſionis publicè conciperent, an votorum ſacramento authorati reuerà eſſent. Diſceptari ea ſuper re non ſemel contigit cùm apud Apoſtolicæ Sedis Legatum, ac Genuenſem Archiepiſcopum, tùm Romæ in ſacro ipſo Auguſtorum Patrum Cōuentu: ac minimè voti religione obſtrictos eos eſſe, nomine tenùs monachos, ea maximè ſuadebant. Nam in ipſa conceptæ profeſſionis formula nulla de ſeruanda D. Benedicti regula mentio: ac ſimplici ea promiſſione non Deum, non Diuos appellabant, quod ad ipſam voti rationem pertinet. Præterea quod eſt in religioſis hominibus præcipuum, bona, ac fortunas ſuas non abdicabant; retinere quiſque ſua, ac frui: quicquid acquirerent, ſibi acquirere: legare deindè conſanguineis: vt nihil inde cœnobio emolumenti, ac fructus accederet: quod quantū à religioſa paupertate diſtet, nemo non videt. Ad hæc, nulla vnquā apud ipſos clauſtra. Egredi, ac morari pro libito extra monaſterij ſepta: vt quidam etiam ex ijs abrepti externis curis, relicto omnioò cœnobio, aliò conceſſerint. Contubernales deindè habere fœminas, easque domeſticis miniſteriis adhibere: quod prorsus inſolens, ac diſſentaneum monach... Poſtremò cùm nulla apparerent Pontificum diplomata, quæ eiuſmodi In...tutum probarent, planè conficiebant, præter appellationem nihil ijs eſſe monaſticæ diſciplinæ: & ſi mores, cultum, vitæ rationes ſpectes, pſeudomonachos dici veriùs. Cum eiuſmodi inſtituti viris agendum noſtris fuit, vt in D. Syri cœnobium immitterentur: quorum aliquot aſſueti loco, mutare contubernium cùm ægrè admodùm ferrent, hæſere inibi, vti inter ipſos conuenerat. Id quod quanto cum Theatinæ diſciplinæ incommodo acciderit, haud facilè dictu eſt. Nam ſuis innutriti moribus monachi, non modò accommodare ſeſe loci obſeruantiæ, ac ſanctitati minimè viſi ſunt; ſed veteri vitę Inſtituto cum inſiſterent, ſecularium omninò ritu agebant: eòq. lædi non minimū ſuarum rerum ordinem, rationem, concinnitatem dolebant noſtri. Diù verò id incommodi cùm pertuliſſent; hic tandem annus familiari huic moleſtiæ finem attulit. Ex iis nanque pleroſque cùm demeſſuiſſet iam fatum; ſuperſtites, paucos nempè, ac ſenio defectos adhortari facilè fuit, vt commodiore extra cœnobium contubernio ſuæ ſenectuti, atque incolumitati conſulerent. Quibus haud quidem grauatè annuentibus, reliquum fuit, vt Romæ etiam ad eorum, videlicet, conſcientiæ tranquillitatem, negotium cum Auguſtis Patribus tranſigerent: datoque ſupplici libello. permiſſum, vt abirent, quò vellent, monachi: quibus poſt paulò vita functis, immortua iis eſt anceps, ac dubia ea vitæ ratio. Noſtros verò ſuam ſibi reſtitutam libertatem gratulari magnopere contigit. Amota ſiquidem ea externorum conſuetudine, habitare vnanimes in domo; tùm ſeruare ſanctiùs leges, ſuique inſtituti munia obire religioſiùs cœpere. Planè, quòd ſæpiùs monui, eodem ſub tecto non eoſdem habitare mores, perpetua quædam eſt diſſidiorum materia, ac fons. Coh ærere animos poſſe, ac necti, niſi eadem indoles, eadem viuendi norma copulet, fruſtra ſperes. Sacras præſertim familias nihil citiùs labefactanit, quàm patere externis aditūs ac vitiū ſtatim facit eo diſſimiliū commercio regularis diſciplina.

An publica ſuſciperent vota.

Ab eo cœnobio abſcedunt

At Genuæ, atque in D. Syri templo aliquantiſper immorandum. Sub id nanque tempus alia eius celebrandæ dedicationis ratio inita; quod non diſſimulandum. Inſtaurari quotānis ea Eccleſiæ ſolennia mos erat ipſo D. Laurentij peruigilio: qua die celebrari ſolita ex vetere inſtituto, affirmabant, quos modò dicebam, monachi: ſic nempè maiores ſuos tradidiſſe, ac temporum fide, vſuque conſtare. Verùm dum veteres eius baſilicæ tabulæ euoluuntur, compert..., eam inaugurationem Chriſti anno ſeptimo & trigeſimo ſupra milleſimū ducenteſimum ſolenni ritu à Hieroſolimitano Patriarcha, Archiepiſcopo Genuenſi, atque Antiſtitum aliquot peractā, Auguſto quidem menſe, die verò Dominica, quæ D. Laurentij celebritatem proximè præiuerat. Eapropter, quando certum iam inaugurationis tempus conſtaret, affigenda loco anniuerſaria ſui templi ſolennia cenſuere Patres, ac cœpta tū quidem Dominica

Quo tempore D. Syri Eccleſia conſecrata.

nica ea die celebrari. Atenim quòd inſequens mox D.Laurentii feſtũ, cui princeps Vrbis templum nuncupatum, percelebre Genuæ eſſet; innecti, miſcerique. ſolẽnioribus iis feriis ſuæ Baſilicæ dedicationem, haud opportunum noſtri putant. Quare agendũ Romæ apud Maximum Pontificem ſtatuunt, vt id celebritatis ad extremam ipſam Augusti diem transferrent. Vacuum nempè tempus, atq. eiuſmodi religioni totum octiduum de more celebrandę accommodatum. Guiglielmum Card. Sirletum, addictiſſimum Inſtituto Virum interpellant; qui delata ad Pontificem re; quod poſtulabat, facilè impetrauit: extatq. in D.Syri tabulario ſubſcriptus ab ipſomet Cardinali libellus in ea verba. Sanctiſs. D.N. annuit. Guiglielmus Sirletus Card. Hanc autem baſilicam ſuo laborantem ſenio, à fundamentis ſubindè extructam, atq. ad ornatiſſimam quandam veluti iuuentam magnificè efflorescentem; tùm ſacro inſtrumento, ac ſplendiſſima instructam ſupellectili, dixi aliàs, ac dicam etiam in tempore opportuniùs.

Transl... eius ded... nis ſolen... noſtri ...

E... pa...

Redeo nunc ad totius Ordinis administrationis formã, quę, vt potè recens inſtituta, ac inſolens, explorari illa potius priore hoc anno viſa eſt, quã ſuo iure exercęri: vt diſcerent nempè vſu Patres, quę illi auctoritas tribuenda, quibus concludẽda, ac definienda legibus eſſet, & quonam pacto noſtris moribus accomodata, è re, ac dignitate Instituti foret. Ergò vertente anno, aduenere ſtatis Paſchæ feriis generalia Comitia, Romæ habenda. Et quando Pontifex, qui vnius magiſtratum ad Monarchiæ exemplar conſtituerat, nihil de eius poteſtate, ac vi ſingillatim decreuerat, in ea præfectura ordinanda toti fuere Patres, tenuitq. conſultatio ſolidum biduũ. Pater Generalis ea, qua præſtabat animi moderatione, ac prudentia, quia de ſui muneris auctoritate agebatur, vt libera cuique eſſet dicendi facultas, abſtinere eo conuentu voluit, quoad negotiũ abſolueretur. Corrũpit nempè iudicia, aut certè infringit in moderatores obſequiũ, & quidẽ ſemper à dignitate timor. Principiò viſum rationi, ac Reipublicæ bono conſentaneum, vt ita vnus habenas Ordinis moderetur, vt aliqui etiam iudicio præſtantes ſuo conſilio Patri Generali adſint. Scilicet, etſi peracri iudicio vnuſquiſpiã valet, non omnia prouidere vnus poteſt, rogatiſque plurimorum ſententiis, ea perſæpè Rector videt, quæ aſſequi ſuæ mentis acie minimè potuiſſet. Hinc apud ſapientes viros maximè cõmendatum regimen reperies, quod vnius Capitis, atq. optimatum mixtura, nexuq. conſtet: vt Princeps quidem præſit, ac imperet; Optimates conſulant: cuiuſmodi fuiſſe Lacedemoniorũ temperationem a Patritius, & b Beroaldus ſcribunt, docuitq. exemplo ſuo Dux ille Iſacidum Moyſes, qui regendis aptè populis viros è multitudine prudentiſſimos Ietri cognati ſui monitu ſibi adiunxit. Ergo Capituli conſulto ſcitum, vt P. Generali tres omninò Conſultores tribuerentur, qui ſua prudentia eius iuuarent curas, cõmunicatiſq. ſententiis, grauiora Congregationis momenta vnà expedirent, conficerentq. quorum, & definita auctoritas fuit, & præſcriptus ſuffragiorum modus, ac tempus: ita quidem, vt quoties iudiciis agenda res eſſet, duplici Pater Generalis ſuffragio vteretur, ac maior eſſet ſupremæ dignitati poteſtas; quod poſtea, vt in loco dicetur, abrogatũ: adauctoq. Conſultorum numero, imminuta Generalis vota. Præterea ſancitum, vt locorum præfecturæ, quæ deſignatæ hactenus communibus comitiorum ſuffragiis fuerant, ad Patrem Generalem vnà cum quinq. conſcriptis Patribus, quos Definitores appellarent, pertineret. Planè, creari à toto Capitulo Prępoſitos, cũ expendi in cõmune ſingulorum virtus, ac facultas, vt aptiſſimus quiſq. legeretur, deberet, extrahi plus nimio comitia contingebat, exploratis tot capitum ſententiis, quę inſuper nunquã adeò compoſitæ à multitudine. Eà propter conſtituendus hic paucorum capitum magiſtratus fuit. Qua in re ſententia Vincentii Maſſi valuit, cuius aliàs cũ cæteras animi opes, tũ ſingularis prudentiæ numeros memoraui. Nam cum id ſeriò agitaretur, diſtractiſque iudiciis, hi penes Capitulum maiorum more ius vellent, hi verò penes Patrem Generalem, Maſſus litem perpaucis diremit, ea nimirum ſententia, vt neq. vnus, neque omnes rem conficerent: vnde enatus hic Definitorum vnà cũ Patre Generali cœtus, cui collata poteſtas domorũ Præpoſitos eligendi, & apud quẽ ſingulorum merita expendi iuſſum, examine quidem, vt ſtrictiore, ita opportuniore. Excuti ſiquidem publicè Patrũ mores in ipſis comitiis hactenus cõſueuerat, quod

Anno 157...

Romæ gene... rale Capitul...

Agitur de P. Generalis au... ctoritate.

a De Inſti... tut. Reip. ... tit. 4

b lib. de op... ſtat.

Conſultores inſtituuntur.

Duplex P. Generalis ſuffragium.

Definitores creantur.

Ex ſuperiori Vincentii Maſ... ſi ſententia.

ſanè cum aliquo priuatę exiſtimationis diſpendio fieri Interdum contingebat, nec ſine iudiciorũ perturbatione: quãdo in theatrum, ac lucem deferri perſonarum, vt virtutes, ita & labes oporteret. Ad hæc declaratum, nullam Patri Generali, neque vnà cũ ſuis Conſultoribus vim eſſe, nouas in Ordine condendi leges, neq. eas refigendi, aut immutandi; ſed ad cõmunia generalis Capituli ſuffragia pertinere: quæ conſulenda omninò, atq. expectanda, ſi inuehi, aut abrogari leges, è re Congregationis fuerit. Quod ſi de his Capituli conſultis, ac legibus oborta dubitatio fuerit, aut ea relaxari neceſſitas poſtulauerit, re cum ſuis Conſiliariis maturè diſcuſſa, interpretati, quæ minùs aperta viſa fuerint, ac relaxare ex cauſa valeat. Secundum hæc, de priuato Patris Generalis cultu cautum quàm ſapientiſſimè, ne quod eueniſſe in nonnullis diſciplinis cernimus, religioſi Ordinis Præfectura, quæ non miniſtrari, ſed miniſtrare, ac niti humilitate debet, in ſplendidiorem quandã Infulã degeneraret. Nihil æquè eorũ, qui parent, modeſtiam, votamq. paupertatem corrumpit, quàm eorum, qui regunt, quæſitus dignitatis ſulgor, ac magnificentiæ rudimenta. Enimuerò, vt facile in commoda, ſplendoremq. vitæ naturæ quadam indole propendimus, ſerpit quàm citiſſimè ambitioſi cultus à capite in membra cupiditas, exemploq. conualeſcit. Quare conſtitutũ eſt, vt Pater Generalis eodem cũ reliquis veſtitu, victuq. in communi menſa vteretur, vnaq. eſſet, aut ad ſummum altera contentus cellula: vno item fratre laico, qui occupato inſeruiret. Non conopœum lecto permiſſum, non velum in aditu, nullus in reliqua ſupellectili nitor: vt planè curis, ac munere, non apparatu, aut commodo diſtingueretur ab alijs. Illud pęcipuè commendatum, vt quoad publica non diſtinerent negotia, conſtaretque valetudo, domus munia, ac diurnũ, nocturnumq. chorum obiret cum aliis, cõmunis videlicet diſciplinę monitor ſui documento. Ac ne quid præter niſiſſe in ea cõſultatione viderentur, Patris Generalis interregno ſiue ob eius mortem, ſiue quauis ex cauſa prouiſum. Tũ ſi dimouert illum gradu, neceſſe eſſet, explicatæ ex Põtificii iuris præſcripto cauſæ, quæ mulctando ſatis eſſent: neq. enim par eſt, vt impunè in communem diſciplinam, aut priuato crimine Rector peccet. Poſtremò eius auctoritati, quà amplificandę, quæ reſtringẽdæ edita à Patribus alia non pauca, ac pęſcripta certa quædam eius eligendi ratio, ac modus. Quæ omnia abſente, vti ſignificatum eſt, Patre Generali peracta. Qui poſtea admiſſus, quæ ſcita prudenter fuerant conſenſione, ac nutu ſuo rata habuit: ac præterea eo præſente decreta alia opportuniſſimè ſuere, quæ ad vniuerſæ Congregationis regimen facerent: nempè de habendis ſingulis trienniis in poſterum comitiis generalibus, de Prępoſitorum, ac Vocalium delectu, de domorum receptione, de pœnis temperadæ honorum cupiditati inſtigendis, aliiſque ſatis multis; vt planè oppidò ſalutaria fuerint Ordini iſthæc huius anni comitia. Pręſertim quod latæ ſupremo Magiſtratui ſuæ leges, viſę Rempublicam omnem ordinauiſſe, ac mixtam quandam formam inuexiſſe regiminis, noua Patrum Conſultorum Præfectura: ad quam renũciati ſtatim ſuere Viri, digni planè, qui omnium primi ad id grauiſſimi muneris legerentur. Scilicet Vincentius Maſſus, Paulus Pignatellus, & Marcellus Toloſa: flos nempè religioſę cuiuſdam prudentię, atque integritatis, quales eſſe omninò debent, qui in communium curarum partem vocantur, ac publica temperare Ordinis commoda vnà cum Patre Generali iubentur.

Nullum P. Generali ius leges condendi.

Eius vitę cultus.

Communis illi obſeruantia commendatur

Eius Interregnum, & abdicatio.

Alia ad Religionis regimẽ ſtatuuntur.

Maſſus, Pignatellus, & Toloſa Conſultores.

Hęc Romæ Patres formando nouo regimini, ornãdæq. Reipublicæ. Excurrendus nunc Ordo eſt. Et quidem Neapoli res benè geritur, vbi amplificari mirificè Congregationis virtus, atq. exiſtimatio cernebatur. Quippè tribus iam cœnobiis, iiſque frequentibus cũ contineretur Patrum ſedulitas, cõplecti Ciuitatem totam, diuiſaq. veluti area, illã piis officiis, ac omni miniſteriorũ genere demeteri videbãtur. Præcipuã Marcus Paleſcãdalus in ſanctimonialiũ inſpectione operã ponit, quarũ vigiliarũ hoc maximè tẽpore demetiſructus cõtigit. Enimuerò ordinationes, vt numero multas, ita & vtilitate præſtãtiſſimas hoc anno Auguſti Patres, qui negotiis Religioſorũ prælũt, obſigoarũt, ac publicarũt, quibus viſa profectò dilapſa inter Neapolitanas Virgines regularis diſciplina inſtaurari, ac ſuæ dignitati reſtitui. Traditæ ipſis inſpectoribus, nẽpè Carolo Baldino, quẽ ſupra loquuti ſumus, & Marco Paleſcãdalo ſuere, vt vſurpãdas curarẽt ipſimet, qui reformationẽ illã ſuo ſtudio, zeloq. prouexerant.

Neapoli impigrè deſudant noſtri.

Præcipuè Paleſcandalus

Digitized by Google

xerāt. Quod quāuis Sixti Pontificis Quinti fatum interceſſerit, quominùs exequutioni tunc grauiſſimum opus mandaretur, reſumptæ nihilominùs curæ ardentiùs fuere initio Principatus Clementis Octaui, ac commendata pręcipuè Paleſcandali fidei, ac conſtantiæ res fuit, qui, vt quater Romam petijt, vt hæ regulæ ſancirentur, ita postquàm ſancitæ, ac nonnihil emollitę, confirmatæque à Clemente Pontifice fuere, admirabili quodam ardore animi, vt in clauſtra inducerentur, ae ſua illis conſtaret obſeruantia, enixè collaborauit; nihil profectò moratus, neque arduam ex ſe prouinciam, neque monialium vſque ad conuicium querimonias, neque ſtudia nobilitatis, quæ cognato ſanguini plus æquo fauebat. Petijſſet enimuerò ſtirpitùs ſacrarum Virginum decus Neapoli, ſi minùs ſedulæ, flagranteſque acceſſiſſent conficiendo operi curæ: & quòd nunc ſtet diſciplina clauſtrorum, floreatque ſupra omnem Italicæ pietatis laudem in Neapolitanis Gynecæis morum ſanctitas, debetur magna ex parte Paleſcandalo, Quod cùm alibi opportunius, nec ſanè ſtrictim memoratum ſit, ſignaſſe nunc tempus ſatis fuerit, quo manata iſthęc decreta tantò grauiorem Paleſcandalo molem impoſuere, quantò laborioſius eſt efficere, vt in morem inducantur leges, quàm effeciſſe, vt ſancirentur.

De monialiū reformatione decreta.

Dum hęc in religioſorum morum exędificatione noſtrates hoc anno nauant Neapoli, aſpectabiles etiam ſubſtructiones curant. Nam vetuſtiſſimum D. Pauli templum cœptum iam pridem inſtaurari, ſiue ad nouam baſilicæ formam conſtrui, continuatur magnificè, additurque ſuo capiti reliquum corpus. Et ſanctorum Apoſtolorum domus, quæ nunc inter noſtri Ordinis celebriores, numeratur, cœpta à fundo excitari, deſcripto à Franciſco Grimaldo, excellenti ex noſtris hominibus architecto ad abſolutiſſimæ artis amuſſim ſchemate. Quę cum alibi explicata abundè ſint, Licium tranſimus, vbi nonnihil à ſecularibus Clericis procellæ oboritur, diſſlaturq. illicò Romanis iudicijs. Deſijt hoc anno viuere Cœſar Priulus, vir, vt aliàs dixiſſe me memini, noſtræ diſcilpinæ amantiſſimus, notaque, vt nobilitate, quàm à Venetis repetebat, ita & pietate, ac munificentia. Qui aſſiduus inter noſtrates erat, dum viueret, ſeparari ab ijs neque defunctus voluit, cauitque ſupremis tabulis, vt in noſtra Ireniana Æde ſui cineres conderentur. Deductum eò funus à Clero, qui perſuaſerat ſibi, ſuarum eſſe partium, ſacris inibi piacularibus operari, ac parentalia ſolenni ritu peragere: ſtatimque, facto ad aram principem agmine, non ſine turbis, ac ſtrepitu, rem ſacram auſpicati, reliqua deindè funeris iuſta, vſitato ad tumulum ſacrorum miniſterio, cantuque perſoluerunt. Viſa in noſtris Eccleſijs inſolens ea hominum religio, ac rem, quam ſingulari modeſtia tulere Patres, detulere mox Romam ad Patrem Generalem, vt implorata Iudicum fide, Eccleſiarum noſtrarum dignitati conſuleret. Interea continuato beneuolentiorum funere, exceſſit è viuis Adriana Franconia, cuius liberalitati, ac ſtudio plurimum noſtræ diſciplinæ Licij initia debere diximus, quam conſequuta uxor eſt Iſabella Pignatella, lectiſſima fœmina: ex ijs nempè, quæ noſtrum Inſtitutum intimè complectebantur, ac præclara ſuæ beneuolentiæ, affectuſque ſignificatione contumulari vtraque inter noſtrates voluit. Sed is fuit Canonici Ordinis, Clerique in tuenda ſua cauſa ardor, vt abreptis vi defunctarum manibus, ſuum in templum adduxerint ſepeliendos. Id quod & gemino item funeri accidit peracri cum noſtratum ſenſu. Quocirca congeminatis Romæ ſupplicationibus, vrgenda vehementiùs cauſa fuit. Et quidem, qui Eccleſiaſticis ritibus ſummo iure præſunt, Purpurati Patres, reuocata ad examen re, litem noſtris adiudicarunt, conceptoque ſtatim decreto, ſtatuerunt, vt deducto ad Eccleſiæ fores cadauere, abirent ſeculares Clerici, nullumque ijs eſſet canendorum in Ireniana Clericorum Regularium Eccleſia, ijs inuitis, funerum. Ad hæc, vt ablata vi, ac conſepulta in principe templo cadauera, reſtituerentur, denunciatis, ni parerent, pœnis, iuſſere. Compoſitum hoc decreto diſſidium, ac reſtituti ſuæ vrnæ abrepti cineres fuere ſolenni pompa. Poſtulante vero anxiùs Scipione Spina, Vrbis Antiſtite, permiſſum Clero à noſtris fuit, vt deinceps breui duntaxat ad tumulum, quod vocant, reſponſorio, funus libarent. Documento hæc fuere noſtris, & alibi locorum, vbi eiuſmodi de funeribus controuerſiæ excitatæ, eiuſdem Sacræ Congregationis telo extinctæ protinus fuere.

D. Pauli, & SS. Apoſtolorum ſubſtructiones.

Licij de mortuis ſepeliēdis controuerſia,

Quę Romam defertur.

Et dirimitur.

Atenimverò à Cœſaris Priuli prolixo in nos ſtudio haud æquum eſt citiùs velificaſ-

ſe

Priulus hæredes ſubſtituit noſtros.

ſe, cuius profectò haud ſteriles fuere cineres: neque ijdem liberalitatis termini, qui vitæ. Siquidem filium, qui vnicus illi ſuperſtes fuit, ita ſuarum fortunarum hæredem ex teſtamento dixit, vt ſi is ſine liberis deſungi vita contigiſſet, ſuccederet Diuæ Irenes domus. Quo teſtatus luculenter eſt, poſt filios nihil ſibi fuiſſe noſtris hominibus carius, quos aut eodem cum ijs loco, aut certè proximo haberet. Porrò biennio à

Qui adeunt, defuncto filio, hæreditatem

Patris funere conceſſit fato floreutiſſimus Iuuenis, adieruntque hæreditatem noſtri, planè non modicam. Nam præter honeſtiſſimam ſupellectilem, prouentuſque, ac cenſus alios, addictę peramplæ ędes Licienſi domicilio fuere, ac latifundium, quod ad duodecim aureorum millia æſtimarum. Quæ quidem, decretis anniuerſarijs cùm Patri, tùm ſoboli parentalibus, ac ſacris, perenni quodam monumento pietatis, animique gratitudine apud nos extant: ita vt cùm fluxerint iam fortunæ, quas poſſidere ex legum noſtrarum præſcripto prohibemur, viuat adhuc in pios, ac munificos manes officium, ac pietas. Verùm, vt nullæ veniunt ſine diſſidio opes: ceu neſciant fluere ſine mixtura res mortales, intentata confeſtim à Priuli conſanguineis lis fuit.

Sed lis oboritur.

Aiebant, antiqua familiarum bona cognatis iure cedere, iniuriâ alijs, cuiuſmodi cum eſſent Priulæ opes, immitti in earum poſſeſſionem poſtulabant. Theatinæ cauſæ, cui equitas fauebat, fauit forum Licienſe, à quo appellata Neapolitana ſubſellia fuere. Quarè diutiùs digladiaodum legibus fuit: ac tandem parta ſecundiſſimis ſuffragijs victoria. Interea verò temporis retineri, pendente lite, præter inſtituti formam, fundos, cenſuſque annuos à nobis oportuit. Quod planè quanto fuerit noſtræ diſciplinæ

Quanto cum damno poſſidentur à noſtris bona.

detrimento, ac fraudi, pretiũ eſt hìc adnectere; vt intelligat Clericus Regularis, quàm ſit noſtris viuendi rationibus diſſentanea quęuis, vel inuita bonorum poſſeſſio, ac diſcat tueri anxiùs opes ſuas, ac latifundium paupertatis. Licienſi huic cœnobio difficilis quidem fuit principiò res familiaris: at gliſcente mox publicè, priuatimque ciuium beneuolentia, viſa vſq. adeò affluxiſſe Numinis largitas, vt noſtra inopia cum aliorum diuitijs certaret: eratque, & domi copia, & quædam ſupra communem modum in Eccleſia ſuppellex, & cultus. Inita verò hac Priuli hæreditate, quam ſtatim diuendere de more, haud liberum fuit, viſę, neſcio quonam pacto, non opes, ſed ipſa egeſtas noſtris ædibus excipi. Siquidem ea recentis commodi fama ita piorum charitas refrixit, vt nulla iam externa adiumenta Patres ſuſtentarent, qui quòd non pauci profectò eſſent, & quòd inſiſtere Eccleſiæ inſuper ſubſtructioni oporteret, breui eò adducta res eſt, vt contractum ęs alienum annuos è Priuli fundo prouentus ſorberet, & ſuprema ipſi inopia premerentur. Tenuit extrema ea calamitas, quoad perducta ad exitum lite, diſtractiſque ſubindè bonis, reſtituta noſtrę diſciplinę primæua

Vult nos Deus paupertate uti.

paupertas fuit, paupertati copia. Monere ſcilicet nos voluit Deus, diuites fore Clericos Regulares, ſi diuitias excluderent, pauperes, ſi admitterent. Quod ſi neceſſariam hanc opum poſſeſſionem mulctare quodammodò viſus eſt præſenti rei domeſticæ difficultate, quantò ſeueriùs ſtatuet, ſi ſponte admittimus, ac retinemus? Cuius quidem rei non hoc vno exemplo erudimur. Contigit nanque & alibi, vt, cum non ſtatim diuendi legatę à fidelibus facultates potuiſſent, conſequuta è veſtigio vindex egeſtas fuerit: ita vt tangi zelo quodam diuini Numinis prouidentia videatur: ceu nullum in fouendo, alendoque noſtro Inſtituto comitem velit. Atque hæc, quorum non obſcurè, nec ſemel monitos nos voluit Deus, monuiſſe hìc opportunè, me non ſanè pigebit. At à Salentinis antequàm diſcedo, iuuat nunc meminiſſe iacta ſolenni ritu Irenianæ Eccleſiæ fundamenta, ne anno conſequenti eò reuerti cogatur ſtylus. Planè ea gens ex ſe quidem, ac natura ardentior, nunquam viſa flagrantioribus ſtudijs gratulari, quàm cum poni ſuæ Tutelari ampliſſimum in Vrbis medio Templum vidit: adauxitque lætitiam, ac plauſum Scipionis Spinę Antiſtitis ſtudium, ac pompa, qua

Iacitur primarius Irenianæ Ædis lapis.

inchoari ædificium voluit. Inſtructo ſiquidem è Canonicorum ordine, ac reliquo Clero agmine, deducente Ciuitatis Magiſtratu, ac cœtera nobilitate, innumeraque confluentium vi mortalium, eò loci ſolemni cultu, ac Pontificijs Infulis ſpectandus acceſſit, vbi excitandæ moli inſcriptum de more lapidẽ vnà cum aureis, argenteiſque numiſmatis iecit. Conſequuta eximia ſtatim Ciuium pietas, ac munificentia eſt: vt tùm

Ciuium in eo ædificio liberalitas.

quidem prẹter publicum aurum, quo iuuandę ſubſtructioni donati Patres communi nomine ab Antonio Prato Sindico fuere, collato priuatim ære, plura aureorum millia

vltro-

vltronea liberalitate in promptu fuerint. Et quod hic non omninò diſſimulandum, viſus eò ſubinde nobilium ardor proceſſiſſe, vt ex illis nonnulli, ijque præcipui, conteſtandæ in Diuam Irenem obſeruantiæ, comprobandoque in nos etiam ſtudio, immixti fabris ipſis, ac operis, commodare manus, ac labores ſuos ſurgenti exædificationi interdum voluerint. Quod rarum profectò à nobilitate pietatis exemplum, & ob id etiam magnum, quòd Conſtantinum Cœſarem viſi æmulari. Porrò huiuſce ædificij deſcriptionem, partes, ornamenta, cultum à Franciſci Grimaldi, ex noſtris ſtudio, explicauit aliàs ſtylus. Illud ad operis commendationem, ac famam coroilarij loco addam: acceſſiſſe aliquando ad Salentinos, inuiſendis Regijs arcibus, Equitem Fontanam, magni nominis architectum, cuius ingenio plurimùm Romana debet magnificentia. Perductus is ſtatim ad D. Irenes fuit, qui vbi AEdem illam oculis, ac vi iudicij quàm diligentiſſimè percurriſſet, faſſus ingenuè eſt, nihil a ſe in eo opificio, neq. ad ideam operis, neque ad artis elegantiam, ſplendoremque deſiderari: cuius planè teſtimonio nihil ad perfectiſsimæ molis laudem luculentius.

Et iuuandis operis pietas.

Equitis Fontanæ de hac AEde iudiciū.

Fundatum hoc ædificium anno inuentæ ſalutis nonageſimo ſupra ſeſquimilleſimum, qui gemina ſummorum Pontificum morte, atque inauguratione percelebris fuit. Et noſtro quidem Ordini Sixti Quinti funus moleſtiſsimum accidit. Quippè publicus licet Eccleſiæ Parens, & cui momenta Orbis curæ erant, peculiari tamen in noſtram diſciplinam ſtudio deſcendere videbatur. Eius in commune religionis, ac Romani nominis bonum ingentes impetus: pectus ſumma ipſa Inſula grandius: Sapientiam magnitudini fortunæ attemperatam; æquam lancem in Rep. adminiſtranda: ardorem animi, zelumque, ſcelerum, ac graſſatorum vindicem: firmandæ, tuendęque religionis ſtudium: Magnificientiam ſupra ſuperiorum Pontificum, ac Cœſarum Curas: præclaras expoliendis, ornandiſque Vrbis, qua Templis, quà foris cogitationes: tùm excelſæ mentis firmitudinem, conſtantiam, dilutam clementia ſeueritatem, aliaque magnarum virtutum in Maximo Pontifice adiumenta nullæ non loquuntur literę; earumque deſiderio exulcerati boni vniuerſim omnes, teſtati apertè ſunt, quanto fuerint Chriſtianæ rei detrimento Sixti parentalia. Nos in publico eo funere priuatam etiam cauſam defleuimus. Viſus nanque Theatini Ordinis ſtudioſiſsimus, nihil ad eius dignitatem, diſciplinamque exaugendam prætermiſiſſe. Pronior illi noſtris precibus vt auris, ita & manus: vt ſanè occidiſſe magnum hoc ſydus noſtræ ſodalitati ſine tenebris, vmbraque triſtitiæ minimè potuerit. Quamquàm in ſuperſtite Alexandri Cardinalis Montalti purpura, domoque Peretta, noſtri Inſtituti percupida, haud extingui viſa fuit Pontificis benignitas; compenſaruntque Auunculum Nepotes beneuolentiſsimi.

Pontificum funera, & inaugurationes an. 1590.

Sixti Quinti laudes.

Sixto ſucceſsit Vrbanus Septimus, precarij ſpiritus Pontifex, ac Vaticani breuis lux. Siquidem intra dies non amplius duodecim functus Pontificatu, ac vita eſt: indictumque iterum iuſtitium inſigni cum documento fluxæ mortalitatis. Inſtauratis mox Comitijs, inauguratus Pontifex eſt Gregorius XIV. fauſta quidem cùm Romanæ Aulæ, tùm Orbis vniuerſi acclamatione: quippè quem Sacrorum Principatu dignum communi pręſtantiſſimę virtutis perſuaſione reputabant. Iam verò, noſtræ Cōgregationi nihil accidere gratius vnquam poterat, quàm ſupremam Inſulam capeſſiuiſſe Gregorium, qui egregiè in illā animatus plurimi ſemper fecerat. Cremonam ipſe euocauerat, attributo Contubernio, ac templo, non ſine quotidianæ munificentię additamento; laudauitque ipſemet aliquando pro ſuggeſtu Theatinū Inſtitutum, vt populorum beneuolentiam concitaret: quo nihil ad eius humanitatem, amoremque explicandum opportunius. Tùm in ſuæ Eccleſiæ curis adminiſtrandis, inſtituendiſque ciuium moribus non aliorum frequentiùs conſilio, ac opera vtebatur, quàm noſtrorum hominum, quorum accuratis vigilijs augeri Cremonenſem pietatem magnoperè lætabatur. Qui verò præcipua apud illum gratia, ac opinione valuit, is fuit, vti in loco ſignificatum eſt, Hieronymus Ferrus, cuius tanti iudicium, prudentiam, probitatem, ac doctrinam fecit, vt cum abeſſe ab ſua Sede ſemel, ac iterum contigiſſet, ſubire illum vices ſuas in in ea temperanda iuſſerit. Quod ille munus quinquennium tenuit: regebatque hoc ipſo anno, quo renunciatus Pontifex eſt Sfondratus, qui cum probè intelligeret, quantum ſibi adiumenti ad Orbis

Sixto ſucceſsit Vrbanus VII.

Et huic Greg. XIV.

Theatinæ Cōgregationis percupidus.

Summo apud eū loco Hieronymus Ferrus.

Digitized by Google

Quem Romã ſtatim vocat.

bis Chriſtiani tegimen à Ferri Conſilio, capaciſſimæque vi mentis acceſſiſſet, nihil habuit prius, quam illum Romam euocare. Ferro pares omninò erant opes animi, ac vires Romanæ Aulæ negotijs, in quorum partem vocabatur: at egregiæ huic facultati par item erat animi modeſtia, qua mortalium exiſtimationem, lucemque oderat. Quare, vt Pontificis imperium minimè detrectauit; ita quadam mora non eo ſe inuitamento, ac ſplendido planè iuſſu moueri anxiùs oſtendit. Nam, repetitis licet epiſtolis monitus, vt aduentum maturaret, nonniſi poſt bimeſtre ſiſtere ſe Pontifici voluit, qui ſenſum minimè diſſimulauit; increpauitque beneuolè hominem, quòd acceſſum diutiùs diſtuliſſet. Itaque quem inſigni doctrina, vſuque rerum eccleſiaſticarum, atque animi pręſertim integritate valere plurimùm Pontifex nouerat, eius vti iudicio, ac pręclaris artibus in grauiſſima Romanę Eccleſiæ gubernatione inſtituit. Planè cùm ſeria, ac grauiſſima quęque commoda cum eò communicaret, tùm maximè leges, ac Conſtitutiones, quibus emendanda, ac inſtauranda res eſſet eccleſiaſtica, ad eius iudicij lancem expendi præſertim voluit.

Vtiturque in in pręcipuis Reip. momentis.

Plura ſiquidem ſapientiſſimus Pontifex in commune bonum ſtatuit: Superiorum etiam Pontificum ordinationes, aut prudenter emollijt, aut ritè confirmauit, inſtaurauitque; in quibus impigrè, nec tralatitio planè ſtudio deſudauit Hieronymus Ferrus. Quod verò non mediocrem illi exiſtimationem, voluntatemque in Aula conciliauit, ea fuit inclytæ cuiuſdam domus in ampliſſimam Dominationem ſucceſsio.

Fit in grauiſſimo negotio conſtantia.

Perarduum quidem negotium id erat, quando de florentiſsima Ditione, grauiſsimoq. Eccleſiaſticę rei momento agebatur. Et ipſe quidem Princeps, qui perennare in auguſta Italici nominis familia, ac domo ſua potentiam peroptabat, vt cauſam omni officiorum genere, præſentique auctoritate, quàm maximè iuuaret, Romam acceſſerat. Valet nanque plurimùm, vrgetque pręſentia. Et verò cum ex Auguſtis Patribus præcipuos compellare, eorumque occupare ſuffragia ſtatuiſſet, tùm Hieronymum Ferrum, priuatum, Theatiniq. Inſtituti hominem, appellandum ſibi in primis duxit; vt quem non latebat, quàm familiariter in grauioribus iſtiuſmodi curis vteretur eo Pontifex; & quo apud illum loco, ac pondere eius eſſet ſententia.

Quam Viro Principi obijcit.

Itaque, illo Princeps accerſito, agere ea de re cœpit: & quidem humaniſsimè, vt illecebra quadam gratiæ eius ſibi voluntatem adiungeret, accederetque cauſæ firmamentum à Viri iudicio: ignarus profectò, ineſſe illi conſtantiam, cognomento non abſimilem; ac rem ſibi cum eo eſſe, qui ſupra omnem Principum maieſtatem, fauoremque mentem geſtaret. Ferrus, poſtquàm ille peroraſſet, quàm modeſtiſsimè, & quàm candidiſsimè: Equidem, inquit, Princeps optime, quicquid operæ, ac conſilij in me fuit, Pontifici hactenus impendi. Illi olim Epiſcopo, deindè Cardinali, ad extremum sũmo ſacrorũ Antiſtiti adſui, ea ſemper officij integritate, vt nunquam ab honeſti, æterniq. linea deflexerim. Dei gloriam, Pontificis conſcientiam, ſalutemque animæ: ęquum, bonum ſpectaui: eò etiam in hoc Celſitudinis tuæ negotio collimauerim, eademque prorsùs mente. Hæc illę: ex quibus viri pectus, quod non gratia, non inuidia de gradu vnquam deiecerit, Vir inclytus æſtimauit: & vt raro, quæ votis aduerſantur, ęquo animo accipimus, viſus incorruptum hominis iudicium, atque à magnanima virtute verba minùs probaſſe. Id quod Ferrus quicquam penſi habuit, eandemque mox frontem, atque

Et Cardinali Sfondrato,

animi firmitatem Pauli Camilli Cardinalis Sfondrati, Pontificis Nepotis, qui ſtudere Principi videbatur, officijs obiecit. Compellatus verò ea ſuper re priuatim à Pontifice, ſenſum pro Eccleſiaſticæ Ditionis amplitudine inſigni quadam dicendi libertate aperuit, confirmauitque mox intrepidè ſententiam publico in Conuentu, quem Pontifex ex Auguſtis Patribus, ac viris longè eruditiſsimis inſtituit, vt negotiũ exquiſita conſultatione explicaret.

Publico in conuentu propugnat rem Eccleſiaſticã.

Quo quidem in excellentium Capitum Senatu cum aduertiſſet, non deeſſe magni nominis viros, qui pro Principe ſtarent acri patrocinio, exarſit ipſe egregiè, propugnauitque præſtantiſsma ratione rem Romanã: adeò, vt ſoluto mox cœtu, hæc Pontifici in ſecretiore Conclaui, quo illum ſtatim euocauerat, generoſa quadam indole, zeloque dixerit: Meminiſſe te, puto, Pater Beatiſsime, Cremonæ, cum Epiſcopus, & Cardinalis exceptus domeſtico epulo à noſtris in D. Abundij cœnobio fuiſſes, orareſque in noſtra cellula, quoad reſectionis hora appeteret, interpellanti mihi dixiſſe Te: Proh qualis nunc quidem cogitatio animum

Digitized by Google

mum inuaſerat, & quàm triſtis! Interrogaui, quænam illa eſſet? & ipſe: Dubium videlicer de ęterna Patris ſalute. Nam cum à Paulo Pontifice Tertio poſt coniugis fata cohoneſtatus purpura fuiſſet, gratitudinis ergo non eo, quo par erat, generoſiore ſuffragio Parmenſi commutationi occurrit. Planè, cum eadem nunc recurrant momenta rerum, hoc ipſum reputari animo oporteret, Optime Pontifex, atq. eò attẽtius, quòd Cardinalis Pater tuus vnico quidem ſuffragio rem iuuit: Tu verò auctor in præſenti es, totumque à tuo nutu negotium pendet. Conſulendum igitur conſcientiæ tranquillitati, ac neque ea admittenda à virorum ſtudijs conſilia, quæ famam poſtea, atque animum vellicent. Supra aulicum profectò morem hæc dicta: at non ſupra religioſi Conſiliarij fidem, quam probauit magnoperè Pontifex: manauitque ſtatim in vulgus inſignis Viri libertas, ac generoſitas, excepta communi admurmuratione, ac plauſu; vt teſtatus deindè eſt Eliſæo noſtro Nardino, Præpoſito Generali Antonius Maria Saluiatus, qui nihil tùm in Vrbe vſurpatum frequentiùs affirmabat, quam Ferri in ferenda ea ſententia, firmandoque Pontificis animo conſtantiam.

Quid deindè in ſecretiore Conclaui cũ Pontifice?

Cum ipſius Pontificis, & Aulæ approbatione.

Porrò hac Gregorij beneuolentia, ac præclaro de ſe iudicio vſus opportunè eſt Hieronymus in amplificanda in D. Ianuarium, Neapolitanæ Ciuitatis Patronum, pietate. Solenniore quidem cultu dignum exiſtimabat inclytum illum Martyrem, cuius viuus adhuc in conſpectu Capitis cruor toties confiteri Chriſti nomen videtur, ac fundi, quoties ſeruet, continuato veluti martyrio, ac laurea. Quocirca aſsiduo eo miraculo, quod ſingulare quoddam eſt orthodoxæ religionis firmamentum, apud Pontificem commendato, id impetrauit, vt officio, rituque duplici feſta eius lux celebraretur Neapolitana in Vrbe, ac Regno; ſemiduplici verò in reliquo Chriſtiano orbe: ac in Regno quidem Neapolitano cautum præterea eſt, vt quemadmodum ſolenniores Diuorum feriæ, ita & D. Ianuarij feſtum ſeruaretur, obſignata Pontificis conſtitutione, quam refert Tufus noſter. Peculiaris quædam Ferri in magnum Martyrem pietas hæc fuit; ac ſimul eximium in Eccleſiam Neapolitanam ſtudium, in qua Alphonſo Cardinali Carafæ, ac Mario item Carafæ Archiepiſcopis impigram olim operam nauauerat. Et quòd eo maximè nomine Eccleſiaſticam rem Neapolitanam intimè complecteretur, accurare ſub id tempus & alia eius commoda ſtuduit. Imperata quædam à Neapolitanis tributa olim fuerant, pendebatque ea promiſcuè Clerus; ita tamen, vt elapſo anno, quò ſarta, ac tecta immunitas foret, compenſaretur ſingulis, quicquid in dies ſoluerant: idque, vt fraudibus, admitti ſolitis in eiuſmodi penſionibus, occurrerent. Annua hęc pecuniarum ſumma, quòd eſſet paratior, ac fieri ſine graui Eccleſiaſticorum incommodo poſſet, opportuna ſummis Pontificibus viſa, quam ad pia quædam opera traducerent. Ac primùm vſus ea eſt Pius Quartus redimendo cuidam Epiſcopo, eiuſque familiæ à Turcarum ſeruitio, quo duriſsimè premebatur: deindè, aperto iam aditu, Gregorij XIII. nutu Ieſuitis Neapolitanis triennium ceſsit, & alterum mox triennium Diuę Mariæ à Sapientia Monialibus, Antonij Cardinalis Carafæ precibus; à quibus fœminarum collegio, cui à Spiritu Sancto nomen, tributa. Poſtremò Sixtus Pontifex Quintus quòd nulla eſſet Apoſtolicis Nuntijs certa Neapoli Sedes, cùm Pontificijs ædibus coemendis, tùm alijs item pijs operibus deſtinauit. Iam, quòd ea pecunia peregrinari diù contigerat, reſtitui ſuis tandem dominis debuit. Appellatus Hieronymus Ferrus à regulari, ſecularique Clero fuit, rogatuſque; vt æquam cauſam apud Pontificem peroraret. Inſtaurari Eccleſiaſticorum exemptionem poſtulabant: par eſſe, vt ipſis poſt annum rependeretur, quod ipſi in dies pendebant. Rem ille ſuſcepit incredibili ſtudio, tranſegitq. ſucceſſu proſperiore. Ad eius nanque preces annuit Cleri poſtulatis, ac votis Pontifex, ſanciuitque rem Pontificio diplomate. Quo ſanè mirificè ſibi Neapolitanam beneuolentiam deuinxit Ferrus. Cum externis hiſce aliorum opportunitatibus curata etiam noſtra fuere. Nam cum Ioannes Baptiſta Milanus, Prępoſitus Generalis, quę ſuperiores Pontifices priuilegiorum præſidia Congregationi conceſſerant, vt rata à Gregorio haberentur, percuperet, reputaretque facile factu auctoritate, ac gratia, qua Ferrus valebat, poſtulauit id à Pontifice; impetratumque præclara quidem voluntate; ac proniore in noſtrum Ordinem vniuerſum ſtudio, à quo & alia item in rem domeſticam Quirinalis cœnobij manauere commoda, agente eodem Ferro.

Cultum D. Ianuarij Romæ curat Ferrus.

Commodis Neapolitani Cleri animũ aduertit.

Priuilegia Religionis confirmãtur à Gregorio XIV.

C Por-

B. Andræas Auellinus Pōtificem adit.

Pontificis cū eo ſermo.

De dignitatū moleſtijs.

Porrò, quòd hoc anno Romam ſe contulerat Andreas Auellinus, vt domos inibi noſtras de more inſpiceret, haud hic Gregorij Pontificis in ipſum beuolentiæ argumenta, quæ ſanè cum fructu veniunt narranda, diſſimulauerim. Perquàm familiaris illi olim, cum Cremonenſem Epiſcopum ageret, fuerat Auellinus, ſtudiumque conciliauerat cùm inſignis pieratis fama, tùm Sigiſmunda Eſtenſis, Pontificis fratris coniux, cuius is Mediolani ſacras olim confeſſiones exceperat. Ergò officij duxit Andreas beneuoliſſimum Pontificem adire, ſacroſque exoſculari pedes: & qui ſua ſemper compendia agitabat, eò ſe ſe libentiùs in conſpectum Pontificis dedit, quòd cœleſtibus donarijs fore ſe cumulandum, ſperaret. Nec ſpes pijſſimum Virum ſefellit. Honeſtatus quippè ſingulari eius humanitate fuit, ditatuſque ex Eccleſiæ theſauro munifica ſatis manu. Quæ cum magni fecerit Auellinus, tùm inſpexiſſe propiùs in eo rerum culmine mortalium faſtidium, incommoda, curarumque aculeos, eo nempè teſte, qui ſupremus mortalium erat, mirum quanto cum animi fructu, ſenſuque ſit gratulatus. Enimuerò nactus Pontifex virum, quem nouerat egregiè ſanctum, atque in palæſtra virtutum exercitatiſſimum, aperire animi morſus, & quæ purpura, auroque integebantur, vulnera, inſtituto familiari cum eo colloquio, decreuit. Inculcare, ſummam Inſulam ſummum eſſe ſollicitudinum: Tiaram, chlamydem curis, quàm gemmis grauiores: imperium ſplendidam ſeruitutem: incumbentem humeris Orbem, ac cœlum fracto vix anhelitu ſuſtineri. Se quidem expertum loqui, erepta nimirùm pacatæ mentis tranquillitate, atque in eo rerum æſtu penè naufragum, cum maximè ab illa Auguſtæ dignitatis ſpecie felix vulgò appellaretur. Fortunatos eos eſſe, qui longè à fluctibus, ac aula, ſuique iuris, quieti ſtuderent, atque Alcedonia agerent placidiſſimæ pacis: qualis is ipſe eſſet bonus ſenex, quem tùm quidem alloqueretur. Hæc è ſuperiore eo loco Gregorius, non quidem in ſpeciem, ſed intimo quodam ſenſu, ac verè. Quo nihil Andreæ iucundius, eò quod teſtatam experimento, vſuque tam ſublimis faſtigij cerneret, quam ipſe de rerum humanarum, dignitatum præſertim conditione opinionem altè in animum demiſerat: nempè adportare purpuras, ac faſces intectas ſplendidè moleſtias, eò acriores, quòd nulla eas leniat commiſeratio: & qui abhorrebat iam diù à ſplendore Inſulæ, contemptum adauxit ab eo Pontificis ſenſu. Id quod communicare ſtatim cum Ioanna Caſtriota, Nuceriæ Duciſſa, pijſſima fœmina, datis ad eam literis, voluit, quarum particulam libet hic à Franciſco Boluiro exſcribere. Ineſt nanque peculiaris quædam vis Auellini verbis, quæ ſic habent. Etſi certus iam eram, vt potè ſacris literis edoctus, diuitiarum magnificentiam, & mundana cuncta ipſiſſimam vanitatem eſſe,: hiſce tamen diebus, quibus Romæ fui; experimento didici, in Dei tantummodò amore, ſi ex vero ſit corde, conſolationem inueniri, & quietem. Quippe qui viderim ſummum Pontificem negotiorum, ac moleſtarum curarum mole obrutum, mecum lamentabundo ore conqueri ob deperditam quietem, mihique dicentem: O te beatum, Pater mi. Quocirca licet ego defectuum, & imperfectionum multitudine ſcateam: maiori tamen gaudio repleor ob hoc, licet perexiguum luminis, mihi à Domino inditum, quo mūdanorum vanitatem cognoſco: vnde flocci & ea facio, quàm ſi nedum Summus Pontifex eſſem, verùm & Orbis totius dominus. Comprobatum eſt enim Regnorum poſſeſſores, & amatores vera conſolatione, & quiete priuari; ipſorum vero contemptores, & maxima hìc frui tranquillitate, & cœleſtis gloriæ certa expectatione recreari, ex qua ſpe abundè in ipſorum corda lætitia diffunditur: iuxta illud Pauli: ſpe gaudentes &c. Hæc ille.

Quem ille ad Nuceriæ Duciſſam perſcribit.

Morienti Antonio Cardin. Carafæ adſunt Auellinus, & Marcellus Toloſa.

Sepelitur in Quirinali æde.

Sub hoc tempus, quo Romæ ſubſtitit Auellinus, impendere ſuprema pietatis officia Antonio Cardinali Caraſę contigit. Ineunte ſiquidem anno huius ſeculi primo, & nonageſimo decubuit optimus Cardinalis, eoque impetu morbus valuit, vt intra dies nō ampliùs quatuor mortalitatem exuerit. Morienti adſuit Andreas; &, vt ait Petramellarius, è noſtris item Marcellus Toloſa, qui nulli ſanè officio, ac labori ad ſupremum vſque ſpiritum defuere: efflauitque is piè animam inter adhortamenta, atque in complexu præſtantiſſimorum hominum, quos vnicè diligebat. Curatum in noſtra Quirinali S. Silueſtri æde funus, vbi ſimplici marmore intecta, haud ſanè magnificè, iacent eius oſſa. Contentus nanq. cœlo, atq. immortali fama, quam ſibi pietas,

reli-

Digitized by Google

religio, probitas, ac ſtudiorum monumenta compatauerānt, adornati ſuo cineri molis ſuperbiam, ac cultum noluit vir ſolidè pius. Planè, vt luctuoſus omninò, teſte Cœſare Baronio, communi Eccleſiæ fuit eius interitus, ita non exiguo cū rei Theatinæ detrimento contigit: quippè cui honeſtandæ, amplificandæque noſtræ Sodalitati ſtudium legauerat quadam cognati ſanguinis ſucceſsione Paulus Quartus: viſuſq; ea ipſe beneuolentia complecti Ordinem: vt ſi ſtudium in noſtros, familiaritatem, munificentiam, diſciplinæ zelum ſpectes, dices profectò Theatinum. Percurrendæ hic fusè eſſent ornatiſsimi Viri laudes, ne ſilere ingratæ literæ viderentur, quē maximè poſteritati commendare hiſtoriæ noſtræ debent. Sed elogium occupauit non vnus quidem ſcriptor: vt puteni hic preſsiùs dicenda, quæ aliorum ſtylus abūndè expreſſit. Ac maiorum quidem cenſum vt adauxit præclaro nomine, ita ornauit indole, atque operum fama. Præcipua in flore eius æui virtus, caſtimonia fuit. Argumento eſt, impudentiſsimam fœminam, quæ allicere cultu formæ honeſtiſsimum Iuuenem contendebat, cùm voce, ac minis non poſſet, arrepto, coniectoque in eius ſinum igne, fugaſſe. Certè generoſiùs non exarſit in eiuſmodi monſtra Thomas Aquinas, quem ipſe principe ſtudio colebat. Florem hunc porrò illibatæ mentis quòd ſciret inter aſpera tutiùs, ac lætiùs adoleſcere, multus in carnis afflictatione, ac fræno erat. Vigilijs, ac ieiunijs addictiſsimus, quod rarum in eiuſmodi fortunæ viris. Religio par auguſtæ, Sacræque dignitati fuit. Quotidie, grauiſsimis licet curis diſtrictus, ad aram faciebat. Exculta ſuo auro Romæ, ac Neapoli templa, ac ſacella inſignem animi pietatem teſtantur; cui excitata in Diuum Ioannem Chriſoſtomum piorum hominum obſeruantia plurimùm debet: vt qui iacentes loco humili ſanctiſsimi, atque eloquentiſsimi Patriarchę cineres prænobili cultu in Vaticanæ Baſilicæ ſacrario collocandos curauerit. Religioni ſingularis quædam munificentia famulabatur. Adeò nanque in Sacra, ac religioſos homines beneficus fuit, vt nullæ eſſent Romæ Sacræ familiæ, aut inſtituta alendæ inopiæ, ac pietati loca, quæ non ipſe ſua manu, & quàm liberaliſsimè iuuaret. Maronitas ſuo patrocinio, fideique obnoxios, ſuarum facultatum hæredes dixit: legauitque carni, & ſanguini nihil, præter magni nominis lucem. Iam, literarum ſtudijs cum paucis inſtructus. Operam Guiglielmo Sirleto dederat, viro, vt aliàs meminimus, longè eruditiſsimo, à quo cùm alijs bonis artibus initiatus, tùm græcè ad inuidiam edoctus fuit. Habentur ab eius calamo Theodoreti in pſalmos Dauidicos Commentaria, aliorumque ſcriptorum monumenta, & quædam è Gregorij Nazianzeni orationibus è græco in latinum conuerſæ. Ioannem Caſsianū eius curæ, ac ſtudia expurgarunt. Summorum Pontificum epiſtolis, quas Decretales vocant, emendandis, Concilijs item Oecumenicis quà colligendis, quà corrigendis plurimam operam nauauit. In illuſtrandis, inſtaurandiſque ſeptuaginta Interpretum biblijs magnoperè deſudauit. Ac in bibliorum quidem, ſacrorumque Conciliorum emendatione vſus opera, ac ingenio eſt noſtri Antonij Agellij, de cuius doctrinarum, linguarumque facultate dictum alibi. Hac ſtudiorum opinione literarum perindè, ac literatorum patronus vbique gentium audiuit. Vaticanæ, Bibliothecæ, elato Cardinali Sirleto, prēfuit, adauxitque quēſitis vndique ſcriptorum monumentis. Hęc Antonij Cardinalis Carafę virtutis quædam veluti libamenta: integram reperies apud [a] Cœſarem Card. Baronium, [b] Petramellarium, [c] Ciacconium, [d] Thomam Bozium, [e] Antonium Aquiſanum, [f] Petraſanctam, alioſque permultos. Quam quidem virtutem vel in ſui flore deſtinauerat purpurę Paulus Quartus, honeſtauitq; eo deinde honore præclarum Pij Quinti iudicium, fuitque apud ſuccedentes mox Pontifices ſummo loco.

Luctuoſum noſtræ ſodalitati funus.

Delibantur Carafę mores.

Caſtimonia.

Carnis afflictatio.

Munificentia.

Literarum ſtudia.

Et monumenta.

Quibus adfuit Antonij Agellij cura.

a An. tom. 7.
b De ſum Pōt. & Card.
c Vit. Pont.
d De ſignis Eccl. lib 6 c. 9.
e Epiſt de Innoc 9. in Epiſt. Decr.
f De ſymbol. heroic.

Atenimuerò à Viri principis ad nobiliſsimæ fœminæ, hoc eſt, Conſtantiæ Carettę, Sulmonæ Principis funus euocamur; planè non minùs ſodalitati acerbum: quando non magis præſidij ab Antonij Cardinalis purpura, quam commodi ab Conſtantiæ munificentia, ac ſtudio rei Theatinæ accedebat. Hoc ſiquidem anno, quæ Princeps pijſsima promeruerat inſigni pietate, atque omni virtutum genere præmia, repræſentare illi voluit Deus, immaturè quidem, ſi œuum, & communia ſpectes deſideria; ſed quæ ſpatium confecerat ſuum, ſi à virtute, pijſque operibus vitam metiare. Cumulata illi merita à morbi genere, planè moleſtiſsimo. Siquidem effloreſcen-

Qui de Antonio Card. Carafa ſcripſerint.

Conſtantia Caretta vita fungitur.

Moleſtiſſimo ex morbo.

te in ſaniem ſanguine, ita corpus occupauerant puſtulæ, vt cerni ſine ſenſu commi-
ſerationis minimè poſſet, corrupto præſertim vultu, ac forma. Quod malum viſa in-
ſigni tolerantiæ exemplo ſtrenuè viciſſe. Illud autem in eo vitę confinio ſingulare Dei
beneficium meruit. Nam quæ eſt lex mortalium, vt ætumna quiſque laboret ſua,
ſanctioribus licet quibuſdam vitæ rationibus dies tranſmitteret Conſtantia, angi ni-
hilominùs delicatiore quadam conſcientia, eiuſque diſcruciari ſtimulis ſolita erat; vt
mitum ſanè eſſet, in tanta mentis innocentia tàm acres vellicare aculeos pectus. Sed,

Sed tranquilliore conſciētia.

quæ pronior eſt Numinis in ſuos benignitas, adfuit illi in tempore, ſedauitque extre-
mum vitæ: adeò vt ſine vllo animi motu, aut morſu deceſſerit pijſſima Princeps, cō-
poſita ad omnem tranquillitatem, ac pietatem mente. Porrò beneficentiſſima in
pauperes cum fuerit, viſa tùm maximè munificentiam intendiſſe: veluti ſupremum
à face lumen excreſceret, ſplenderetque luculentiùs. Nullum ſiquidem fermè Nea-

Eius in ſuprema vita munificentia.

poli fœminarum, virorumque collegium fuit, aut pium opus, cuius Princeps libera-
liſſima non meminiſſet, legato pro ſua cuique inopia auro. Noſtro verò Ordini addi-
ctiſſima teſtari tùm quidem in illum beneuolentiam munificentiore quadam manu
voluit. Enimuerò Diuæ Mariæ Angelorum domui, quam ipſa fundauerat, decem
aureorum millia conſtruendæ Eccleſiæ legauit; Paulinæ ædi bis mille, mille Sancto-

Præſertim in noſtrum Ordinem.

rum Apoſtolorum cœnobio, mille item Genuenſi, totidem Capuano, reliquis verò
Congregationis Collegijs quingentos ſolui ſingulis iuſſit. Scripſerat hæc ſupremis ta-
bulis, cum reputare apud animum ſuum cœpit, perficiendo Mariano Angelorum
templo non eam ſuffecturam pecuniarum ſummam. Quocirca antequàm ſpiritum
poneret, literas ad Generale Capitulum, proximè celebrandum, quàm humaniſſimas
dedit. Communi Patrum pietati ſuam animam commendauit: tùm precata enixè
eſt, vt quæ vniuerſi Ordinis cœnobijs legauerat, excepta Capuana domo, vellent ipſi

Et in B. Mariæ Angelorum ædem.

ſua ſponte vni Diuæ Marię Angelorum ædi addicere, vt vrgeri, adaucto ære, ac perfi-
ci Marianum templum poſſet, quod ipſa, ſi ſuperſtes fuiſſet, ad ſummam vtique ma-
num perduxiſſet. Perlecta ea in Comitijs epiſtola conſequenti anno, itumque omniū
ſuffragijs in eam ſententiam, vt poſthumæ benemerentiſſimæ Principis preces vale-
rent: ac nullus planè fuit, qui ſuæ domus commoda non illius nutibus, ac votis poſt-
haberet. Quo ſubſidio cœpta ſubindè exædificatio, ſplendidiſſima quidem, vt aliàs
meminimus. Tantam verò ornatiſſimæ fœminæ beneficentiam ad grati animi mo-
numentum anniuerſarijs exequijs Diuę Mariæ Angelorum Patres compenſant. Iam,
Conſtantia, quę viuens noſtras Eccleſias triuerat, affectu, ſtudioque ſemper præſens,
defuncta abeſſe noluit; vtque noſtra in æuum eſſet, condi in cœmeterio D. Pauli

Sepulta in Paulino cœmeterio Conſtantia.

ſuos cineres iuſſit, quò non ita pridem Marcum Antonium Carettum, & Victoriam
Piccolomineam Melphienſium Principes, parentes ſuos, hanc Caieta, illum Genua
transferri iuſſerat: nempè, vt quod illi pretioſiſſimum fuerat, vnà cum ſuis exuuijs
noſtræ fidei committeret. De eximia tantæ Principis virtute ſparſim multa in prima
harum hiſtoriarum parte cōmemoraui, quæ non hic reponenda. Planè, vt fortunis,
ac genere, ita animi magnitudine, ac prolixa quadam indole numerari inter præci-

Multiplex eius virtus.

puas ſui ſeculi heroinas debet; ac neſcio, an aliqua pietati addictior; certè in erogan-
dis in pium vſum opibus cum paucis comparanda. Templa, ac templorum ornamē-
ta curæ illi erant, nullique parcebat ſumptui, vt niterent à ſua manu. In excitandis,
complectendis, fouendiſq. piorum hominum familijs tota erat. Inopiam ita aluit, vt

Pietas.

videretur, cenſus, prouentuſque ſuos non ſibi, ſed Chriſti pauperibus percipere. Fœ-
minarum præcipuè pudicitiæ ſtuduit. Æquè erigendis lapſis, ac ſtantibus, ne caderēt,
vacabat. amplificatis, conſtructis, dotatiſq. ſuo auro Gynecæis: vt planè non vno in lo-
co inſtaurata, ac clatrata Neapolitana pudicitia eius opera videatur. Inter has operoſæ
Charitatis exercitationes nihil familiarius illi, quàm diuinis commentationibus ope-
ram dare. Diſtracta ſiquidem ad externa pia mens, nunquam viſa ſeipſam deſerere:

Inter opera charitatis cōtemplatio.

Curabat xenodochia, atque contubernia puellarum, & ſimul ſecretum ſuę domus
lararium, publicaſque Diuorum ædes tenebat, fundendis precibus, ac ſacris volutan-
dis libris intentiſſima. Hinc aſſidua apud illam noſtratum ſtudia, quos & pietatis
impetus regere, & informare ad ſanctioris vitæ regulā animū, & contēplationis capita
ſingillatim tradere, & præſcribere opportunam augendæ virtuti lectionem, & ſetere

de-

Digitized by Google

de æternorum pretio ſermones continenti quadam operum viciſſitudine volebat: aderatque Theatina induſtria, vt ſingularem piæ Principis humanitatem, ac beneficentiam rependerent frequentiſſima in illam obſequia. Atque hac laude, famaque virtutum functa vita eſt Conſtantia Caretta, conſcenditque per hos meritorum gradus ſydera, relicto in Theatinis faſtis nomine, quod ipſamet ſuo auro inſcripſit. A noſtratum ſ. diſciplina.

Genuæ excitatum peracte hoc anno diſſidium exercet nō mediocriter Patres. Planè, quę conciliare beneuolentiam vicinitas debet, acerbiſſimas interdum ſimultates, ac turbas peperit: quod noſtris accidit cum prænobili viro Genuenſi, eiuſque coniuge, ornatiſſima ea quidem fœmina, ſed cui ſupra muliebre ingenium ardor, ac noſtro præſertim nomini perpetuo infenſa. Et verò non ita pridem, Præpoſitum agente Ioanne Scurcouillo, quem aliàs memorauimus, interturbare cœptam cœnobij ſubſtructionem omni ope, ac vi ijdem ipſi curauerant; ſed accedente ampliſsimi Senatus auctoritate, ac virorum procerum opera, compoſita breui lis fuerat: ita tamen, vt quam conceperant tùm quidem in noſtros iram, effuderint hoc anno impotẽtiùs. Occaſio, editiore in loco horti; qui quòd noſtris ædibus imminerent, ac liber inde ad intima quæque domus eſſet aſpectus, cauendum religioſę libertati duxere Patres: viſumque id omninò pernecessarium, vt ſibi coëmerent. Ergò ſolutum Minettæ Nigronæ pretium, annexumque reliquo cœnobij corpori membrum. Aduerſarij, quòd aut ſibi hortos vellent, aut tàm propè religioſos viros nollent, mirum quo tem ſenſu exceperant. Obloqui, ſtrepere, minas intentare, Senatum etiam appellare, veluti Reip: iura, ac vetera eius ſtatuta noſtri infregerint, atq. in id potiſſimùm incumbere, vt hortum ſibi viciniratis iure vindicarent: & quibus clientela, affinitates, opes ſpem, atq. animos facerent, plaudebant iam ſuæ palmæ. Patribus in perdifficili hac cõtrouerſia tempeſtiuè à Romana aula fauor affulſit. Enimuerò Paulus Cardinalis Sfondratus, Gregorij Quarti decimi, quem addictiſſimum noſtro Ordini diximus, nepos, Theatinæ & ipſe diſciplinæ percupidus, cum opportuna apud Genuenſem Principem, atque Auguſtos Patres ſua officia fore cognouiſſet, quo tempore luctari noſtros cum primaria domo contingebat, epiſtolam ad ſenatum dedit, quam hìc ſubijcimus. Genuæ diſſidium. Occaſio à coemptis hortis. Card. Sfondrati ad Genuenſem Senatum literæ.

SERENISSIME PRINCEPS.

Clerici Regulares Theatini, qui iſthic morantur, ac cœnobium D. Syri incolunt, commendati Pontifici Maximo vſque adeò ſunt, vt pro filijs habeat, eoſque veluti Pater beneuolentiſsimus ſingulari quodam affectu proſequitur. Hoc potiſſimùm nomine illos Serenitati tuę, vel maximè commendo, oroque impenſiùs te, atq. ampliſſimum Senatum, vt vbi ſe ſe tulerit occaſio, veſtram in illos beneuolentiam, opemque impendatis. Permodeſti quidem viri ſunt, ac ſua demiſsiùs poſtulata exponēt: quod incitamento Serenitati tuę fuerit, vt ex animo faueas, quod oro iterùm, quæſoque: ac Deus te incolumem diù ſeruet.

Inclyti Senatus ad Cardinalem reſponſionem, officij plenam, debere hìc noluimus; præſertim quòd noſtratum in rem communem ſtudia magnificè memoret. Sic verò habet.

Clerici Regulares, qui in D. Syri Cœnobio hìc degunt, à vitæ exemplis, atque ab animorum ſtudio, fructuque pietatis, quem in hac Ciuitate noſtra demetunt, percari nobis ſunt; atque hac etiam de cauſa cariores, quòd, vti literis tuis ſignificaſti, commendatiſſimi, ac filiorum loco ſunt Sanctiſſimo Pontifici, cui eo quidem ſtudio obſequi cupimus, vt tibi etiam, qui eos vnicè commendas, gratificari peroptemus. Quocirca nulla nos ex parte ijs honeſtandis, ornandiſque defuturos, perſuaſum habeas, quod reipſa luculenter cognoſces: atque interim fauſta tibi apprecamur. Et à Senatu ad Cardinalē.

Hęc Senatus: apud quem ſanè valuit plurimùm commendatione ſua Sfondratus, ſicut & fractus ijs officijs aduerſæ partis impetus eſt. Nam cū non ignorarent ad Romana tandem ſubſellia fore, vt de re Eccleſiaſtica iudicium deuolueret, probè intelligebant, quo loco eſſet noſtratum cauſa, quos tàm gratioſos Romanæ Sedi, ac aulæ ſcirent. Itaque refrigerata aliquantiſper vis illa controuerſiæ. Sed elato mox Gregorio Pontifice, inſtaurata actiùs impreſſio: eòque potentia, precibus, minis, prenſationibus adducta res, vt expugnauerint Genuę iudicia. Nec mora: diiectis muris, factoque

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ctoque impetu hortos hoſtilem in modum inuadunt, ac poſſeſsionem ipſa herbarũ,
In hortos impetus. florum, ac ſtirpium clade ineunt, noſtris inſigni quadam animi moderatione inſpe-
ctantibus, ac tantùm non plaudentibus facto: certis quidem, fore, vt recognita, ex-
penſaq. ſua in lance cauſa, rediret ſubindè hortorũ illa appendix cœnobio. Fauit ſtre-
nuè çquitati Alexander Centurionus, Archiepiſc. Genuenſis, qui ſua vſus auctorita-
Cauſam tuetur Archiepiſcopus. te, comminatus ſacrorum interdictionem, eccleſiaſticum nempè fulmen eſt, ni loco
faceſſerent, quòd tandem publicè euibrauit. Verùm, ceu non ſatis eſſet, vno in foro
æquam illam cauſam propugnari, Pontificem aduerſarij appellant, à quo datum
Romanç Rotç negotium: ac mox, necterent licet moras alias, atque alias, vt iudi-
cium declinarent, expeditum: adiudicata noſtratibus lite: qui tamen, vt oſtenderent,
Ac profligatur Romæ lis. qua mente in hiſce controuerſijs decertarẽt, vti victoria quàm modeſtiſsimè voluere:
ac tãtùm abeſt, vt vi agerẽt, vt aures etiam tẽperamento, honeſtiſq. conditionibus ac-
comodauerint. Quocirca cùm maximè ſibi quiſque perſuaderet, fore, vt in rẽ ſuam
noſtri incumberent, vrgerentque ſummo iure poſſeſsionem, eò indulgentiæ deuene-
re, vt cederent illuſtri domui hortorum partem: tùm quidem, ne totam ſibi vſurpaſ-
AEqua noſtratum mens. ſe palmam religioſi viri, & qui humilitati potiſſimùm ſtudent, viderentur: tùm verò,
vt à flagrantiſsima præſertim fœmina gratiam inirent, eiuſque indolem mitiorem
Theatinæ rei redderent. Quod fruſtra ſperatum Patribus: altiùs videlicet muliebri
in pectore actis odij, atque inuidiæ cauſis, quàm vt euelli officijs poſſent. Id quod
conſequutæ aliæ ex alijs cum prænobili domo velitationes, & pugnç commonſtra-
runt. Iam, quando in hiſce hortis vindicandis adeò deſudatum, exſpatiari tantiſ-
per, ac veluti recreare ſtylum in ijs libeat. Parta hac victoria, eò ſtatim appulere co-
Excolunt domeſticos hortos Patres, gitationes ſuas Patres, vt illos amplificarent, expolirentque. Sublimi ij quidem ſitu,
cliuoque inſident, difficili omninò aditu; ſed emollitus, actuſque in planitiem lo-
cus perindè eſt, vt alia, atque alia gradatim per eam rupem ſuccedant pomaria.
Supremum ad trigoni formam explicatur, quà ſuis delicijs, quà proſpectu maris per-
amœnum: Infimum conclauia ipſa ſitu çquat, adiacetque ad deambulandum por-
ticus. Media verò inter hæc, imminetque alteri alterum, floralia duo ſunt, quæ di-
Qui deſcribuntur. ſtinctis perbellè areolis, omnigenos ornandis aris flores alunt. Conſita hçc porrò lo-
ca ſuprà, infràque aurantiis, ac limonijs, quæ muros etiã opere topiario conueſtiunt:
vt nihil ſanè deſiderari ad oculorum illecebram poſsit, interuirente per omnes anni
partes, ac vices pomorum auro. Adeunt exteri quique viri ad domeſticas eas deli-
cias, miranturque vehementer, tantam rerum anguſtiam, ſitumque adeò præcipitẽ
euadere in amæniſsimam illam hortorum faciem potuiſſe: quibus neque ab ipſa
aquatum perennitate voluptas, & commodum deeſt. Enimuerò in editiore Vrbis
Aquarum in ijs copia. parte, non longè à noſtris hortis molas frumentarias publicæ quçdam aquç trudunt,
quæ mox, veluti defatigatç, eoſdem in hortos diuertunt; ac partim in peramplo quo-
dam conceptaculo quieſcunt, partim marmoreo è fonte in opaca ludunt ſyluula.
Hinc verò ſuos per aquæductus in reliqua ſe ſe pomaria, floribus, plantiſque irrigan-
dis permittunt: & in imo quidem horto è fonte, pumicibus, ac conchulis, non quidẽ
ineleganter exculto, ita manant, vt occultis etiam ſiphunculis, atque ab inſidijs adſ-
tantes irrorent. Hæ deindè aquæ, egreſſæ veluti ſyluis, in cçteram domum non
mediocre planè deriuant commodum. Nulli ſiquidem non loco proniore fluxu, ac
vena adſunt, cellis ipſis propriores: fontibus ad ſactarium, ac cœnationem excitatis,
deductiſque per officinas omnes ad domum miniſteria Euripis, ac Nilis.

Sed hactenus per hortos diuagati, imus nunc narratum fixum Veronæ domici-
lium, ſummo cum nobiliſsimæ eius Vrbis aſſenſu, ac noſtræ Congregationis cõmo-
Fixum olim Veronæ domicilium. do. Sub ipſum olim naſcentis Inſtituti initium, exeunte videlicet eius ſeculi anno
vigeſimo octauo, Matthæo Giberto Epiſcopo, noſtræ diſciplinç addictiſſimo, id eni-
xiùs flagitante, iniuerant eandem ſedem noſtri, attributa ijs Diuæ Mariæ Nazarenç
æde. &, vti aliàs ſignificatum eſt, occœperant cùm in ſacrorum cultu, tùm in tra-
ctatione animorum præclaram operam ponere. Verùm, quòd inuecta ab æuo po-
pulorum ludicra, pro eiuſdem templi floribus celebrari ſolita, quotidianas diuinorũ
functiones, Patrumq. interturbare aſſiduis clamoribus quietem viderentur, atque
vt aliò transferrentur, ſuperante nimirum vſu, impetrare minimè potuiſſent; ne no-
ſtri

ſtris ſacris, ac tranquillitati malè eſſet, abſcedere eo contubernio, ac Vrbe decreuere ſequenti mox anno: Ciuibus fruſtra obnitentibus, ac Giberto abſente, qui profectionis conſilio fortè interceſsiſſet. Diſceſſum tulere iniquiſsimo animo Veronenſes, vt qui iam Theatinę operę fructum deguſtauerant, inſeditque eorum animis commune, ac peracre frugiferę eius diſciplinæ deſiderium. Quod ſanè vehementer excreuit, poſtea quã noſtrę ſodalitati ſe dedit Petrus Fuſcarenus, Vir, quem aliàs loquuti ſumus, à ſingulari eruditione, laureaque Pariſienſi, atque à virtutum numeris laudatiſsimus, & qui non modò apud ſuos, verùm etiam apud exteros ſummo loco erat. Nec minimùm ſanè accendebant Ciuium ſtudia, labores, quos cùm in Veneta ea Ditione, tùm per reliquam Italiam cum fructu populorum impendi à noſtris, afferebat fama. Differri nihilominùs flagrantiſsima ea vota ad hunc annum contigit, cum eius Eccleſię Cathedram regeret Auguſtinus Cardinalis Valerius. Is è Venetorum Patrum Ordine, ac Latina Infula, præſtantique animi indole nobiliſsimus, egregiã in noſtrum ſodalitium volũtatem iam diù aluerat. Quippè Venetijs ſui, ſuęque animę rectionem noſtratibus permiſerat, illoſque conſcientiæ perpurgandę adhibere ſolitus erat. Quo familiari vſu expenderat propiùs Inſtituti rationes, ac liquidò cognouerat, quanto cum omnium compendio Clericorum Regulatium curæ deſudarent, & quę fierent morum permutationes, vbi in Vrbes ij inducerentur. Veronæ pręſertim, in ampliſsima nimirùm area, requiri eas religioſorum hominum vigilias, reputabat, quę mores inſtituerent, erigerentque Dei cultum, quà labe temporum, quà prauorum ingenio nonnihil imminutum. Clerum item tàm egregiè inſtitutum, fore, vt ſuis ſtudijs accuratiùs inſiſteret, ſi iſthæc Clericorum exempla obijcerentur; accederetque eò Pauli Quarti ſoboles, qui in formanda olim Veronenſi Eccleſia, cum adhuc Theatinum ageret, Giberto ſolertiam, operamque ſuam tanta cum laude commodauerat. Ad hæc, vtebatur Cardinalis Valerius familiariter Ioanne Baptiſta Milano, vniuerſi Ordinis Præpoſito Generali: quo facilè ſibi perſuaſit, fore, vt ſi Theatinam familiam illuc euocaret, res flueret ex ſententia, aſſenſu nimirùm Patris Generalis, ac præſtantium hominum delectu, qui Inſtitutum inibi fundarent. Ergò cœpta res tranſigi ſuperiore anno: quo quidem anno, vt Veronenſium vota, neſcio accenderet acriùs, an temperaret Cardinalis Valerius, dedit operam, vt Marcellus Toloſa, à me ſæpè memoratus, in principe templo conciones per Quadrageſimam haberet. Qui quidem ardentiſſima, qua valebat voce, ac vigore linguæ eos in Vrbe animorum motus fecit, tantaque cum vitiorum clade declamauit, vt vulgò Veronenſis Apoſtolus audiuerit: eratque communis tùm omnium ſenſus, dilapſum è cœlo Cherubim, qui vt olim pro Paradiſi foribus, ita nunc è Veronenſi ſuggeſtu flammeum gladium euibraret: vſque adeò inflammari vultus, geſtus, oratio cernebatur. Admirabilem Viri eloquentiam excepit meritis laudibus Veronenſium eloquentia. Inſigni namque cum certamine ingeniorum dilaudatus flagrantiſſimus Eccleſiaſtes fuit, compoſitis cùm gręcè, tùm latinè carminibus, quibus Etruſca etiam muſa non vno planè rithmo accinuit. Quæ deindè muſarum elogia, vt aliquod extaret tãtæ facundiæ monumentum, vnum in volumen coniecta, lucique data, inſignita Cardinalis Valerij nomine, eique dedicata voluere; fueruntq. pergratę Cardinali elegantiſſimæ alioqui lucubrationes argumenti nomine, ac merito. Ab hac Toloſæ dictione, communique pietate, quam ille diſertiſſima verborum flamma excitauit, concepta in vniuerſum Ordinem Veronenſium ſtudia, nimiùm quantùm flagrauerint. Efflagitare prolixiùs noſtros homines cœpere, incubuitque in eam rem ardentiore quadam animi contentione Cardinalis Valerius, qui Patrem Generalem repetitis literis, atque officijs appellauit, ſignificauitq, deſignatas iam familiæ ædes non incongruas: ac ſe quidem domeſticis Patrum commodis, atque opportunitatibus adfuturum. Coloniam proindè quàm primùm mitteret, quę concitatæ omnium expectationi, votiſq. quàm ardẽtiſſimis egregijs ſuis vigilijs reſponderet. Et Pater quidem Generalis, quòd cerneret, fore, vt ab eo fauore, aſſenſuq. Ciuium non exigui prouenirent in commune bonum fructus, complectendam illam propagandi Ordinis, amplificandique Dei cultus occaſionem duxit: petente præſertim Cardinali, cuius beneuolentiæ & noſtros vniuerſim omnes, & peculiari ſe nomine debere maximè, intelligebat. Verùm, quod habitis proximè co-

mi-

Sed mox relictum,

Cardinalis Valerii in noſtros beneuolentia.

Marcellus Toloſa Veronæ declamat.

Multiplex in eius laudem lucubratio,

Cardinalis Valerij ad P. Generalem poſtulata,

mitijs, ictum à Patribus fuerat, ne ſine reliquarum domorum ſenſu noua Collegia fundarentur, expectari ea ſuffragia oportuit: atque adeò expediri negotium nonniſi hoc anno potuit; quo quidem anno ingenti cum Cardinalis, ac Ciuium lętitia deducta eò colonia eſt. Veronæ ędes etat Diuæ Mariæ Sacra, cui, quòd ad Atheſis ripas adiaceat, à glarea nomenclatio: perantiqua ea quidem, vt quam longè ante annos tercentum Sanctiſſimus eius Vrbis Epiſcopus Theobaldus, vti inſcriptum elegāter in ea marmor docet, dedicauerat. Annexum illiad religioſi contubernij formam domicilium. Sedes olim Patrum Humiliatorum, quorum inſtitutum, quòd conſenuiſſe iam videri poterat, abrogatum voluit Pius Pontifex Quintus. Excipiendo noſtro Ordini deſignatæ Marianæ hæ domus fuere, viſæque cùm domeſticæ diſciplinæ, tùm alienæ pietati excolendæ ijs ſaltem initijs opportuniores. Eius tū Sacerdotij Rectorem agebat Bernardinus Maffæius, Romanus, cuius cùm à tergemini auunculi, ac duorum fratrum purpura non exiguum planè decus accederet, tùm ſua virtute longè ſpectatiſſimus, inſigni morum pietate, charitate præſertim in pauperes ſuorum ipſe Inſulas nobilitabat. Rogandus haud multis is fuit, vt attributam noſtris ædem ſacram, ac cœnobium vellet. Nam qui exquiſitum noſtri Inſtituti in ſacrorum pręcipuè cultu ſtudium nouerat, planè intellexit, quantum dignitatis, ac lucis adderet loco eiuſmodi hoſpitum religio. Quare cùm templum, tùm cœnobium, reſeruatis quibuſdam ſuo vſui conclauibus: ex hortis etiam domeſticis vnum animi, curatumque laxamento liberaliter conceſſit. Quo Rectoris aſſenſu impetrato, in id curas intendit Cardinalis, vt ædes concinnarentur. Negotium Guidoni, Veronenſis Eccleſię Canonico, Viro optimo dedit, qui eius ęre farciendæ vetuſtæ Eccleſiæ, curandoque ſacro inſtrumento, ac ſupellectili omni operam dedit: tùm domum, ac rem domeſticam ad Theatinas rationes quàm diligentiſſimè adornauit: fuitque in cellulis inſtruendis adeò exactus, ac minutus Guido, vt ſcalptum concinnando calamo deſideratum minimè fuerit, ad Cardinalis nempè beneuolentiſſimi guſtum, cui vel minima curæ erant, vt noſtris bene eſſet. Igitur rebus ita compoſitis, vrgente rem communi ciuium ſtudio, deſtinata Patrum manus, qui ad extremum huius anni Nouembrem Veronam peruenere. Fuere hi Baſilius Pignatellus Præpoſitus, quo de alibi loquuti ſumus, Marcellus Toloſa, qui Veronenſium gratiam adeò ſibi contentione dicendi non ita pridem conciliauerat, Antonius Marchellus Genuenſis, Alexander Garganus, Cyprianus Beuilacqua, Ignatius Aloyſ, Athanaſius Bilotta, & Hieremias Panſa, Neapolitani: Viri ad omnem regularis diſciplinæ normam exacti. Recta ad Cardinalem Valerium iuere omnes, qui ſingulos intimè complexus, mirum eſt, qua verborum comitate, animique ſenſu illos exceperit: gratulatuſque ſuæ Eccleſiæ, ſibique præſentes eas operas, ſic illos eſt alloquutus: Scio ego, Patres, quę morum cuique veſtrum integritas, ac prudentia, quęque inſint pręſidia doctrinarum. Quarè, vt latiùs ſe ſe virtuti veſtræ campus aperiat, quicquid in Ciuitate, ac Diœceſi Veronenſi Inſula hæc mea valet, communicatum vobiſcum volo: ita vt vna, eademque ſit vobis, & mihi relaxandi, ſoluendique facultas. Vos Epiſcopi, Vos Præſules. Scilicet, nihil non à veſtra induſtria, curiſque mihi polliceor in communem huiuſce Eccleſiæ, mearumqua ouium vtilitatem. Ampliſſimis planè verbis hæc. Tùm deduci ad cœnobium eos iuſſit, nullique deinceps officio humanitatis deſuit. Nam victu quotidiano familiam diù aluit, illamque inuiſere identidem ſolitus erat, erogata inſuper pro animi magnitudine ad domeſticos vſus ſtipe. Patribus verò nil prius fuit, quàm conceptam cùm amantiſſimi Cardinalis, tùm Ciuitatis vniuerſæ opinionem, ac beneuolentiam eximijs, quà domi, quà foris vigilijs adaugere. A ſacrorum cultu, atq; aſſidua in animorum procuratione ſolertia frequentiſsimus in Eccleſia conuentus: gliſcebatque quotidiè eorum numerus, qui regiſe in curſu pietatis, exercitioque virtutum priuatis rationibus permittebant. Rector in primis loci Bernardinus Maffæius, quem modò nominaui, vſque adeò affici noſtro Inſtituto, ac moribus viſus eſt, vt eo honeſtandæ eximiæ voluntati, quæ ſibi in eo domicilio conclauia, hortoſq. reſerua erat, vltrò Patribus ceſſerit. Et qui ab eo Sacerdotio aureos mille in ſingulos annos percipiebat, quingentos eo anno munifica planè manu noſtratibus impertijt: decreueratque quotannis eandem elargiri ſummam, ac plura item pręſtare, animatus

Margin notes: Amādantur Veronam noſtri. — Aedes Deiparæ a Glarea noſtratibus deſtinatur. — Annuit Maſfæius Rector. — Cardinalis ęre concinnatur ædes ſacra. — Et inſtruitur domus. — Perueniūt Veronam Patres. — Excepti ab Antiſtite humaniſſimè. — Demerere Vrbem incipiunt Patres. — Rectoris in illos beneficētia.

tus egregiè in eius cœnobij progreſſiones, & commoda. Verùm, immaturo eius fato præciſus hic beneficentię curſus: euolauitque in Cœlum Maffęius, vt contingeret quam citiſsimè prolixiori voluntati præmium. Iam, quanto cum pietatis incremento Veronæ operam poſuerint noſtri: vt eius Ciuitatis in noſtram familiam amor excreuerit: vtque Marianæ ædi alterum Sancti Nicolai domicilium frequentiore in vicinia acceſſerit, ſuus erit dicendi locus. Quam abrupit fatum.

Venetias excurrat modò narratio, vbi ad templi exædificationem, magnificam planè in formam animum hoc anno appellunt noſtri. Cum enim communi morum inſtitutioni ſtrenuè incumberent, pietatemque inclytæ eius Vrbis amplificarent, laxiorem etiam eccleſiam excitandam duxere, ne quos actuoſa Patrum virtus aduocabat, loci anguſtia excluderet. Et verò quę primùm contigerat Diui Nicolai ædes, minor omninò erat, quàm vt affluentes eò populos caperet; & præterea haud ſatis adeuntibus commoda: quippè quę à celebri via non minimùm recederet, ducebatq. ad eam inepta quædam ſemita, aduentantibus, pręſertim mulieribus minùs opportuna. Quare conſtrui nouam à fundo eccleſiam oportuit. Quo ſtatim loco illud dignum memoratu puto, quod ſub ipſum ſubſtructionis initium accidit, erudiendæ nimirùm mortalium pietati, vt condiſcant, vbi de templis, eorumque ędificijs agitur, nunquam impunè obijci difficultates, ac moras. Tolentinatis huiuſce loci ſitus duplicem in partem vergit: alteram, vbi ſurgit nunc D. Nicolai eccleſia: alteram, in qua laxior ſeſe explicat area, & quam peramplus quidem Euripus alluit, pontemque à Gente Marcella nuncupatum reſpicit: vbi quòd frequentior, ac longè ſplendidior ſitus, templum excitare decreuerant Patres. Attigua loco erat honeſti cuiuſdam ciuis domus, cui nomen Bartholomæus Malumbra, quæ quòd neceſſaria omninò eſſet conſtruendo ædificio, diù, multùmque laborarunt noſtri, vt coemerent. Et confecta quidem publicis tabulis res eſt. Quod vbi, qui eam tùm incolebat vir Patricius reſciuit, iniquiſſimo tulit animo, nihilque intentatum reliquit, vt obſignata iam ritè venditio abrogaretur, perſuaſitque Malumbræ, vt reſcindeter. Colluctandum Patribus fuit æqui, ac recti iure, conati que omni ope ſunt, vt illum ab ea mente reuocarent: qui obſtinatior in dies, vrgente præſertim viro illo Patricio, vſque adeò animum obfirmauit ſuum, vt d ſertè pronunciauerit, daturum ſe flammis potiùs, quàm Tolentinatibus domum: qui, quòd cum viris, clientela, ac opibus ſubnixis res erat, cedendum lite duxere: rati cauſam abundè peroratam modeſtia. Ergò, mutato repentè cõſilio, cœpta ex altera parte conſtrui ſacra ædes. Sed ecce tibi monendis mortalibus vindex Numen. Enimuerò nocte intempeſta, concepta ex inopinato in ea Malumbræ domo flamma, vna cum ſuppellectili omni conflagrauit. Exarſiſſent ab ea etiam inflammatione incolę, & Patricius ille vir, niſi Tolentinates Patres clamoribus, ac campano ęre excitatos, fugere monuiſſent. Sic erudijt Malumbram lux illa flammę; & qui imprecatus ſuis domibus incendium fuerat, abſumptas diuino planè conſilio ab vltore illo igne vidit. Porrò adeò ſolenni ritu, ac plauſu Tolentinatis tẽpli eius poſita fuere fundamẽta, vt non incongruè feſtiuos eos ignes illuxiſſe dixeris. Siquidem qui tũ Venetas Inſulas adminiſtrabat, Laurentius Cardinalis Priulus ſingulari quadam magnificentia, ac pompa, conceptis ſolennibus ritè precibus, primarium lapidem dedicauit: cumulauitque lætitiam Paſqualis Ciconia, Venetorum Dux, qui eò acceſſit, deducente Senatu, ac Patriciorum ordine, vndantibus vndique populis, obeundæ principe quodam ſtudio, ęſtuque celebritati. Proſequutus deindè opus communis Ciuium fauor, ac pietas, quę viſa interdum deſuiſſe, vt ſuas in eo ędificio partes ageret, quæ noſtra in primis curat, Numinis prouidentia. Et quidem, vt aliàs memoraui, nunquam viſa luſiſſe pulchrius Dei munificentia, quàm in Tolentinate hac æde. Quippè eò ſæpius pecuniarum inopiæ deducta res eſt, vt dimitti operas oporteret: Sed tantùm mox auri allatum cum eſſet, quantum continuando per aliquot dies operi ſufficeret, ſubceſiua, ac repetita ſępiùs fortuita hac ſtipe, abſoluta baſilica eſt magnifico quidem ſumptu, ac forma. Conceſſere eò Patres, relicta priore eccleſia, anno ſuccedentis ſeculi ſecundo, die Diuo Nicolao Tolentinati ſacra ingenti cum populorum concurſatione,, ac corona procerum: litauitque ſolenni ſacro Angelus Zuccatus, vir pijſſimus, eius domus Præpoſitus, qui & eã item pręfecturam adminiſtrabat,

Venetijs noua fundatur Eccleſia.

Diuinæ iuſtitiæ in ea ſubſtructione exemplum.

Tolentinatis Tẽpli primus lapis iacitur.

Præſens in eo ædificio Dei prouidentia.

cùm inchoari templum contigit. Nec poſt multò, hoc eſt, die nona, & vigeſima Octobris eius anni, Ioannes Zanus, Venetiarum Patriarcha, noſtræ Congregationis apprimè ſtudioſus, ſolenni illam inauguratione, ac ritu dedicauit. Numeratur hæc modò ſacra ædes inter præcipuas Vrbis Venetiarum eccleſias; vt quam non modò ſtructura ipſa, & quæſita in aris marmora, ſed procuratus ad omnem concinnitatem, ſtudiumque Sacrorum cultus, & maiorum gentium celebritas nobilitat.

Conſecratur à Io. Zano Patriarcha.

Altera hic eſſent iacta hoc anno in principe Vrbe, hoc eſt, Romæ, templi longè magnificentiſſimi fundamenta enarranda. Sed memorata hæc fuſiùs in loco, cùm Conſtantię Piccolomineæ, Amalphi Duciſſæ in noſtrum Ordinem ſtudium explicaui: vbi attributam ab eius munificentia noſtræ diſciplinę peramplam Piccolomineorum in via Pontificia domum, deſtinatamque Diui Andreę templo, dixi quod poſtea Alphonſus Cardinalis Geſualdus ad ſacrorum Principum exemplar hoc anno fundauit inſigni cum Romani populi acclamatione, iacto Gregorij Quarti decimi Pontificis nomine angulari lapide. At fauſtè inchoatum regio deinde ſumptu proſequutus eſt Alexander Cardinalis Montaltus, qui tantæ moli par opibus, ac magnificentia, & ſplendidam D. Apoſtolo Andreæ baſilicam, & Piccolomineis monumentum famæ, & æternum ſuę excitauit pietati, ac nomini theatrum. Quo quidem in D. Andreæ cœnobio contigit eodem hoc anno abire ad pauciores Auguſtinum Paparum Neapolitanum, religioſiſſimis virum moribus, prudentia in primis ſpectatum, quam adminiſtratę ex interuallo domorum præfecturæ commendabant: ac tùm quidem Viſitatoris munere cum laude fungebatur. In ſuprema ea valetudine tolerantiam maximè probauit ſuam, ſingulari quadam alacritate, qua morbi cruciatus, atq. acerbiora morbo remedia ferre videbatur. Semel accidit, vt refugeret moleſtiſſimam medicinam natura: ſed indita Diuorum Martyrum recordatione, quibus grauiſſima quæque pro Deo tolerare, dulce fuit, viſus remedium ſtrenuè ſubire. Iam, cœteram Viri virtutem ab ipſis æſtimare eſt religioſæ vitæ initijs. Quippè vbi remittere rebus humanis nuncium apud animum ſuum ſtatuit, vt mente, ita & corpore diſtrahi à ſuis voluit. Relicta ſiquidem patria, Romam contendit, vbi aggregari ad noſtros petijt, ſuſcepitque poſtmodùm in Quirinali domo vota eius ſeculi anno tertio ſupra ſeptuageſimum die Epiphaniæ Domini ſacro. Viſus profectò ad religionem naturà factus. Eximia nanque illi externi habitus, oriſque modeſtia, ac grauitas. Tùm morum candor, regularis obſeruantiæ ſtudium, atque addicta pietati mens ſupra communem virtutem erant. Inſtituendis tyronibus ſtatim impoſitus, prudentia quidem, ac moribus, quàm æuo maturior. In fingenda eorum indole gemina illi propoſita virtus fuit: nempè animi demiſſio, ac tùm mentis mundicies, tùm corporis; ſine quibus cũ negaret, conſtare religioſum virum poſſe, in earum amore ingenerando totus erat. Hinc vt domeſticis ſeſe laboribus, atque operis exercerent tyrones ſui, curabat. Nam quod relaxando tantiſper à ſacrorum contentione animo tempus datur, id aut in oſſodienda hortorum humo, aut ſubuehendis ad fabricæ vſum lapidibus, cœmentoque inſumi, iubebat: quo nihil ad ſui contemptionem, humilitatemque opportunius: cùm interim in externo eo opere adeò occupetur mens, vt noxias admittere cogitationes nequeat. Hanc artem docuere priſci Patres, atque inuexere vſu in aſcetas, ac monachos, vt videre eſt paſſim apud veteris, ſanctioriſque æui ſcriptores. Eaſdem has ipſe virtutes egregiè coluit: vtque elucebat in vultu quidam caſtimonię ſplendor, ita quędam ſtatim animi deiectio, atque humilitas illum inſpicientibus occurrebat. Ad hęc, paupertatis amiciſsimus fuit: indicabantque detrita plerumque indumenta, ac ſoleæ, ac ipſe cellulę cultus, in qua vnicæ quidem, ac carthaceæ imagini, ad quam concipere preces ſolitus erat, reſpondebant adamuſſim omnia. Receſſum, vitamque recollectam apprimè commendabat, ſeruabatque ipſe ſtudioſiùs, raro è cellula egreſsu. Silentio proindè addictiſsimus, ac verba illi perparca: ita vt vel cùm loqui contingeret, ſilentium quodammodò ſeruare videretur: attemperata nimirùm voce, ne illam latiùs, quam par eſſet, ſpargeret. Quantum verò hominum alloquutionibus, ac familiaritati detrahebat, tantundem addere diuinis colloquijs videbatur. Multus quippè in rerum cœleſtium contemplatione erat. Concipiebatque inde eam vim Numinis, vt quamuis occultare pro viribus niteretur, erumperent nihilominùs, facto impetu,

Romæ Diui Andreæ baſilica à Card. Geſualdo inchoata.

Proſequitur Card. Montaltus.

Auguſtinus Paparus piè moritur.

Eius in morbo tolerantia.

Relicta patria, religioné inijt.

Tyronum magiſter.

Vt eos inſtitueret.

Eius humilitas, & caſtimonia.

Et paupertas.

Et ſilentium.

Et contemplatio.

peru, ſuſpiria, ac voces, flagrantis animi teſtes. Iam corporis afflictationem, abſtinentiam, comitatem, manſuetudinem nullus in eo deſiderauerit: vt ſanè inter exactæ virtutis viros vulgò habetetur à noſtris, qui ereptam nunc ſibi abſolutiſſimam hanc morum formam tulere acerbiſſimè. Nec prætermittendum, exceſſiſſe è viuis die Prçſentatæ in templo Virgini ſacra: quod vbi ipſi ſupremo ſpiritu laboranti ſubijt, legi ſibi pietaris ergò de Deiparæ virrutibus aliquid iuſſit, quibus perlectis, correptus extremo veterno eſt, ac ſtatim morte: abijtque in Cœlum inter magnæ Matris affectus, ac vlnas.

Alterum hic funus a nnectam, quod Neapoli hoc anno in Paulina domo contigit. Exuit nanque morralitatem Franciſcus Arcuccius, intra iuuenram, ſed cuius mors maturitate quadam virtutum, ac morum non admodùm acerba videri potuit. Adoleſcens qua animi fortitudine nimiùm hoſtilem parentum beneuolentiam, affectumque propulſauerit, vtque romanis iudicijs, ac Pontifici ipſi conſtantiam in Religionis ineundç conſilio probauerit ſuam, in loco memoratum. Planè, quò robuſtior ætas, ac virtus per ueniſſent, oſtendit tenera ea indoles, quæ obluctata ſtrenuè carni, & ſanguini, minis iuxta, ac blanditijs maior, ſpecimen dedit non vulgaris cuiuſdam diſciplinæ; inſtitueratque iam curſum in legum noſtrarum obſeruantia, atque in omni virtutum genere laudatiſſimum, quem prçcidit mors; Dei nempè nutu, vt, ſcilicet, in ſuæ Religionis complexu ſpiritum poneret, cum maximè ab eo illum Pater auellere conaretur. Enimuerò, qui hanc Domini ſortem inuiderat filio, neque animum, neque ſpes ſuas deſeruerat; etiam cùm excludi omninò intelligeret, concepto ſolenni votorum Sacramento. Siquidem cùm ſola dimouere à ſuſcepto inſtituto ſobolem poſſet Epiſcopalis Inſula, inire rationem decreuerat, qua honeſtari ea poſtmodùm dignitate poſſet: ac tùm quidem, quòd iam penè maturus œuo eſſet, ſumma ope nitebatur, vt Epiſcopus deſignaretur, atque ea deſtinatione inſtauraret noua veluti machina in egregium pectus ſplendidum, ac fortiſſimum impetum. Sed aggreſſionem hanc luſit Deus pretioſa morte: placuitque Cœlo illum potiùs Inſula immortalitatis condecorare. Porrò Franciſcus cum ſupremò ægrorare ſe ſenſit, accerſiri Patrem iuſſit. Amplificare, eo præſente, Numinis in ſuſcipiendo Religionis habitu beneficium, ac disertè fateri, haud minus ſe beneficium æſtimare, citò mori. Tùm de vitç vmbra, de contemptu mortalium, de Chriſtianæ pietatis cultu eo ſpiritu diſſeruit, vt non exiguo quidem cum prouentu Patris nouiſſima ea verba, atque adhortamenta fuerint. Nam is & filij mortem æquo poſtmodùm animo tulit, & beneuolentiam in noſtrum ſubindè Ordinem inſtaurauit, & ordinare Sacramentorum vſu, ac cœtera pietate vitam ſuam inſtituit. Quibus ille in Patrem officijs perfunctus, vacare ſibi, ac propinquæ migrationi cœpit: adfuitque morienti vberrima quadam cœleſtium affuſione Deus. Tanta ſiquidem in eo rerum articulo perfundi lætitia viſus eſt, vt adſtantes etiam exhilararet. Clauſit inter ea ſolatia diem ſuum, nec antea intrauit in gaudium Dmnini, quàm æternæ illius voluptatis, glorięque libamentum hic aliquod prçcepiſſet.

Franciſcus Arcuccius piè moritur.

Cum Inſulas agitaret Pater,

Ad quem nouiſſima eius verba.

Deceſſitque Arcuccius delicijs affluens.

A domeſticis his noſtratum exequijs ad publica parentalia recurrit ſtylus. Funeſtauit ſiquidem huiuſce anni extrema geminum Summorum Pontificum funus ingẽti cum Chriſtianç Reip. iactura, & luctu. Nam Gregorins Quartus decimus, non planè Senex, cum eximia quadam vi mentis, ac præclaris ordinationibus regere Catholici Orbis faſces occœpiſſet, excitaſſetque bonorum animos ad ſpem euentuum proſperorum, breui quidem, nempè intra annum defunctus vita, ac Pontificatu eſt. Succeſſit incredibili ampliſſimi Senatus aſſenſu, Romanique Populi fauſta acclamantis gratulatione Innocentius Nonus, quà vitç innocentia, quà literatum commendatione, quà prudentię artibus laudatiſſimus: ſed qui die ſeptima, & vigeſima menſis Octobris renunciatus Antiſtes Sacrorum eſt, die Decembris trigeſima expirante cum anno expirauit: fuitq; documento, in ipſo ſummæ fortunæ ſinu fata interdum deliteſcere; ac contingere non rarò Principibus munus ſimul, & funus. Exiguo verò eo tempore, quo Innocentius vixit, proſequutus eximia quadam voluntate eſt noſtrum Hieronymum Ferrum, quem ſummo loco apud Gregorium Quartum decimum fuiſſe, dixi. Enimuerò vt erat ipſe inculpatis moribus, ita & viros bonos, atque

Effertur Gregorius XIV,

Sufficitur Innocentius IX,

Qui breui moritur.

Eius de Hieronymo Ferro iudicium.

inregetrimos adamabat. Nouerat in primis ſolidam Ferri mentem, ac ſupra aulicam indolem fidem, nulla vnquam ſpe præmij, aut gratiæ illecebra corruptam. Quocirca cum eiuſmodi integritatis, ac prudentiæ virum non exiguo ſibi in ea mole rerum auxilio futurum, exiſtimaret, retinere penes ſe ſtatuit: ſtatimq. ab inito Pontificatu Gabrielem Cardinalem Palæottum ad Quirinalem domum miſit, vbi Hieronymus degebat, qui ſuo illi nomine ſignificaret, vti ſe eius opera in poſterum velle, quemadmodum Gregorius Præceſſor fecerat: proindèque attributo familiarium Antiſtitum diurno, inter ſuos adoptaſſe; ac prætetea Vmbriatici, quę Vrbs eſt in Regno Neapolitano, Inſulam vltrò deferre. Ille, habitis prolixè gratijs, vt obſequium, ac curas ſuas

Inſulas, non labores recuſat Ferrus.

ſumma cum animi modeſtia, atque alacritate eſt pollicitus, ita dignitatem reſpuit: profeſſus, non ijs ſe inſtructum viribus, quæ ſuſtinendo oneri pares eſſent. Adijtque mox Pontificem, ac libatis oſculo pedibus, ſe, vigiliaſque ſuas coram exhibuit, à quo perquàm benignè acceptus, pręclarum eius beneuolentiæ, atque exiſtimationis teſtimonium tulit. Diuelli à Quirinali cœnobio non eſt paſſus: vbi quę à Pontificia domo, ac liberalitate quotidiè mittebantur demenſa, ijs, qui ægrotarent, noſtratibus diſtribui, curabat; contentus ipſe communi victu. Nec demerere ſolertia ſua rem Ro-

Elato Innocétio,

manam diù potuit: elato nimirùm Innocentio, antequàm temperandæ Eccleſię curas, animumque appuliſſet, ac ſatiato vix Aulæ conſpectu. Is porrò cum ſolutum ſe publicis negotijs ſecundò vidit, nil habuit prius, quàm ab ijs ſe ſe curatum Euripis, ac ſcopulis omninò ſubducere: impetratoque Patris Generalis nutu, Mediolanũ

Mediolanum conceſsit.

conceſsit; vbi mortalium iam pertęſo ſecurior, ac longè perennior quies contigit. Etenim poſtpaulò, hoc eſt, menſe Martio conſequentis anni ſecundi ſupra nonageſimũ,

An. Dom. 1592.

concepto lethali morbo, quem incredibili quadam animi firmitudine tolerauit, compoſitus ad omnem pietatem, ad cœleſtem ſtationem traiecit: dignus planè, cuius virtus perſtaret hic diutiùs communi exemplo, ac bono: vt quem & religioſæ diſciplinę partes, & animorum zelus, & ornamenta ſtudiorum, & par publicis curis ſoler-

Vbi religioſè moritur.

tia, & capax magnorum mens apprimè commendabant. Neque verò in poſtremis laudibus numerandum, inter Diui Caroli Borromæi conuentus, hoc eſt, in excellentium, atque in omni laudum genere præſtantiſsimorum Capitum Senatu locum habuiſſe non infimum Hieronymum Ferrum, quem, etſi non minimùm Borromæi diſciplina expoliuit: compertum tamen eſt, plurimum ſubſidij ipſis Borromæi curis eius attuliſſe doctrinam, atque Integritatem. Quæ poſtea virtutum præſidia meliore veluti in lumine collocata, cum Romanorum etiam iudicia, ac Pontifices ipſi probaſſent, conficitur, non mediocrem huius anni initio tuliſſe iacturam noſtrum Ordinem à tanti viri obitu, ac deſiderio.

Iam verò cùm ſuperiorem annum funeſtiſsimo iuſtitio, fatoque ſuo clauſiſſet Innocentius Nonus, exhilarauit conſequentis initia Clemens Pontifex Octauus, antea Hippolytus Aldobrandinus, qui per omnium officiorum gradus ad Summum Roma-

Dictus Pontifex Clemens Octauus.

mani Principatus faſtigium aditum ſibi aperuit: adeptuſque illum eſt communi Auguſtorum fauore Patrum extremo Februario: planè inter maximos Pontifices magnus, tùm inſigni literatura, qua viſus Silueſtro Patri non inferior, tùm maximè Pontificijs artibus, ac tractandorum populorum peritia. Repetenda hic Pauli Quarti, Cõ-

Prænunciata eius Inſula à Paulo Quarto.

ditoris noſtri, de tanti Pontificis Inſula enunciatio. Siquidem cum à Silueſtro Aldobrandino ad Paulum Pontificem, apud quem is gratia, atque exiſtimatione valebat plurimùm, officij gratia ductus eſſet Hippolytus, adhuc adoleſcens, Pontifex non perfunctoriè quidem, ſed fauſtis quibusdam auſpicijs, Ephebulum commendauit: ac ſiue à præclara eius ſpecie grandia diuinaret, quippè qui ſpectare à vultu, acerrimo planè iudicio, virtutem ac indolem ſolitus erat; ſiue ſuperiore quodam lumine afflatus: Cura, inquit Patri, vt ſtrenuam filius hic tuus literis operam nauet: futurum quippè eſt, vt aliquando Pontificatum, ac Sedem hanc impleat. Vaticinio reſpondit modò euentus publica Orbis gratulatione: remunerauitque Pontifex Clemens fauſtam hanc Pauli Quarti ſignificationem eximia in eius familiam voluntate, ac beneuolentia. Enimuerò, vt in tempore ſignificabimus, viſus beneficentiſſimus Pontifex in ornando Theatino Ordine prolixior, ac peculiari in illum ſtudio ferri.

Sub hoc ſtatim Pontificatus initium Inſulam ex noſtris induit Ioannes Vitellius

Nea-

Digitized by Google

Neapolitanus, Cœſaris Vitellij, à regijs Neapoli Conſilijs Sanctæ Claræ, vt vocant, filius. Profundè conſenuerat Ioannes Nicolaus Vitellius, Ioannis Patruus, Calenenſis Epiſcopus, fractuſque annis, & qui annos conſequuntur, ac vexant, morbis, Cathedrã illam, animaſque ſibi commendatas procurare ſtrenuè pro officij munere minimè poſſe ſibi videbatur: dedit proindè operam, vt onus Nepoti incumberet, Coadiutoris, vt aiunt, nomine, quem maturum œuo, ac iudicio, tùm doctrinarum adiumentis inſtructum, parem Eccleſiæ exiſtimabat. Annuerat vix Gregorius XIV, cùm defungi vita contigit: ac deſignationem quidem ratã habuit, qui ſucceſſit Innocentius: verùm dum lecti Antiſtitis vita, ac eruditio de morè, ac ritè exploratur, moritur & Innocentius. Itaque auſpicante Pontificatum Clemente Octauo, renunciatur Vitellius Epiſcopus Tyberiadis, & Calenenſis Inſulę Coadiutor cum futura eius ſucceſſione; quam octo poſt menſibus, elato nimirùm Patruo, inijt. Et qui ſtudioſè adiutrices iam operas locare conſanguineo Epiſcopo in eius Eccleſiæ adminiſtratione occœperat, ſuis deindè auſpicijs regere illam inſtituit, Epiſcopus ipſe Caleni: nec planè deſideratus in eo munere Viri zelus, ſolicitudo, induſtria: & cum animarum inſtitutione quidam etiam viſus adnaſci à Theatino homine exquiſitus Eccleſiæ cultus, ac ſacrorum nitor.

Ioannes Vitellius renunciatur Epiſcopus.

Eccleſiamque cum laude adminiſtrauit.

Poſt paulò vocatus planè tanquam Aaron ad eiuſmodi labores, ac vigilias Ioannes Baptiſta Milanus, noſtræ familię Præpoſitus Generalis. Adminiſtrabat is creditam ſibi præfecturam inſigni cum laude prudentiæ, aſſenſuque Ordinis, cùm Hieronymus Ragazzonus, Epiſcopus Bergomenſis fato conceſſit. Præcipua ea ſedes eſt in Veneta Ditione & Vrbis, & cenſus amplitudine; viſuſque Veneto Senatui dignus, qui eam regeret inter primos Milanus: vt quem & munus, quo fungebatur, & cętera laudum ornamenta ſpectabilem cum paucis, paremque muneri redderent. Et Clemens quidem Pontifex, qui in eo potiſſimùm totus erat, vt præſtantiſſimi, atque integerrimi quique Eccleſijs contingerent, qui eas procurarent, quem nouerat præclara quadam mentis ſolertia, atque eruditione pręſtare, lectum Venetorum ſuffragijs, eximia ipſe voluntate præ alijs comprobauit, publicauitque ingenti quidem cum Bergomatum lætitia, ſed non mediocri cum noſtri Ordinis mœrore, ac ipſiuſmet Antiſtitis, qui à populorum numero, atque à difficillima Eccleſiarum, animorumque rectione non tantùm commutari ſibi, verùm etiam augeri curas intelligebat. Et verò incredibili quodam animi vigore ſubducere ſe ſe muneri ſtuduit, recuſauitq. ſtrenuè: ſed accedente ſupremo Pontificis, atque obedientiæ iure, ſubmittenda ceruix oneri fuit. Inijt ſumma cum religioſę mentis demiſſione Epiſcopatum, eademque modeſtia temperauit, vt citra ſolicitudinem, ardoremque communis Ciuium ſalutis, vir priuatus videri poſſet. Non domi, non in menſa, cultuque ſplendidus: in opum affluentia ſibi pauper, pauperibus diues: in promouenda Cleri diſciplina perquàm nauus: animorum ſtudio flagrantiſſimus: in diuinorum procuratione oppidò accuratus: ſuę præſertim vitę ſanctimonia grande ſubditis incitamentum, quos adeò dilexit, vt ex quo Inſulam capeſſiuit, ad ſupremum vſque diem, annos videlicet quinque, & viginti, vel eò ampliùs, pedem extra ſuam Diœceſim nunquam extulerit, aſsiduus, ac planè amãtiſsimus Paſtor. Sed præclaram innocentiſsimi Antiſtitis virtutem aliàs aliquantò fuſiùs percurret calamus.

Ioannes Baptiſta Milanus Epiſcopus Bergomenſis.

Inijt ſumma moderatione, Epiſcopatum.

Nunc vacantem ſuo capite Congregationem repetam. Propè aberant generalia Comitia, cum renunciatus Epiſcopus fuit Milanus: quæ tamen feſtinata, ne longiore interlunio aliquid detrimenti Reſp. pateretur. Iam, quod rebus nouandis opportuni ſunt tranſitus rerum, qui, mutata adminiſtratione, inuectum in ſodalitatem vnius Magiſtratum Monarchiæ ritu minùs probauerant, erecti ſpe ſunt priſci regiminis. Magni quippè momenti, vti ſignificatum alibi eſt, apud eos erat, ita inſtitutum olim à Conditoribus Ordinem; ac perſuaſum habebant, id eſſe pręfecturæ genus quàm potiſsimum, communique rei peropportunum, quod ſapientiſsimi, ac ſanctiſsimi Viri illi preſcripſiſſent. Ergò delata ad Clementem Pontificem plurimorum vota: partis videlicet non exiguæ, nec minoris quidem ſubſellij. Commune bonum, æquiorem procurationis formam, vetuſtatis quandam reuerentiam præferebant. Ille, vt ea ſuper re maturiùs conſuleret, decerneretq. communiore, ac ſaniore cum ſenſu Patrum, Hie-

Agitur de nouo Generali eligendo.

Erigitur nonnullorum animus ad Ariſtocratiam.

Compellatur Clemens Pont.

Hieronymum Berneriū Cardinalem Aſculanum, Virum è Dominicana familia ornatiſſimum ad Quirinalem domum, vbi Comitia habebantur, miſit, vt eorum, qui interfuturi illis erant, ſententiam ſeorſim exploraret, referretque. Exequutus is perdiligenter imperata. Pontificem, quo loco res eſſet, condocefecit, à cuius iterum imperio comitia repetijt, coactiſque vnà Patribus, hæc eius nomine expoſuit. Inaudiuiſſe videlicet ſummum Patrem, expendiſſeque cuiuſq. ſententiam, ac ſtudia; ac ſummoperè gratulatum, nihil non à diſciplinæ zelo, ac Sodalitatis amore profectum. Decreuiſſe verò, vt continuata ea forma regiminis, Pater Generalis temperare Ordinem pergeret. Id quippè eſſe optimum, quod eſt tempori conſentaneum; ac tùm quidem vnius rectionem videri longè opportuniorem: præſertim cum id pleraque Capituli pars probaret. Ad hæc, facultatem facere, vt quæ ſuperiore Capitulo data Patri Generali auctoritas fuerat, moderari pro libito Patres poſſent. Tempus præterea eius Præfecturæ ſecum agitaſſe, ac ſtatuiſſe, vt non quidem perpetua, ſed octuenni deinceps ſpatio concluderetur. Qua tamen de re, antequàm Pontificię literæ obſignarentur, audire ſingulorum vota velle. Et quidem, quod ad præſcriptum hoc regiminis tempus attinet, haud ſatis profectò compertum, quiſnam ſit in Sacris Ordinibus potior, ac congruentior Magiſtratus: perpetuus, an temporarius? In profanis etiam officijs, ac præfecturis nihil inter politicos hac controuerſia frequentiùs. Qui perpetui moderatoris cauſam tuentur, nihil, aiunt, rei communi infeſtius, quàm mutare identidē habenas. Tot videlicet induere equos vitia; quot inſeſſores mutant. Ad hæc, cùm adhibita curandis malis remedia tempus iuuet, certè aut manus nunquam morbo admouerit, qui precariò regit, aut minimè perſanando ſufficiet breuis curatio. Quod etiam in cauſa eſt, ne temporarius rector aut magna concipiat, aut cœptis ſtrenuò inſiſtat: quando facturum ſe aliquod operæpretium à temporis anguſtia deſperet. Quid, ſi longo tandem vſu, ac perenni ſuorum tractatione ſingulorum indolem, mores, virtutes probè noſcat Princeps, ac proindè ordinare pulcherrimè ab exacta ea notitia Rempublicam poſſit? Iuuat item non parum ad ſubditorum obſequium ſui capitis veneratio, quæ ſanè non proindè magna in illum, quem cohoneſtat breuis Infula. Atenimuerò, cum vna, aut altera excepta, Religioſæ familię pleræque omnes ſupremum magiſtratum identidem mutent, haud leue quidem argumentum eſt, iſtiuſmodi religioſo corpori perpetuum caput minùs cōgruere. Planè, in Regularium cœtibus, vbi perpetua eſt ſchola virtutum, atque eruditionis, quędam ſemper eſt excellentium hominum copia, ac veluti autumnitas: cur igitur vnus perpetuò præſit, vbi multos procurando muneri egregia virtus idoneos facit? Dant præterea animos vices, erigitque, atque amplificat maximè virtutem diſtributus, collatuſque in orbē honor. Adde, quòd ſegnior plerumque fit diuturnitate magiſtratus. Adrepit nanq. vt faſtidium, ita quædam etiam cum faſtidio deſidia: à quo malo immunis eſt circūſcripta à tempore ac ſuccedanea hæc præfectura: vegeta nimirū ſemper virtute, viribuſq. recentibus. Sed neque verendum, ne quæ ſenſim adnaſcitur dominationi mētis elatio, ac ſupercilium, eiuſmodi rectorem afflet: cum ſatis modeſtię moneat temporaria ea dignitas, & quòd redigi tandē in ordinem magiſtratus debeat. Poſtremò fauet priſci æui, magnorumque Principatuum experientia, ac vſus. Enimuerò Romani, abrogata perpetua Regum Inſula, Conſules annuos dixere: & quæ ſumma erat apud ipſos poteſtas, nempè Dictator, breui definitam munere, ac ſpatio voluere. Hoc ipſum apud Athenienſes inſtitutum: redacta ad tempus ſuorum Principū, quos Archontes appellabant, dignitate. Placuitque hoc idem, vt ait [a] Alicarnaſſeus, Albanis Populis, renunciato poſt Numitoris, & Amulij Regum fata annuo magiſtratu. Hæc, aliaque apud noſtrates valuere: &, vt quod ſcitum à Clemente Pōtifice de vnius regimine fuerat, haud grauatè pro debita Romanæ Sedi obſeruantia probarunt, ita concluſam certo tempore Ordinis adminiſtrationem, veluti & cuique vniuerſim ſocietati, & ſuæ præſertim familię opportuniorem communi comprobatione, gratanterque excepere. Ergò inita ſtatim de Præpoſito Generali eligendo conſultatio; cumque non vnius planè virtus ex eo cenſu Patrum ſeſe obijceret, capeſſendæ prouinciæ idonea, incubuere in Eliſæum Nardinum vota: Virum ſanè magiſtratui non modò parem, verùm etiam longè maiorem, vt vſus poſtea commonſtrauit.

Qui ſtatuit, vt continuaretur vnius regimē.

Reducta ad octuenne ſpatium præfectura.

Quidam perpetuum magiſtratum probant.

Sed potior eorum ſententia, qui temporarium ſtatuunt.

[a] Lib. 5. Antiquit. Roman.

Eliſæus Nardinus eligitur Præpoſitus Generalis.

uit. Valuit nanque inſigni mentis ſolertia, ac cenſura morum acertima, non ſine religioſę charitatis temperamento: & quod de eo firmiùs in memoria poſterorum viget, ea eſt, ęqui ac recti conſtans quædam voluntas: vt nullus planè ab honeſti linea aut fauor illum deflexerit, aut potentiorum auctoritas, ac metus. E domo Ludouici Cardinalis Madrucij, apud quem honeſtiſsimo olim inter familiares Auditoris, vt vocant, officio fungebatur, vtroque iure conſultiſſimus, ac maturus æui, Religioni nomen dederat, ante annos quatuordecim, vnà cum Matthæo Bencio, vti in loco ſignificatum eſt. A rerum humanarum vſu, ac ſtudio præclaram indolem tranſtulit ad religioſum inſtitutum: attemperauitque egregiè regulari diſciplinæ prudentiam ſeculi: vt ſanè multum debeat Nardino noſtra Sodalitas, cuius tueri leges, earumque amplificare obſeruantiam maximoperè ſtuduit; ſolitus præſtare ipſe ſingulari exemplo, quod ab alijs exigebat: nec vnquam viſa viuida eius virtus communibus Religionis curis ita occupari, quin priuatis functionibus, ac domeſticæ vna cum alijs diſciplinæ ad vnguem reſponderet. Sed de hac præclari capitis virtute recurret aliàs mentio.

Regularis diſciplinæ in eo ſtudium.

Iam decreta in hoc Capitulo ad optimum Congregationis regimen nonnulla fuere, quæ non hic morari ſcriptionem velim. Illud perſtringendum, quod eſt in noſtro Ordine peculiare. Definitum nempè tempus, ante quod nullus adoptari inter Vocales poſſet. Rem quidem momenti non exigui hanc legendorum Vocalium rationē, reſtrictionemque priſci Patres reputarunt: vti aliàs monuiſſe, memini. Nam Senatum quendam Vocales hi conſtant; ſuntque veluti Conſcripti Patres, quorum conſilijs, & priuatæ domorum opportunitates, & publica Religionis commoda temperantur: & quod caput eſt, deliguntur ab eo cœtu, qui cæteris præſint, legeſque, ac diſciplinam procurent. Quocirca optimum factu exiſtimarunt, quàm accuratiſſimè, ac ſuſpenſis admodùm veſtigijs hunc delectum haberi, ne laborare poſtmodùm rem comunem ab ineptorum capitum conſilijs contingeret. Et verò cum hac de re ſuperiore Capitulo agitatum ſeriò fuerit, ac demandata per acris quædam morum diſquiſitio Viſitatoribus: vt ſcilicet cùm domos obirent, de ſingulis, qui cooptandi in noſtrum Senatum eſſent, coram, ac diſtrictè cognoſcerent, nihil de mora, ac tempore, quo ad eiuſmodi ius ſuffragij promouerentur, in eo actum. Quin imo metiendum à prudentiæ, ac virtutis maturitate tempus decreuere; ita vt ceu legitimam ætatem mores faciant; modò grauitas, pietas, legumque obſeruantia eminerent, nulla habeṙetur œui ratio. Verùm præſentibus Comitijs, reuocata ad examen diligentiùs re, cautum, vt non ante inter Vocales quis adlegeretur, quàm duodecim omninò defluxerint ab emiſſa ſolenni profeſſione anni. Congruum profectò maturandæ prudentiæ ſpatium, ac ſapienter factum, vt accederet ſubindè à tempore conſilijs ſuum pondus. Enimuerò pręſtanti licet iudicio quis valeat, curis grauioribus ex ſe par; ſi deſit maturior ætas, quæ firmitudinem mentis, inductamque morum grauitatem probet, derogabit non minimùm prudentię ea iuuentutis opinio, ac ſpecies. Et quidem, ſi præſit acerba ea indoles, neſcio, quonam pacto carere auctoritate ſua dignitas videtur. Indecorum quippè iuuenes imperare; vti factitari in alijs religioſorum familijs non ſine regularis diſciplinæ diſpendio cernimus: noſtroque proindè Inſtituto maturè cautum, gratulamur. Quòd ſi profanis vti exemplis libeat, Romanis, mortalium ſapientiſſimis, id ipſum accidiſſe, quod noſtratibus, videtur. Primò quidem, Tacito teſte, nullum apud ipſos petendis magiſtratibus pręſcriptum tempus erat: labentibus deindè annis, cum animaduertiſſent, magnum ab œuo momentum in conſilijs moderandis, agendiſque rebus exiſtere, latis legibus, ſuam cuique muneri ætatem ſanciuere, vt fusè apud Romanorum Comitiorum ſcriptorem [a] videre eſt: tradiditque [c] Polybius, ſenatus itidem conſulto ſcitum apud eoſdem ipſos Romanos fuiſſe, vt nulli Vrbanam aliquam præfecturam gerere licuiſſet, qui non decennium militaſſet. Id ipſum de pleriſq. etiam gentium inſtitutis, ac ſocietatibus percenſere ſuperſedeo. Porrò non hoc à noſtris ita ſeuerè conſtitutum, quin etiam decreuerint, vt ſi quem eximia quædam virtus, ac morum, doctrinarūq. præſidia commendaſſent, poſſet is extra ordinem vocalis renunciari, ante duodecim quidem annos, ſed non ante ſexennium ab nuncupatis publicè votis, modò & duæ Conſcriptorum Patrum partes ſuffra-

De vocalium electione Capituli conſultum.

Olim in iis deligendis nulla temporis ratio.

Quod modò præſcriptum.

Quam rationi congruenter.

a *Grueh. lib. 1. c. 1.*

c *lib. 6.*

Habenda tamen perſonę & virtutis ratio.

ſuffragarentur: habuitque ſuam reſtrictionem ipſa legis ſolutio, in re nempè graui. Poſt hęc, aliaque in rem communem, lecti domorum Rectores non perfunctorio planè examine: vt potè quorum fidei, cenſuræque diſciplina morum, legumque obſeruantia permittatur. Ac Pater Generalis, qui ſuas vices gereret in Diui Silueſtri cœnobio, quæ ipſius Sedes eſt, renunciauit: appellatuſque is tùm primùm Vicepræpoſiti nomine, de quo actum in eo Capitulo fuerat, decretumque, vt eius non vltra auctoritas, ac facultas extenderetur, quàm Pater ipſe Generalis præſcripſiſſet, à cuius arbitrio, nutuq. penderet. Atq. his peractis, dimiſſi Patres.

S. Silueſtri Vicepræpoſitus.

Delata ad hæc Comitia quædam fuit de Barolitano Cœnobio controuerſia, quæ quòd non explicari breui poſſet, & quadam vt mora, ita & dexteritate indigeret, permiſſum Patris Generalis auctoritati, & prudentię, vt pro Ordinis dignitate dirimeret. Quam ego quæſtionem paucis expediam, ne diſſimulaſſe omninò videar. Barolum Vrbs eſt in Apulia, quam Peucetiam vocant; ad ſuperi maris oram, ornatiſſima ea quidem, & ſplendore Ciuium, & opum affluentia. Vila hæc in primis noſtræ Sodalitatis ſtudioſa: & quæ frugiferam planè operam in plerìſque Italiæ Ciuitatibus, Neapoli præſertim, à noſtratibus poni, probè nouerat, fore ſuorum Ciuium pietati opportuniſſimum, putauit, ſi eò illi concederent, figerentque ſuæ diſciplinæ ſedem. Perlatæ ſuperiore anno ad Ioannem Baptiſtam Milanum, Præpoſitum Generalem preces fuere: ac re cum Conſultoribus communicata, ac ſignificata de more reliquis per Ordinem domibus, viſi Patres non abnuiſſe; eò vel maximè, quòd quæ Licij domus erat, quàm longiſſimè Neapoli diſtaret, fuiſſetque Barolitanum illud domicilium medio in itinere veluti ceſſatio quædam, ac quies: vt recepto inibi ſpiritu, continuari laborioſum, ac prolixum iter poſſet. Simul Patrum propenſionis moniti Barolitani Ciues fuere, ſimul iuſſi Vincentius Tuſus, & Auguſtinus Paparus, qui Viſitationis tunc munere fungebantur, vt cùm Licium pergerent, quem illi locum, ſitumq. fundandæ diſciplinæ deſtinaſſent, inter eundum inſpicerent, accuratèque de communi Vrbis aſſentione, ſtudioque cognoſcerent. Excepti ſingulari quodam animi ſenſu, ac gratulatione Viſitatores fuere, eòque ſtatim ducti, vbi excipiendam familiam decreuerant. Locus erat in prænobili Ciuitatis vicinia, proſpectu maris amœniſſimus: ſitus præterea laxando cœnobio, temploque percommodus; & quæ in eo erant Michaelis Gentilis, Viri patricij, ditiſſimique ædes peramplæ, ſignatis confeſtim tabulis, eximia in Ordinem voluntate, ac beneuolentia donatæ ab eo fuere. Nec multis: probant & popularium beneuolentiam, & loci ſitum Viſitatores. Nimia in re conficienda felicitas haud longè abeſſe ſcopulum ſignificauit. Enimuerò quòd ab ijs Ciuibus compellatos ſe pridem, eundemq. ſibi locum deſtinatum, Societatis Ieſu Patres affirmarent, interturbata poſſeſſione, intentare Barolitanis, ac noſtris litem placuit. Et Ciuitas quidem vocaſſe ſe ante annos aliquot Ieſuitarum Ordinem, ſitumque vltrò obtuliſſe, ac cenſum, fatebatur. Verùm quia minùs inter ipſos conuenerat, obſtrictos ſe fide, pernegabant: proindéque liberum fuiſſe in aliam Religioſorum hominum diſciplinam incumbere. Igitur delata Neapolim controuerſia, ac cœpta agitari. Quod fauerēt noſtræ Sodalitati acrioribus ſtudijs Ciues, Pater Generalis, ne deſeruiſſe æquiorem cauſam videretur, experiri velitationes voluit; donec celebratis mox Comitijs, ac renunciato Præpoſito Generali Eliſæo Nardino, commendatum eius prudentiæ, auctoritatique negotium fuit. Qui quamuis Clementis Pontificis, quem compellauerat, atque ampliſſimorum Patrum ſtudia, æquitatemque pro ſe ſtare cerneret: tamē quòd inter religioſos viros genus quoddam victoriæ præclariſſimum eſt, ceſſiſſe: & quòd optaret maximè, vt inter Ieſuitas, noſtrumque Ordinem omnis diſſidij cauſa funditùs præcideretur, necteretque mutua illos charitas, componere peramicè rem voluit, ceſſitque vltrò Societatis Patribus locum: quod illi apud Auguſtos Patres, ac Pontificem ipſum laudem peperit non exiguam. Peracta res eſt publicis tabulis, quæ penes nos ſunt, in quibus diſertè, conceptiſque verbis aſſertum voluit Nardinus, ſe ſua ſponte, nulloque adactum fori iudicio, pro facultate à Capitulo generali ſibi facta, donaſſe, & Ieſuitas ab vltronea ipſius beneuolentia, voluntateque accepiſſe. Scilicet, non id temporis fundandum illud erat cœnobium, quod longè poſtea, alio nimirum ſeculo ſuccedente, excitatum.

Baroli de domicilio controuerſia.

Viſa ea ſedes opportuna.

Oboritur à Ieſuitis lis.

Agitatur Neapoli.

Componitur noſtri P. Generalis beneuolentia.

Al-

Alteram hoc anno dari noſtro Inſtituto ſedem, fundarique contigit: & quidem ſucceſſu proſperiore, atque ornatiſſima in Italiæ Vrbe, quę, quòd genio ſoli, ciuium nobilitate, opibus, ingenijs, pietate cum paucis floreat, Florentiæ nomen inuenit. Auctor conſilij, ac colonię Alexander Cardinalis Medices, Archiepiſcopus Florentinus, quem poſtea procurata Romæ ampliſſima munera, ac celebri legatione pacata foris Regna: tū animi magnitudo, integritas, religio, ac ſummarum virtutum exiſtimatio ad Orbis Chriſtiani faſces euexere: magna quidem ea fortuna dignum, ſed diuturniore.

Agitatur domus Florentina.

Is, quòd excolendam vineam ſuſceperat, quæ plurimorum vigilijs, ac ſtudijs indigebat, augere operas, ac noſtratum præcipuè vti curis cogitauit. Rem cum Ferdinando, magno Etruriæ Duce, multarum planè partium Principe communicauit, quē certè fructuoſa noſtri Inſtituti induſtria non latebat, Romæque cum in purpura eſſet, viderat, qua pietatis fama, ac laborum, officiorumque varietate cùm proximorum moribus expoliendis, tùm Dei cultui amplificando inſudarent.

Auctore Cardinali Mediceo.

Eapropter commendare, ac vrgere Cardinalis conſilium, ſuæque Ciuitatis pietatis incrementum, ac ſplendorem, adauctis religioſorum hominum familijs, gratulari. Cœpta hæc agitari anno huius ſeculi octuogeſimo nono, quo maximè tempore Inſtarent Romana Comitia, quæ quòd negotio peragendo opportuna intelligeret Cardinalis, literas ad Patres dedit.

Magni cum Ducis approbatione.

Quid ipſe impenſiùs optaret, commendaris ſuæ fidei ouibus vtiliſſimum: quid etiam Ferdinando Principi foret gratiſsimum, diſertè expoſuit, Sperare ſe, fore, vt floreret Theatinum inſtitutum Florentiæ, & ab Inſtituto ciuium mores. Locum excipiendæ familiæ deſtinaſſe ad Arni ripam, Diuo Apoſtolo Iacobo nuncupatum. Pro modo, ac tempore ea ſedes: non defuturam poſtea dilatando cœnobio aream, ac piorum opem: ac ſe quidem coloniæ promouendæ ſuam polliceri prolixiùs volūtatem, ac munificentiam.

Poſtulata ad Capitulum Generale deferuntur.

Complecti communi ſtudio florentiſsima in Vrbe contubernium, poſtulante præſertim beneuolentiſsimo Cardinali, decreuere Patres. Inſpiciendam verò D. Iacobi ædem, illumque ad Arnum ſitum cum ducerent, data Patri Generali facultas: vt re ſubindè excuſſa, decerneret ipſe maturiùs.

Annuunt Patres.

Viſa neſcio quæ longior mora negotium diſtuliſſe. Triennium nanque deliberatio ea tenuit, atque interea temporis cum Marcellus Toloſa, quem ſępiùs nominaui, petente Archiepiſcopo Cardinali, magni ieiunij conciones in maiore templo ad frequentiſsimum populum habuiſſet, nimiùm quantùm ab flagrantiore, ſolidaq. viri dictione excitata noſtri Inſtituti cùm opinio, cùm deſideria fuere.

Marcellus Toloſa Florētiæ declamat.

Quapropter cùm huius anni comitia aduentaſſent, Cardinalis, qui Romæ tunc aderat, vſque adeò auctoritate, ac precibus valuit, vt ſtatim à Generali Capitulo amandatus Florentiam fuerit Paulus Toloſa, celebri vir nomine, Marcello fratri cętera quidem non impar, eloquentiæ verò fama etiam maior. Vbi is eò appulit, Ferdinandum conuenit, qui humaniſsimè excepit, ac teſtatus ſeriò eſt, hoc ſe maximè habuiſſe in votis, vt Theatinum Florentiæ collegium quàm citò figeretur.

Paulus Toloſa Florentiam, & magnum Ducem adit.

Scire ſe Inſtitutum, mores, ſtudia, & qui inde paſſim exiſterent animorum prouentus. Cumq. de loco, ac ſitu, quem Cardinalis decreuerat, mentio incidiſſet, Diui Iacobi ędem, vtpotè infrequenti in vicinia, improbauit. Tùm in aliam longè opportuniſsimam collimaſſe ſe, inquit, eamq. eſſe Archangeli Michaelis nomini ſacram, parœciam eam quidem, ac tertium ex octonis, qui in ea Ciuitate ſunt, Prioratibus, nobili ſitu, ac via, quæ nunc ab Antinoris nuncupatur, non longè à Prętorio, ac propè Templum maximum. Quòd etſi Congregationis Monachorum à Monte Olineto vſui eſſet: eorum nempè domicilium, ſiue hoſpitium, perſuaſum nihilominùs habere, haud difficile fore, vt attributo ijs Patribus alibi contubernio, loco cederent: quando illorum hoſpitio haud magni referret ſitus ratio.

A quo ſitus proponitur peropportunus.

Porrò præter honeſtandæ noſtræ diſciplinæ ſtudium, ea præterea erat Ferdinando mens, vt nobiliſsimam Ciuitatis viciniam expiaret, nobilitaretque eò ampliùs. Enimuerò quædam adiacebant meritricularum cellę, aliæque nihilò ſanctiores officinę, quę probro quidem loco, ac dehoneſtamento erant: & quòd probè ſciret, fore iſthæc à noſtratum mundicie protinùs abolenda, & inculcabat vel maximè Diui Michaelis ædem, & ſuā etiā operā cùm Oliuetanis Patribus pollicebatur. Reſponditque ſtatim promiſsis præſenti ope. Nam tranſigere commutationem obnixè cœpit: cumque obluctati difficultates non paucas cerneret, Clementem Pontificem, & cuius

Suamq. in eo negotio operam ſpondet.

ſub clientela, ac patrocinio Oliuetani tunc erant, Cardinalem Sfondratum compellauit: impetrauitque, vt quando non id illorum diſciplinæ, ac commodo fraudi eſſet, atque alterum Florentiæ domicilium offerretur, D. Michaelis Cœnobium Clericorum Regulatium Inſtituto ad elegantiorem Dei cultum, ad populorum eruditionē,

Commutationem cum Oliuetanis impetrat.

ac Vrbis etiam ornatum cederet. Id quòd peramicè quidem poſt paulò cum ipſis Oliuetanis peractum, attributa ijs D. Apollinaris æde, quibuſdam nempè conditionibus, inter quas ea fuit, vt octuaginta aureorum cenſus annuus, qui ad D. Michaelis Sacerdotium pertinebat, ipſis accederet. Verùm, quòd parœcias adminiſtrare nostrates abſtinent, ita noſtro Inſtituto attributa ea Eccleſia fuit, vt procurandis ijs ſacrorum miniſterijs penès Præpoſitum poteſtas eſſet ſubrogandi ſecularem Sacerdotē. Interea monitus Eliſęus Nardinus, Prępoſitus Generalis rei benè geſtæ, ac gratulatus pręclarum Ordini addiramentum, familiam, quæ inibi interdiù, noctùque canendo Numini adeſſet, atque animorum tractationi de more inſiſteret, deſcripſit, renun-

Familiam cœnobio deſcribit Pater Generalis.

ciato domus Præpoſito, Paulo Toloſa, quem ſciebat Ferdinando, ac Ciuitati pergratum. Deſignati Cœnobio Patres die quarta, & vigeſima Septembris menſis eius anni Florentiam peruénere, excepti in ædibus Pontificijs, vbi degebat Toloſa; ac poſtera luce vna ſimul in D. Michaelis domum immigrarunt. Concinnare conſeſtim

Initur D. Michaelis domus.

pro modo, ac more inſigni quadam mundicie Eccleſiam occœpere, appetente videlicet Diui Archangeli die feſto, in cuius peruigilio cœpta celebrari. Adfuit veſpertinis horis adaugendæ populorum beneuolentiæ, ac gratulationi Chriſtiana Lotharingia, Ferdinandi coniux, pijſſima cùm paucis Princeps, quæ inter alia beneficentiæ

Celebritati fauet Chriſtiana Lotharingia.

argumenta magnificentiſſimam ex auro veſtem Patribus dono miſerat, eamque pio ſtatim vſui accomodatam, præclarum in aræ principis ornamentū euaſiſſe, gratulata ex animo eſt. Mane ſolenni ſacro interfuit Ferdinandus inſigni cùm corona procerum, accurſuq. multitudinis: nec maiore quidem cùm fauſtitate inchoare noſtratum ſtudia poterant, quam ijs magnorum Principum auſpicijs, quorum ſemel inci-

Et Ferdinandus.

tata humanitas, nunquam viſa poſtmodùm ab eo curſu deſiſtere. Et Ferdinandus quidem, præter quàm quod ſeuerè cauit, vt probra illa mulierum, expiata vicinia, aliò faceſſerent: quòd publicam quandam viam, viæque additam aream vſui fore

Qui ampliādo ædificio ſitū donat.

noſtræ ſubſtructioni cerneret, vtramque vltrò donauit. Quòd ſanè beneficium eò magnificentiùs, quòd inſolens Florentiæ eſt, vbi de publico ſitu agitur, aliquid ex eo vel latum vnguem decerpere, aut impetrare. At Ferdinando curæ in primis erat, vt quod ipſius auſpicijs cœperat Theatinum Aſceterium, iiſdem amplificari contingeret. Nec ſanè apud ipſum, ſua ſponte in rem noſtram communem incitatiſſimum, parui momenti erat priuatum in Toloſam ſtudium, cuius quidem iudicium, ac fa-

Summo apud illum loco Paulus Toloſa.

cundiam quanti faceret, non vno planè argumento oſtendit. Nam & illum in domeſticis ſæpe colloquijs adhibebat, & publicis etiam conuentibus intereſſe iuſſerat; audiebatque in difficillimis rerum conſultationibus Viri diſertiſſimi libenter ſententiā. Nec leue quidem exiſtimationis, amoriſque iudicium fuit, voluiſſe, vt principem ſobolem ſacro è fonte Toloſa ſuſciperet. Noſtra itidem commoda apud humaniſſimum Principem inſigni beneuolentia, ardoreque animi curabat Carolus Antonius

Carolus Antonius Puteus noſtri Ordinis ſtudioſus.

Puteus, Archiepiſcopus Senenſis, qui ſimul & auctoritate, & gratia apud Ferdinandum valebat, & percupidus noſtrę diſciplinæ erat: proindéque, vt promptior in eo gratificandi voluntas pro ſingulari in nos ſtudio, ita efficax opera à poteſtate apud Principem. Et vtebantur libenter eius humanitate Patres, gaudebantque, excreſcere in dies beneuolentiſſimi Antiſtitis in nos promerita.

Porrò cum Ferdinando certabat in cohoneſtando Ordine lectiſſima coniux Chriſtiana, quę, quod pridem conceperat in noſtrates ſtudium, vſu, ac familiaritate mi-

Lotharingiæ in noſtros ſtudium.

rificè adauxit. Delectabatur vel maximè pereleganti ſacrorum miniſterio, ornatuq. templi, tū pſalmodia, ſimplici, ſcilicet grauiq. eo cantu, ac ſine modulatione, flexuque vocum æquabili, nimiùm quantùm ſe capi dicebat: vt propterea bis, ac ter in hebdomada auſcultandis vltimis precibus, dum canerentur, D. Michaelis Eccleſiam adiret. Illud verò dignum magna Principe noſtra in hac æde pietatis monumentum

Defunctorum opus inſtruit.

reliquit, quod perenni quodam præſidio defunctorum manibus iuuat, fuitque poſtea exemplo, vt hoc ipſum alibi vſurparetur, ſpargereturque per reliquam Italiam

opus

opus ingenti cum fidelium mortuorum compendio, atque inclytæ Heroinæ laudem inſtituit. Solenne eſt communi Eccleſiæ, ſecundis quibuſque anni ferijs defunctorum ſupplicijs certis ſupplicationibus, ac ſacrorum ſuffragijs conſulere; laudabili quidem piæ Matris ſolicitudine, vt ipſo ſtatim hebdomadæ initio, quàmcitiſſimè piorum animæ piaculari prece ſubleuatentur: & quæ conſequentes ſubindè hebdomadæ dies viuentium ſubſidio dedicat, priùs mortuorum, quàm mortalium cauſam peroraret. Inductum hunc in Eccleſiã morem ſignata ea die lunę à Gamungenſibus monachis anno Chriſtiani Orbis 1056. refert ex Damiano, & Baronio [a] Gauantus. Hanc ipsã emortualem diem ſua in defunctos cõmiſeratione, ac ope proſequi voluit Lotharingia. Inſtituit nanq. vt in ęde ſalutatæ ab Angelo Virgini ſacra, quæ præcipuo Florentię ſtudio celebratur, poſt veſpertinas horas, expoſita decenti cum luminum ſerto ſalutari Hoſtia, ſecundis totius anni ferijs, reſtinguendis Purgatorij Flammis vacarent prolixæ piorum preces. Egregiam Principis pietatem fidelium accurſus, ac ardor comprobauit: durauitque in Mariano eo templo præclarum opus; quoad eo D. Michaelis templi cultu, ac diligenti, accurataque Patrum in tractandis ſacris induſtria capta Princeps, fore exiſtimauit, vt non mediocri cum communis religionis incremento, fructuq. miſerabilium animorum largiore inter noſtrates hæc eadem ſuffragia petagerẽtur. Ergò trãſlatum in noſtram eccleſiam pium opus; cui quidem loci opportunitas, atque inducta à noſtro Inſtituto, ac more externa quędam, flexa ad mœrorem pompa, viſa profectò aliquid addidiſſe cùm dignitatis, tùm erga defunctos commiſerationis: habitis præſertim pijs concionibus, argumento quidem accommodatis, ac ſpiritu plenis, quę ad inflammandos ad id genus pietatis animos mirificè valebant. Aderat Lotharingia, operis auctor, ac fundatrix, exemploque multitudinis ſtudium, numerumq. adaugebat. Quem poſtea eximiæ pietatis curſum nunquam viſa intercidiſſe, continuauitq. ſingulari conſtantia, quoad vixit. Nec defuncta quidem defungi laudabili eo inſtituto voluit. Nam quę viuens perpetuo ęre, ſumptuq. ſuo ſuffragia illà mortuorum aluit, vt etiam poſt fata perennarent, eadem munificentia, legatoque auro curauit: nempè vt pij ſuimet operis compos eſſet ipſa etiam, quę excitauerat. Quamuis perſuaſum ſibi quiſq. habeat, haud exarſiſſe vindicem flammam in flagrantiſſimam Principem, cuius charitas nihil potius habuit, quàm curare ne arderent alij. At verò, vt fœcunda eſt virtus, pietas pietatem peperit: propagatumque pulcherrima ęmulatione in alijs ſubindè Italiæ vrbibus præſentiſſimum hoc defunctorum præſidium, ac leuamentum: idque in Theatinis præſertim eccleſijs, in quibus peculiari quodam ſtudio vt viuentium momenta, ita & mortuorum negotia hodièque accurantur: feruetq. vehementiùs opus ab admotis à noſtro Capitulo generali ſtimulis. Communi ſiquidem Patrum ſtudio ſancitum, vt ſingulę quæque domus ad defunctorum opem certatim aliquid moliretur. Eam nempè eſſe communem omnium ſententiam, vt proprium quoddam noſtrum inſtitutum eſſet, iuuare mortuos. Quo ſanè incitamento creuit mirum in modum in noſtris templis hæc pietas: ita vt nullibi iam noſtrarum ædium non ardeat in conflagrantes piorum animas obſeruantia: cui etiam amplificandæ, excitati mortuorum, vt vocant, Montes, à quibus longiores cadunt vmbræ, mitigandis Purgatorij ardoribus opportuniſſimæ. Sed de his ſuus erit dicendi locus: quemadmodum narrandis iſtiuſmodi defunctorum ſuffragijs, peregrinari in tempore per noſtra cœnobia continget. Interim ſtrictim delibanda, quoad enarrandi fuſiùs ſe ſe dabit occaſio, ac locus, religio Conſtantiæ Barberinæ, Caroli Barberini, Vrbani Maximi Pontificis Octaui germani fratris coniugis, ac non vnius purpuræ Matris, quæ magnam Etrurię Ducem imitata, hanc ipſam ſecundarum per annum feriarum opem exſoluendis fidelium animis, Romæ in noſtro D. Andreæ templo inſtituit: idque ſub ipſum Barberini Pontificatus initium; vt quando captandis populorum plauſibus, opibuſque ad familiæ magnitudinem exaggerandis, in ſumma ea fortuna vacarent aliæ, alios ipſa ſibi effoderet theſauros, in imo terrarum ſinu conditos, nempè fidelium mortuorum animos. Planè, cùm omni virtutũ genere ornatiſſima eſſet Conſtantia, non in poſtremis eius laudibus ponendum, quòd Romanorum ſtudia aduersùs pios manes egregiè excitauerit, atque in eam Vrbem, quæ tot religionibus, ſacrorumque officijs redundat, hanc

In communi Eccleſia perãtiquum.

[a] Comm. in rubr. 1. p. tit. 5.

Ab æde Virginis Annunciatæ.

In noſtrã D. Michaelis trãſtulit.

Et legato cẽſu annuo perennare voluit.

Dilatata defunctorum exercitia in noſtris Eccleſijs.

Conſtantia Barberina defunctorum ſuffragia curat.

ſecundarum fetiarum pietatem tanto cum animorum bŏno, fructuque inuexerit. A cenſu annuo, quem ipſamet legauit, continuando operi, vigent præclara hæc mortuorum adiumenta, ac vigebunt ab impigris etiam noſtratum curis, ab Eccleſiæ theſauro, qui cùm orantibus pro defunctis, tùm defunctis ipſis peretni Vrbani Pontificis benignitate erogatur: poſtremò ab accurſu, frequentiaque populorum, qui id modò alijs impendunt, quòd ipſi ſibi olim, vita functis, impendi vellent.

Sed Florentiam redeo, vbi in ipſo ſtatim eius cœnobij rudimento pręter Sereniſſimorum Principum, quam diximus beneficentiam, affulſit commodùm Ioannis Baptiſtę Botti pietas, non exiguo quidem ampliando ſitui, domibuſque atriguis coëmendis, pecuniarum ſubſidio.

Ioannes Baptiſta Bottus Religionem cogitat,

E pręcipua is nobilitate Florentinus, fortuniſque affatim diues, antequàm Florentiam inirent noſtri homines, capeſſendi religioſi inſtituti mentem induerat: incertuſque animi, cui ſe maximè Ordini addiceret, conſilium Chriſtianæ Lotharingiæ, cui cariſſimus inter paucos erat, aperuit; quæ, dilaudata præclara eius mente, non alias viro flagrantiſſimo, quàm noſtratum viuendi rationes propoſuit. Enimuerò, etſi Regulares adhuc Clericos nondum agnouerat, commendare nihilominùs vulgò Theatinum morem, ac diuinum præcipuè cultum ad omnem elegantiam ab ijs procurari, inaudiuerat, eaque hominum fama affici mirificè cœperat: cumque propè diem excitatum iri Florentię eorum domicilium ſciret, Botto perſuaſit, vt tantiſper conſilium differret, quoad Patres aduentarent.

Et probante Lotharingia,

Qui quidem, cum nec obſcura ſibi eſſent incrementa, atque exempla Sodalitatis, viſus incredibili quodam ſtudio in illam inflammari; adeò, vt cum non poſt multò eò appuliſſet Paulus Toloſa, eius ſe ſtatim clientelæ addixerit: ac ſignificata ineundi Ordinis ſententia, agere cum eo familiariter cœperit; Theatini Inſtituti candidatus. Igitur, conſtituta vix inibi familia, cum & alliceret etiam vehementer mundiſſimus in ſacris, ariſque cultus, ac ſimplex, iſque religioſiſſimus in Odèo cantus, nomen Religioni dedit Bottus Octobri menſe huius anni: vtque eius domus primordia inſigni virtute, pietatiſque documento nobilitauit, ita explicandum, ampliandumque loci ſitum, legato cenſu, curauit.

Noſtram capeſſit,

Siquidem & paulò antequàm in familiam cooptaretur, non modicam quidem auri vim dono dedit, & nuncupatis mox votis, in ſolenni ea fortunarum abdicatione ſuarum opum partem multò ſanè liberaliore manu in eam domum deriuauit. Quo vicina quędam tecta coëmi, perſoluto ſtatim pretio, potuere: indèque conſtructum, inſtructumque Patrum commodis domicilium fuit, & laxatū animorum vſibus templum.

A Botto laxando ædificio aurum

Fuere ſubindè, qui non mediocri planè liberalitate cùm ædificia, tùm rem domeſticam ijs initijs iuuere. E gente Bonſia ſorores duę longè ornatiſſimæ, Eliſabetha, de cuius vitæ moribus, ac ſanctimonia in loco ſuſiùs, & Elena; tùm Petrus Bonſius, germanus frater viſi nunquam Theatinę inopiæ defuiſſe.

Adſunt Florentinæ rei Eliſabetha, Elena, Petrus Benſij,

Matronarum item par nobiliſſimum, nempè Lucretia Mannella, Petri Bonſij, quem modò nominauimus, Coniux, & Martia Carneſecca in curandis noſtratum commodis ęqua profectò lance decertarunt. Et Mannella quidem nullum tranſire ſine munificientiæ linea diem ſinebat. Carneſecca verò ab ipſis domus rudimentis benefica, ſacrarium præſertim pretioſis altarium, ac ſacerdotum indumentis, cœteraq. ſuppellectili magnificè inſtruxit.

Et Lucretia Mannella, & Martia Carneſecca,

His annectimus noſtræ diſciplinæ ſtudioſiſſimū ęquè, ac benemerentiſsimum Nereum Ardinghellum, qui Romanę primùm aulę operam dedit: ſed hac poſtea valere iuſſa, Patauij, Bononiæ, poſtremò Florentię inter noſtros vitam duxit, quos præter quotidianam munificentiam, hæredes etiam fortunatum dixit; poſtquàm in noſtro D. Michaelis templo ſacellum quàm ſplendidiſsimè exornaſſet.

Et Nereus Ardinghellus.

Numerandus itidem inter optimè de Florentino domicilio, ac Sodalitate meritos Franciſcus Iunius, Principis Eccleſię Canonicus, Marchionis Nicolai Iunij, Viri clariſsimi, ac Mariæ Auſtriacæ, magnæ Duci cariſsimi frater: qui quidem, vt potè ſeceſſus amantiſsimus, raròad D. Michaelis adibat; niſi quòd fructuoſiùs inuiſeret inſigni pietate, qua inopiam perſępè, ac munificè ſubleuabat.

Et Franciſcus Iunius.

Conueniebant frequenter illum noſtri homines, quos raro vacuos reuerti contingebat: eòque tandem eius in rem Theatinam affectus, ac ſtudium peruenit, vt noſtratum aliquando frui contubernio, conuictuque peroptauerit. Fungi vita non ſine amoris teſtificatione voluit,

legata

legata Patribus non modica pecuniarum ſumma: nempè vt minùs dolerent fatum, ſuperſtite munificentia. At enim hæret, hærebitque ſemper in Florentina hac domo Ioannis Baptiſtæ Bandini, Vaticani Tẽpli Canonici memoria, viri quidem Romana in aula præcipui nominis à morum laude, famaque literaturę celebratiſſimi. Bibliothecam longè opulentiſſimam voluminum ſupra quinquies mille ex omni diſciplinarum genere collegerat, libroſque paſſim à ſua manu notis conſignauerat. Hanc deindè Romę moriens, cum quiduis aliud cogitarent noſtri, Florentinę domui ex teſtamenti tabulis addixit; cui nihil profectò erudita hac ſupellectili contingere aut pretio ſplendidiùs, aut vtilitate opportunius potuit. Manuſcripta, quæſitiſſima ea quidem, ac peregrina, Vrbanus Pontifex Octauus, qui & Virum, & eruditionem, & librorum præſtantiam nouerat, addi, veluti quid pretioſiùs, Vaticanę Bibliothecæ voluit. Porrò aureis hiſce ingeniorum monumentis addidit & aurum Bandinus. Amplificandæ ſiquidem eiuſdem domus ſubſtructioni quatuor aureorum millia, & eò ampliùs Patribus reliquit: hoc ſanè laudabilior, quòd aberat: nihilque ſibi è tanto munere decerpſere noſtratum officia, ac ſtudia. Quantùm Viro laudatiſſimo debeat noſtra Sodalitas, nemo non videt. Debet illi & Patria, quàm qui moribus, ac literarũ ſtudijs ornauerat, honeſtare etiam librorum copia, delectuque voluit. Et noſtris quidem eò maximè nomine iucundiſſimum beneficium fuit, quòd, cùm quotidiano vſu libros terant, exercere quotidiè beneficij memoriam contingat. Prçter hanc autem à Bandino voluminum vim, adauxerant Florentinam bibliothecam noſtram Petrus Bambellus, & Coſmus Philiarchus, Viri docti, ac nobiles, legatis nempè Muſèis ſuis: Cumque noua ſemper librorum acceſſione creſcat in ea numerus, numerari inter florentiſſimas Ordinis bibliothecas iure omni poteſt.

Et Ioannes Baptiſta Bandinus,

Et Petrus Bambellus, & Coſmus Philiarchus.

Verùm, quando in ijs cõmemorandis, qui rem noſtram Florentinam demeruere, immoramur, haud omittenda eximiæ quidem innocentiæ, ac pietatis, infimi verò generis, ac pauperioris fortunæ fœmina, quæ nullo licet ſuo cenſu, attamen non mediocri, neque intermortua adhuc beneficentia eamdomum iuuit. Fuit hæc Anthea, cui à mortuis cognomentum, charitate videlicet in pios manes inſignis, atque ab ea nomenclatione per Ciſalpinam Galliam percelebris. Vbicumque locorum ea eſſet, noſtratum opera in ſuæ conſcientiæ, animique cultu vtebatur, noſtro Inſtituto principe quodam ſtudio addicta; ſiue quòd pronum illud fidelium animarum adiumentis cerneret, ſiue quòd paupertatem, affixamque diuinę prouidentiæ fiduciam in eo adamaret. Florentiam à Chriſtiana Lotharingia Magna Duce euocata, eò deducta à noſtris fuit: ſtatimque ſua illi in dies annona è Principum domo, ac penu, nõ planè tenuis, præſcripta, quam ipſa pauperibus erogabat: tùm prandium ſibi, ac cœnam emendicatò quæritabat: ac ſolenne illi perfugium cœnobij noſtri ianua erat; vbi quicquid edulij à noſtris eleemoſynæ nomine acciperet, commune item cùm egenis volebat: ne ſcilicet comederet buccellam ſola, ac Chriſtum etiam aleret è ſuo demenſo. Morata Florentię aliquandiù eſt Anthea, ſed reuocatam à Mantuanis Principibus, apud quos agebat, reuerti poſtliminiò Mantuam oportuit. Ac tùm quidem id à Principe Lotharingia perijt, vt quæ ſibi impertiri per id tempus portio ſolita erat, cederet in poſterùm Theatinis Patribus. Quod ita impetrauit, vt continuato beneficentiæ curſu, duret hodièque, extincta licet Anthea, liberalitas: cumq. à Florentinis ijs Principibus in expenſarum ratione ipſis etiam eleemoſynis adhibitus non ſemel modus fuerit, nihil huic pietati detractum vnquam fuit. Atque adeò cùm in more poſitum ſit apud noſtros, vt eorum nomina ſuper menſam recitentur, qui noſtræ paupertati aliquid erogãr: reſonat etiam nùm in noſtra cœnatione Antheæ nomen, quæ auctor tàm prolixæ charitatis fuit: perennabitque profectò pijſsimæ fœminæ memoria, cuius cinis adhuc nobis munificus.

Et Anthea à mortuis.

Impetrata à Florentię Principibus perenni eleemoſyna.

Verùm enimuerò quando in hanc Dei ſeruam ſemel incidimus, pauca hic de eius vitæ rationibus, qunad dicendi fuſiùs ſe ſe dabit occaſio, meminiſſe, haud extra rem hiſtoriæ, voluptatemque legentium putamus. Et promerita id etiam officij ipſa eſt à noſtris Commentarijs, cùm affectu, ſtudioque in noſtros, quos, vti ſignificauimus, ſuę conſcientiæ rectores habuit, tùm ipſa re, externoque charitatis opere: quando non modò Florentię, verùm etiam Mantuę, Mediolani, Taurini eius experti beneficen-

Antheæ Patria, & virtus.

tiam

Digitized by Google

tiam ſumus: vti rationum, atque eleemoſynarum codices in ijs domibus abundè docent. Igitur Terelij, quod eſt Lucenſis Diœceſis oppidum, orta Aothea eſt, obſcuro quidem loco. ſed cuius in inſantia emicare ſtatim eximiæ charitatis indoles cœpit. Complecti ſiquidem pauperes, ac ſouere pro modo, fraudato etiam ſuo genio, ac ſubtracta ſibimet annona, id ætatis videbatur. Exarſit tùm quidem in illa piarum animarum ſtudium. Nam quibus ſtipem erogaret, id in primis mooebat, vt pro defunctis preces funderent. Creuitque vſque adeò annis creſceotibus hic in ea ardor, vt in reliqua deindè vita ſuorum exercitiorum prora, & puppis hęc in pios manes charitas fuerit. In hanc potiſſimũ pietatis partem collineare, curaſque ſuas omnes conijcere: huc preces, ſacta, dicta deſtinare: vt facilè ab ijs, quorum negotia ea ſedulitate accurabat, nomen inuenerit; ac vulgò, quòd ſignificatum eſt, Anthea à mortuis audiebat. Primò quidem, vt defunctorum cruciatus ſuis cruciatibus exſolueret, truderetq. clauo clauum, aſperam omninò ſibi viuendi rationem indixit. Familiare illi à cilicijs, atque à præcincto horridè ferro tormentum: addebatque excitando vehementiùs doloris ſenſui identidem flagra. Lectus illi ſtrata humi ſtorea. Nudis pedibus incedebat; niſi cum mitiùs agere ſuaderent ſæuiores à gelu anni vices: ac tùm quidem non ſemel viſa, vt pauperum neceſſitati conſuleret, ſuos ipſa ſibi calceos detrahere. Idem in reliquo veſtitu cultus. Simplex illi ex tela, ac malè ſarta plerumque tunica. Taurini dum moraretur, iuſſere ſæpiùs Sabaudi Principes, apud quos ſumma in veneratione erat, vt illi ex panno amictus, propulſandæ videlicet hyemi, conficerentur; quos quidem paucos dies vbi geſtaſſet, obuię deindè pauperi dabat, reſumebatque priſtinum iodumentum, imparem nempè niuibus, geluque telam. Ieiunia illi aſſidua: ſemel in die cibum ſumere: ad panem herbas adhibere: præterea nihil: vino etiam abſtinere. Alias item ſubire voluntarias corporis afflictationes, quibus à Sacramentorum vſu, ac precibus vigor, ac pretium accedebat. Quotidiè Euchariſtico Chriſti Corpori communicabat, intimo planè cum diuinorum ſeoſu. Orationi, rerumque cœleſtium contemplationi ita iocumbere, vt ſolidas interdum noctes orando tranſmitteret. Lauretanam Diuæ Virginis ędem, Aſſiſium, Veralli montem, aliaq. prę cipua religione per Italiam ſacraria inuiſere quotannis conſuerat: vt fuſis ad ea loca precibus, defunctorum cruciatibus leuamento eſſet. Semel in Veralli monte horas omoinò quadragenas, eodem affixa loco, impranſa, incœnata, inſomois inter preces de genu perdurauit: tùm ea precationum periodo abſoluta, itineri, cùm ijs, quibuscum venerat, poſtlimioiò ſe ſe dedit, vegeto quidem ſpiritu, ac longè vigoroſiore, quàm comites, quas cibus, ac ſomnus refecerat. Ab hac verò orationis, ac reliquæ pietatis contentione quicquid ſupererat temporis, emeodicando pro mortuis, quos ſuos appellare ſolita erat, inſumebat. Non æſtas, non hyems, non labor, aut languor detinebat, quin fora, vias, domos concurſaret, appellaretque obuios quoſq. proceres, ac vulgus, atque ad eleemoſynas pro defunctis infimis precibus cogeret. Peregrinari plerùmque per Italiam, atque huc illuc fulguris in morem diſcurrere videbatur. Principum præſertim aulas, apud quos percelebre Antheæ nomen, conuenire, ac terere, vt exſoluendis animarum nominibus, ac vinculis aurum exculperet. In Germaniam vſque cum Eleonara Gonzaga, Ferdinandi ſecundi Cæſaris coniuge, excurrit: vt frigidiſsimum nempè cœlum eo etiam purgatorio igne inflammaret; libarentque Cæſaream item munificentiam pij manes. Quantùm pecuniarum ab ijs peregrinationibus, atque ab omni hominum gradu paſsim corrogarit, dici vix poteſt. Quod ſtatim io pauperum vſum affatim deriuare: collocandis Virginibus: viduis, orphanis ſubleuandis impendere: reſtinguendæ præſertim piaculari flammę miſſarum ſacrificia curare: in quibus vſque adeò multa, vt nullus profectò ſacrorum numerum iniuerit, quæ celebrata collectitia Anthéę ſtipe fuerint. Sedes illi potiſsimũ Mantua, ac Taurinum fuere. Et Mantuæ quidem à Margarita Gonzaga, Ferrariæ Duce, à Margarita item Sabauda, Carolj Sabaudi filia, à Catharina Medicea, Ferdinandi Mantuæ Ducis coniuge, tùm ab ipſo Ferdinando, & Vincentio Patre, & germanis fratribus, quorũ in oculis ferebatur, nihil profectò non in fidelium animarum compendiũ ooo impetrauit. Id erat apud eos Principes in more poſitum: vt ſi quando illorum quëpiam tẽtari morbo cõtingeret, Anthea pro eius incolumitate votum conciperet, quod

nonniſi

Margin notes:

Eius in mortuos potiſsimùm ſtudium.

Et ſeuerior vitę ratio;

Et pietas.

Eius per Italiã peregrinationes.

Pro mortuis mendicatus.

Mantuę apud Principes ſummo loco.

Digitized by Google

nnnniſi erogandæ pro defunctis eleemoſynæ erant. Nuncupatum, perſolutumque ex fide votum excipiebat illicò ſalus. Id quod ſibi non ſemel accidiſſe in acerbo calculi morbo Margarita Ferrariæ Princeps, affirmabat. Illud præterea memoratu dignum, quod idoneis conſtare teſtibus, communique fama, ſcimus. Vincentius Primus Dux Mantuæ, diuexari ſingulis menſibus permoleſto quodam dolore capitis ſolitus erat: Antheam, vt pro ſe oret, interpellat. Illa: ſi iuuandis, inquit, defunctorum animis, elargiri mihi, Princeps, aureos quindecim in ſingulos menſes, iuſſeris, id precibus à Deo contendam; vt ſolutus ipſe capitis moleſtia, ſubeam ego vices tuas. Placuit Duci conditio: iuſſoque in menſes auro, tranſijt mox ad Antheam malum. In quo quidem illud etiam accidit. Quadam indiligentia pollicitam mortuis penſionem prætermitti ſemel contigit: ac tùm quidem correptus priſtino dolore Vincentius, peracerbo eo quidem, vt cum maximè. Vocatur Anthea, quæ, illam ſe putare cauſam, ait, quòd pactum aurum eo menſe non perſoluiſſent. Nec mora: penditur: eodemq. in veſtigio temporis, qui vexabat Principem dolor, ad ipſam redijt.

Quid Vincentio Duci accidit.

Eadem in illā obſeruantia, affectuque ferebantur Sabaudiæ Principes, apud quos nullus profectò tàm gratioſus è procerum, atque aulicorum numero, quàm Anthea. Ite ipſa vltrò, citròque, intercluſo nunquam aditu, in Sereniſſimarum Infantum cōclauia; illarum profectò deliciæ, quarum nunquam non munifica in defunctos manus, Anthea poſtulante. Ad eius preces Carolus Emmanuel hoſpitales, excipiendis pauperibus domos, quas & cenſu auxit, exædificandas curauit. Eò ipſa inopes ducere, quos, & ſua fouebat ſtipe. Monaſterium item Capuccinarum Virginum, quà Principum beneficentia, quà collectitijs eleemoſynis ibidem excitauit; iuuitq. ipſa opus auxiliari etiam labore, ac manu; ſolita lapides, calcem, trabes ſuis humeris conuehere. Vrgebat eo interdum operarum numero ædificium, vt ijs deindè ſoluendis non eſset: ac tùm quidem, fuſis ad Deum precibus, ac implorata defunctorū ope, mirum quendam in modum pecunia ſuppetebat. Illud eius Cœnobij Antiſtita, cui nomen Maria à Beato Amedeo, ſcripto affirmauit. Semel abrumpere iam opus fabri cœmentarij cum vellent, anxia plus ſolito Anthea erat, conſilij perindè, ac auri prorsùs inops. Cum ecce tibi obiecit ſe ſe illi liberali vultu iuuenis, qui cauſam triſtitiæ ſciſcitatus, tantum illi pecuniæ dedit, quantum ſtructoribus deberet. Gratias verò largitori dum parat, aduertit euanuiſſe: agnouitque tùm præſentem Dei munificentiam, qui miſerat. Porrò Taurini cùm in hiſce ſubſtructionibus, tùm in pauperum procuratione, alijſque pijs operibus eam vim nummorum inſumpſit, vt quinquaginta aureorum millia facilè excedat; quod ſcire potuit, qui hęc teſtatur, Michael Antonius Teneuella, à Sereniſsimarum Infantum ſacello, cuius opera in eiuſmodi accurandis negotijs Anthea vtebatur. Parcimus & alia ſcitu digna commemorare: quando colligere in arctum eius mores, ac breui ceu tabula delineare piam fœminā, animus fuit. Quæ deindè ſenio, vigilijs, peregrinationibus confecta, Taurini ingenti cum eius Vrbis; atque aulæ ſenſu deſijt viuere. Curatum apud Capuccinas ſanctimoniales funus: ac raro quidem exemplo inclytę Principes, Caroli Emmanuelis filiæ, nempè Margarita, Maria, Catharina, non modò adeſse exequiarum iuſtis, verùm & ſuos etiam humeros commodare feretro, ac pio cadaueri voluere. Nec ſanè ſplendidiùs tumulari Anthea potuit, cuius ſanctimoniæ famam, communemque venerationem teſtatum luculenter eſt hoc ab ornatiſsimis Heroinis officiū. Et adauxere mox vulgi obſeruantiam collata eius inuocatione nominis beneficia, quæ earundem Capuccinarum, aliorumque teſtificatione conſtant. Atque hæc de Anthea, ad quam vt longiùs digrederemur, Florentinum cœnobium fecit, de quo redibit ſermo, cum fundari templum, eiuſque proſequi ſtylo ſubſtructionem continget.

Taurini Xenodochium, & Gynecæum curat

Eius mors. & exequiarum iuſta.

Interim Eliſæus Nardinus, Præpoſitus Generalis in omnem rei noſtræ benè gerendę partem intendit, excubatque impigrè communi bono. Priuilegia, quę ſuperiores olim Pontifices contulere Ordini, ac ſuccedentium deindè benignitas confirmauit, vt rata hoc anno à Clemente etiam Pontifice haberentur, curauit. Qui quidem genio quodam, ac ſingulari in Ordinem voluntate haud grari prolixiùs eſt paſsus Inſigni namque animi ſignificatione, obſignato diplomate, confirmauit; teſtatus, & in alia ſe Congregationis commoda egregiè animatum. Cuius quidem propen-

Priuilegiorum confirmationem impetrat Nardinus.

ſintis

An. 1593.
ſioris in nos beneuolentiæ cum alia quædam ediderit per id tempus argumenta Pō-
tifex, tùm conſequenti mox anno non mediocri cum Inſtituti commendatione do-
micilium vltrò obtulit, quod è re futurum noſtræ familiæ putabat. Et quamuis ex-
penſum à Patribus ad legum noſtrarum lancem conſilium, ſucceſſu caruerit, enarrā-
dam nihilominùs rem ducimus, ne Pontificis beneuolentiſſimi ſtudium, atque opti-
ma noſtratum mens lateat. Abeſt Neapoli paſſibus circiter ſex millibus Nolano in
agro, ac Diœceſi oppidum, cui à Sancto Anaſtaſio nomen. Propè oppidum ad mili-
AEdes D. Mariæ ab Arcu.
tarem viam ſacra quædam erat ædicula, perantiqua ea quidem, Deiparæ ab Arcu
nuncupata. Vt ſtructura, ita & cultu modica, ſed quam implere ſuo Numine, ac
maieſtate Magna Dei Mater voluit. Planè, vt ab ipſo Apoſtolorum æuo repræſen-
tari coloribus Deiparæ vultus, atque excitari auguſto eius nomini per orbem templa
occœpere, ita, editis identidē miraculis, nobilitare ſuas haſce imagines, ac baſilicas
conſueuit magna ipſa Mater; quæ vt nullibi nō opem ferat ſemel implorata, quędā ni-
hilominùs ipſa ſibi cōſecrat, ſiue templa, ſiue maieſtatis Prætoria, vnde quantū in ho-
minum genus ærumnarum cœli inclementia, anni vices, peſtilentiæ, bella, pelagi
furor, morbi, fames inuehunt, imperio, nutuque ſuo frangit, ac diſſipat. Adeſt quip-
pè certa rerum humanarum ſoſpitatrix in templis ſuis, ac beneficiorum affluxu pla-
nè oſtendit, ita ſe aſſertam cœlo, vt adauxerit curas, ac patrocinia terrarum; ac diui-
ſerit penè munera, vt Empyreum quidem ornet pręſentia, ſua verò delubra inaugu-
ret poteſtate, ac faſcibus. Nulli non hæc loquuntur annales gentium, ac ſecula.
Nulla fermè in Chriſtiano orbe prouincia eſt, nullus terrarum tractus, in quo non
iſthæc Marianæ pietatis, ac munificentiæ monumenta videas. Eiuſmodi fuit ædes
ab Arcu, quam modò nominaui ac memoratu profectò dignum miraculum eſt, quo
primùm inclareſcere Virginea ea domus, atque Imago cœpit. Ludebatur de more
ante ædiculam pila. E luſoribus quidam, quod perderet, eò ſe abripi furoris, atque
inſaniæ paſſus eſt, vt petere, excuſſa pila, verendos Virginis vultus non erubuerit.
Facinus teſtatur illicò impreſſum vulnus, & è vulnere manans vbertim cruor. Et
ne aboleret æuum facti memoriam, ac ſcelus, abſterſo mox ſanguine, remanſit ſub-
indè leſæ Virginis index, purpurea quędam in vultu cicatrix. Qui percuſſit, luit pu-
blico ſupplicio piaculi pœnam, fracto vicinam ad arborem iugulo. At in Marianam
Cuius creuit à miraculo nomen.
illam ædiculam, vbi patratum miraculum eſt, excitata ſtatim pietas popularium:
manauitque latiùs fama: vt confluere illò voti cauſa, allatis etiam donarijs mortales
cœperint. Satis nempè animandæ fidelium pietati virtutis habuit ſanguis ille Vir-
ginis, quæ collatis ad eorum preces beneficijs, vnius facinus in multorum commo-
dum vertit. Verùm, quæ eſt temporum conditio, elanguit poſtea vt ſacrorum in
Sed pietate deferueſcente.
ea cultus, ita & in admirabilem effigiem piorum obſeruantia: quoad ſuperiore huius
ſeculi anno nono ſupra octuogeſimum, inſigni edito miraculo, reuixit intermortuus
ille hominum ardor, ac ſtudium. Contigit nanque, vt pia fœmina accepti benefi-
cij teſtem, tabulam id loci afferret, quam vetula quędam, inſigniter improba, con-
ſpicata, afflatuque mali dęmonis acta in rabiem, proijcere contemptim non dubita-
uit: tùm ſubiectam pedibus proculcare, maledictis etiam in ſanctiſſimam Virginē
congeſtis. Mirum planè dictu. Adminiſtri criminis pedes, diuulſi ſua ſponte, ceci-
Nouo miraculo excitatur,
dere illicò vetulæ, qui pendent hodieq. pro templi pariete ad miraculi veſtigia, ac
monumentum. Excepta communi admiratione ſubita ea vindicatio: ac conſequu-
ta deindè alia ex alijs inibi mirabilia, loci religionem, ac famam non modò in ea vi-
cinia, ſed apud longè etiam diſſitos amplificarunt: ita vt breui vna fuerit ærumna-
rum, cladium, morborumque omnium propulſatrix Diua Maria ab Arcu, feruerentq.
certatim populorū ſtudia, euntibus, redeuntibus mortalibus, hi quidem, vt opem
implorarent, illi, vt acceptam iam Virgini referrent, quà rei, quà cōpotes voti. Nea-
poli præſertim vſque adeo efferbuit in beatam illam ędem obſeruantia, vt nullo tē-
Frequentatur ea ædes,
porum, dierumque diſcrimine, feſtis, profeſtis ingens eò numerus ex omni hominum
ordine, graduque concederet, anguſtaretque conferta multitudo viam, quā & la-
xari publico, nec ſanè modico ære oportuit. Creſcere in dies miracula, & ex his pietas
cernebatur. Ad hæc, à piorū liberalitate, ac gratitudine vis auri, ac votiua magni
pretij munera, tùm cenſus etiam, ac prædia templo addicebantur. Quæ cum
non

Digitized by Google

non laterent Clementem Pontificem; explorata videlicet quàm accuratiſſimè mirabilium magnitudine, ac numero; placuit Marianæ domus ſanctitatem, ac venerationem adaugere adminiſtrorum cultu, ac ſtudijs. Ac primò quidem Ioannem Leonardum è Lucenſi Congregatione Beatæ Virginis, laudatiſſima virum indole, atque egregiè probum, vnà cum quibuſdam ſpectatis quidem moribus ſocijs eò allegauit. Qui planè Pontificis votis, communique pietati reſpondere ſedulo animorum ſtudio, ac tractatione ſacrorum perdiligenti. Nouam præcipuè à ſundo baſilicam ad pulcherrimam operis formam, ac fidelium concurſationi parem inchoarunt. Quæ dum conſtruitur, ſubit Pontifici, è re loci fore, Regularem quandam familiam illi addicere, vt conſtans quædam eſſet inibi diſciplinæ ratio à Religioſis hominibus, qui pſalmodiæ vſu, myſteriorum procuratione, ſacrarum concionum celebritate, alijſque peropportunis inſtituendæ multitudini exercitijs Deiparæ Virginis rem, honoremq. diligenter curarent. Id etiam Auguſtis Patribus, qui Regularibus præſunt, ſedit.

Allegatur eò Leonardus Lucenſis.

Agitari negotium cùm cœperit, quòd nouerat Theatini Inſtituti rationem Pontifex, non minimum cùm dignitatis templo, tùm emolumenti viciniæ acceſſurum putauit, ſi eas curas, laboreſque ſuſciperent noſtri homines; qui cùm Neapoli præcipua florerent fama, perſuaſum etiam habuit, id conſilij gratiſſimum Neapolitanis futurum. Nec ſanè illum opinio ſallebat ſua. Enimuerò allatus Neapolim rei rumor, exceptus inſigni procerum, populique gratulatione fuit: & qui Regni tùm vices procurabat, Ioannes Zunica, Mirandæ Comes, noſtri Ordinis apprimè ſtudioſus, viſus incredibili quodam ſenſu communi lætitiæ adſtipulari. Igitur Pontifex, cui nihil prius, quàm vt in eas vigilias noſtri ingrederentur, compellari ſuo nomine à Saluſtio Tauruſio, qui Sacræ Congregationis à ſecretis tunc erat, Conſultores iuſſit; aberat quippè Pater Generalis, rediturus Romam propè diem ab inſpectione Galliæ Ciſalpinæ. Qui tùm Conſultorum locum, ac munus implebant, ij erant Marcellus Toloſa, Petrus Antonius Garganus, & Ioannes Antonius Angriſanus, abſolutæ prudentiæ viri. Hos alloquutus Tauruſius, deſtinatam iam Pontificis conſilio, ac nutu ipſorum familiæ D. Mariæ ab Arcu ædem, & quicquid in ea eſſet ſubſtructionum, & cōmodi, monuit: qui, quòd conſentaneum ducerent, rem grauem cum P. Generali communicari, differri negotium, quoad ille Romam appelleret, impetrarunt: ac tùm quidē, reuocata ad calculum re, expenſiſq. hinc inde perdiligenter rationibus, in eam omnes diſceſſere ſententiam, vt quàm modeſtiſſimè, & perquàm ſtrenuè recuſarent.

Quò deſtinatur non poſt multò noſtri.

Nardinus ſingulari dexteritate, ac conſtantia vtendum ſibi intelligebat: præſertim quòd aderat in tempore Tauruſius, atque obfirmatam Pontificis mentem ita attulerat, vt ludi operam, ac fruſtra ſe conniſuros affirmarit, ſi fixæ iam voluntati obluctari, conſiliū eſſet. Ergò aditur Pontifex, ac ſacultate impetrata dicendi candidè, quid ipſe cū ſuis Conſultoribus ſentiret, agere principiò P. Generalis quæſitiſſimas gratias, quòd percelebrem, famaque inclytam ædem tanta cum Inſtituti, atque hominum opinione deſtinaſſet. Ad hæc, rationum capita exponere, cur timeri non minimum regulari diſciplinæ detrimentum poſſet, ſi eam poſſeſſionem capeſſerent. Planè, inquit, & ſi ad Dei, Auguſtæque Matris gloriam exquiſito quodam genere pietatis Patrum inibi curæ deſudauiſſent; nihilò tamen minùs quin aliqua euagandi licentia, atque adeò quædam ſtrictioris obſeruantiæ laxitas oriretur, impediri nequaquam potuiſſet.

Qui renuunt.

Perorat que ſtrenuè apud Pontificem Nardinus,

Enimuerò, qui Neapoli degunt Patres, non pauci ij quidem, terna ſiquidem, eaque frequentia in domicilia diſtributi, loci vicinitate, ac religione illecti, adire ſinguli ſingulis ſaltem annis Marianum templum vellent: quod ipſum & reliquæ propè Neapolim domus ſacerent: proindéque aſſidua quædam eſſet vltrò, citròque noſtratum concurſatio: frequentiſſimæque Patrum, ac fratrum conſalutationes eius profectò domus diſciplinam, atque ordinem interturbarent. Quod cùm non parui momenti ſit, illud omninò intolerabile. Siquidem cum extra frequentiam ſacra ea ædes ſit, ac pleriq. viri nobiles eò quotidie religionis ergò concederent, fieri minimè poſſet, quin hoſpitio reciperentur. Quod cùm honeſtiſſimum ex ſe ſit, ſi moderatè accidat; tamen cū aſſiduo hoſpitum aduentu patere eam domum, ac publicum eſſe Neapolitanæ nobilitatis diuerſoriū oporteret, perſpici facilè poteſt, quanta id cum obſeruantiæ, religioſæque tranquillitatis fraude, ac rei domeſticæ

 detri-

dettimento in eo promiſcuæ multitudinis accurſu accideret. Præterea ſubituram auitam Ordinis paupertatem nonnihil periculi, oſtendit. Etenim cum ibi eleemoſinę largiores erogarentur, eò pecuniarum copia adducere Patres potuiſſet, vt coëmptis prætextu aliquo fundis, cenſus ſenſim annui irreperent, contra inſtitutiones, legeſque Clericorum Regulārium, quorum id intereſt maximè, vt ſartam, ac tectam paupertatem ſuam; quæ ſingularis inter religioſas diſciplinas eſt, tueantur. Plura in hanc ſententiam, firmandęque opportuniùs cauſæ permodeſtè quidem, at neruosè Nardinus: ſtatimque beneuolentiſſimus, ac ſapientiſsimus Pontifex, qui faciles dicenti aures prębuerat, probaſſe ſe momenta rationum, ſignificauit. Conſiliū nempè ſibi fuiſse, eius Eccleſiæ dignitati, ac miniſterio accuratis Theatinorum Patrum ſtudijs conſulere. At enim, quando abſque eorum diſciplinę, ac priſci moris damno id confici minùs poſſet, fore, vt aliò animum appelleret. Quam ſibi Pontificis beneuolentiam, ac facilitatem gratulatus intimè eſt Pater Generalis: quòd vehementer addubitaret, ne, vt denunciauerat Tauruſius, conſtantiſsimè ſuſceptum ſemel conſilium vrgeret, ac pro ſanctiore poteſtate præciperet. Porrò locus non ita poſt multò addictus à S. Cardinalium Congregatione, annuente Clemente Pontifice, Dominicanis Patribus fuit: ex ijs nempè, quos Paulinus Lucenſis, vir egregiè probus, & quem aliàs memoraui, ad vetuſtam, exactamque D. Dominici normam reuocauit: qui Marianam pietatem, quà ſtructis magnificè ædificijs, quà morum laude ſubinde amplificarunt: hodieque inſigni cum fructu populorum ædem incolunt.

Et probat rationes Pontifex.

Attributa Dominicanis ędes.

Porrò, quam modò innuimus inſtituiſse hoc anno inſpectionem Ordinis Eliſæū Nardinum, non ſine communi compendio fuiſse, compertum habemus. Planè is ille erat, vt viua quędam cenſura morum, atque ipſa vindex æquitas obire Religionem vulgò diceretur. Quamuis nihil eſſe cernerent, quod emendarēt, atque expolirent domorum moderatores: tamen quòd probè noſsent, qui cenſor aduentaret, & quàm acri examine ſacra ęquè, ac profana perueſtigaret, exquiſitum in modum concinnari domi, atque in templis rem curabant, intendebantque cogitatiōnes ſuas, vt ad ſeueriorem quandam normā cuncta exigerentur. E ſodalibus verò ſibi quiſque perſuadebat, neminem eo inſpectore impunè exerraſse: adeo nihil diſsimulabat vir acerrimus, cui propoſitum erat, prauos mores in ipſo ſtatim exortu enecare ſtrenuè, ne grandeſcerent, ac ſoboleſcerent ad Ordinis exitium. Et inerat quidem illi, vt alibi indicatam eſt, incredibilis infringendis vitijs pectoris vigor. Familiare eius lemma erat: Noli fieri iudex, niſi valeas irrumpere iniquitatem: idque perſcribendū ſibi literis, ſolito maioribus, in patentiore quodam cellulę loco curauerat: vt & ſuæ ipſius memoriæ conſuleret, ſuique ſe officij moneret, & alios etiam edoceret, geſtare ſe mentem quibuſuis animi affectibus, ac motibus fortiorem. Et verò, eorum, quī regunt, facilitate, ac nimia conniuentia, vt vitium ſemper fecit, ita ruere proceſsu temporis ſeuerior quæuis obſeruantia viſa eſt. Illud etiam in Ordinis luſtratione ſolenne Nardino erat, præter communem humanitatem, hoſpitibus noſtris, vel infimis è fratribus noſtris laicis exhiberi ſolitam; nullam præterea admittere officiorum, aut beneuolentiæ ſignificationem. Genuę contigit, valenti quidem ipſi, ſed tuendæ de more ſanitati, pharmacum propinari. Patres, neſcio quid ſiue politioris in miniſterio cultus, ſiue lautioris in menſa apparatus Patri Generali, & hoſpiti, & per eā præſertim pharmaci occaſionem pręſtari, non vltra religioſam diſciplinam, quin etiam vrbanitatis eſse, exiſtimarunt. Quas ille charitatis illecebras, ac mundicias impendi ſibi haud grauatè eſt paſsus. Tùm accitum valetudinarium monuit grauiſsimè, id officij, ac blanditiarum à ſe minimè recuſatum, quòd putaſset, eodem ipſo charitatis genere ſingulos in ea domo accipi, qui eiuſmodi curationes adhiberent. Quarè caueret maximè, ne quid vlli ex patribus deinceps deeſset ex ijs, quę collata in ſe viderat: aliàs ſi ſaxit, daturum violatæ diſciplinæ, atque æquabilis charitatis pœnas. Qua quidem denuntiatione indigere minimè videbatur cœnobium illud, quod eo anno procurabat Ioannes Sipōtinus, ab exacta hac cultus æqualitate, communiq. vita celebratiſſimus: & procurauerat anno ſuperiore Marcus Paleſcandalus, vir item vnanimis in domo moris tenaciſſimus, quorū planè inſtitutione, exēploq. in

Nardini acris in Ordinis inſpectione cenſura.

Et vis pectoris,

Et communis vitæ ſtudium.

Quid acciderit Genuę.

Genuen-

Genuenſi cōtubernio, quod illi diutiùs rexere, viguit ſemper neſcio quid ſtrictioris obſeruantiæ.

Fuere hoc anno, qui ad Epiſcopale faſtigium vocati, & ſi nonnihil attuliſſe ſplendoris ſuis Infulis, ac Cathedris viſi ſunt, diuulſi nihilominùs à communi contubernio, ac cœtu, præſtantiſſimæ ſuę virtutis deſiderio ſocios non minimū affecere. Fuere hi Marcus Magnacerbus, & Baſilius Pignatellus, Neapolitani. Magnacerbus adulta, vt ætate, ita & doctrina Sodalitatem Placentiæ iniuerat. Donatus nanque iam publicè fuerat iuris laurea, quam deindè Clericus Regularis ſacrarum literarum ſtudijs cohoneſtauit. Hæc doctrinarum adiumenta, & quam in Religionis ſchola exercuerat virtutem, comprobauit iudicij, atque Infularum teſtimonio Clemens Pontifex Octauus. Luceriæ ſiquidem, quæ Vrbs eſt in Apulia, cùm vacaſſet hoc anno Sedes, Magnacerbum in ea conſtituit. Ac viſa planè diuini Numinis conſilio eius accidiſſe inauguratio. Quippè, vt erat excellenti vir facultate, zeloque flagrantiſſimus, in populorum moribus inſtaurandis, in reſtituendis ſacris, in expolienda Clericorum vita mirū in modum deſudauit, inuexitque præſertim in Eccleſiam inſignem quandam è Theatina conſuetudine, vſuque mundiciem. Cathedram Septennium tenuit: cùm ſiue ab aſſiduis laboribus, ſiue quòd non admodū ſalubre, æſtiuo præſertim ſydere, Luceriæ cœlum ſit, tentari pertinaci morbo cœpit. Vt ſolum mutaret, quòd leuandæ valetudini opportuniſſimum, Candidam propè Luceriam, germani fratris oppidum, conceſſit: vbi ſebri mox ingraueſcente, piè obijt cum ſeculo obeunte, anno ſexcenteſimo ſupra milleſimum: teſtatus oppidò luculenter in noſtram diſciplinam, ſuoſque Theatinos Patres ſingularem animi propenſionem. Enimuerò cùm inſtare ex grauiſſimo morbo ſatum intelligeret, Neapolitanos ſtatim Patres literis compellauit, rogauitque impenſiùs, vt quando ſupremus iam dies aduentaret, adeſſent in eo rerum diſcrimine amantiſſimo fratri. Id eſſe ſibi maximè in votis, vt inter ſuorum complexus, atque adhortamenta animam efflaret. Patres, quòd adulta iam æſtas; ac denunciarent medicæ artis periti, certę ſe fore morti exponendum, quicumq. ſummis iam caloribus eò contenderet, excuſare tempeſtatem; polliciti, non defuturos pro virili parte vel abſentes ope, ac precibus. Ille, vbi interclusum Patribus iter accepit, eaq. ſpe cecidit, afferri ſibi detrita quædam Religionis indumenta, quæ penes ſe habebat, iuſſit; & quòd indui prohiberet mali vis, imponi ſaltem lecto voluit: vt quando inquit, pręſenti meorum fratrum ope recreari in extrema hac vitæ lucta minimè per tempus licet, ſuppleat Theatina hæc veſtis, eiuſque aſpectu fruar, ac videar inter caras mihi exuuias mori Clericus Regularis. Planè haud potuit in ſuum Ordinem affectum exuiſſe, cui in vltima ea vitę linea vellere Tyrio pretioſior noſtratum habitus fuit. Et quidem communis hic eſt reliquorum ex noſtris Antiſtitum ſenſus, qui, cùm doleant plerique omnes, erepta ſibi Religionis ſerenitate, in fluctus, curaſque animi reciprocantes demerſos, exoptant, tacita ſaltem, pacataque defungi morte inter pias noſtratum manus.

Marcus Magnacerbus Epiſcopus Luceriæ;

Eius curæ,

Moritur, comprobato in noſtrum Ordinem ſtudio,

Alter, quem dixi ad publicam animorum procurationem fuiſſe hoc anno euocatū, Baſilius Pignatellus fuit, qui Venetijs tùm morabatur, rexeratq. ſuperiore anno Tolentinatem eam domum. Translatum id loci Pignatellum, ibique immorari, non ſine prudenti quodam conſilio fuit. Enimuerò Clericorum Regularium Minorum curas, quas in loco memoraui, nimis anxiè complexus, viſus profectò ardentiùs, quā res poſceret, in eas incumbere: Cumque eius vitę rationes paſſim commendaret, ac noſtris etiam hominibus ea, qua valebat facundiæ efficacitate, obtruderet, creatus quidam Moderatoribus timor eſt, ne eius auctoritate, ac commendatione inflammati ex noſtris aliqui, mutandi inſtituti mentem conciperent. Hinc opportuna Eliſæi Nardini prouidentia, qua cautum ſupra indicaui Pontificijs literis, ne mutua fieret hinc inde migratio. Verùm, vt cauſam etiam ſtirpitùs reuellerent, optimum ſactu duxere Patres, Pignatellum, ſuſpicionis huiuſce auctorem, Neapoli honoris quadam ſpecie aliò amandare: renunciatuſque eſt Venetę domus Præpoſitus. Quod ille, etſi minùs ad guſtum, votumque accidiſſet, æquo animo tulit: & qui inſignis religioſi officij, virtutumque aſceticarum magiſter erat, alacriter obtemperauit. Conſanguinei verò, magno Neapoli nomine, ac maiorum gentium viri, Dux præſertim Mon-

Baſilius Pignatellus,

Venetæ domus Præpoſitus,

tisleonis, ac Lauri Marchio, Baſilij germanus frater mitùm, quò id ſenſu acceperint. Religioſam Patrum mentem ſecùs interpretari, nimis aſperè cum eo actum, nec accidere ſine eius animi perturbatione potuiſſe, perſuaſum ſibi habuere, quòd auulſus Neapoli, tàm longè ad extremam Italiam fuerit amandatus. Eò igitur curas adiecere ſuas, vt quando non perindè beneuolam cernerent erga conſanguineum Moderatorum voluntatem, operam ipſi, conatuſque ſuos omnes impenderent, vt collatis quàm primũ Infulis, è clauſtris educerent, ſiſterentque veluti extra omnem teli iactum. Magna cùm Neapoli, tùm apud Regiam Philippi ſecundi aulam auctoritate erant; ac facilè ijs, Aquilę, quę princeps in Veſtinis Vrbs eſt, ac tùm vacabat, ſedem impetrare. Et Clemens quidem Pontifex, apud quem non obſcura Baſilij eruditio, ac virtus erat, peridoneum regendis Eccleſijs virum nominari à Philippo Rege, gratulatus, annuit ſingulari voluntate. Illud ſtatim Pignatelli ingenium, ac literarum ſtudia mirificè cõmendauit. Nam quo die Romã tenuit, monitus fuit, intra biduum Epiſcoporum examen, periclitandę eorum doctrinæ, coram Pontifice habendum, ac ſe quidem ad id literaturæ experimentum vnà cum alijs vocari. Non abnuit vir doctiſſimus; etſi recipere ex itinere animam, ac ſpiritum priùs debuiſſet. Quare ſimul & ſiſtere ſe Pontifici, eiuſque exoſculari pedes, ac pleraque obire Romanæ aulæ officia, & publicum ſubire examen oportuit. Quòd quidem eruditionis periculum ea laude fecit, vt cum inſigni omnium commendatione, ac plauſu egregium præſertim Cardinalis Toleti, atque ipſius Maximi Pontificis Clementis elogium tulerit. Romæ non diù moratus, quò ſtudium creditarũ ſibi ouium vocabat, ſtatim contendit. Quæ in eo fortunæ, animique bona conuenerant, lux natalium, princeps affinitas, ſtudiorum celebritas, virtutum ornamenta, ac ſplendor, incorrupta morum indoles, quæ fama iam Aquilæ ſparſerat, viam illi ad omnium beneuolentiam, ac venerationem munierant: exceptuſque communi eius Vrbis gratulatione fuit. Tertiam hanc crucem ſuam affirmabat, eamque geſtare alacriter propoſuerat. Et prima quidem honoris quædam teſſera fuerat: adſcitus quippè ad inclytum D. Iacobi Ordinem, antequàm noſtrum capeſſeret, purpurea ea cruce pectus honeſtabat. Alteram, quæ Theatinum Inſtitutum eſt, egregia vi mentis, atque omnigena diſciplinæ obſeruantia ſuſtulerat. Inſulas, quæ grauior planè crux, incredibili quodam zelo, ardoreque animi capeſſiuit. Ac ſenſere ſtatim populi, quàm ſedulus Antiſtes operam, ac vigilias ſuas commodaret: vt qui non lanam à ſuis ouibus detondere, aut ad cutem eradere, ſed paſcere eas venerat. Et verò quicquid vectigalium annuorum ab eius Eccleſiæ cenſu Epiſcopo proueniret, pauperibus, atque in eccleſiæ vſum erogare magnificè inſtituit: cum ipſe interim victitaret non mediocri planè ſubſidio, quod germani fratres conteſtandæ inſigni beneuolentiæ è luculentis fortunis ſuis attributum illi liberaliter in ſingulos annos voluere. Cæterùm vt eas poſtea curas, ſedemque abdicauerit; vt Romæ perhonorifica cùm aulæ aſſenſione, ſtudioque Clementis Pontificis aliquandiù egerit, vt reliquam deindè vitam tranſmiſerit, perſtringam in loco.

Renunciatur Aquilæ Epiſcopus.

Eius eum lau. de doctrinæ periculum.

Eius in pauperes munificentia.

Qui ſub id tempus non ſine ſenſu Ordinis eſſe inter homines deſiuere, pretium eſt modo enarrare, vt conſignata litteris præclara eorum virtus, ſuperſtes io æuum duret. Exceſſit ineunte ſtatim anno Ignatius Pugiolus Neapolitanus, non vulgaris vir indolis, noſtræque diſciplinę cum paucis tenax. Præcipua illi in formandis ad pietatem moribus facultas inerat. Nam præter ſenſum quendam diuinorum, vſumq. virtutum, arcana vi dictionis valebat plurimùm, qua cœleſtium amorem, contemptũque mortalium inſtillabat. Nota hęc viri ſolertia: confluebantq. ex omni hominum cenſu, qui eius ſe ſe clientelæ committerent, atque in virtutis iter ingredi, eo duce, cuperent, quos ille diuina propemodùm arte ad præſtantiſſimum quoddam vitę genus, moreſque ſanctiores expoliebat. Nec minùs profectò calamo valebat, quàm lingua. Scripſit pleraque aſcetica: opus præſertim, quod inſcripſit, ſpeculum humanæ ſalutis. Tres in eò libri: ac primus quidem de fuga ſapientis, longè diſertiſſimus: alter de abſtinendo, & ſuſtinendo: tertius de contemptu mortis. Quod ipſe poſtremum operis argumentum vſu etiam, exemploque docuit, pręclara morte, quam Neapoli obiuit die menſis Ianuarij duodecima Paulina in domo; in qua elapſo

Ignatius Pugiolus moritur,

Eius partes,

Et ſcripta,

pro-

proximè anno mœrore omniũ peracerbo migrauerat in ipſo flore æui Hieronymus Lanfranchus; cùm maximè ab excellenti ingenio, concentuque virtutum ingentem ſui ſpem concitauerat. Efflorescentem intempeſtiuè, ac propè ad miraculum eius eruditionem aliàs memoraui. Præmaturè ſiquidem, antequàm ſacris Ordinibus iniriaretur, tradendis philoſophicis diſciplinis à B. Andrea Auellino fuit admorus. E ſuggeſtu item dicere, nondum ſacerdos, cœpit, plaudente non tàm ad ætatis acerbitatem, quàm ad maturioris doctrinæ, facundięque prę̨ſtantiam, populo. Quo quidem concionum tempore præter dicendi facultatem, & illud ſolidæ virtutis ſpecimen dedit. Defuncto ſiquidem ſuperiore nocte Patre, non adeò expugnari ab acerbiſſimo funere animi ſui tolerantiã permiſit, quin manè compoſito vultu, ac animo, ſolito linguæ officio ad populũ ageret. Et quod patientiæ laudẽ cumulauit, de morte loquutus, viſus è paternis exequijs, relicto alijs mœrore, dicendi ſibi duntaxat argumentum decerpſiſſe: vt planè animandæ, exornandæque declamationi funebris ea pompa, non perturbandis affectibus, deſeruierit. Quæ verò in Lanfrancho præclara adiumenta ingenij maximè commendabat, ea erat ſingularis quædam ſuauitas morum, qua omnium ſibi beneuolentiam adiungebat: idque citra omnem artem, ac placendi ſtudium, ſed naturę bonitate, ac ſua ſponte. Porrò quam in primis coluit pietatem, modeſtiſſimo ore præferebat. Familiare illi ſtudium, Dei præſentia. Dicta, factaque ſua omnia ad honeſti, ſanctique regulam componebat, perindè atque ſi præſens Numen adeſſet, moneretque officij. In ea ſummarum virtutum poſſeſſione communis profectò ſententia erat, nimis properè optimum Iuuenem conſenuiſſe: & quòd verebantur, ne feſtinatæ ſenectuti propior eſſet interitus, id accidit non mediocri cum bonorum ſenſu. Correptus ſiquidem graui morbo, ſupremò decubuit: nec ſine cœli illecebra conſequuta migratio mox eſt. Enimuerò dum extremo ſpiritu laboraret, perfuſus intima quadam voluptate, ac luce, ijs, qui aderant, diſertè narrauit, pleroſque è noſtratibus, qui iam deceſſerant, auro, & gemmis redimitos, eò aduenisse, qui ad illam, qua fruebantur ipſi, æternitatem inuitabant; in quorum planè complexu animam efflauit, tranſcriptus in cœlum, quò fuerat euocatus, idq. ſuperiore anno, vti ſignificatum eſt, contigit, die Octaua Maij.

Piè moritur Hieronymus Lanfranchus.

Fius ſtudia, & vis dicendi.

Declamat inter Patris parentalia.

Cætera eius virtus.

Noſtratum inuitamento cœlum petit.

Hoc autem anno apud Salentinos ſublatus item eſt Paulus Tuſus, maiorum luce cum primis clarus, qui è Ienſani Marchionibus, ſi paternum genus ſpectes, ſi maternum, è Gente Çarafa, ac Mataluni Ducibus ortum duxit. Moribus fuit ſuauiſſimis, lectiſſimaque indole, quam vt grauitas, ita & ſui deſpįcientia plurimùm commendabat. Ingenium illi natura capaciſſimum, excoluitque incredibili contentione, ac labore. Nulli vnquam fluxere viro, diſcendi flagrantiſſimo, ſine linea dies: quin adeò multus in ſtudiorum exercitatione erat, vt octonas fermè quotidiè horas literis impenderet. Hinc multiplex illi eruditio. ac promptus pro re nata in quolibet diſciplinarum genere ſermo: iſque non ſuperficie tenùs, ſed perquàm ſolidus, ac diſertiſſimus. Etenim Theologica, philoſophica, ſacras literas, ſtatuta Conciliorum, ſanctorumque Patrum eruditionem: ſacra item, ac profana hiſtoriarum monumenta: tùm linguarum principum proprietatem, ac ſenſum, atque alia quæuis ſcitu digna ea ſtatim ingenij perſpicuitate, facilitateque orationis, cùm res poſceret, explicabat, ac ſi in ſingulis ijs facultatibus eſſet quàm diligentiſſimè verſatus. Mirum propterea in eo fuit tanta cum ſtudiorum aſſiduitate coniunctum communis obſeruantiæ ſtudium. E domeſticis nanque officijs, ac muneribus religio illi erat, aliquod prætermittere. Ad hæc, preces quæ nonnihil interdum detrimenti patiuntur à nimia ſtudioſorum attentione, nunquàm viſus eiuſmodi eruditus labor imminuiſſe: partito nimirùm præclara quadam œconomia tempore. vt & ſuus eſſet ingenio, & ſuus pietati locus: idque peculiare in eo erat, abſumptas, detritaſque à ſtudijs vires, non iucundis de more confabulationibus, ſed oratione, pijſque exercitijs inſtaurare. Cum hac verò literarum complexione inerat admirabilis quædam dicendi facultas, qua non mediocrem ſibi famam inter declamatores conciliauerat: Fuitque hoc etiam facundę dictionis nomine Principum, atque Antiſtitum pleriſque percarus. Nouerat illum in primis Gregorius Pontifex Quartusdecimus, amabatque in eo cùm doctrinarum ornamenta, tùm ſolidam, flagrantemque eloquentiam. Cùm primùm conſalutatus Pontifex

Pauli Tuſi mors, & mores.

Et multiplex rerum cognitio;

Et regularis diſciplina;

Valuit item eloquentia,

Digitized by Google

ſex fuit, vt Cremonenſi Eccleſiæ, à qua euectus ad ſacrotum Principatum fuerat, bé-
Gregor. XIV, carus, neuolentiæ ſpecimen daret, Paulum Tuſum eò deſtinauit, habendis per magnum
ieiunium concionibus; & vt amantiſſimæ Ciuitatis ordini, ac populo, dilargita am-
pliſſima noxarum indulgentia, ſuo nomine bene precaretur. Demùm cùm nec aſ-
ſiduis laboribus, nec ſibi parceret, exitum feſtinauit ſuum. Nam Licij cùm ferijs
Quadrageſimæ aſſenſione omnium, plauſuque declamaret, non dum eo concionum
curriculo expleto, vitæ metam attigit, neſcias maiore conſtantia, an pietate? Ta-
Licij inter Quadrageſimæ conciones moritur. cuiſſe repentè publicam eam vocem, ac neruos illos eloquentiæ inter dicendum eli-
ſos, nimiùm quantùm Licienſes doluerint; ac teſtatæ dolorem ſunt ad honorificen-
tiſſimum funus lachrymæ.

Parentauimus ſub huius anni finem & pijſſimo cuidam fratri, cuius obſcura, qui-
dem fuere natalia, non virtus. Fuit is Leonardus Onuphrius à Sancto Secundino,
quod modicum eſt in agro Capuano oppidũ. Planè loco tàm humili natus, haud vi-
debatur, cooptari in noſtrum Ordinem facilè poſſe, in quem nonniſi honeſtiſſimum
plerumque genus admittitur: tamen cum eo deſiderio flagraret Leonardus, auſus
rogare timidè. Qui tùm Capuani Cœnobij Præpoſitum agebat, Petrus Antonius Gar-
ganus, vir vt pius, ita in ęſtimanda virtute acerrimus, quandam elucere in Iuuenis
vultu indolem vidit, non quidem generi parem, ſed quę in ſpem nobiliſſimæ cuiuſdã
virtutis adoleſceret. Quare, commendato apud animum ſuum adoleſcente, quic-
quid erat infimę ſortis, ac ſtirpis velare inſigni morum innocentia, ac facultate inge-
Leonardus Onuphrius adſciſcitur in Ordinem. nij ſtuduit; euicitq. à Patribus, vt inter Clericos adſciſceretur. Iam, quę principem
in eo locum virtus obtinuit, ea fuit ab hac natalium humilitate ſingularis modeſtia,
animique demiſſio. Enimuerò cum plura elucerent in eo animi bona, quæ compen-
ſare eas tenebras poſſent; obuerſari nihilominùs ſemper animo genus voluit: miſce-
batque veluti cũ auro fictilia, vt ea recordatione in poſtremis conſiſteret. Quapro-
pter, nunquam non arrepta occaſione, de ſe, ſuaque domo perquàm demiſsè loque-
batur: vt accidit præſertim cùm inſpecturus Capuanam domũ, eò Pater Generalis
Eius humilitas. aduenit. Nam cùm de more Patres occurriſſent, manus exoſculaturi, edoceri is iu-
niorum nomina, patriam, genus voluit. Vbi ad modeſtiſſimum Iuuenem ventum,
diſſimulare nomẽclator, ſiue honeſtare ſolum patrium viſus; illum eſſe Leonardum
à Capua, inquit. Quam ille viri beneuolentiam, vt quę non ad palatum humilitatis
Patriæ, & generis ignobilitatem oſtentat. accidcrat, ſtatim reſpuit: & Patria mihi eſt, ait, non Capua, ſed quoddam Capuæ
oppidulum, genuitque è pago muliercula. Planè non ille ignobilis, qui hæc vltrò
natalium decora iactabat. Illud etiam præclarum eius modeſtiæ ſpecimen. Siqui-
dem eum deambulare animi cauſa iuniorum claſſem extra Ciuitatem contingeret, nõ
rarò occurrebat mater, quæ nundinas inter ſui ſimiles peteret. Aſpectum, ac cul-
tum non modo non refugere Leonardus, ſed alloqui coram ſodalibus gratanter, eiuſ-
Eius modeſtia. que manibus libare oſcula, atque omni officio complecti, videbatur. Humilitatis vt
cœterarum virtutum Satellitium latus munit, ita quidam maximè externus oris ha-
bitus, ac modeſtia exornat. Hinc Leonardo compoſitus adeò vultus, vt factus naturæ
ad modeſtiam videretur. Defixos humi oculos, pro miraculo erat, ſi aliquando at-
tolleret. Geſtus nunquam illi, aut fractior, aut pro ſubito caſu vehementior: ne ęſta-
te quidem, dum acriore morſu vexant muſcæ, abigere eas viſus, modeſtus perin-
de, ac patiens. Iam, orationis ſtudio vſque adeò addictus, vt, vel cùm ſtatis ho-
ris conuenire ad animi remiſſionem, aut deambulare cum alijs oporteret, preces
funderet. In cellula orabat ſemper, idque de genu, ac medio in conclaui, ne eſſet
vbi inniteretur. Compellatus, mota ſella, ſurgere ſimulabat: tùm ſerena quadã fron-
te, qualis à precibus plerũq. emicat, vocantem adibat. Princeps illi in Deiparam
pietas. Precarium eius ſertum rarò è manibus dimittere: vt. vel inter occupationes
percurreret religioſè, ac recitaret. Nihil illi frequentiùs, quàm de magna Matre ſer-
Et orationis ſtudium. mones ſerere, ac diſputationes inſtituere: inflammari mirificè ijs diſſertationibus, ac
cõfabulationibus videbatur. Hoc fonte hauſtus eximius ille mentis, atq. animi can-
dor, peculiare Leonardi decus. Inruentibus quædam ſtatim occurrebat innocen-
tiæ imago, ac ſpeculũ. Quippè nulli ab eo actus, ac verba, niſi quæ pudor imperaſſet.
Hac virtutũ exiſtimatione, florente licet nimiùm æuo, Leonardum idoneum repu-
tarunt;

tarunt, quem tyronum magiſtri ſocium deſignarent: cuius quidem grauiſſimi muneris partes ea omnium comprobatione, eaque cum religioſę adoleſcentiæ diſciplina, ac fructu obibat, vt citra nomen ſineret illum magiſter totam ferè prouinciam procurare. Maturuiſſe verò tàm citò virtutem, propioris caſus indicium fuit. Tentari morbo cœpit, cuius diuturnitas periclitari inſignem patientiam, atque expolire etiam potuit. Inſtante fati die, diuina quadam perfuſus luce, cœloque edoctus, viſus ſupremam eam horam pręſciuiſſe: deceſsitque inter pias fratrum cohortationes, ac lacrymas ipſo naſcentis Dei peruigilio, exacturus pleniore quidem lætitia feſtum illum diem inter angelorum choros, ac plauſus. *Tyrones procurat.*

Fuere hęc noſtratum funera moleſtiſſima Ordini, quòd imminui pręclara exempla excellentium capitum iactura viderentur. Adauxit verò multò vehementiùs ſenſum, ac deſiderium erepta conſequenti mox anno pręſtantiſſimorum hominum virtus, quæ hic etiam vt ad poſterorum memoriam, atque imitamentum viuat, enarranda. Sed meminerim priùs, parum abfuiſſe, quin hoc euntis ſeculi anno quarto ſupra nonageſimum Auellinum, ſuptuagenario maiorem vis morbi acerrima in Neapolitano Diui Pauli cœnobio conficeret. Curatus admiranda quadam ratione, eòque conſignandum literis factum. Peracri correptus febri Auellinus, æſtuabat quidem periculosè, ſed æſtum longè cumulabat ſtomachi languor, quo nihil ſenibus pernicioſius. Detritę nanque ſenio, tùm morbo vires cùm inſtaurari cibo ab ſtomachi contumacia minimè poſſint, certiſsimus inde, ac propior interitus. Matthæus Bencius, quem ſæpè nominaui, vir probus, & medicæ etiam artis conſultus, eam tùm domum adminiſtrabat, qui ſanè, quicquid à ſedulitate operæ, aut opis à facultate afferre Beato Seni poterat, abundè impendit. Verùm cùm & aliorum etiam medicorum nauitas accuratè adeſſet, fruſtra erant omnia, reluctante morbo, ac æuo. Et Andreæ quidem nihil potiùs, quàm pro Chriſto pati, pronunciabatque ſæpiùs, tolerantiæ confirmandę, ea verba: Aut Dei filiatio relinquenda, aut libenter tribulationum crux amplectenda. Erat hęc illi ſententia familiaris, qua non ad ſuos modò, ſed ad aliorum etiam veluti præſentiſsimo remedio curandos morbos vtebatur. Atque hoc quidem patiendi ſtudio cùm peregrina, ac pretioſiora præſidia recuſaret, illud ſubindè rogabat, vt quando adhiberi opem vellent, ſua ſe curari arte ſinerent. Medicamentum id erat, conſuetis veſci dapibus: fabis nempè, faſeolis, atque delicatis iſtiuſmodi edulijs. Quod inſolens quidem, ac tùm exhauſto viribus corpori, tùm affecto præſertim ſtomacho omninò intempeſtiuum, ac noxium. Attamen permiſſum: quòd adeſſe Numen, ac diuinam in exquiſito eo ciborum genere opem, pro certo haberent. Mirum planè dictu. Succeſſere ea pharmaca, ac reſtitutus non poſt multò ſanitati Andreas: qui, quòd non ſemel eodem poſtea vſus remedio, conualuerat, colere adſtrictiore quodam inſtituto abſtinentiam cœpit, eiuſque deprædicare vim ſupra omnem medicorum artem, ac ſtudium efficacem. Planè admiranda iſthæc exempla, non imitanda: tamen intelligere inde eſt, non adeò in ſui curam intendere Religioſos viros debere, vt delicatiùs haberi, atque vltra paupertatis, ſuęque diſciplinæ modum ſe ſinant. Eſſe ſupra mala omnia, ac ſupra curationum conſilia Deum, aiebat frequenter ipſemet Andreas, qui monenti peramanter, vt aliquam ſenij, ſuique rationem haberet, ad ſacros ſtatim Canones confugit; laudauitque[a] decretum illud, in quo grauiſsima, atque aurea illi Diui Ambroſij verba adnotantur: Contraria, inquit, ſunt diuinę cognitioni præcepta medicinæ. A ieiunio reuocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui ſe medicis dederit, ſeipſum ſibi abnegat.

B. Andreas Auellinus periculosè decumbit.

Sanatur viliore annona.

Quid religioſos in curandis morbis deceat.

Itaque nouo, inuſitatoque remedij genere declinauit fatum Auellinus. Atenim, qui anxiè boni ſenis ſalutem curauerat Matthęus Bencius, lethali ipſe morbo poſt paulò decubuit, quo breui exhauſtus, mortalitatem depoſuit. Vir fuit Bencius ſupra communem indolem, atque omnium, quotquot illum nouerant, teſtimonio comitate morum, vitę ſanctimonia, prudentię numeris, ac cœtera virtutum laude inclytus. Eius primas veluti lineas alibi duximus: nunc vultus ab integro delineandi: Etſi de tanta rerum piè geſtarum frequentia ſatis plura Bencij modeſtia inumbrauerit, quàm noſtratum induſtria diligenti poſtea perueſtigatione *Matthæi Bencij funus.*

ne

Eius Patria & genus.

ne in lucem communis notitiæ traxerit. Patria fuit Politianus, honeſtis parentibus. Matcelli Secundi Maximi Pontificis ex ſorore nepos, ac Robetti Bellarmini, & Franciſci Mariæ Taurusij, ex ampliſſimo Senatu Patrum, quà pietate, quà doctrinarum ſplendore longè ampliſſimorum, ſororius. Patet illi Gallienus Bencius, ſingulari vir

Et educatio.

probitate, cui vt hanc vitæ vſuram, ita & morum ſanctiorum cultum Matthæus debet: quippè cuius ſtatim inſtitutione, exemploque ætatis rudimentum diuinorum ſenſu, vſuque ad ſolidam quandam pietatem effinxit. Inter ſtudiorũ auocamenta, & coœuæ iuuentutis licentiam modeſtiam ita retinuit, vt Laura Bencia, amita, pijſſima fœmina prædiuinauerit, fore, vt in præclaram quandam virtutem flos ille ſpectatæ indolis euaderet, Naturæ quidam genius in medicam attem impulit, quam poſtea ita

Et ſtudia.

exercuit, vt ſimul morbos, & opportunis remedijs iuuaret, & precibus. Conſtat nanque, ſi quando vrgere mali vim cetneret, vbi quæſita imperaſſet pharmaca, ſolitum, efficaciora ab aris, ac ſacris medicamenta accerſere. Hac medendi peritia commendatiſſimum, inter ſuos adoptauit Chriſtophorus Madrucius Cardinalis Tridentinus;

Religioſum inſtitutum co...erat cum Eliſæo Nardino.

ſed cuius opera non ſatis diù vſus. Enimuerò quæ latebant in Bencij pectore pietatis ſemina, efflorueге in pulcherrimam ſtatim frugem, ac cogitare ſtatum vitæ ſanctiorem, receſſumque ab humanis cœpit. In eodem Mudruciano Contubernio erat honeſto apud Cardinalem loco, ac munere Eliſæus Nardinus, qui eadem afflatus mente, idem ineundi religioſi Ordinis conſilium conceperat, Bencio morum grauitate, cultuque pietatis, vt ſimillimus, ita amiciſsimus. Cum hoc ille communicare propoſitum ſtatuit, erectuſq. vehementiùs eſt ad pręclaram eam mentem, vbi hoc ipſum agitare animo Nardinum cognouit. Quare mutuis animati colloquijs, explorare adhuc accuratiùs diuini Numinis voluntatem ſtatuere, atque optimum factu puta-

Tauruſium conſulunt.

runt, Franciſcum Mariam Tauruſium, quem modò appellaui, Bencij ſobrinum, integritatis, ac prudentiæ fama Romæ tunc celebrem, vnà ſimul conuenire: qui, etſi commendauit prolixè conſilium, rem tamen grauiſsimam deferendam ad quendam è

Mox Capuccinum.

Capuccinorum familia, ſanctioris diſciplinæ aſcetam, atque arcano quodam Spiritu vulgò notum, duxit, Atque is quidem egregium par hominum intuitus, rogatuſque an rem probaret? nihil differendum, pronunciauit. Compertum habere ſe, conſilium à Deo eſſe: ſequerētur, quo diuina vis propelleret. Delectu duntaxat opus eſſe; vt, ſcilicet, inter tot Religioſorum familias eam legerent, quæ fuerit conceptis vitæ rationibus accomodatior. Cumque ea ſuper re conſulere in medium cœpiſſent, tandem Capuccinus: Mihi, inquit, perſuaſum habeo, peropportunum conditioni, genioque veſtro Clericorum Regularium Ordinem fore. Rem nempè animorum ita agitat, vt

Qui Theatinũ Ordinem proponit.

rerum cœleſtium contemplationi apprimè vacet: eàque propter & ſubduci ab aula, eiuſque celebritate, vt votum eſt, continget, nec decrit lucrandis Deo mortalibus pulcherrima vobis ſeges, & campus. Ergò, & Religionem inire, & Regulatium præſertim Clericorum diſciplinam complecti, apud animum ſuum decreuit cum Nardino, veluti ſuo cũ ſanctiore Pylade, Bencius; qui ne capeſſendi religioſi inſtituti conſilium intempeſtiuè proderet, quoad rem familiarem ordinaſſet, & ſimul ne Cardinali Tridentino, grandœuo, affectoque Seni, improuiſa hæc familiaris Medici abalienatio accideret; ſed quædam intercederet, ſufficiendo alteri; mora, hac vſus atte eſt.

Bencius à Card. Madrucio abeundi facultatẽ petit.

Domus Præfectum adit. Cardinalis humanitatem erga ſua, ac ſe intimè profitetur, habetq. prolixiùs gratias. Tũ oportere ſe, ait, intra menſes circiter quinque ad aulã tranſire Principis longè grandioris: non dubitare ſe, fore, vt id minimè moleſtum, aut incommodum Cardinali accidat. Monuiſſe porrò tempeſtiuiùs, vt curandæ eius valetudini, deligeret interea temporis, qui muneri, locoque ſuccederet. Madrucium, & ſi priuari optimo, & viro, & medico ęgrè ferret, tùm id maximè angebat, poſthaberi ſe alteri, ac veluti deſpici. Principes nanque, vt ingrata, atque aſpera tolerare prudenter ſciant, contemptum nunquam æquo animo tulere. Quarè, quòd crederet, Bencium, noua gratia, ac ſpe captum, mutare aulam, ac Principem velle, offenſus

Indignatur Cardinalis,

vehementer, iniuriam minimè ſe diſsimulare, videri voluit. Quocirca, inducto ſupercilio, auerſari hominem: non verbis, non benignitatis de more argumentis honeſtare: ſi quid valerudo tentaſſet, aliorum, non Bencij vti opera, Et quæ ad Principis vultus fingitur, mutaturque momentò aula, non illi contubernalium quiſque

be-

Relig. 71.

beneuolentior. Abalienari pro modo, priuatamque eius conſuetudinem declinare conabantur, ne attactu noceret inuidia. Quę ſanè moleſtiſsima ex ſe Bencio: ſed nō ea erant, quæ virum conſtantiſsimum loco dimouerent. Quin etiam cum intelligeret, proluſiones eas eſſe ſanctioris palæſtræ, quam ſibi propoſuerat, æqua fronte, animoque per id tolerantiæ exercitium ad laborioſa, atque aſpera ſe religioſæ vitæ comparabat: gaudebatque, non omninò patiendi rudem fore ſe in complexum crucis admittendum.

Indignationē æquo animo fert Bencius.

Inter hæc, compoſita re familiari, quòd ineundæ iam Sodalitatis tempus appetijſſet, eundem ipſum compellauit domus Præfectum, monuitque apertè conſilij. Grandiorem nempè Principem, in cuius ſe clientelam inuitatum pridem dixerat, eſſe Regem Regum Deum, qui ad Theatinum Inſtitutum per ſummam indulgentiam vocauerat. Exſolutum ſe iam curis ſecularibus, ac fore, vt propè diem exequutioni propoſitum commendaret: Interim facultatem, ac miſsionem à beneuolentiſsimo Cardinali petere: cui quidem peregregia hęc Bencij deliberatio mirum, quam grata acciderit: tùm quia è domo ſua tranſire ad clauſtra viros bonos cerneret, tùm verò, quòd non ſibi illudi, neque ad mortalium Principum ſeruitutem, ac gratiam dilabi domeſticos ſuos, agnouiſſet. Ergò, abſterſo ſubirati animi ſenſu, redijt beneuolentia: complexuſque humaniſsimè virum, gratulatus illi etiam, atque etiam conſilium eſt.

Qui detecto Religionis conſilio.

Cardinalis beneuolentiæ reſtituitur.

Atque his perfunctus officijs Bencius, inſigni planè die, nempè qua ſacroſancti Chriſti Corporis ſolennitas celebrabatur, menſis Iunij ſexta, anno eius ſeculi ſeptimo, & ſeptuageſimo, vnà cum Eliſæo Nardino, quem dixi, Religioni in Quirinali D. Silueſtri cœnobio nomen dedit.

Init Ordinem cum Nardino Bencius.

Operam inſtituendis in ea domo tyronibus dabat Ioannes Baptiſta Viualdus, vir, vt alibi ſignificatum eſt, ab omni virtutum genere inſtructus, at in hac potiſsimùm fingendæ indolis laude commendatiſsimus. Hunc ille rectorem nactus, agnoſcere propiùs, atque attentiùs Dei beneficium, æſtimare momenta rerum diuinarum, atque mirificè communis vitę ſtudio, adamare intimè paupertatem, pias corporis afflictationes complecti acriore quodam ſenſu cœpit: vt vel in ipſo ſtatim tyrocinio confeciſſe abſolutæ cuiuſdam virtutis ſpatia, metamque attigiſſe perfectionis videretur.

Eius in tyrocinio progreſſus.

Illud præcipuè in votis erat, nuncupare ſolennia Congregationis vota. Mora Viro flagrantiſsimo moleſtior, quàm vt ferre animus poſſet. Quocirca occupare impetu quodam, priuataq. religione tempus voluit. Nam lapſo vix ab ingreſſu trimeſtri, ante aram principem D. Silueſtri, citra celebritatem, ſe tantùm teſte, ac cœlo, votorum Sactamentum ex compoſita ſibi formula ſuſcepit. Adnotatum ipſe factum voluit in libello quodam autographo, qui poſt eius obitum repertus, vnà cum pijs aliquot commentationibus hoc etiam profeſsionis authoramentum, conſignatum literis habebat his omninò verbis: Moneo, hac die ſecunda, & vigeſima Septembris, quę lucem, Diuo Apoſtolo Matthæo, Patrono meo, ſacram conſequitur, me Matthæum Bencium, Gallieni Bencij filium: cùm poſt horas antelucanas vnà cum cæteris fratribus ante Anguſtiſsimam Euchariſtiam vacarem de more orationi, nuncupaſſe Deo paupertatis, caſtitatis, & obedientię vota in hæc verba: Domine Deus voueo, & promitto tibi Patri, Filio, & Spiritui Sancto, ſeruaturum me ob diuinę Maieſtatis tuę amorem paupertatem, caſtitatem, obedientiam, ac precor, vt quod ſummè cupio, impetrare à te tandem valeam: ſcilicet, vt liceat profeſsionem id loci emittere, & quòd polliceor in præſentiarum affectu cordis, hoc ipſum externo cultu, rituque præſtem in hac Sacra Congregatione, vel vbi Maieſtati tuę libuerit, in cuius honorem, ac laudem, ſalutēque animę meæ hoc omne cedat.

Priuatim Religionis vota nuncupat.

Sic publicæ profeſsioni proluſit Bencius, qui haud aliam ad ſolennia vota opportuniorem ſibi viam muniendam duxit, quàm vota ipſa; quæ poſtea emiſit incredibili quodam ſtudio, ſenſuq. pietatis: vt planè declarauerit, non perfunctoriam, aut in ſpeciem externam illam inaugurationem eſſe, qua ſe penitùs, tantoq. cum animi ardore dedicabat.

Iam verò quanta cum religioſæ diſciplinæ, morumque progreſsione tyrocinium poſuerit Bencius, explicata deindè in commune bonum multiplex virtus, luculenter oſtendit. Charitas, quæ maximè eſt ab diuino, natiuoque quodam igne volucris, viſa principem in eo locum obtinuiſſe. Enimuerò infirmorum ſtatim curę addictus, obiecta viro incitatiſsimo par ſeges fuit: & qui ſanandis olim ęgrotis eximiam artis pe-

Eius charitas.

peritiam, iiſdem nunc inſeruiendis, fouendiſq. flagrantiſſimæ charitatis operam adhibuit. Aderat aſſiduò muneri: pleraque ſua manu curare: non labores, non abiecta, ac ſordida abhorrere: ad explorandos morborum impetus, ac vices alieno quidē tempore exeubare: monitis etiam, ac naturali quadam ſuauiloquentia lenire pharmaca. Sanè plusſquam medicorum eruditioni, Bencij ſtudio, ac charitati debere ſe, decumbentium quiſque fatebatur. Quod verò præcipuum eſt charitatis ingenium, pauperes, eorumque inopiam ſubleuare, hoc illi in primis ſolenne, ac gratum. Cum adminiſtrare domos contingeret, modò extraneis pauperibus benè eſſet, non ſuæ, non ſuorum neceſſitatis rationem habere: nec in obuios quoſque ſpargi duntaxat manus cupiebat, ſed occultis etiam miſerijs ſingulari quodam inſtinctu pietatis conſulere: ac dicere ſolitus erat, nunquam à Deo deſtitutum iri charitatem illam, quæ non alios deſtitueret: ceu familiam illæ præſertim opes alant, quæ in aliorum vſum erogat plena manu. Quæ cum inſignis planè eſſet in mortales charitas, tùm longè vehementior illa erat, quam in mortuos impendebat. Enimuerò cum ſatis intelligeret, longè miſerabiliorem eorum ſtatum eſſe, ferri acriore in eos ſtudio videbatur. Sæpè intempeſtæ noctis ſilentio Neapolitanum D. Pauli cœmeterium, ſecretum ſub templo locum, adibat, ibique in ſeipſum piè ſæuus, prolixa verberatione corpus exercebat, quoad largus manaret ſanguis: eoque pretio diſsoluere æs alienum, quo pij manes obſtricti in Purgatorio detinebantur, contendebat. Atque hanc quidem ſui diuerberandi in cœmeterio conſuetudinem, quo tempore in Diui Siluestri cœnobio eſt immoratus, tenuit. Id, quod caſu à quopiam deprehenſum, obſeruatum poſtea dedita opera fuit, perutili planè ſtudio: vt præclaro hoc exemplo cæteri edocerentur, quo ſuffragio, & quanto cum ſanguinis diſpendio iuuandi mortui eſsent. Porrò, vt rei fides conſtaret, defuncto viro ſanctiſſimo, viſa in exhauſto eius corpore inſignia vulnerum, quæ generoſior pietas impreſſerat. Hactenùs, dictante charitate, aſper, ac ſæuus Bencius: cæterùm blandiſſimus, atque oppidò lenis fuit: vt nulla planè in eo fuerit familiarior, atque excellentior virtus, quàm manſuetudo. Siquidem, vt nunquam viſus alios non leniſſimè accepiſse, ita laceſſitus ipſe interdum verborum aſperitate, nunquam non peramicam, ſerenamque frontem obiecit. Ac ſemel præſertim accidit, vt grandi quodam conuicio proſciſſus, cum maximè periclitari manſuetudo videri poſset, inſignem iniuriam inſigni comitate vicerit: ita vt mirarentur plerique omnes ſupra omnem contumeliam indolem. Planè, vt neceſſaria, ita rara hæc in Rectoribus virtus. Publico nanque muneri auctoritas ineſt, cui quoddam ſupercilium, ac nimius ſtatim rigor adnaſcitur. Præſertim cum vti interdum cenſura, ac vindicatione oporteat, ſine qua conſiſtere diſciplina, ac leges nequeunt. In Bencio admirandus planè fuit auctoritatis, & manſuetudinis nexus. Flagrabat vir religioſiſſimus obſeruantiæ zelo, ac nunquam viſa detraxiſse lenitati ſeueritas. Semel cum fratrem, fatentem de more media in cœnatione culpam, increparet, aduertit ſolito vehementiùs accendi, ardoreque orationis nimis prouehi mulctam. Quarè, nè manſuetudinis locum occuparet acerbitas, abrupit continuò correctionem, dimiſitque impunitam noxam: ac docuit, religioſæ diſciplinæ congruentiùs interdum eſse, vt peccet lenitas, quàm rigor. Iterùm, admiſsam à quopiam negligentiam viſus ſibi acerbiùs vindicaſse, cœpitque peracri quodam morſu, ceu ſuæ manſuetudinis reus, vellicari: nec antea quieuit, quàm ſibi perſuaſiſſet, dignum fuiſse illum aſperiore ea mulcta, quòd aliàs impunè deliquiſset. Neque prætermittenda & illa cum vno quopiam è laicis fratribus agendi ratio. Opſonatoris officio illum deſtinauerat, qui minùs cogitans, meliorem eſse obedientiam, quàm victimam, obluctari, ac prætextum adornare, quòd vacare interno homini cuperet. Nempè id ſibi, cùm Religionem iniuerat, propoſuiſse: contra verò vias, ac fora quotidiano vſu terere, cum omni mortalium genere vniuerſim agere, in dati, acceptiq. rationibus ſupputandis totum eſse, ac cœtera actuoſi, externique huiuſmodi operis exercere, nil aliud eſse, quàm diſſipari omninò mentem, ac diſtrahi ab exercitio pietatis. Ad hæc Bencius, ceu morem gereret bono fratri, interrogare: ecquod vellet ſibi è domeſticis officijs potiſſimùm iniungi? id nempè percupere: ſingulorum votis, ac genio, quoad fas eſset, occurrere, atque ea facilitate, ac beneuolentia acco-

modare

Præcipuè in infirmos.

Et in pauperes.

Et in defunctorú manes.

Eius manſuetudo.

In corrigēdis fratribus.

modare ſe ſe hominis imbecillitati viſus eſt: vt mirari ille manſuetudinem, ac verecundia ſuffuſus, dare manus cœperit. Ac tùm quidem Prępoſitus humaniſsimè: Age, inquit, experire: ſi moleſtiam ſubindè creauerit munus, ibo commutatum. Qua beneuolentia victus omninò frater, atque in genua prouolutus, refractarij ingenij veniam popoſcit: pollicitus, ſubiturum ſe vltrò quicquid imperaſſet. Hac arte ſuos regebat Bencius, quos tunc benigniùs appellabat, habebatq; cùm vehementiore animi perturbatione agitari, inſtinctuque mali genij tentari maximè aduerteret. Ac tùm quidem, vt opportuniùs ad frugem reuocaret, prębere quàm patientiſsimas aures ſolitus erat; ac impenſiùs vrgere, vt ſuam ipſi cauſam perorarent. Illum aliquando ſacerdos quidam, quocum familiariter agebat, acrioris zeli monuit, perſtricta nonnihil naturæ facilitate: cui ipſe: Experire, inquit, experire; quod cùm ſæpiùs pronunciaret, diſertè docuit, quantò eſſet aliquando patientia, & comitas quouis zelo actuoſior: vtque ſignatis veluti tabulis ageret, exemploque rem luculentiùs commonſtraret, Dioniſij Areopagitæ epiſtolam ad Demophilum Epiſcopum, qui vehementior in corrigendo erat, legendam prębuit, quæ id in primis memorat, admirabili quodam viſu increpatum diuinitùs Carpenſem Epiſcopum, quòd indulgentiam ſeueritati, zeloque poſthaberet. Et verò cum familiaris quędam adminiſtra; aut comes prudentiæ ſit morũ facilitas, ac manſuetudo, mitiſsimus eſſe debuit Bencius, cui pręſtantiſsimum quoddam prudentiæ genus inerat: illud nempè; quod cœlo hauſtum, nullum habet cum vulgari ſolertia, humaniſque artibus commercium. Perſpecta eximia hæc in eo virtus, ſtatimque inſtituendis tyronibus admotus, quod grauiſsimum, ac maturioris prudentię in religioſis Ordinibus eſt munus. Excellat quidem ſupra communem virtutem Magiſter, neceſse eſt, cui propoſitum opus eſt longè difficillimum: nempè inſitas natura propenſiones euellere, homineſque ad ſeculi mores, ac leges conformatos, recoquere. Iam, in tradendis hiſce ſpiritus, ac diſciplinæ rudimentis illud Bencio præcipuæ curæ erat, indolem, genium, ac naturales cuiuſque affectiones, ac motus obſeruare, quod quidem non exiguum habere ad virtutum adeptionem momentum intelligebat. Hac ſiquidem inſtructus notitia, aptare ad ſingulorum captum, ac propenſionem documenta conabatur: ac pro genij diuerſitate acriùs, blandiùs agere; his frænos inijcere, his adijcere ſtimulos: tùm labores, quietem, ſtudia, morborum etiam remedia ad naturæ lancem expendere, atque attemperare. Ad hæc, & alijs prudentię artibus vtebatur, quæ nouitijs fingendis opportuniſsimæ videbantur. Rationem perquàm exactè habere temporis, eiuſque ſingulari quadam parſimonia momenta æſtimare, ne infructuosè dilaberentur, edocere: cibi, ſomnique modum præſcribere, ne inſoleſceret inde naturæ genius: dicta, factaque, diemque ipſum diligentiſſimè recognoſci iubebat: tùm magiſtro aperire omnia, ne infernus hoſtis occultis de more cuniculis tyronum animos ſubiret. Atque in hac quidem pectoris cuiuſque cognitione, quòd magnam profectus partem reponeret, mirum, quàm ſolerter, ac prolixè moneret, vt animum quiſque euulgaret ſuum, traheretque occulta in lucem. Præterquàm quod valebat ipſe acerrimo quodam inſtinctu prudentię, quo arcana pectorum penetraret: ac ſæpè accidit, vt quæ quis occulta vellet, ex ſe proderet, ne magiſter prædiuinaret. Nempè à vultu, à fronte, ab inceſſu totum æſtimare nouitium ſolitus erat: vnde & reliquam etiam vitam, æuique mores futuri prænunciabat: vt rarò iudicium, atque euentus fallerent. Illud præſertim admirationi aliquando fuit, quòd cùm de tyrone quodam ſermo eſset, cuius inſignis quædam modeſtia, & capax diſciplinę indoles concitaſse ingentem ſui expectationem videbatur, ipſe perſpicaciore quadam vi mentis: Vtinã, inquit, conſtantiam in Ordine teneat: probauitque breui prædictionem exitus. Nã, exuto habitu, Iuuenis conceptas ab omnibus ſpes luſit. Hanc porrò in moribus inſtituendis, formandiſque prudentiam & exteris etiam probauit Bencius. Enimuerò cùm quidam è D. Bernardi diſciplina, Congregationis, quam Fulienſem vocant, è Gallia Romam ſe contuliſſent, vt figerent ibi domiciliũ; conformare ad Italicum morem inſtitutum, vitæque ſuę rationes oportuit. Qui id conficeret, Matthæum Bencium, Romæ ab hac religioſę prudentiæ laude notiſſimum, deligunt. Et adfuit ille ea quidem ſolertia, ac ſtudio, vt vigeat adhuc inter præſtantiſſimos viros eius cõ-

Quid zelum ſuggerenti reſpóderit?

Bencij prudentia.

Formandis nouitijs adhibitus.

Eius in eo munere agendi ratio.

In cognoſcẽda indole iudicium.

Tyronem quendam nõ perſeueraturũ prænunciat.

Fulienſes monachos inſtruit.

mendatio. Sed fuſiùs hæc aliàs explicata. Redeo ad noſtra. E tyrocinio ad domorum regimen prouocata egregia viri virtus, haud facilè dictu eſt, vt opinioni, votiſq; omnium cumulatè reſponderit. Siuè inducenda, ſiuè inſtauranda, aut vrgenda eſſet legum obſeruantia, rem tempore, ac loco ita accurabat, vt, dum ſtrenuè caueret diſciplinæ, nulli interea faſtidio, ac moleſtiæ eſſet. Communi omnium commodo aduigilabat, vt cùm ijs proſpiceret, qui ſuas aperirent neceſſitates, ad illos ſtatim ſollicitudo recurreret, qui nihil peterent: aiebat quippè: fortè, qui tacent, grauiùs indigent. In emendandis verò moribus nihil eius dexteritate aptius. Cenſuram nec diſſimulare, nec intempeſtiuè obtrudere: pleraque non vultu, non monitis, ſed ſuo exemplo corrigere: nullusque vnquam viſus, medicinam reſpuiſſe ab ea manu. Quidam in nimiam ſuarum virium confidentiam venerat, auebatque complecti multa, atque ab ea munerum, operumque varietate gloriolæ nonnihil captabat. Perſanare illum ſapienti quadam ratione inſtituit Bencius. Imponere ſiquidem alios ſuper alios labores cœpit, ea quidem mente, vt qui ſibi arrogabat plurimùm, ab ea rerum mole deficeret; fractuſque, dum opem imploraret, moneret ipſe ſuæ arrogantiæ elatum ingenium. Succeſſitque planè conſilium. Nam cùm is multiplici muneri minùs ſufficeret, eſsetque in ſingulis remiſſior, locum Præpoſiti increpationi dedit: atque adeò operum varietas, ac nimia actuoſitas, quæ morbus erat, remedium morbo ipſi fecit. Exigua hæc quidem videri poterunt, ſed quę non exiguam in grauioribus rerum momentis eius prudentiam indicant, veluti ex vngue.

Eius in domorum præfecturis adminiſtrandis ratio.

Et dexteritas,

Hinc cum de vniuerſi Ordinis procuratione ageretur, ac deligendus primò eſset qui ſummo iure tegeret, ab hac laude prudentiæ deſignatus ipſe cum duobus alijs fuit à Sixto Quinto Pontifice: & iam plenis ſuffragijs incumbere in Bencium Patres videbantur, cum ipſe eo quidem ſtudio, quo quæri à pleriſque mortalium præfecturæ ſolent, ſupremum munus auerſatus, id precibus, ac lacrymis euicit, vt aliò comitia flecterentur. Nempè coniuncta cum inſigni prudentia inſignis etiam humilitas erat, quæ, vt peculiaris in eo virtus, paucis nunc etiam perſtringenda. Et ſanè præter reliqua modeſtię, animique demiſsionis documenta, viſus potiſsimùm omnem honorum ſpeciem, & quicquid aliquid in ſe lucis præſeferret, vehementer auerſari. Ne ſacris ordinibus initiaretur, indignum eo ſe gradu putans, ſtrenuè eſt obluctatus: Omni item ope egit, ne tyronum rector deſignaretur. Ius ſuffragij, qui gradus eſt ad Ordinis dignitates, abdicare multò ardentiùs ſtuduit. Nam quo anno cœpta Congregationis inſpectio eſt, id ſtatim, ac ſummis precibus egit cum Viſitatoribus, vt & probarent ipſi eius facultatis abdicationem, & darent ſubindè operam, vt acceptarent in proximis comitijs Patres. Sed luſere illi vota, vt haberet pulcherrimum, ac familiare theatrum humilitas; ac toties triumpharet, quoties recuſaret honores Bencius; qui poſtea ſingulari cum modeſtię laude viſus in publico, ac generali Cōuentu precari, obteſtarique de genu, ne præfecturis vnquā admouerent, ſed ſinerent priuatæ virtuti, abiectiſq; muneribus nauare operam, Sed fruſtra hæc etiā fuere, exiſtimantibus nempè Patribus, haud eſse è re cōmuni, feriari ſpectatā Viri prudentiam. Quare cum is domeſticos honores, iterata licet ſępiùs prece, declinare minimè poſſet, cauere ſibi ab externis, ne grauiùs læderetur religioſa humilitas, ſtatuit. Planè, qui fuerat Marcelli Secundi Pontificis nepos, vereri vehementer poterat, ne à Maximi Auunculi memoria eiuſmodi ſtruerentur inſidiæ. Igitur die D. Bernardo ſacra, quem ipſe præcipua colebat pietate, horrore quodam eccleſiaſticarum dignitatum correptus, agitare ſeriò cœpit annexum publico Eccleſiarum muneri grande periculum; erectuſque Bernardi exemplo, qui fugerat, obfirmare voti religione aduersùs Infulas animum, decreuit. Quare poſt matutinas preces demiſſus in genua, animoque perhumili ſimul, ac ſuper omnem humani faſtus celſitudinem elato, voti ſacramentum de ſcripto pronunciauit in hæc verba: Ego Matthęus voueo, ac promitto Deo vni, & trino, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, perſeueraturum me in noſtro hoc Ordine ad vltimum vſque ſpiritum, nec vnquam niſi pro ſanctiore Pontificis imperio conſenſurum in dignitatem aliquam, quæ me à Congregationis meę ſinu diſtrahat, nulla, vel ſacra ipſa purpura excepta. Ita Maieſtatem tuam deprecor, vt propoſitum hoc meum ratū habeas, & quæ pollicitus ſum, efficias, vt attentiore deinceps

Bencij humilitas.

Preces, ne ad honores promouerentur.

Et votum de eccleſiaſticis dignitatibus non acceptādis,

ſtudio

ſtudio ſeruem. Nam antea fateor peccaſſe, veniamque ex animo poſco, ac ſpero, fore, vt nouum poſthac vitæ genus inſtituam ad Dei gloriam, ſalutemq. animæ meæ. Hæc ille: quæ ex autographo eius commentariolo, quod dixi, habemus. Quo quidem arctiùs ſe ſe cruci, ſuæque Sodalitati, ac paupertati affixit, atque animi etiam dimiſſioni proſpexit. Enimuerò vellicando pectori efficax nimiùm erat ſuprema, ac cognata ea Marcelli Secundi Infula: narrabatque ipſemet, vidiſſe olim Cardinalem Alexãdrinum cultu magnificentiſſimo, ingentique cum aulæ plauſu Hiſpanicæ Legationis inſignia capeſſere, ac veniſſe tùm quidem in mentem, maiore ſe nexu fuiſſe cum Marcello Secundo coniunctum, quàm eſſet cum Pio Quinto Alexandrinus: atque adeò neſcio quid tùm humanæ cupiditatis, ac ſenſus afflauiſſe, aut momordiſſe animum. Quibus honorum ſtimulis præclaro ſui deſpectu, ſuſceptoque voto occurrit.

Honorum ſenſus in Bencio.

Eius paupertas.

Nec ſanè minor cœterarum virtutum in eo cultus. Paupertatem arctiore victu, detritaque admodùm veſte planè oſtendit, quantùm adamauerit: cuius etiam ſtudio extimam, qua vtimur, lacernam, propellendo per hyemem frigori, rarò adhibuit. Si quid amplioris opſonij à beneuolis mittebatur, ne paupertatis frugalitati detraheretur ea copia, diſtribuendum pauperibus curabat: ac dicere ſolitus erat, ſatiùs eſſe, ſuperflua proijci, quàm lautiore menſa votæ inopiæ ire imminutum. Illud præclariùs, ac generoſiùs. Nam cum domui, quam adminiſtrabat, opulenta quædam obueniſſet hæreditas, id ſtatim egit cum Patribus: vt, libatis modicè ijs opibus, reliquum dimitterent. Tueri nempè paupertatem, ac nomen bonum, quàm amplificari commoda, ac diuitias maluit. Orationi fuit addictiſſimus. Quæ voce concipiuntur preces, ſiuè priuatim, ſiuè publicè ſumma attentione recitabat. Nocturnam pſalmodiam nunquàm viſus abrupiſſe; ſurgebatque ea quidem alacritate, vt, cùm reprimi gaudium, ac ardor nequiret, erumperet vehementiùs in voces lętitia. Tentata etiam valetudine, adduci nunquam potuit, vt antelucano Odèo abſtineret: quòd diceret, indecorum eſſe, religioſum virum ſilere, quo tempore Numen dilaudarent aſtra matutina. Multus item in ea oratione erat, quæ mente lucubratur, in qua quidem adeò excelluit, vt eius conſuetudine, vſuque ad ſublimiorem quendam contemplationis gradum pleriq. peruenerint. Hinc illi pergrata ſolitudo. ac cellula, in qua iſtiuſmodi delicias, ac diuinorum commercia cum deguſtaret, auelli ab ea, niſi poſceret neceſſitas, non ſinebat. Quo etiam accidit, vt cum rarò in conſpectum mortalium prodiret, ingentem ſibi venerationem, ſamamque pietatis comparauerit: fuitque è Romanis ſubſellijs primarius quidam Antiſtes, qui, cùm ab hoc maximè receſſu Bencium commendaret, computare ſe, inquit, in lætiſſimis, quòd is ſemel, ac iterum domum ſuam adierit. Et valebat apud exteros arcana quadam vi, fructuque dictionis, vt nullum vnquam alloqueretur, quem non redderet meliorem: nempè hoc ille in more habuit, vt acturus cum ſecularibus, concepta priùs prece, à Deo enixè poſtularet, vt fructuoſus contingeret ſermo; atque adeò quæ à Deo erat alloquutio, haud profectò mirum, ſi nunquam eſſet ſine ſuo pondere, ac pretio. Sed de multiplici Bencij virtute, eiuſquo vitæ rationibus ſatis hęc fuerit innuiſſe. In præclara nunc morte pauliſper immorandum, in qua fuere item memoratu digna. Planè non imparatus ſuæ migrationi occurriſſe dicendus is eſt, qui & eius diem, & morbi genus ante annum prænunciauit.

Et orandi ſtudium.

Verborum in eo efficacitas.

Mortem ſibi prænunciat

Ægrotabat ex epatis profluuio in Monaſterio Sapientię Maria Catharina Caraſa eius ſeculi anno tertio, & nonageſimo. Ad illam inuiſendam Bencius, qui Cœnobio Ordinatij, vt vocant, munere pręerat, adijt, die vigeſima Auguſti menſis, Diuo Bernardo ſacra: quam vt ſolatus prolixè eſt, alloquutus Aloyſiam Vignes, quę decumbenti aderat, prędixit, ſore, vt ab eodem ipſe morbo, atque ea ipſa die, ſuccedente mox anno, ſpiritum poneret. Confirmauitque hoc deindè ſæpiùs · præſertim die Iulij menſis vigeſima ſecunda, diſertè pollicitus, poſt fati diem, ipſius futurum ſe memorem. Igitur per immodicos æſtatis calores correptus eo morbo fuit, exhauſtiſq. mox viribus, deplorata ſententia medicorum ſalus. Singulari quodam ſpiritu, affectuque procuratus ſacris, verba energiæ, ac pietatis plena ad Patres fecit. Tùm defecto licet corpore, morboque ſuperante, dare ad Eliſęum Nardinum Præpoſitum Generalem, quicum Religionem inierat, ac vota nuncupauerat, literas voluit. Inſtantis iam fati

Nardinum ſui fati monet,

mo-

monuit; grates de acceptis ab eo beneficijs, petita etiam, ſi quid peccaſſet, venia, habuit. Præterea, vt quem viuentem dilexerat, & defunctum proſequi ſua beneuolentia vellet, præcatur: amoris verò ſpecimen illud ſore eximium, ſi communibus Ordinis ſuffragijs iuuandam animam curaſſet: poſtremò Congregationem, præcipuè Paulinam domum, in cuius præfectura, ſinuque decedebat, cõmedauit. Inter has pietatis, gratique animi curas feſtinauit ad interitum Bencius: ac in ipſo Diui Bernardi peruigilio cùm veſpertinæ in choro laudes cani occœpiſsent, interrogauit: quænam poſtero die ſolennitas celebraretur? Cumque reſpondiſſent, D. Bernardi memoriæ ſactam eam eſſe, ipſe ad pendentis è cruce Saluatoris effigiem conuerſus, precatus enixè eſt, vt ea ſe luce claudere diem ſuum contingeret: tùm Bernardum ipſum rogauit, vt hoc ipſum clienti ſuo impetraret. Fauitque cœlum votis: inſequenti ſiquidem die inter pios affectus animam efflauit; nec planè ſine diuina quadam illecebra.

Cupit die D. Bernardo ſacra diſſolui.

Enimuerò ſupremam agenti animam noſtratium chorus obiecit è cœlo ſe ſe, habitu, cultuque, qualis beatitatis iam compotes decet, quos ipſe de vultu cognoſcere videbatur; iiſque ad cœlum inuitantibus, abijt immixtus ſuorum agmini. Aderat ex noſtris Hilarius Corteſius, cùm hæc Bencio affulſit Patrum manus; ac ſiuè admiratione ipſe defixus, ſiuè ne ab eo conſpectu morientem auelleret, eorum nomina minimè interrogauit, quæ ſcire, voluptas omninò, ac pretium ſuiſſet. Illud præterea nõ diſſimulandum. Laborabat in extremis vir pijſſimus, cùm viſi ad ianuam domus Religioſi viri duo, qui ab indumenti genere è ſtrictiore Diui Bernardi familia, Fulienſis, videlicet, Congregationis, ſe eſſe præſeferebant. Aditum ad Matthæum Bencium petunt: quibus ianitor, illum eo loci eſſe, vt aduentantes conſolationi eſſe minimè poſſent. Vrgent nihilominùs monachi, id ſe maximè cupere, vt ſupremo ſpiritu cõſalutarent. Ergò dum facultati impetrandæ aditur Præpoſitus, faceſſunt Religioſi: nec domi, aut Neapolitana in Vrbe ampliùs viſi. Quare cum monachorum id genus nec conſideret tùm Neapoli, nec vnquam aliàs inibi fuerint, in eam plerique venere ſententiam, vt exiſtimarent, Diuum ipſum Bernardum monere eo conſpectu voluiſſe, præcipuæ ſibi curæ eſſe in eo rerum articulo ſuum Bencium: nec longiùs abeſſe, vbi clientis neceſſitas opem poſceret.

Morienti adſuit e cœlo noſtratum coetus

Et Diuus Bernardus.

Iam verò, poſtquàm puriſſimus eius ſpiritus cœlum petijt, curatum de more corpus: in quo illud notatu dignum, quòd cùm ſuprema ipſe voluntate præcepiſſet, vt quæ eſſet vetuſtior, ac vilior in domo veſtis, eam ſibi induerent; non alia reperta, diligentia adhibita, magis detrita, ac lacera, quàm ipſius indumenta fuerint: creuitque ab inſigni paurpertate pretium, ac pompa funeri. In Eccleſiam autem frequenti noſtratum agmine deducto corpore, adfuit ſtatim ingens ex omni hominum gradu numerus, qui viri ſama permoti, exequias ſingulari virtutum commendatione celebrarunt: fuitque, qui pietatis ergo implicitum ad eius manus precarium ſertum auelleret, quod deindè, vt multorum ſtudio fieret ſatis, diuidi inter plures oportuit.

Ducitur funus populorum frequentia.

Nec caruere cœli quodam prodigio, atque oſtento ea iuſta. Quippè dum à Patribus perſoluerentur, viſa in baſilicam inuolare candidior niue columba, quæ vbi pluries feretrum obiuit, in editiore quadam templi parte conſedit, non canentium vocibus, non accurſu populorum abſterrita: permanſitq. diutiùs, quoad ſepulturæ corpus mandaretur: ac tùm quidem, repetito pulcherrimè volatu, dilapſa columba eſt; quam fuiſſe niueam Bencij animam, non nemo eſt interpretatus: ceu lenire aſpectabili ea forma ſuorum deſideria, ac mœſtitiam voluerit.

Columba non ſine admiratione circumuolante,

Porrò iſtiuſmodi columbæ obſequio cohoneſtatas Oſuualdi, Vigormienſis Epiſcopi, viri ſanctiſsimi exequias, ex Surio, & Baronio narrat Ioannes Baptiſta Caſtaldus, qui & de Bencio duo etiam, quæ ſtatim à morte euenere, ſuis literis tradidit. Primũ, Virginia Bencia, Matthæi ſoror, pijſſima fœmina, quo tempore frater deceſſit, deplorata, & ipſa valetudine Politiani decumbebat: cum repentè vigore quodam inſolito ſurgere, atque inclamare: Huc ades, Matthæe? ita, frater, tecum ipſa veniam: deindè exilire è lecto eo impetu viſa eſt, vt quę aderat ſamula, retinere illam nequiuerit. Nec poſt multò animam efflauit, inijtque eo fratris inuitamento cœlum. Quod vbi literis nunciauit Ricciardus Bencius, Matthæi frater, cognouere Patres, eodem omninò temporis momento morienti ſe ſorori obieciſſe Matthęum, quo exceſsit ipſe è viuis: teſtatuſque hoc ipſum poſtea eſt Sinulphus Bencius, Montis Politiani Epiſcopus,

Apparet vni ſororum Bencius,

pus, & conſtat item Saluſtij Tauruſij, Piſarum Archiepiſcopi fide. Alterum, quod Caſtaldus refert, id eſt. Politiani in D. Bernardi monaſterio altera agebat Matthæi ſoror, nomine Catharina. Hæc eius diei veſpera, qua acceperat, pijſſimum fratrem exuiſſe Neapoli mortalitatem, iuerat iam cubitum: ſed antequàm ſomno ſe daret, ecce tibi Matthæus, pullata quidem veſte, ſed qui aderat, grauiſſima ſpecie ſocius, alba indutus tunica erat. Agnouit fratrem Catharina: deindè interrogare: quis ille candidatus? reſpondit Matthæus, eſſe Diuum Bernardum: quo dicto, vterque confeſtim abijt. Hæc illa confeſſario, nec dormienti, ſed vigili contigiſſe ſpectaculum, aſſeruit. Atque hæc de Matthæo Bencio, cuius humilitas, ac ſecreta agendi ratio longè plura communi ſubduxit notitiæ, quàm diligens aliorum perueſtigatio euulgauerit ad exemplum.

Et alteri vnà cum D. Bernardo.

Romæ in Quirinali domo duos item contigit ex humanis eripi viros præſtantiſſimos, Nicolaum à Zecca, Barolitanum, & Vincentium Maſſum, Surrentinum, illum Maio menſe huius anni, hunc die quarta ſeptembris. Nicolaum meminimus aliàs, virum inter paucos doctum, qui Neapolitano in gymnaſio profeſſus publicè iuris prudentiam, ſuam eruditionem egregiè, diùque probauerat. Ætate is ingraueſcente, cogitare melioris vitæ diuturnitatem cœpit: & qui humanarum rerum ſtudijs ingenium diù excoluerat, expolire cœleſti diſciplina mores inſtituit: peroſus quæcumque doctrinarum præſidia non animum ſanctiorem facerent. Ergò aggregatus ad noſtros ſenecta penè ætate (nam quintum, & quinquageſimum annum attigerat) robuſtam planè mentem regulari diſciplinæ attulit: fuitque arcanæ, tacitæque præſertim vitæ cupidus. Cellulæ ſilentium, ac ſolitudo maximè illi ad cor: raròextra illam, niſi cùm publica poſcerent munera, ac ſtata chori tempora, cui vſq; adeò addictus, vt piaculum duceret, ſi quod diurnæ, aut nocturnæ pſalmodiæ ſpatiũ, vel exiguũ prætermiſiſſet. Viro, in hanc religioſi muneris partem intentiſſimo illud cum omnium admiratione non ſemel accidit. Singulari nanque ardore animi cùm odeum petere, dato communi ſigno, ſolitus eſſet, ita illum vſus erudierat, vt cùm interdum ægrotaret, oblitus morbi, exiliret, audito eo ſigno, ad laudes antelucanas, ac ſuo ſe loco ſiſteret: planè vt nullum à valetudine incommodum, multum accipere ab ijs precibus voluptatis, videretur. Porrò inter diuinorum exercitia præcipua illi erat in Deiparam pietas. Eius frequentiùs vitam, actuſque meditari, ac loqui, & qui cæteris ſtudiorum laboribus vale iam dixerat, commentari duntaxat, ac ſcribere de magna Matre oblectabatur: idque ſecretis admodùm vigilijs, vt nullus omninò ſciret, quid literarum moliretur aſſiduus ſcriptor. Euulgauit ipſemet ſtudia Gregorio Tertio decimo Pontifici, qui cùm ad D. Siluestri adijſset, ſacrificanti interfuturus, ſtatim à ſacro Nicolaum appellauit, quem nouerat doctrinarum olim fama Neapoli celebrem, interrogauitque inter loquendum, quid tùm rei literariæ eſſet in manibus? cui ille: abdicatis ſe literis ſecularibus, ſanctiſſimæ Virginis vitam conſcribere: probauitque pietatem Pontifex, quam poſt eruditionem habebat bonus ſenex. Quæ quidem obſeruantia tùm ſe ſe maximè indicabat, cum ſingulis ille ſabbathis, aut dicatis Virgini diebus ad aram in eius honorem faceret. Tunc ſiquidem inſolita quædam emicabat in vultu pietas, totuſque abire in lacrymas videbatur: ita vt qui miſſæ ſacro aderant, intelligerent ab eo imbre lacrymarum, quo flagraret in Deiparam affectu Nicolaus: nominabantque vulgò illum, ſenem à lachrymis. Nec alius omninò erat animi ſenſus, oriſque habitus, cùm loqui de ea contingeret. Idem enim erat, cùm de Virgine agebatur: fundi verba, ac pluere oculos. At ne ſterilis is eſſet in Deiparam affectus, imitari illam in ea potiſſimùm virtute conabatur, quæ præcipua in ea fuit, nempè humilitate, qua Deo placuit. Virgineo ab ore ea verba: Quia reſpexit nihilitatem ancillæ ſuæ: cui quidem ſententiæ vt accineret Nicolaus, detorto parcè ſuo nomine, ac pulcherrima quadam alluſione appellare ſe ſolitus erat, Nihilaum, ab intimo, videlicet, modeſtiæ ſenſu, cui ab ipſo tyrocinio ſtuduit. Singularis item erat in miſſæ ſacrificium veneratio, ac ſtudium. Nihil illi grauius, quàm extremo ſenio abrupiſſe faciendi conſuetudinem. Proximè annum nonageſimum attingebat, cum prolabi à capitis vertigine frequenter cœpit. Quarè viſum Patribus, vt à ſacro abſtineret: quod ille nihilominùs quotidianam

Diē clauſit Nicolaus Zecca, & Vincentius Maſſus.

Nicolaus ſolitudinis ſtudioſus.

Et chori.

Pius in B. Virginem religio.

De qua plē commentatur.

Ab eius affectu lachryma.

Nicolai humilitas.

Et in miſſam veneratio.

myſte.

myſteriorum vſurpatione compenſabat. Adeò verò regularis obſeruantiæ, communiſq. vitæ ſtudioſus fuit, vt neq. inter illa profundę, ac deciduæ ſenectutis incōmoda habendam ſui rationem duxerit. Choro, vt antea, intererat: vulgari menſa, qua cœteri, vtebatur, idque in ipſo Quadrageſimæ, ac Dominici Aduentus tempore, cum laxari ieiuniorum obſeruantiam, ſuadebant valetudo, ac œuum. Hoc tenore

Communis vita ad vltimū ſenium.

diſciplinæ, virtęque innocentia exactam ætatem clauſit præclaro fine, ad quem ſe ſe diutiùs comparauerat: vt iam penè prouocaret mortem; tantùm abeſt, vt eius horreret memoriam, ac nomen. Dum decumberet, ſi quid edulij, aut potionis, vrgente morbo, faſtidiret, aut refugeret, ad Mariæ nomen illicò ſumebat: ceu condiret ad guſtum pharmaca, ac cibos excitata in Dominam ſuam pietas. Denique procuratus ritè ſacris, œuo iam maturior, inter ſuorum officia ad Cœli pręmia migrauit: futurus dubio procul patrocinio Ordini, qui fuerat exemplo.

Alter, quem hoc anno dixi in Quirinali D. Silueſtri domo occubuiſſe, Vincentius Maſſus fuit, cuius ſpectatam morum innocentiam dilaudari magnificè pro concione

Vincentius Maſſus laudatur.

contigit à Marcellino, inſignis facundiæ viro, è Franciſcana, quam ab obſeruantia vocant, familia. Singularis Maſſo inerat in agendo grauitas, quam facilitas, atque vrbanitas temperabat. Rerum eccleſiaſticarum, ac priſci, ſanctique œui ſcientiſſimus fuit. Romæ cum de ſacrorum ritu, ac ceremonijs, quà inſtaurandis, quà emendan-

A grauitate morum.

dis agebatur, eius ſententiam plurimi faciebant, qui eiuſmodi cenſuræ, ac curis præerant. Inter noſtrates verò ſacrorum cultum, etſi florebat maximè, amplificauit ipſe

A ſacrorum rituum ſcientia.

plurimùm: id omni ope connitens, vt in noſtris eccleſijs ſua conſtaret Numini ſanctitas, ac mundiſſimus quidam magnificentię ſplendor. Adhæc, regularis obſeruantiæ cum paucis tenax. Nunquam vehementior, quàm cùm laxari veteris diſciplinę, ac

Ab externo Numinis cultu.

Patrum rigorem cerneret. Emendare, ſi quæ fortè peccarent, non tàm verborum grauitate, quàm vi exempli videbatur: cauebatq. communi rei flagrantiore planè ſtudio. In ſui cultu nihil religioſius. Nulla externi habitus ratio, quæ non ſtatim oſtenderet,

A regulari diſciplina.

quæ lateret in animo ſuppellex. Qua vtebatur ciborum parſimonia, abſtinentiæ propior erat. Tentari morborum incommodis ſępiùs contingebat, ſed intra patientiam, atque egregij pectoris vim. Cum diſcruciaret ſupra modum dolor, ijs ſe ſe verbis ad patientiam animabat: Benè omnia fecit. Quę verò inter cœteras animi dotes emine-

Et ciborum parſimonia.

bat in eo virtus, religioſa, atq. admirabilis quædam prudentia fuit. Factus regendis publicis curis, ac mortalibus videbatur, ſolertia, ac prouidentia quadam mentis, quam in omni officiorum gradu probauit. In generalibus Conuentibus nihil eius conſilio grauius, atq. opportunius. Comitiorum noſtrorum præfecturam ſexies continenti annorum ſerie Præſidis nomine procurauit. Conſpirabant, videlicet, in eum Patrum ſuffragia, quem prudentiſſimum, Congregationiſq. vniuerſę negotijs adminiſtrandis peridoneum nouerant. Ab hac iudicij præſtantia apud principes viros ſummo loco fuit:

Et prudentia ſingulari.

cum quibus luctari non ſemel contigit, ac vehementer obniti, ne impetratis Infulis, à Sodalitate abducerent. Conferre præſertim cominùs pedem virum, à ſeculi, atq. ho-

Honores deprecatur.

norum titulis alieniſſimum, cum Paulo Aretio, Epiſcopo ex noſtris Placentinæ Eccleſiæ, oportuit. Nam cùm ille abdicare Epiſcopatum in animum induxiſſet ſuum, id maximè cupere ſe, atque efficere velle ſignificauit, vt in Maſſum onus incumberet. Quod vbi is reſciuit, egregiò planè dignitatum deſpectu, atque ardore dictionis reuocare ab ea mente Aretium ſtuduit: euicitq. vi dicendi, vt quas ille ſuę tranquillitatis ſtudio deriuare in alium vigilias, curaſq. cōtendebat, pergeret ſolertia, ac diligentia, qua cœperat, accurare. Adhæſitq. Maſſus ſuæ vocationi, beatoq. Religionis otio ad vltimum

Piè moritur.

vſq. diē, quē clauſit meritorū, ac œui plenus. Ad Matthęi Bencij, qui Neapoli proximè obiuerat, mortis nūciū, illud pronūciauit. Poculū propinauit mihi Bēcius: ſcilicet, adeò ſui ſecurus occurrebat morti, ceu calicem in peramica quadā cōpotatione deguſtaret.

Deſtitui multiplici hac præſtantium virorum, quos enumeraui, virtute, moleſtum planè Sodalitari fuit. Verùm, quę eſt Dei munificentia, ac ſacrarum familiarum cu-

Religionem plerique adaugent.

ra, dedere per id tempus Ordini nomen, qui exhauſtas inſtaurarent, ac reficerent opes. Præcipua quædam capita, ac ſtrictim nominabo. Romæ in D. Silueſtri Cœnobio de-

Caſtriotę quatuor germani fratres.

dere ſe Congregationi germani fratres duo, Antonius, & Hieronymus, è gente Caſtriota; qui non poſt multò & par aliud ſuorum fratrum ad idem Inſtitutum exempli

vi

vi pertraxere, Ioſephum, & Franciſcum Mariam, qui vt germanitate, ita & morum laude coniunctiſſimi: multumq. è quatergemina ea virtute compendij in Ordinem deriuauit. Romę item in D. Andreę templo vota nuncupauit Marcellus Pignatellus, Peruſinus, vir ſolertiſſimus, vſuque rerum ſpectatus, Æſinę poſteà Eccleſiæ à Paulo Pontifice Quinto admotus.

Marcellus Pignatellus.

Neapoli multò vberior capitum ſeges. In Paulina domo aggregati hac tempeſtate ad noſtros ex interuallo fuere, Ludouicus Antinorus, animorum zelo, peracri odio ſui, orationis ſtudio cum paucis comparandus, de quo ſua erit in loco narratio; & Paulus Palumbus, Inſulis, primùm Veſtanis, deindè Caſſanenſibus, poſtremò Arianenſibus cohoneſtatus, qui integritate morum, eruditione, ac linguæ officio in omnium commendatione fuit; quos inſequutus Iſidorus Macedonius, Chriſtiana eloquentia, rerumq agendarum peritia inſignis: tùm Filingerij duo, germani fratres, Andreas, & Placidus: hic grauiorum poſteà ſcientiarum ſtudia diù profeſſus, non in ſcholis modò docuit, verùm etiam in templorum orcheſtris diſertiſſimè perorauit. Ille regularis obſeruantiæ eximius cultor, perpetuus, aut tyronum, aut domorum Rector fuit.

Ludouicus Antinorus.

Paulus Palumbus.

Iſidorus Macedonius.

Filingerij duo germani fratres.

His addendi Ioannes Baptiſta Braneaccius, Vir ab omni genere virtutum, præcipuè à morum ſuauitate, atque à religioſæ diſciplinę cultu laudatiſſimus, & Michael Ayoſſa, cùm doctrinarū ſplendore, tùm dictionis præſtantia Neapoli poſtea celebris.

Io. Baptiſta Braneaccius. Michael Ayoſſa.

In ſanctorum verò Apoſtolorum domicilio adſcitus Petrus Antonius de Ponte, Franciſci de Ponte, Murconis Marchionis, & Conſilij, vt vocant, Collateralis Regentis, poſteà Clerici Regularis, filius, qui è Hieroſolymitanorum equitū Ordine ad noſtrum traductus, ſcientiarum pręſidijs, ac celebriore per Italiam facundia floruit, Troianis Inſulis poſteà inſignitus.

Petrus Antonius de Pōte.

Profeſſi ibidē vota ſunt Petrus Gueuara, prudentiæ numeris, ac regendi artibus abūdè inſtructus, Marcellus Megalius Squillacenſis, à ſuis ſtudijs, ſcriptiſq. notiſſimus, & Franciſcus Boluitus, ſacræ vetuſtatis, ac politioris literaturæ conſultiſſimus. Pręterea Ioannes Franciſcus Palumbus, qui tradendis Theologicis diſciplinis diù Romæ eximia cum laude deſudauit, diuinæ pręſertim gratiæ efficacitatis propugnator acerrimus, & Vincentius Riccardus, omnigena quà ſacra, quà profana eruditione, linguarum præſertim hæbraicæ, ac græcæ peritia commendatiſſimus; quibus annectendus Ludouicus Thomaſius, qui in domo D. Mariæ Angelorum adſcitus inter noſtrates, cùm ſcientiarū, tùm maximè dictionis ſplendore inclaruit: fuitq. Paulo Pontifici Quinto, Auguſtoq. Senatui à ſacris concionibus.

Petrus Gueuara. Marcellus Megalius. Franciſcus Boluitus. Io. Franciſcus Palumbus; Vincentius Riccardus. Ludouicus Thomaſius.

Venetijs è primaria nobilitate pleriq. atq. alij ex honeſtiſſimo cenſu Ciuium nomen dedere: inter quos Petrus Emus, Epiſcopus Lariſſę, poſtea ex Coadiutore Epiſcopus Cremenſis, Leonardus Lauredanus, Ioannes Baptiſta Barbaricus, Benedictus Baſſus, Gregorius Adamantius, Viri, quà literis, qua iudicij, regulariſque diſciplinæ præſtantia ſuam laudem promeriti.

Plures in Veneta domo.

Mediolani vota nuncuparunt Ioannes Baptiſta Magnauacca, Cremonenſis, & pietate ſtudiorum, & in perferendis aduerſis conſtanria conſpicuus, Hieronymus Conſalonerius, exactæ vir diſciplinę, Paulus Areſius, doctrinarum adiumentis, ſcriptiſq. voluminibus, quàm Derthonenſi Inſula elarior, Srephanus Medices, ſingulari vir prudentia, Congregationis gubernaculo ſemel, ac iterùm admotus, & Laurentius Felinus, eximius poſteà declamator.

Fe Mediolanenſi.

Genuæ Ioannes Baptiſta Iuſtinianus additus noſtratibus, non vulgari deindè literatura, ac neruoſo quodam genere dicendi percelebris.

Io. Baptiſta Iuſtinianus.

Capuæ Leonardus Duardus, cuius eruditionē eius de Chriſtiani officij, ſacrorumque Canonum momentis ſcripta ſatis celebrant.

Leonardus Duardus.

Neque infœcunda extrema Regni Neapolitani ora fuit; quæ pręclari planè nominis, virtutiſque viros duos hoc tempore Sodalitati dedit. Licij nanque in Salentinis adauxere noſtratum ſyllabum Saluator Ferrarius, qui tractandorum animorum arte, ac noua quadam amplificandæ pietatis ratione mortales demeruit, & Fulgentius Gemma, qui publica voce, ac ſecundiſſima fama per Italiæ templa detonuit: ſummo pręſertim apud Mantuanos Principes loco. Hi pręcipui, qui hac tempeſtate Ordinem capeſſiuere. Fuere & alij, quos, prout ſe ſe dabit occaſio, nominabimus, conficientq. hiſtoriam.

Saluator Ferrarius, Fulgentius Gemma.

LIBRI PRIMI FINIS.

Digitized by Google

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER SECVNDVS.

Romæ comitia.

HABITA hoc anno quinto, & nonageſimo vertentis ſeculi
Romę comitia quædam de inſtituto Congregationis regimi-
ne, præcipuè de ſupremo Magiſtratu, eiuſq. poteſtate immu-
tarunt. Planè cùm impoſſibile omninò ſit, vt ſępè ſignifica-
ui, eam ſtatim induci rectionis formam in hominum cœtus,
quę perfectiſſima ſit, expoliri tractu temporis, atque expecta-
re, neceſſe eſt, vt ea mortalium iudicia afferant, quę vſus, at-
que aſſidua publicæ rei tractatio expedire optimo regimini in
dies indicauerint. Hoc experientiæ, ſiue temporis documen-
to, legibus quà emendandis, quà condendis, amplificata,
aut imminuta ex interuallo magiſtratuum auctoritate, ac Inſula, viſę plerumque ad
ideam prę claræ, ac perfectiſſimæ adminiſtrationis Sodalitates euaſiſſe. Igitur, qui
acrioris iudicij, atque affectus in rem communem ex noſtratibus erant, cum cerne-
rent, pleraque ex his, quæ ſuperioribus comitijs de Præpoſiti Generalis auctoritate,
ac tempore decreuerant Patres, minùs procedere, ac non pauca in reliquis item præ-

De Generalatu temperando agitur.

fecturis, ac muneribus deſiderari, reuocanda ad calculum, atq. immutanda, aut tem-
peranda duxere. Quocirca, appetente iam generali conuentu, ſupplicatum Clementi
Pontifici Octauo voluere, vt liceret à Conſcriptis Patribus ea ſuper re in medium cō-
ſuli, atque illa de Generalatus vi, ac diuturnitate decerni, quę è re Congregationis eſ-
ſent. Annuit benignè Pontifex; & qua die inchoari ſolenni ritu comitia deberent, ad
Quirinale Cœnobium Syluium Antonianum, Cubiculi Præfectum, poſteà Cardina-
lem, miſit, qui eius nomine Patribus ſignificauit, Maximi Pontificis mentem eam
eſſe, vt antequàm ad cœtera Religionis momenta animum, ac ſuffragia appellerent,

Antonianus ad Capituli Patres mittitur a Pontifice.

quæ ad publicum regimen, ac Patris Generalis munus pertinerent, accurata priùs
conſultatione expedirent. Quæ in eo examine ſtatuiſſent rerum capita, ad ſummū
Patrem illicò deferrent, vt eius accederet in re graui auctoritas, ac nutus; ac tempe-
rationem etiam adhiberet, ſi quæ non omninò probaſſet. Hæc ſūmo mane Antonia-
nus, cui reſpondere quàm modeſtiſſimè Patres: ſcire ſe cōmunis, ac Maximi Parentis
zelum, humanitatemq. in Ordinem, ac principem eam deliberationem in comitijs
futuram, vti ipſe iuſſerat. Tū peractum de more ſolenne ſacrum, ad opem Numinis,
afflatumq diuini Spiritus implorandum. A prandio verò, indicto Concilio, ſincero qui-

Inchoantur comitia.

dem animo, atq. in Dei gloriam, Religioniſq. incrementum, & commodum intentiſ-
ſimo, conuenere. Eliſęus Nardinus, qui tū Octuennem Ordinis Prefecturam, vti ſigni-
ficatum eſt, moderabatur, quòd agi de ſuo munere cerneret, vt liberum cuiq. foret, ea
quæ ſentiret, pronunciare, ſpontè abeſſe, quoad ea conſultatio teneret, voluit, æquita-
te nimirùm animi, vultuſque conſtantia incredibili: vt intelligerent planè omnes, fo-

Nardinus ſpōte abſcedit, vt libere conſulerent.

re, vt nihil ex ijs accideret optimo, ac præſtantiſſimo viro moleſtum, quę ipſi de eius
auctoritate, ac munere ſtatuiſſent. Ergò ingreſſi in eam curam Patres, prolixiore quo-
dā ſtudio, ac maturiùs negotiū, quod multiplex quidem, ac variū, nec exhauriri breui
poterat, confecerunt, ſtatutis cōmuni ſenſu, relatiſq. in cōmentarium ea de re ordina-
tionibus. Secundùm hæc, accerſitus Nardinus, qui ea, qua diſceſſerat, frontis tranquil-
litate, ſcita primū probauit, ijs vſus verbis: *Rectorē te poſuerunt, noli extolli, eſto inter*

Qui mox gratanter abdicat præfecturam.

ipſos, quaſi vnus ex eis. Tū generoſa quadam animi indole, atq. alacritate ſpontè ſe
munere abdicauit. Vt ſancitæ, inquit, de Generalatus diuturnitate leges in morem
illicò inducantur, collatos iam ſibi in annos bis quatuor Ordinis faſces, ponere ſe
quàm libentiſſimè. Non eo nempè animo capeſſiuiſſe, quin ad Sūmi Pontificis, ac Pa-

trum

trum nutum ſtatim dimitteret. Communo bonum, non dignitatem, ac famam, ſuam curæ ſibi: ac ſcire ſe, non tàm ſpecioſum inite, atque adminiſtrare præfecturas, quàm iis defungi, ac carere, tutum. Id autem infimis precibus rogare, vt is ab eorum ſuffragijs Theatinę Reipublicæ Rector contingat, qui illam ſapientiſſimè procuret, emendetque, quæ ipſe admiſerat, errata. His dictis, eximia cum ſui laude, omniumque approbatione Nardinus iterùm digreſſus. Patres verò, vt quę adnotauerant, Pontifex recognoſceret, è grauioribus, qui aderant, Patribus, quatuor delegerunt, qui ferrent. Fuere hi Ioannes Scurcouillus, Paulus Toloſa, Thomas à Montibus, & Ioannes Antonius Angriſanus: qui impetrato ad illum aditu, totiuſq. conuentus nomine libatis oſculo pedibus, obtulere perquàm demiſsè, quæ ſciuerant, rerum capita. Conſultaſſe ſe, aiunt, quę iuſſerat ſua Sanctitas: attuliſse, vt demeret, adderet pro arbitrio. Ea demũ ſibi perſuaſiſſe ſe, è re, ac dignitate Congregationis futura, quę beneuolentiſſimus perindè, ac ſapientiſſimus Pontifex imperaſſet. Ad hæc, Patrem Generalem non modò quæ ſtatuerant, probaſſe, verùm etiam, vt ratum eſset ſupremi regiminis interuallum, prouinciam ſpontè abdicaſſe, ſignificarunt. Quod Clementi gratiſsimum, commendato ſummoperè Nardino, quòd dimiſſo gradu, ac poteſtate, in ordinem ſe redegiſset. Expendit ſubindè, nec quidem perfunctoriè Capituli conſulta, ac nonnullis immutatis, quæ retineri maximè vellet, remiſit Patribus, ac mox, obſignato diplomate, quod penes nos eſt, confirmauit.

Deferũtur ad Pontificem Capituli conſulta.

Qui probat.

Iam verò, quæ iſthæc fuerint fancita à Patribus, ac confirmata à Clemente Pontifice de publici regiminis ratione capita, paucis exponam. Pater Generalis in triennium poſthac creetur, refici verò in aliud triennium poſſit: ſexennium non excedat. Poſt hanc ſiuè triennalem, ſiuè ſexennalem præfecturam eligi ad id muneris, niſi elapſo altero ſexennio, minimè poſſit. Admoueri autem ad quoduis aliud Ordinis officium pro moderatorum arbitrio valeat. Ad hæc, vnum, non duplex, vt antea, ſuffragium ferat, niſi cùm in publicis conuentibus à votorum paritate pendet negotium. Tùm Conſultores omninò quatuor deinceps legantur: & qui Præpoſitos vnà cum Patre Generali creent, Definitores octo. Cùm verò Præpoſiti, ac Viſitatores refici poſt annum, aut moueri loco debent, ne ſola Patris Generalis auctoritate, ac nutu id fiat, ſed in ijs comitijs Conſultores dectetorium votum habeant. Prętereà, neminem ex ſe Patri Generali admittere ad ius ſuffragij liceat: ſed facultas hæc omnis penes Capitulum eſto: eoſdemque vocales ne liberum illi ſit, anno, qui comitia proximè ptęcedit, ex vno in aliud domicilium, niſi Conſultorum ſuffragium accedat, transferre. Illa obire ſolus poſſit: nempè Rectorem, qui ſui vices in Diui Silueſtri domo, eiuſque adminiſtratione gerat, renunciare. Clericis, vt ſacris Ordinibus initientur, facultatem facere. Habendis concionibus, ſacriſque confeſsionibus audiendis viros idoneos deſtinare. Patres, ac frattes de loco ad locum transferre. Denique regendi, corrigendique Congregationem omnem ad legum noſtrarum pręſcriptum ius penes ipſum eſto. Hæc Patres, in id maximè intenti, vt Patris Generalis auctoritati ſua conſtaret ratio, ac modus. Quod quàm ſapienter ſit factum, non eſt, cur hic fusè explicem. Planè ſummam poteſtatē, vt in bonis optimam, ita in malis peſſimam, compertum abundè eſt: ac nil propiùs, quàm vt ea in licentiam degeneret, ſi in impar ingenium incidat, aut deſit, qui indolem, ac faſces temperet. Quòd quamuis in Religioſis familijs optimi plerumque eligantur, qui pręſint: nihilò tamen minùs haud difficile factu eſt, vt is interdum communi rei imponatur, qui aut mores ab honoribus mutet, aut non is ſit, qui cæteris præſtet; ac proindè potentiā affectibus corrumpat, miſceatque cum ſummo iure ſummam iniuriam. Huic ſtatim malo prouidere noſtrates cum neceſsarium ducerent, quæ perampla inerat Generali auctoritas, perindè decerptam, ac circumſcriptam voluere, vt & ſua eſset capiti dignitas, & ſuus Magiſtratui modus; nec quod vellet, poſſet: ſi quando contigiſſet velle non optima.

Quæ fuerint hæ Capituli ordinationes.

Summæ Præfecturæ ſuus modus eſto,

His igitur ita conſtitutis, acturi Patres reliquas comitiorum partes, contulere ſimul capita: ac tùm Eliſæus Nardinus loco cedens, ad infimam ſe eius conſeſsus areā ſiſtit, ac dimiſsus in genua, Præfecturam ritu ſolenniore deponit: ſigna Congregationis exhibet: pollicitus, ſi quę rerum publicarum commentaria, aut chirographa

Nardinus Pręfecturæ inſignia ritè exuit,

penes ſe eſſent, quàm primùm exhibiturum. Interim paratum, ſuæ procurationis rationem reddere, & ſi quid in munere peccaſſet, ſubire pœnæ nomine, quicquid Capitulum iuſſerit. Probauere ſingularem modeſtiam Patres; iuſſumque ſtatim ſurgere, cùm etiam, atque etiam obſecraſſent, vt principem teneret locum, quoad alius eligeretur Præpoſitus Generalis, impetrare minimè potuere, quominùs profeſſionis ordine conſideret. Porrò, id omnibus placuit, vt inſtaurando officij muneri, is illicò crearetur, qui vacuam ſedem impleret, regendo Ordini, temperandiſque in eo tùm Conuentu publicis Congregationis negotijs ſummè idoneus. Tranſacta primùm cũ Deo reaeſt, implorato communi prece cœleſti Numine: deindè, collatis vnà votis, itum in ſuffragia: excuſſaque vrna, redditum eiuſdem Eliſęi Nardini ſecundiſſima quidem lectione nomen; confirmatuſque eſt ad alterum triennium Præpoſitus Generalis.

Qui iterum Generalis cõſalutatur.

Scilicet ia erat Nardinus, vt ſemel, atque iterùm abdicantem, ſupremo munèri reſtituèrent, aut adigerent Patres: vt oſtenderent, eò ſpectaſſe præſcriptum à ſe Magiſtratui modum, ac tempus, vt communi bono cauerent in futurum: cœterùm à præſenti Eliſæi Nardini cenſura, ac ſedulitate Congregationi benè eſſe. Is verò, vt ſe ſepoſitum in loco vidit, demiſit ſe ſtatim in genua; & non quidem accomodatis in ſpeciem verbia, ac vultu tenus, ſed bona fide imparem ſe muneri profeſſus, prolixè oſtendit, quanta cum animi pugna, ſenſuque diuinæ ſe voluntati, Patrumque iudicijs ſubijceret.

Eius ad Patres verba,

Ad hæc, precatus enixè eſt Deum, vt quando placuiſſet, virum non ijs artibus inſtructum, quæ munus deceant, moderatorem ſuæ familiæ conſtituere, ſufficeret ipſe ferendo oneri vires ad Ordinis progreſſiones, diuinæque Maieſtatis ſuæ gloriam, ac ſalutem animę ſuę. Quę ſibi cùm propoſita haberet, id optare ſe impenſiùs, vt ſi minùs opportuna communi rei futura eſſet ea lectio, abrumperet Deus muneris curſum, etiam ſua morte. Cum grauiſſimo hoc Patris Generalis ſenſu, ac triſtitia efferbuit vehementer noſtratum, atque exterorum gratulatio.

Lectionem probat Pontifex;

Tùm delara ad Clementem Pontificem comitia: qui Patrum ſuffragia, collatamq. Nardino iterum Præfecturam magnoperè comprobauit. Nouerat quippè, quantum & dignitatis muneri, & Theatino Ordini emolumenti accederet à viri indole, ac perſpecta annis ſuperioſibus prudentia. Proſequutus deindè Pater Generalis rem communem ordinare, ſanciendis pleriſque, quæ ad vrgendam, expoliendamque diſciplinam facerent, animum vnà cum cœtu Patrum appulit.

Pręſcribitur in comitijs comitiorum ratio.

Præſcripta primo loco eſt Comitiorum generalium ratio: vt ſcilicet, poſtquàm diſceptatum accuratè fuerit, an ritè omnes Capitulo intereſſent, Præſes renuncietur, vti olim, antequàm Patris Generalis ſumma induceretur in Ordinem poteſtas, in more poſitum erat. Coram Præſide, præeunte Patre Generali, reliqui mox domorum Præpoſiti abdicarent: regeretque ſubindè Pręſes ipſe interregnum, ac momenta rerum, quoad pronunciari nouus Generalis contingeret.

Ac multa inſuper ſancita.

Statutum præterea, quid agendum, ſi Pater Generalis intra triennium deceſſerit; tũ de inſpectione Ordinis ritè obeunda, de vocalibus, quibus ius eſt ferendi ſuffragium, electione, de Thatinæ paupertatis ratione, atque obſeruantia tuenda, de ſtudiorum contentione, de concionatorum officio, eorumque pro laboris modo à choro immunitate, de defunctorum ſuffragijs, alijſque, cùm ad publicum Congregationis regimen, tùm ad priuatas domorum præfectutas ſpectantibus, ſancita peropportunè ſatis multa, ex quibus vnà cum alijs item Capituli conſultis, vbi vſus probauit, conflatum poſtea Conſtitutionum volumen.

Agitur de Cõſtitutionibus ordinandis.

Ac de his quidem Conſtitutionibus concinnandis, atq. ad ſummam manum perducendis agitatum præcipuè, ac ſeriò nunc eſt. Planè, vti in prima hiſtoriarum parte narraſſe me memini, principiò quædam duntaxat à noſtris Conditoribus adumbrata primis lineis legum capita fuere, quæ alijs, atque alijs mox decretis adaucta, ita iuſtum quoddam corpus confecere, vt deſiderari nihilominùs videretur exacta quædam iudicij lima, quæ nonnulla demeret, expoliret multa, ac rerum præſertim ordinem, formæque elegantiam induceret.

Res P. Generali demandatur.

Itaque cum hæc in præſentibus comitijs maturè expendiſſent Patres, id negotij Patri Generali demandarunt, vt abſolutiſſimę prudentiæ viros, & qui cùm regularis diſciplinæ vſu, tùm literarum, ac ſtyli opinione valerent, eligeret. Horum partes eſſent, coniectas vnum veluti in faſcem leges, ſua digeſtas ſerie, ac forma, perquàm concinnè, ac breuiter ordinare: confectoque Conſtitutionum codice, eius ad ſingulas noſtratũ domos exem-

pla

pla mittere, examinanda, videlicet, accuratiſſimè, ac punctim: vt quæ ad lancem ſæpiùs reuocata, pondus à multorum iudicijs, cenſuraque acquiſiuiſſent, inoffenſo deindè pede decurrerent Clerici Regulares, ac mandari etiam typis, probarique paſſim à legum præſtantia, verborumque grauitate, ac nitore poſſent. Quod quàm feliciter ſubindè acciderit, cruciato ſemel, ac iterùm, & tertiò aſſiduis grauiſſimorum hominum iudicijs Conſtitutionum libello, dicetur in tempore. Interim non diſſimulandum, cautum etiam in hoc Capitulo, vt quæ à noſtris mittuntur literę, ſimplici Clericorum Regularium nomenclatione, abſq. Theatinorum additamento inſcriberentur: vtque eandem omninò appellationem, & ſigilla Ordinis, & quæuis noſtratum lucubrationes, ac monumenta præſeferrent. Vſurpatũ nempè olim à primis naſcentis Eccleſiæ aſcetis, ac ſuccedentium Patrum, atque Antiſtitum familijs hoc Clericorum Regularium cognomentum, aboleuerat vnà cum vetere diſciplina temporis diuturnitas. Qui primi poſt æui ſenium inſtaurauerint, ac ſuum in ſeculum eximia cum laude inuexerint, Auctores noſtri Ordinis fuere. Probaruntque Pontifices Maximi, quorum diplomata videre eſt, non alio nos, quàm Clericorum Regularium cognomine, nulla præterea Inſtituti teſſera appoſita, appellare: ceu principes, atq. auctores vt diſciplinæ, ita & nominis. Vſuſque iam diù tenuit, vt quoties nominari Clericos Regulares contingat, non aliũ indigitari Ordinem mortales intelligant, quàm quem B. Caietanus Thienęus, & Paulus Pontifex Quartus, alijque conditores excitarunt: cùm alioqui cæteris, qui ſucceſſere interuallo Clericis Regularibus, vt inter ſeſe dignoſcantur, ſua ſit peculiaris nota, ac appellatio. Verùm cum hæc fuſiùs alibi dixerim, ad quem locum Lectorem prouoco, hic ſatis fuerit innuiſſe; vt congruenter noſtro Inſtituto feciſſe Patres, perſuaſum habeamus, dum retinere veterem, nobiſque optimo iure debitam, ſimplicem Clericorum Regularium nomenclaturam ſtudent.

Præcipitur ſimplex Clericorum Reg. inſcriptio.

Peculiaris noſtri Ordinis hęc nomenclatio.

Iam verò, antequàm conuentus dimitteretur, agitari aliquot Vrbium, ac virorum principum poſtulata oportuit. Illexerat ſecundiſſima per Italiam noſtri Inſtituti fama populorum vota: & quòd fructum non mediocrem à noſtratum induſtria in ſuã rem communem deriuatum iri, intelligerent, deduci familiam, ac figi in ſuis Ciuitatibus domicilia poſtulabant. Peroptare quidem Patres videbantur, vt amplificaretur latè Ordo, cui quadam fœcunditate & numerus, & virtus creuerat. Sed cauendum maximè illis erat, ne nimiùs hic ſeſe dilatandi ardor impetu quodam in obuia quæque vota, ac Vrbes ferretur. Quocirca lentè maturanda eiuſmodi negotia ducebant: ita vt habito delectu, non quidem omnia, quæ proponi contingeret, ſed quę eſſent opportuna noſtris vitæ rationibus, cœnobia fundarent. Id cauſæ fuit, cur è multis, quæ in hiſce comitijs poſtulatæ coloniæ fuere, vna duntaxat Vicentina probata à Patribus fuerit, & mox deducta. Nam Brixiam, quę Vrbs eſt in Gallia Ciſalpina longè ornatiſſima, euocati noſtri homines, & ſi inuitabat, vrgebatque ciuium ardor, & adnitebatur omni ope Cardinalis Maurocenus, eius Vrbis Epiſcopus, qui noſtro Inſtituto D. Bartholomæi eccleſiam deſtinauerat: tamen, quòd explorata propiùs re, non adeò reſpondiſſet loci dignitas; ac viſa excipiendæ noſtræ diſciplinę, eiuſque muneribus exercendis minùs opportuna ea ſedes fuiſſet, habitis præſtantiſſimo Cardinali, & Ciuibus de inſigni ipſorum ſtudio, ac beneuolentia gratijs, abrumpere eius domicilij deliberationem coacti ſunt. De Peruſiæ, percelebris item Vrbis, cœnobio actum. Acriore quodam deſiderio efflagitare ciues noſtram Sodalitatem videbantur; ac ſpes quidem non pœnitendas inijciebant, oblato ſitu, ac communi in noſtros homines ſtudio, quod excitare tunc potuit Patrum animos, vt occaſionem tanto cum humanitatis inuitamento arriperent. Permiſſum Patri Generali negotium, qui, quod exacto vir iudicio, atque in hac maximè dilatandi Ordinis parte cautior omninò erat, ac penè religioſior, iuſſa diligenti loci inſpectione, cùm nec præſens ſitus alliceret, nec tractu temporis laxari facilè poſſe ad piorũ operũ exercitium oblata ſedes videretur, eam protinùs deliberationem diſcuſſit. Regnum Neapolitanum duo itidem domicilia obtulit; Barolitanum, & Aquilanum: atque hoc quidem, quòd vnicum fuiſſet in Veſtinis, à reliquis diremptum, difficili pręterea itinere, ac cœli inclementia incommodum, viſum rei noſtræ minùs expedire: datæque ad Epiſcopum, qui maximè So-

Ordinem plęraque Italiæ Vrbes efflagitant.

Brixianum domicilium minimè probatur.

Nec Peruſinũ.

Nec Aquilanum.

da-

dalitate;in eò inuitabat,literę,teſtes quidē grati animi erga inſignē eius in noſtrum Ordinem voluntatem,ſed quæ Patrum ſuffragia, ab eo tunc conſilio aliena,ſignificarent. Baroli verò, etſi vti aliàs memoratum eſt, inſediſſent libenter noſtri, vt longinquum ad Salentinos iter præciderent,atque interiungerent;expectandas nihilominùs honeſtiores à tempore conditiones,duxere;vt vberiores inde exiſterent in communo Ciuitatis bonum à noſtratum induſtria fructus.

Nec Barolitanam.

At enimuerò in hac domorum diſcuſſione, ac repulſa,fuit, quæ communibus ſuffragijs probaretur à Patribus ſedes, nempè Vicentina. Vt acceptarent, cùm multæ ſuppeterent cauſæ, tùm ea in primis valuit, quòd Beati Patris Caietani Thienæi, Fūdatoris noſtri, Patria eſſet,cui eo maximè nomine debere ſe morem gerere, Patres intelligebant. Quod item in cauſa fuit, cur Vicentini peterent, apud quos eius præſtantiſſimæ virtutis recordatio, ac fama ſuperſtes erat: vigebatque in noſocomijs; ac templis,quę ille, antequàm nouam adſcriberet ſub labaro Crucis militiam, non tā pedū, quàm pietatis veſtigijs triuerat. Ciuium poſtulatis accedebant peculiari quadam ratione Gentis Thienæ vota,quæ cùm in ſuæ ſtirpis ſingulare ornamentum cōputaret Caietanum,quicquid ab egregio eo capite fluxerat, pertinere quodammodò ad ſuum decus, exiſtimabat: proindèq noſtros homines,nempè Thienæos,ſummoperè venerabatur, ac diligebat; vrgebatque vt eſſet Vicentiæ Sancta Caietani ſui poſteritas, quam honeſtaret. Qui ſtudere vehementer Clericorum Regularium Inſtituto videbatur, Michael Priulus erat, eius Ciuitatis Epiſcopus, Vir,qui generis decora cumulabat laude virtutum omnium. Is,quòd probè ſciret, quantū in expolienda populorum pietate, boniſque inducendis moribus valeret Theatina opera, ac nauitas,fore, vt ab eorum cultura in nouam ſe ſe faciem indueret ſua Ciuitas, ſibi perſuaſerat: eaque propter eximio quodam ſtudio eò animū, curaſque adiecit ſuas, vt tàm fructuoſis Patrum vigilijs domus Vicentiæ fundaretur. Ergò delatæ ad Eliſæum Nardinum flagrantiſſimæ Vrbis preces. Et Epiſcopus quidem in promptu eſſe Eccleſiam, ac tecta excipiendę familiæ, quæ & amplificari ſucceſſu temporis vicinarum ædium additamento poterant, ſignificauit. Generalis deliberationem diſtulit ad comitia, atque interim luſtrandum domicilium, ſitūque perdiligenter curauit: vt oculatis poſtea teſtibus rem agerent Patres: qui quidem, & quòd ſederet ex ſe locus, & quòd illa, quam modò dixi, B. Caietani recordatio intimè vellicaret, in eam ad vnū omnes ſententiam conſpirarunt, vt inſtitueretur Vicentina Colonia. Conficiendo coram cum Antiſtite, ac ciuibus negotio; ac cœnobio ad Theatinum morem, ritemque pro modo concinnando; delectus Marcellus Toloſa, Veronenſis domus Prępoſitus tū quidem renunciatus. Exceptus is inſigni omnium gratulatione fuit. Nouerant quippè à publicę eloquentiæ fama, quam cùm per reliquam Italiam,tū in ea Venetorum Ditione, Veronę præſertim ſibi comparauerat. Vicentinis nil priùs fuit, quàm fulgurantem,tonantemque ore Toloſam audire,quibus oportuit illicò fieri ſatis: dixitque Ciſalpinus ille Apoſtolus (nam ſic vulgò audiebat Marcellus) non ſemel in ſummo templo, celebritate quidem ſupra baſilicæ amplitudinem, ac nunquam fallente facundia, cùm nunquam non pectora fauciaret,quæ certiſſimo flagrantis dictionis ictu petebat. Celebrabatur paſſim diſertiſſimi viri fama, creuitq. ab eius exiſtimatione in noſtros homines popularium ſtudium. Quare facile fuit, cœnobij initium cū plauſu ponere. Oblatum à Priulo Epiſcopo templum in Vrbis ferè meditullio, Diuo Stephano ſacrum;adeòque à ſitu frequentiore commendatum,ac præterea amplum, atque aduentantis multitudinis capax. Maximum olim Vrbis templum fuerat, nunc Parœcia, quam Hieronymus Piſanus, noſtri Ordinis percupidus procurabat;qui, vbi agi de noſtri Inſtituti ſede intellexit, nihil cunctatus, eccleſiam vltrò ceſſit, & attiguam illi ædem, modicam eam quidem, ſed quam laxari mox contigit vicina Comitis Eleonori Thienęi, B. Caietani pronepotis, domo, qui occaſionem ſignificandæ in venerabilem conſangnineum reuerentiæ auidè arripuit: gratulatus pius pronepos, Religioſis viris, Caietani filijs, domos ſuas vſui futuras. Loci poſſeſſionem ſecunda cum omniū Ordinum admurmuratione inijt Toloſa: ſtuduitque eueſtigiò ad religioſi contubernij modū domum conformare,reſtituta,atque adornata,qua potuit elegantia, ſacra æde. Cumque impetrari Romano nutu minimè potuiſſet,

Admittitur Vicentinum cœnobium,

Rem vrget Gens Thienæa,

Et Priulus Epiſcopus,

Nardinus ad Comitia negotiū diſtulit,

Probant Coloniam Patres,

Cui deſtinatur Marcellus Toloſa.

D. Stephani eccleſia noſtris tribuitur,

Initur à Toloſa poſſeſſio,

vt

vt aliò Parœcia transferretur, ſat fuit, publica ea ſacrorum miniſteria per extraneum curari, attributa ad extremam eccleſiam, exercendis functionibus, ædicula, vt quàm minimũ Theatini moris ordinem perturbarent. Igitur inſtructum breui cœnobium fuit; per ſummã nempè Toloſæ contentionem, qui, cùm Veronenſis domus Præpoſitum ſe eſſe, meminiſſet, ſimul & illam regere, & fundare Vicentinam contendebat. Partiri ſe ex æquo videbatur; aut vtrobique totus adeſſe: nunc Veronam excurrere, mox Vicentiam repetere, vrgente vtriuſque rei benè gerendæ ſtudio, quo acriùs inflãmatus, ibat, & reuertebatur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Qua in re illud accidit luctuoſum, quòd concepto ab ijs vltrò, citròque excurſibus, aſſiduiſque laboribus morbo, fatum ſibi feſtinauerit Marcellus. Nec ſanè paruo conſtitit eius domus acceſſio, nempè viri ſummi caſu, quē in loco ibimus narratum. Pater Generalis, vbi proceſſiſſe rem Vicentinam, certior factus eſt, atque eò loci domum eſſe, vt procurandæ ornatiſſimæ Vrbis pietati immitti iam operæ poſſent, vnà cum Conſultoribus cœnobij Prępoſitum renunciauit Bernardum Exuperantium, virum è nobili Venetorum ordine religioſę diſciplinę ſeruantiſſimum. Familiam item impigram deſcripſere, quæ exeunte hoc anno Vicentiam tenuit, cœpitque exquiſito diuini cultus ſtudio, ac domi, foriſque vigilijs Ciuitatem demerere. Adfuit profectò ijs initijs, quę plerũque ardua, Dei nunquam in noſtram inopiam curta prouidentia. Siquidem præter priuatam Ciuiũ munificentiam, ære publico Vrbs ipſa ędificium, ac rem domeſticam iuuit. Nec diſſimulanda Conſtantia Piccolominea, Princeps, cùm de cõmuni mortalium inopia, tùm de noſtra pręſertim paupertate optimè merita, quę, vbi Vicentiæ inchoatam domũ audiuit, gnara, quę inſtituendis domicilijs requirantur adiumenta, & quàm aſpera interdum ſit fundatis recens cœnobijs res familiaris, præſtò eſſe ſua liberalitate voluit, donatis mille aureis, quibus neceſſitati conſultum; quacum familia rũ maximè luctabatur. Habuit hęc deindè domus non mediocres quidem progreſſiones; inſtitutaſque vigilias, ac labores proſequuti Patres, quà piacularibus confeſſionibus audiendis, quà publicis habendis concionibus, quà priuata ope, atq. adhortamentis adiunxere ſibi etiam, atque etiam Ciuitatis ſtudia: dederuntque Sodalitati nomen è Vicentina nobilitate non pauci; inter quos fuere è B. Caietani Gentè Thienęi tres, qui à domeſtico, cognatoque exemplo habent, vnde mores exprimant ſanctiores. Templũ diximus vetuſtiſſimum, atque ideò ſqualere ſuo à ſitu videbatur, quod anno ſubindè conſequentis ſeculi octauo expoliendũ magnificè, auroque, atque excellentis operis picturis exornandũ Ioannes Baptiſta Caſtaldus, eius cœnobij Prępoſitus, curauit: qui, quòd nulla extare eius baſilicæ conſecrationis veſtigia cerneret, id etiam in animum induxit ſuum, vt qui externam eius faciem compſerat, interiorem etiam ſpeciem à ſolenni inauguratione adderet. Quod quidem inſigni populorum concurſatione, rituque celebri perfecit, qui tùm Dionyſij Card. Delphini vices adminiſtrabat, Ludouicus Griggius, Caprularum Epiſcopus; addito ad veterem Tutelarẽ recenti patrocinio, immaculatę videlicet Virginis Conceptione. Quod Lucullèum marmor notis aureis poſtmodùm expreſſit, à calamo nempè Franciſci Polę, Viri percelebris, qui ad ſempiternam fidem ſic ſcripſit.

Eius in fundãda domo labores,

Deſignatur Vicentina familia.

Rẽ Theatinã iuuat priuata, ac publica pietas.

Et Conſtantia Piccolominea.

Exornatur templum.

Et conſecratur.

DVORVM NVMINVM PRIMARIORVM
IN FIDE
HOC TEMPLVM ESTO
PROTO VIRGINIS PROTO MARTYRIS
MARIÆ CONCEPTÆ STEPHANI LAPIDATI.
TEMPLVM SEDENIM IPSVM
MAIOREM SIMVL ARAM
CLERICI REGVLARES
EX LARGA PIENTISSIMORVM HOMINVM LIBERALITATE
ORNARVNT, ILLVSTRARVNT
Ludouicus Griggius Epiſcopus Caprularum Propontifex Vicentinus
III. Idus Iulias ritè conſecrauit. M. DC VIII.

Por-

Digitized by Google

Porrò Caſtaldus illud etiam ad hûiuſce templi ornatum, ac præſidium addidit: nempè Turelaris Protomartyris ſanguinis guttas aliquot, quas Neapoli attulerat, dono à D. Andreæ Sanctimonialibus acceptas. Splendidum ſanè munus, quod huic poſteà Eccleſiæ addictum, vt niteret ſua purpura Diuus Stephanus. Acceſſerat autem & aliud eiuſmodi ſuperiore anno donarium; nempè vnius è D. Vrſulæ ſocijs pignus, quod Iacobus, & Sebaſtianus Bornigonij Coloniæ ab amiciſſimis acceptum, noſtris municè donarunt, non ſine publicæ fidei literis, quæ penès nos ſunt.

Genuæ ſuburbanum contubernium excitatur.

Iam verò Vicentinam hanc ſedem Marcellus Toloſa dum conſtituit, Paulus germanus frater, qui Genuenſi præfecturę admotus hoc anno fuit, domum, non quidem ad abſoluti domicilij formam, ſed quæ appendix quædam Sancti Syri cœnobij, ac tùm noſtratibus animi remiſſioni, tùm ſecularibus vſui non mediocri eſſet, Genuæ molitur. Splendidiſſima ex ſe quidem ea Vrbs eſt, ſed anguſtior, quàm vt ſe, ſuamque magnificentiam capiat. Premitur nanque à fronte, à tergo, hinc mari, hinc montibus, ne ſitum, & cultum laxet ſuum. Quarè quæ intra mœnia explicare opum, ac molium magnitudinem nequit, ad ſuburbanas villas diuertit, in quibus, exædificatis ad omnem artis ſplendorem, atque amplitudinem domibus, faſtum, ac delicias ad miraculum miſcuit. Diuiſæ ad orientem, atque occaſum ſolem hæ villæ, frequentioribus, excultiſque ædificijs extra Genuam Genuam alteram, vt amęniorem, ita & magnificentiorem conſtituunt: idque temperando potiſſimùm, fallendoque æſtiuo ſyderi. Appetente ſiquidem æſtu, ad hæc voluptatum pretoria digreditur nobilitas ferè omnis, ac ſplendidè ruſticatur ad extremum vſque autumnū; quo tempore, relicta ſuburbana ea Genua, ad vrbanos ſeſe lares recipiunt. Porrò eorum qui ad eam oram maritimā, quę ad occidentem ſpectat, à Diuo Petro ab arena nuncupatam, diuertebant, plerique noſtratum opera in expiandis conſcientijs vtebantur, quos planè ſuo carere diutiùs Confeſſario, pigebat. Nobilium præſertim fœminarū pectora acriùs ea coquebat cura: quippè ob frequentiorem diuinorum vſum, addictæ maximè eſſe animorum moderatoribus ſolent; & quæ ſubtimida plerūq. ac delicatiore ſunt conſcientia, moleſtiſſimè ferunt mutare habenas, & illos abeſſe, quibus aperire animum aſſueuerint. Igitur viam inire, qua noſtros homines eò pertraherent, figerentque; vt à Patrum ſtudio ſuæ eſſent in vſurpatione ſacrorum deliciæ, nec ſylueſcerent inter ipſas hortorum amœnitates animi. Communi huic voto opportuniſſima planè accidit Ioannis Baptiſtę de Nigro, viri nobilis, pietas. Fato propior, aurum is non ſanè modicū legauerat; ac iuſſerat, vt ad certam ſummā excreſceret: tùm ad oram, quam diximus, D. Petri de Arena, templum, Diuo Ioanni Baptiſtæ ſacrum hæredes exædificarent, atque attiguas templo ædes, quæ duodecim omninò religioſos viros exciperent. Legaram hanc pecuniam cùm ad eam iā ſummā peueniſſet, coēmptus hoc anno conſtruendæ eccleſię, ac cœnobio locus, ſitu quidem percommodus, amplaque area nobilis, vbi celebrari ludicra, ac publicæ eius regionis hilaritates conſueuerant. Huc animum adiecere cū noſtri, tùm exteri, qui figi in ea ora noſtro Inſtituto contuberniū vellent. Nec laborandum in re conficienda Paulo Toloſæ, qui Genuenſi rei præerat, diù fuit. Addictiſſima ſiquidem Ordini Lichinetta Centuriona, lectiſſima cū primis Matrona, Chriſtophori Centurionis coniux, ac Ioannis Baptiſtę de Nigro ſoror, eiuſq. vnà cum altera ſorore, Iulia Pallauicina, hæres, excitandam ex germani fratris teſtamento eccleſiam Theatinis vltrò conceſſit, pactis nempè vtrinque conditionibus, quas ſuo mox anulo Clemens Pontifex Octauus ratas habuit, addixitque Pontificio etiam nutu noſtris locum: qui inſequenti mox anno die Martij tertia decima templi rudimentum, iacto primario lapide, ritè poſuere, proſequuti ſubindè ædificiū, quod ad ſummam manum perductum, forma, amplitudine, columnatione magnificum ſanè pro loco dixeris: cœptumque poſtea exornari, ac ſuus additus aræ principi à Pario marmore, ac picturis cultus. Ceſſit hoc domicilium in D. Syri domus clientelam, ac poteſtatem, deguntque inibi noſtri non exiguo cum viciniæ fructu. Siquidē, etſi per reliquum anni tempus pauci habitant: calente poſtmodùm cœlo, feruet operarum induſtria. Submitti nanque frequentandæ Coloniæ plures è Genuenſi cœnobio ſolent, ſanctioribus præcipuè diebus; facilis quippè eò acceſſus, receſſuſque, cū duobus vix paſſuum millibus ab Vrbe locus diſtet, ac terra quidem aditi, tùm mari poſſit,

Side notes (margin): "Genuæ ſuburbanum contubernium excitatur." — "[illegible]" — "Io. Baptiſta [illegible] con[illegible] cœnobiū [illegible]" — "[illegible] noſtris [illegible]" — "[illegible]" — "[illegible] in [illegible]"

poſſit, paratis, tranſmittendo vltrò, citròque breui pelago, cymbis. Planè, cum laxamenrum quoddam videri poſſit, eò Patres concedere: eſt nihilominùs ſua inibi æſtiuo eo rempore contentio, ac labor. Nam cum eò, vti ſignificatum eſt, integræ nobilium ſamiliæ tranſerantur, cōmodare aſſiduas confitentibus aures oportet. Chorus noctù quidem mitiùs, interdiù verò aſſiduò reſonat. Prærerea, Dominica qualibet luce, ſeſtiſque inrer hebdomadam diebus recurrentibus conciones habentur in templo: nec ſatis eſt vulgaris vtcumque facundia. Cum enim ad nobilium coronam dicere oporteat, præcipui plerumque nominis eccleſiaſtæ aduocantur, vt inſigni eloquentia delicatiores aures ſuſpendantur. Demum nihil religioſi officij, ac muneris, nihil inibi diuini cultus prætermittitur: vt florere vrbana in villis pietas, ac ſacrorum ſtudium videatur.

Excitatum hoc Diuo Ioanni Baptiſtę templum ad alterū, eidem Domini Præcurſori Capuæ primùm, deindè Neapoli Monaſterium, noſtratum præſertim opera dedicatum, ſtylum vocat. Sanctimonialium contubernium id fuit à Cœnobio D. Mariæ à Sapienria, quod noſtri curant, auulſum. Rem paucis referam. Inſtitutum Mariæ Caraſę Pauli Quarti Pontificis Maximi ſororis, eiuſdemque Pontificis ſtudio, curaque Sapientiæ Monaſterium, vt in ſtrictiore quadam diſciplina fundamenta iecit, ita ad perfectiſſimam quandam regularis obſeruantię laudem deindè creuit: floretque celebriore Neapoli ſama. Capti ea loci, morumque ſanctitate Capuani viri duo, nobiles perindè, ac probi, Cœſar Argentius, quem aliàs loquuti ſumus, & Franciſcus Baucius, prę̄ſtantiſſimo hoc ſacrarum Virginum inſtituto nobilitare Patriam, in animū induxere ſuum; rati reſtituendę Capuana in Ciuitate Monialium pietati, ſatis ex ſe fore obiectum hoc reliquis exactæ diſciplinæ exemplar. Locum deſtinant; & Baucius quidem ſexcentorum in ſingulos annos aureorum prouentus è ſuo cenſu donat. Ergò quæ ducendæ, inſtiruendæque religioſę ſamiliæ aptior è Sapientię Monialibus ea fuit Dorothea Villana, nobilis in primis Virgo, ætate, ac morū grauitate grandior, Ioannis Villani, Pollæ Marchionis ſoror, quam dum Cœſar Argentius, ſororis eius vir, adhortari ad prę̄clarum opus nititur, aduertit actum agere. Aſſuera quippè iam diù eius Gynecæi ſanctitati, ſororumque amantiſſimarū conuictui, adduci minimè poterat Dorothea, vt locum mutaret. Admota proindè noſtratum auctoritas fuit, præſerrim Silueſtri Tuſi, viri grauiſsimi, qui quòd cerneret ingentem in Dei gloriam, fructumque Capuanę Ciuiratis rem cedere, vſus vehementiore quadam vi dicendi, ac ſtudio, id euicit, vr annueret, ſuſciperetque conſtituendę diſciplinæ prouinciam. Deſtinaræ duæ item aliæ ex eodem Sapientiæ Monaſterio Virgines, Eugenia, & Iuſtina Tranſæ, vnà cum ſorore laica. Tùm obſignato Clementis Pontificis Octaui diplomate, marurata profectio eſt, deducente Cœſare Coſta. Archiepiſcopo Capuano, qui dedita Neapolim opera venerat, vt lectiſsimæ Virgines, quo decebat, honeſtiſsimo comitatu in nouum cœnobium transferrentur. Capuæ alius fuit rerum ſtatus, quàm animo conceperant. Enimuerò, quoniam renaſci recens hæc Monialium diſciplina è veteris cuiuſdam Monaſterij ſunere, ac buſto debebat, laboratum diù. vt confectū ſenio cœnobium in ſpem rediuiuæ obſeruantiæ penitùs extinguererur. Quod cùm minimè ſucceſsiſſet, ac propter eà nec laxari noui Monaſterij ſitus, nec prę̄ſtari reliquę conditiones poſſent, poſt biennium reuerri Neapolim Dorothea, & ſocię cogitarunt. Reuerſionem ſtrenuè iuuit Ioannes Villanus, Dorotheæ germanus frater, qui operā, Capuę haud ſeliciter poſitam, vertere in Neapolitanę pietatis incrementum putauit, fundato, videlicet, Neapoli D. Ioanni Baptiſtę Monaſterio, quod Capuę ſucceſſu caruit. Negotio cùm difficulrates Romæ non paucę ſe ſe obiecissent, obluctantibus nimirum Auguſtis Patribus, ne redirent Neapolim moniales, illas abrumpere omni ope Villanus ſtuduit, vſuſque præſertim opera eſt Ioannis Baptiſtę Tuſi ex noſtris, Acerrarum Epiſcopi, qui cū Romæ tunc ageret, animum in id rei egregiè intendit, imploratis virorum principū ſtudijs, quorum auctoritate, ac graria vſque adeò valuit Tuſus, vt & ampliſsimorū Patrum, & ipſius Clementis Pontificis nutum impetrauerit: Fundatumque mox Neapoli Gynecęum, Diuo Ioanni Baptiſtæ nuncupatum, eò traslatis Dorothea, & ſocijs: ira vt quæ Silueſtri Tuſi adhortamentis, conatuque immigrauere Capuam Virgines, Ioannis Baptiſtę, Silueſtri germani fratris

Nouum monialium cœnobium Capuę.

Argentij, & Baucij opera

Deſtinatur fundando monaſterio Dorothea Villana,

Agente Silueſtro Tuſo.

Succeſſus minimè reſpondet,

Et Neapolim opus transfertur.

opera Neapolim, nouo ſcilicet fundando Collegio, remigrauerint: Porrò non ſatis noſtratibus fuit, negotium Romę confeciſſe: verũ cùm nouæ plerumque familię ſingulari quadam ope, tutelaque indigeant, vt ad omnem deindè laudem coaleſcant, adfuere ſtrenuè ijs diſciplinæ initijs Marcus Paleſcandalus, in hac inſtituendarum monialium palæſtra verſatiſsimus, vt aliàs commemoraui, & ipſemet Ioannes Baptiſta Tuſus, à quorum vigilijs, prudentique rectione, ac zelo mirũ, quantos illa Monialium diſciplina progreſſus Neapoli fecerit, & qua ſtatim obſeruantiæ fama floruerit, monaſterio Sapientię, à quo manauerat, quàm propè, tàm ſimilis. Siquidem in eadem, quę à Conſtantinopoli appellatur, vicinia, extructo quàm ſplendidiſsimè collegio, & ædificij magnificentia, & morum ſtudio, & ſplendore Virginum, ac numero certare cum ſua ſtirpe ſurculus videtur.

Curánique monaſterij rudimenta noſtrates.

Qui Neapoli templi cultui ſtudent.

Hęc, aliaque Neapoli in communem vſum, pietatemque noſtri homines, qui cùm impigram nauarent inſtituendis moribus operam, toti itidem erant in tẽplorum cultu: quo ſanè capti mortalium animi, ab aſpectabili hac rerum ſpecie ad diuina promptiùs aſſurgunt. Nihil quippè eſt in humanis, quod Dei reuerentiam magis excitet, quàm ſplendor diuinę domus. Struantur ad miraculum baſilicæ, iiſque adornandis peregrinentur ab extremo orbe marmora, ſua luce perindè, ac maculis formoſa; niteant aris illuminandis innexæ auro gemmę; modò repręſentando Numini, eiuſque reuerentiæ ingenerandæ gemma, ac pompa ſeruiat, nullus vnquã ſumptus magnitudinem, cultuſque ſuperbiam carpſerit: eritque profectò eò laudabilior ambitio, quò grandiora ad ſacrorum magnificentiam moliatur. Hęc enimuerò princeps noſtratũ cura: ac Neapoli quidem hoc anno in Paulina æde exornanda nulli nec ſtudio, nec ſumptui parcunt. Amplificatam ad pulcherrimam templi formam ſuperioribus annis eã diximus. Rude adhuc opus expoliendũ ſuſcepit Petrus Antonius Garganus, animo quidem maiore cenſu. Cœptum ab odèo opificium. cuius ſuperior pars à Beliſarij, celebrioris artificis penicillo culta, partito quã ingenioſiſsimè fornice, plaſtico opere, obductoque affatim auro. Ad hæc, circumducta ſubſellia quanta maxima venuſtate, ac magnificentia, ſculpturis etiam, figuriſque affabrè laborata. Quod quidem odèum cũ peramplum ex ſe ſit, nobilitatum hac inſuper artis elegantia, pulcherrimum profectò caput eſt corporis pulcherrimi. Inde pictoris eiuſdem ingenio, ac manu, eademque plaſtice, ac auro condecorata ea pars eſt, quæ templum decuſſat: ſpiratque in picturato eo cœlo Apoſtolorum Principum hiſtoria inſigni cum oculorũ oblectamento, ac fraude. Non ita poſt multò exculta ſupra vulgarem magnificentiã ara maxima, loricato quęſitis, ac verſicoloribus marmorum cruſtis hinc inde latere; marmorato item, recurrentibus alterno lapide teſſellis, pauimento: ac ſub idem tempus cœpta fabricari conſeruandæ diuinæ Euchariſtię ędicula, quàm precioſa quidem gemmarũ ſegmenta conficiunt; ſed materiam longè elegantior forma ſuperat. ornantque paſsim auratæ ex ęre ſtatuæ ſupra quadraginta, excellentis ſtatuarij opus. Quo quidem in Euchariſtico tabernaculo conficiendo deſudarunt iidem ipſi artifices, qui Romæ in Lateranenſi Patriarchio eiuſmodi diuinę Euchariſtię ædiculam gẽmis teſſellatam, Clementis Pontificis Octaui iuſſu fabricauerant: vt ſanè quàm ſimillimũ quà idea, quà magnificentia perfeciſſe opus æſtimari facilè poterit. Par autem diuino ferculo tabernaculum annis deindè labentibus in noſtra Sanctorum Apoſtolorum eccleſia excitatum, quod in loco deſcripſimus; &, ſi cum Paulino compares, neſcio quid maioris non quidem venuſtatis, certè maieſtatis, ac pretij hoc Sanctorum Apoſtolorum habet. Nam facilè fuit inuentis addere, ſecundaſque curas ad delicatiorem limam perpolire.

Quàm deceat Dei templa magnificentia.

Exornatur Paulina ędes.

Euchariſticum è gemmis tabernaculum.

Antonius Agellius renunciatur Epiſcopus.

Obijciunt ſe ſe modò, qui regendis Eccleſiis vocati è noſtro Ordine, nonnihil in commune animorum, & Catholicæ rei commodũ ſuis doctrinis, ac vigilijs contulere. Et anno quidem pręterito inſignitus Epiſcopali munere Antonius Agellius fuit, cuius huc narrationem coniecimus, vt plures ſimul Inſulas, cohoneſtandæ ſcriptioni, coniũgeret ſtylus. De viro pręſtantiſsimo ſparſim multa in prima hiſtoriarum parte expoſui; quem & inſignis linguarum peritia, & doctrinarum adiumenta, & ſacrarum literarum ſtudia, & ſcriptorum monumenta abundè prędicant. Ac ſummis quidem Pontificibus ab hac ingenij, ac vigiliarum laude commendatiſsimus fuit, qui-

bus

bus ipſe viciſſim, cũ in ſacrorum codicum correctione, tùm in præſtantiſſimorum voluminum editione operam probauit ſuam. Nauatos in communis Eccleſiæ bonum ab ipſo labores honeſtaſſet, vt alibi diximus, ac teſtimonio Bartholomęi Cardinalis Cœſij conſtat, vt [a] Boluitus refert, primaria quidẽ dignitate Clemens Pontifex Octauus, ſi perſuaſũ ſemel habuiſſet, fore, vt vir eximiè pius, ac ſeuerioribus religioſę diſciplinæ moribus addictiſſimus, aulæ ſe ſe officijs accomodaret. Interim ne omni prorsùs honoris ſignificatione vacaret eximia virtus, illum Acernẽſi Eccleſiæ in Regno Neapolitano deſtinauit; inuitũ quidem, atq. infimis precibus obluctantem, vt ipſemet, ſcripta ad Latinium epiſtola, disertè teſtatur. Inauguratum ea dignitate retinere nihilominùs Romæ Pontifex voluit, quem publicis Eccleſiæ curis opportuniſſimum reputabat. Cumque is ſemel, ac iterùm euiciſſet, vt ſuam ſedem, oueſque creditas adiret, reuocatus eiuſdem Pontificis imperio ſemel, ac iterùm fuit, grauiſſimis, videlicet, negotijs expediendis: preſertim vt Conciliorum emendationi adeſſet, ac Thalmudicos hębræorum codices preſſo & ipſe vngue vellicaret. Qua quidem in Iudaica lue amouenda, vt eruditionem, ita & incorruptum, ac fortiſsimum planè pectus, veluti ad Pyrrhi aurum Inſultatus Fabritius oſtendit. Enimuerò cùm momẽtum negotio afferre maximum Agellij ſententiam hæbræi ſcirent, tentare, atque euertere pecuniarum vi eius animum ſunt aggreſsi. Quo ſanè effecere, vt exardeſceret acriùs vir integerrimus, ac Pontificem in ſeueriora ſtatim conſilia contra peſtilentiſſimum malum propelleret. Quo etiam tempore admotus à Clemente fuit expoliendę Silueſtri Aldobrandini, Cardinalis Sancti Cœſarij, lectiſsimi Iuuenis, eiuſque pronepotis eruditioni: quo ille magiſtro ad ſacrarum literarum adyta viam ſibi inſigni cum ingenij laude aperuit. Porrò cùm diutiùs, quàm regendę Eccleſię ſuæ zelus poſceret, Romæ diſtineretur Agellius, nec vllam affulgere ſpem cerneret ſui muneris repetendi, ne ſuis ouibus fraudi eſſet abſentia, abdicare Inſulam ſtatuit; impetrauitque nullo negotio à Pontifice, qui verſari in mortalium luce, dignum theatro hominem cupiebat: cui ſtatim ſuſtentandę dignitati prouentus annuos attribuit, atque in Pontificia domo conclauia, tùm quotidianum familiaribus dari ſolitum demenſum: vacauitque is deinceps aſsiduæ ſcriptioni, quoad vltima neceſsitas interceſſerit, vt in loco referam.

[a] Sylloge ſcript. Cler. Regul.

Sed inuitus.

Romam bis reuocat Pontifex.

Admotus erudiendo Cardinali S. Cæſarij.

Abdicatque Epiſcopatum.

Superiore anno hæ Agellij Inſulę, vti diximus. Hoc verò anno creatus Epiſcopus eſt Benedictus Mandina, Melphitanus, inter principes olim Neapolitani fori cauſidicos, quà ſtudiorum opinione, quà linguæ vſu. Tranſlatum poſteà ad noſtrum Ordinem non adeò texit ſuſcepti Inſtituti humilitas, quin facultatem illam ingenij, atque impenſum in Cœſarij, ac Pontificij iuris ſtudijs laborem proderet fama. Plurimi illum fecit Gregorius Quartus decimus Pontifex, ſibique à rerum vſu, excellentique doctrina cõmendatiſsimum, admouere Epiſcopali Cathedrę ſtatuit. Quocirca cùm vacaſſet tùm Sedes Melphitana, opulenta ea quidem, ac ſplendida, ſtatim de Mandina ornando cogitauit: aperuitque ipſemet viro modeſtiſsimo conſilium, qui vbi ſummi Patris mentem cognouit, eloquentiæ vires omnes, opeſque animi, repulſando honori adhibendas ſibi reputauit; dixitque vſque adeò appoſitè, aptèque ad perſuadendũ, vt dederit Pontifex manus; ita tamen, vt excreſceret viri opinio, deſtinaretque curis grauioribus. At enimuerò, quod religioſæ humilitatis periculum ſtrenuè propulſauit, Gregorio Pontifice declinare poſteà minimè potuit, obfirmato in eius Inſulam Clementis Octaui animo. Nouerat is egregias viri partes, & quà ſua ſpontè, quà aliorũ ex Auguſto Senatu Patrum, præcipuè Cardinalis Sanctæ Seuerinæ commendatione, impulſuque Caſertanæ Eccleſiæ deſtinauit. Rem ipſe ſuæ tranquillitatis ſtudioſiſſimus, tulit peracerbè, egitque ſeriò cum aliquot virorũ principum, vt à ſententia Pontificem remouerent. Se quidem grandi natu Religionem iniſſe, vt reliquum breuis æui ſecum, & cum Deo tranſigeret. Iure igitur poſtulare, ne quas inſtituerat, tacitas viuendi rationes intercideret Sanctiſsimus Pontifex. Non deeſſe officio idoneos, qui aſſueti curis, ſuo etiam genio adminiſtrent ſacra, ac mortaliũ cõmoda. Quæ, non perfunctoriè quidem, ſed etiam, atq. etiã apud Pontificem inculcata, non pronis auribus accepta. Quarè obtemperare diuinæ voluntati, ac ſubire onus oportuit. Publicum verò doctrinæ periculũ de more cũ faceret, vſq. adeò ingeniũ, eruditionem, ac facundiã

Benedictus Mandina.

Deſtinatur Eccleſiæ Melphitanæ.

Renuit.

Sed imponitur mox Caſertanæ ſedi.

Digitized by Google

probauit ſuam in eo ſũmorum capitum conſeſſu, vt Pontifex, qui tentauerat ipſemet virum difficillimis quæſtionibus, fusè commendauerit, ac teſtatus pleriſque ex ampliſsimis Patribus fuerit, non è communi hominum cenſu, ac doctrina illum eſſe, dignum omninò, qui ad grandia Eccleſiarum momenta, rerumque grauiſsimarũ tractationes adhiberetur. Quo quidem Maximi mortalium teſtimonio, affectuque non modò non elatus, aut in ſpem aliquam magni, ſpecioſique muneris eſt ingreſſus Mandina, verùm etiam tentare iterùm, atque inſtaurare abdicationem conſtituit; orauitq, vehementer Pontificem, ne virum, religioſi otij cupidum à cellula, ac quiete diuelleret: cui graui quodam ſupercilio Clemens: Non hæc prima à te, inquit, hac ſuper re ſupplicatio; ſed qui primùm quidem renuimus, nunc pro ſanctiore etiam poteſtate pręcipimus, vt acquieſcas. Igitur inauguratus; perijtque eueſtigiò Sedem Caſertanam, quam ſanè egregijs virtutum documentis cohoneſtauit. Venerationi omnibus ſtatim fuit, vt qui raro, ac pulcherrimo quodam nexu religioſam diſciplinam cum Antiſtitis grauitate, atque officio coniugere; ſimulque optimi Epiſcopi, pijſsimique aſcetæ repræſentare adamuſsim partes, ac mores videbatur. Citra externam Infulam, ac dignitatis inſignia nihil præterea Theatino cultui imminutum voluit: ita vt ſub honeſtiore quidem toga eadem indumentorum paupertas lateret. Cubile idem, quod Clerico Regulari fuerat, eademque conclauibus aulæa, nẽpè, ſimplicitas, ac nudus paries. Menſam non lautiorem inſtrui iuſsit, quam eadem ſacra lectio condiebat. Aderat aſsiduus publicę cum cœteris pſalmodiæ, eratque exemplũ, ac cenſura Clericis canentibus. Stata apud noſtrates orandi, ac commentandi tempora nunquam viſus prętermiſiſſe. Ad aram quotidiè faciebat: omnia denique eximio perſequi ſtudio, quę noſtri Inſtituti ratio poſceret: Cũ interim ideam quandam, formamque perfectiſsimi Antiſtitis obijceret intuentibus, ſtudio ſuarum ouium, ac diſciplinæ, morumque zelo. Præcipua eius cura Cleri religio, ac vitæ cultus fuit. Ex Canonicis rari iam erant, qui odęum, ac diuina pro debiti ratione frequentarent; ſed coacti adeſſe cũ ahortationibus, tũ ſui exẽplo capitis. Nã, vt modò expoſui, deſiderari ſe nunquã ſinebat præſtantiſsimus Antiſtes: etiamſi nõ minimùm à principe Templo Pontificia domus diſtaret. Sacerdotia, prouentuſque eccleſiaſtici vt nonniſi probis, ac pijs vir s contingerent, curabat: nempè vt pręmio ad honeſta propelleret. Contrà, vt à vitiis abſterreret, pœnas interminari, ac infligere. Et verò, vt contumaciam frangeret, ſeueriore interdum ingenio, ac publica ad exemplum animaduerſione vti oportuit: etſi cauebat maximè Clericorum exiſtimationi, vindicabatque ſæpiùs crimina, incolumi ſama. Aſperior hæc cenſura morum, quæ opportuna tempori videbatur, nonnullos, quos peccandi conſuetudo efferauerat, ad inſana conſilia impulit. Propinare ſiquidem ſacrificanti Antiſtiti venenum auſi, inficere ſacro in Calice Euchariſticum illud nectar, non dubitarunt: Quo ille hauſto, diuino ſtatim monitu ſcelus agnouit, pepercitque ex animo proiectæ audaciæ viris. Lędere verò flagrantiſsimum zelo virum frigida ea veneni vis minimè potuit: tutum ſcilicet ſuamet innocentia, ac præſenti Numine, cui periclitari ſæpenumero ſuotum robur ad coronam, placet. Is verò non ideò in prauis moribus conuellendis ſegnior fuit, quando animorum incolumitas quolibet pretio conſtat benè. Porrò, in dicendo, tribuendoque ſuo cuique iure, vt acrioris, ita integerrimi omninò iudicij fuit. Non Principum fauor ab æqui, rectique norma detorquebat. Munera iuſſerat longè faceſſere. Id, quod & cùm olim in foro verſaretur, in more habuit. Semel tunc accidit, vt præter animi ſui ſententiam, neſcio quid generis gallinacei ſamula acceperit, teſtatuſque ingenuè ipſe eſt, non minimùm ſibi moleſtiæ creaſſe eas volucres: vt quoties eius clientis cauſam expendere ad doctrinarum lancem vellet, adſtreperent auribus, ac animo: quarè demandandam cauſam alteri iuſsit. Quod ad ouium ſuarum eruditionem, curamque attinet, pleraque ipſe per ſe munera ad illarum fructum, ſalutemque obire. Vt ſacra ritè peragerentur, optimis inſtitutis cauere: dicere de ſuperiore loco: ſacras excipere confeſsiones, aliaq. ſtrenuè curare ſacrorum miniſteria conſueuerat. Quòd verò in abſolutiſsimo Antiſtite ſupra communem laudem dixeris, ea fuit in egenos, viduas, pupillos, ægrotoſq. effuſa nimiũ charitas. Iſtiuſmodi miſerabiliũ perſonarũ inopiæ vectigales fecerat Eccleſię ſuę opes, ac curas ſuas, eò aliquãdo

Examen cum Pontificis cõmendatione ſubit.

Infulam iterũ recuſatã, acceptatque adactus.

Clerici Regularis mores non exuit.

Induit optimum Antiſtitem.

Expertus morũ cenſor.

De vita periclitatur.

Fiet integritas.

Odit munera.

In Epiſcopatu curæ.

Pietas in egenos.

& ipſe inopiæ adductus, vt cùm nihil ad manus eſſet, quod erogaret, ſuo ipſi lecto minimè pepercerit. Aduigilabat nempè Chriſti pauperibus, qui carere ſtrato voluit. Puellis itidem, ne alliſæ ad paupertatis ſcopulum, pudicitiam frangerent, ſedulò prouidit, dotabatque munifica planè manu. Ad hæc nihil illi cum carne, & ſanguine; nulloque tangi, aut emolliri cognatorum affectu voluit, quos quamquam non oderat, odiſſe tamen videbatur: ita nihil vnquam commodi in illos deriuauit à ſuo cenſu; putabatque nihil adeò ſibi coniunctum, quàm Eccleſiam, ſponſam ſuã, atque Eccleſiæ pauperes, quorum indigentiæ, aiebat, prouenire ſacerdotiorum fundos. Et quidem hanc in egenos munificentiam occulta quadam auri vi fœcundare Deus videbatur. Nam, vt ipſe à pleriſque audiui, dicere ſolitus erat Mandina, expertum ſe paſſim, quo liberaliore effudiſſet manu eleemoſynas, eò magis non ſine ſui admiratione excreuiſſe, quod daret. Quod quidem vulgare eſt pietatis opus, reparare vberiùs, atque occultè aurum, quod erogatur.

Creſcunt ab erogatione opes.

Hæc Epiſcopi Caſertani viuendi, agendique ratio in ipſo ſtatim ſuæ procurationis initio: quam dum proſequitur ſtrenuò, totuſque in commiſſam ſibi Eccleſiam expoliendam incumbit, Romam à Clemente Pontifice accerſitur: cuius animo cùm hæreret magna viri indoles, illamque grauiſſimis negotijs parem exiſtimaret, ea vti ſtatuerat, oborta tùm quidem non parui momenti occaſione. Enimuerò incitata in Chriſtianum nomen Turcarum rabies, efferbuiſſe ea præſertim tempeſtate videbatur, ac tùm ſuas opes omnes, conatuſque bellicos adornauerat gens pugnaciſſima, tùm auxiliatricem Tartarorum ferociam ſibi adiunxerat; imminebatque in Hungariam turbo, qui non illi duntaxat Regno, ſed vaſtitatem latiùs minabatur, niſi ingruentem calamitatem ſiſteret Catholicorum Principum fœdus, atque armata religio. Diſſidebant tùm maximè cum Tranſyluano Poloni, quorũ ſimultates dum mutuò exercebantur, viam euertendo ſeptentrioni Turcæ muniebant. Ergò ſummus Pater, cui tutari conſilio, ac ope publicam rem Chriſtianam eſt curæ, malis, antequàm prouehi in grande orbis exitium contingeret, conſulere tempeſtiuè cogitat: idque potiſsimùm in animum induxit ſuum, vt iunctis ſolenni fœdere Principum animis, eorum vires, ac arma in communem hoſtem exacueret. Qui hęc momenta inſigni cum fidei, ac ſolertiæ laude curaret, neminem, Epiſcopo Caſertano magis idoneum vidit. Quarè accerſitum, inſtructumque opportunè monitis, Nuntium ad Rodulphum Cæſarem, ac Sigiſmundum Poloniæ Regem, alioſque in Germania Principes miſit. Complexus illicò negotium, Germaniam, Poloniam, Tranſyluaniam, frigidiſſimi nempè cœli regiones, ſumma hyeme, flagrante nimiùm zelo adijt, euentu quidem legationis ſecundiſsimo. Siquidem opinione celeriùs ad Pontificis, ſuſpenſæquę expectatione aulę votum rem confecit: ac fœderatis haud quidem beneuolis inter ſe ſe Principum animis, abundè oſtendit, qua valeret vi mentis, ac eloquentiæ. In Polonia præſertim, vbi componere bellum, animoſque in Tranſyluanos oportuit, in publico virorum Principum conuentu, nempè in Comitijs Varſauię, ea facundia perorauit, vt admiratione defixi, dicèrent, qui aderant, viſum ſibi fuiſſe in Caſertani Epiſcopi non ſolùm ore ſuadam, ſed oculis, fronteque flammam, vti [a] Bernardus Leus ad Ioannem Petreum Epiſtola teſtatur. Quæ quidem de fœdere in Turcas ad Polonos oratio, excuſa Cracouiæ, ac publici iuris facta: vt perennaret, & Oratoris efficacia, & gentis plauſus. Eius verò in publico, grauiſsimoque munere obeundo ſummam fidem, dexteritatem, conſtantiam teſtatus diſertè eſt Cynthius Cardinalis Aldobrandinus, Clementis Pontificis nepos, penes quẽ Romanæ tùm aulæ negotia, ac ſũma rerum, non vnis planè literis, ad illũ Poloniam datis, quibus in ea ingentium curarum, atque animorum tractatione nihil in Caſertano Internũtio deſiderati integritatis, prudentię, contentionis, ardoriſque animi luculenter pronuntiat. Quas mihi Aldobrandini literas Bartholomæus Griſconius, Caſertanus item Antiſtes, vir ab eximijs animi partibus in paucis ſpectatus, exhibuit perhumaniter vnà cum Sigiſmundi Tertij epiſtola, latinè conſcripta, ad eundem Mandinam ſub ipſum è Polonia diſceſſum datam, quam hic exſcribere non pœnitebit, vt ab vnius Poloni Regis exiſtimatione, ac beneuolentia intelligat lector, quantã apud exteros eos Principes, ac Prouincias ſui famam, ſtudiumque concitauerit vir egregius. Sic verò habet.

Accerſitur Romam Mandina.

Et ardente in rem Chriſtianam Turca

Mittitur ad Germaniæ Principes.

Proſperiore euentu.

[a] Epiſt. appoſita ad eius ora.

Commendata à Card. Aldobrandino eius ſolertia,

Et à Poloniæ Rege ſcriptis literis.

Sigiſ-

Sigiſmundus Tertius Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, Bruſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæque, nec non Suecorum, Gotorum, Vandalorumque hæred. Rex.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater nobis dilecte. Gratum ſanè nobis, & iucundum fuiſſet, Paternitatem veſtram, antequàm ex hoc Regno diſcederet, videre, coràm valedicere, coràm noſtræ beneuolentiæ officia illi offerre. Amamus enim magnas, & inſignes Paternitatis Veſtræ virtutes, integritatem, candorem animi, & magnitudinem, conſtantiam in Sedis Apoſtolicæ dignitate tuenda, & communibus Chriſtianitatis rebus procurandis ſtudium acre, cum prudentia coniunctum, in quo nihil aliud ſpectare Paternitatem Veſtram, niſi publicum bonum ſanè perſpeximus. Sed quia ita magis ex vſu Paternitati Veſtræ fuit, vt hac itineris, & temporis commoditate ad redeundum vteretur, precamur ex animo iter hoc illam feliciter emetiri, ac ſoſpitem, & incolumen ad S. Beatitudinem reuerti. Noſtrum in rem Chriſtianam animum, in S. Sedem obſeruantiam, vel pietatem potiùs, & fidem, vti coràm Paternitas Veſtra perſpicere potuit, ita etiam apud ſuam Sanctitatem teſtem, & interpretem eiuſdem futuram minimè dubitamus, ac tantò quidem certiore ſpe, quantò cõſtantiùs Paternitatem Veſtram, id iam etiam, vbi vſu venit, præſtitiſſe, intelligamus. Nihil aliud ab animo candido, & ſincero proficiſci potuit: quem nos omni omniũ Principum beneuolentia, ac immortali laude digniſſimum eſſe ſentimus. Nobis verò dari aliquam occaſionem cupimus, qua noſtris officijs teſtari poſſimus, quanti Paternitatis Veſtrę virtutes, & in nos voluntatem præclaram faciamus. Datum Varſouiæ die prima menſis Decẽbris an. Dom. 1696. Regnorum noſtrorum Poloniæ nono, Sueciæ anno tertio.

Hæc ad Mandinam Sigiſmundus. Porrò, qui erat modeſtiæ perſtudioſus, nec ſibi à ſplendidiore famulitio, ac ſui cultus pompa auctoritatem conciliabat, haud magnos in ea legatione ſumptus fecit. Quæ ſuperfuit vis pecuniæ, non parua eaquidem, non profano vſui, aut conſanguineorum commodis, ſed in ſuæ Eccleſię cõpendium vertit, adaucto cenſu annuo, vt excreſceret ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus curãdi pauperis, exercendæque pietatis ſeges.

Adauget Eccleſiæ ſuæ vectigalia.

Vincentius Capycius Epiſcopus Gallipolitanus.

Sed de Caſertanis Inſulis hactenus. Deſignatus præterea à Philippo Secundo Rege Sedis Gallipolitanæ Epiſcopus hoc anno fuit, probatuſque à Clemente Pontifice Vincentius Capycius, è Neapolitana nobilitate, vir inter noſtrates non vulgaris prudentiæ, ac religionis. Procurauerat is pleraſque è noſtris domibus cùm in Regno Neapolitano, tùm in Gallia Ciſalpina, ac tùm quidem Capuanam regebat, cùm Hiſpanici conſilij, Regiſque ſuffragijs prouocatus ad hoc Sacerdotium fuit. Gallipolis Vrbs eſt in Meſſapia non infrequens, in mare Ionium exporrecta, quam ſitus ac munita ſatis mœnia pulchram perindè, ac tutam reddunt. Remotior quidem eſt ab reliqua Italia, ſed diſtantiam abundè compenſant loci amœnitas, ac faciles gentis mores, qui non minimùm à populari Salentinorum indole deflectunt. Eò translatus Capycius, tranſtulit vnà ſecum exquiſitum Numinis cultum, ac morum formam. Illo ſiquidem cultore induit ſe ſe nouam ſtatim in faciem Gallipolitanus ager, cui Capycius inſtituendæ Clericorum vitæ, fingendæ communi pietati, ſubleuandis pauperum neceſsitatibus, ornandis etiam eccleſiæ parietibus egregiè deſudauit, vixitque in ea Sede diutiùs conſtanti optimi Præſulis fama.

Gallipolis vrbs apud Salentinos.

Capycij in Epiſcopatu ſedulitas.

Vincentius Tuſus Vritanus Epiſcopus.

Verſamur adhuc in Epiſcopali munere. Conſequenti ſiquidem anno, quem ideò ab Inſulis auſpicamur, vt collatos in noſtros homines honores ſtylus continuet, nec materiam diſtrahamus, Vincentius Tuſus Pontifici Clementi ſiſtitur ab Hiſpaniarũ Rege Philippo, Vritano Epiſcopatu cohoneſtandus. Euexere ad hanc illum Sacerdotij dignitatem cùm ſua virtus, tùm virorum Principum fauor, præſertim Ioannis Andreæ Dorię, Melphitanorum Principis, ac maris Prefecti, quem præſtanti quodam genere prudentię, ac ſuauitate morum ſibi deuinxerat. Vt Clericus Regularis, adminiſtratis præclarè Religionis officijs, ac magiſtratibus, eximiæ integritatis, atque in agendo ſolertiæ ſpecimen dedit, ita poſteà, murato vitę inſtituto, in Epiſcopales curas ingreſſus, atque in omnem pręſtantiſsimi eius muneris partem intentus, quæ

Anti-

Antiſtitem decent, ornamentà virtutum expreſſit mirificè in moribus. Planè cùm
erudiri rudem ſacrorum populum oporteret, nulli pepercit ſtudio, ac operæ, quin
eius religionem, pietatemque expoliret. Eccleſiam ſuo ſenio laborantem reſtituit,
ornauitque ſumptu quidem non modico. Pontificiam item domum adauxit, ac
nobilitauit ſubſtructionibus ad Epiſcopi dignitatem, & commodum. Inter hæc ſui
muneris ſtudia agentem, mors intercepit anno ſeculari ſacro, ſeptẽbri menſe, abijtq;
ad pauciores, ſuorum laborum pretio donandus, ac ſepultus in ſua Eccleſia eſt inter
Vritanos Epiſcopos. Nec poſt multò, ſcilicet, Octobri eiuſdem anni menſe, ſato cõ-
ceſſit Silueſter Tuſus, Vincentij germanus frater, Motulæ Epiſcopus, qui ante annũ
inauguratus eius Cathedrę inſignibus, Philippi Hiſpaniarum Regis nutu, atque ap-
probatione Clementis Octaui fuerat. Confecerat is olim in Ordine profanę, ſacręq.
philoſophiæ ſpatia cum laude ingenij: tùm prudẽtia, alijſque virtutum pręſidijs ap-
primè ſpectatus, admotus præmaturè, ac penè intra iuuẽtam, domorum rectionibus
fuit. Patauinum namque cœnobium ſemel, ac iterùm adminiſtrauit: ter Venetum:
bis item Sanctorum Apoſtolorum Collegium Neapoli: Quirinalem domum Romæ
non ſemel Vicepræpoſiti nomine: poſtremò Congregationis luſtrationem obiuit; vt
ſanè hoc officiorum, rerumque vſu, ac vice inter prudentiſſimos noſtri Ordinis Patres
haberetur. Eandem hanc ipſam mentis ſolertiam, atque amplificandæ pietatis cu-
ram explicare in illa Motulenſi area occœperat, ac iam templorum, ac morum cultũ
exigere ad Theatinę elegantię, ac diſciplinæ formam videbatur, cùm præclarum in-
ſtitutum intercidit ſuprema neceſſitas, expleto vix anno in ea ſacerdotij dignitate:
habuitque ſucceſſor, quid ſuis vigilijs, lineiſque perficeret, adumbratum nempè, in-
choatumque à Silueſtro. Sic diem clauſere ſuum Vincentius, & Silueſter, fratres eo-
dem anno, eiuſdem Clericorum Regularium inſtituti, eodemque fulgentes honore
Inſularum: ſuperſtite Ioanne Baptiſta Tuſo, etiam germano fratre, etiam Clerico Re-
gulari, etiam Epiſcopo: vt mirum ſanè tùm fuerit, quod nunquam poſteà contigit,
tres omninò eiuſdem ſanguinis, eiuſdemque Ordinis germanitate coniunctos, eodem
ſimul tempore, eodem in Regno Neapolitano, ab eadem Regum Auſtriacorum
munificentia Epiſcopale munus, ac faſces adminiſtraſſe.

Eius in adminiſtranda Eccleſia induſtria

Vincentius Tuſus Epiſcopus Motulenſis.

Breui moritur.

Tres in Neapolitano Regno Epiſcopi germani fratres.

Iam verò cum Eliſæo Nardino Præpoſito Generali vniuerſam ſodalitatem inſpi-
ciente peregrinetur narratio. Neapolitanam Prouinciam accuratè luſtrauerat ſu-
periore anno non vulgari cum regularis obſeruantiæ fructu. Cumque plura ſeuerio-
ris iudicij in obeundis ijs domibus argumenta ediderit, tùm illud Licij accidit, quod
ideò hic imus commemoratum, vt diſcant moderatores noſtri, quibus tuendæ diſ-
ciplinæ ſtudium propoſitum eſt, quo vindicari zelo debeat violata legum obſeruan-
tia, etiamſi exigua interdum culpa interceſſerit, ad exemplum nimirùm, metum-
que cæterorum. Solenne noſtro Ordini eſt, vti aliàs adnotaſſe me memini, cùm de
ſacris confeſſionibus agitur, ad viros primùm audiendos ſacerdotes admittere, dein-
dè, elapſo certo quodam annorum ſpatio, maturioris iam æui confeſſarios mulieri-
bus deſtinare: idque nonniſi conſulto domus Capitulo, ac re priùs à Patre Generali,
& Conſultoribus acrioribus ſuffragijs, ac ſuſpenſo nimis iudicio examinata. Tanti
ſiquidem eſt mulierum conſuetudini, etiam in adminiſtratione ſacrorum cauere. Il-
lud pręterea cautum noſtris ordinationibus eſt, ne facultatem hanc expiandi fœmi-
narum conſcientias quiſpiam petat, aut officijs curet, vt ſibi conferatur, ſecùs ſi fa-
xit, puniatur grauiter. Itaque Licij Ireniana in domo ſacerdos quidam agebat, vir
frugi, ac nominis boni, virorum duntaxat, nec dum mulierum confeſſionibus expo-
ſitus, qui cùm ſortè ægrotum quendam inuiſiſſet, dediſſetque confitenti aures, adfuit
mulier, quæ & ipſa hoc idem aurium officium petijt: quod ille, cauſatus facultatẽ,
renuit; at domum reuerſus, mulieris poſtulationẽ Præpoſito ita ſignificauit, vt am-
bire quodammodò id muneris, ac rogaſſe tacitè, viſus fuerit. Delata illicò ad Nar-
dinum, eam tùm domum luſtrantem, res fuit: qui, quamuis haud poſtulaſſe quidẽ
illum cognoſceret, tamen, quòd quandam eius rei ſuſpicionem feciſſet, vt alios eo
documento erudiret, animaduertendũ peracri quadam mulcta in illũ ſtatuit: iuſ-
ſitque, vt veluti affectatę facultatis, ac grauioris culpæ reus, publica in cœnatio-
ne pœnã lueret; ac decenniũ poſteà ea facultate caruit. Seueriore hac pœna, ſi non
modò

Nardinus Religionem perluſtrat.

Diſciplinæ regularis vindex.

Digitized by Google

modò noxæ, verùm etiam noxarum ſuſpiciones vindicarentur, ſatta profectò, ac tecta eſſet legum obſeruantia, nec tàm citò vitium faceret diſciplina religioſorum Ordinum.

Iſtiuſmodi verò auſteriora exempla, vt in officio ſuos contineret, paſſim edebat Nardinus, qui hoc anno ad Galliam Ciſalpinam ſe conuertit, vt adeò proficuam vniuerſi Ordinis inſpectionem abſolueret. Et quidem non perfunctoriè peragrata ea Prouincia eſt, ſed eximia quadam cenſura morum, ac ſolenni cuiuſque domus examine: Promota communis domi, foriſque nauitas, atque incitata, ſi quæ remiſſior videretur in rerum diuinarum exercitio, cultuque Numinis priuata alicuius virtus. Genuæ præſertim ſtrenuam collocabant operam Patres. Plerique è Genuenſi nobilitate, dato Congregationi nomine, familiam numero, atque exiſtimatione adauxerant: ac tùm capitum ſplendore, ac ſolertia; tùm templi amplitudine, tùm denique cultu, ac perdiligenti procuratione ſacrorum, omnium in ſe beneuolentiam, animoſque conuerterant. Amplianda domus erat, ne qui peramplam ſibi aſſiduitate laborum areā aperiebant, œdium, ſituſque anguſtia excluderentur. Proximam quandam, peropportunam eam quidem, coemerant domum. Sed, vt rara eſt vicinorum charitas, ne poſſeſſionem inirent, litem intentauerat, cauſamque tueri mordicùs cœperat, quidā in ea vicinia, haud bonæ in noſtros homines mentis. Reſciuerat id Nardinus, antequàm Roma diſcederet; & qui apud Clementem Pontificem non medioctri planè loco erat, literas ab eo ad Sereniſſimum eius Reip. Ducem, atque ad ampliſſimum Senatum impetrauit, beneuolentiæ effectrices, ac planè fetias, quibus pro ſingulari in nos voluntate ſtuduit vehementer Pontifex, illorum procerum ſtudia in rem noſtram communem maximoperè concitare, commendata prolixiùs noſtri Ordinis diſciplina, ſedulitate, pietatis indole, charitate in proximos: tùm Patrem ipſum Generalem ab inſigni prudentia, ac probitate luculento quidem teſtimonio dilaudauit. Pontificias haſce literas; vbi Genuam attigit Nardinus, exhibendas illicò Auguſtis iis Patribus curauit, adijtque mox officij cauſa Senatum, à quo tùm ab eximiæ virtutis fama, tùm ab diſerta Maximi Pontificis commendatione exceptus preclara humanitatis ſignificatione eſt. Id quod ampliſſimi ij proceres teſtati magnificè, atque ex animo ſunt Patri Generali, ac Pontifici poſteà, reſcripta epiſtola, ſignificarunt. Agnoſcere nempe ſe Regularium Clericorum diſciplinam, ac ſingularia in Ciuitatem ſuam promerita, & quos ferrent in oculis, eoſdem optare ſe complecti officijs, ac pro viribus gratificari: acceſſiſſe verò huic voluntati ſtimulos à Pontificis gratia. Porrò non abs te, puto, fuerit, vtramque hic date epiſtolam, quæ ſic habent.

Genuæ res bene geritur.

Literas ad Rēp. Genuenſem noſtri Ordinis commēdatitias dat Clemens Pontifex.

CLEMENS PAPA OCTAVVS.

Dilectis filijs nobilibus Viris Duci, & Gubernatoribus Reipublicæ Genuenſis.

Earum exemplar.

Dilecti filij, Nobiles viri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Paterno charitatis affectu complectimur in Domino Religionem Clericorum Regularium, qui & Romæ, & vbique locorum in Eccleſia Dei bonus odor ſunt Chriſti, atque vt fideles, ac ſtrenui Chriſti operarij in vinea Domini pro ſua virili parte, Dei adiutrice gratia, viriliter laborant. Audimus & quod in iſta primaria Ciuitate, vbi multa eſt meſſis, multo cum ſpirituali fructu, & bonorum omnium ædificatione talenta à ſummo Patreſamilias eis credita, exercent. Qua ex re pro noſtra Paſtorali cura, proque ea propenſione, quam erga vos præcipuè gerimus, magnam in Domino cepimus voluptatem. Quare tantò impenſiùs eandem Religionem, & domum illam, quæ apud vos eſt, commendatam vobis eſſe cupimus, nunc verò nominatim per has noſtras literas placuit commendare dilectum filium Præpoſitum Generalem eiuſdem Religionis, qui Genuam venit, ſanè pium, & prudentem hominem, & nobis carum: quamquam ita de veſtra pietate, ac religioſitate ſentimus, vt ſeruos Dei, in quibus Deus ipſe honoratur, nequaquam apud vos commendatione indigere, exiſtimemus. Omni enim charitate fouendi ſunt religioſi homines, qui ſanctis ſacrificijs, diuinis laudibus, aſſiduis precibus, & orationibus iram Dei, quam nimis prouocant multorum peccata, placare,

Digitized by Google

placare, & bona omnia impetrare ſtudent. Quare pergratum nobis erit, vt Præpoſitum, & Clericos Regulares Nobilirates veſtræ ſua beneuolentia, & patrocinio tueri pergant: vt & ipſis viciſſim multa cum quiete, & tranquillitate Deo altiſſimo ſeruire, & pro vobis orare liceat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub an ulo Piſcatoris die 12. Iunij 1596. Pontificatus noſtri anno quinto.

Hæc ad Genuenſem Senatum Clemens Pontifex, cui hæc viciſſim ille,

Sanctiſſime, & Beatiſſime Pater.

Redditæ ſunt nobis Sanctitatis veſtræ literæ, quibus Clericorum Regularium domum, quæ apud nos eſt,& nominatim Generalem eorum Præpoſitum accuratè ſatis nobis commendat. Quam quidem commendationem cùm gratiſſimam fuiſſe nobis, ſicuti debuit, fatemur, tùm illud adiungere non veremur, hac illos apud nos, vt etiam Sanctitas Veſtra rectè iudicauit, non indigere. Cum enim hi Patres noua diligentia,& ſummo Eccleſiæ noſtræ commodo, atque ſplendore diuinis rebus inſeruiant, & incenſi diuini amoris charitate,ad animarum ſalutem inuigilent, ita ſibi Ciuitatis animos conciliarunt, vt eos & publicè, & priuatim tùm valdè amemus, tùm caros in primis habeamus. Atque hanc voluntatem noſtram multa teſtantur: ſed hoc non in poſtremis, quòd ædem habent nobiliſſimam, in ipſo Vrbis ſinu poſitam, quæ totius penè nobilitatis frequentia cohoneſtatur, atque ita primorum Ciuium ſubſidijs, ac pattocinijs fouentur, vt cùm nihil habeant,nihil tamen deſiderare videantur. Sed tametſi ita in eos affecti ſumus, vt ad noſtram in ipſos propenſionem nulla iam fieri poſſe acceſſio videatur, in dies tamen magis beneuolentia complectemur, cùm præſertim ad id faciendum Sanctitatis Veſtræ cohortatione, atque exemplo excitamur: & quam erga vniuerſam illam Religionem voluntatem gerimus, eam totam vni, eidemque Generali Præpoſito deferemus, ſicuti iam profectò detulimus, quem virum præſtantem, atque omni honore dignum cognouimus,cum ipſe nos adijt;atq. ea prudentiæ, ac pietatis ſigna, de quibus nos Sanctitas Veſtra commonefecit, præſenti ſermone ſuo in mentibus noſtris fixa reliquit. Atque id facimus, vt omnes intelligant, Rempublicam hanc noſtram Sanctitati Veſtræ eſſe deditiſſimã, cuius ſanctiſſimos pedes humiliter deoſculamur. Datum Genuæ die 19. Iulij 1596.

Reip. Genuē. ſis ad Pontificē reſponſio.

Quantùm hæc Pontificis beneuolentiſſimi apud Genuenſem Remp. officia iuuerint, agnouere deindè noſtri homines benignitatis, ac beneficentiæ argumentis oppidò luculentis. Ac domui præſertim amplificandæ viſus pijſſimorum procerum fauor vehementer iuuiſſe: quæ quidem intendere noſtratum in Dei obſequium,atque in animorum ſalutem in ea Ciuitate ſtudia potuere. Præpoſitus verò Generalis dum peruſtrare non exigua cum animi ſedulitate, voluptateque Congregationem pergit, affici non medioeri planè dolore, exeunte hoc anno, contigit: fuitque eò acerbior animi ſenſus, quòd iacturam ſuis penè oculis viderit. Decembri ſiquidem menſe Patauij occidit Marcellus Toloſa, Veronenſis domicilij Præpoſitus, vir ſæpè à nobis cum laude nominatus, ac dignus planè, vt Italiæ plauſu, quam egregia verbi Dei tractatione peragrauit, ita perenni noſtratum,æuique memoria. Perculit & Sodalitatem omnem nuntius: præſertim, quòd quamuis maturè deceſſerit Toloſa, ſi quam collegerat à ſtudijs famam, ac ſtudia ipſa, virtutemque ſpectes: tamen quòd quadrageſimum primum non dum annum exceſſerat, viſus profectò peracerbè occubuiſſe; ea nimirùm ætate, qua maximè viget vis animæ, exercenteque robuſtiùs mortales ingenij, ac corporis facultates; & cum incipit vulgi reuerentia ab æuo conciliati. Eius fatum, vti ſupra innuimus, labores, quos in inſtituenda Vicentina domo pertulit, maturarunt. Enimuerò cùm,& intereſſe Veronæ, vbi Præpoſitum agebat, & Vicentiæ; cuius Cœnobium fundabat, opus eſſet;in ea curarum contentione fatiſcere impares animo vires, oportuit: ac Veronæ quidem decubuit, Patauij verò,quò purioris aeris gratia,atque ad opportuniorem Medicorum opem transferendum Patres curauerant, occubuit. Iam verò quantùm in dicendi facultate valuerit, & quanta cum audientium aſſenſione, motuque in primarijs Italiæ templis declamauerit vir diſertiſſimus,

Marcellus Toloſa definit viuere.

Eius in declamando vis.

dixi non vno in loco, nec abundè quidem: non enim ſatis quis celebrauerit eius di-
ctionis flammam, ac impetus, qui peculiari vocabulo audiuit aliquando, eloquen-
quiæ fulmen, & Italiæ Apoſtolus. Sanè cùm pleraque inſigni ea linguæ facultate in
publicæ pietatis tem paſſim nauaſſet, tùm id in primis Venetijs effecit, vt contra blaſ-
phemantes, atque eiuſmodi viros improbos peculiare quoddam tribunal excitaretur:
vigetque hodie à Toloſæ ore in eos mulcta, qui ponunt in Cœlum os ſuum. Affecit
flagrantiſſima, ac publica eius vox viros principes perindè, ac vulgus. Qui verò ex
ampliſſimo præſertim Senatu magnificentiore illum elogio commendarunt, fuere in
primis Cardinalis à Ciappella, Archiepiſcopus Burdigalenſis, Laurentius Cardinalis

Teſtes viri principes,

Blanchettus, Auguſtinus Valerius, Cardinalis Veronenſis, & Io: Franciſcus Cardina-
lis Maurocenus, Toloſæ vſque adeò addicti, vt nihil ſupra. Et Ciappella quidem
frugiferum, ac robuſtum illud dicendi genus ita probauit, vt quamuis homo Gallus,
ac peregrini ſermonis, exſcribi nihilominùs ſibi eius conciones curauerit, atque in
Galliam aſportauerit; vt haberet, vnde orationis præſtantiam reguſtaret, atque ipſũ
Apoſtolicum virum ſpirantem, tonantemque ſuis in ſcriptis audiret legendo, cùm
vellet. Cum his eloquentiæ partibus, ac numeris doctrinarum adiumenta ad mira-
culum coniunxit. Quatuordecim omninò annos, philoſophicam nimirùm faculta-

Scientiarum præſidia,

tem ſemel, Theologicam verò ter, Romæ in noſtra Quirinali domo eſt profeſſus: cer-
tabatque admirabili cum acumine inſignis in eo facilitas. Quocirca expetebatur aui-
dè, quam tradebat ſcriptis, doctrina, vtpotè à ſolido, ſubtilique ingenio ſupra com-
munes ſcholas. Cuius etiam excellentiã ſatis ſubindè demonſtrarunt doctiſſimi è
noſtratibus viri, qui ad omnem ſcientiarum laudem, eo magiſtro, euaſere, continua-
runtque gymnaſia ingenti cum Theatinæ iuuentutis eruditione. Peracre ingenium
faciles quidam mores commendabant. Nihil illo modeſtius, aut demiſſius. Vultus

Mores mitiſſimi,

ad hilaritatem flexus, nunquam viſus obduci, aut ſubiraſci: planè vt videretur nullis
animi perturbationibus obnoxius; quem perpetuum oris habitum, morumque in
eo manſuetudinem admiratus Benedictus Perrerius è Societate Ieſu, quicum illi con-
ſuetudo interceſſerat, appellare ſolitus erat: Tabernaculum Spiritus Sancti. Ad hęc,

Singularis in Deum pietas.

pietas illi in Deum eximia, quæ ſtatim ſe ſe intuentibus indicabat. Exprimere nanq.
ad vnguem ſtudebat externo, internoque homine, quæ propinare alijs documenta
virtutum, pioſque animi affectus pro ſuggeſtu conſueuerat. Illum ab omni religio-
ne, ac pietate deprædicandi Margarita Gonzaga, Ferrariæ Duciſſa, ac pijſſima ſanè

Quam dilaudat Ferrariæ Duciſſa.

Princeps, finem nullum faciebat; numerabatque in puriſſimis delicijs, ſermones cum
eo trahere. Memorabat præcipuè, ſemel in lararium ſuum, vbi præter cœteram reli-
gionem, pretioſiſſima non pauca Martyrum pignora, ac puluinaria extabant, admi-
ſiſſe Toloſam, atque inuitaſſe, vt ſacrificaret. Perfeciſſe verò ſacrum ea vi lachryma-
rum, vt maderent affatim genæ; tùm ab cœleſtium contemplatione abreptum, obli-
tumque ſui, moram in eo ſacrificio traxiſſe quàm longiſſimam: ita vt expleta poſt-
modùm re diuina, profeſſus, veluti ad excuſationem, ingenuè, ac modeſtiſſimè fue-
rit, exceſſum illum mentis, ac rei ſacræ ab ijs Diuorum exuuijs, numero varijs, ſan-
ctitate conſpicuis extitiſſe. Denique facientem ad aram Toloſam viſum ſibi Angelo
perſimilem, Margarita affirmabat. Et quidem in viro, ſtudiis addictiſſimo hoc pro-
fectò erat laude, atque admiratione digniſſimum; nempè inter literarias, eaſque
aſſiduas occupationes diuinorum guſtu trahi, eorumque contemplationi prolixiùs
operari. Quos verò inundare in arcanum ſui pectoris ſinum rerum cœleſtium riuos,

Pię eius lucubrationes,

affuſioneſque ſentiebat, excipiebat mox ſuauiſſimo quodam dicendi charactere; vt
legentes inſtitueret, aleretque ſuo ſenſu, ac nectare pias animas. Extant iſtiuſmodi
lucubratiunculæ non paucæ. Excuſus præcipuè typis fuit, eſtque in manibus, libel-
lus, cui inſcriptio: Deliciæ animæ orantis. Certè nonniſi medullam quandam ſpi-

Et grauiora doctrinarum monumenta.

ritus, atque illecebram, floremque diuinæ contemplationis in eo eſſe, demonſtrat ti-
tulus. Sed neque conſcribere orantis animæ delicias quis poterat, niſi expertus. Scri-
ptiones hæ porrò remiſſiones quædam erant, ac ſpiramenta ingenij: cæterùm mo-
liebatur grandia, ac digna literarum luce. Enimuerò opus incohauerat ſanè ſpiſſum,
ac longè laborioſiſſimum, quod Theologiam Patrum appellabat. Ordo quæſitus à
D. Thoma: at quicquid ille ad ſcholaſticam lancem, argumentiſque theologicis ex-
pendit,

pendit, hoc Toloſa rationibus, doctrinaque Sanctorum Patrum probabat. Gratiſſimo operi inuidit feſtinata nimiùm mors; extatque initium, ac veluti caput Coæ Veneris, in noſtra Quirinali bibliothéca, monumentum quidem eximij conatus. Inter hos ſtudiorum, ac frequentiſſimarum concionum, regulariſque obſeruantiæ labores defunctus vita eſt Marcellus, in cuius confinio illud memorat Caſtaldus: Scilicet, paulò antequàm ſpiritum poneret, viſum Laurentio Cardinali Blanchetto, cui erat percarus, ſuum in conclaue linteatum, geſtantemque manu facem, ac ſtipatum Diuorum choro, ingredi. Monere nempè amiciſſimum Cardinalem ſui exitus voluit, ac ſpecimen dare vitæ melioris, in quam vocabatur. Annectam hic etiam, quod ſũma fide noſtris hominibus narrauit, conſignauitque poſteà ſcripto Eliſabetha Sancia Romana, pijſſima fœmina, quæ Toloſę olim auribus in expianda ſua conſcientia vtebatur. Affirmabat hæc nempè, ſub id tempus, quo Marcellus ab humanis exceſſit, inter dormiendum videre ſibi viſam in cœmeterio Diui Silueſtri peramplam quandã domum, feneſtris patentibus, quarum quæ erat maior, Sacerdotem quendam, magnificè indutum, iam iam ſacris operaturum, repræſentabat: quo attentè inſpecto, aduertiſſe, illum eſſe Marcellum Toloſam, qui fixo in cœlum obtutu, iunctiſque manibus, ac ſimilis ſacrificanti, eo geſtu, habituque oris grates Deo ageret, quòd è mundi fluctibus eripuiſſet. Vulgares ſomnij luſus putauit Eliſabetha, cùm allatum Romam eſt, die Decembris decima defunctum Patauij Toloſam; ipſo nempè die, quo hoc illi ſomnium contigerat: intellexitque pia fœmina, ſignificare amantiſſimum Patrem voluiſſe fati ſui diem. Iterùm, non poſt multò vidiſſe ſe illum, rem diuinam facientem, affirmabat. Tertiò cum aliquot poſt annis diuturno ex morbo hæreret lecto, videre ſibi viſum Marcellum, ſuum domicilium ineuntem, noſtro Clericorum habitu, eoque aſpectu, ac fronte, qualis erat, cùm ageret inter viuos: aſſediſſe cubili, mox flexo ad hilaritatem vultu, poſtquàm aliquantiſper intuitus illam eſſet, abſceſſiſſe; ac tùm quidem incredibili quadam voluptate perfuſam ſe, ac leuatam morbo fuiſſe. Sic teſtatus Toloſa eſt, ſe viuere, ac frui Deo, qui eximio planè pietatis ſtudio, cultuque virtutum hanc ſui opinionem reliquerat moriens.

Obiectus Cardinali Blanchetto poſt mortem Marcellus.

Et Romanæ fœminæ ſemel,

Et iterum;

Et tertio.

Romam reuertimur, vbi anno inſequenti obnitendum Patri Generali fuit, ne infringi grauiſſimum inſtitutum de non admittendis alienæ diſciplinæ profeſſoribus cõtingeret. Quod etſi euincere minùs potuit, iubente nimirùm Maximo Pontifice, cui figendi ſuo nutu, ac refigendi religioſorum inſtitutiones, ſuprema poteſtas eſt; docuit tamen ſingulari quadam animi conſtantia, quanti eſſet eiuſmodi tueri legem, ac relaxati nonniſi pro ſanctiore Pontificis imperio, oportere. Rem ipſe obiter ad annum voluentis ſeculi ſexageſimum primum adnotaui, quæ nunc ſuo in loco enarranda. Iniuerat Capuccinorum Ordinem Antonius Priulus è Patricijs Venetis, Laurentij Cardinalis Priuli, Venetiarum Patriarchæ nepos. Acerbè rem tulit Pater, quod auſterior eius diſciplinæ lima, fore, vt delicatiores filij vires, atque opes corporis attereret, ſibi facilè perſuaſerat. Id quod accidit tractu temporis, imminuta admodùm valetudine, ac vi naturæ, ſtrictioris inſtituti laboribus longè imparis. Conſulendum incolumitati filij duxit, eamque rationem fore opportuniorem exiſtimauit, ſi noſtrũ Ordinem, in quo mitiore cum diſciplinæ contentione florere exactam quandam religioſæ vitæ obſeruantiam, probè nouerat, tranſiret Antonius. Conſilium probauit Cardinalis frater; ſtatimque in eam ipſe curam ingreſſus, conficere cum noſtratibus negotium ſtatuit; ac Venetijs primùm Tolentinates Patres adijt: tùm Romæ Nardinum Præpoſitum Generalem, qui paucis, cùm ineluctabili inſtituti lege teneri ſe, quominùs annuerent, reſpondiſſent; quando officia, ac preces minùs procederent, maiorum auctoritate vtendum, ſibi perſuaſit Cardinalis. Igitur rem ad Petrum Cardinalem Aldobrandinum retulit, eò ardentiore ſtudio, quò cerneret, firmiorem animi conſtantiam ſibi eſſe expugnandam. Aldobrandinus ſtrenuè negotium complexus, etſi euincere à Patre Generali quadam officij auctoritate ſtuduit, quod petebatur: nihilò tamen minùs, obiecta eadem legum obſeruantia, cognouit, haud liberum eſſe noſtratibus, aperire Capuccino aditum. Quocirca fortiore opus eſſe machina vbi intellexit Priulus, implorare ſupremam opem, ac poteſtatem conſtituit. Clementem Pontificem adijt; & qua erat inſtructus vi dicendi, quam etiam, atque etiam inflam-

Nardini in tuẽdis inſtitutis zelus.

Antonius Priulus Capuccinus

Noſtro Inſtituto deſtinatur à Cardinale Patruo,

Cui repugnat Nardinus,

Res ad Clementem Pontificem defertur.

K 2 mabant

mabant fratris preces, eò illum adduxit, vt cauſam eſſe ex ſe æquam, honeſtamque iudicaret, faueretque poſtulatis. Ergò accerſiri Patrem Generalem iubet, vota cùm Cardinalis Priuli, tùm Zachariæ fratris, ac propenſum in ea animum, voluntatemque ſuam ſignificat. Tueri ſimul & inſtituti rationem, & in Summum Pontificem reuerentiam, quòd atduum omninò erat, oportuit: atqueid Nardino viſum pro re opportuniſſimum, ſi quas obfirmandi in eo negotio animum cauſas haberet, modeſtè quidem, & candidè aperire. Itaque, ordinationem illam, ne quemquam alterius Ordinis profeſſum adoptarent noſtri homines, eſſe perantiquam, atque ab ipſis Inſtitutoribus vſu receptam; tùm alijs, atque alijs Congregationis conſultis confirmatā, ſeruatamque vſque tùm illibatam, expoſuit. Deindè aliarum diſciplinarum, quæ non minimum detrimenti ab hac alienæ indolis mixtura accepere, exempla noſtrates docuiſſe, quàm benè hic aditus præcludatur; qui quidem ſi ſemel pateret, ſcire ſe, non defuturos, qui iiſdem officijs eandem efflagitaſſent tranſitionem; atque adeò breui Sodalitatem non vnius moris homines miſcuiſſent, perturbaſſentq; Incommoda verò cum ſatis multa inde exiſterent, tùm illud eſſe non poſtremum, quòd aſſueti alijs diù vitæ rationibus, rarò, aut nunquam, flectente aliò vi conſuetudinis, appellere ad nouam diſciplinam animum videntur: proindèque cùm nec priſcam inſtitutionem ſequi, nec capeſſere recentem valeant, nullam plerumque iſtiuſmodi tralatitij homines diſciplinam profitentur: quod quanto cum religioſæ diſciplinæ malo accidat, nemo non videt. Præterea tentaſſe id etiam optimæ recordationis Gregorium Tertium decimum pro nobili admodùm viro, præclariſque affinitatibus conſpicuo; at, vbi quæ pro Religione momenta rationum afferrentur, inaudiuiſſet, ſententiam illicò mutaſſe. Addidit & alia Nardinus ab inſigni quodam ardore zeli, quæ cũ vim haberent non exiguam, ita Pontificem affecere, vt deliberationem diſtulerit. Verùm, cùm vehementiùs pulſarent Cardinalis preces, viſæ expugnaſſe Pontificem; qui non ita poſt multò Patri Generali ſignificauit, ſe quidem, cæterùm in Ordinis incrementa egregiè propenſum, ita apud animum ſuum ſtatuiſſe, vt in Clericos Regulares Capuccinus immigraret: ea nempè conditione, vt nulli in poſterum exemplum ſuffragaretur, datis ea ſuper re literis Apoſtolicis. Obtemperandum ſummæ poteſtati fuit. Supplicauit nihilominùs Nardinus, vt quoniam ſederet hoc Sanctitati ſuę, id etiā probaret, vt tyrocinium noſtratum more poneret Priulus, ac nonnisi ... eſt conſtitutũ noſtris ordinationibus tempus, vota ſolennia nuncuparet: vt illi idem eſſet, ac alijs periclitandi Inſtituti ſpatium, ac par item, eodemque curſu temporis morum examen: quod Pontifex comprobauit. Interim monuiſſe Cardinalem Priulum Nardinus voluit, ſe quidem, ac Patres inſigni voluntate, omnique genere humanitatis Antonium nepotem complexuros; ſic nempè Sodalitatis vniuerſæ in ipſius, & purpuram, & domum obſequium poſcere. Sciret tamen, Clerico Capuccino non defuturas olim animi perturbationes, ac ſtimulos, qui pectus acriter vellicaſſent. Quod quidem euentus mox probauit. Etenim, ſuſceptis Ioannes votis (ſic in noſtro Ordine appellatus eſt Antonius) tentari arcano quodam conſcientiæ morſu cœpit, ac ſimul bonæ mentis tranquillitate, ſecuritateq. deſtitui. Atque eò quidem viſus ille animi æſtus proceſſiſſe, vt ineunda Cardinali ratio fuerit, qua illum componeret. Accidit verò commodùm, vt Clemens Pontifex anno eius ſeculi nonageſimo nono, confecta fauſtè re Ferrarienſi, ad illam ſe ſe Vrbem transferret, quò Priulus, annuente Patre Generali, Ioannem nepotem Venetijs duxit, ſtatuitq. ad Pontificis pedes, vt quę verberarent, fauciarentque animũ curæ, disertè exponeret, inueniretque malo medicinam. Narrationi præbuit benignè aures Clemens, ſtatimq. commendato iterùm conſilio, quod iudicij primùm maturitas, ac tempus, tùm auctoritas probauerat, animos Ioanni fecit, illumq. ſublata dubitatione, motuque animi omni, priſtinæ mentis ſanitati, ſerenitatiq. reſtituit. Quæ quidem fluctuantis animi dubia, elato poſtmodũ Cardinali parruo, & Zacharia Patre, ita Ioannem poſtliminiò diuexarunt, vt quamuis Pauli Quinti, qui Clementi ſucceſſerat, auctoritas iterùm, ac benignitas acceſſerit, ratumq. habuerit initum ſemel conſilium, impetrare tamen à ſe mentis ſecuritatẽ minimè potuerit. Eapropter facienda viro optimo facultas fuit, vt ſuæ indoli, Inſtitutoque rediret. Cæterùm, quàm ſuſpenſo olim iudicio, ac maturè ea de re ſtatuerit Cle-

Apud quem diſertè cauſā perorat P. Generalis.

Volente nihilominùs Pontifice, acceptatur Antonius.

Cui nō defuere ſui conſcientiæ morſus.

Vt duci ad ipſummet Pontificem oportuerit.

Sed ſublatis cō ſanguineis, iterum Capuccinus?

Clemens Pontifex, & quàm accuratè noſtris legibus cauerit, ne ſcilicet alij ſibi pollicerentur, quod vnus impetrauerar, intelliget plenè lector, ſi literas eius Apoſtolicas ad Capuccinum datas, hic ſubijciam, quæ ſic habent.

CLEMENS PAPA OCTAVVS.

Dilecto Filio Antonio de Venetijs Ord. Min. Capuccinorum nuncupat. S. Franciſci.

De eius ad noſtros translatione Pontificiæ literæ.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſti, quòd aliàs tu religionis zelo ductus, dilecto filio Zacharia Priulo, patricio Veneto, genitore tuo inſcio, ex Ciuitate Venetiarum diſceſſiſti, & Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum S. Franciſci ingreſſus fuiſti, ibique habitum regularē ſuſcepiſti: & licet prædictus Zacharias Pater tuus non ſolùm tuæ deliberationi non conſenſiſſet, ſed per multos amicos te ab illa retrahere, atque ad aliam Religionem, præſertim Clericorum Regularium ingredi procuraſſet; quinimò etiam Venerabilis Frater Marcellus Archiepiſcopus Hydruntinus Gregorij Pontificis Quarti decimi prędeceſſoris noſtri Nuncius, in hoc ſe interpoſuiſſet, tu nihilominùs in tuo propoſito perſiſtens in eodē Ordine profeſſionem emiſiſti regularem, ſperans, genitorem ipſū proceſſu temporis acquieſcere debere. Verùm cùm dictus genitor non ſolū non acquieuerit, ſed maiore quotidiè ex pręſenti tuo ſtatu, afflictione afficeretur, quā eouſq. perueniſſe accepiſti, vt de illius ſalute dubitaretur; quod graui cū eius familiæ, & præcipuè ſeptem filiarū nubendarum damno accidiſſet, tu ipſius voluntati, ſi tuta cōſcientia facere poſſis, ſatisfacere deſideras: nobiſq. propterea humiliter ſupplicare feciſti, vt ipſius Zacharię genitoris tui ſtatui, ac eius familię indemnitati, ſibiq. ipſi proſpicere de dignitate Apoſtolica dignaremur. Pręterea idē Zacharias ſuā huiuſmodi moleſtiā, & afflictionem, & imminens ſuę familię damnū, per dilectum filium noſtrum Laurentium Pręsbyterum Cardinalem Priulū, eiuſdem Zacharię fratrem germanum, & patruum tuū exponi curauit nobis, quod tùm ob præmiſſa, tùm quia tu delicatę cōplexionis exiſtens, plurimū ex rigore Religionis Capuccinorum paſſus ſis, vt in aduerſam valetudinem, & debilitatem quandam incideris; vnde facilè credi poſſit, quòd Religioni prędictę Capuccinorū minùs aptus exiſtas; prout medicorū fide Nobis conſtitit, humiliter ſupplicari fecit, vt tibi ad Clericos Regulares Theatinos nuncupatos, tranſeundi licentiā concedere de eadē benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaq. præmiſſis tuo, ac genitoris nomine expoſitis, diligenter conſideratis, ac præuia omniū, ac ſingulorū matura diſcuſſione, te ſpecialibus fauoribus, ac gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excōmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq. eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutū fore cenſentes, tui, ac genitoris tui prædicti, necnon prædicti Laurentij Cardinalis ſupplicationibus inclinati, tecū, vt ex dicto Capuccinorum Ordine ad Clericos Regulares Theatinos nuncupatos te transferre, & habitu Capuccinorum dimiſſo, habitū prædictorum Clericorum Regularium ſuſcipere, & profeſſionem, per eoſdem emitti conſuetam, emittere, & inter illos, quoad vixeris, remanere; necnon omnibus, & ſingulis priuilegijs, indultis, fauoribus, & gratiis, quibus alii Clerici Regulares non tranſlati, ſed ab initio profeſſi, de iure, vſu, conſuetudine, aut aliis quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſis, & valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium gratioſè diſpenſamus, tibique concedimus, ac indulgemus; ac te à quacumque obligatione, & vinculo dicti Ordinis Capuccinorum in vtroque foro abſoluimus, ac liberamus; ac poſtquàm inter Clericos Theatinos receptus fueris, liberè, tutaque Conſcientia ibidem permanere, ordineſque ſuſceptos exercere decernimus, teque ſuper his à prædicti Ordinis Capuccinorum Superioribus, vel quibuſcumque aliis, quauis auctoritate fungentibus, & functuris nullo tempore impediri, moleſtari, perturbari, vel quoquo modo inquietari poſſe; ſicque per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane

quic.

quicquid ſecùs ſuper his à quocunque, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, ac vniuerſalibus, Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non tàm Ordinis Capuccinorum, quàm Congregationis dictorum Clericorum Regularium ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum, illis, eorumque ſuperioribus, ſub quibuſcumque verborum formis, & tenoribus, & clauſulis, & decretis conceſſis, confirmatis, & innouatis: præſertim quibus expreſsè cauetur, ne dicti fratres Capuccini ad alium Ordinem, preſertim laxiorem tranſire valeant; ſeu quòd in Congregatione prædicta Clericorum Regularium recipi, & admitti non poſſint profeſſi in quacumque alia Congregatione, ſeu quouis alio Mendicantium Ordine. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus. Is aliàs nihilominùs in ſuo robore in futurum inuiolabiliter permauſuris, ita vt per tranſlationem, & receptionem tuam, vigore præſentium faciendam, nullum omninò prejudicium eiuſdem Congregationis Conſtitutionibus, & Priuilegijs fiat, prout afferre non intendimus, cœteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub anulo Piſcatoris die 18. Maij 1597. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Hæc Clemens Pontifex, qui gratificari quidem præcipuis iis viris voluit, eò vel maximè, quòd noſtram inter tot diſciplinas Sodalitatem delegiſſent. In paucis nanque æſtimabat Clericorum Regularium inſtituta, mores, conſuetudinem, ac ſingulari quodam ſtudio proſequebatur noſtra. Meminimus id aliàs. Hoc autem loco opportunum omninò videtur, quędam eius beneuolentiæ ſingillatim argumenta perſequi, quæ breui commentario excepit Michael Ghiſlerius, qui id diſertè præfatur, inter ſummos Pontifices, qui à fundata Congregatione eximia illam charitate, affectuque complexi fuerint, nulli ſecundum fuiſſe Clementem, ſi vera eſt Gregorij magni ſententia: Probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Enimuerò, ſiuè egregiam Conditorum virtutem, & Pauli Quarti preſertim memoriam, apud quem Silueſter Aldobrandinus Pater non mediocri quidem loco, atque exiſtimatione fuerat, magni faceret; ſiuè religioſæ poſteritatis ſtudia, ac pietatem probaret; ſiuè genius quidam eò ferret, nihil vnquam viſus prætermiſiſſe, quod ornando, augendoque Ordini faceret; peculiari nempè zelo, ceu ſuos honeſtaret. Hinc præclaræ eius in rem noſtrã communem curæ, ac ſingularia identidem beneficia, Franciſco Card. Toleto è Societate Ieſu à Pontificijs concionibus, inter ampliſſimos patres adoptato, ſtatim Nardino Generali ſignificauit, in animum induxiſſe ſuum, ſeggeſtum illum principem Theatina implere facundia, ac deſtinaſſe iam loco alterum è Toloſis fratribus. Verùm cùm neutrum adeſſe Romæ cognouiſſet, ac ſua quemque in domo præfecturas Ordinis gerere, abſtinuit, ne illorum munera, rerumque ordinem, ac curſum abrumperet. Ad hæc, quos habuit nepotes magnæ indolis duos, vtrumque in purpura, Silueſtrum videlicet, Cardinalem Sancti Cœſarii, & Petrum; illos noſtratium inſtitutione, ac opera vti voluit: & alterum quidem, nepè Silueſtrum, Antonio Agellio, ſacris literis, ac græcè erudiendum tradidit: Petri verò, penès quem rerum ſumma, qui & conſilia, & conſcientiam regeret, Marcum Paleſcandalum deſignauit. Legationem ad Henricum Quartum Galliarum Regem, & Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem cum idem Petrus Cardinalis Aldobrandinus adornaret, adaugere eius clientelã, ac itineris pompam magni nominis Paulũ Toloſam voluit, quem poſteà Infulis cohoneſtauit. Quirinalem D. Silueſtri domum, vt propriam, Patreſque in ea degentes, ceu familiares, aut filios habuit. Eius ſacrarij inſtrumento, veluti ſuo vtebatur: libros item è noſtra bibliotheca quotidianis trãſmitti ſchedulis, iubebat: eòque familiaritatis deuenerat, vt medica à noſtris pemmata, præſertim quæ è roſis conficiuntur, poſtularet. Illud pręſtantius: legabat quippè identidem, qui ſuo nomine de conſcientiæ dubijs noſtros homines interrogarent, communicarentque cum ijs momenta rerum, ac de eorum indole, virtuteque anquirerent, qui promouendi ad Eccleſia-

Clementis P. M. in noſtros beneuolẽtia.

Pontificio ſuggeſtui noſtros deſtinat.

Inſtituendis nepotibus noſtros adhibet.

Paulum Toloſam cum Petro Card. Aldobr. in Galliam mittit.

Rebus noſtris vtitur familiariter.

ſiæ

ſiaſticos honores eſſent. Adibat ipſe templum frequentiùs, faciebatque ad aram, non ſine ſingularis munificentiæ argumento, relictis perſæpè, quibus litauerat, Pōtificijs indumentis. Sacro deindè expleto, conceſſoque Patribus pedu m oſculo, aut in hortos, proſpectu Romæ amœniſſimos, ſecedebat, audiebatque inter deambulandum accedentes: aut bibliothecam ad otia literarum petebat. Semel accidit, vt, expoſita de more diuina Euchariſtia, pedes ipſe ex inopinato acceſſerit, inſtitutaque oratione, quam ad horam produxit, Diuorum mox litanias ſingulari cum animi religione, noſtratibus, ac familiari aula reſpondentibus, prçiuerit. Iterùm, redibat pedes item è Diuę Agathæ templo, quod non procul à noſtro diſtat; cumque rectà ad Pontificias ædes tenderet famulitium, ipſe ad D. Silueſtri deflexit, pulſauitque ſua manu ianuam: hortos de more adijt, perſoluitque inibi horas Canonicas: tùm ad Patrem Generalem: En, inquit, quàm vos frequenter conuenimus, at nunquam ad prandium inuitatis. Planè, haud exigui noſtri cenſus, ac laris erat, Pontificem epulo excipere; qui tamen genus hoc eximię humanitatis deeſſe noluit: & cui conuiuium ſtruere, ſupra communem conditionem, vſumque erat, ſignificare mox voluit, non eſſe vltra Clementis Pontificis beneuolentiam, atque erga nos ſtudium, domeſticæ, priuatæque menſę inter Theatinos accumbere. Enimuerò Dominica quadam die poſt ferias Pentecoſtes, Quirinale Templum adijt ſuo more, rem diuinam facturus. A miſſæ ſacro in bibliothecam ſe recipit, ibique ad horam prandij ſtudio ſe dedit. Nihil interim dapifer, nihil familiares de Pontificis mente Patribus ſignificauerant; ſed dato communis menſæ ſigno, quod ipſemet iuſſerat, non vltra ſtatam horam extrahi, adfuit ex intimis familiaribus, qui nunriaret, adeſſe iam prandij tempus. Ad hęc, abrupit illicò ſtudium Pontifex, expectantemque pro bibliothecę foribus Patrem Generalem ſubridens alloquutus, quà, inquit, in cœnationem itur? Tùm faceſſere Pontificiam familiam iuſſit: ac diſceſſere quidem ad vnum omnes, pręter Prætorianam Heluetiorum Cuſtodiam, qui cum ſuæ fidei, curæque commendatam ſummi Principis perſonam affirmarent, adduci haud potuere, quin ad cœnobij fores excubarent. Pontifex, exuto ſacrorū Rege, eiuſque maieſtate, homo Theatinus videri tunc voluit. Iuuat nanque interdùm Principes procul faſtu, ac pompa priuatam veluti in ſcena perſonam ſumerē, ac tantiſper citra ſupercilium feriari. A noſtris quidem quicquid ſubitaria quadam, atque extemporanea curari ſollicitudine momento temporis potuit; nihil prætermiſſum; vt ſcilicet eo, quo poſſent, modo teſtarentur, agnoſcere ſe, adeſſe domi proximum Deo Caput. At ille apparatum, cultumque omnem, adducto etiam vultu, recuſauit. Non peluim abluendis manibus argenteam adhiberi voluit, nec ſerico conueſtiri refectorij locum, quem oris maieſtate, ac ſuprema Inſula abundè impleuit, ornauitque. Quòd ad fercula verò attinet, nihil exquiſiti, ac Pontificij opſonij inferri iuſſit, ſed pane duntaxat, vinoque contentus palatino, reficiplacuit communi Patrum menſa, quæ parca admodùm, ac vulgaris. Reliquum diem inter noſtrates exegit; ac nulli dubium, quin grande quoddam beneuolentiæ ſpecimen inuſitata illa in Pontifice familiaritas fuerit. Ac noſtri quidē affirmare optimo iure potuere, viſos ſibi, vt [a] olim ille Domitiani Cœſaris dignatus menſa: mediis diſcumbere in aſtris, non cum Ioue, ſed cum terrarum, cœlique Arbitro. Ipſe verò Pontifex non exiguum ea die ſuę humanitatis fructum cepiſſe, teſtatus poſteà eſt, ſincera quadam perfuſus voluptate inter religioſos, caroſque ſibi homines: etſi nonnihil à tenui menſa incommodum ſenſit. Faſſus ſiquidem feſtiuè eſt cuidam familiari, cùm diſceſſit, ſe eſurire. Porrò in ornanda Quirinali domo non in eiuſmodi duntaxat externi honoris ſpecie ſiſtere benignitatē ſuā voluit, verū, quod erat noſtrę paupertati opportunius, ſingulari etiā beneficentia proſequebatur. Superiorū nanq. Pontificū in ſingulos menſes largitiones adauxit, illaſq. aliis, atq. aliis cumulabat extra ordinem: vt non cōmunis modò omnium Parens, ſed peculiaris Ordinis videretur; in quo quidem cū multa ſæpè cōmendaret, tùm eximium diuini cultus nitorem, atque elegantiam dilaudandi finem nullum faciebat. Quod tùm maximè accidit, cum ſeptem Vrbis Eccleſias aliquando inuiſeret. Quippè cum ſacrarum rerum neglectum, ac ſordes in quadam illarum aduertiſſet; correptus ipſe zelo, contineri minimè potuit, quominùs adminiſtros corriperet.

Quę

Quirinale templum frequenter adit.

Communi menſæ accūbit.

Priuato cultu.

Et vulgari cibo.

a Stat. Syl. lib. 4.

In Quirinalē domum liberalitas.

Diuinum præſertim cultum in noſtris commendat.

Quæ eſt veſtra, inquit, hæc ſacrorum indiligentia? ite ad D. Siluestri Clericos Regulares, eorumque vos templa doceant, qua ſint mundicie procurandæ Eccleſiæ, quo nitere cultu aræ debeant, quàm concinnè, quàm aptè ornari Dei domus. Sed de Clementis Octaui Maximi perindè, atque optimi Pontificis in nos ſtudio hactenus.

Habentur Romæ Comitia.

Nardini virtus.

Ad Comitia conſequentis anni octaui, & nonageſimi voluentis ſeculi vocamur, expleto nempè altero Eliſæi Nardini triennio, qui vniuerſæ rei noſtræ Theatinæ præfecturam ſemel, ac iterùm communi cum plauſu, atque approbatione capeſſiuerat, & inſigni cum laude prudentiæ adminiſtrauerat: vt loco quidem, ac tempore ſecundus noſtri Ordinis Generalis fuerit: at obſeruantiæ zelo, acriore in tuenda, amplificandaque diſciplina ſtudio, charitate, ſanctitate morum, ſolertia nulli ſecundus. Indictum ad diem nonam Aprilis menſis Capitulum, inchoatum fauſtè: creato, qui comitia adminiſtraret, regeretque ſuo nutu interregnum, Præſidè. Magiſtratum hunc Superioribus Capitulis ipſi Generales geſſerant, nullo electo Præſide: inſtauratus autem hoc anno eſt, quòd videretur pernecеſſarium, adeſſe, in cuius manu non modò Præpoſiti abdicarent, ſed ipſemet Generalis: cuius etiam regimen, atq. adminiſtrandi muneris ratio cum reuocari ad examen deberet, ne ſi exetraſſet poreſtas, noceret alijs impunitas, ſtatui Cenſor debuit, qui in ipſum inquireret, ac ſententiam pronunciaret: atque interim, quoad alius Generalis Parens renunciaretur, procuraret ipſe Congregationis, ac Comitiorum negotia. Igitur dictus communibus ſuffragijs Præſes Paulus Pignatellus, quem aliàs memoraui, ætate quidem grandior, ſed cui à conſilio, ac ſingulari prudentia, qua publica Ordinis munera diù adminiſtrauerat, longè maior acceſſerat veneratio. Hoc Rectore euulgato, poſiti confeſtim de genu ab vnoquoque ſuæ præfecturæ faſces, præeunte Patre Generali, de quo inſtitutum mox examen, breui exactum inſigni cum viri laude eſt. Illud præcipuè in eo commendatum, quòd diuiſo ſupremo munere, vigilias quidem, communeſque curas, ac labores ſibi vendicauerit: cæterùm externam muneris dignitatem, ac lucem perquàm religioſè diſſimulauerit; vt æquus perindè, & æqualis omnibus videretur. Agitatis deinde in publicæ rei vtilitatem multis, cœpta de renunciando optimo Capite conſultatio; in qua quidem, quòd de rerum ſumma ageretur, excuſſa feriò Patrum merita, ac partes, imploratumque præcipuè diuini Numinis auxilium; vt is in ſuffragium veniret, non qui videretur, ſed qui eſſet Congregationi apprimè commodus. Planè, vt prudentia, ac iudicia in ſapientuſſimo quoque deligendo diù laborent, falli nihilominùs humani conſilij ratio ſæpè ſæpiùs videtur, vt cui imbecillior quædam lux, ac propiora duntaxat, nec quidem admodùm clarè videat. Sola, videlicet, ſuperior prouidentia nec fallit, nec fallitur, cuius afflatu, ac luce occupata ſemel mens, nunquam exorbitat, eaque in grauiſſimis præcipuè Comitiorum, ac Magiſtratuum negotijs, in quibus interuertunt ſæpè rem affectus, ac fauor, impenſiùs oranda. Itaque benignè adfuit Patrum precibus Deus, ac lectus ille Præpoſitus Generalis, in quo nullæ profectò religioſi moderatoris partes deſiderabantur. Fuit is Ioannes Scurcouillus, Sipontinus, probitatis, grauitatis, regulariſque obſeruantiæ fama apud nos percelebris: manaueratque iam hæc eius virtutis opinio ad exteros, atque ad ipſum Clementem Pontificem, qui paulò antequàm cœtus inchoarentur, cùm plerique è grauioribus Patribus, inter quos & ipſe Ioannes erat, ipſum conueniſſent, vt ijs comitiorum initijs benè precaretur, admiſſos perbenignè interrogauit: quiſnam eſſet ex ipſis Ioannes Sipontinus; ac agnitum, inſigni honore eſt proſequutus, habuitque cum eo ſermones prolixiùs, gratulatus poſtmodùm, virum integerrimum, ac ſingulari quodam genere prudentiæ ſpectatum, euectum ad ſupremam Ordinis præfecturam.

Inſtauratur Præſidis auctoritas.

Electo Paulo Pignatello,

Agitur de P. Generalis electione.

Eligitur Ioannes Sipõtinus,

Clementi Põtifici commẽdatus.

Amoueniuria profeſſionibus ac miſſis epulæ.

Lecto Præpoſito Generali, conſequutæ adaugendæ, confirmandæque diſciplinæ, deliberationes. Cautum, ne qua die profeſſionem emittunt noſtri, aut primò miſſam celebrant, lautiores epulæ, ac conuiuia inſtituerentur, neue ſtructæ, miſſæque à conſanguineis, cumulandæ gratulationi; dapes reciperentur: quòd ſi recipi oportuerit, ſtatim pauperibus, aut alicui Xenodochio erogarentur. Nempè quædam iſtiuſmodi magnificentiæ rudimenta affinium beneuolentia induxerat, quæ cùm facilè degenerare in luxum quendam, non mediocri cum paupertatis, atque obſeruantiæ detrimẽto poſſent, maturè prouiſum, ne in domeſticam frugalitatem conſuetudo valeſceret,

neue

Digitized by Google

neue corrumperet ſanctitatem actionum quęſita in epulis pompa. Quem quidem vſum cum nullæ non ſanctorum Patrum paginę carpant, ac damnent, non animus eſt, hìc longiùs perſtringere. Actum præterea de noſtri Ordinis priuilegijs, ac ſancitum, vt ex aliarum diſciplinarum indultis, quæ Summorum Pontificum munificentia in nos deriuauit, illa ſeligerentur, quę opportuna noſtro vſui eſſent. Siquidem cùm ſua quęque inſtitutione, ac more viuant ſacræ familiæ, ita quædam priuilegia vni cõgruunt, vt alteri minùs expediant: proindèque in promiſcua Pontificium facultatũ ſylua delectum habendum, cenſuere Patres, vt exploratum haberent, quibus vtendum, quibus abſtinendum noſtris eſſet. Id quod poſteà Alexandri Peregrini, accurati ex noſtris viri ſtudio, operaque factum, excuſo in noſtratum vſum priuilegiorum compendio: aſſeruitque non pœnitendus planè labor ſuam auctori laudem. Illud etiam ſcitum, vt quando præcipuæ nobis curę eſt, vt in Dei cultu toti ſimus, functioneſque eccleſiaſticæ perquàm concinnè peragantur; quidam ſacrarum cœremoniarum commentarius conficeretur, ad quem ſingulæ Congregationis domus vna, eademq. agendi ratione conformarentur: ita tamen, vt quæ clara ex ſe ſunt, è romanis omninò ritibus peterentur: quę verò dubia, ad veterem noſtratum conſuetudinem exigerentur. Quod quidem prudenter decretum, ne qui vnanimes in domo viuimus, diuerſi deindè moris in eccleſijs eſſemus. Decet nanque, vt quorum vna eſt vitæ, ac diſciplinæ ratio, vnus item ſit eccleſiarum cultus, & quidam veluti ſacrorum concentus, ac armonia. Et mortales quidem vno animari ſpiritu Congregationis membra intelligunt, ſi qui cum dignitate, ac pulchrè ſacrorum functiones in eccleſiis exercent, eoſdem non diſcrepare inter ſe ſe cernant; ſed cuncta inſigni concordia, atque omnimodo conſenſu peragi. Concinnatus hic cœremoniarum libellus breui fuit, eiuſque ad ſingula noſtratum cœnobia, excuſa typis, miſſa exemplaria, quæ modò ſunt in manibus, & quicquid ſacrorum rituum in noſtris eccleſiis exercetur, ad eam adamuſſim, ac regulam exigitur. Quamquam hac de re fuſiùs poſteà ſcripſit Andreas Piſcara Caſtaldus, noſtri poſteà Ordinis Præpoſitus Generalis, integro quidem commentario, non Theatinis modò ſacris opportuno, ſed qui peruagatus longè, latèque per Europam omnem, nulli non eſt Baſilicæ, Cleroque vſui, vti aliàs ſignificaui. Aliæ præterea latæ leges de ſtudijs, ac ſcholaſticis; præſertim de Chriſtiani officij prælectionibus, bis, ac ter in hebdomada in vnaquaque domo à certis profeſſoribus habendis, de concionatoribus, de priuata domorum rectione: atque inter hæc ſeria, poſita etiam ludis lex; ijs nempè amotis, qui non omnioò regulari diſciplinæ conformes eſſent; vt cùm nonniſi bis in menſe ludere ad honeſtam remiſſionem detur, in ipſis etiam iocis religioſa quædam ſeueritas, ac modeſtia ſeruaretur. Quod verò magnam curarum partem in his comitijs occupauit, id fuit accuratum Conſtitutionum noſtrarum examen. Cum enim ſuperiore Capitulo, vti monui, ſcitum fuerit, vt in vnum legum corpus, qua fieri poterat grauitate, ac elegantia, noſtræ ordinationes per idoneos, peritoſque viros concinnarentur: tùm ad ſingulas domos tranſmitterentur, vt accederet à ſingulorum prudentia, ac lima auctoritas; exactum opus expendi hoc anno acrioribus in commune iudiciis placuit. Quocirca recognita ad ſeueriorem lancem omnia; ac non modò leges ipſæ etiam, atq. etiam excuſſæ, verũ & earum etiam forma, ac dictio perdiligenter examinata. Dempta, addita quàm plurima: quædam breuiùs, nonnulla concinniùs dicta: denique facilitas, ordo, cultus egregiè procuratus. Cumq. iam perductæ ad vmbilicum, ac publicari poſſe, expolitæ toties Conſtitutiones viderentur, expectandum nihilominùs duxere Patres, vt prolixior vſus probaret, atq. nonniſi perfectiſſimę ab omni parte ſiſti Sedi Apoſtolicæ, confirmatique à Summo Patre poſſent, ac demum typis mandari.

Secernuntur priuilegia.

Liber cęremoniarum conficitur.

Andreæ Piſcarę Caſtaldi de Cæremonijs liber.

Conſtitutiones recognitæ.

His peractis, renunciatiſque locorum moderatoribus, ſoluta comitia fuere. Et Patres quidem iter ad ſuas quiſque domos quàm lætiſſimè corripuere, quòd in illum Congregationis, ac rerum moles incubuiſſet, quem probè ſcirent, nonniſi quàm optimè, & quàm ſanctiſſimè Magiſtratum, remque publicam adminiſtraturum. Et verò ſi publicas regendi artes, ſi priuatam etiam in publico eo munere Ioannis Sipontini indolem ſpectes, raris admodùm contigiſſe tanta cum laude nexum illum dices, Grauitas illi ſumma fuit, ac ſingularis non modò cum noſtratibus, ſed cum exteris

Ioannis Sipontini indoles.

Grauitas.

etiam auctoritas. Peculiaris illi lenta quædam, ac lenis in rebus agendis maturitas, quæ perpetua quædam eſt comes prudentiæ. Inerat etiam quędam verbis mora, ac pondus, quod à conſilij, animique grauitate minimè diſcrepabat. In ipſi verò actionis, dictioniſque tarditate ſua ſemper efficacitas, ac ignis erat; vt intelligerent plerique omnes, prudentiam, quę foris verba, ac nutus ad omnem lenitatem, grauitatemque componeret, intus caleſcere, atque agitare magna. Nunquam aſſidua, ac multiplex occupatio viſa ita illum obruere, vt vultu faſtidium teſtaretur. Prolixior nempè patientia vt vnum, eundemque ſeruare oris habitum; ita recentes, atque indefeſſas ſemper afferre negotijs aures videbatur. Has optimi Capitis partes cumulabat diſciplinę regularis ſtudium, ac priuatus ſui cultus. Communi obſeruantiæ perindè inſiſtere, ac ſi nulla vrgeret communis rei cura. Choro interdiù, noctùque intereſſe. Semel matutinis laudibus abſtinuit, ſed indulgentiam mox diluit publica confeſſio. Enimuerò arrepta in communi menſa occaſio se alloquendi de more Patres, fateri intimè culpam ſuam voluit; imputandum nempè ſibi dicens, quòd ea nocte ijs ſeſe delicijs ſubduxiſſet, quas cumulatiore quidem ſinu affundere eo maximè tempore Deus ſolet: eoque animi ſenſu, ac demiſſione prolata ea fuere verba, vt affirmauerit Andreas Lanſranchus, qui Conſultoris tùm munere fungebatur, ac propè aderat, excuſſiſſe ſibi vbertim lachrymas. Iam quæ Prępoſitis Generalibus publicum munus, curæque Ordinis, ac conſenſus ipſe Patrum conceſſerant, recuſauit: cellam nempè, ac fratrem laicum, qui cellam, ac Generalis perſonam curet. Enimuerò vnum ſibi conclaue ſatis eſſe, ſuique miniſterio ſufficere ſe, ſuaſque manus duxit; proindèq. ipſe ſibi cellam conuerrere, lectum ſternere, haurire, importare aquam; & quę in ſupremo moderatore admiratione dignior humilitas, adire ipſe ad fullonicam purgandis ſuis linteis ſolitus erat. Illud hoc loco lepidum, quod non diſſimulandum. Nam cùm aliquando ſua ibi linea lauaret, frater quidam laicus, acceſſit tacitus, ac per luſum ter illum à tergo percuſſit. Immotus vnum, ac alterum ictum excepit Pater Generalis; ad tertium verò, vultu, ac modeſtia omninò idem, obuertit ſe, ac ſufficere, inquit, hæc tibi poterunt, frater. Attonitus, ac veluti violento quodam percuſſus fulmine accidit ad eius pedes laicus; cùm interim egregiam ipſe lenitatem, ac patientiam commendauerit ſuam. Cuiuſmodi quidem modeſtiæ multiplex proiectò aliàs ſpecimen dedit. Genuæ cùm Præpoſitum ageret, noctù quidam è clericis lampades concinnabat. Conſpicatus in odęo virum quem, ac putans laicum, appellare illum, ac petere, vt auxilio eſſet: idque non ſine ioco, & quę eſt adoleſcentum vbique hilaritas, cum feſtiua quadam nomenclatione. Acceſſit Prępoſitus: & adſum, inquit, laturus opem: iube, efficiam. Simul illum reuerentia conſternauit, ſimul ſubleuauit factus ad omnem clementiam vultus. Genuæ item noctù cùm poſt prolixiores preces per ſacrarij ſontem tranſiret, qui fortè ibi aderat, ſacerdos putans alium, aqua feſtiuè reſperſit. Verùm, cùm ſilentio, ac ſingulari quadam modeſtia præterijſſe ipſum cerneret, tunc enimuerò Præpoſitum fuiſſe animaduertit, cui peculiaris illa erat imperturbabilis animi grauitas, ac conſtantia; pupugitque intimè facti conſcientia, ac veneratio.

Regularis obſeruantia. — *Vna contentus cellula.* — *Reſpuitque fratris laici miniſterium.* — *Quid illi in lauandis linteis acciderit.* — *Aliud item lepidum.* — *Aqua per iocũ inſpergitur.*

Diuertit ad minuta hæc narratio, dum Ioannis Scurcouilli in Magiſtratu indolem, eiuſque vitæ rationes exponimus, quas quidem in loco fuſiùs proſequemur, nunc pergimus ad alia. Bergomum hoc anno Colonia deducitur, efflagitante prolixiùs Epiſcopo, ac Ciuitate. Diù iam populorum vota noſtratum in ea Vrbe induſtriam expetiuerant: pręſertim Hieronymus Ragazzonus Epiſcopus, nobilis Venetus, ac vir ſanè præſtantiſſimus, quo tempore Ioannes Baptiſta Milanus vniuerſi noſtri Ordinis pręfecturam procuraret, in eam maximè curam incubuit, vt auxiliatrices Clericorum Regularium manus in ea ſibi Eccleſiæ adminiſtratione adiungeret. Nouerat quippè, quo fructu non modò Venetijs, ſed & in pleriſque Venetæ Ditionis Vrbibus, ac in reliqua Italia in pietatis, atque animorum cultu deſudarent. Commendata illorum impenſiùs ſedulitate, ciues ad id operis excitauerat; appellauerantque vnà ſimùl literis humaniſſimis ea ſuper re Patrem Generalem, qui ſuis cum Conſultoribus reuocato ad calculum domicilio, etſi optimi Antiſtitis, ac reliquæ Vrbis voluntatem maximè probabat, habebatque ex animo gratias; cauſas tamen habuit omninò plures, quominùs

Figitur Bergomi domus. — *Quam antea Ragazzonus Epiſcopus tentauerat.* — *Sed re tùm infecta.*

Digitized by Google

minùs annueret. Sublato deindè ex humanis Ragazzono, ſucceſſit ijs Infulis Milanus, qui quam negauerat Præceſſori noſtratum operam, petere ipſe coactus eſt, ciuiũ nempè precibus, quorum inflammauerat vehementiùs vota, negata ſemel familia; & ſua etiam ſponte, quod Bergomenſes eas curas aggreſſus, liquidò cerneret, per neceſſarias in populoſa Ciuitate Theatinas vigilias. Inſtauratæ igitur acriore ſtudio preces; at nihilò feliciore ſucceſſu; diùque communia ea vota diſtulere Patres, qui in fundandis domicilijs vtendũ mora, delectuque oportere, ſapienter ducebant.

Renouantur hoc anno poſtulata.

Accidit verò commodùm, vt hoc anno Præturam Ciuitatis capeſſeret Hieronymus Cornelius, vir pius, ac noſtri Ordinis ſummè cupidus, qui fretus præclaris officijs, quibus Venetos diù Patres demeruerat, complecti negotium voluit, fore ſperans, vt viri beneficentiſſimi promerita apud noſtrates valerent maximè. Illata literis quàm efficaciſſimis cùm ſuo, tùm Bergomenſium procerum nomine vis quædam ineluctabilis fuit, vt perſuaſerit ſibi Pater Generalis vnà cum ſuis Conſultoribus, haud fieri ſanè poſſe, quin ſuccederet cœnobium, quod repetita toties vota efflagitaſſent.

Et iuuante Hieronymo Cornelio.

Deſtinatus, qui locum adiret, luſtraretque accuratè ſitum, & quæ ad nouam Coloniam facerent, Theodoſius Apicella Neapolitanus, vir prudens, ac diſciplinæ zelo apprimè commendatus. qui Mediolano, vbi agebat, Brgomum conſeſtim ſe tranſtulit; deprenditque eius Vrbis ordines, vſque adeò erga noſtrum Inſtitutum propenſos, flagranteſq. vt quamuis, re propiùs inſpecta, haud nimis opportunum, figendo domicilio, offerri ſitum cerneret, abundè tamen eſſe ſecundiſſima ea ciuium ſtudia, exiſtimauit; ac facilè deindè fore in commodiores, laxioreſque immigrare ſedes ab inſigni ea omnium voluntate, affectuque, ſibi perſuaſit.

Annuunt Patres.

Allegato Apicella, qui locũ inſpiceret.

Ergò Patrem Generalem monuit, in promptu eſſe omnia. Domum, eccleſiam, etſi non omninò ad votum, eas tamen eſſe, quę aptari noſtris viuendi rationibus pro modo poſſent; ſi quæ deeſſent in præſenti, ſuppleri magnificè certa ſpe opportunioris ſubindè contubernij, quod perampla beneuolentiſſimę Ciuitatis humanitas pollicebatur. Poſita igitur cœnobij initia in æde D. Michaelis, quàm à Platea nuncupabãt: eòque immiſſi Patres die, Diuo Apoſtolo Andreæ ſacro, instructa ad omnem nitorem eccleſia, exercere ſolenni ritu Dei cultum, ac reliqua ex inſtituto diuinorum miniſteria occœpere, ingenti quidem cum ciuium voluptate, ac plauſu; Milani præſertim Epiſcopi, ac Hieronymi Cornelij, qui impigra ea religioſorum hominum manu coli iam communem virtutem, moreſq. bonos procurari, ac miniſtrari cum dignitate ſacra, nimiùm quantùm gratularentur.

Cœnobij rudimenta in ęde S. Michaelis.

At enimuerò populorum ad eccleſiam accurſus ſtatim oſtendit, ampliorem aream ſedulitati Patrum deberi. Nec mora: intra bimeſtre ad alteram Diuæ Agathę ſacram ædem inſigni cum Vrbis approbatione, conſenſuque immigrarunt. Parœcia ea erat frequentiſſima in vicinia. Templum recens excitatum, nec incapàx: adiacebat excipiendæ familiæ tectum, quod mox aliarum domorum acceſſione ampliatum.

Sed mox in D. Agathę immigrant.

Rudimenta domus dum eximia pietate, ardoreque animi conſecrant noſtri homines, ecce tibi à Carmelitis Patribus turbo. De ſitu diſceptationẽ inſtituunt. Haud quidem congruenter mendicantium priuilegijs feciſſe noſtros, quod eo loci domicilium fixerint, propinquitate nimirùm intra vetitas à Sixto Pontifice Quarto vlnas. Tuenda ſibi ſua iura eſſe, ac ſuis cauendum commodis. Mutarent proindè ſedem, ſeruarentque Pontificum decreta. Contra noſtri, non ijs ſe teneri legibus affirmabant, ac frui priuilegijs, quæ deſcriptas à Sixto vlnas antiquarent.

Cum Carmelitis cõtrouerſia.

Deducta ad Romana ſubſellia lis eſt, quæ vbi cauſam accuratè cognouere, pronuntiata pro Theatinis ſententia fuit. Nec ſiſtunt Carmelitæ, quoad recognoſci ab eadem Sacra Congregatione cauſam Pontificis decreto impetrant. Quod ſanè id effecit, vt bis vinceret Bergomenſis domus, adiudicata ipſi iterùm lite.

Dirimitur pro Theatinis ſemel.

Ac iterum.

Porrò, quòd diſputari de ſitu inter religioſos homines ſæpè contingat, pretium profectò erit, facietque ad poſteritatis documentum, cùm ſupplicem noſtratum libellum, tùm Cardinalium decretum hic exſcribere. Et noſtri quidem ſic ad ampliſſimos Patres.

Clericorum Regularium Congregatio exponit, conceſſam ſibi ab Curione Epiſcopi nutu D. Agathæ Eccleſiam, ac tectum Bergomi fuiſſe. Carmelitas verò Patres contẽdere, vt eò abſcedant nimiæ propinquitatis prætextu, affirmantes, id eſſe contra Sixti Quarti Pontificis priuilegium, quo cauetur, ſub certa pœnarum denunciatione, nulli

Noſtratum libelli ad Sac. Congregationem exemplar.

Eccleſiaſticorum fas eſſe, niſi extra centum quadraginta vlnarum ſpatium, propè eorum cœnobium domicilium figere. Quoniam autem Oratores compotes earum facultatum ſunt, quibus Patres Ieſuitæ potiuntur, quæ, abrogato ſingillatim Sixti Quarti priuilegio, concedunt, vt, vbicunque eis libuerit, etiam intra præſcriptum ſpatium habitare propè mendicantes queant: Confirmatio verò priuilegiorum, quam non ita pridem Carmelitæ impetrarunt; cum clauſula: Quorum tenore: generalis eſt, proindèque ſpeciali Gregorii Tertii decimi conceſſioni minimè derogat. Præterquàm quod ea maximè conditione confirmata eorum priuilegia fuere, quatenùs ſunt in vſu; atque adeò cum hęc iam facultas ab vſu receſſerit, non cenſetur confirmata. Propterea decretum à Sacra Congregatione ſuperioribus menſibus fuit, vt ſignificaretur Pontifici, conſiſtere in D. Agathæ cœnobio Oratores, iure poſſe, non obſtantibus Carmelitis, qui quidem ab ea ſententia Pontificem appellantes, vt hoc iterùm diſſidium in ius veniret, impetrarunt. Quocirca cum iam excuſſa hinc indè rationum momenta ſint, poſtulant Oratores. vt Sacra ipſa Congregatio decernat, iniuria diuexari à Carmelitis Clericos Regulares, qui hoc ſummi beneficij loco ducent.

Sacra verò Congregatio hęc cenſuit. Die vigeſima ſecunda menſis Mart. an. 1600. Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, cauſis propoſitis, viſis, & diligenter examinatis iuribus, & rationibus; deductis ab vtraque parte, cenſuit, ipſos Clericos Regulares, oppoſitis per fratres Carmelitanos non obſtantibus, ædificare, & conſtruere Eccleſiam, & Conuentum poſſe in loco deſignato.

Bergomenſē domum extruere cogitat Franciſcus Martinēghus,

Sub id autem tempus, quo ampliſſimorum Patrum decreto præciſa de Diuæ Agathæ cœnobio lis eſt, ſimul oblata, ſimul ablata exędificandæ domus, Templique occaſio fuit. Enimuerò cum pro ſui muneris officio locum inuiſeret Ioannes Scurcouillus, adiit illum officij cauſa Franciſcus Martinenghus, ab illuſtri domo Comes ornatiſſimus, ac bellica in primis laude clarus, qui ſuam erga noſtrum Inſtitutum, eamq. præcipuè ſedem non verbo tenus, ſed inſigni operis deſignatione beneuolentiam Patri Generali commendauit; pollicitus nempè, templum quidem ad magnificentioris formæ amplitudinem laxare Patribus, tectum verò à fundo conſtruere. Ideam operis

Conſilium bella abrupere.

deſcripſerat, ac iam curauerat ſubſtructioni materiam: cùm aduerſa ſemper pijs rebus bella præclarum conſilium intercepere. Nam cum apud Sabaudię Ducem vniuerſi peditatus prefecturam is gereret, vocatus ab eo tùm fuit, implicituſque militaribus ijs curis, quam ſuſceperat pietatem, proſequi minùs potuit; cui tamen ſtat ab inſigni hac voluntate ſua laus, fruiturque deſignati operis ſama. Porrò huic cœnobio, vt cōmuni pietati fieret ſatis, appendix quædam, hoc eſt, altera in Suburbio domus annexa, initio quidem ſuccedentis ſeculi, ſed quàm hoc anno, còntinenti nimirùm rei Bergomenſis narratione, ſtylo expediam.

Bergomi domus ſuburbana inſtituitur.

Bergomum Vrbs eſt, vt prænobilis, ita ingenio, ſituque loci fortiſſima, quam arduum montis ſupercilium, in quo ſedet, tùm murorum minæ, ac præruptæ cautes, rupeſque muniunt. Portas ante ſolem occaſum ſtationarij cuſtodes claudunt, non ante exortum aperiunt, atq. interea temporis nulli nulla quauis neceſſitate, caſuue patent. Ad montis radices ſuburbium, idque frequentiſſimum, & quod præcipua nobilitas colit, iacet. Seuerior nempè Vrbis cuſto-

Eius occaſio, & cauſę.

dia, ac feſtinata nimiùm clatra in ſuburbanum eum ſitum, liberiorem nempè in ſedē pleroſque impulere. Euocabantur eò ſæpius noſtri, perſpecta iam eorum in iuuandis mortalibus charitate, ac ſtudio: & quà in ęgrotantibus inuiſendis, quà in ferenda morientibus ope, alijſque id genus ærumnis ſubleuandis aſſidui cum eſſent, id interdum, nec quidem rarò contingebat, vt tardiùs expediti, clauſoque interim aditu, Ciuitate excluderentur, non ſine graui incommodo. Ad hæc, cum ſæpè noctu iſtiuſmodi noſtratum pietatem, ac operam ſubita neceſſitas poſceret, haud liberum ijs erat, qui extra Vrbem degebant, illos accerſere: atque adeò deſtitui præſenti virorum ſedulitate, moleſtiſſimè ferebant. Illud honeſtiſſimis præcipuè fœminis admodùm graue, quòd ægrè adire Diuæ Agathæ templum poterant. Diſtat nanque longiùs ab Vrbe ſuburbium: cumque currus minimè admittat accliuis, ac difficilis via, adeunda pedibus Vrbs erat; quod indecorum, ac laborioſum matronis. His adducti rationibus viri quidam proceres, optimum factu exiſtimarunt, alteram figi in ſuburbio noſtratum ſedem, vt obuia inibi eſset interdiù, noctùque illorum charitas, fructumque ipſi de-

cere-

cerperent apud confertiſſimam multitudinem aſſidua morum inſtitutione,ac procuratione ſacrorum. Re cum Bergomenſibus Patribus communicata, delata ſubindè Romam fuere ad Patrem Generalem vota, qui amplificari ſuorum vigilijs, ac laboribus aream gratulatus, & quòd verti id maximè in mortalium compendium cerneret, haud grauatè cum ſuis Conſultoribus annuit. Peropportuna quà ſitu, quà tecto Eccleſia ibi erat, Diuis Simoni, & Iudæ ſacra, quā à Maſona appellabant, Humiliatorum olim Patrum ſedes, ac tùm quidem eo ſacerdotio Taſſus Abbas, vir ex ea nobilitate noſtræ Congregationis perſtudioſus, potiebatur. Deſtinatum communi ſuffragio noſtro Inſtituto hoc cœnobium fuit: addixitque vltrò Abbas ipſe publica tabularum fide, reſeruatis nempè prouentibus, quos noſtra viuendi ratio, ac leges reſpuunt. Conſtituta igitur ſuburbana ea colonia eſt, quæ ſuberat quidem Diuæ Agathæ Præpoſito, regebat verò ad eius nutū Vicarius; nec mediocri ſanè voluptati, ac fructui genti fuit ea Patrum acceſſio, quando illos adire, audire, conſulere, liberum deindè fuit; ac interim diuiſam Vrbem iunxere diſtributi hinc inde Patres, qui vtrobique pietatis ſtudio, ac contentione curarum ſtrenuè vacabant. Decennium ſuburbanum hoc cœnobium ſtetit, cùm agitatum in Capitulo generali fuit, an retineri expediret. Sanè percommodum ciuibus videbatur, manabatque, vti modò dixi, non exigua in commune bonum ab eo vtilitas. Verùm, quod qui cuncta probat, aut improbat dies moneat, haud è re noſtræ diſciplinæ eſſe geminum Bergomi domicilium, qui tùm Ordinem moderabatur Ioannes Antonius Angtiſanus, pro facta ſibi à generali Patrum conuentu facultate, excuſſa re maturiùs, cedendum loco cenſuit, ac Diuæ Agathæ familiam ſolummodò retinendam, ne diuiſa in pluta contubernia Patrum virtus, remiſſior vtrobique eſſet.

Deſtinatur ædes SS. Simonis, & Iudæ.

Sed poſt decennium relinquitur.

Prouocatus hoc anno ad Inſulas fuit Thomas à Montibus, cuius & virtutis indolem, & literatum ſtudia aliàs meminimus; & probauerat quidem viri ſolertiam, ac prudentiam Congregationis conſenſus: quippè qui pleriſque domorum præfecturis admotus, Neapolitana Sanctorum Apoſtolorum, ac Diuæ Mariæ Angelorum cœnobia, tùm Licienſe, ac Placentinum cum laude rexerat; ac tùm quidem Conſultoris munere, qui præcipuus eſt Ordinis magiſtratus, fungebatur. Germanus frater is erat Alexandri à Montibus, Achaiæ Marchionis, præliaris ingenii, ac virtutis viri, qui per omnes militiæ gradus fortiſſimi Ducis famam adeptus, in Italia, Hiſpania, Gallia, Belgio difficillimis bellorum temporibus arma tractauit; ac in Belgica quidem diù poſteà hæſit apud Albertum Archiducem, ſummum Hiſpanæ potentiæ adminiſtrum, haud cul conſtanti quadam fortuna belli ſuam operam egregiè commendauit. Qua deindè bellicæ virtutis exiſtimatione Romam à Paulo Pontifice Quinto accerſitus, Philippi Hiſpaniarum Regis, ipſiuſq. Alberti nutu Eccleſiaſticis triremibus imponitur, geſſitque mari munus ea laude, qua terrà militiam adminiſtrauerat. Præclara hæc Alexandri fratris merita, tùm ſua etiam virtus: ac non obſcuræ animi partes Thomam ad Epiſcopalem ſedem euexere. Nam cùm Ioannes Lopez, vir è Dominicana familia probus æquè, ac doctus translatus è Cottonenſi ad Monopolitanum ſacerdorium hoc anno eſſet, nominatus ad vacuam eam Cathedram à Philippo Secundo Thomas fuit, quem mox Clemens Pontifex Octauus probauit, inaugurauitque Pontificijs inſignibus ingenti planè cum eius Eccleſiæ bono. Siquidem complexus eam curam impiger, atque inſigniter nouus Antiſtes, nihil habuit antiquius, quàm ſuas oues inſpicere, conſilio, ac ope adeſſe, ſi quæ lapſa in eccleſiæ, ac morum cultu viderentur, inſtaurare, conuellere ſtirpitùs vitia, communem pietatem expolire, ac formam quandam ſanctioris vitæ cùm in Clerum, tùm in reliquos ciues inducere. Cuius quidem actuoſioris zeli, ſtudijque in morum conformationem extant adhuc in ea Ciuitate veſtigia.

Thomas à Montibus Epiſcopus.

Alexandri fratris vis bellica.

Thomæ in Cotroneoſi Eccleſia nauitas.

Hac item dignitatis luce tentatus hoc anno fuit Antonius Caracciolus, cuius pectus peruadere Inſula, ac perſtringere eius fulgor oculos minimè potuit. Conſenuerat profundè Potentiæ Epiſcopus, Sebaſtianus Barnaba, ac diù iam extra ſuam Sedem morbi, ac propior fato ætas diſtinuerat. Quærendus Coadiutor fuit, qui recenti, vegetaque ſolertia Præſulis ſenium compenſaret, regenſque interea ſummo iure officiū, ſuccederet poſtmodùm muneri. Re in Hiſpano conſilio agitata, in conſultationem

Antonius Caracciolus Potentiæ Coadiutor deſtinatur.

Ca-

Caracciolus, vt venit, vt lectus communi ſuffragio fuit. Abundè quippè notus à natalibus, à morum integritate, ac literis erat. Significara illi Regis voluntas ab Henrico Guſmano, qui Regni tùm Neapolitani vices regebat; nec ſanè alio excepit vultu nuntium, quàm quo accipi ſolent moleſtiſſima. Habitiſque prolixè gratijs, paucis, ac diſertè recuſauit. Cognoſcere nempè ſe, baud tanti eſſe honorem Inſulæ, vt quam

Sed reſpuit,

ſemel induerat mentem, habitumque Theatinũ, dimitteret, ac ſiuè dignitates quæreret, ſiuè exiſtimationem nominis, ſiuè percommodas vitæ rationes, exploratum habere, contineri hæc in religioſorum hominum conuictu, ac ſtatu, quo nihil dignius, nihil ad famæ decus honeſtius, nihil beatius. Nullas præterea curas diſtrahere, ac ſiuè literis, ſiuè Deo vaces, nihil ad pietatis, ſtudiorumq. contentionem opportunius, quàm eam vitæ, ac loci tranquillitatem. Animorum verò negotium ita peragi, vt quicquic interni hominis abſumeret externus labor, repararet mox repetitum virtutum exercitium, ac domeſtica diſciplina. Hæc obfirmato animo Caracciolus: vt dilandauerit fusè Guſmanus religioſiſſimi viri modeſtiam, affixamque ſuo Inſtituto, ac Deo mentem. Porrò quòd ipſe ſeriò munus repudiauit, complexus eſt conſequenti

Subſtituitur Antonius Veſpulus.

mox anno ex noſtris item Antonius Veſpulus. Planè id eſt in hominum genere pulcherrimum; nempè ingenij varietas. Propoſitus idem omnibus finis, ſed non eadem via aſſequimur. Hic receſſum, ac vmbram, ille forenſem, ac publicam virtutis exercitationem probat. Et bonotes quidem multi mortalium fugiunt, plerique in commune bonum capeſſunt: vtrumque eadem virtus pręcipit æqua laude. Id quod in gemino Antonio Caracciolo, & Veſpulo accidit, quorum ille ſplendidam prouinciam reſpuit, hic ſubijt: idemque Dei obſequium, diſpari licet ratione, vterque ſpectauit. Veſpulus patria fuit Neapolitanus, Thomæ Veſpuli, Regijs à conſilijs germanus frater, literarum præſidijs ſupra communem eruditionem inſtructus, ciuili

Virà literis apprime inſtructus.

præſertim, ſacroque iure conſultiſſimus, quas facultates, antequam Religioni ſe daret, flectente eò ingenio, diù excoluerat: in Ordine verò ita ijs vacauerat, vt Philoſophiæ etiam, ſacræque Theologię ſpatia confecerit. Quæ doctrinarum opinio non modò Neapoli eximiam illi comparauerat famam; verùm cum in Hiſpaniam etiam peruaſiſſet, facile deindè fuit, vt cum de Potentiæ Eccleſia ageretur, is occurreret, in quo eminere præcipuæ, quæ decent optimum Antiſtitem, partes videbantur. Ergò laboranti ſuo æuo Epiſcopo datus Veſpulus eſt, qui auxiliatrices manus porrigeret. capeſſiuitque Potentiæ Eccleſiæ curas, ſumpta ab Adragonlenſi ſacerdotio nomenclatione ac titulo. Nec minimum ſanè laboris ſuſcipiendum illi fuit, vt rem eccleſiaſticam,

Qui prouinciã ſtrenuè ſubijt,

communemque in ea Ciuitate pietatem ordinaret. Caruerat diù tellus aſſidua, ſolertique manu, iamque in berbarum quandam luxuriem, ſiue morum ſpinas degenerauerat: atque adeò quæ tempus, quæ conſuerudo, atque impunitas peccauerant, emendari ſedulò oportuit, ac præcidi ferro, cenſuraque auſteriore. Quam quidem induſtriam incboare ſtrenuè potuit Veſpulus. Sub ipſis nanque curarum auſpicijs interceptus fato, ſublatus intra annum è viuis eſt, incredibili omnium mœrore, qui à præclaris inirijs vigiliarum progręſsiones, fructumque æſtimantes, planè intelligebant, quantum ab eius diſciplina, ac zelo ſanctitatis Clero, cultus moribus, dignitatis

Sed breui moritur,

ſacris, ſplendoris, externęque munditiæ Eccleſiis acceſiſſet. Is verò breui functus honore, ac vita, prolixæ voluntatis præmium cœlo tulit.

Porrò inter pleroſque è noſtratibus, qui diem hoc anno clauſere ſuum, non vulgaris diſciplinæ viros, vnus hic non diſsimulandus, qui præſtare cæteris indole virtutis, videbatur. Fuit is Hieronymus Buzzacarinus. nobili genere Patauinus, exacta regu-

Hieronymus Buzzacarinus vita fungitur.

laris obſeruantię, noſtrique præſertim moris forma, ſiue externam vultus imaginem, ſiue lineamenta animi ſpectes. Adoptatus in Ordinem fuit grandi iam natu; nempè ætatis anno tertio ſupra quadrageſimum: idque egregię cuiuſdam virtutis ſpecimen ſtatim dedit, quòd mores, externamq. ſeculi ſpeciem, quam ſerò nimiùm exuit prouecta iam ætas, continuò ad religioſum quendam modum, rationemque conformauerit. Egreſſus vix tyrocinio, admotus ipſe fingendæ tyronum indoli fuit: viſus pro-

Tyrones inſtituit,

fectò ad iſtiuſmodi inſtitutionem natura factus: cuius artis numeros nouerat planè omnes, hauſeratq. à D. Dorothei ſermonibus, alijſq. aſceticis commentarijs, quos aſſidua terebat manu. Pręcipuas in educanda iuuentute Magiſtri partes exiſtimabat. ſi

quæ

quę dictaret virtutum monita, ſuis ipſe ad vnguem exprimeret: eaq.propter,qui tyrones ſuos imperare quã ſeueriſſimè oculis,res humanas omnes, earumq. affectus contemnere,abiectiſſima quæq. appetere, vorare aſpera,laborare alacriter, orationi inſiſtere,docebat , hęc ipſa in ſe priùs,velut in idea quadã vitæ perfectioris repręſentabat.

Sui potiſsimũ exemplo.

Humilitatẽ,ſuiq.deſpicientiam in primis coluit.Pręfecturas Ordinis,ac ius ipsũ ferendi ſuffragij,quòd honorificũ quid eſſet,abdicauit : ſed coactus Maiorũ nutu reſumere, ac domos regere,temperare lachrymis minùs potuit. Suas oſtentare,fateriq. labeculas pręcipuo quodã humilitatis guſtu conſueuerat: nec vllã vnquã dilabi occaſionem modeſtię patiebatur; ab cuius quidem amore, ac ſtudio familiaris illi paupertas erat.

Eius humilitas.

Nam quod ad interiores amictus attinet, non indumenta videre erat, ſed centones, ab artifici ea manu ſartos,ac veluti ſegmentatos ad pompam pulcherrimæ virtutis.

Paupertas.

Corpus ſuũ velut hoſtem habuit, accipiebatque aſperè: & infirmus quidem nullam ei ad morbi leuamentum indulgere illecebram viſus: integer verò cilicio, ac flagris edomabat,ciboque vltra ſtata ieiunia perexiguo. Atque ab hac carnis afflictione eximius illi mentis candor, & flos caſtimonię. Mulierum conſuetudinem ſumma ope declinabat: conſanguineas raptim vix alloquebatur, idque inſigni cum oculorum cuſtodia.

In Corpus ſęuitia.

Placuit proindè receſſus quidam, ac remotior à mortalibus vita, ne quid vnquam aſpiceret, quod animum inficeret,aut afficeret: & vt orationi, cui cum paucis addictus, vacaret impenſiùs,ac prolixiùs. Cellulæ licet affixus,exilire nihilominùs in proximorum commoda, gaudebat.

Animi cãdor

Ægrotantibus domi,foriſque aderat mirabili verborum lenimento. Supremò laborantes ſupremis officijs,zeloque incredibili iuuabat. Quos ærumnæ, humanique caſus exercebant, intimè complectebatur, priuatiſq. alloquijs mirificè leuabat. Valebat ſiquidem ſedandis,ſanandiſque animorum morbis ſuauitate,vſuque linguæ;quæ etiam res diuinas ita tractabat, vt nullus dicentem audiret,quem non caperet vis flagrantis eloquentiæ.

Recollecta vitæ ratio.

In proximos ſtudium.

Feruentiſſimus illi in Deũ amor. Quoties quæ ad Numinis pietatem, cultumque ſpectant,peragere contingebat, ardere in vultu diuinus ille ignis videbatur. Seraphim quendam dixiſſes, immixtum flammæ. Qui quidem Dei amor nunquam accendi vehementiùs videbatur,quàm cùm is ad aram faceret. Teſtabantur vberrimæ lachrymæ,quas nulli dubium, quin ardor ille eliquaret. Sacris operaturus prolixa myſteriorum contemplatione ad id ſe ſe operis apparabat: tùm expleta ſua litatione, alijs, atque alijs ſubindè ſacrificantibus aderat,ſingulari quadam mentis attentione, ac pietate.

In Deum amor.

In Deum,quem ſummè amabat, præcipua illi fiducia, ac ſpes. Nunquam vel in maxima rei domeſticæ difficultate viſus animum deſpondiſſe, aut mentis tranquillitate deſtitui. Semel quod regebat, cœnobium ſumma egeſtate premebatur: cùm allata illi vis auri non modica, quę ſanè in ea rerum anguſtia non à quoquam mortalium,ſed diuinitùs immiſſa, videri poterat. Hęſit tamen ille, addubitauitque ſtipem accipere, quòd is, qui erogabat, aſpectu, vultuque acerbior ſibi videbatur,quàm vt ſui iuris eſſet. Scilicet, non animum nimia ſolicitudo vſque adeò pulſabat, vt extremæ inopiæ ſubleuandę occaſionẽ auidè arriperet. Porrò non à vero aberrauerit,qui Angelũ quẽdã illũ fuiſſe, affirmauerit,qui opem tulit:florente ſiquidẽ vultu,ac intra iuuentã ætate non aliũ repręſentauit.

Et fiducia.

In noſtrũ Inſtitutum,inopiamq.beneficos mirũ,quo grati animi ſtudio proſequeretur: fundebatq.pro ijs in odèo prolixiùs preces,quorũ eleemoſynas,ac nomina legi de more ſuper menſam inaudiuerat. Iã,in Deiparam,Diuoſque omnes obſeruantiam,in adminiſtranda re communi prudentiã,in admonendis,arguendiſq. ſuis manſuetudinem, regularis diſciplinę zelũ,nocturni,diurnique chori frequentiam, deniq. virtutum omnium complexionem,vſumq.longiùs eſſet ſingillatim exponere. Planè vir fuit inter noſtrates,quàm qui alius, abſolutiſſimæ virtutis.

Reliqua eius virtus.

Viſus,mortem ſibi quodammodò pręduinaſſe. Enimuerò, expleto Patauinæ domus munere, Romam ad comitia diſceſſurus, antequàm ſe viæ committeret, conſanguineos ſuos omnes ad ſacram ſynaxim adhortatus,diuinum Chriſti Corpus impertiri illis ſua manu voluit,vt ſupremum hoc officium ſuis impenderet: tùm quæ cariora ſibi erant, nempè pia quædam ſcripta, quæ ipſemet lucubrauerat,atque eiuſmodi alia Patribus, tanquam non reuerſurus, diſtribuit. Nec euentus fefellit. Correptus nanque Romę morbo, abſolutis vix Comitijs, ipſa die aſcendenti in cœlum Domino ſacra, eius triumphi comes, ſydera

Mortem præſciuit.

&c ipſe

& ipſe conſcendit, dignus planè cœlo, qui cœleſtem vixerat in terris vitam; auſpicatus hic mentis beatitatem, quam nunc cœlo fruitur.

Ioannes Pegna deſinit viuere,

Annectam huic præſtantes viros, qui conſequenti mox anno inſigni innocentia, ac virtutum omnium fama deceſſere. Ioannes Pegna, homo Hiſpanus, quem aliàs meminimus, Romæ item in Diui Andreæ Cœnobio acre ſui deſiderium reliquit. Diù in ſacra Vrbe vixit, eodem vitæ, famæque tenore apud omnes hominum gradus. Vir planè, ſiue pietatem ſpectes, ſiuè eruditionem, vſumque rerum, ſiuè regularem obſeruantiam ab omni parte laudatiſſimus. Vnus ad miraculum iunxit actuoſę vitę, atque animæ contemplatricis officia. Enimuerò, quod ad actionem pertinet, cùm præclara haberet ad eiuſmodi externa opera adiumenta naturæ, nullum erat noſtræ Congregationis peragendum Romæ negotium, quod non Pegnæ ſedulitati, ac operę Maiorum nutu commendaretur; laudabantque Romani Antiſtites viri mores, dexteritatem, ſolertiam comitatem. Præcipuè in fundanda D. Andreæ domo, excitandoque deindè templo, plurimos ipſe domi, foriſque labores tulit, eiuſque humeris incumbebat ingens ea moles. Inter has verò occupationes, ac rerum æſtus beatum mentis otium, ac tranquillitatem viſus nunquam deſeruiſſe. Nam chori pſalmodiam aſſiduò frequentabat, addictuſque cum paucis erat orationi, quæ mente concipitur; vt ſolidas in contemplatione rerum cœleſtium horas inſumeret. Intentiſſimus item literarum ſtudijs. Verſatus quippè non mediocriter erat non modò in Cæſareo, ſacroque iure, cui antequàm ordinem capeſſeret, operam nauauerat; verùm etiam in ſacræ Theologiæ facultate, diuiniſque literis, ac Sanctorum Patrum ſcriptis, quorum fructum non in ſuum duntaxat prouentum, ſed in aliorum etiam vſum, inſtitutionemque deriuabat, hauſtis inde, conſcriptiſque promouendæ proximorum ſaluti monitis planè aureis. Ea propter tenuit aliquando, lucubratum ab ipſo librum fuiſſe, cui nomen: Itinerarium perfectionis. Repertus namque poſt eius exceſſum fuit inter autographas ipſius ſchedulas hiſpanica lingua exaratus, qui poſtea Italicæ fidei redditus, excuſus Florentinis typis fuit, ſuppreſſo quidem Pegnæ nomine. Nam quòd addubitarent adhuc noſtri homines, an eſſet ex eius officina labor, adduci nunquam potuere, vt nomen apponeretur: & ſi fuit poſtea, qui ijs inſcijs ſub eius nomine publicauerit. Quod quidem haud eſt illis vitio vertendum, ceu partus alienos adoptauerint: quin modeſtia potiùs dilaudanda, quòd cauerint priùs, ne auctor inſcriberetur, cùm maximè conſtans quædam fama, ac certior inter noſtrates coniectura pro Ioanne Pegna ſtaret. Et ſi non ſum neſcius, eſſe ex noſtris non paucos, qui mordicùs Pegnæ lucubrationem aſſerant. Aiunt quippè haud ſatis eſſe nouo auctori excitando, profligandæque conceptę ſemel opinioni, vnum, aut alterum teſtem, qui à ſcriptore quodam producuntur: quando Pegnę nomen occupauerit iam publicam lucem, perſuaſionemque mortalium; & is ipſe fuerit cùm diuinorum ſenſu, tùm literarum pręſidijs, vt concinnare aſceticum illum librum potuiſſe, facilè ſibi quiſque perſuaſerit. Sed hęc ſatis, atque interim cęteram Pegnę virtutem proſequamur.

Et contemplationi addictus.

Eius ſtudia literarum,

Quæ aliquando de Itinerario perfectionis opinio?

Pegnæ humilitas,

Quæ præcipuè religioſum virum commendat, humilitatem in primis coluit; fixamque in ſui deſpectione mentem non Romanorum Antiſtitum, non aulæ fauor gradu vnquam dimouit. Andreas Corduba, Romanæ Rotæ Auditor in eius ſe ſe præſertim clientelam commiſerat, & qui eſt honeſtandæ virtutis amor, eius Infulas cogitabat. Bituntinum quippè Sacerdotium cùm vacaret, perſuaſerat ſibi, facile fore, vt Sueſſani Ducis, Philippi Secundi Oratoris, conſanguinei nempè ſui auctoritate, & gratia impetraret. Quod vbi Ioanni ſignificauit, eo ille viſus eſt animi motu, ardoreque excandeſcere, vt mutari ſtatim conſilium oportuerit. Conceptam verò inde mentis ægritudinem non tàm citò poſtea abſtergere vir modeſtiſſimus potuit. Et Cordubam quidem, quem antea ad pœnitentiæ Sacramentum accedentem, alloqui ſingulari quadam facilitate conſueuerat, non ea deinceps comitate accipiebat; ſed impertita vix peccatorum venia, abibat vultuoſior, ac grauior: cuius poſtea rei cauſam Antiſtiti aperuit, quòd ſcilicet tentauerat honoribus obfirmatum in Dei obſequium, ſuique demiſſionem animum. Quæ quidem eius humilitas in occultanda maximè virtute excelluit. Sui corporis afflictationes, in quibus erat oppidò multus, cauebat præcipuè, ne quis aduerteret. Epulas, ſi fortè apponi delicatiores cerneret,

In deprecandis præcipuè honoribus,

caula-

cauſatus peculiarem ſtomachi habitudinem, recuſabat. Vinum ſibi aliquando interdixit, contentus aqua, cuiuſdam prætextu morbi.

Occulta eius abſtinentia.

Quin opſonio ſibi omni proſcripto, diù vitam ſicco pane, ſiue ſpirula tolerauit: hanc aſſerens ſuę neceſſitati abundè eſſe. Et ſi, cùm ea de re poſtea Præpoſitus anquireret, cognouit, pœnam eſſe, quam cùm acceptare is, qui ſua apud ipſum peccata depoſuerat, noluiſſet, ſubiuerat ipſe vicem, luebatque arctiore ea annona, victuque alienum crimen.

Ad ſupremum ſpiritum cilicium.

Illud verò & eius vitæ aſperitatem, & tegendę virtutis ſtudium in eo pręcipuè commendat. Geſtauerat decennium conſtanti in ſeipſum odio cilicium longè aſperrimum, eoque indutus, ſupremo correptus morbo, decubuit. Inſtare verò mortem cùm perſentiret, ea illi pręcipua cura, vt quem ad extremum vſque ſpiritum geſtare cilicinû amictum decreuerat, lateret. Quare acceerſitum, qui tùm domum moderabatur, Michaelem à Conſulibus, enixè rogare, ſineret ea, qua tunc erat indutus, tunica intima ſepeliri, nec ablui corpus permitteret: ſic in Hiſpania moris eſſe cum religioſis viris.

Quod occultare fruſtra nititur.

Pręposito, qui auſteriorem eius vitam probè nouerat, ſuboluit confeſtim modeſtiſſimi hominis conſilium, ac ſuſpicari vehementer, aliquid ſub induſio latere, quod ipſe occultum vellet. Ergò rem ita explorauit, vt affirmauerit ſtatim ægrotus, adpreſſas nudo corpori ſetas latere ſub tunica: ſimulque precari ex animo cœpit, vt quando decem integros annos pręcinctus ijs fuerat, ſineret, vt intet ipſas etiam expiraret. Id nempè in optatis habere ſe, vt ſimul vitam, & ſui corporis afflictationem finiat, coniungatque pro Domino illa duo: & pati, & mori. Virtutem, ac peracrem viri pietatem admiratus Prępoſitus eſt. Verùm cùm & peſſundare omninò vires, & feſtinare mortem ea vota cerneret, haud paſſus eſt exorari, inſſitque pro imperio, vt aſperam eam tunicam exueret: quod ille dicto citiùs pręſtitit: gnarus, meliorem obedientiam, quam mactare corporis ſui victimam.

Seueritatem in ſeipſum intendit ante mortem.

Porrò hoc ſui diuexandi, caſtigandique inſtitutum intendit maximè Pegna per aliquot ante obitum menſes: quem ſanctioris cuiuſdam virtutis, famęque fœmina, cui nomen Maria Magdalena, è Diui Dominici Ordine Tertiaria, pędixerat. Agebat hęc Romę, atque agi diuino Numine, vulgò credebatur: ita vt ipſam Viri etiam è principe ordine grauiſſimi adirent, conſulerentque de momentis animę, Illam & Pegna, conciliante morum ſimilitudine familiaritatem, frequenter conueniebat, miſcebatque de rerum cœleſtium pretio, ac magnitudine ſermones. Cùm autem, creſcente diuinorum ſenſu, humana jam penitùs faſtidiret, cuperetque diſſolui, & eſſe cum Chriſto; petijt ab ea impenſiùs, vt fuſis ad Deum precibus, vitę ſibi finem impetraret. Orauit illa: tùm, vt ſe morti appararet, nuntiauit. Fore nanque, vt breui mortalitatem exueret, voti compos. Quam ille, veluti lapſam è cœlo vocem, accepit; & qui aſperè vſque tùm vixerat, adducto adhuc fręno, ad ſeueriores quaſdam vitę ſeſe rationes compoſuit; grauioribus nempè corporis rigoribus, ſtrictiore annona, pauperiore toga, vigilijs prolixioribus, remiſſione animi, atque illecebra omni ablegata; vt qui ob oculos mortem ferret, ac proludere extremę illi palęſtrę eiuſmodi afflictationibus, optimum factu putaret. Iam, humillimo corporis habitu parare, ac vouere ſe viciniori faro voluiſſe, publicè commonſtrauit. Enimuerò die Diuo Laurentio ſacra, paucis ante diebus, quàm lecto decumberet, adijt inclyti Martyris templum extra muros, atque ad eam aram, vbi ſanctiſſimi eius manes iacent, toto ſtratus corpore, pronoque in terram vultu orans, diù iacuit. Incidit in hoc ſpectaculum Ioannes Baptiſta Fabreſcus, vir è Somaſcenis Patribus oppido pius, qui, vbi non poſt multò abijſſe ipſum ad pauciores inaudiuit, in eam ſententiam venit, vt putauerit, eo actu Pegnam, quæ inſtabat, mortem meditatum; ac ſe, agonemque ſuum Martyri commendaſſe.

Mortem ſibi prędicit ſemel,

Et verò, futurum breui ſui exitum, adeò ſibi certò perſuaſerat, vt illum paſſim, conſtanterque pręnunciaret. Curabat ipſe in Diui Andreæ templo paulò ante quàm ſupremò ægrotaret, conſepeliendis noſtratibus monumentum, quod vbi abſolutum vidit, disertè pronunciauit, ſe fore omnium primum, qui locum occuparet; ac quendam ibi lapidem oſtendens, optare ſe, ait, vt lapis ille capiti ſupponeretur: quod accidit.

Et iterum;

Ad hæc, quo die concepit morbum, ſacere ad aram voluit; tùm Ludouico Thomaſio, ſpectato è noſtris viro, quòd is ſpem faceret certæ incolumitatis, apertè dixit, ſe, tanquam breui exceſſurum, rem diuinam feciſſe, ac munijſſe

ſibi Euchariſtico viatico iter ad cœlum: addiditque, accidiſſe ſibi, quod Manaſſi, Iudithæ viro, acciderat, de quo ſacra narrat hiſtoria, quòd venit æſtus ſuper caput eius, & mortuus eſt. Scilicet, per eius domus atrium, mordente acriùs ſole, cùm pertranſiſſet, inflammato vehementer capite, intellexiſſe ſe, ab eo æſtu in cinerem abiturum. Igitur ſub Auguſti menſis finem in morbum delabens, die Septembris quarta, procuratis ſacris, inſigni cum pietatis, ac patientiæ documento exceſſit è viuis. Funus circumfuſa hominum multitudine cohoneſtatum: neque è vulgo modò teſtandæ eximiæ virtuti affluxere, ſed viri etiam proceres, atque Antiſtitum plerique, quorum ea erant vota, vt aliquid ſibi ex eius indumentis religionis ergo impertirent. Præcipuè Andreas Corduba, quem memoraui, vnà cum pleriſque ex Hiſpana nobilitate rogatum Præpoſitum voluit, vt ea virtute, famaque ſanctitatis virum tumulari ſeorſim iuberet, & vt inſtitutis in eo Diui Andreæ templo ſolenni ritu, ac pompa parentalibus, dilaudari pro dignitate hominis religioſiſſimi promerita, ac ſanctiorem vitam fineret. Quod vbi ille alienum id eſſe à noſtro inſtituto, ac more affirmaſſet, perſoluendum nihilominùs id funeris officium in Diui Iacobi duxere, recenſita è ſuperiore loco copioſiſſimè Pegnæ indole, ac morum ſanctitate: cùm interim publicæ illi facundiæ populorum ſtudia, ac communis omnium commendatio reſponderet. Analecta nimirùm hæc eius gloriæ, quæ cœlo beat.

Ad eius funus celebritas.

Andreas Corduba ſolennia iuſta cogitat.

Quæ in D. Iacobi perſoluit.

Eodem hoc anno, ac menſe homo item Hiſpanus, nec meritis planè impar, Veronæ in Diuæ Mariæ à Glarea Cœnobio obijt. Fuit is Iacobus Valdaura, vir ab ipſis ſpiritus incunabulis longè religioſiſſimus, qui omnigenam virtutem pulcherrimo integritatis, & caſtimoniæ flore venuſtauit. Romæ in Quirinali domo nomen Religioni dedit, ibique eius ſeculi anno octuageſimo vota nuncupauit. Princeps in eo virtus, in Deum charitas, qua mirè flagrabat. Verba illi non niſi ab amantiſſimo pectore, ac ſiuè priuatim, ſiuè publicè loqueretur, ardore quodam, ac Deo plena videbantur. Eximia item quædam cum Numine familiaritas ab cœleſti hoc amore proficiſcebatur, illumque adaugebat: cuius nec leue quidem indicium erat generoſus quidam rerum humanarum, & quicquid in mundo eſt præclarum, ac ſplendidum, contemptus. Probata hæc porrò ad Lydium lapidem charitas; afflicta nempè valetudine, aſſiduiſque corporis incommodis, in quibus robuſta quædam amoris indoles, ac ſupra vires Valdauræ patientia cernebatur. Affixus lecto, ceu cubaret in roſa, cruciatus quidem premebat in fundo, eminebat verò in fronte hilaritas. In vehementiſſimo, quo laborabat fluxu capitis, dicere ſolitus erat, tot à Deo accipere ſe beneficia, quot è capite vexando pectori caderent ſtillæ. Gratias verò cùm de iſtiuſmodi beneficijs Deo ageret, illud etiam pronunciabat: nulli niſi per cruciamenta martyrij fas eſſe inire gloriam. Angelis ipſis propoſitam per labores palmam fuiſſe; conſerta nimirùm peracri cum Luciſero pugna. Inter has porrò corporis ærumnas haud quidem delicatiùs, ac clementiùs habere ſe. Laboribus nanque, regularique obſeruantiæ minimè temperabat; ſallebatque pijs occupationibus morbum, ac tempus. Nulla præterea in curanda valetudine ſolicitudo; non medicorum peritiam, non peregrina remedia, aut cœli ſalubritatem cupere. Semel Moderatoribus placuit Verona illum Neapolim cauſa experiundæ aeris clementiæ amandare. Romam vbi peruenit de ſecto penè corpore, atque à via, morboque exhauſtus, cùm fruſtra eſſe omnia viro ſemimortuo aduerterent, reuerti poſtliminiò Veronam, opportuniùs cenſuere. Quod ille Patrum iudicium, & ſi tantum itineris emenſus iam erat, tenebatque ſpes, fore, vt Neapoli conualeſceret, inſigni quadam vultus ſerenitate excepit, paruitque, remenſa Veronam via. Cumulauit viri fortitudinem ſupremum malum. Fœdo ſiquidem, lethalique vlcere corrumpi pectus cœpit; quod viro cæteroqui mundiſſimo, oppidò moleſtum fuit. Creſcebatque mali contumacia, quòd delicatior is erat, ac natura ſubtimidus. Quare etſi apud medicos conueniret, neceſſarium omninò eſſe perſanando vulneri vulnus, ea nihilominùs coquebat anxiùs cura, ne, ſi ferrum euibrarent, virium, animique deliquio deficeret vita. Id quod metuere vehementer ipſemet videbatur: quippè qui ad ferrum, ac ſeueriora medicorum conſilia nimiùm quantùm expalleſceret. Dum hoc conſulitur, adeſt Præpoſitus, qui pro ſanctiore imperio iubet Valdauræ, fineret incidi pectus: fore; vt vires ſuffice-

Iacobus Valdaura moritur.

Eius in Deum charitas.

Ad ærumnas diù probata.

Eximiũ æquanimitatis exẽplum.

Valdauræ in ſupremo vitæ actu obediẽtia.

Digitized by Google

ſufficeret obedientia. Nec multis: dat ſe diræ curationi, ictumque admirabili animi firmitudine ſuſtinuit: vt mirarentur omnes conſtantiam, ac robur; quod tributum obedientiæ fuit, cui ſe præſertim dedicauerat Valdaura. Sed quę marcuerat iam vita, etſi ab eo vulnere aliquantiſper viſa reuiruiſſe, extincta nihilominùs poſt paulò eſt: obijtque vir pijſſimus, cycnum cantu imitatus. Enimuerò cùm in Diuam Virginem ſtudio, affectuque deflagraret, eius litanias muſicis numeris attemperandas ſuſceperat penè moribundus: vt planè non iniucunda accidere mors potuerit, Marianas preces modulanti. Superſtes Veronæ fuit eius fama virtutum, ac plerique ad monumentum pietatis quicquid olim illi vſui fuiſſet, ceu cara ſibi pignora, reſeruarunt. Piè moritur.

Hos autem, quos memoraui, præceſſerat ineunte hoc anno pretioſa quidem morte Ioannes Andreas Afflictus, prænobili loco frater Laicus, vt in tempore enarraui. Egregiam vim ſpiritus, quam in petendo Sodalitatis habitu, ac in ipſo tyrocinio oſtēdit, in religioſæ deinde vitæ progreſſione admirabili quodam, ac perpetuo humilitatis, charitatis, patientiæ, ac virtutum omnium cultu continuauit. Planè viſus in Ioanne Andrea Afflicto præclarum aliquod exemplum voluiſſe Deus objicere Laicis ijs fratribus, qui, cùm & nati, & educati in ſumma interdum egeſtate ſint, neſcio quonam Religionis fato, vbi aggregati ad Ordinem ſunt, cum habitu indolem induunt aliam, nempè delicatiorem; atque ea in Dei ſeruitio, hoc eſt, in ipſa paupertatis, ac durioris diſciplinę ſchola commoda ſectantur, in quæ illos non propriæ rei anguſtia, non parentum conditio, non ſeculum genuit. Monſtri profectò ſimilis res eſt, induratos olim laboribus homines, molleſcere in cruce, cui ſe vouerunt. Hos nimirùm ſeuerè monet Afflictus, vir nempè ab illuſtri domo, & maiorum opibus, ac ſplendore conſpicuus, qui inter fratres Laicos adoptatus, dicere cum Regio Vate iure poterat: Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei. Neque habitu, aut nomine tenùs Laicus; ſed officio, ac miniſterio, vt qui in laborioſa, ac viliſſima quæque domus munera indeſeſſo quodam ſpiritu inuolaret; gnarus, nihil eſſe in Dei domo abiectum, &, ſi ſordeſcat pro Deo nobilitas, tunc eſſe ſplendidiorem. Hunc inſpiciant Laici Ordinis fratres, neceſſe eſt, vt eò magis ad domeſticos ſe ſe labores, curaſque excitent, quò longiùs diſtare ſe ab eius conditione, honeſtaque fortuna viderint. Grauiſſimis porrò morbis conflictatus Ioannes Andreas, quos fortiſſimè tolerauit, tandem die Ianuarij tertia in Neapolitana Sanctorum Apoſtolorum domo deſijt viuere non ſine cœleſti quodam munere. Etenim D. Andreas Apoſtolus, quem ipſe præcipua colebat pietate, Pontificio amictu conſpicuus, obiecit ſe ſe morienti, dolores, quibus acerrimè diſcruciabatur, blandè conſolatus. Teſtatam autem hanc cœli illecebram voluit Diuus Apoſtolus attactu humeri, à quo efflari ſuauiſſimus quidam odor cœpit. Perſuaſum & quidam habuere, eundem ipſum Apoſtolum obitus illi diem prænunciaſſe. Siquidem antequàm mortis diſcrimen morbus attuliſſet, viſus peculiari quodam animi ſenſu, ac vi lachrymarum ad illam ſe comparaſſe. Alios itidem non vulgaris diſciplinę, noſtrique moris ſeruantiſſimos abſtulit hoc anno mors, inter quos Genuę ſpiritum poſuit Dominicus Micius, vir integerrimus, ac miræ ſimplicitatis, quam & ſua etiam prudentia comitabatur: eòque cùm noſtratibus, tùm exteris venerationi fuit: vt plerique procerum, ac principum fœminarum in pręcipuis Italię Ciuitatibus eius opera in expiandis, regendiſque conſcientijs vterentur. Sed non eſt, cur longiùs inter exequiarum iuſta immoretur ſtylus, qui aliò iam properat.

Io. Andreas Afflictus diem obit.

Singulare Laicis documentum.

Morienti D. Andreas in conſpectum ſe dat.

Dominicus Micius ſpiritum ponit.

Cœnobium non ſemel aliàs amicorum beneuolentia periclitatum, figitur hoc anno Bononię. Princeps ea Vrbs eſt in Æmilia, Felſinam olim dixere, quà ſtudiorum Athenęis, quà nobilium ordine, ac opibus, quà frequentia ciuium, omnibuſque ſiuè artis, ſiuè arridentis naturę dotibus percelebris. Planè, cùm in pleriſque iam Italię Ciuitatibus noſtratum iam induſtria deſudaret; Bononia, quę in eius ferè meditullio eſt, repoſcere Clericos Regulares iure ſibi quodam videbatur. Itaque iam inde à Gregorij Tertij decimi, ſapientiſſimi Pontificis Principatu cœpta res agitari à Philippo Cardinali Boncompagno, eius ex fratre Nepote; qui, vt erat in omnem pietatem pręclarè animatus, ita noſtrum pręcipuè Inſtitutum ſingulari quadam voluntate proſequebatur; Patruum, ſcilicet, imitatus Pontificem, cuius non vulgare erat in rem noſtram

Bononienſe domicilium agitatur.

Agēte Philippo Card. Boncompagno.

M 2 ſtram

ſtram Theatinam ſtudium; fouebatq. egregia manu Ordinem, collatis identidem in commune commodũ beneficijs. Augere Cardinalis Boncompagnus cùm Patriam ſuam noua religioſorum hominum familia, tùm noua colonia noſtram diſciplinam peroptabat: cumq. accedere pręclaro conſilio Pontificis nutũ, atq. auctoritatem cerneret, ingreſſus in negotium eſt admirabili quadam animi contentione. At enim dum aliam, atq. aliam ſedem perueſtigat, ac nulla ad votum occurreret, vt commodè habitarent Patres, fregere optimos conatus difficultates, ac moræ. Nec minimũ profeçtò beneuolentiſſimi Cardinalis impetus lenta noſtratum voluntas retardauit, quorũ in dilatanda Sodalitate nunquam non prudentior, ac tarda ſedulitas fuit. Rem longo poſt interuallo, hoc eſt, anno huius ſeculi nonageſimo ſecundo, Gabriel Cardinalis Palæottus, eius Vrbis Archiepiſcopus, vir literarum, morumq. cultu, ac pietate longè commendatiſſimus, reſumpſit. Is, cùm aduocare in curarum ſuarum partem Theatinos homines decreuiſſet, vt ad id operis ciues vehementer accenderet, celeberrimũ ex noſtris per Italiam virum, nempè Paulum Toloſam, Bononiam habendis in Ciueralibus eius anni ferijs concionibus accerſiuit. Qui ſanè & famam ſuam præſenti facundia cumulauit, & ſtudia ciuium Ordini mirificè adiunxit; quę conſequenti mox anno adaucta, declamante in principe eodem templo ex noſtris item Paulo Maria Ardizzono Genuenſi, qui Bononiæ quidem, vbi ſtudijs operam nauauerat, ab egregio, acriq. ingenio ſatis notũ, notiſſimus poſtea per Italiam fuit hac in primis ſacræ dictionis facultate, cui nihil ſplendoris detraxit extincta ab ipſis incunabilis oculorum lux. Inflammatis vno, atq. altero hoc eloquentiæ fulmine in noſtrũ Ordinem ciuiũ votis, maturare Palæottus Antiſtes negotium, atq. agitare domicilium cœpit. In qua quidem ſede deſignanda Alexander Cardinalis Montaltus, qui rem tũ Bononienſem ſũmo iure adminiſtrabat, inſignem in noſtros beneuolentiam probauit; ac viſus profectò proludere ampliſſimæ illi magnificentiæ voluiſſe, qua poſteà Romanum D. Andreę templum noſtræ diſciplinæ quàm ſplendidiſſimè excitauit. Siquidem cùm nullum non cerneret obſeſſum difficultatibus locum, attribuere D. Stephani ędem, ſuum nempè Sacerdotium, noſtris hominibus ſtatuit: quam licet Cœleſtini Patres incolerent, perſuaſum nihilominùs habuit, fore, vt loco cederēt, vt ſibi, totiq. Ciuitati gratificarentur: præſertim cũ non ea eſſet domus, aut illorũ in ea cultus, vt graue inde incõmodũ exiſteret, ſi dimitterent. At enimuerò tueri perantiquũ domicilũ, conſiliũ Cœleſtinis fuit; & ne auctoritate ageret Montaltus, Clementis Pontificis Septimi diploma obiecere, quo cauebatur, ne cogi poteſtate, ac vi poſſent, vt D. Stephani cœnobium dimitterēt. Quo quidem ita abruptum negotium eſt, vt quærendę ſedi intenti nihilominùs eſſent cùm pręcipui quidam ciues tùm in primis Alphonſus Palęottus, Gabrielis Cardinalis nepos, Patrui in eo Bononienſis Inſulæ munere Coadiutor, vt aiunt, ac futurus poſtea ſucceſſor, & Horatius Spinula, Prolegatus, ea dignus purpura, quam induit, Theatini nominis cum paucis ſtudioſus: qui quidem, vt egregiè animati in rem noſtram eſſent; ac diligentiſſimè Vrbem inſpicerent, vt idoneus noſtro Inſtituto contingeret locus; tamen quòd difficillimũ omninò eſſet, deſignare ſedem, quæ dilatari poſtea in conſertiſſima Ciuitate poſſet, procedere lento nimis gradu rem oportuit: cùm anno vertentis ſeculi nonageſimo octauo adfuit in tempore, qui ſumma poteſtate negotium feſtinaret. Ferrariam eo anno adiuerat Clemens Pontifex Octauus, vt inclytę eius Ditioni, quam, elato Alphonſo Eſtenſi Ferrariæ Duce, armis vindicauerat, poſſeſſionem iniret, ampliſſimo ſanè ad rem Eccleſiaſticam additamento. Dum Romam reuertitur, accidit opportunè Bononiæ eius mora. Nam qui maximè Theatinum domicilium promouebat Spinula, monitum illum voluit de Clericorum Regularium Inſtituto, Bononiam inducendo tunc agi; rogauitq. vt pro eximio eius in Ordinem ſtudio, & quòd ornamento, atq. vtilitati non exiguæ Vrbi foret Patrum Colonia, iuuaret nutu rem. Fore nanq. vt amoueri difficultates omnes contingeret, ſi propenſam Maximi Pontificis voluntatem quiſque intelligeret. Clemens hanc ſibi cũ gratificandæ Sodalitatis, cui vnicè ſtudebat, tùm diuini cultus Bononiæ amplificandi occaſionem gratulatus, Alphonſo Palæotto, qui, defuncto iam Cardinali Patruo, eam Cathedram capeſſiuerat, ſignificauit, fore ſibi grauiſſimũ, collocari in ea Ciuitate Clericos Regulares, vtq. in hāc præcipuè curā intenderet, iuſſit. Addidit currēti Pa-

Re infecta reſumitur à Card. Palæot. to negotium.

Paulus Toloſa Bononię declamat.

Et Paulus Maria Ardizzonus.

Cardinalis Montalti in noſtra propéſio.

Alphonſus Palęottus, & Horatius Spinula Theatinum cœnobium vrgent.

Fauetq. Clemens P. VIII.

Palæotto ſtimulum Pontificis nutus. Quare nihil intentatum reliquit, vt tandem ſuccederet, quod diù iam agitabatur, Patrum contubernium. Ac primò quidem Patrem Generalem monuit, conſtitutum omninò iam eſſe, vt figerent Bononiæ domum. Suo nempè, ac Ciuitatis ſtudio acceſſiſſe ſummi Patris imperium. Mitteret proindè ex Patribus, qui negotio adeſſent, atque in delectu loci ſuffragium ferrent, vt peragi res ad guſtum, & commodum Ordinis poſſet. Qui eò ſe continuò transferrent; deſignati duo fuere, viri quidem ab omni virtutum laude commendatiſſimi, Innocentius Paleſcandalus, quem aliàs nominaui, & Syluius Brunus, Salentinus, cui, vt in loco ſignificatum eſt, præcipua in tractatione animorum, formandaque pietate vis fuit. Et Paleſcandalus, qui tùm Romæ agebat, Bononienſe iter vnà cum Laici ordinis fratre, cui nomen Paulus Stabienſis, pedes, ſoloque innixus baculo, ſuſcepit: idque, vt ſumptui parceret; quam deindè pecuniam in eius Coloniæ rudimentis, quæ nouerat difficillia plerumque eſſe, impenderet: nihil laborem, laſſitudinem, ac cętera longinquę peregrinationis incommoda moratus, vt naſcenti in præcipua ea Vrbe Theatinæ rei proſpiceret. Igitur excepere adeuntes perhumaniter Archiepiſcopus, & Prolegatus, ac plerique è procerum ordine; quorum planè benignitas, ac beneficentia id ſtatim effecit, vt liquidò agnoſcerent Patres, in beneuolentiſſimam ſe Ciuitatem aduentaſſe. Quo ſtatim loco haud diſſimulanda Cornelij Roſæ Neapolitani, Ordinis Minorum, quos Conuentuales vocant, Magiſtri, rara in noſtrates beneuolentia. Enimuerò, qui Bononienſi Conuentui præerat, non aliò diuertere, quàm in ſuum cœnobium eos voluit; habuitque perindè liberaliter, ac peramicè hoſpites, ac ſi non alienæ diſciplinæ homines, ſed è Franciſcana eſſent familia. Nam præter diuturnum domicilium, menſæque communionem, præbere illos in ſua eccleſia aſſiduas confitentibus aures, ac dicere frequenter ad publicam concionem, permiſit: tùm qui non mediocri valebat apud Bononienſes gratia, iuuare cœnobij erectionem, ac ſitum præcipuis officijs ſtuduit. Quod ſanè extare in noſtris annalibus, æquum eſt, vt rectè facti vigeat memoria, ac tùm Ordinem ipſum, tùm maximè Cornelium, præclarè de noſtra Sodalitate meritum, ac virum ex ſe omni laudum genere ornatiſſimum, nunquam intermorituro grati animi ſtudio, proſequatur Theatina poſteritas. Vt igitur Bononiam tenuere, quos nominaui modò, Patres, luſtratæ quàm diligentiſſimè ædes ſacræ fuere, ac nulla planè viſa opportunior, quàm quæ hæreditarium Gentis Gozadinæ Sacerdotium erat, Diuo Bartholomæo in Portu nuncupata. Frequentiore ſiquidem in Vrbis ſitu cùm eſſet, ſpem etiam faciebat, fore, vt cùm templum ipſum, tùm excipiendis Patribus tectum excreſceret. Rector eius tunc Eccleſiæ Franſinus Gozadinus; acceperatque à Ludouico item Gozadino, qui reſeruatis magnam partem vectigalibus, ceſſerat. Et his quidem, vt tot illuſtrium capitum votis morem gererent, addicere noſtro Ordini ædem, animus erat: ea tamen conditione; vt miniſtrandorum ſacrorum cura, Parœcia enim erat, aliò transferretur; eſſetque gentile Sacerdotium immune omninò ab eo munere: quod & noſtratibus maximè erat in optatis. Vacuam quippè, ac liberam eam ſedem vellent, ne priuatas ſacrorum ſuorum rationes, ac ordinem publica interturbarent miniſteria. Verùm, quod erat rei caput, haud pronior Maximi Pontificis aſſenſus videbatur. Non enim par eſſe exiſtimabat, vt Sacerdotium, cui ſimul & animorum procuratio, & opulenti annexi cenſus erant, ſcinderetur: adeò, vt his quidem vigiliæ, his verò vectigalia, ac prouentus cederent. Qua quidem in re obfirmauerat ille animum; vt commutari, iam conſilium, aliumque agitari locum, oporteret. Cùm Petrus Cardinalis Aldobrandinus, qui noſtris, ac Bononienſi Collegio mirificè fauebat, probabatque D. Bartholomæi ædem, tranſigendum ſumma ope cum Pontifice negotium ſuſcepit, ac breui, ſingulari, qua valebat, dexteritate, ardoreque animi, cùm maximè conclamata videri res poterat, conſenſum euicit; conſignatumque menſe Iulio Tuſculi, vbi tùm Pontifex morabatur, diploma, compoſitis ad Archiepiſcopum, ac Prolegatum literis quàm efficaciſſimis, Bononiam miſit. Communem gratulationem cumulauit Palæottus Antiſtes, mirabili quadam, volucrique celeritate, qua rem confecit. Poſtridiè ſiquidem, quàm allatæ literæ fuere, edito decreto, diuulſa ab ea æde ſacrorum cura fuit, quam in quatuor Vrbis Parœcias ex ęquo diſpertijt, eademque ipſa die, deducente

Rei benè geſtæ monetur P. Generalis.

Qui eò allegati viros impigros

Bononienſium in eos humanitas.

Præcipuè Cornelij Roſæ Ord. Min.

Cui debent noſtri plurimù

Diui Bartholomęi ædes tribuitur noſtris.

Tranſlata aliò Parœcia.

Digitized by Google

ducente procerum manu, eò acceſſit ipſemet, ſolennique ritu noſtros in eius Eccle-ſiæ poſſeſſionem immiſit, incredibili cum approbatione, plauſuque Bononienſium; qui mutatam continuò in decentiorem quandam formam ſacræ eius ædis faciem

Inita à noſtris poſſeſſio.

inſpexere. Coempta nanque attigua domo, excitatus ſtatim exercendæ pſalmodiæ chorus: deſtinatus, adornatuſque excipiendis confeſſionibus locus: expolitæ facien-dis ſacris aræ: inductus parietibus nitor: iuuitque cùm in ea templi mundicie procu-randa, tùm in concinnando pro modò domicilio, nobilis, piæque matronæ, cui no-men Camilla Lucatella, pietas. Vidit hæc noſtros ad Diui Franciſci, excipientes, vti

Camilla Lucatella cœnobij initia iuuat.

memoraui, confeſſiones, dicenteſque ad populum; ac ſciſcitata, quinam ij eſſent, & cuius inſtituti homines? audiuit, ex Clericis Regularibus eos eſſe. Tunc ipſa: me-mini, ait, Vincentium Lucatellum conſanguineum, aggregatum ad hanc olim Soda-litatem, quingentos aureos his Patribus legaſſe, quos ſoluerem ipſa, cùm primùm fundari Bononiæ eorum cœnobium contingeret. Iam, vbi confectam rem vidit, ſol-

Soluto Vincētij Lucatelli legato.

uit eueſtigiò aurum nobilis fœmina, hæres non modò fortunarum, ſed & pietatis Vincentij Lucatelli, quem aliàs dixi, profeſſum publicè Neapoli inſigni cum aſſenſu literatorum iuris prudentiam, tùm Romæ Referendarium, vti vocant, percarum Gre-gorio Pontifici Tertio decimo fuiſſe: demùm ab aula in Clericorum Regularium ſta-tionem emerſiſſe; cui prolixior pietas, quàm vita: migrauitque breui in cœlum, com-pendiaria vſus via. Huius igitur legato ære, & Camillæ fide ſubleuata non minimùm Bononienſis domus initia fuere. Allegata autem mox à Patre Generali ſubſidiaria

Patrum Bononię ſedulitas.

Patrum manu, coli in eo templo aſſiduo cantu Numen, adminiſtrari ſtrenuè, vſurpa-rique ſacra, haberi inſtituendæ multitudini verba, exerceri eccleſiaſticæ functiones ingenti cum diuinorum dignitate, ac ritu cœpere. Tùm peruadere ampliſſimam Vrbem Patres; ægrotis, morientibus præſto eſſe; conuellendis prauis vſibus pro virili incumbere; mortales priuatim, publicè ad honeſta propellere: regebatque hæc eo-rum ſtudia Innocentius Paleſcandalus, qui ſummam apud omnes innocentiæ, ac prudentiæ famam collegerat. Eminebat porrò in ijs curis adminiſtrandis Syluius Brunus, cui neruoſior quidam inerat dicendi vigor, animabantque eius dicta morum probitas, atque omnium exempla virtutum: vt breui conciliauerit ſibi opinionem, amoremque ciuium inſigni cum fructu pietatis. Adauxit verò maximè cùm Eccle-ſiæ, tùm Patrum ſplendorem, atque exiſtimationem Petrus Antonius de Ponte, qui

Petri Antonij de Ponte eloquentia.

conſequenti mox verno ieiunio eò amandatus, concionum inibi curſum inſtituit. Flo-rere iam cœperat inter principes Eccleſiaſtas vir poſtea in hac dicendi palæſtra mul-tarum ſanè palmarum. Quicquid ad perfectiſſimæ linguæ vſum deſiderare ſuperbiſ-ſimum aurium iudicium poterat, reperire in eo erat: præſidia doctrinarum, graui-tatem, cultumque orationis, oris maieſtatem, geſtus, vocem, & quæ dictionem in-flammat, energiam, atque efficacitatem. Certè ingeniorum, ac eloquentiæ mater, atque altrix Bononia habuit hoc anno, quod in viro facundiſſimo miraretur: creuit-que mirum in modum in noſtros homines popularium ſtudium, ac Diui Bartholomęi templo celebritas. Quo quidem in templo tàm fauſtis initijs nobilitato, non modò continuauit ſubindè Patrum nauitas, verùm etiam tantum inibi exercitiorum, ac pio-rum operum ſucceſſu temporum inſtitutum eſt, vt neſciam, an alibi noſtrarum ædiū

Piorum operū in Bononienſi Eccleſia numerus.

actuoſius ſit publicæ pietatis ſtudium. Siquidem conſecratæ magnæ Matri nouen-diales ante eius puerperium feriæ, concitandæ in Virginem, ac Chriſti incunabula ob-ſeruantiæ, quà pompa, & cultu, quà quotidiana ad multitudinem concione, ſolen-ni planè ritu celebrantur. Ad hæc, eidem Deiparæ ornandæ, ſingulis diebus feſtis per annum inſtitutæ è ſerto roſario preces publicæ; quas proximè excipiunt ad populum verba. Tùm ſextis quibuſque anni ferijs ad aram, Chriſto è cruce pendenti ſacram ſummo mane poſt primum ſacrum continenti dictionis officio habetur ſermo, ruſti-cis præcipuè, antequàm ad egreſtes operas exeant, inſtituendis. Qui ſermones Do-minicis diebus eadem hac hora ad aram Virginis habentur. Præterea, Marchionis Vgonis Pepoli, perindè nobilis, ac religioſi viri ſumptu ſecundis totius Quadrageſimę ferijs, expoſita ritu funebri diuina Euchariſtia, excitandæ mortalium commiſeratio-ni, de animorum in Purgatorio cruciatibus peroratur: ſextiſque item eiuſdem qua-drageſimæ ferijs de Chriſti Domini pœnis pomeridianis concionibus agitur. Adde

aſſiduos

aſſiduos in cultu ſacrorum labores, in audiendis pœnitentium noxis contentionem; in priuatis etiam pietatis officijs ſedulitatem, conficies, fructuoſiſſimas profectò eſſe in ea Ciuitate Clericorum Regularium operas, ac vigilias: vt mirum deindè non ſit, ſi tanto cum domeſticæ rei compendio, cùm principum virorum, tùm nobilium fœminarum animos ſibi adiunxerint, quorum inſigni liberalitate, ac munificentia viſa ali ea virtus. Habuit hic ſanè ab ipſis cœnobij rudimentis ſuos diuina Prouidentia administros, qui Theatinæ paupertatis indolem cùm probè noſſent, ſpontè in familiares vſus ſtipem erogabant: idque ſæpiùs, cum maximè deſtituti humana ope omni videbantùr Patres, vt luderet, videlicet, de more noſtro cum Inſtituto Numinis cura.

Viri proceres in noſtros benefici Bononiæ.

Neque verò eo curſu feſtinat ſtylus, quin moram impetret gratitudo, eorum aliquot nominibus raptim ſaltem recenſendis. Fuere hi è Senatorio ordine Blanchettus, tùm Andreas Bouius, Florauantes de Florauantis, Marcus Antonius Pontellus, alijque ſatis multi, quos affectu, ſtudioque viſus anteiſſe Annibal è prænobili gente Pepola, vir pijſſimus, qui ad conteſtandam in nos beneuolentiam id præſertim in more habuit, vt præterijſſe diem nullum vellet, quin adiret noſtros, ac familiariter alloqueretur; cùm interim nullam ſineret dilabi ornandi, iuuandique Inſtituti occaſionem.

Et nobiles fœminæ.

Matronarum autem, quarum pronior in res pias indoles, & maior quidem numerus, & amplior extitit beneficentia, erogatis nempè aſſiduè, & quàm magnificentiſſimè eleemoſynis. Præcipuæ ex ijs fuere, Camilla, quam modo dixi, Lucatella, Pantaſilea de Bonfigliolis, Antonia ab Armis, Laura Buxonia, Camilla Ghisleria, Vrſina de Facies, Geneura Vrſa, Lucretia Maluezzia, aliæque primi nominis, quarum pietati, ac ſtudio impertire Annales noſtri debent, ſi quid æui habebunt.

Porrò huiuſce Collegii progreſſioni non minimum profuere plerique ſtatim ex ea nobilitate in Ordinem adoptati, quorum adulta poſtea ſeges, ac virtus eius incrementa domus mirificè promouit. Dignus planè, cuius hic ſtatim rudimenta ſpiritus narrentur, qui primus Sodalitati nomen inibi dedit. Fuit is Alphonſus Luparus, nobili

Alphonſus Luparus init Ordinem.

loco, atque optimę ſpei adoleſcens, Patrique vnicè carus: quippè vnica illi ſoboles, fortunarum, ac opum hæres; qui cùm in commune bonum, ac Numinis cultum nauiter incumbere recèns Bononiam euocatos, Clericos Regulares cerneret; atque inſigni omnium ordinum prædicatione eorum vigiliæ celebrarentur, incenſus ineundi Inſtituti ſtudio, admitti clàm parentibus poſtulauit. Regebat tùm domum Ioannes Antonius Angriſanus, eximiæ vir prudentiæ, vniuerſæ poſtea Congregationis præfecturam promeritus, cui vt egregius ille flagrantiſſimi Iuuenis impetus placuit, ita periclitandam aliquandiù conſtantiam duxit. Lubrica ſiquidem nimiùm, ac mobilis iuuentus. Induit citò, exuit interdum citiùs bonam mentem, fallitque ardor ille volucris, præſertim in capeſſenda virtute. Ergò cum initi diuinitùs conſilij, ſolidæque mentis ſpecimen Alphonſus dediſſet, aggregatus ad noſtros gratanter fuit Iunio ineuntis ſeculi menſe.

Illi à Patre bellum.

Pater ereptum ſibi, quem in ſpem ſuſtentandæ, amplificandæque domus educauerat filium, haud facile memoratu eſt, quo animi ſenſu acceperit. Si quid Patris ingenium in eiuſmodi caſibus valet, adhibuit ille non ſegniter, nullamque reuocandæ à propoſito ſoboli artem prætermiſit.

Primùm humanitate.

Beneuolentiam primùm admouit: habet nanque vires ſuas, eaſque interdum acerrimas expugnando pectori humanitas: præſertim ſi immixtæ humanitati preces arietent.

Deindè ſæuitia.

Acceſſere conſanguineorum, amicorumque adhortamenta, qui amplificare domus commoda, in quæ ipſe iure ſuccederet, conati ſunt; inculcantes ſeriò, ſæuitiæ quoddam genus eſſe, illam à ſeculo ſugam adornare, quæ non eſſet ſine luculento Patris vulnere. Verùm cùm firmior omninò eſſet Alphonſi conſtantia, quàm vt blanditiæ loco dimouerent, mutare perſonam, ac vultus, ac ſeuerè agere conſtituit Pater: eaque propter non illum ampliùs inuiſere, nullum deinceps paterni moris ſpecimen dare, domeſticis item interdicere, ne adirent, nec aliquid officij, ac munificentiæ impenderent:

Quam riſit Luparus.

Quæ ille, ceu infra ſuperiorem, quam conceperat, mentem, egregiè contemnere, ac gratulari ſibi ab ea velitatione cum carne, & ſanguine victoriam; cui mox inſigne addidit corollarium. Nam bimeſtri antequàm ſolennia vota Deo diceret, abdicaturus bona erat: ac tùm quidem exuto ſupercilio Pater, mentitus alium, perbenignè filium conuenit, idque euicit verborum lenocinijs, vt eius ſibi cederent bona; nulla interim Christi paupe

ribus,

ribus, ac difficillimis ijs cœnobij initijs addicta, vti conſilium erat, fortunarum particula. Pollicitus namque magnificè Pater eſt, fore, vt eleemoſynas ex ſe ipſe quàm largiſſimas impertiret. Quam vbi fidem verbo tenùs obligauit; in villam ſe proripuit, palàm profeſſus, facturum ſe, vt nihil vnquam è ſuis bonis neque filius, neque Theatini Patres libarent. Non hæc Punica Patris fides Alphonſum mouit, qui iam rerum humanarum affectum omnem abiecerat, Illud animum ſolummodò vellicabat, quòd nimiùm naturæ indulſiſſet, dediſſetque Patris potius pollicitationibus aures, quàm Dei, qui æterna ijs promittit, qui peritura hæc pauperibus erogant. Ergò inire viam, qua legata Patri bona vindicaret; captoque à peritis conſilio, reſciſſa abdicatio. Quod ille vbi reſciuit, redijt ad mentem, complexuſque ex animo optimum adoleſcentem, nulla non bonæ fidei teſtificatione cum eo egit, vt conſilium mutaret: qui obfirmauerit licet in eo animum, vt fortunæ ſuæ Deo, & egenis cederent; noſtris tamen adnitentibus, qui, vt paupertati enixè ſtudent, ita nimiæ cupiditatis opinioni maximè cauent, obſignatam antea pro Patre voluntatem, ratam habuit. Hiſce cum ipſa natura conflictationibus præclaram Alphonſus mentem, virtutemque probauit ſuam: admiſſuſque mox ad profeſſionem eſt, quam dum emitteret, illud vir quidam pius teſtatus ex fide eſt, vidiſſe nempè ſe locum illum, vbi de more ſtratus iacebat, lucem quandam, ſplendoremque occupaſſe. Collocare nempè bono in lumine cœlum voluit egregiam indolem, quam omnes inſpicerent, ac mirarentur; oſtenditque, futurum olim Alphonſum, qui exemplorum luce præiret cæteris. Quod ſanè, vt dicam in tempore, omnigena virtutum fruge, humilitate præſertim, ac quodam ardore zeli præſtitit. Atque hæ quidem Bononienſis domus primitiæ.

In bonorum abdicatione luditur à Patre.

Sed luditur Pater ipſe.

Concipit vota Luparus, affulgente cœleſti lumine.

Sed antequàm ad alia gradum facio, ſubnectam hic, eò quòd ſimilis argumenti res eſt, alterius adoleſcentis in profliganda vi ſanguinis, acrique parentum beneuolentia inuictum robur. Neapoli eodem hoc anno menſe Iulio Paulina domus theatrum pulcherrimo huic certamini præbuit, eò fortaſſe iucundius, ac dignius laude, quòd imbecillior eius ætas vix tredecim annos exceſſerat. Fuit is Placidus Frangipanus Mirtus, Neapolitanus, qui ſupra æuum prudens, nuntium præmaturè rebus humanis remiſit, adſcituſque eſt inter noſtrates, ad labores nempè, ac pondus diei, & æſtus hora prima. Pater, qui cùm florem ingenij, tùm reliquam in eo indolem, præclaraſque animi dotes animo præceperat, deſtitui ea ſpe filij vehementer doluit. Maximum Pontificem appellat. Ætatem, non ijs viuendi rationibus, eaque capacem mente, magnis conſilijs peracerbam, mobilem, falli facilem, nec ſui iuris, repræſentat. Sineret proindè Summus Pater pueri voluntatem extra Clericos Regulares probari, ac inſpici. Ergò Patribus Oratorij primùm traditur; deindè Iacobus Aldobrandinus, Troianus Epiſcopus, Apoſtolicus in Regno Neapolitano Nuntius, vt exploraret & ipſe eius ſenſa ſuam in domum tranſtulit. Per aliquot vtrobique menſes verſatus, nunquam niſi ſolidæ mentis, tenaciſque omninò propoſiti ſpecimen dedit. Nihil in eo leuitatem peccaſſe, hauſtumque cœlo conſilium quędam vltra annos maturitas, atque eadem ſemper voluntas oſtendit. Nihil interea temporis, niſi Clericorum Regularium Religionem cogitare, aut loqui; vitam ad noſtri Inſtituti rationem componere; horas ipſas externorum operum ad eam normam diſtribuere. Illud vehemẽter admirationi deſeruijt in eius æui adoleſcẽte, quòd cùm apud Nuntium moraretur, ne indusiũ quidem niſi à Paulina domo admitteret. Didicit pręclaro hoc periculo Pater, præſtantioris quidem indolis filium ſuſtuliſſe, quàm putaret. Quarè à cœptis deſtitit, redijtque ad noſtros triumphalis adoleſcens, qui poſtea cùm ſcientiarum adiumentis, quas profeſſus eſt cum laude ingenij, tùm maximè eloquentiæ fama floruit. Qua quidem dicendi gratia, ac facultate poſtquàm Italiam ſuſpenſam diù tenuit, Hiſpaniam peruaſit; vbi ſermone quidem alius, ſed dictionis præſtantia, ac maieſtate idem, principem vel ipſius inuidiæ confeſſione, inter egregios eius gentis declamatores locum tenuit. Dicemus hæc aliàs, cum Hiſpanicas noſtri Ordinis colonias, quas Mirtus ipſe ſingulari in agendo dexteritate, ac fauore virorum principum, quem facundiæ merito, ac doctrinarum opinione collegerat, fundauit.

Placidus Mirtus ad noſtros adiungitur.

Appellat Pontificem Pater.

Mirti in ſuſcepto inſtituto conſtantia.

Eloquẽtia poſtea clarus.

Vicentiam nunc euocamur, vbi hoc anno, dum in eo cœnobio rem noſtram Philippus Vedoua, vir prudens, adminiſtraret, nonnihil in commune pietatis commodum

Digitized by Google

dum conſerre noſtratum induſtriam contigit. Celebri in Ciuitatis Sodalitio, quod à Deiparæ Virginis vexillo nuncupant, inſtitutionum, legumque forma obſoluerat. Pijs proindè exercitijs, ac pietati ipſi id loci malè erat. Aderant nihilominùs ex eo Sodalium numero viri probi, qui zelo quodam reſtitui intermortuam in eo cœtu diſciplinam cùm optarent, id à noſtris enixè efflagitarunt, vt Sodalitium in clientelam acciperent, legeſque inibi ipſorum aliquis ordinaret, regeretque ſuo nutu omnia. Datum negotium Paulo Maſio, Sacerdoti quà doctrinis, quà morum grauitate, ac religione ſpectato, qui in opus nauiter ingreſſus, præclaris ſtatim ordinationibus, atque inſtitutis excitare eximiam inter Sodales diſciplinam, ardoremque pietatis ſtuduit: eòque tandem perduxit, vt numerari inter inſignia Vicentinę religionis monumenta poſtea cœtus hic meruerit. Conſcripta in eo nobilitas penè vniuerſa, præter honeſtos è reliquo cenſu ciues. Diem, Aſſumptæ in cœlum Virgini ſacrum, principe cultu, ac pompa celebrant. Singulis Quadrageſimæ ſextis ferijs publicas inſtituunt preces, quas habitus à noſtris de Chriſti Domini cruciatibus ſermo vehementer inflammat. Ineunte verò ſanctiore hebdomada, propoſito per tres continentes dies Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſolenni quidem apparatu, concentuque vocum ita inter collucentes faces extincto Saluatori parentant, vt luctuoſa ea ſcena animos ad lamenta, ſuorumque delictorum pœnitentiam excitet. Creuit ſubindè hæc exercitiorum magnificentia; vt nihil iam ad pietatem, ſplendoremque deſideraueris: recurruntque ſolenniores hæ feriæ nunquam ſine prouentu animorum, ac noſtratum gratulatione, quibus partim inſtituere, partim reſtituere id præclari operis contigit.

Vicentię Marianum Sodalitium in fidem accipimus;

Ordinat, regitque Paulus Maſius;

Quæ inibi pietas;

Vicentia Placentiam excurrimus, vbi per id tempus noſtri homines rem benè gerunt, & cùm priuatim, tùm publicè ſedulam iuuandis proximis operam nauant. Cui quidem induſtriæ meritò aderat piorum manus ea beneficentia, ac ope, vt cùm ſuſtentandæ familiæ eleemoſynæ ſatis eſſent, excitandæ etiam nouæ eccleſiæ adiecerint Patres curas ſuas. Placentinum Diui Vincentij templum, quod principio addictum noſtro Inſtituto fuit, incommodo quidem, nec frequenti ſatis loco erat; ita tamen, vt ſi ad aliam eiuſdem ſitus partem transferri contingeret, in principe quidem eſſet Vrbis regione, ac conſulari via, quam Curſum appellant. Id porrò ab ipſo eius cœnobij initio ſibi propoſuerant Patres, vt & ampliorem ſuis vigilijs aream aperirent, & celebrem illum Ciuitatis locum magnifica etiam baſilica illuſtrarent. Coemptæ ex interuallo ad eam partem domus: cumque tantùm iam ſitus acceſſiſſet, vt deſcribi, atque inchoari ædificium poſſet, cœptum hoc anno excitari inſigni cum approbatione, ac ope ciuium; qui quò ſurgere magnificentiùs templum cernerent, eò liberaliore manu continuando operi præſto erant. Abſoluta intra duodecim circiter annos ædes ea eſt, quæ ſanè inter præcipuas noſtri Ordinis eccleſias & amplitudine, & forma numerari iure poteſt. Tripartitò ſiquidem, columnis maiores hinc inde arcus ſuſtentantibus, diuiditur; patetque eccleſiam ineuntibus aditus item triplex. Ordo ædificii ad omnem elegantiam Doricus. Incubat supernè Emiſphærium, amplum illud quidem, ac ſanè pulcherrimum, ſuiſque etiam tholis ſacella veluti coronantur. Extima item facies ornatiſſima, imminetque celebri viæ, quam appellatam à Curſu diximus. Denique exactum ad omnes artis numeros templum. Et Odoardus ipſe Farneſius Dux, acri ingenio Princeps, cùm morari Placentiæ contingeret, non aliam adire libentiùs eccleſiam ſolitus erat; quòd diceret, videri ſibi longè ſumptuoſiſſimã, ducebatque eò exteros etiam Principes, vt ſuo iudicio plauderent. Anno verò huius ſeculi, in quo viuimus, tertio decimo, Iunio menſe, die Apoſtolorum Principibus ſacra, itum è veteri in nouam hanc baſilicam ſolenni pompa. Enimuerò, deducente frequentiſſimo eius Ciuitatis Clero vnà cum ordine, ac populo Placentino, eò diuinam Euchariſtiam tranſtulit Claudius Rangonius Antiſtes, noſtri Ordinis ſummè cupidus, genere, atque animi partibus nobiliſſimus, fecitque Pontificio ritu ad aram; quę ſacra excepit Pauli Areſij ex noſtris, poſtea Epiſcopi Derthonenſis, habitus è ſuperiore loco ſermo, diſertiſſimè quidem, atque ad ſolennem eam lucem appoſitè; eodemque ipſo die celebrare noſtrates templum Theatino more, pſalmodię nempè vſu, ac myſteriorum tractatione occœpere, cùm eam domum regeret Iſidorus Macedonius, qui tùm maximè Rangonij Epiſcopi, ac ciuium omnium ſtudia ſibi deuinxerat,

Placentię Eccleſia excitatur ſitu frequẽtiore;

Deſcribitur.

Eò immigrant Patres.

Digitized by Google

ſacra nimiùm facundia, qua principe in templo communi cum admurmuratione, declamauerat. Conſecrata deindè ea baſilica eſt, die Octobris menſis tertia; & vigeſima voluentis ſeculi anno ſextodecimo, fauſtè quidem, atque incredibili cum affluxu populorum ab eodem Epiſcopo Rangonio: extatque rei teſtis ſupra portam templi principem in interiore nimirùm parte lapis in hæc verba.

Conſecratur;

VINCENTI MARTYRIS INCLYTI
HOC TEMPLVM ESTO
CLERICI REGVLARES A' SOLO EXTRVXERVNT
CLAVDIVS RANGONIVS ANTISTES
SOLENNI CONSECRAVIT RITV
RAYNVCIO FARNESIO DVCE.
M. DC. X V I.
INTEREA ÆDES COELICOLÆ EIVSDEM VETVSTA
NON SINE NVMINE EST NEC SINE NOMINE
QVAM OLIM BEATVS ANDREAS AVELLINVS
CLERICVS REG. ET PRÆPOSITVS
VTENDAM ACCEPERAT, FRVENDAMQVE
A PAVLO DE ARETIO EIVSDEM CLERICO COLLEGI
PLACENTINOQVE EPISCOPO ET CARDINALI
QVEM IN SACRA VTRAQVE DIGNITATE
EX EADEMQVE FAMILIA
ANTECESSERAT BERNARDINVS SCOTTHVS.

Exædificatur poſtea Placentina domus,

Poſt templum, quod æterni Numinis domus eſt, & ſuam cogitarunt domum Placentini Patres, vt eſſet religioſæ diſciplinæ quoddam à contubernij opportunitate laxamentum. Quare cœptum iam olim exædificari, abſolutum tractu temporis domicilium eſt, intra modeſtiam ſplendidum, cuius ſi partium ordinem, ac vſum, ſi ipſum domus aditum, atque opportuniſſimum adeuntibus periſtylium, ſi bibliothecam, loci forma, & librorum numero ampliſſimam ſpectes, nulli penè è noſtris domibus concedit. Adiacet præterea animorum remiſſioni hortus, quem diſtractus à flumine riuus interluit, fœcundatque: planè vt nihil ad religioſarum ædium commodum, atque amœnitatem deſideres.

Fundamentum Neapoli ponitur D. Mariæ Angelorum,

Poſita itidem Neapoli nobiliſſimæ baſilicæ fundamenta habemus, ſed Aprili menſe inſequentis anni, nempè Diuæ Mariæ Angelorum, ad eam Vrbis regionem, quam olim montem Herculeum, nunc Æglen vocant, ſitu, aere, ædificijs præcipuam. Quod innuiſſe id loci ſatis ſit. Nam inchoatam magnificentiſſimæ huiuſce eccleſiæ exædificationem, lactumque ſolenni ritu primarium lapidem, diximus ad annum octuageſimum ſeptimum ſupra ſeſquimilleſimum, cùm de eius cœnobij erectione, auſpice Conſtantia Caretta, Sulmonæ Principe, iuimus narratum. Alia adnotanda modò ſunt, quæ accidère hoc anno ſeculari ſacro, qui dum ſeculum fauſtè claudit, aperit feliciùs Eccleſiæ, cœlique theſauros, Clemente Octauo, ſummo ſacrorum Antiſtite, euocante ad Romanam Vrbem, ac pietatem Chriſtianum orbem. Planè, quòd expeditum eſſet per Europam iter, nec latiùs adhuc inſonarent, aut abſterrerent Principum arma, frequentata, vt cum maximè, ſtata hæc anni ſacri ſolennia religione populorum, gentiumque ferè omnium affluxu fuere. Pontifex nullum non publici Parentis, ac ſanctiſſimi Pontificis ſpecimen dedit, pietate, ac munificentia ſingulari. Adeuntibus ſacra peregrinis vt benè eſſet, ſedulò cauit. Eoſdem ipſe peregrinos inuiſere, poſita Pontificia maieſtate, ac cultu, pedes abluere, atque exoſculari, miniſtrare accumbentibus, adhortari, ſtipem elargiri. Vaticanæ item Baſilicæ adeſſe, atque aduentantium confeſſiones excipere. Hoc ipſum vt Auguſti Patres, Romanique Antiſtites obirent, exemplo monere, ac voce. Ferunt, pleroſque è fæce hæreticorum, quos Romam celebritas, atque ipſe concurſantium mortalium æſtus pertraxerat, ad hæc Pontificis, Patrumque officia, ac publicæ religionis ſpectacula repentè mutatos, dediſſe Chriſtianę fidei manus, ac nomen. Inter quos vnus fuit Geneuenſis

Clementis Octaui in anno ſacro pietas,

Hæreticorum Romæ conuerſio;

mini-

Digitized by Google

miniſter, qui ad ſex, & triginta ſui aſſeclas ad frugē ab ea rerū facie, & sāctitate reuocatos, ad sāctiſſimi Patris pedes adduxit, veniāq. corruptę fidei, moriſq. acatholici impetrauit. Porrò excitādę religioni cū nihil in Vrbe prętermitteretur; sū sacri pręſertim Ordines, quē è ſuis cōcionatoribus diſertiſſimū, ac celebrioris eloquētię, ſamęq. virū agnouere, Romā cōcionibus eius anni Quadrageſimæ ferijs habēdis, amandarunt. Pulcherrimū ibi, vt pietatis, ita & facundiæ theatrum cernebatur. Suus cuique templo Tullius, ſed religioſus, ac ſanctior: quorū facultatem acuebat, incendebatque vehementiùs quædam æmulatio. Ex noſtris deſtinatus ad D. Andreæ Paulus Toloſa, qui ſanè in eo dictionis, atque excellentium capitū certamine, & linguę præſtantia; & plauſu populorum, & animorum fruge principem omninò locum tenuit. Occupanda tempeſtiuiùs ſubſellia erant pręcipuis etiam viris, augebatq. pręſertim concioni ſplendorem, ac ſamā præter cæterę aulæ, atq. Antiſtitum florem, multiplex quotidiè Purpura: gaudebantque ij ordines abſterreri ab eo fulmine, quod non abſque aurium, atque animorum illecebra fulgurabat. Illud ad Toloſæ commendationem planè magnum, quòd nihil eo anno adeò moleſtum accidit, quàm eius Quadrageſimæ finis, cum quo ſiluit publica, atque admirabilis ea vox. Quocirca vt reguſtaret Roma delicias ſuas, ad quamplurium ampliſſimorum Patrum preces inſtaurari ab eo palœſtram, atque officium dicendi per æſtiuos calores oportuit: idque in Diuæ Luciæ templo, vbi Dominicis quibuſque diebus pomeridianas inſtituit alloquutiones. Argumētū diuinus amor fuit, iucundiſſimū ſanè, ac temperando moleſto ſyderi accommodatū, quod ille ſupra quàm dici poteſt diſertè, piéq. verſauit: accurrebantq. mortalium ordines eo quidem ſtudio, atq. audiendi cupiditate, ac ſi tùm primū ad Romanam multitudinē Toloſa ageret. Neque verò ad eius exiſtimationem, ac decus parum eſt, Clementem ipſum Pontificem, ne tantæ eloquentię voluptate, fructuq. careret, audire dicentem voluiſſe. Enimuerò iiſdem magni ieiunij ferijs, etſi Vaticanus de more Concionator publicè diceret, priuatim nihilominùs vſurpare ſecretiore in conclaui præter Pontificum morem perorantem Toloſam non ſemel geſtijt, eximia cum approbatione, ac laude. Quiquidem Pontificis affectus, quem illi ſermonis gratia conciliauit, tùm reliqua eius virtus, ac præſertim morum grauitas, et perſpecta eidem Clementi prudentia effecit, vt cum demandata hoc anno eſſet Petro Card. Aldobrandino Gallica ad Henricum Quartum Legatio, inter ſummos viros, qui Legatum deducerent, eique in grauiſſimo eo negotio adeſſent, deſtinatus Paulus Toloſa: quod modò breui narratione expediam.

Paulus Toloſa anno ſeculari declamat Romæ.

Et poſt Quadrageſimam conciones veſpertinas habet.

Et coram Clemente Pont. priuatim dicit.

Inter Gallum & Sabaudum controuerſia.

Agebatur inter Gallorum Regem Chriſtianiſſimum Henricum, & Carolum Emmanuelē Sabaudiæ Ducem de Saluciæ Principatu, quem, ceu Gallorum Regibus debitum, vrgebat Henricus reſtitui. Dirimendæ tantæ molis controuerſiæ lectus idem ipſe, qui communis eſt rerum humanarum arbiter, Romanus Pontifex: qui quidem, quòd deſperaret poſſe pro paternæ charitatis officio partes amicè componere, comperendinata ſæpiùs cauſa, tandē à ſe abdicauit. Sabaudus, cùm obfirmatum Henrici animum in vindicanda Ditione cerneret, illud opportuniſſimum fore exiſtimauit; ſi Regem ipſe conueniret, peroraretque coram controuerſiam. Conficit nanque pręſens plerumque auctoritas, ſiuè facundia, quod raròimpetrat internuncius. Verùm quòd de amplificando Principatu agebatur, quæ princeps eſt Regum cura, haud ſanè proſperiorem euentum res habuit. Quocirca viſus non alio quidem operæ pretio, quā oſtentandæ ſuæ ſupra regiam magnificentiæ, acceſſiſſe in Galliā Sabaudus, vſq. adeò comitatu cultuq. nituit. Exhibita viciſſim illi in celeberrima ea aula ſplendidiſſima humanitatis officia, datiq. publicæ hilaritati, atq. hoſpitis magnitudini equeſtres ludi, theatra, pompę. Cœterū, quod ad cauſam attinet, fixum erat, reddi Salucianam Ditionem; idque ſolummodò temperatū, vt quando non vltra montes extendi Gallorum imperiū vellet Sabaudus, eius vice, quæ intra Ararim ac Dubim iacet, Breſsam ad proximas Iunij Kalendas cederet. Quæ quidem conditiones ita acceptę, obſignatæq. à Sabaudo fuere, vt liberare deindè fidem ſuam detrectauerit. Quocirca, quæ diſſoluendæ inter Principes litis potiſſima ratio eſt, indictum, ac mox illatum felici armorum impreſſione bellum in Sabaudiam eſt. Aderat Rex pugnaciſſimus, vt certius ſua ipſę fulmina euibraret. Inuolatum in munitiſſimas ſtatim arces,

Sabaudus in Galliam.

Indictum à Gallo Bellū.

Digitized by Google

momentóque occupatę : euerſa vi tormentorum Vrbium mœnia : direpta oppida : edita mortalium ſtrages : ſæuitum æquè ferro, ac flammis : cùm interim acerbiora illud belli rudimentum minaretur. Pontifex, cuius munus eſt, latè circumſpicere, ac cauere, ne quod Chriſtiano Orbi malum ingruat, vidit ab editiore illa Romanæ Sedis ſpecula, non modò quæ Sabaudum pulſabat clades, verùm etiam, quæ portendebat Italiæ, totique Europæ incendia fax illa, ac turbo Gallicus. Ac tùm ex ſe ipſe, tùm aliorum officijs incenſus, qui maximè Italicæ rei cauebant, meditati maturiùs remedia, antequàm vitaliores corporis partes fertum inuaderet. Eapropter, vt funeſtiſſimum illum victoriarum curſum ſiſteret, legationem ad Henricum decreuit; deſtinauitque muneri Petrum Cardinalem Aldobrandinum, quem Pontificatus, adeòque Orbis negotijs innutritum, nouerat ſummæ rei parem; nec dubitabat, fore, quin Pontificis nepos adderet legationi momentum; commendaretque Regi efficaciùs Apoſtolicæ Sedis curas, ac vota is, qui tàm proximè illam attingebat. Iam verò, vt ingenti apparatu, ac pompa obeundum ſummum id munus erat, ita præſtantium etiam virorum comitatu, ac virtute opus erat, vt verſandis, conſulendiſque maximis negotijs ſuus adeſſet Legato Senatus. Lectus igitur Romanæ prudentiæ, ac aulæ flos, qui Aldobrandinum in Galliam deduceret, eiuſque iuuaret conſilia, & curas. Inter quos par hominum præſtantiſſimorum, paupere quidem cultu; quippè è ſacris familijs, maximè enituit: Anſelmus Marzanus, Monopolitanus, Capuccinus, poſtea Cardinalis, & Paulus Toloſa ex noſtris; Pontifici vterque ab eloquentia, atque innocentia vitæ, vſuque rerum commendatiſſimus: quorum alter, nempè Monopolitanus, vt qui iam Pontificij concionatoris munere fungebatur, eodem hoc titulo inſignitus à Legato fuit; alteri verò maioris Pœnitentiarij officium, ac nomen contigit. Et quod ad Toloſam attinet, peculiari quodam ſtudio Aldobrandinus illum complectebatur; vt intima quæque cum eo communicaret; oſtenditque propenſam hanc voluntatem cùm in curſu ipſo legationis, tùm antequàm Roma diſcederet. Enimuerò poſtridiè quàm eius ſupremi muneris inſignia publicè acciperet, celebraretque de more, Romana aula deducente, profectionem; in Diui Siluestri cœnobium ſe recepit; vbi Toloſa agebat, ordinauitque rem domeſticam: præcipuè, vt quoslibet à longo, ac difficillimo itinere caſus anteuerteret, teſtamenti tabulas confecit.

Cui Pontifex occurrit. — *Deſtinauitque Legatū Card. Aldobrandinū.* — *Quem præcipui viri comitantur.* — *Et Toloſa.* — *Aldobrandinus in D. Siluestri domo teſtamétum conficit.*

In Gallia verò oblata viro diſertiſſimo occaſio fuit eius aulæ amorem, opinionemque ſibi conciliandi. Lugdunum cum Legato peruenit, quo tempore Maria Medicæa, ornatiſſima Heroina, Ferdinandi Magni Etruriæ Ducis neptis eò appulerat, eiuſque cum Henrico Rege nuptiæ celebrabantur, quarum quidem ceremonias Florentiæ fauſtè peregerat Pontificis nomine Aldobrandinus: ac tùm quidem inter flagrantia populorum ſtudia ad aram maximam principis templi, Regijs Sponſis benè precatus, ſolenni ritu conſecrauit. Regina Maria addicta cum primis Toloſæ erat, vt qui Florentiæ diù moratus, ſua virtute, ac dicendi laude Mediceæ Domus gratiam demeruerat, fuerarque apud Ferdinandum ſummo loco, cuius etiam filiam Catharinam, Mantuæ poſtea Ducem, rara Principis humanitate, è ſacro fonte ſuſceperat, vti aliàs memoratum eſt. Quare qui gratulatus Florentiæ Francicum Principatum, ac ſceptrum ſemel fuerat, hoc idem officium præſtare iterum Lugduni licuit, arridente ſemper Regina ad cariſſimi capitis obſequium. Quæ quidem cùm excellentem eius facundiam probè ſciret; vt vſurparet ipſa, ac ſua Gallia, id ſe habere in votis, ſignificauit, vt ad populum ageret. Quod & probauit ſummoperè Legatus, vt quos ipſe ex Italia eloquentiæ Antiſtites attuliſſet, Galli, huic præcipuè dicendi ſtudio addicti, intelligerent. Summo declamatori ſolennior perorandi dies contigit; nempè Dei cunabulis facer; dixitque poſt veſpertinas eius diei laudes, præſentibus Rege, ac Regina, Legato etiam, ac Lugdunenſibus ordinibus, populoque. Diuini Puerperij, ac corporati Numinis myſterium doctè verſauit: tùm flexo ad rem præſentem ſermone, ad pacem diuertit. Nihil eſſe, ait, tùm quidem Chriſtianæ Reip. intempeſtiuius, ac pernicioſius, quàm armorum conſilia. Turcicam potentiam promouiſſe in Pannoniam gradum, ac pergere: neque expectandum, vt in intima Europa, quemadmodum Iſtrum, ita & Rhenum, aut Padum bibat eius equitatus. Diſſentientibus inter ſe ſe orthodoxis Principibus, velificaſſe feliciùs, atque amplificaſſe tyrannidem ſuam commu-

Regum nuptiæ in Gallia. — *Reginæ perca tus Toloſa.* — *Qui Lugduni publicè declamat.*

communem illum hoſtem: teſtes florentiſſimas Prouincias, ac Regna, quæ intra centenarium Ottomanis acceſſerant. Nempè bellorum aleam nunquam ſine Chriſtianæ rei iactura luſiſſe: cæterùm lucrum omne barbarorum eſſe, quorum ea indoles eſt, vt cum rarò, ac parum perdant, retineant tenaciùs, quod ſemel occupauerint. Effudit ſeſe copioſiùs, atque ardentiùs in id argumenti vis illa dicendi flexanima. Tùm optimi Pontificis adhortamenta addidit, & Orbis vota. Memorat diſertè quidem celeberrimam hanc concionem a Petrus Matthęus, cuius hic libet pauca hæc verba ponere, vt quos fecerit motus animorum Italus ille Pericles, cognoſcat lector. Oſtendit, inquit, iſthęc oratio, nihil eſſe eloquentia potentius. Dictionem vir facundiſſimus igne quodam animauit, ac flamma, eoque planè ſpiritu, vt non ſic Athenienſes iudices inflammati in reum, in quem Ariſtides declamauerat, è ſenatu exierint, quemadmodum Galli ad Regis pedes aduoluti, pacem efflagitarunt. Hęc Ille, ingenti quidem cum Toloſæ laude, quem in Gallia iterum repetam, cùm interim is ipſe Neapolim ſtylum vocet, vbi excitatum præſtantiſſimum opus fuit eius potiſſimũ conſilio, ac ope ineunte eodem hoc anno, antequam Romam proficiſceretur.

Quid de eo Petrus Matthæus.

a Hiſt. Gall. lib. 3. narrat. 5.

Neapoli prę clarum opus iuuat.

Agebat in ſacrarum Virginum Collegio, quod à Diuo Hieronymo nuncupatur, tertij ordinis Diui Franciſci, Euphroſyna à Sylua, quà virtute, quà genere longè nobiliſſima, Toloſæ, eiuſque clientelæ intimè addicta: quæ quidem, quos geſtaret generoſo in pectore ſpiritus, & quos feciſſet olim in pietate excolenda progreſſiones, in ipſo ineundæ regularis diſciplinæ conſilio commonſtrauit. Quippè cùm & fortunis, & pręcipua conſanguinitate inſtructam Biccari Comiti, florentiſſimo è gente Caracciola Iuueni, Ferdinandi Airolę Ducis filio primo loco genito, Mater iam deſpondiſſet, ipſa ſponſum longè nobiliſſimum meditata, ſplendidiſſimas nuptias, amoremque ſeculi omnem contempſit, eo quidem ſpiritu, vt neque Matris adhortamenta, neque conſanguineorum preces pręclaram, celſamque eam mentem vicerint: cumulauitque conſtantię, conceptęque pietatis laudem, cùm, ferro ipſa arrepto, in comas ſuas inuolauit, præciditque. quo quidem & domeſticos impetus pręclarè luſit, & pretium fecit crinium auro, quod nunquam profectò fulget pulchiùs, quam cùm contemptus, ac ferrum conſecrat. Ergo adlecta inter Diui Hieronymi ſanctimoniales Euphroſyna, cùm aliquandiù eius Aſceterij obſeruantiam cum laude coluiſſet, pertentari acriore quodam ſtimulo, ac flamma cœpit: tùm perfectiorem viuendi formam, ac paupertatem, quę ad ipſam Diui Franciſci regulam propiùs accederet, cogitare. Quod ipſa conſilium conceperat, pleriſque è ſacris ijs Virginibus aperuit, quę quidem, vt facile eſt, propagari bonam mentem, mutuo quodam igne excitato, viſę continuò ad arctius inſtitutum exardeſcere. Proſeminauerat ſanctiores hos in Euphroſyna impetus Toloſa, cui illæ pręcipuę partes inerant, vt priuata virtutum commẽdatione animos ita afficeret, vt adfectare vehementiùs diuina, ac ardua viderentur. Enatam ſuo ſatu, ac opera ſegetem, excolere is cum primis ſtuduit, ac propoſito pręclari operis fructu, nouas admouere Virginum animis faces: quoad confirmato, adultoque iam conſilio, agendum duxit, vt recentem morum formam, ſiuè reformationẽ, quam tenebant votis, effectus commendaret. Rem ad Alphonſum Cardinalem Geſualdum detulit, illique vſque adeò opus, ac Virginum pręſtantiſſimarum, pręcipuè Euphroſynę inſtitutum probauit, vt commendata ille prolixiùs inſigni ea mente, peragendam apud Romanum Pontificem rem eximio cum ardore animi ſuſceperit: aggreſſuſque mox ſtrenuè negotium, etſi, quod magis perſępè rebus contingit, non defuere impedimenta; confecit nihilominùs, impetrauitque, vt inſtituto exercendę ſeueriori Diui Franciſci diſciplinæ nouo Aſceterio, eò ſacrę illę Diui Hieronymi Virgines immigrarent. Paulo Toloſę curæ fuit ſitus, locique delectus, qui tùm quidem non ad votum, ſed pro modo contigit, ad eam nempè Ciuitatis regionem, quam à Conſtantinopoli Neapolitani vocant: vbi coëmptis domibus, atque ad cœnobij formã clatratis, inſtructa ſacris peragendis ędicula quędam fuit, Sanctiſſimę Trinitati nuncupata: quò ſub initium ſecularis huius anni die, Diui Pauli Conuerſioni ſacra, Euphroſyna à Sylua vnà cum Fuluia Caracciola, Airolę Ducis ſorore, nouemque alijs eiuſdem item Sancti Hieronymi cœnobij monialibus, ac nouitijs omninò ſex, incredibili cum Neapolitanorum aſſenſu, ac laude ſe tranſtulit. Cœpta inibi, Toloſa adgubernante,

Euphroſyna à Sylua.

Mundo renunciat.

Arctiorem vitam cogitat.

Toloſę impulſu, ac ope.

Impetratur Romę de nouo cœnobio aſſenſus.

Eò immigrat Euphroſyna cũ ſocijs.

Digitized by Google

bernante, arctior diſciplina ad Diui Franciſci amuſſim, ac normam ſtatim coli, communi ſcilicet vita, exactaque paupertate, atque egregia rerum humanarum contemptione: manauitque breui in Neapolitanam Ciuitatem ingens loci fama; vt lectiſſimæ ſtatim Virgines, ſpreta generis, ac natalium ſorte, eiuſque ſtrictioris conſuetudinis, vitæque laude incenſæ, aggregari ad illas poſtulauerint. Ab hoc verò ſitu Conſtantinopolitano, vbi laxari monaſterium ob viciniæ celebritatem nonniſi ingenti ſumptu, ac difficillimè poterat, ad aliud ſe ſe contubernium Chriſti anno octauo ſupra milleſimum, & ſexcenteſimum tranſtulere; nempè ad montis, quem à Diuo Martino vocant, radices, opportuniore ſanè loco: quippè qui ab hominum frequentia remotior, ampliſſimam parere exædificationi aream potuit: excitatumque ibi collegium ſubindè eſt ea quidem molis magnitudine, ac elegantia, vt neſciam, an aliud Neapoli magnificentius extet. Ipſa in primis ſacra ædes in orbem extructa; parua ea quidem, ſed quæ peregrino marmore, picturiſque ad miraculum exculta, compendium quoddam eſt ſumptuoſi operis. Ipſummet eius veſtibulum columnis, ac cœlaturis pulcherrimè exornatum, ſtatim oſtendit, quis ſit in adytis, ac in templo ipſo ſplendor, ac cultus. Illud huiuſce Gynæcèi magnificentiam maximè commendat; quòd cùm pleræque Neapoli ſint eiuſmodi ſanctimonialium ſubſtructiones, regio planè ſumptu excitatæ, Mariam Auſtriacam, Philippi Quarti Hiſpani Regis ſororem, Vngariæ Reginam, cùm in Germaniam Neapoli pergeret, præter Diuæ Claræ cœnobium, ab Neapolitanis olim Regibus extructum, huiuſce duntaxat à Trinitate monaſterij videndi cupiditas cœperit; exceptaque eo cultu, quo Auguſtam Reginam, Romanique Imperij candidatam decebat. Sed hæc externa. Illud pulchriùs: nempè religioſa ad vnguem obſeruantia, ac Franciſcani moris cultus, qui Euphroſynæ auſpicijs, ac Pauli Toloſæ ductu cœptus, floret nunc inter ea ſepta ad Neapolitanæ Ciuitatis exemplum, ac decus.

Sedem ad D. Martini mont. ſis radices mox figunt.

Excitato inibi monaſterio magnificētiſſimo.

Quod Maria Auſtriaca inuiſit;

Hæc Neapoli, vnde Veronam excurrimus ad Diuæ Mariæ à Glarea, quod quidem templum ſupra veteres Vrbis muros extructum, cùm non minimùm à ciuium frequentia diſtaret, iam vſus commonſtrauerat, haud eſſe noſtratum induſtriæ, ac laboribus accomodatum. Quapropter quædam oborta de eo ſitu diſceptatio eſt. Enimuerò ex vna quidem parte haud deſerendus videbatur locus, in quo cùm laxiùs quidem habitarent Patres, amplificari etiam domus poterat. Præterea, cùm religioſis viris perneceſſaria quædam ſit inter ſepta domeſtica animi remiſſio, ne ſæpius, quàm par eſt, cogantur foras reficiſ qui inibi ſunt horti, perampli ij quidem, amœnique, opportuni ſatis communi recreationi videbantur. Nec parui deindè ponderis viciniæ preces erant, cuius incolis, non mediocrem à noſtratum conſuetudine fructum expertis, nihil moleſtius erat, quàm illos commutare ſedem. Ex altera verò parte quærendum frequentius domicilium, ſuadebat proximorum ſtudium; inuitabatque maximè Valerius Cardinalis Veronenſis, à cuius beneuolentia Diui Nicolai in celebriore ſitu Eccleſia vltrò offerebatur; & vrgebant plerique etiam viri proceres, qui propiùs accedere tàm frugiferas Patrum curas vellent. Expenſæ hinc inde rationes ſuſpenſos noſtratum animos diù tenuere. Hoc verò anno cùm rem noſtram Veronenſem adminiſtraret Dionyſius Lanfranchus, vir prudens, in eam venere ſententiã Patres, vt Mariano cœnobio minimè dimiſſo, Diui Nicolai ædem acceptarent. Lubricam nempè occaſionem eſſe; vt oblata ſemel, non illam poſtea arripias, ſi dilabatur. Sic vtrique viciniæ fieri ſatis, nouamque dari noſtris vigilijs ſegetem. Indicatutum deindè diem, quid facto opus eſſet: alterutrum ſiquidem dimittere in promptu ſemper futurum. Itaque inita noui domicilij poſſeſſio, eòque ſtatim miſſi, qui ſacra facerent, exciperentque aduentantium confeſſiones. Parœcia ea erat, eoque interim tempore defunctus Rector. Quare quòd noſtras cùm vitæ, tùm ſacrorum rationes externæ eæ curæ non minimùm perturbarent, transferendum beneuolentiſſimus Cardinalis aliò munus curauit, ac tranſacto Romæ negotio, obſignatiſque ea ſuper re literis Pontificijs, immunis omninò Patribus, ac libera ædes ceſſit. Periclitari diù oportuit, vtra domorum feliciùs ſuccederet. Etenim Diui Nicolai ædes, etſi magis quidem idonea, tamen quòd cædere, quæ attiguæ erant domus, ſui domini minùs vellent, proindèque ampliari cœnobium nequiret, addubitabant vehementer

Veronenſis domus à Glarea in examen venit

Retinetur, & alterum initur D. Nicolai domicilium,

Tranſlata aliò Parœcia,

Patres,

Patres, ne conſiſtere inibi ob loci anguſtiam poſſent. At enimuerò, quòd nihil non tempus, ac patientia emolliat, cöemptæ tractu temporis pleræque adſitæ ędes fuere, laxatumque domicilium, ac ſtructa poſtea magnificè eccleſia: creuitque vſque adeò in noſtros homines Veronenſium beneuolentia, ac pietas, vt proniore quodam affectu complecti Theatinum Inſtitutum, ac nomen videantur.

Quę domus poſtea ampliatur,

Quædam nihilominùs excitatæ ſucceſſiuè in hanc Diui Nicolai domum controuerſiæ fuere, non tàm illi euertendæ, quàm confirmandę. Ac prima quidem intentata lis fuit ab Auguſtino Bettino, cui Diui Nicolai Sacerdotium contigerat. Tranſlata ſiquidem aliò Parœcia, retento cenſu annuo, abierat in ſimplex ſacerdotium Parœcialis Eccleſia. Perſuaſerat is nempè ſibi, quà Rector, quaſdam ſtatis temporibus vnà cum Veronenſi Clero, quem intrinſecum vocant, obire in noſtra eccleſia functiones poſſe: quod fuiſſet nobis omninò moleſtiſſimum. Et quamquam, impetrato Romano olim nutu, aliò tranſlatæ illæ etiam anniuerſariæ ceremoniæ vnà cum Parœcia fuere: tamen haud difflari facilè potuit controuerſia, donec eo defuncto, viſum vnà cum extincto Rectore extinctum penitùs diſſidium. Alter duobus poſt annis perindè iniquus turbo excitatus à quodam Equite Veronenſi fuit. Peracti is in noſtrates pugna cogere eos contendebat, vt domos ſuas attiguas magno emerent. Fraudem proindè apud Venetum Collegium adornauit; obſignataque falsò procuratione, in id conſpirare, collatis vnà votis, ac nominibus viciniam, docuit, vt quę diuulſa iàm erat Parœcia, rediret in ſua membra, adminiſtraretque priſco ritu ſacra Parochus; ac interim abſtinerent ædificio, tractandiſque myſterijs Clerici Regulares. Sed viri calumnia ſapientiſſimis Collegij Patribus ſtatim ſuboluit, productis à noſtris hominibus tabulis, eiuſdem viciniæ inſignem in noſtrum Ordinem beneuolentiam, ac prona omnium vota conteſtantibus. Eques non ita poſt multò fato conceſſit; actumque nobiſcum mitiùs in ea domorum acceſſione. Tertia mox propulſanda, & quidem vehementior, conflata à Seruitis Patribus tempeſtas, quos, quę conciliare beneuolentiam deberet vicinitas, in noſtrum Inſtitutum acriùs incitauit. Procedere ſiquidem cœnobium, eiuſque ſubſtructionem cùm inſpexiſſent, conſulendum ſuis commodis opportuniùs putarunt; ac literas à ſacra Cardinalium Congregatione impetrarunt, quibus ne exercere inibi ſacra noſtri pergerent, neue ędificium continuarent, interdicebatur: ijs nimirùm ex cauſis, quòd inter vtrumque cœnobium non ea intercederet diſtantia, ac vlnæ, quas Pontifices decreuerant. Deindè, quod reliquę religioſę eius Vrbis familię ad Gregorij Quinti decimi præſcriptum minimè conſenſiſſent. Poſtremò, quòd breues Clementis Pontificis Octaui literę, quibus in Diui Nicolai poſſeſſionem immiſſi noſtri fuerant, Rectore non dum elato, vti ſignificatum fuerat, abreptitię viderentur. Diſceptatum ſtrenuè, diùque Romę fuit. Sed amandata Veronam cauſa, cum ęquitati fucum fieri, intelligerent noſtri, irrefragabile Romanę Rotę iudicium appellarunt, à qua cùm non rapidè quidem, ſed ſuo gradu momenta rerum agantur: ęſtimarentque proindè actores, haud pręclarè ſecum in ea palęſtra actum iri, abſtinuere controuerſia; ac iugulata lis eſt, priuſquàm enſe euibrato, conficeret iuſtitia. Excepere hę ſtatim procellę eius cœnobij initia; quo viſa profectò lętius ſurgere, atque amplificari inter aduerſa res Veronenſis. Agit nanque eò profundiùs radices ſuas arbor, quò perflat vehementiùs aquilo.

Contra quam lites excitatur

Sed dirempta prima,

Oboritur altera,

Quę etiã prę- ciditur.

Tertia acrior à Seruitis,

Sed tandem perorata cauſa eſt.

Parentatum hoc anno pleriſque inſigni virtute Patribus cùm intra Religionis ſepta, tùm extra. Contigit nanque tribus è noſtri Ordinis Epiſcopis defungi vita. Fuere hi Marcus Magnacerbus, Epiſcopus Lucerinus, cuius virtutem ſupra explicaui, & germani fratres duo, Vincentius, & Siluester Tufus, ille Orię, hic Motulę Epiſcopus, quos ſanguine, affectuque coniunctos, viſa mors etiam coniungere, elatos penè ſimul, Vincentium quidem Septembri menſe, Silueſtrum Octobri eiuſdem anni. Horum indolem, atque animi partes cùm abundè ſupra expoſuiſſem, de Silueſtro quędam ſepoſui hic opportuniùs enarranda. Vir fuit eò ſpectabilior, quò diligentiùs inumbrare virtutem ſingulari quadam humilitatę ſtuduit. Cuius quidem ſui demiſſionis amore incenſus, id aliquando à Maioribus impenſiùs efflagitauit, vt è Clericis ſinerent tranſire ad Laicos, vt viliſſima quæque obiret domus miniſteria, ac operas. Quod cùm honeſtiſſimorum natalium, ac multarum etiam partium iuueni minimè indul-

Moritur Magnacerbus Epiſcopus Lucerinus,

Et Vincentius, & Silueſter Tufus.

Silueſtri humilitas.

ſiſſent

ſiſſent Patres, ipſe nihilominùs, ne genium defraudaret ſuum, vt ægrè ad ſplendida, ita ad abiecta inuolabat alacriùs munera: tenebatque operæ natum, quem habitu, cultuq. peroptauerat. Quod quidem religioſæ modeſtiæ inſtitutum, ne Præpoſitus quidem omiſit. Nam cùm Patauinum cœnobium, quod ipſe temperabat, conſtrueretur, ip ſe humeris cœmenta, ac lapides portabat. gnatus, gradibus humilitatis extolli, non demitti dignitatem. Illud etiam ad huiuſce animi dimiſſionis guſtum:

Viſis obit Præpoſitus. miniſtrare, dum præerat, ijs, qui ad aram facerent: putabatque nobilitari præfecturam eo miniſterio, quod exercere peruellent angeli. Næc ſanè minimum modeſtiſſimi eius animi ſpecimen obedientia erat, quam ſemper citra omnem humanæ rationis, ac prudentiæ lancem, experimentoque admirabili commendauit. Fuit ſi-

Eius obedientia. quidem aliquando Rector, qui veterum Patrum ritu probare illum ad arduum, atque alienum quoddam præceptum voluit: didicitque, à priſcis Aſcetis diſtare Siluoſtrum æuo, non virtute. Iam, gemina in Deum, ac proximum charitas viſa profectò intimè eius animum occupaſſe. Et ad Deum quidem amor rerum cœleſtium commentatione, ac diuinorum guſtu mirificè alebatur: cumque ab eo contempla-

Et charitas. tionis vſu nunquam non delicijs maderet, tùm ſanctioribus præſertim diebus exundare, ac mergi quodammodò ſuperna gaudiorum affuſione diceres. Et quod præcipuè ad Dei cunabula, ac funus ſpectat, eo quidem ſenſu iis affici myſterijs videbatur; vt dicere ſolitus eſſet, id optare vel maximè ſe, vt nunquam dies illi, pietatis, voluptatiſq. pleniſſimi abirent. In proximos verò, eorumque opportunitates, ac neceſſitates flagrantiſſimum illi ſtudium inerat. Vt ægrotis, preſſiſque ærumnarum mole mortalibus proſpiceret, nullam ſuitationem habere: non laboribus, alijſque corporis incommodis parcere. Humaniſſimus quidem alijs, cùm interim ſeueritatem quandam ſecum ipſe exerceret, ſæuiretque in corpus ſuum pia verberatione, ac cilicij aſperitate. Quòd quidem vitæ inſtitutum in Inſulis etiam retinuit; cœperantque iam commendatæ illi oues agnoſcere, quæ ſibi contigerat Paſtoris virtus, ac chari-

Eius in Epiſcopatu curæ. tas: vt planè dolendum ipſis poſtea vehementer fuerit, quòd tàm egregius Antiſtes, tàm citò occiderit! Duo præſertim ſibi in Epiſcopatu propoſuerat Tuſus, ſalutem nimirùm, procurationemque animorum, & communis inopiæ leuamentum. Et animos quidem aſſidua verbi Dei adminiſtratione ad pietatem expoliebat; quod aliquando munus cum obiret, mortem ſibi prænunciauit. Humanis verò ſuatum ouiũ neceſsitatibus eleemoſynis conſulebat, in quibus adeò munificus, vt penè prodigus fuerit, ac non ſemel reprehenderint familiares, quòd rem domeſticam profunderet: cùm ipſe ſecùs ſentiret; ſciretq. ab opũ erogatione ſimul & opes animi, & fortunæ excreſcere. Mortuus intra annum eſt in ſua Motulenſi Sede; habuiſſetq. profectò ea Eccleſia, ſi is diutiùs vixiſſet, perfectiſsimum quoddam Antiſtitis exemplar, quod cæteris imitandum proponeret.

Qui verò in ipſo Congregationis ſinu ſpiritum hoc anno poſuerint, fuere plerique,

Ioannes Antonius Pratus moritur. quorũ hic ego aliquot excellentioris virtutis nominauerim. Ioannes Antonius Pratus Mediolanenſis, propè octogenarius Patauij diem clauſit extremum. Venetijs auctoratus noſtra diſciplina, ac Præpoſito Thienæo, ſub quo religioſæ vitæ tyrocinium depoſuerat, ſuſcepit ſolenni ritu vota. Arripere ſub Caietani inſtitutione, atq. ab ipſo fonte nonniſi eximiã quandam virtutem, ac primigenium Sodalitatis ſpiritum, morumq. ſanctitatem potuit. Seruantiſsimus Inſtituti fuit, præcipuè paupertatis, quam veluti opulentiſsimũ patrimoniũ, transmiſſum ſoboli à Patribus ſcrebat; vſuq. comonſtrauit Pratus, nunquam ſolam eam virtutem, ſed inſigni ſemper cum clientela, ac

Eius à B. Caietano inſtitutio. celebritate aliarum virtutum, incedere. Scripſit hic de vita, rebuſque à Beato Caietano geſtis commentariolũ, à quo ſanctiora eius morum exempla, ac quædam magni animi documenta extant, quæ nunc, cum fraude mortalium, ac noſtri præſertim Ordinis obuoluta ſuis tenebris, laterent. Scripſit ea porrò adulta vt ætate, ita & probitate: vt timeri à viro grauiſsimo, atq. integerrimo fucus minimè potuerit. Itaque Sodalitati, & Sanctiſsimi Parentis conſignata ſcriptis virtute, & ſuis etiam exemplis profuit.

Paulus Pignatellus abit ad meliores. Romæ funus Pauli Pignatelli contigit. Is ille, quem aliàs meminimus in Mediolanenſi, ac Genuenſi lue perindè prudens, ac fortis, qui illarum domorum ſucceſsiuè

Re-

Digitized by Google

Rector, vtrobique, vt ſuis cauit ſingulari induſtria: ita & ſuam vitam viſus intrepidè contempſiſſe, peſtilentia ſemel, ac iterum ſauciatus, nunquã exhauſtus. Ex illuſtri domo ad Euangelicam humilitatem vocatus, ætate iam grandior, quam inter ingentes ſeculi curas, ac publica commoda cũ laude tranſmiſerat. Primus illi virtutis ardor, ac rudimentum, Patriam odiſſe. Nam Venetijs inter noſtros homines adoptatus, Neapolim numquã poſtea repetiit, niſi poſt viginti omninò annos ſemel, ac raptim. Idq. ne honore popularium, ac conſanguinitate vitium faceret modeſtia, quam in primis excolendam ſibi propoſuerat. Si quid eſſet, quod afferre lucem aliquam, atque exiſtimationem cerneret, perquã ſtudioſè declinabat. Præfecturas eo ſtudio deprecari, quo à Maioribus deferebantur: quæ cum ſubeundæ nihilominùs eſſent, ita illas admiſtrabat, vt præeſſe, ab exacta quadam obſeruantia dignoſceretur; cœterũ gregario ſimilior, quàm Duci. Nullum illi ſupercilium, nulla à munere ſpecies. Si quid iubendum, humanitate, ac precibus agebat. Si quid beneficii, ac fauoris præſtandum, ita merentibus præſtabat, vt accuratè caueret, ne, dum bene factis fruerentur, auctorẽ agnoſcerent. Id quod non modò magni animi eſt, cui nullum pręſtantius operę pretium, quàm opus ipſum; verùm etiam humilitatis, quæ & benefica eſt. & honorem à beneficentia auerſatur. Præter hanc in ipſa rectione modeſtiam, erat, quod in Pignatello imitarentur Præpoſiti: nempè iudicii integritas, ac citra affectũ omnem partitus ex ęquo animus: tùm zelus diſciplinæ, quo principiis maximè obſtabat, ne enatis, adultisq. iam malis ſerò pararetur medicina: ac dicere ſolitus erat, enitendum viriliter, ac ſeueriore quodam ſtudio, ne erumpant culpę; nam in iis poſtea conuellendis; aut vindicandis fieri minimè poſſe, quin ſuas agat partes non ſine communi damno clementia. Emeritus licet Moderator, perindè ſe ad aliorum obſequium, poſito munere, componebat, ac ſi prima adhuc ſtipendia faceret. Et fuit aliquando, qui ad probandam, augendamq. ſiuè obedientiam, ſiuè patientiam, illum veluti tyronem quendam exercendum ſuſceperit. Quo is intempeſtiuo planè periculo ita viſus minimè perturbari, vt inſignia ederet ſolidę, fixæque altiùs virtutis argumenta. Scilicet, animi motus omnes profligauerat, ſubiecerat q. ſuperioribus rationis, ac maiorum imperiis: quemadmodũ & corporis etiam dolores, quibus acerrimè conflictabatur, ſingulari tolerantia molliebat. Senium nanque plerique morbi comitabantur, quos ſerena ſemper ferebat fronte, ac mente. Non remedia, non medicos anxiè quærere: nec valetudinarijs grauis erat, gaudebatque circumferre alimenta, ac materiam virtutis. Inter præcipua verò pietatis ſtudia, mortis memoria erat, qua id effecit, vt aſſuetus quodammodò quotidiè mori, ſupremum illum fati diem non modò non pertimeſceret, ſed peroptaret: ac ſi quando in id argumenti incideret ſermo, de eo, veluti de re longè iucundiſſima, loquebatur: nempè quod eſt humanorum caſuum acerbiſſimum, leniuerat aſſidua cogitatio. Hinc illi admiratio, ſi quos cerneret, aut cupere longiores dies, aut horrere mortem. Dicere nanque ſolitus erat, qui diuturniorem vitam optant, ijs eſſe quàm ſimillimos, quos lecto affixos, marcenteſque otio, pigeat ſurgere. Nam poſtquam, aut mutauerint ſæpè latus, aut deſidiæ, ſomnoque ſuo diuriùs indulſerint, vale tandem cubili dicant, neceſſe eſt. Neque verò ex ijs Pignatellus fuit, qui extra arenam fortis; in vmbra verbo tenùs ſtrenuè pugnant: quando mortis ſiuè contemptum, ſiuè votum palæſtra ipſa probauit. Incredibili nanque vultus, animique firmitate, veluti extra omnem metum, viſus ſupremam illam neceſſitatem excepiſſe. Cuius quidem ingentis fiduciæ, ac ſecuritatis illa etiam cauſa erat, quam mox explicauit, qui totius anteactæ eius vitæ noxas ſacra confeſſione excepit. Teſtatus ſiquidem eſt, explorata penitùs conſcientia, nullius illum mortiferę labis reum comperiſſe. Quod quidem in viro nobili, qui diù in ſeculo vixerat: id nempè loci, vbi nunquam non fallit gradus, admirandum planè fuit: Et ſi tempora, ac homines percurras, paucis vix contigit. Qua quidem vitæ innocentia obiuit mortem intrepidus anno Iubilęi, ac Romæ, vnde tùm quidem recta patebat ad Cœlum via, ſepultuſque eſt in D. Silueſtri cœmeterio.

Odit Patriam.

Eius humilitas

Diſciplinæ zelus.

Probatur eius obedientia.

Patientia in ferendis morbis.

Frequens in Pignatello mortis memoria.

Lethalis noxæ expers.

Deſiit hoc item anno Genuę viuere ingenti cum noſtratum, atque exterorum luctu Andreas Riccius Genuenſis, exacta vir virtute, ac communi rei fructuoſiſſimus.

Andreas Riccius excedit ab humanis

imus. Adoptatus in Ordioem ab Aotooio Agellio in Diuæ Mariæ Magdalenę domo fuit: vota deindè io D. Syri ſuſcepir, Marco Paleſcandalo Præpoſito, quibus à præ-
Eius humilitas.
çlaris animi boois voicè carus. Humilitati in primis ſtuduit. Abijciendi ſe ſe occaſiooem à maiorum dictis, aliorumque aſperitate, ac contumeliis vltrò expetebat. Externus illi cultus intimę modeſtiæ par. Veſtes citra ſordes viliſsimæ, malè ſartæ, ac ouuquam oon laceræ. Exiſtimationem, decus, lucem contemnere. Ius ad ſuffragium, quòd quid ſpecioſum videretur, ſtrenuè recuſauit, ioterdicto ſibi ad cœteras Ordiois præfecturas gradu. Ab hac etiam demiſsione eximia ioerat in maiores obſeruaotia, ac prompta quędam in obſequendo hilaritas; vt audiret nutus ipſos, ac faceret. Cum ſui deſpectu ſui etiam afflictationem, mulctamque cooiūgebat. Pijs di-
Et vitæ aſperitas,
uerberationibus ſecum agere: contextas horridè ex ſetis ioterulas geſtare: catenulas, peracuta cuſpide interſtioctas, edomando corpori, adhibere: ieiunia extra ordinē tolerare. Atque hęc quidem, ne quid ioanis gloria delibaret, cœlo duntaxat teſte, ac vix confeſſario. Quod ipſum in fundendis precibus ſecretum adamabat. Enimuerò aſsiduus in pijs meditatiooibus cùm eſſet, aut clauſo oſtio ex Euaogelii præſcripto, aut teoebris circumſeptus profunda iam nocte in eccleſia orabat. Princeps illi cura, procurare templum, diuinique cultus nitori prolixiùs vacare. Quicquid ad
Et diuini cultus ſtudium.
eccleſię ornatum pertineret, ſuſceperat ipſe perageodum: dabatque ſolertem operā, vt Numinis celſitudioi reſponderet ſacrorum magnificetia. Planè, cùm paupertati apprimè ſtuderet; oihilominùs, vbi de eccleſiaſtico apparatu, ſacroque omni inſtrumeoto agebatur, nulli parcendum ſumptui ducebat: concipiebatque vltra vires interdum opera; ſed non vltra Dei fiduciam, quæ illi iogens, ac ouuquam non opportuoa. Dabat etiam morralium ſaluti, inſtitutionique operam vir actuoſiſsimus: cumque & prudeotia io animorum rectione valeret plurimùm, breui Genuenſium ſibi ſtudia adiunxit, coofluebantque certatim viri, matronæque nobiles, vt eo rectore vitæ ſuæ rationes, moreſque ordioareot. Dum in omniū oculis domi, foriſque eſſet Ric-
Proximorum ſaluti vacat.
cius, regularique obſeruaotiæ, ac pietati ſtrenuè incumberet, ioterceptus fato eſt: cuius ipſe diem certò præouociauit; eoque imminente, antequàm ritè inungeretur, legi ſibi, quicquid precum in ſupremo eo ſacramento recitari ſolitum eſt, iuſsit: deiodè animę commendationi attentas aures præbuit. Poſtremò inſtare horam cùm intelligeret, aperiri cellulæ feneſtram voluit, fixiſque in cœlum oculis, veluti eò collimaret, efflauit religioſiſsimè animam: Diuo Martioo Turonenſi in ſyderum cooſpectu planè non abſimilis, qui & abeunti animæ patere cœlum voluit, alloquutus in
Piè moritur.
ea verba fratres; Sinite, cœlum aſpiciam. Ab geſtu verò, habituque oris coniectari facilè potuit, obieciſſe ſe ſe Riccio in eo rerum articulo Beatiſsimam Dei Matrem, io quam ille pręcipuo ſtudio ferebatur. Neque profectò aberrare à Cœli via potuit, cui Marianum ſydus benignè affulſit. Sed de viro laudatiſsimo hactenus.

Verùm, quando aruiſſe loogæuas haſce præſtantiſsimæ virtutis arbores, neceſſe eſt, haud hic omittendæ, quæ ſub id maximè tempus adnatæ præclaræ item ſtirpes ſunt, quæ poſtea continuandę Ordinis diſciplinę, feliciter ſuccreuere. Et quidem eodem hoc obeuntis ſeculi aono profeſſus vota eſt Neapoli in Paulina domo Iacobus
Dat religioni nomen Iacobus Stephanius.
de Stephano, Neapolitanus, cuius vberrimam ſubindè clarorum operum ſegetem ab ipſo regularis vitę flore prædiuinauit B. Andreas Auellinus, diſertè vaticinatus, fore, vt magna ea iodoles multū non modò noſtræ Sodalitati, ſed communi etiam orthodoxæ rei adiumeoti, atque vtilitatis afferret. Ipſum poſtea & Euxinus, & Caucaſi iuga, & inhoſpitales terræ Religionis zelo flagrantem, fulgurantemque inſpexere, ac
Et Benedictus Mandina.
venerati ſuot. Materiam hiſtoriæ dabit, cum ea tractabimus tempora: interim cognouiſſe de oomine, ſat fuerit. Habitum eodem aooo ioduit Benedictus Maodina, nobili geoere Melphitanus, vir omnigena literatura, ſacrarū pręſertim literarum ſtudio, ac ſcriptis voluminibus conſpicuus, Benedicti Madini Senioris, Caſertani Epiſcopi nepos, ad Inſulas poſtea & ipſe Tropeenſes euocatus. Qui religioſi viri partes egre-
Et Caietanus Coſſus,
giè impleuerat, Epiſcopi munus impigrè poſtea admioiſtrauit. Inſulis item inſignitus, Hydrunti apud Salentinos Archiepiſcopalem Sedem Caietanus Coſſus Neapolitanus hodieque admioiſtrat, qui ſuperiore anno Religiooi ſe dederat intra acerbioris æui florem; ingenio poſtea, ſacraque per Italiam eloquentia abundè celebris. Hos ſu-

Digitized by Google

ſuſceptis ſolenni ritu votis, in Neapolitano Diuæ Mariæ Angelorum Cœnobio non integrum annum præiuerat Thomas Anchora, Salernitanus, Motulenſis primùm Epiſcopus, tùm Tranenſis Archiepiſcopus: ac ſub id tempus tres itidem prænobili loco Neapolitani profeſsionem emiſere; nempè Thomas Aquinas in Sanctorum Apoſtolorum domo, in Paulina verò Nicolaus Antonius Spinellus, & Vincentius Paganus. Infulati poſtea omnes: Spinellus quidem Alexanenſis Epiſcopus, Paganus Acerrenſis, & Aquinas Motulenſis. Ante hos paruo inter ſe ſe interuallo vota Neapoli nuncuparunt tres etiam Epiſcopali deinde dignitate inaugurati. Fuere hi Thomas Sanfelicius, Montis Peluſii Antiſtes, Hieronymus Sarrianus Vici 'AEquenſis, & Stephanus Caſtelblancus Sarnenſis. His potiſſimùm annis viſa in noſtra Sodalitate veluti proſeminari Præſulum meſsis, quæ ad Eccleſiarum regimen creſceret, de quibus fuſiùs in loco. Eſſent porrò & alii recenſendi, quos doctrina licet inſignes, ac moribus, prætermittimus, ne videamur ſyllabum potiùs, quam hiſtoriam texere.

Et Thomas Anchora.

Et plerique alii, poſtea Infulati.

LIBRI SECVNDI FINIS.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER TERTIVS.

Fauſta anni auſpicia.

EXACTO inter Romana ſacra ſeculo ſexto decimo, annus primus ſupra milleſimum, & ſexcenteſimum initur, cuius ipſa ſtatim cunabula, cùm toti Europæ, tùm maximè Italię auſpicatiſſima videri potuere. Siquidem quæ ſecundo marte inuaſerant iam Sabaudiam Gallorum arma, continuatiſque victorijs, gradum in Italiam promouebant, Petri Cardinalis Aldobrandini Pontificis Legati opera, ac dexteritate ſiluere: ac ſancita pax eſt, reddita Henrico Quarto Regi pro Saluciarum Principatu Breſſa, quæ vltra Alpes Regio: vti inter ipſum, & Carolum Sabaudum Pariſijs iam conuenerat. Qua belli face conſopita, ac ſoluta grauioris procellę metu Europa, reuerſus Romam eſt Aldobrandinus anno ineunte, & cum eo Paulus Toloſa, qui vehementer doluit, deſtinatum ſe Bouinenſi Epiſcopatui, quem paulò ante, cùm apud Legatum adhuc in Gallia moraretur, diſertè recuſauerat, putabatque, Clementem Pontificem conſilium mutaſſe. Planè; quæ ſemel præſcripſit Numen, ea nulla vis hominum declinauerit: ac ſæpè caſus ipſi euenta rerum miniſtrant, vt Deo volenti pareat mortalium genus. Toloſæ nihil accidere moleſtiùs poterat, quàm Inſula; ſed caſus fecit, vt irreuocabile, obſignatumque cœlo decretum volens, nolens ſequeretur. Rem ita habui. Sub ipſum Gallicæ Legationis finem Bouini, quæ Vrbs eſt in Regno Neapolitano, vacare ſacerdotium contigit. Pontifex, cui Toloſæ ornandi animus erat, hanc illi Cathedram ſtatim deſtinauit, deditque ad Legatũ literas, vt eius conſilij, honoriſque virum moneret. Ille, actis Maximo Pontifici gratijs, profeſſus ingenuè eſt, non eo animo dediſſe Religioni nomen, vt eius deindè diſciplinam, ac percaras ſibi exuuias dimitteret. Se quidem in religioſo eo ſtatu incredibili quadam animi tranquillitate, ac pace frui, quam ſciret ab externa animorum procuratione auferri, aut diſtrahi. Rogare proindè Aldobrandinum, vt obfirmatum in repudianda quauis dignitate animum ſuum, non perfunctoriè quidem, ſed perquàm ſeriò, efficacique literarum officio Pontifici repræſentet. Id nempè futurum ſibi eius legationis, ſuſceptique in ea laboris præmium non exiguum, ſi permitteret, procul Epiſcopali munere ſuum vrgere inſtitutum.

Paulus Toloſa Bouinenſi Eccleſię deſtinatur,

Honorem recuſat.

Sed merſo in itinere nuntio,

Redibat nuntius Romam, ſed in itinere, dum fluuium traijcit, mergitur. Hac nimirùm vſus ratione Numen, vt ſuum conſilium exequutioni mandaret. Enimuerò, cùm nullæ interim monerent Pontificem literæ, Toloſam recuſaſſe, illum Bouinenſem Epiſcopum pronunciauit; euulgatumque per aulam eſt, collatum egregio viro Sacerdotium. Itaque rediens paulò poſt Romam, qui putabat, ſplendidum illud periculum euaſiſſe, tranſcriptum iam ſe inter Epiſcopos inſigni cum Romanorum Antiſtitum aſſenſu deprehendit: eòque minùs valitura momenta rationum, ac preces, ſi apud Pontificem cauſam oraſſet, intellexit. Nihilo tamen minùs haud ſe deſtituit vir ab Inſularum ſplendore alieniſſimus, ſuamque experiri eloquentiam in grauiſſimo negotio decreuit. Pontificem adit, ingentique cum animi ſenſu quantum onus illud Epiſcopatus prægrauaret iam mentem, aperuit. Expalluiſſe ad eius rei nuntium, ſtatimque abrenuntiaſſe. Inſtitutum, indolem, opes animi perſuaſiſſe, vt recuſaret. Quod ſi conſilium optimo Pontifici eſſet, honeſtare humillimum ſeruum, ſciret Sanctitas ſua, honeſtiſſima ſe frui apud ſuos fama, honoremque ſibi haberi ſupra meritum. Ad hæc, cum operam animorum lucris, atque Apoſtolico concionandi officio nauaret, vberiorem planè fructum fore, vt colligeret, ſi per Italiæ Vrbes libera quadam eloquentia vagaretur, quàm ſi intra vnius Ciuitatis anguſtiam facultatem ſuam,

Renunciatur Epiſcopus,

Rogat Pontificem, ne grauaret eo munere;

& quæ

& quę ſibi contigiſſent, inſtrumenta naturæ concluſiſſet. Denique precari prolixiùs, ne ſe à complexu diuelleret eius matris, cuius in ſinu ſpiritum ponere peroptabat. Quæ quidem compoſita ad omnem modeſtiam, candoremque animi oratio ita nihil Pontificem à concepta ſemel ſententia dimouit, vt eùm ardentiùs reſumeret ſermonem Toloſa, ſubiratam ſenſerit eius beneuolentiam; &, vt retulere, qui aderant, flexo ad quandam ſeueritatem vultu, penè pro ſanctiore imperio præceptum illi fuit, vt acceptaret. Quo ille intellexit, parendum tandem eſſe Dei conſilio, qui mentem illam indiderat, obfirmaueratque Pontifici. Nec mora: inauguratus ſolenni ritu eſt, & qui bonum Epiſcopi opus, laborioſamque prouinciam ideò ſibi commendatam nouerat, vt ſedulitate, induſtria, vigilijs adeſſet; ad Bouinẽſem ſtatim Eccleſiam, oueſque ſuas procurandas contendit. Viſus ab ipſo confeſtim initio omnem optimi Paſtoris partem complexus, vt formaret, expoliretque bonos mores. Qua potiſſimùm valebat eloquentia mirabile dictu eſt, quot inferno hoſti præripuerit prædas, ac palmas. Ferunt ea aliquando exarſiſſe dicendi vehementia, vt præter communem animorum motum triginta ſimul proſtituti pudoris mulieres, abiecto cultu, quæſtuque corporum, ad honeſtatem, pietatemque reuocauerit: planè vt nullum vnquam ſpectaculum contigerit pulchriùs, quàm fœminarum illum gregem, qui profanus acceſſerat, mutata repente vitæ ratione, redijſſe conſecratum. Qua quidem fœdiſſimarum pœnitentia meretricum expiata ab inceſta ea lue Bouinenſis Ciuitas, abraſumque lupanar ipſum, ac libidinis materia omnis videri potuit. Id quod non inſolens Toloſæ erat: cùm nullum non Italiæ templum, vbi ille declamauit, iſtiuſmodi ſubitaſſa ſcortorum transfugia ab ardentiſſima ea voce non memoret: ac ſæpè accidit, vt quodam conceptæ flammæ impetu, ſiue impatientia inter dicendum inuolarint in comas, ornatuſque ſuos meretriculæ, eoſque ſanctiore manu abiecerint, veluti exuuias triumphantis facundiæ. Porrò, quas vna, eademque vis concionis Bouini ad fruges conuertit mulieres, vnus, idemque Dei amor vnum in cœnobium reduxit, quod Antiſtes ipſe, qui luculentam eam prædam ceperat, concinnandum, clatrandumque ad gynæcèi formam ære ſuo curauit: aderatque ipſe non modò alendæ inopiæ munifica manu, ſed & confirmandæ, amplificandæque pietati aſſiduis adhortationibus. Præclaro huic operi aliud adiunxit, quod nihilo minùs communi Ciuitatis bono frugiferum putauit. Plurimùm quippé publicæ rei intereſt, qua morum inſtitutione facilis puerorum ætas formetur. Quandam habet virilis indoles cum iis annorum rudimentis conſenſum: vt rarò adulti mores boni, ac frugi ſint, niſi in tenero adhuc pectore virtutem proſeminauerit educatio. Itaque collegium fingendæ pueritiæ fundauit. Qui literas, qui pietatem accuratè edocerent, viros peridoneos admouit. Inſpiciebat ipſe ſedulò, iiſque ordinare legibus, inſtitutiſque cœtum illum ſtuduit, vt cùm cætera indole, tùm maximè modeſtia, externoque oris habitu nihil penè à religioſorum hominum tyrocinijs differret. Id verò in eo Seminario inſtituendo præcipuum Toloſæ conſilium fuit; ſcilicet, vt Eccleſiaſticæ rei benè eſſet. Nam cùm Dei plerumque, Eccleſiæque ſeruitio alumni illi manciparentur, extitiſſent ſubindè ab ea educatione, quà literis, quà morum exemplo præſtantes viri, qui ſacra pro dignitate procurarent, ornarentque vitæ integritate Clericorum Ordinem, à quo poſtea manarent in vulgus documenta virtutum. Et quidem id ipſe in primis nauare viſus eſt, vt Clericus vitam ita componeret, vt & officio quo fungeretur, graphicè reſponderet, & forma viuendi eſſet profanis hominibus, qui nihil profectò diligentiùs inſpiciunt, quam Eccleſiaſticorum vitam, cupiuntque licentiam morum continuare, tuerique eorum exemplo.

Sed fruſtra.

Eius Bouini ſtudia.

Reuocata ad frugem ſcorta.

Adoleſcentum Seminarium excitat Toloſa.

Eius præcipuè intentio, ac finis.

Sed de Toloſa redidit mox ſermo. Adnectimus illi interea aliam ex noſtris Infulam. Exeunte ſiquidem hoc anno Benedictus Rubeus, è Patriciorum ordine Neapolitanus, ſublato ex humanis, vti ſignificatum eſt, Silueſtro Tuſo, Motulenſi Epiſcopo, ſiſtitur Clementi Pontifici à Philippo Hiſpaniarum Rege Tertio, eiuſdem Eccleſiæ inſignibus inaugurandus. Doctrinis, quarum exactè conſecerat in Ordine ſpatia, non mediocriter inſtructus Rubeus erat; tùm religioſæ vitæ ſeruantiſſimus, morumque grauitate apprimè ſpectatus. Prudentiam verò non vno in munere probauerat, exacto proximè triennio Conſultoris apud Patrem Generalem officio functus;

Benedictus Rubeus Epiſcopus Motulenſis.

Eius animi partes.

ctus;

ctus: aliaſque in pręcipuis cœnobijs pręfecturas Romę, Neapoli, Licij cum laude administrauerat: vt proluſiſſe publicę Eccleſiarum rectioni domeſticis hiſce magiſtratibus videri potuerit. Subactum, pręparatumque à Tuſo, breuis œui Antiſtite, Motulenſem agrum reperit, ac proſequutus ipſe egregiè eſt, quod Pręceſſor inchoauerat. Quę præcipuè Epiſcopi partes ſunt, viſus abundè impleuiſſe. Priuatas religioſę vitæ rationes in Inſula retinuit, quas pulcherrimo quidem Antiſtitis, ac religioſi viri nexu, cum communis boni, ſuarumque ouium ſtudio miſcuit. Æquè ſacrorum, ac morum mundiriam procurauit: id maximè contendens, vt niteret Eccleſia, & Eccleſiaſticus. In iuuanda potiſſimùm pauperum inopia multus fuit. Putabat quippè ab religioſa paupertate ad curandos præſertim, fouendoſque egenos ſe traductum. Eximia vitæ innocentia, curarumque contentione Cathedram illam diù tenuit, exhauſtuſque ſenio, ac valetudine, anno huius ſeculi primo, & vigeſimo Neapoli inter officia, preceſque noſtratium piè occubuit, ac deponi mortalitatis exuuias iuſſit vnà cum ſuis fratribus in cœmeterio Diui Pauli.

Et in excolenda Eccleſia ſtudium.

Ad Comitia, quæ celebrari hoc anno, exacto triennio contigit, narrationem conuertimus. Indicto, coactoque generali Capitulo, renunciatus primo loco eſt, qui illud regeret Præſes. Fuit is Petrus Caracciolus è primæ notæ Patribus; Interregno, curiſque illis comitialibus longè par. Ioannes Sipontinus, qua iniuerat prudentia, ac probitatis fama Congregationis magiſtratum, depoſuit. Sed mox collatis Patrum ſententijs, iuſſus communi ſuffragatione præfecturam ad ſexennium continuare. Quo nihil optabilius, atque auſpicatius contigit Ordini, cuius ea erant vota, vt perpetuò ſederet ad clauum vir integerrimus, ac ſapientiſſimus, qui magnæ nauis gubernatorem quàm optimè exprimeret pentia, ac ſolicitudine. Quam ſupra eius intemperanda Sodalitate rationem expoſuimus, eandem altero hoc rectionis curſu tenuit. Planè dominationis vſu, ſiue dulcedinę neſcio, quonam pacto affici animus ſolet, atque ab eo modeſtiæ tramite, qua initur plerumque Principatus, tranſuerſus agi. Nihil enim facilius eſt, quàm adnaſci tractu temporis Præſidi ſuperbiam, ac ſuperciliū. Hoc in Ioanne mirum fuit, vt excreſceret ab Ordinis adminiſtratione moderatio; tantùm abeſt, vt vitium vllum ſecerit humilitas ab vſu potentiæ. Sub emendatiſſimo hoc Rectorum exemplari condi lex potuit, vt deinceps exacto publico eo munere, antequàm nouus moderator eligatur, reuocari ad examen Patris Generalis triennale regimen, eiuſque actus omnes deberent. Quæ lex cùm minimè tangere præſentem Præpoſitum Generalem videretur, tùm optimum factu exiſtimarunt Patres, cauere ſuccedentibus deindè temporibus: ne ſi nullum eſſet frænum, quod ſupremum Magiſtratum in officio contineret, ingenium, occaſio, ac honor ipſe cum Religionis fraude aliquando peccarent. Vulgi fama inſignis quædam eſt eorum, qui præſunt, monitrix, quam nullus vnquam impunè contempſit: mulctat quippè ſeueriùs publica, atque acris ea vox. Conſcientia item, quę arcana quædam lex eſt, & Numinis lictor, magiſtratus regit, punitque morſu peracerbo, ſi exerrent. Illud verò longè efficacius, ſi ſciant Rectores, productum iri aliquando in forum actiones ſuas, vt æqua iudicij lance expendantur, ac pœnam ferant, eò grauiorem, quò turpius eſt, caput, & quæ norma morum eſt, deliquiſſe. Solenne id olim fuit priſcis hominum coetibus; & quoad ea lex viguit, ac procul metu, aut gratia in magiſtratus anquiſitum, viſa æquitas, moderatio, felicitas, ſtatuſque Reipublicæ florere. Hoc ipſum pleriſque ſacrorum Ordinum, qui temporaria reguntur pręfectura, in more poſitum eſt. Et ſanè perquàm acri iudicio res agitur, litaturque egregiè ea ſeueritate, ac virga cenſoria Religionis bono. Sic nempè, & qui perperam rem communem adminiſtrauit, pœnam pro meritis ſubit, & qui muneri ſuccedit, aliena ea mulcta, exemploque fit cautior. Itaque ſapientiſſimè noſtri homines cenſuram hanc ſanxere, quam hodieque retinemus; inſtituta grauiſſimorum in conſpectu Patrum morum, factorumque quæſtione; in qua id enitendum maximè, ne lenitas, aut comitas quædam adrepat. Enimuerò niſi eduret rigor, aut intendatur, degenerauerit profectò proceſſu temporis ea lex in perfunctoriam quandam animaduerſionem, laruamque iudicij: quod non exiguo quidem Ordini detrimento foret, ablato hoc moderatoribus metu, ac fręno. Ad hæc, ſcitum, vt qui defunctus ſupremi Magiſtratus munere, in ordinem

Comitiorum Præſes Petrus Caracciolus.

Ioannes Sipontinus Generalatum abdicat, & reficitur,

Lex de abſoluti iam Generalatus examine,

Quàm rationi cōſentaneum.

Vſitatū in Rebus publicis,

P. Generalis ne Capituli Præſes eligatur,

redi-

redigitur, is neque ijs comitijs,neque conſequentibus Capitulis Præſes renuncietur; idque optimè, ne ſi ad ipſum faſces redirent, ſubire Patrum iudicium minimè poſſet, aut non ea libertate,cenſuraque,qua par eſt,in ipſum animaduerterent; verùm noua quædam auctoritas interim ſuccederet, quæ citra affectum omnem corrigenda proponeret, quæ fortè Patris Generalis indiligentia admiſiſſet.

Quædam itidem ad commune Religionis regimen, atque ad diſciplinæ, morumque formam ſpectantia, ſtatura in hoc Capitulo, quæ percenſere hic puto ſuperuacaneum. Illud non omninò diſſimulandum, indulſiſſe, videlicet, Patres certis temporibus, ac nonniſi bis in anno, aliquid ſymphoniæ, ac muſicæ in noſtris eccleſijs. Enimuerò quoad hanc diuini cultus partem, quidam noſtratibus rigor ab condito Ordine placuit, contentique ſimplici, grauiſſimaque pſalmodia, cauerant, ne vlla in pangendis diuinis laudibus adhiberetur organorum, vocumque modulatio. Commendat exemplo, rituque veterum noſtram hanc in Odèo grauitatem, atque ab omni modulo alienam, canendi rationem eruditè quidem Antonius Caracciolus. Sanctiora nanque ea Apoſtolorum tempora, & quæ ſucceſſere proximè ſecula, nullos habuiſſe iſtiuſmodi ad lyram concentus, nullis non literis conſtat. Inuecti ſubindè fuere, cùm ijs vſi aurium lenocinijs hæretici, inſtillare per ea vocum frequentamenta in piorum animos luem occœpere. Opponenda ſiquidem, vt [a] Nicephorus ſuis in hiſtorijs adnotauit, cantica canticis, cytharæque cytharis, veluti pila minantia pilis, fuere: inductique expugnandis nouatorum artibus chori caſtrorum. Cæterùm nullæ priſco œuo attemperatæ modis muſicis eiuſmodi cantillationes. Quin Diuus Athanaſius, vſu iam recepta, ac perſonante ſacra per omnes eccleſias ſymphonia, cum degeneraſſe in theatralem quendam cantum, ac molliorem omninò, quàm templorum maieſtas poſceret, aduertiſſet, faceſſere ab Alexandrina Eccleſia illam iuſſit, ac pro delicatiore, quæſitaque nimiùm modulationis illecebra, intulit poſtliminiò, vt ait Diuus Auguſtinus [a], priſtinum, ac virilem cantum, qui parum à ſimplici pronunciatione diſtaret. Qua etiam de cauſa parum abfuit, quin hic idem Auguſtinus, vt [b] refert ipſemet, huiuſcemodi eruditi gutturis minuritiones, ac modulos à ſuo Hipponenſi choro ablegaret. Et [c] Leo quidem Pontifex, æquè moribus, ac dictione grauiſſimus ita laſciuientes, ac fractas, infuſcataſque muliebriter canentium voces carpit: Inſidioſo, inquit, ſono, & mollibus ictibus pulſantur auditus, vt animi ſoliditas illecebroſa modulatione ſoluatur, & lethalium conſuetudine ſuauitatum incauta, & parum ſobria corda capiantur. Igitur vetuſti moris amantiſſimi noſtri homines, tùm hoc Sanctorum Patrum exemplo eruditi, harmonicam omnem Muſicam proſcripſerant, ſcripta [d] lege in ea verba: Nulla nos muſica, vel cantus modulatione, nec in miſſis, quantumuis ſolennibus celebrandis, nec in quibuſuis horis Canonicis recitandis, in Eccleſijs noſtris vtimur. At enimuerò cùm in huius anni comitijs in conſultationem veniſſet muſica, fuere, qui non ſine religionis, diuinique cultus zelo temperandam aliquantiſper eam legem duxere. Aliam quidem, aiebant, eſſe nunc temporum rationem. Familiarem iam eſſe in Eccleſijs à vocum numeris voluptatem, ac nullibi non cani organis, ac ſymphonia Numen. Exhilarari nempè, incendique pietatem, amoremque ad Deum ſacra modulatione: & populos quidem aſſuetos, ſacra inter hymnodias vſurpare, vix aliò diuertere, quàm vbi arguta hæc aurium oblectamenta concilient, amplificentque religionem, ac pios animi motus. Præter communem mortalium conſenſum, vſumque Eccleſiarum, eſſe à vetere diſciplina exempla, quæ ſuadeant. Nam quamuis multi fuerint priſci Patres in proſcindendis ijs modis, qui, poſita grauitate, ac modeſtia, in aurium duntaxat titillationem, illuſa, fucataque nimiùm arte, laborant, nihil inde boni moris, virtutiſque in audientium pectora deriuantes: nihilominùs dilaudarunt maximè concentus illos, qui intra quandam harmoniæ ſeueritatem ita auribus acciderent, vt interim caſta quadam illecebra erudirent ad cœleſtium amorem animos. Enumerare os aureum Chriſoſtomi muſicæ bona, ac fructus, qui ſunt expurgare animum, efferre cœlo tenùs mentem, docere ſacra, prouocare diuinorum ſenſum, ac pietatem: honeſtiſſimam denique voluptatem implere, quæ mœrorem diſpellat, ſerenetque afflatu quodam auræ melioris conſcientiam.

Nulla olim in noſtris eccleſijs muſica.

Quando inducta in Eccleſias muſica?

a Lib. 9. cap. 16

D. Athanaſius illam à ſua Eccleſia eliminauit,

a Confeſſ. lib. 2 cap. 33.

b Ibid.

c Sermon 4. de ieiunio Septemb.

d Conſtit. lib. 1. cap. 1.

Statur in comitijs pro muſica.

Rationes adducuntur.

Diuum

Diuum verò Baſilium diſertè affirmare, inexplicabili quadam diuini Numinis ſapientia adhibitos rebus ſacris modulos, vt facili, ſuauiq. eo numerorum ductu Cœli monita altiùs in animum deſcenderent. Hęc eadem vetuſtiſſimos Patres omnes cōmuni ſuffragio pronunciare, qui rithmos, moduloſque ſuis in eccleſijs probarunt, miſcueruntque cum angelorum, cœlique concentu choros ſuos. Quin & [a] Rupertum, quo loco de diuinis officijs agit, quò ſanctiores, ac ſanſtiores dies feſti ſunt, eò ſuauiorem, geſtientemque magis muſicā approbare. Celebrari ſiquidem pro dignitate eiuſmodi ſolennia, dum cantus, (Ruperti verba ſunt) tetradi garrulitate concinnus, agili recurſu feſtiua dicta ſuſpendens, frequenter tripudiat, & lęta pronunciās, velut alauda matutina per vocum ſuarum ſępè volitat acumina. Valuere hæ rationes, vt laxata tantiſper ſeueritate, ſymphoniam in noſtras Eccleſias inducerent Patres: ſciuerūtque, vt bis in anno: idque cùm exponi ſolenni ritu Auguſtum Euchariſtię Sacramentum contingeret, excitandę piorum hominum venerationi, liceret concentu vocum, ac pneumaticis vti organis: cumque ſub lima, ac cenſura adhuc eſſent Conſtitutiones, additum hoc de muſica temperamentum. Porrò in publica diuini Corporis adoratione, cultuq. id ſapienter permiſſum: quod probè ſcirent Conſcripti Patres, in hac pręcipuè celebritate adhibitos priſco æuo ſacræ hymnodię numeros, vt in latētis, pręſentiſque Dei Maieſtatem excitaretur animorum ardor, ac veneratio. Tunc enim, vt Cyrillus, canebatur illud: Guſtate, & videte, quòd Chriſtus eſt Dominus. Planè congruenter ad Regij Vatis verba, qui longè ante cœleſtem hunc cibum appellauerat, Hoſtiam laudis, ac vociferationis, hoc eſt, hoſtiam dignam, quę lectiſſimis vocibus, atq. ad cytharæ modos celebretur. Iam quod excepta inſigni approbatione, ac plauſu iſthæc in noſtris eccleſiis Symphonia fuerit; ac pleræq. ſubindè celebritates hoc ipſum pietatis illicium poſcerent, viſum poſtea optimum factu, vt facultas extenderetur, euocandiſque ad ſacra populis, atque alendæ eorum religioni perſonarent ſæpiùs vocibus, ac fiſtulis Clericorum Regularium templa. Qua de re hactenus. Video nanque me longiùs, quàm par erat, prouectum, abreptumque à muſica.

a Lib. 7. c. 24.

Ac indulgetur bis in anno muſica.

Sacræ Euchariſtiæ quàm congruat ſymphonia.

Nunc decretum aliud adnecto, quod ad Eccleſiæ nitorem, vetuſtumque noſtratiū morem ſpectat: minutum id quidem, ſed quod non omninò diſſimulandum, ac pretium profectò operę fuerit, leuiter preſsiſſe. Veluti non ſemel ſignificaui, inter pręcipuas noſtrorum Conditorum curas eccleſiarum mundicies, atque ornatus fuit: idq. eo quidem ſtudio, ac contentione procurarunt, vt quæ ad Dei domus miniſteria, cultūq. pertinerent, ad exemplum, normamq. poſterorum ipſi per ſe obirent. Illud autē in primis vſu, continentiq. obſeruantia ſanxere, vt ſingulis hebdomadis vnà ſimul eccleſiæ pauimentum conuerrerent: rati, non modò nihil inde detrahi Clericorum honeſtati, verùm & cum humilitate, ac religione nonnihil addi exiſtimationis. Enimuerò raro contingit, ſeculares intueri religioſos viros ætate, ac moribus graues in id abiecti muneris ſedulò incumbere, ac templi puluere ſordidari, quin & valde probent hanc diuini cultus partem, & in noſtrum Inſtitutum ſtudiū vehementer adaugeant. Nec planè ſine fructu pietatis. Siquidem id ſtatim conficiunt, ſummū deberi honorem templis: quando ſpectati, quà virtute, quà genere homines, collatis certatim ſcopis, tàm accuratè euerrant, deſudentq. veluti in puluere Olympico. Nepotianum illum præſtantiſſimi nominis, vitæque præsbyterum, ab hac pręcipuè laude cōmendat [a] Hieronymus: Erat, inquit, ſollicitus, ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pauimenta terſa. [b] Paulinus item Inſula, ac luce natalium cum paucis clarus, id habere ſe in optatis aiebat, procurare, videlicet, ſuis manibus templorum mundiciem, vti egregiè adnotauit, qui ſupra, Caracciolus: Sic enim in natali die D. Felicis pangit ad numerum.

Verrendi pauimenti Eccleſiæ vſus apud noſtros.

Firmatur exēplis veterum.
a Epiſt. 3.
b Lib. 1.

In foribus ſeruire tuis, tua limina manè
Munditie curare ſines.

Iuuat hic ſiſtere, atque audire Regium Vatem, vittatum, chlamydatum illa pronunciantem: Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei. Scilicet, Chriſtianorum baſilicas, ſupernè afflatus, præuidebat, ac ſuccenſus ſtudio ijs inſeruiendi, id ſibi iucundiſſimum

futu-

futurum profitetur, ſi abiectus eſſet in domo Dei, hoc eſt, ſi abiectiſſima quæque miniſteria in ea obiret, qualia eſſent, emundare, conuerrere, puluerem excutere, vti Clerici Regulares faciunt. Reputabat enimuerò Rex pijſſimus, nihil in Dei templo, hoc eſt, in ipſo Prætorio Diuinitatis vile eſſe, nullam eorum partem non ſplendidam, auguſtamque, quam Deus ipſe implet, & conſecrat. Theodoſium Cæſarem eius rei monuit Diuus [c] Ambroſius, qui cum eo agens, quod vltimum eſt in eccleſijs, ac pedibus omnium paſſim teritur, nempè pauimentum, ſanctum appellat. Quo ſanè docemur, religioſiſſimum nos munus exercere, qui ſanctum pauimentum verrimus; atque adeò, quando vel ipſas colligendo ſordes, ſancta tractamus, nonniſi horrore quodam, ac reuerentia obire id penſi, ſas eſſet. Quo loco, quoniam Cæſares, Regeſque meminimus, Philippus Hiſpaniarum Princeps, eius poſtea nominis Rex Tertius, eiuſmodi pietatis prænobile documentum dabit. Plaudente ſiquidem Philippo Secundo Patre, præcipuas quaſdam ſacrarum reliquiarum thecas non vtcumque tergere, ac peniculo expolire, ſed vt pretium, ac laudem operis oſtenderet, de genu præſtare id officij ſolitus erat. Planè, nihil in Regio Iuuene laudabilius, quàm eo humilitatis, an reuerentiæ habitu excuſſiſſe ſua manu ſacrorum puluerem: quo quidem non ſordidandum, ſed apprimè honeſtandum, ornandumque Auſtriacum decus exiſtimabat. Sed præclarum hoc Ordinis inſtitutum noſtrarum eccleſiarum pauimenta conuerrendi ſatis, vt arbitror, commendationis, ac dignitatis ex ſe habet, vt illuſtribus firmari exemplis minimè indigeat. Hinc veriti Patres, ne, cuncta laxantis æui vitio, aut rerum grauiorum prætextu paulatim obſoleſceret, ſciuere in hoc Capitulo, vt quæ non dum inuexerant communem hanc conſuetudinem noua cœnobia, protinùs reciperent; ac reſumerent, ſicubi fuiſſet intermiſſa. Seruaturque hodieque laudabile inſtitutum: vt non modò domorum Præpoſiti, verùm etiam ipſimet Patres Generales, ſi quando non deſtinent negotia, reliquorum panegyrim, ſanctum eccleſiæ pauimentum expurgantium, adaugeant.

c Apud Theodor. lib. 5. c. 17. [illegible]

Sanctum pauimentum.

Capituli conſultum de eccleſijs conuerrendis.

Atque hæc de ijs, quæ tuendæ diſciplinę ſancita hoc anno fuere. Secundum hęc, adlectis in Vocalium numerum, qui commendatione regularis obſeruantiæ, morumque grauitate idonei viſi ſunt; excuſſis item pleriſque priuatarum domorum controuerſijs; renunciatiſque Præpoſitis, ſoluta comitia. In quibus quædam, quæ longiorem conſultationem, quam vt breui conficerentur, poſcebant, commendata Patris Generalis, ſuorumque Conſultorum prudentiæ, ac fidei fuere. Excuſſum nanque Brixianum domicilium fuerat, ac decreuerant Patres, haud eſſe cunctandum, quominùs in ornatiſſima Vrbe ſedem figerent. Prona inibi ciuium vota, atque Antiſtitis voluntas, locus item excipiendo Inſtituto, ſacriſque peragendis deſignatus, nēpè Diui Laurentij ædes. Quod poſtea cœnobium cur ſucceſſu caruerit, exploratum non habeo. Ariminum in conſultationem etiam venerat, ac morem quidem flagrantiſſimæ Ciuitati gerere, peroptabant Patres; ſed qui ſitum minimè probabant, nihil ſibi ea ſuper re ſtatuendum duxere: fundauitque inſequenti mox anno Pater Generalis, pro facta ſibi facultate, domicilium, mutato nempè loco, vt dicam.

Agitur de Brixiano domicilio.

Et Ariminenſi.

Tertia, quam hæc comitia domum agitarunt, fuit Bituntina, Vrbs ea eſt in Apulia, quam Peucetiam vocant, non ignobilis, quam & cœli bonitas, & ſoli vbertas, & honeſtiſſima incolarum conditio, moreſque perurbani apprimè commendant. Satis inibi noſtri homines, eorumque inſtitutum, atque in proximos ſtudia celebrabantur. Sed hoc præſertim anno adaucta illorum opinio, atque exiſtimatio eſt, cùm in magni ieiunij ferijs, atque in primario Vrbis templo conciones inſigni cum animorū compendio habuit Hieronymus Stinca, vir ex noſtris, cui ſua inerat in dicendo vis, vocemque animabat peracri quodam igne, qui & dicentis etiam vultum inflammabat. Coronidem fructuoſis hiſce Quadrageſimæ laboribus impoſuit, opere quidem, quod hodieque perdurat, tempori, ac conciliandæ mortalium pietati opportuniſſimum. Enimuerò vt hebdomadam, Chriſti Domini cruciatibus ſacram ſanctiùs Bituntini celebrarent, inſtituit, vt in principis templi hypogèo, quod eſt omninò capaciſſimum, tribus Dominicæ Palmarum proximè ſuccedentibus ferijs, concinnato ad omnem magnificentiam loco, ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, publicè exponeretur. Planè nihil accidere Gentis religioni iucundius, ac fructuoſius potuit,

Bituntina domus agitatur.

Hieronymi Stincæ conciones.

Quo agente major hebdomada ſanctiùs celebratur.

Accomodatus nanque deuotioni ille in inferiore baſilica receſſus, præſentia Numinis, loci cultus, piæ identidem canentium voces: tùm Stinca ipſe, qui ſtatis horis ad frequentiſſimam concionem flagrantiore quodam genere dicendi agebat, mirum, quos excitare motus, affectuſque potuerint. Et verò tempeſtiuus quidam apparatus ad Chriſtiani officij munera, quæ obiri per eam hebdomadam ſolent, videri id opus potuit. Etenim concepta altiùs per ea ſanctioris tridui inuitamenta pietatis flamma, animum quiſque ſuum recolligere, ac conformare ad ſeuerioris virtutis normam contendit: expiatæ accuratiùs conſcientiæ, vſurpata Chriſti Corporis myſteria ſanctiùs, perſoluta extincto Numini vberiore lachryma exequiarum iuſta, celebrata attentiore ſtudio, ac meditatione eius cruciamenta, denique inter pias exercitationes, functioneſque eccleſiarum perquàm religioſè totum id Dominicæ Paſſionis tempus exactum. Quæ quidem ſacrorum pompa cùm pari celebritate, ac fructu, loco eodem, ac tempore quotannis inſtauretur, debentur profectò Hieronymo Stincæ, qui inſtituit, anniuerſaria, ac tàm luculenta pietatis incrementa. Hæc ſtrenui concionatoris induſtria adaugere in noſtrum Ordinem beneuolentiam, ac vota ciuium incitare vehementiùs potuit. Quocirca quod priuatis iam ſermonibus agitari inter ipſos cœperat, collatis vnà capitibus, decretum ſingulari voluntate, ac ſuffragatione eſt; nempè, vt quando inſtarent iam comitia, datis Romam literis, eius Inſtituti homines quanta maxima poſſent, officiorum contentione efflagitarent: acceſſitque hiſce flagrantiſſimæ Ciuitatis ſtudijs Flaminij Pariſij Antiſtitis, viri quà doctrinarum adiumentis, quà alijs animi partibus præſtantiſſimi poſtulatio, qui cùm induſtrias noſtratum operas fore in populoſa Vrbe apprimè frugiferas, exiſtimaret, literis item enixè contendit, vt Romani Patres annuerent. Et hi quidem in commune excuſſa re diligenter, Epiſcopi, ac Ciuium ſtudia vehementer probarunt: valuitque etiam apud illos ratio, quæ olim, vt Baroli domicilium acceptarent, impulerat: nempè, vt haberent, qui ad Salentinos ex noſtris pergerent, medio in itinere hoſpitium, ac veluti laboris ſpiramentum. Tùm Patri Generali demandatum, vt iuberet explorari propiùs ſingula, quæ pollicebantur; locum præcipuè Theatinis vigilijs, inſtitutoque idoneum. Theodoſius Apicella, vir prudens, illàc tranſiturus ad præfecturam Licienſem, quæ tùm quidem illi obtigerat, id muneris obiuit. Eccleſiam, tectum inuiſit, probauitque: & quod ad communem beneuolentiam attinet, viſum nihil optari cumulatiùs poſſe. Ergò deſtinata illicò familia, quæ die Nouembris vndecima, Diuo Martino Turonenſi Epiſcopo ſacra, Bituntinam Ciuitatem, addictamque Inſtituto ſedem inijt. Ædes ea erat, Diuo Nicolao nuncupata, propter templum maximum, quæ ſanè cauſa fuit, cur retineri poſtea minimè potuerit, vt mox dicam. Cæterùm percommodus videri locus poterat. Aderat nanque in cœnobij modum periſtylium, atque attigui ſitus acceſſione facilè Patres amplificaſſent. Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus, à ſacra eloquentia, atque eruditione celebratiſſimus, excitare monialium diſciplinæ monaſterium id loci inſtituerat; ſed cùm maximè vrgeret opus, interceptus fato eſt vir egregius; viſumque modò ciuibus opportuniſſimum, inchoatum, deſtinatumque olim regulari obſeruantiæ domicilium, religioſorum item hominum diſciplinæ addicere. Qui Coloniam illam, ac rem omnem Theatinam accuraret, allegatus à Patre Generali eſt Andreas Piſcara Caſtaldus, qui excellenti quodam genere prudentiæ, ac matura iam virtute, non ætate, vniuerſi Ordinis præfecturam, quam aſſequutus poſtea eſt, iam tùm promereri videbatur. Is eximiæ virtutis commendatione, morumque comitate Ciuitatem ſtatim omnem ſibi adiunxit, cuius ad exemplar cùm reliqui Patres ſtrenuè adlaborarent, breui Diui Nicolai ædes communes Vrbis deliciæ, ac perfugium fuit: accurrebantque vſurpandis ſacris non modò viri proceres, ac nobiles fœminæ, verùm etiam è vulgo turmatim omnes, in quorum maximè expoliendis, fingendiſque ad omnem pietatem moribus deſudabat mirificè operarum nauitas. Præcipuam in Bituntina ea area operam nauabat Ioannes Baptiſta Sanctaflorius, Monopolitanus ex noſtris ſolidiſſimæ virtutis, atque inuicti ſpiritus ſacerdos, ipſa in primis fingendorum animorum arte inter paucos conſpicuus. Simul eruditas in eccleſia conciones habebat cum aſſenſu, plauſuque multitudinis; ſimul Oratoria duo, alterum nobilium, ruſticorum

Noſtrum Inſtitutum Bituntini petunt.

Deſtinatur, initque Ciuitatem familia.

Andreas Piſcara Caſtaldus domum regit.

Io. Baptiſta Sanctaflorius ſtrenuè deſudat.

corum alterum, incitatiſſimo quodam animi ſtudio regebat; publica perindè, & priuata facundia fructuoſiſſimus: cùm interim nullam religioſę, ſiuè charitatis, ſiuè obſeruantiæ partem prætermitteret, totuſque domi in exercenda communi diſciplina erat, totus item foris in iuuandis cùm ægrotantibus, tùm morientibus. Diuini præſertim honoris, ac mortalium ſalutis flagrantiſſimus in eo zelus, de quo illud ſanè pręclarum, ac plenum ardoris factum habemus.

Preclarum eius zeli ſpecimen.

Extremis bacchanalibus cùm nimium ſibi hominum licentia, ac genius tribuit, vt fręnum pro modo iniicerent noſtri, atque ab indecora temporum hilaritate ad pias exercitationes ciues traducerent, diuinam Hoſtiam inter collucentes faces, ſolennique apparatu venerandam, ſolidum triduum propoſuere, non ſine dictionis, ac ſacræ ſymphonię illecebra. Dum hoc pium opus feruet, ecce tibi in foro, quod propiùs diſtat, hiſtriones theatrum inconditis vocibus excitare, ſtrepituque, ac iocis miſcere, atque interturbare ſacra. Aduertit hoc Sanctaflorius, exarſitque illicò: tùm arrepto Redemptoris in cruce pendentis ſigno, in mediam ſe ſe plateam proripuit, expolitaque ad zeli cotem oratione, intorquere illam modò in actores, modò in ſpectatores: monere vehementiùs, obiurgare, increpare. Mox, quòd non linguis, ac maledictis parcerent ſcurræ, ipſe elato Crucis ſigno, altè intonuit: Qui è diaboli clientela eſt, ſuo hic malo inhęreat, qui ex Deo eſt, me ſequatur. Nec mora: viſa circumfuſa celebritas Chriſtum ſequi: atque hinc luſis hiſtrionibus, hinc Sanctaflorio præreptum ſuum diabolo theatrum ad eccleſiam, ac frugem reducente, iucundiſſimum id omninò ſpectaculum fuit: quod hæret adhuc memorię, atque animis poſterorum. Porrò qui ad eius incrementa domus viuere diutiùs debuit, breui defunctus vita eſt, conſequenti nempè anno, ductumque communi lachryma funus. Huiuſce etiam domicilij initia iuuit nō minimùm ex noſtris Franciſcus Olympius, quem aliàs meminimus, qui etſi minus actuoſam vitam ducebat, tamen omnigena morum ſanctitate, feruentique orandi ſtudio ingentem ſui concitauit opinionē, adauxitque venerationem Ordini.

Franciſcus Olympius ſui opinionem concitat.

Et verò ita hic morabatur Olympius, ac ſi nulla præterea eſſet alibi hominum natio, aut terrarum tractus. Etenim ſi qui fortè Neapolitani Patres eò aduentaſſent, nihil de noſtratum, nihil de conſanguineorum ſtatu interrogare vnquam viſus eſt, oblitus Patriam, cognatos, amicos. Illud item eius charitatis, humilitatiſque documentum non diſſimulandum. Adiacebat noſtris ędibus Xenodochium, communi quidem atrio, vt adiri facilè poſſet. Opportunam Olympius ad eam nactus, nihil illi frequentius, aut optabilius, quàm decumbentes, ac miſerabilem eiuſmodi gentem inuiſere, conſolari, iuuare.

Eius in pauperes charitas.

Quicquid edulij, opportunæque refectionis è communi Patrum menſa ſupererat, ſeponere ipſe diligenter ſolitus erat, ac noctu, ne pateret charitas, cœlo teſte, illis afferre, ac diſtribuere: reficiebatque vt ferculis corpus, ita adhortamentis animum. Quos hic ille inſtituebat tyrones, mira de eius contemplatione, de modeſtia, de corporis afflictatione, atque abſtinentia denarrabant: quæ, cùm continenti quadam virtutum exercitatione proſequutus poſtea fuerit, ſcriptionis alibi materiam dabunt.

Porrò quid præcipuè Bituntina in Ciuitate noſtratum induſtria, ac ſtudio ceperit incrementi communis religio, paucis exponam.

Praui vſus Bitunti, antequā eò noſtri immigrarent.

Enimuerò propenſa licet pietati ciuium indoles ex ſe ſit; tamen, quæ eſt virtutis conditio, vt eius facilè vſus langueat, omne rerum diuinarum ſtudium penè conticeſcere in ea tunc Vrbe videbatur: præcipuè pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ Sacramenta vſque adeò obſoleuerant, vt vix ſemel in ſingulos annos obirent. Ad hæc, rudis omninò ſacrorum Bituntina plebs erat; & quod ad Chriſtianæ fidei rudimenta attinet, alta vbique inſcitia. Deindè, tuendę puellarum honeſtatis ea erat ratio, vt nunquam, neque ſanctioribus diebus eccleſias adirent, audirentque miſſæ ſacrum: vt pudor planè eſſet, tueri ſic Virginum pudorem. Mos item inoleuerat, vt ſi cui è nobilibus fœminis defungi vita virum contigiſſet, annuis tenebris damnata, pedem è ſuæ domus penetralibus minimè efferret; non ſacris interea temporis interceſſe, non diuina myſteria vſurpare: digna ipſa lachrymis, quæ mariti funeri tandiù, tantoque cum ſui detrimento illacrymabat. Demùm rata inter ciues concordia; & quas exercebant ſimultates, vt peracres illæ quidem, ita diuturnæ erant; adeò vt hæreditarijs interdum odijs familiæ dimicarent. In hæc ſtatim, veluti hydræ capita inſiliere inſigni contentione noſtri homines; & valuit

Euulſi eorum opera.

quidem aſſiduus labor, publicè, priuatimque incitamentum, propoſita virtutis honeſtas, atque ipſe interdum terror: ita vt ſenſim iugulatæ prauæ conſuetudines ſanctiorem omninò Ciuitatem reddiderint. Cœptæ ſiquidem expiari frequenter conſcientiæ, ac diuinum epulum ſumi; & quod antea fuiſſet portenti loco, viſi, qui bis, ac ter in hebdomada Chriſti Corpori communicarent. Virginum ſuarum honeſtati ita nunc cauent parentes, vt Chriſtianæ pietati minimè detrahant. Etenim non modò nobiles, ſed è vulgo etiam nubiles puellæ non audire diebus feſtis ſacrum, religioni ducunt. Viduarum ita abrogatum inſtitutum modò eſt, vt poſtquam breui lachryma virorum manibus inferias fecerint, redeant pietatis officijs: & fuit, quæ preclaro exemplo, qua die efferri coniugis funus contigit, eadem ipſa Eccleſiam adierit, famamque amantiſſimæ perindè, ac pijſſimæ coniugis collegit à religionis ſtudio. Iam, ruſticorum inſtitutionem, ac diſciplinam nemo eſt, qui non noſtratum vigilijs acceptam referat, cuius gratia ſub ipſis fundatæ domus initijs inſtitutum à Ioanne Baptiſta Sanctaflorio, vti modò ſignificaui, Oratorium fuit; vigetque hodièque cœtus hic, vbi eiuſmodi ſortis homines ſingulis Dominicis diebus conuenire, fidei elementa accuratè edoceri, Chriſtianis moribus inſtrui, ſacramentis expiari, pro viribus contendimus. Marianam præcipuè pſalmodiam vſque adeò concinnè, aptèque canunt, vt admirationi planè ſit, viros literarum omninò rudes diuinas laudes tàm bellè ad numerum pangere. Quę deindè Diuæ Virginis cantica cùm fallendis diurnis laboribus in campo ſępiùs pſallant, ijs etiam docent reſonare ſyluas: vt iam agros, agreſteſque ſanctiores dicas. Illud etiam manaſſe ab eodem hoc fonte, non diſſimulabimus, nempè diuini cultus ſplendorem, atque eccleſiarum decus. Rara nanque in templis munditia, ac paſſim illuuies cùm eſſet, vbi Theatinus in eccleſiaſticis officijs, atque in aris nitor illuxit, viſæ illicò ad eius exemplar componi, ornarique reliquæ eccleſiæ: tùm pulcherrima virtutis æmulatione inſtitui feſtiui dies, excitari ſymphoniæ, haberi conciones; ita vt ad vnius cytharæ pulſum plures ſtatim oppoſitæ cytharæ perſonauerint ingenti cum publicæ religionis bono. Quæ quidem nunquam ſine noſtri Ordinis commendatione ab ijs modò ciuibus narrantur, qui præteritum cum præſenti rerum ſtatu comparant.

Ruſticorum pietas.

Reſtitutus noſtratum opera diuini cultus nitor.

Redeo nunc ad Diui Nicolai cœnobium, vt hoc loco rem omnem abſoluam; etſi quæ modò dicam, annis quibuſdam interiectis euenere. Anguſta hic excipiendæ multitudini ſacra ædes, anguſta item Patrum conclauia: ſed ampliare dum cogitant, fauetque publica munificentia, attributis conſtruendæ domui tribus aureorum millibus, enatæ difficultates, quæ in cauſa fuere, cur mutarent noſtri ſitum, in longè commodiorem, lætioremque ſedem tranſlati. Diximus, atriguum maiori Eccleſiæ hoc Diui Nicolai cœnobium: quare cùm nunquam non ſuſpecta vicinitas, cauendum ſibi Clerus Bituntinus à noſtratum propinquitate exiſtimauit: cumque agitari ædificium cognouiſſet, in id maximè curas intendit, ne illud inchoarent: prudentis quippè eſt, damna anteuertere, atque obſtare principijs. Igitur noſtri, quod digladiari cum ſacro Ordine minùs cuperent, ac præuiderent, fore vt inter aſſiduas velitationes agerent, ſi inibi permanſiſſent, optimum factu exiſtimarunt, mutare locum. Id ipſum, qui è nobilitate percupidi noſtræ diſciplinæ erant, ſentire; ac pro ſuo in nos ſtudio accuratè perueſtigare, vt commodum contingeret contubernium. Ad ædes publicas, vbi degere Prætores Vrbis conſueuerant, oculos, animumque adiecere; collatiſque vnà votis, illas fore opportuniſſimas reputarunt. Agebat tunc Prætorem Cæſar à Marra, vir è Patricio Neapolitanorum ordine ſpectati moris, qui cum ornatiſſima coniuge Iulia Agneſia de beneuolentia in noſtrates certabat. Hi vbi de Theatinorum commodis agi intellexere, non modò non abnuere; verùm etiam vrgere ipſi negotium; & ne differendo rem tempus interpellaret, alteram ſibi, ac publico muneri concinnari domum, ac loco quàm primùm cedere, curarunt. Igitur Aprili menſe, anno voluentis ſeculi ſexto, plaudente ordine, ac populo eò noſtri immigrarunt; cumularuntque lætitiam, ac celebritatem plerique è Neapolitanis, primæque notæ Conſiliarijs, quos inibi tunc morari contingebat, vt quæ inter Bituntinos, ac Barenſes de quodam tractu maris non exigui quidem momenti lis erat, dirimerent. Planè nihil accidere noſtris iucundius potuit, quàm à Ciuitatis meditullio, vbi à confertiſſi-

Noſtris mutandi ſitus conſilium.

Deſignantur ædes Pretoriæ.

Quò ſtatim immigratum.

Digitized by Google

mis ædificijs vix cœlum patebat, in liberiorem ſe ſe aerem aſſerere. Ad latus quippè Vrbis nouus hic ſitus, non infrequens quidem, ſed apertus; & qui peramplam explicare aream cùm domui, tùm ſacræ ædi conſtruendæ videbatur. Ac tùm quidem concinnatum pro modo decentiore loco templum, Diuo item Nicolao nuncupatum, atque inſtructa ad cœnobij formam domus. Conſultum item animorum remiſſioni. Nam quæ inter vetera, ac noua Vrbis mœnia, quæ cœnobio adiacent, recurrebat longiore quidem tractu intercapedo, exculta, atque erudita ad hortorum delicias ſtatim fuit. Porrò de excitanda à fundamentis eccleſia cogitarunt confeſtim Patres, inuitabantque communia Ciuitatis ſtudia, ac prona in ſumptus voluntas. Templi formam ad omnem artis elegantiam, ac magnificentiam deſcripſit Dionyſius Vulponus Salentinus, vir ex noſtris cùm ſacris literis, tùm mathematicis, atque architecturæ ad inuidiam inſtructus. Cuius quidem facultatis gratia pleriſque per Italiam Principum commendatiſſimus fuit; præcipuè Comiti à Fontibus, qui dum Inſubriam Regis nomine temperaret, vſus eius opera eſt in pleriſque Mediolanenſis Ditionis arciũ, vrbiumque munitionibus. Et in hac quidem Diui Nicolai eccleſia delineanda nihil eius peritiæ, curæque deſideratum. Nam cùm ſciret, non defuturam opulentiſſimæ tunc Ciuitatis munificentiam; molem, vt non exiguam, ita profectò ornatiſſimam deſignauit. Habuere hæc porrò initia ſuas moras. Cauere quippè ſuæ quiſque domui nobiles eius viciniæ viri cœpere: veriti, ne cœlum, lucemque publicam occuparet magnificum opus. Sed compoſita tandem res eſt, dictaque fundandæ eccleſiæ dies, ſexta nempè Decembris, Diuo Nicolao Tutelari ſacra, anni huius ſeculi nono: quo tempore, Clero deducente, adfuit Hieronymus Pallanterius, Ciuitatis Epiſcopus, Vir è Diui Franciſci familia longè religioſiſſimus, qui, circumfuſa cùm nobilium, tùm populi multitudine celebritatem exhilarante, ritè, ac ordine primarium lapidem dedicauit, iecitque: tùm euocata ad veterem eccleſiam frequentia, dixit ad confertiſſimam concionem eloquentiſſimè; ac poſtquàm templorum dignitatem, ac Numinis in ijs cultum apprimè commendaſſet, flexa ad noſtrum Ordinem oratione, Theatinas curas, Inſtitutumque inſigni quodam ſtudio, atque humanitate cohoneſtauit. Debet profectò plurimùm piiſſimæ Optimi Antiſtitis memoriæ noſtra Sodalitas: vt qui & noſtra plurimi ſemper fecerit, & nullam vnquam ornandi, iuuandique Bituntini cœnobij occaſionem prætermiſerit. Templum hoc autem Diui Nicolai cœptum ære publico, eadem ſubinde liberalitate continuatum: quoad abſoluta præcipua eius pars, coli aſſidua pſalmodia, vſque ſacrorum à noſtris cœperit. Viſumque architectis ipſis ædificium planè ſplendidum, quod ſectus lapis, ac geminus ſuprà, infràque pilarum ordo ſatis commendat. Neque interiore cultu minor eſt exterior magnificentia; procurrentibus nimirùm è ſolido, inciſoque lapide coronarum proiecturis. Ipſa in primis templi facies ſumptuoſior, cælaturis, pilis, coronis ad perfectiſſimam artis normam, ac venuſtatem conformata. Idem, qui delineauit Vulponus noſter, ſubſtructioni aderat, vt aptè cuncta, concinnèque peragerentur. Sed is breui ea cura defunctus eſt. Nam cùm maximè ferueret opus, anno, videlicet, inſequenti extinguitur, dignus quidem prolixiore vita, ſiue ingenij ornamenta, ſiuè virtutum ſpectes. Vir nanque erat, vti regularis diſciplinæ apprimè tenax, ita à literarum ſtudijs non mediocriter inſtructus. Cum mathematicis, quas diximus, diſciplinis mechanicas etiam facultates, veluti grauiorum ſtudiorum corollarium, iunxit. Schiotericа mirùm, qua artis facilitate delinearet horologia: vt nullus profectò paries ementiri in emetiendis horis ab ea manu videretur. Præclara item opera torno facere; ac ſi quid à communibus curis, ac ſtudijs ſupererat temporis, hiſce toreumatis fallere conſueuerat, conficiebatque ipſemet ſibi affabrè architecturæ ſchemata, ac inſtrumenta. Quæ quidem etſi in religioſo viro non ſunt admodum dilaudanda: attamen ſi quando religioſarum virtutum peplo præclara hæc etiam attexitur lacinia, neſcio, cur fraudari ſua commendatione, pretioque debeant. Cæterùm, quòd ad ornatum eccleſiarum maximè faciat, ſi illarum aditum laxata pro foribus area nobilitet, hæc etiam non poſt multò templo huic noſtro magnificentia contigit. Nam quæ adiacebat è regione, ſitumque occupabat ædicula, Diuo Ioanni Baptiſtæ ſacra, in qua priſca religione Deipata, cui nomen à Gratia, colebatur, impetrato à Romano Pontifice

Concinnata ibi ædes ſacra, ac domo.

Deſcribitur noua eccleſia à Dionyſio Vulpono,

Ac ritè iacitur primarius lapis,

Aedificij pars, ac ſplendor.

Dionyſius Vulponus eius architectus moritur,

A religioſa diſciplina, ac ſtudijs dilaudandus.

Area pro D. Nicolai téplo,

tifice

tifice diplomate, demoliendam curarunt Patres, translata inde ſolenni ritu, ac pompa in Diui Ægidij eccleſiam Mariana Imagine. Quod non modo noſtræ baſilicæ, ſed & Ciuitati ipſi inſigni ornamento fuit; ceſſitque magnæ item Matris non exiguæ dignitati, cùm in perantiqua ea æde, obſoleto iam loco, & cultu, non eo nitore coleretur, qui tantæ Virginis maieſtatem deceret.

Neapoli Mons Miſericordiæ inſtituitur.

Sed in Bituntina hac domo enarranda prouecta longiùs oratio eſt. Nunc ad temporum lineam redeo. Neapoli hoc anno præclarum, ac perutile omnino opus inſtituitur. Nomen illi Mons Miſericordiæ. Planè cùm in populoſiſſima Ciuitate multos eſſe oporteat, quos egeſtas, morbi, fortunæ iniquitas, atque omnigena calamitas premat, adeſſe item opportuna adiumenta, quæ hæc naturæ, atque humanitatis incommoda propulſent, neceſſe eſt. Nempè ea eſt ſupremi Numinis prouidentia, ac pietas, vt mala, quę exercendis, expiandiſque mortalibus immittit, ne ſint diuturna, habeant, vnde iugulentur, ac finiant. Non enim promptius telum, quàm medicina illi eſt, cui hominum clades, atque infortunia vſque eò lęta ſunt, quouſque aut vitia emendentur, aut virtus expoliatur. Cęterùm nulla illi, niſi intra clementiam ira, ac indignatio. Igitur cùm plerique ſolidę virtutis viri proceres hanc pietatis partem, quę miſericordię opera, ſiuè quę ſpiritus ſunt, ſiuè quę corporis complectatur, deeſſe inter Neapolitanos aduertiſſent, fore, vt optimè de Patria, communique bono mererentur, exiſtimarunt, ſi laudatiſſimum opus inueherent, quod pręſenti ope corporum vitijs, atque animorum occurreret. Quare, collatis vnà ſententijs, ac cenſibus, excitatus fauſtè, quem dixi, Mons Miſericordię. Quod quidem non ſine noſtratum

Noſtratum cõſilio.

conſilio, ac ope contigit. Nam cùm eorum animos, ac conſcientias, quibus illa diuinitùs iniecta mens fuit, pertractarent, adgubernanda poſtmodùm ipſis fuere ea rerum initia, legeſque ad operis incrementa conſcribendę. Et huiuſce quidem Montis non amodùm magna, ac ſplendida fuere rudimenta, ſed fauente ſubindè pio conſilio Numine; tùm ardore procerum, ac noſtratum ſtudio rem vrgente, breui eò patrimonij, ac cenſus peruenit, vt opulentior inde Neapolitana pietas, ſiuè ſubleuandę afflictæ honeſtorum ciuium fortunæ eſſent, ſiuè iuuanda pupillorum, ac viduarum ſolitudo, ſiuè aſſerendi in libertatem, qui cuſtodijs detinentur, ſiuè curandum morborum genus omne, aut quæuis alia auertenda calamitas, nullum non opus quàm liberaliſſimè aggrederetur. Adauxit verò egregiè commune hoc miſerabilium hominum perfugium opportuno quodam genere pietatis Hieronymus Pignatellus,

Hieronymus Pignatellus fraternæ voluntatis interpres.

vir è noſtro Ordine vt ſanguine, ita & moribus abundè conſpicuus, Archiepiſcopus poſtea Roſſani, quem & aliàs loquuti ſumus, & in loco etiam dicemus. Præſtitit hoc porrò è ſuprema germani fratris voluntate, ac opibus. Fuit is Fabius Pignatellus, qui de Hieronymi fide multùm ſibi pollicitus, cùm inſtare funus intelligeret, obſignatis tabulis, ita illi fortunas ſuas commendauit, vt quam hauſiſſet ab eo oretenùs mentem, exequendam in pauperum vſum curaret: facta inſuper facultate voluntatē interpretandi: ita vt cui potiſſimùm pio operi vellet, addiceret ipſe ſuo nutu opes. Expendit is diù rem, tùm illud excogitauit, quod nonniſi hauſtum diuinitùs videri

Xenodochium in Inſula Aenaria excitandũ curat.

potuit. Enimuerò, cùm ſciret, Ænariam, quæ Inſula eſt propè Neapolim, à balneis, thermiſque percelebris, oppidò ſalutarē ægrotis eſſē, ac paſſim adiri, atque inſanabilia præſertim aquarum ſalubritate curari corpora; illud etiam aduertit, pleroſque infimæ ſortis homines, ac religioſos viros inopia detineri, quominùs eò accederent; atque adeò miſerandum in modum confici ſuo morbo. Eapropter dignum plauſu, ac Neapolitana pietate futurũ, exiſtimauit, hoſpitalem in ea Inſula domũ excitari, quæ nullam hominum excluderet conditionē, exciperetq; præſertim religioſos, & quoad cuiuſque ſalus, ac remediorum ratio poſceret, neceſſaria pro modò ſuppeteret. Hæc vbi plerique, è noſtris præſertim, valdè probauere, rem Pignatellus anno huius ſeculi quinto die menſis Martij quinta, & vigeſima cum Montis Miſericordiæ Rectoribus tranſegit, attributo ad Xenodochij ſubſtructionem non modico ære: quod illicò inchoatum, breui ad ſummam manum perductum eſt, cœptumque quotannis in tempore frequentari. Planè, vt nihil hoc pietatis opere præſtantius, ita nihil concinnius, aut quę-

Quàm opportunè.

ſitiore quidem ſtudio, ac ordine adminiſtratur. E cœtu procerum, qui Neapolitanã hanc Miſericordiæ domum regunt, deſtinantur, qui hanc præcipuè Aenariæ pieta-

tem

Digitized by Google

tem curent, regántque ſuo nutu. Quibus ex medicorum fide conceſſus ad Inſulam aditus,, ij diligenter in indicem referuntur. Tùm ne confuſionem pariat multitudo, accedere non ſimul omnes, ac confertim permittunt, ſed in claſſes diſtributos per diſpoſitas cymbas ex interuallo duci, reducique iubent. Ibi peridonei adminiſtri, & Xenodochij Præfectus. Sua cuique cellula, ac ſuppellex. Ad balneas, vel in equis, aut ſi cui grauior ætas, aut morbus, ſella geſtatoria itur. In reditu nihil non domi aptum, atque apparatum vſque ad delicias: denique menſa honeſtâ quadam frugalitate, ac delicatiore ad infirmorum rationem victu commendatur. Atque hac quidem prouidentia multorum mortalium incolumitati prouiſum, qui, quòd hominem non haberent, vt in ſaluberrima opportunè balnearia immitterentur, conſeneſcere in infirmitatibus ſuis cogebantur. Quod ſi iuuare incolumem, atque integram paupertatem magnum omninò ex ſe eſt, maius profectò opus erit, eidem difficillimis, ac moleſtiſſimis correptæ morbis, conſuluiſſe. Quod fecit Hieronymus noſter Pignatellus, qui fratris memoriæ extare æternum hoc in Inſula Ænaria monumentum voluit, non ſine ſuæ pietatis, ac iudicij laude.

Mariana in Vico Aequenſi pietas,

Hæc alleuandis corporibus opportunè à Clericis Regularibus, qui ad animorum profectum quoddam hoc anno in Deiparam obſeruantiæ genus excitarunt, idque non longè item ab Vrbe Neapoli, nempè in Vico Æquenſis vnde Italiam ferè totam inſigni cum virtutum fructu ea pietas peruaſit. Sacram inibi Diuæ Mariæ à Tauro ædem, vti aliàs memini, noſtri colunt; vetuſque, ac ingens eſt in Marianam eam Imaginem religio, non modò apud Aequenſes incolas, verùm etiam quotquot circumiacent in ea regione oppida, ac pagi principe illam ſtudio celebrant, adeuntque certatim voti cauſa. Igitur noſtri homines in excolenda popularium, atque accurrentium pietate haud ſegnes, adaugere illam cogitarunt, pronamque in Deiparæ obſequium gentem cùm cernerent, id perſuadere aggreſſi ſunt, vt ſe totos magnæ Matris ſeruitio manciparent: idque non perfunctoriè quidem, ac tenùs nomine, ſed ſtrictiore quodam nexu, ac fide; ita vt voluntatem illi ſuam obligarent, eiuſque Serui peculiari quadam nomenclatione vocarentur. Viſa præcipui cuiuſdam amoris plena hæc religio: placuitque vt appellatio, ita & ipſum Virginis imperium, à quo palam profiteri ſe vinctos in Domina cœpere, creſcente mirum in modum, veluti ad triumphum, ac pompam Deiparæ hoc ſeruorum, ac captiuorum agmine; cùm interim noſtrates, ne vacuum, ac ſine re nomen hoc eſſet, ad eximium quendam animorum cultum pietatem traherent. Etenim & frequentare diuina myſteria, & celebrare ædes ſacras, & propitiare certis precibus Numen, & imitari illibatæ Virginis candorem, amoremque in Deum, Marianos ſeruos oportere deprædicabant ſucceſſu planè incredibili. Quòd verò parum fuiſſet, eiuſmodi Diuæ Virginis cultum id loci tantùm naſci, ac ali, diffuſus illicò eſt, aſpirante diuina quadam aura, bonus eius odor.

Instituti Deiparæ ſeruis,

Propagatur hæc Neapoli deuotio,

Enimuerò propenſior in pietatem Gens Neapolitana, vbi omnimodam hanc erga Deiparam animi, mentiſque ſubiectionem, ac cœleſtis Reginæ Seruorum nomen inaudiuit, mirum quo eius deuotionis ſtudio exarſerit: ſtatimque non modò è vulgo; verùm & primi nominis viri in eos ſe ſe nexus induere, viſi ſunt; vltrò ſe ad aram Mariano ſeruitio mancipantes, non ſine noua morum, vitæque inſtitutione. Hinc verò in Siliciam ad flagrantiſſimos nempè vt cœlo, ita & pietate homines triumphalis hæc ſeruitus inuolauit; noſtratum, videlicet, opera, qui Panormi in Diui Ioſephi templo, ad hanc in magnam Matrem obſeruantiam amplificandam, aram illi ſolenni ritu dedicarunt, ad quam obſequium ſuum Mariani ſerui intimè profiterentur: ac paucis poſt annis excitatum ſeruorum Beatę Virginis ſodalitium fuit à Saluatore Ferrario, viro ex noſtris incitatiſſimi ſpiritus, qui cœtum illum, quòd nulla conditionis, ac natalium ratione ſummos infimos promiſcuè complecteretur, à rete appellauit, de quo dicetur in loco. Neque verò terminis hiſce contineri hic piorum hominum famulatus potuit, ſed vltrà, citràque ſiculum fretum peruagatus, Galliam etiam Ciſalpinam afflauit, peruaſitque à ſuo fonte, nempè à noſtrarum induſtria, præcipuas eius Vrbes. Certè Taurini incredibili quodam exceptus plauſu, ardoreque animi fuit. Etenim cum eò Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ, pacata, ac bellica laude celebertimus, noſtram familiam euocaſſet, id in primis cùm ipſe, tùm pijſſimi Principes,

Et Panormi,

Et in Gallia Ciſalpina.

eius

eius liberi, lectiſſimæque Heroinæ filiæ expetiuere, vt Seruorum Diuæ Virginis Sodalitium inſtitueretur. Quod factum illicò eſt inſigni cùm eius aulæ aſſenſu, ſtudioque

Præcipuè Taurini apud Sabaudiæ Principes.

populorum, qui tùm maximè in prænobilem eam ſeruitutem exarſere, cùm eidem ſe ſe Principes ſuos dedicaſſe, conſpexere; ac præſertim cùm Mauritius Cardinalis, abiecta purpura, rudique amictu, ac catena inſuper obuolutus, vnà cum præcipuis aulę, ac Ciuitatis proceribus in publicum ſe dedit conſpectum: teſtatus ea ſpecie, habituque in excelſiſſimam mundi Reginam, ac Dominam ſuam intimum cordis affectum, ac ſubiectionem. Certè nullum edere religioſiſſimus Princeps pulchrius ſui ſpectaculum poterat, quàm exura dignitate, ac Inſula, induere in hac ſcena pietatis perſonam mancipij, à qua ſummum accedit maieſtati decus, ac ſplendor. Atque

Seruorum Virginis origo.
a Lib. 2. epiſt. 14

hęc de Seruis Deiparę, quorum quidem ſi altiùs repetere veſtigia, atque originem libet, recurrendum profectò ad longè ſuperioris œui memoriam eſt. a Petri Damiani epiſtolam, ac de Marino germano fratre hiſtoriam ad huiuſce in Deiparam pietatis antiquitatem, grauitatemque commendandam, exſcribere operę pretium puto. Quę

Affertur ex Damiano fratris hiſtoria.

ſic habet. [Quod fratris mei Damiani, tunc Archipresbyteri, deindè monachi, relatione didici, niſi me fallat obliuioſa memoria, fideliter narro. Alret enim fratet meus Marinus nomine, Laicus quidem habitu, ſed timoratus, ſpiritu ingraueſcente, pulmonis, ac pectoris valetudine tandem ad extrema peruenit: Interea cuiuſdam diei iam illuceſcente diluculo, repentè cœpit, quaſi cuilibet aduentanti gratulabundus aggliſcere, iucundanter hilareſcere, & feſtiua ſerenitate vultus alacriter aſſultare: mox & in verba prorumpens, cum magno animaduerſionis impulſu circum ſedentes alloquitur: leuare, inquit, leuate, ac Dominę meę reuerenter aſſurgite: deindè aliorsùm muratę vocis eloquium dirigens, aiebat: Et quid eſt, Domina mea, Regina cœli, & terrę, quia viſitare dignata es pauperculum ſeruum tuum? Benedic me, Domina mea, & ne patiaris in tenebras ire, cui lucem tantę pręſentię contuliſti. Cùm igitur huiuſmodi ſermones impleſſet, ecce Damianus, qui, ſcilicet, illi, ſicut & mihi erat germanitate coniunctus, perſolutis Deo nocturnis officijs, ab eccleſia redit. Quid circa fratrem languidum agerετur, inquirit. Ille verò certum ſe quidem de vicina morte teſtatur; ſed mox aduersùs aſſedentes probroſa redargutione conqueritur. Heu, heu, frater, inquit, quàm ignaros, quàm imperitos, atque irreuerentes habemus, & ſine diſciplina domeſticos: Et tu, Vir ſtrenuè, Bonizo (erat enim illic inter eos diues quidam hoc vocabulo negotiator) quomodò ſedere potuiſti ad Reginæ cœleſtis aduentum? Venit Regina mundi, & vos aſſurgere neglexiſtis? venit Mater Imperatoris æterni, & vos eius præſentiam ignobilem deputaſtis? Ad quod Bonizo, deliras, inquit adhuc, & ægritudine dementatus hæc vana profundis? an verum eſt forte, quod loqueris? Nobis certè vana hæc videntur, & friuola. Ad hoc ille: Numignoratis, ait, quia languor iſte, quem patior, nunquam alienare mentes ægrotantium conſueuit? firmiter igitur, & abſque vlla prorsùs ambiguitate cognoſcite, quoniam angelicis comitata veſtigijs, Beata Redemptoris noſtri me Mater inuiſit, hilaritatem mihi ſereni vultus oſtendit, benedixit me, & protinus abijt. Cumque paulò poſt ille defunctus eſſet, ſenex quidam presbyter, Seuerus nomine, qui nimirùm ſpiritualis eius Pater extiterat, retulit, quoniam longè ante, dum vegetus adhuc, & ſanitate floreret incolumis, depoſitis nudatus exuuijs, collo cortigiam, qua cingebatur, innexuit, altari ſe Beatæ Dei Genitricis, velut ſeruile mancipium tradidit: mox ſe, quaſi ſeruum malum coram Domina ſua ſecit verberibus affici, dicens: Domina mea glorioſa, Virginalis munditiæ ſpeculum, & omnium norma virtutum, quàm ego te miſer, & infelix offendi per obſcœnam carnis meæ putredinem, & eam, cuius tu Mater, & auctor es, violaui mei corporis caſtitatem: nunc itaque, quod ſolùm remedij ſupereſt, me tibi famulum trado, tuæ ditionis imperio ſubſtrati cordis colla ſubmitto. Flecte rebellem, ſuſcipe contumacem, nec tua pietas reſpuat delinquentem, cuius intemerata virginitas peperit veræ pietatis Auctorem. Per iſtud ergo munuſculum ſeruitutis meæ tibi nunc offero cenſum, & amodò, ac deinceps, quoad vixero, certi canonis appendam annuale tributum. Quandam ergò pecuniæ ſummam in altaris crepidine poſuit, & ſic de miſericordia, quam quæſierat, confiſus abſceſſit.] Hactenùs Petrus Damianus de Marini fratris dedicata Virgini ad eius aram ſeruitute, cui ſe, ſuaſ-

que

Digitized by Google

que opes ad obſequij teſtificationem vectigales fecit: vnde profectum ducimus hunc Marianæ Clientelæ ritum, ac nomen: libuitque hic adnotare, vt quando rei præſtantiam commendet plerumque, ac probet antiquitas, ſciat, qui præcelſæ huic ſe Reginæ imperio mancipauit, haud eſſe nouitium hoc pietatis, atque obſeruantiæ genus. Quo loco agnoſcere etiam eſt, quanti ipſamet Virgo vltroneam hanc animi ſubiectionem faciat, & qua patrocinij vi, ac illecebra adſit in tempore: cùm ſcilicet propulſandis ſupremę neceſſitatis moleſtijs, ac terroribus præſentiſſima ope indigemus. Quamquam non hic omittam, in eiuſmodi pietate excolenda peccaſſe de more mortalium licentiam. Nihil enim adeò ſanctum, quod non hominum ingenium aliquando deprauet. Fuere ſiquidem, qui cùm conteſtandæ in Virginem ſeruituti adhiberi externa quædam ſigna, ac vincula contingeret; hæc eadem ad profanos ipſi amores detorſerint, ijſdemque nexibus deuinxerint inſanias ſuas; aſſumpta etiam mancipij nomenclatione ad quandam ſuæ leuitatis pompam. Quare accedere romanam cenſuram oportuit, fœdatamque perditorum hominum impietate Marianam religionem emendari: remanſitque citrà externos eos nexus, atque intra omnem ſanctitatem in magnam Matrem obſequium, ac ſeruitus. Sed hæc ſatis.

Romam excurrit modò ſtylus, vbi luctari ſtrenuè Ioannem Scurcouillum Prępoſitum Generalem oportuit, cùm apud nobiliſſimas matronas, tùm apud Clementem Pontificem, ne prouinciam ſuſciperet, quam nonè re futuram noſtræ diſciplinæ reputabat. Oblatæ Matris Dei Romę. Inſigne eſt Romæ fœminarum contubernium ad Capitolij radices, quod vulgò Turrim a ſpeculis vocant: ipſæ verò mulieres Matris Dei Oblatæ nuncupantur. Franciſcæ Romanæ, ſanctiſſimæ Viduæ auſpicijs, ac virtute fundata hæc olim Turris, ad ſummum pietatis, famæque faſtigium peruenit; inuenitque meritò à ſpeculis nomen, quod præſtantium matronarum exemplo, futurum olim eſſet in Vrbe nitidiſſimum ſpeculum ſanctioris vitæ. Enimuerò regula quidem à Diui Benedicti Monachis Montis Olíueti hauſta, ſpiritu verò à Diua Franciſca, communem vitam, eamque religioſiſſimam viuunt, citrà nomen, ac vota ſanctimoniales: planè vt nihil ſacrarum Virginum collegijs legum obſeruantia, rerum ordine, ſacramentorum vſu, pſalmodia, ac cœtera pietate diſtent. A D. Franciſca Romana inſtitutæ. Commune quoddam Romanæ nobilitatis perfugium cœtum hunc dixeris, quò rerum humanarum, ac fluxi æui vices pertæſæ, præcipui ſanguinis quà Virgines, quà viduæ, veluti in ſinum tranquillitatis conuolant: placetque in ijs maximè tacita quædam, atque arcana vitæ ratio. Non enim publicam eccleſiam monialium ritu celebrant, nec publicè pſallunt; ſed inſtituto domeſtico larario, inteſtina quadam, ac ſecreta religione intus ſibi canunt, & Deo. Porrò inter Summorum Pontificum facultates, ea præcipua: vt Confeſſarium ſibi deligant, qui ſingularum conſcientias expiet, regatque, ac formet in ſpiritu communem cœtum. Ergò cùm hoc anno abire ab meliores hunc animorum rectorem contigiſſet, nonnihil ſolicitæ fuere pijſſimæ fœminæ, quem è quo potiſſimùm Ordine grauiſſimo muneri deligerent. Plurimi nanque ad rem communem intereſſe intelligebant, qua manu, ac peritia in ea animorum procuratione cœnobij habenę regerentur. Acceſſerant eò interdum noſtri homines, concionibus habendis, ac priuatis etiam alloquutionibus: rogati identidem de conſcientiæ dubijs ſententiam, aculeos, ac æſtus animi in pleriſque ſedauerant; eòque percrebuerat Theatini nominis apud ipſas opinio, ac ſtudium. Ad hæc, noſtras viuendi rationes, ac diſciplinam vehementer probabant; putabantque peridoneos noſtrates, qui ſuam etiam obſeruantiā, moreſque apprimè tuerentur. Quocirca cùm de confeſſario accuratè in medium conſuluiſſent, in eam omnes diſceſſere ſententiam, vt Clericum Regularem poſtularent. Rem, quæ vnanimi inter ipſas conſenſu conuenerat, deferendam ad Patrem Generalem curarunt, additis quęſitiſſimis precibus, vt & votis annueret, & deſignaret deindè ipſe, qui prouincię charitate, ac beneuolentia reſponderet. Confeſſarium à P. Generali poſtulant. Non diù conſultandum ea ſuper re Patri Generali fuit. Nam cùm vel ab ipſo Congregationis initio certum noſtris eſſet, ab eiuſmodi fœminarum collegijs, curiſque procul eſſe, conſtantiſſimè reſpondit, ſe quidem nihil impenſiùs venerari, quàm deuotas Deo mulieres, ac illum pręcipuè clariſſimarum matronarum cœtum in animo, in oculis ferre: Qui renuit. attamen communi vſu, ſenſuque Patrum, ac legibus etiam Ordinis detineri, quominùs

nùs perhonorifiæ poſtulationi morem gereret. Repulſa quàm acerbiſſima ijs accidit: nec tamen conceptus ſemel ardor, ac ſpes elanguit. Verùm, quæ perſuaſum habebant ingenti eius cœnobij bono cedere noſtram inſtitutionem, vrgere rem ſtatuunt: idque per internuncios, quibus ab auctoritate, ac Infula reſragari nefas eſſet. Sed non hæc apud Patrem Generalem valuere virorum principum officia. Id nanque ſingulari quadam animi firmitate pronunciabat: alienas à noſtro Inſtituto eas eſſe vigilias: rem ſæpè aliàs in conſultationem veniſſe: id ſemper grauiſſimos Patres cauiſſe, ne iſtiuſmodi auocamenta à ſua diſciplina noſtros diſtraherent.

Luſis virorum principum officijs,

Iterum luſis precibus, ac officijs, inſtaurare tertiùm oppugnationem cogitant, ſed ea quidem machina, quam non eluctaretur Pater Generalis: fore nanque exiſtimabant, vt daret illicò manus, vbi acceſſiſſet ſumma auctoritas, ac ſupercilium.

Appellatur Pontifex,

Itaque ad Clementem Pontificem flagrantiſſima nobilium matronarum ſtudia perferuntur; petuntque impenſiùs, vt quando ad ſuarum conſcientiarum regimen, ad collegij profectum, ad morum inſtitutionem, ac formam prona omnium ſuffragatione Theatinos homines poſcerent, neque vllis ij precibus exorari paterentur, vt prouinciam ſubirent, vteretur ſua Sanctitas ſuo iure, ac præciperet, vt dicatis Deo mulieribus, quibus nihil præterea, niſi ſuorum animorum, ac virtutum cultus, propoſitum eſt, operam Clerici Regulares nauarent ſuam. Hoc ſe vehementer cupere, & modò idoneus rector, & cui fidem habeant, contingat, cætera vitæ incommoda nihil penſi habere. Complexus ex animo Pontifex vota, æquum eſſe exiſtimauit, expiandis, curandiſque animis præſto eſſe moderatores, præſertim fœminis, quas facile eſt, in deſperationem labi, niſi nactæ opportunè fuerint, qui peracres conſcientiæ morſus, quibus plerumque torquentur, accuratè leniat, ſanetque.

Qui ea de re cum Patre Generali agit.

Acceſſitur Pater Generalis: eius contubernij ſanctitatem, fœminarum inibi florem, prona in noſtrum Ordinem ſtudia, fixam animo perſuaſionem, poſtulata, preces Clemens exaggerat: tùm id ſe conſilium cepiſſe, vt ijs confitentibus commodarent Theatini aures: putare nempè, nihil inde detrimenti fore, vt caperet Congregatio: quinimò non minimæ exiſtimationi futurum, eius ſamæ collegium in clientelam, fidemque accipere. Poſtremò ſcirent, id ſibi gratiſſimum fore, qui maximè optaret, prænobili cœtui gratificari. Hic enimuerò inſtituta quædam palæſtra eſt: Hinc Patre Generali, cui non tàm maieſtas iubentis terrori, quàm ſuum Inſtitutum curæ erat, rationes modeſtiſſimè pertexente, cur ab eo munere abhorrerent noſtri: hinc Pontifice contrà adnitente, vt eaſdem rationes dilueret, atque in ſuam illum ſententiam pertraheret.

ſed perorata æqua cauſa,

Certè cum fixum omninò, ac conſtans videri poſſet ea in re ſummi Patris propoſitum, non ideò moueri de gradu cernebatur Præpoſitus Generalis; ac ſalua ſupremæ Infulæ reuerentia, ſummè obniti, precarique, ne ad id officij capeſſendum adigerentur, quod fuiſſet Clericorum diſciplinæ non admodum vtile, moleſtiſſimum Ordini, ac communi Patrum ſententiæ omninò contrariũ: idque tùm maximè, cùm de conſtitutionibus euulgandis ageretur, in quibus cùm diù, multumque communi conſilio deſudauiſſent, illud in primis, ac conceptiſſimis verbis cauerant, vt à monialibus, atque ab eiuſmodi mulierum collegijs in ſpiritu procurandis, velis, quod aiunt, remiſque refugerent. Quid igitur? frangerent modò ſuas leges, cùm probandas, ac roborandas Apoſtolica auctoritate ſperarent, & cùm intendere potiſſimùm in ijs obſeruandis neruos deberent? Pluſculum tenuit ea diſſertatio, cùm humaniſſimus Pontifex, cui potior fuit vniuerſæ noſtræ Congregationis ſenſus, quàm vnius Gynæcèi commoda,

Ceſſit Pontifex.

Scurcouilli humilitati, ac ſupplicationibus dedit manus, illumque ab ea ſolicitudine, metuque abſoluit. Id quod præſtantiſsimis, ac Romani planè ſpiritus matronis incredibile dictu eſt, quàm acciderit moleſtum: ac veluti ſpretas ſe exiſtimantes, viſæ aliquantiſper noſtratibus ſubiraſci. Clemens verò Pontifex etſi haud æquo animo tulit, luſa illarum vota: nihilò tamen minùs, quòd tueri acriter diſciplinam, atque inſtitutiones ſuas noſtros cerneret, beneuolentiam erga Sodalitatem adauxit.

Quam quidem beneuolentiam cum nunquam non eſſet luculenter, ac magnificè teſtatus, hoc potiſsimùm anno præclarum eius ſpecimen dedit; & quidem in eodem hoc temperandæ conſcientiæ munere. Enimuerò cùm Petro Cardinali Aldobrandino Nepoti deligendus eſſet, qui ſacras eius confeſsiones audiret, non alio quidem

ex Ordine, quàm ex Clericis Regularibus deſumi iuſsit inſigni cùm ipſius Cardinalis
voluntate, qui Theatino nomini mirificè ſtudebat, certabatque in eo ornando cum
Pontifice. Iam hunc ſuæ conſcientię moderatorem non ipſe ſibi deligere Aldobran-
dinus voluit; ſed vt quandam etiam Patri Generali obedientiam probaret, deſigna-
ret ipſe virum, etiam, atque etiam rogauit: nempè obſequuturum illi ſe, nec latum
vnguem ab eius monitis diſceſſurum, quem is nominaſſet. Igitur Marcum Paleſcan-
dalum; virum, quem aliàs loquuti ſumus cùm ſanctitate morum, tùm omnigena
eruditione inter paucos ſpectatum; & qui Diui Andreæ cœnobium Romæ admini-
ſtrabat, ſiſti Aldobrandino placuit. Nouerat ſingularem eius virtutem, ac literas
Cardinalis; ſed vbi aperire illi conſcientiam, atque arcana cùm animi, tùm externæ,
ac publicæ rei, quę adminiſtrabat conſilia communicare cum eo cœpit, tunc enim-
uerò agnoſcere liquidò ſibi viſus eſt ſolidam in eo mentem, ac vim iudicij; integerri-
mam pręſertim indolem, nulli neque ſui, neque ſuorum commodo obnoxiam; ac
commendare deindè prolixiùs viri modeſtiam, ac ſeueritatem ſolitus erat, quòd nun-
quam in eo annorum, ac beneuolentię curſu neque pro ſe, neque pro alijs auctorita-
tem, ac munificentiam ſuam officijs interpellauerit. Quod quidem in ſumma Prin-
cipum gratia, ac aulę luce verſantibus, vt eſt perdifficile, ita laudatiſsimum in Pale-
ſcandalo fuit, qui id magnoperè contendit, quoad Clemens Pontifex vixit, vt lateret
aulam, ſe eſſe à Cardinalis, cuncta regentis, confeſsionibus: ac tantùm abeſt, vt cùm
pompa, ac magnificè id muneris exerceret, vt ſingulari quadam arte modeſtię, ac
cautè celauerit: quod vix credi poteſt, accidere potuiſſe in Vrbe, omnia diligentiùs
explorante, nihil reticente. Quo factum, vt tutus ipſe ab aduentantium precibus,
Cardinalis aures, atque humanitatem aſsiduis poſtea officijs minimè pulſaret. Sed
de viri apud Aldobrandinum exiſtimatione, ac loco redibit ſermo.

Confeſsionibus Card. Aldobrandini deſtinatur Paleſcādalus.

Exercetque munus cum modeſtiæ laude.

Quidam hoc anno Religioni nomen dedere, quos ab inſigni virtute commenda-
tos in loco memorabimus. Interim non hic diſsimulanda eorum ſaltem nomina,
quos mortem obire ſub id tempus contigit, viros quidem non vulgaris diſciplinę, at-
que alijs animi partibus pręſtantes. Et Neapoli quidem in Sanctorum Apoſtolorum
domo deſijt eſſe inter mortales Bernardinus Mazzalorſa, Monopolitanus, vir vt æuo,
ita prudentia maturus. Eximium illi tuendę regularis obſeruantię ſtudium, noſtri-
que moris zelus, quem in domorum rectione Romę, Neapoli, atque alibi locorum,
vbi cum laude pręfuit, inſigniter probauit. Orationi pręterea addictus ſenſu diui-
norum incredibili. Paupertatis item perſtudioſus, ac cęteris religioſę diſciplinę nu-
meris ad vnguem expolitus fuit. In eodem hoc Sanctorum Apoſtolorum cœnobio
eodem hoc anno defunctus vita eſt frater quidam laicus, cui nomen Nicolaus Cale-
ſanus, vel eo nomine hic recenſendus, quòd raro quodam genere virtutis ſapientiſsi-
mùs in Deo fuit, dum inops mentis ab omnibus crederetur. Enimuerò externam
eius ſpeciem, corporis habitum, actus, rationi, ac viro frugi minùs interdum conſen-
taneos, ſi quis aduerteret, amentem illum affirmare non dubitabat. At ſiuè falleret
ea ſpecies, ſiuè ad animi demiſsionem adfectaret ipſe hanc nomenclationem, vti acci-
diſſe pleriſque priſci æui viris, ſacrę produnt hiſtorię, eius penitùs facta inſpicienti
elucere mira quędam ſapientia, ac probitas in ipſa inſania videbatur. Orationi ad-
dictiſsimus, vigilabat ad multam noctem in eccleſia, atque altiſsimis identidem ſu-
ſpirijs incenſus, afflatuſque Deo animus euaporabat. Orandi locus ad aram princi-
pem: pedibus ibi inſiſtere, erectuſque precari ſine ſoleis: vt externo hoc habitu, non
ſine afflictatione corporis aſſurgeret in cœlum mens. Interdiù ſi quid à domeſticis
laboribus ſupererat temporis, precibus conſecrabat. Semel accidit, vt in ipſo Domi-
nicæ Aſcenſionis peruigilio, canentibus in odèo Patribus, illàc ipſe pertranſiret: cum-
que aliquantiſper oranti ſimilis ſubſtitiſſet, incredibili quodam ardore animi, ipſoque
geſtu corporis impetum, ac vim mentis teſtante, inclamauit: Aueo cum Chriſto in
cœlum aſcendere. Iuſſus confeſtim abire, ne pſalmodiam interturbaret; atque in-
terim affirmare grauiores viri, non quidem vulgari inſania, ea ſcilicet, quę vitium,
ac morbus eſt, Nicolaum laborare, qui amota diuinitùs mente ad cęleſtia eo impetu,
ac igne aſpirabat. Ad hęc, abſtinentia fuit admirabilis ac tùm arctiore, quo vteba-
tur, victu, tùm aſsiduis vigilijs vſque adeò exhauſtus illi ſuccus omnis, ac ſanguis, vt

Bernardinus Mazzalorſa pie moritur.

Nicolaus Caleſanus ſtulto ſapiens.

Orationis ingens ſtudium.

Eius in Dominica Aſcenſione ardor.

Abſtinentia admirabilis.

pelle duntaxat, ac oſſibus conſtare videretur. Eximia item inerat in pauperes chari-
Charitas in pauperes.
tas. Sarcinator olim fuerat; proindèque addictum rei veſtiariæ moderatores vole-
bant. Iam, ſi fortè accideret, vt ex ipſa officina veſtiaria, quæ tùm viam publicam
ſpectabat, pauperes emendicantes ſtipem audiret, quæ tùm præ manibus ſarcienda
Patrum indumenta haberet, prompta illis manu proijciebat; illud ſubindè repetens,
egentibus impendendam vtcumque pietatem eſſe. Factum id ſemel, ac iterum: nec
temperaſſet ea liberalitate, niſi dedoctus opportunè errorem fuiſſet. Eandem hanc
pietatem, ac commiſerationem in ea, quæ ratione carent, animantia exercebat: ita
vt ſua perſæpe fercula illis apponeret, ieiunus ipſe interea, ac pallens, vt eiuſmodi ani-
mantium fami conſuleret. Porrò in laboribus obeundis ſtrenuus æquè, ac indefeſ-
Ac cetera eius virtus.
ſus: ad obedientiam volucris omninò erat: cæteræ verò Inſtituti diſciplinæ mirum
quo ordine, ac ſtudio operam nauaret. Planè quando tantùm in re, profectuque
animi ſaperet Caleſanus, ac ſpecies illi amentis eſſet, rediſſe Simonem illum Salum;
ſua inſipientia illuſtrem, affirmauerim. Continuata hoc anno Neapoli funera, ela-
Hieronymus Coleta moritur.
tuſque in Paulina domo eſt Hieronymus Coleta Coratenſis, quo tempore præclara
eius facundia cœperat inſigni cùm morum compendio ſe ſe publicè explicare. Is an-
tequàm ad Clericos Regulares adoptaretur, theatra, quæ exercendæ iuuentuti, exci-
tari inter honeſtos interdum ciues ſolent, implebat incredibili gratia, ac planè roſciè.
Cum ſpem faceret perfectiſſimi eccleſiaſtæ,
Quod poſtea ſtudium ad ſacram eloquentiam, ac templorum pulpita cùm traduxiſ-
ſet, populari quodam genere dicendi audientium animos perindè afficere viſus eſt, vt
ſpem faceret abſolutiſſimi concionatoris; velificabatque ad principem eius facultatis
laudem; cùm reflante morte, contrahere vela coactus eſt, defunctus vita, ac dictione
ingenti cum ſuorum, atque exterorum triſtitia.

Iam verò Neapolitanum Sapientiæ cœnobium, noſtratum olim conſilio, ac ope
inſtitutum, & quod poſtea in noſtram omninò fidem receptum, regitur hodièque
noſtratum vigilijs; poſcit, vt eò calamum conuertamus: neque verò aliena, atque
extera adnotare dicendi ſumus, quando adhæret hoc noſtræ Sodalitati gynæceum,
ceu præcipua eius pars. Nec ſanè minùs intenta in illud, quàm in cætera Ordinis col-
legia moderatorum ſolertia, ac cura. Et quidem præſtantiſſimarum Virginum vir-
tutem, quæ hoc anno, aut ſub id fermè tempus ſpiritum in eo poſuere, haud æquum
Conſtantia Caraſa pie obit in monaſterio Sapientię.
eſt ſilentio diſſimulare. Intelliget quippè lector, non elanguiſſe proceſſu temporis
in eo monaſterio primæuam, robuſtamque viuendi diſciplinam, quam Maria Cara-
fa, Pauli Quarti ſoror ſanctiſſima Virgo, & Paulus ipſe, noſtrique homines ſuis mo-
nitis, curiſque inuexere. Igitur, quæ Auguſto menſe huius anni deſijt viuere ex eo
cœtu, Conſtantia Carafa fuit, Antonij Marchionis Montisbelli, Pauli Pontificis, ac
Mariæ nepotis filia, de qua memini, me alibi dixiſſe, quæ non hic reponam; ac ſatis
fuerit perſtrinxiſſe, quæ id loci prætermiſerim. Octuennis vnà cum Agnete Sorore
monaſterium inijt Conſtantia, nacta inibi Matrem, nempè Mariam amitam magnã,
cuius in ſinu educata, egregiam cùm in agendo prudentiam, tùm in moribus ſancti-
tatem hauſit ab ea diſciplina. Expetita ſæpiùs ad regimen domus opinione ſolertiæ,
ac zeli, cauerat ſibi literis Apoſtolicis, ne humilitatem, quam ſibi propoſuerat, præ-
Præeſt tyrocinio.
riperet honor, atque imperandi guſtus. Quod ſummi laboris, ac contentionis mu-
nus eſt, nempè tyrunculas inſtruere, id ſibi præfecturæ reſeruauerat, quam ea quidem
ſuauitatis, ſeueritatiſque mixtura accurabat, vt ſacta inſtituendę eiuſmodi puellarum
indoli videretur. Orationis, ac contemplationis cum paucis ſtudioſa. Pręcipuo in
Eius in Euchariſtiam pietas,
diuinam Euchariſtiam affectu ferebatur. Hę vnicę illi delicię, adſtare ad aram maxi-
mam, diuinamque hoſtiam venerari. Ibi ad noctis interdum conticinium preces
fundere: die verò vix grauiores curę ab eo cultu, locoque dimouebant. Eadem illi
Et in Deiparã.
in Deiparam religio. Die pręſertim eius Aſſumptioni ſacra nimiùm quantùm flagra-
re in illam ſtudio videretur. Apparare ſe ad principem magnę Matris celebritatem
longè antea conſueuerat ieiunijs, vigilijs, ſilentio, intentaque rerum diuinarum con-
templatione; tùm ſingulari deuotione excipere, ac cœleſtibus inundari copioſiſſimè
delicijs. Meritò paulò poſt ſolenniores eas ferias euocata in cœlum fuit: celebrauit-
Legum ſeruantiſſima.
que bis Diuę Virginis triumphos, ſemel terris, iterum cœlo. Porrò illud in religioſiſ-
ſima Virgine magnoperè dilaudandum, quòd affecto licet corpore, tenuique admo-

dum

dum valetudine, nullis vnquam domeſticis laboribus, regularique obſeruantia, ſibi, aut morbo adblandita, abſtinuit. Alacri ſemper ſpiritu communes curas aggrediebatur, ſufficiebatque vim corpori ardor quidam robuſtioris, flagrantiſque animę. Quę ſic vixit, non alio quidem obitu clauſerit diem ſuum, quàm feliciſſimo; fuitque certa omnium perſuaſio, in complexum cœleſtis ſponſi ſtatim à morte immigraſſe.

Maria Ioanna Villana exuit mortalitatem,

Hanc non longo quidem interuallo præceſſerat Maria Ioanna Villana ab illuſtri domo, ſed quę, & auitum genus, & opes prę religioſa paupertate deſpectui habuit. Duodennis ipſa florentis æui libamenta, non ad parentum nutum, aut inuita; ſed libens, ac volens Numini dedicauit. Emicabat in vultu eximia quędam indoles, atque immixta puritati modeſtia, ac comitas. Ab ſolenni profeſsione viſa curſu incitatiſsimo ad perfectionem niti, in qua dum nimiùm fortaſſe, ac ſupra vires conatur, diſrupta pectoris arteria, cruenta excreare cœpit; quo deindè morbo, alijſque corporis incommodis aſsiduò conflictata, mirùm, qua patientia toleraret: neque alio mulcere lenimento valetudinis acerbitatem conſueuerat, quàm Chriſti Domini cruciatibus, in quibus meditandis multa erat. Semel accidit, vt Saluator, crucem in humeris geſtans, obijceret ſe ſe illi, ac ſuauiſſimè alloqueretur: quo illa aſpectu mirificè erecta, atque incenſa, vt amare acriùs Deum, ita pluris æſtimare pœnas ſuas cœpit. Sanè eò affectus, amoriſque in diuinum Numen, in beatiſſimam Virginem, in Sanctos omnes Maria Ioanna deuenerat, vt inuſitato quodam exemplo agere perquàm familiariter cum ijs cœperit. Enimuerò veluti cum amicis, cognatiſque res eſſet, ſcribendi ad ſanctiſſimam Triadem, ad Dei Matrem, choroſque cœlitum epiſtolas finem nullum faciebat, eaſque ſuo nomine obſignatas, Angelo Tutelari ſuo, fidiſſimo nimirùm tabellario, dabat perferendas. In ijs nihil niſi flagrantiſſimum deſiderium, quo exſolui mortalitate, eorumque aſpectu frui, ac alloqui cuperet, exponebat. Poſt eius obitum non exiguus iſtiuſmodi familiarium literarum numerus, quas dubio procul dictauerat, atque exarauerat diuinus Amor, repertus in cellula eſt, ac viſa digna plauſu pietas, quæ vſitatum terris hoc ſcriptionis commercium, cœlo intulit. Quod quamuis non tranſmitterentur reuera literæ, putandum certè eſt, peracrem in ea fuiſſe cœleſtis Patriæ deſiderium, quod hoc ſpiramento epiſtolarum temperabat: neque ambigendum, eò ſpiritum allegare ſolitam fuiſſe, quò vellet perferri ſuas literas. Porrò præcipuum illi ſtudium erga ſacrum Chriſti Corpus erat. Quo die refici diuino epulo contingeret, contingebat autem ſæpiſſimè, ſeuero quodam ſui receptu, ſecum, & cùm Deo verſabatur, abſtinebatque penitùs conſpectu, alloquio, vſuque cęterarum virginum. Qui quidem receſſus, ac ſilentij obſeruantia admirabilia in ea erat. Rarò extra cellam, rarò loqui, ſolitudinis amantiſſima: planè vt oſtenderet alia ſe longè iucundiore teneri conſuetudine. In hoc virtutum ſtadio, curſuque acerrimo breui vt perfectionis, ita & vitæ metam attigit. Nam intra iuuentam, anno videlicet quinto, & vigeſimo euocata in cœlum eſt, feſtinato nimiùm exitu; vt votis, quibus flagrantiſsima diù puella exarſerat, faceret ſatis diuinum Numen. Ergò manante affatim per os, ac nares vi ſanguinis, ſeuerè medici pronunciant, haud longè abeſſe mortem: in qua illud memoratu dignum accidit. Enimuerò cùm animaduerteret ipſa, exhauriri iam vitam cum ſanguine, gauiſa magnoperè in ſinu eſt: deindè vt certior eſſet tranſitus, precata prolixiùs eſt Diuum Franciſcum, quem intimè colebat, vt iuuaret ipſe vota, ageretque ad Deum precibus, ne differri migrandi tempus, dilabique occaſionem ſineret. Interim muniri ſupremis ſacris oportuit: quibus ritè procuratis, monita diuinitùs Antiſtita, illam iubet, orare ex animo Diuum Thomam Aquinatem, cuius memoriæ ſacra ea dies erat, vt ſalutem ſibi impetraret: quo quidem nihil accidere illi intempeſtiuius, atque acerbius potuit: vt quæ aduerſari ſuis ipſa votis deberet, cerneretque certare cum precibus preces. Attamen, cui nihil prius, quàm obtemperare, paruit illicò, orauitque pro ſua incolumitate Diuum Thomam. Iam, inſequente mox nocte ſopore quodam correpta, videre ſibi viſa eſt, cœli Regem, liquidiſsima circumfuſum luce, ac gloria, ſolioque longè fulgentiſsimo ſublimem. Lateri aderat magna Mater, circùmque, infràque confertiſsima cœlitum panegyris. Tum è cœtu illo Diuorum emicare, ac ſiſtere ſe Numini Diuum Franciſcum, ac Diuum Thomam Aquinatem videt, qui veluti in forenſi quadam actione, peragere

Ab diſciplinæ ardore morbũ contrahit,

Eius ſcribendi ad cęlites conſuetudo,

Præcipuum in Dominicum Corpus ſtudiũ,

Et amor ſolitudinis,

Eius inter ſe preces oppoſitæ,

diſertè

Vnde ad diuinum tribunal contentio:

Dirimitur à ſupremo Iudice lis.

Moritur Villana non ſine Numinis illecebra.

diſertè ſuas quiſque partes cœpere. Franciſcus, vt defuncta vitæ mortalitate, aſſereretur cœlo Villana, contendebat; contra Aquinas, vt conualeſceret. Ardere vtrinque Patroni vigore quodam dicendi videbantur: certatumque ſtrenuè pulcherrimo in eo conflictu eloquentiæ, plaudente interim Diuis perorantibus cœlo. Cum ſupremus Prætor, veluti æqua lance dimicaſſent, componere ex æquo, ſiuè adiudicare vtrique litem viſus eſt; eamque ſententiam dixit: Superſtes eſto aliquot adhuc dies Maria Ioanna, quando Aquinati ſic placet: tùm, Franciſco efflagitante, ab rerum humanarum fluctibus erepta, portum æternitatis capeſſat. Id quod ita prorsùs accidit. Nam quæ breui moritura credebatur, vitam aliquantiſper extendit; fuitque id œui reliquum, ceu vitæ ſanctioris appendix, ac corollarium. Virtutes ſiquidem omnes viſa intendere: præcipuè in ea morbi, ac dolorum acerbitate præclara patientiæ documenta edidit. Inſtante verò obitus hora, aliam ab cœleſti Sponſo illecebram meruit. Siquidem vt decenti famulitio, atque honore ad nuptias introiret, miſſus ad illam eſt quidam è cœlo ſanctimonialium cœtus, quarum ipſa pleraſque de facie nouerat, quæ diſertè retulere, allegatas à Deo ſe, vt in cœlum, facto agmine, deducerent: ac mox compoſito ad hilaritatem vultu, ſerenaque fronte, ceu ſuæ iam gloriæ compos eſſet, animam efflauit. Præerat tùm quidem ex noſtris monaſterio ſapientiæ Marcellinus Oda, poſtea vniuerſi Ordinis moderator, cui præclaræ Virginis virtus, præcipuè diuinorum ſenſus, atque in extrema vitæ periodo tolerantia, ac pietas admirationi fuit.

Agatha Albertina piè obit.

Eius in monaſterio labores.

Et in regendo cœnobio ſeueritas.

Adnectenda huic Agatha Albertina, eximij ſpiritus Virgo, quæ ſub id etiam tempus diem clauſit extremum. Coœuam penè habuit pietatem, auſpicata à primis annis religioſam diſciplinam. Nouennis ſiquidem monaſterio ſe ſe mancipauit, cœpitque in eo ætatis rudimento durare teneram indolem aſsiduis laboribus. Nam præter orationis, ac pſalmodiæ penſa, quæ curare ſorores laicę ſolent abiecta cœnobij opera, nempè domum conuertere, fullonicam exercere, lances abſtergere, atque huiuſmodi alia, obibat ipſa ſtudio, ac demiſsione animi incredibili. Puellarum tyrocinio identìdem præfuit, quas ad eandem ſui deſpectionem, laborumque tolerantiam inſtiruebat, inflammabatque; ſui nempè exemplo, ac veterum, quæ vixerant, virginum præſtantiſsimarum, quarum ipſa mores expreſſerat. Cœnobium ſæpè adminiſtrauit, & quidem auſteriore quodam rectionis genere, acrique zelo: verita, ne ſi minima ſperneret, vitium faceret obſeruantia. Nihil illa ſolertius, aut accuratius: nuſquam, nulli officio deerat: curare grauia, in minutis manu, quàm iuſſu, nutuque promptior. Ardere, arguere vehementer, ſi quam ſegniorem, aut non eo ſtudio priſcas monaſterij leges, moreſque tueri conſpexiſſet. Inter operoſas præfecturæ curas aſsidua in fundendis precibus erat. Hoc illi nempè vnicum curarum laxamentum.

Orandi ſtudiū, & in Deum fiducia.

In ſuſcipiendis poſt obitum pœnis generoſitas.

Meditari præcipuè conſueuerat Chriſti Domini cruciatus, manantibus ſemper vberiore lachryma oculis. Inſignis item illi in Deum fiducia. Cum è grauiſsimo quodam morbo laboraret, eoque addubitarent ſorores, ne ex inopinato, intercepto ſpiritu, interiret: Parcite, aiebat, metu, filię: me ſiquidem bona ſpes tenet, fore, vt etiamſi ſubitaria defungar morte, cœlum teneam. Illud robuſti cuiuſdam ſpiritus, ac fortaſſe nimiùm fuit. Etenim ſupremam agentem animam cùm interrogaſſent, quot pro ſe piacularia ſacrificia offerri vellet, generoſiùs reſpondit: nulla equidem: ac peruelle ſe vſque adeò inter luſtrales flammas detineri, quoad Domino, ac Sponſo ſuo placuiſſet: fœdaſſe nempè culpis animam: ac par eſſe, expiari, atque abſtergi maculas eo igne. Planè, qui reſponſionem animo expenderit, prolatam fortiſsimè, ac ſupra hominem dixerit, atque hoc eſſe adamantinam, ac longè pretioſiſsimam geſtare animam, quæ flammas non timeat. Eximio hoc in Deum amoris, magnique animi teſtimonio obijt Agatha, & quæ vltrò ſe ſe igni deuouerat, euolaſſe ad Empyreum piè credimus. Hactenus in ſapientiæ monaſterio domeſtica me funera detinuere, in quo nihil præterea adnotandum præter exactam ad vnguem regularum obſeruantiam, ac pulcherrimam inter principes eas fœminas virtutum æmulationem ad Neapolitanæ pietatis exemplum.

Ariminū Vrbs in Flaminia.

Redeo ad rem noſtram Theatinam, quæ aucta inſequenti anno huius ſeculi ſecundo gemino domicilio eſt, Ariminenſi, ac Panormitano. Ariminum Vrbs eſt perantiqua

Digitized by Google

ſiquã in Flaminia, Pontificiæ Ditionis Prouincia, ad mare ſuperum: non ingens equidem, ſed quæ ſplendore ciuium, rerum copia, cœli bonitate, ac pietatis etiam laude æquare magnas Vrbes videtur. Sacrorum hic Antiſtes ea tempeſtate, Iulius Cæſar Salicinus Bononienſis, vtroque iure inter paucos conſultus, cuius facultatem profeſſus publicè, inſignique cum laude ingenij Bononienſi in Academia fuerat, qui cùm familiaris olim Paulo Quarto, noſtri Ordinis Fundatori fuiſſet, vt Maximi illius Pontificis ſapientiam, virtutemque nunquam ſine elogio repetebat, ita quicquid ab eo profectum nouerat, ſingulari quodam ſtudio proſequebatur: proindèque noſtram Familiam eo maximè nomine in oculis ferebat, amabatque plurimùm.

Iulius Cæſar Salicinus Antiſtes.

Quocirca cùm ſecundiſſimis etiam rumoribus noſtratum in commune bonum vigiliæ per Italiam ferrentur, tùm propenſione quadam animi, tùm hac potiſſimùm ſpe publici commodi, inire viam cœpit, qua Arimini domicilium noſtri figerent, eaque in area nauiter deſudarent. Ergò, commendata prolixiùs apud Vrbis magiſtratum Sodalitate, perſuadere etiam, atque etiam ſtuduit, quàm vtiles Ariminenſi pietati forent Regularium Clericorum curæ, ſi in eam ſegetem falcem immitterent; impetrauitque facilè ab ijs, quos noſtrorum hominum induſtriæ minimè latebant, vt deduci Coloniam efflagitarent.

Euocari Ariminum noſtros curat.

Quæ quidem vota cùm delata ſuperiore anno ad generalia comitia fuiſſent, complectenda communi ſuffragatione Patres decreuere; cùm Salicini Antiſtitis gratia, quem ſciebant Theatino nomini addictiſſimum, tùm Ariminenſium procerum, qui deſignatione ſitus, ac proniore munificentia, quam pollicebantur, voluntatem in Ordinem, opinionemque probabant oppidò eximiam.

Annuunt Patres.

Verùm, vt mora ſuccedunt momenta rerum, explorari diligentiùs, ac lenta quadam maturitate negotium oportuit, inſpectoque propiùs loco, quem deſtinauerant; tùm ciuium beneuolentia, fructuque, quem decerpſiſſent ſucceſſu temporis noſtri homines, comperto, immiſſus eò hoc anno eſt, qui domicilium fundaret, Bernardus Exuperantius, genere, ac regulari diſciplina cum primis ſpectatus; adiunctique, qui manus commodarent, non mediocris quidem virtutis, ac facultatis ſocij, qui communi omnium ordinum gratulatione, præſertim Epiſcopi excepti, ſuam ſtatim ſedem agnouere,

Et allegatur Exuperantius, qui rem conficeret.

nempè Diui Georgij templum; perantiquum id quidem, ſed cui ab æuo inornata admodum facies, ac cultus: annexumque illi contubernium, æquè expolitum, ac prætereа anguſtius, quàm vt homines caperet, locumque exercendæ diſciplinæ, atque obſeruantiæ daret.

Diui Georgij ſedes deſtinatur.

At enimuerò, quòd in frequentiſſimo Vrbis ſitu, inſtituendis nimirùm populis peridoneo, id cœnobium eſſet, atque ampliari aliarum ædium acceſſione facilè poſſet, haud grauatè ea tùm incommoda ſubiere; idque primis ſtatim curis aggreſſi, vt ſacræ ædis ſqualorem, inducto familiari noſtris eccleſijs cultu, detergerent, amplificarentque pro modo aream. Quod factum egregiè, cœptuſque pereleganter ſacrorum vſus, ac ſua ſtatis horis pſalmodia: tùm ſanctioribus diebus audita cùm animorum fructu publica è ſuperiore loco vox. Quæ ſanè ſtudia cùm intendi in dies cernerent Ariminenſes, ſuam erga recentem familiam beneuolentiam mirum in modum adauxere. Adire certatim eccleſiam, ac Patres; iuuare vltronea ſtipe rem domeſticam; vigilias, laboreſque deprædicare; ſacrorum ornatum, paupertatem Deo nixam, vitæ rationes, cæleſtium, quàm mortalium conſuetudini propiores, admirari.

Ad quam accurrunt certatim Ariminenſes.

Qui ſibi eius Coloniæ auctor videbatur, Salicinus Epiſcopus, ea noſtratum induſtria maximo quidem opere oblectabatur: & qui inſtitutum, atque in rerum domeſticarum cura indictum noſtræ paupertati ſilentium nouerat, ſubmittere ipſe vltrò eleemoſynas, nec parca quidem manu conſueuerat. Noſtrum ſæpè templum ſignificandæ egregiæ voluntati adibat, ſacriſque inibi operabatur. Semel argenteam peluim, atque ex argento item vrceum, quibus vſus abluendis manibus fuerat, expleta re ſacra, munificè Patribus donauit. Iterum pulcherrimi operis calicem, ac ſacerdotalia, in quibus tùm quidem ſacrificauerat, indumenta ijſdem rara quadam beneficentia dono dedit.

Salicini Antiſtitis beneuolentiæ argumenta.

Extare ad æui memoriam iſthæc in rerum noſtrarum commentarijs beneuolentiſſimi Antiſtitis humanitatis argumenta æquum eſt, ne obliuione areſcat manus, tàm magnificè in noſtrum commodum exporrecta. Hunc poſtea vita functum, cum iuſta illi exequiarum ſolenni ritu Arimini perſoluerentur, funebri laudatione proſequutus eſt Franciſcus noſter Boluitus, contigitque ſplendidiſſimo

diſſimo quidem argumento par dictio: vtque communem omnium, præſertim no-
ſtri Ordinis ab eo funere mœſtitiam ſignificaret, exorſus orationem eſt ab ijs Regij
Pſaltæ verbis: In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra: appoſitè qui-
dem, & ad Salicini Antiſtitis nomen, & ad mœrorem publicum. Facit autem ad no-
Defunctum laudat Bolutus. ſtræ Sodalitatis commendationem, quod cùm Ferdinandus Vghellus in ſua Italia
ſacra Epiſcopum Salicinum meminit, id illi potiſſimùm laudi tribuit, quòd Clericos
Regulares in ſuæ vineæ culturam, ac procurationem euocauerit: veluti non vulgare
quidem ornamentum, & commodum Vrbi illi acceſſerit eius opera.

Atenimuerò optimi huiuſce Antiſtitis cõmemorari eximia aduersùs noſtrã familiã
beneuolentia vix poteſt, quin obijciat ſeſe longè magnificentius argumentũ calamo:
nempè, qui eiuſdem nunc Eccleſiæ Ariminenſis Cathedram moderatur Fridericus
Card. Sfortiæ in Clericos Reg. ſtudium. Cardinalis Sfortia, ab ſplendidiſſima domo Princeps, ſuorum purpura perindè ac ſua
inclytus, conſilio, pietate, religione, zeloque morum ijſdem ipſis ampliſſimis Inſulis
longè maior. Incredibile planè dictu eſt, qua beneuolentia, atque exiſtimatione de-
mereri cùm noſtrum Inſtitutum, tùm Ariminenſe præſertim cœnobium ſtudeat.
Commendare paſſim vigilias, curaſque Patrum in more habet. Suam illis conſcien-
tiam, atque arcana pectoris credit, ijſque perquàm familiariter vtitur. Publicis Ec-
cleſiæ commodis, ac conſultationibus adhibet. Sanctimonialium collegia nulli li-
bentiùs, quàm Theatinæ fidei, inſtitutionique permittit. Domum ſæpè, ſæpiùs tem-
plum, ornandis ſuæ præſentiæ, oriſque dignitate celebritatibus adit: cumque & ac-
cumbere frugali cum ijs menſæ non dedignetur, excipit non rarò illos ſuo prandio,
ac frequenter cibos ſubmittit. Illud ſanè ad egregiam quandam affectus teſtificatio-
nem. Cum mitti eiuſmodi opſonia contingit, inſpicere ipſe priùs ſolet, atque accu-
ratè recognoſcere; vt quæſitius ab ea diligentia, humanitateque condimentum ac-
cedat. Scilicet, hoc illi proprium, vt beneficium, & conferat amplitudine, & ornet ſtu-
dio. Quę ſanè ita affectus Ordinis omnes ſibi deuinxere, vt ingratę profectò ſint noſtrę
literæ, niſi quæ ſuo eſſent in loco olim deſcribenda, curſim ſaltem ſtylum occupent,
gratijs pro modo exſoluendis, ac ſcriptioni etiam honeſtandæ ampliſſimi Cardina-
lis nomine, ac beneficentia. Qui quidem viſus, dum hæc ſcriberem, beneuolentiam
Et in illum B. Caietani beneficium. in Ordinem, ac pietatem pręſertim in beatiſsimum Conditorem noſtrum Caietanum
Thienæum ab ſingulari quodam beneficio mirificè intendiſſe. Siquidem cum à cal-
culo, periculoſiſsimo videlicet morbi genere laboraret, atque vtendum ferro ſeuerè
medici pronunciaſſent, in ſummo eo rerum diſcrimine præſidium à ſuis Diuis Tute-
laribus petere pijſsimus Cardinalis ſtatuit, atque ab illo præcipuè, quem vrna, ac
ſors decreuiſſent. Ergo, collatis quàm plurium Diuorum nominibus, depromptus
Caietanus. cui dum ſe, curationemque, ab inteſtino eò malo longè difficillimam,
Sfortia commendat; ferrum, manum, cæſionem ita Dei ſeruus adgubernauit, vt fa-
cili vulnere confecta res ſit: extractiſque non exiguæ magnitudinis calculis, breui etiã,
ac contra quàm accidere in eiuſmodi ſectionibus, vſus doceat, Cardinalis conualue-
rit; vt facilè is ſibi perſuaſerit, adfuiſſe diuinam opem, Thienæi præſertim precibus
quæſitam. Id, quod votiuis ſubindè donarijs teſtatum voluit, miſſa Neapolim
noſtro D. Pauli templo, vbi Beati Viri manes inſigni populorum pietate celebrantur,
argentea ſexaginta circiter pondo lampade, ac tabella item ex argento, beneficij te-
ſte. Romæ verò, vbi vulnus, ac ſalus contigit, feſtum eius diem religione, cultu, con-
centu vocum, atque omni manificentiæ genere in noſtra Diui Andreæ baſilica co-
a Iob.22. luit. Bonum factum: dedit a pro ſilice torrentes aureos. Eiuſmodi autem religionis,
gratique animi ſpecimen in D. etiam Antonium Patauinum edidit tùm quidem Prin-
ceps Eminentiſſimus. Arimino ſiquidem Romam diſcedens, vt vitæ, ſalurique ſuæ
graui eo vulnere conſuleret; id vouit, vt ſi à pertinaci eo morbo dolor in itinere mini-
mè recrudeſceret, lampadem ex argento Ariminenſi noſtræ Eccleſiæ, Thaumaturgo
illi magno ſacræ, mitteret. Adſuit præſenti ope clienti ſuo Diuus: ac dolor quidem
tantùm abeſt, vt à longioris viæ incommodo, motuque corporis excreuerit, vt miti-
gari non minimùm viſus fuerit. Igitur voti compos Cardinalis, fidem laborato ar-
gento, quod perſanctè pollicitus fuerat, ſtatim liberauit: extantque ad æui fidem
hæc in noſtris Eccleſijs Sfortianæ munificentiæ, ac pietatis monumenta in Patauinũ,

ac

ac Thienæum noſtrum; nec dubitamus fore, vt reliquam pij Principis vitam incolumem Diui illi ſeruent, fortunentque. Iam verò in Ariminenſi ea Sede nobiliſſimus item Romanus Antiſtes è gente Cæſia præceſſerat, qui ita etiam vſus noſtratum operа, ac ſtudio fuerat, vt ſiuè formanda communis diſciplina eſſet, ſiuè reſtituenda regularis ſanctimonialium obſeruantia, ſiuè luſtranda Diœceſis, ſacrique ordines, ac ſacerdotia conferenda, fluxiſſe ab eorum conſilio, nutuque omnia voluerit. Id quod, & deceſſor Pauonius fecerat: planè vt excreuerit maximè apud reliquos ciues in noſtrum Inſtitutum beneuolentia ab inſigni clarorum Antiſtitum voluntate, atque exiſtimatione. *Et Antiſtitis Cæſij, & Pauonij.*

Ad Ariminenſem modò eccleſiam reuertimur, quę Diuo Georgio nuncupata, abijt mox in Diuum Antonium Patauinum. Compertum omnibus eſt, quid in ea Vrbe ad morum formationem, Chriſtianæque diſciplinæ integritatem alter ille Thaumaturgus patrarit. Hic vt mortales attentionem, ſtudiumque diuini verbi docerent; euocati ad concionem piſces, exerto turmatim capite, auſcultare declamantem viſi. Hic, poſito genu, mula adorare ſacroſanctum Chriſti Domini corpus, fruge relicta. Hic alia ab eo mirabilia, quibus inducta fidei puritas, expoliti ad ſanctitatem mores, fracti, perductique ad frugem hæretici, qui tùm, eiubrata paſſim lue, per Italiam graſſabantur, eamque maximè Ciuitatem afflauerant. Eaque propter cum plurimùm magno Patauino deberent Ariminenſes, extare inclyto Tutelari ſuo in ea Ciuitate templum, conſentaneum duxere. Itaque collatis vnà votis, quod olim conſilium ſuſceperant, mandari tandem exequutioni ſtatuunt: itumque in eam ſententiam, vt quando anguſta Clericorum Regulariũ vigilijs Diui Georgij ædes eſſet; amplificato ipſi ſitu, baſilicā ære publico Diuo Antonio ira exædificarēt, ac nũcuparent, vt ſuum eſſet in Eccleſia Diuo Georgio ſacellum. Quod ſanè iucundiſſimum noſtris accidit, ac gratulati vehementer ſunt, ſuæ fidei commendari templum, quod cõmuni nomine, ſũpruque ſanctiſſimo Patrono ciues excitarent. Nec mora: die tertia decima Iunij menſis, Diuo ipſi Patauino ſacra, anno voluentis ſeculi tertiodecimo aperta eius ædis fundamenta fuere; obiuitque ſolenni ritu, ac precatione ea primi lapidis ſolennia Philippus Bilis ex noſtris, Calienſis Epiſcopus, qui pridie eius diei in principe Vrbis templo de eccleſiarum cultu, nouaque ea ſubſtructione ad concionem diſertè dixerat. Et adauxere quidem celebritatem omnium ordinum concurſus, ac gratulatio, quam & publicis ignibus, feſtaque tormentorum diſploſione teſtaram voluere. Abſolutam hanc deindè eccleſiam iniere gratanter noſtri, ſacriſque functionibus, pſalmodia, ac ſacramentorum vſu modò celebrant. In qua quidem eſt etiam cur aliquantiſper immoremur. Facturum nanque me operæ pretium puto, adnotare hic dignam memoratu rem, ne quod vetuſta duntaxat fama, ac traditione conſtat, omninò conſeneſcat. Extat hic cuiuſdam Epiſcopi monumentum, ac pignus, de quo nulla in hiſtorijs mentio, ſed, tradita per manus auita religione, pro ſancto paſſim habetur, ac colitur. Gregorium vocant, natione Germanum: feruntque, venientem è Germania Romam ad Apoſtolorum limina, ſernos, ſiuè auaritiæ œſtro percitos, ſiuè malus quidam genius ad id ſceleris impulerit, propè Ariminum vulneribus confectum, in altiſſimum, qui propè aderat, puteum conieciſſe. Patuit oſtentis crimen. Campana ſiquidem æra ſponte ſua è ſacris turribus ſonuere: deindè viſa è puteo ingens quædam flamma impetu euolare, ac cœlum lambere. Quibus rati, diuinitùs moneri Ariminenſes, eò confeſtim acceſſere, inſpectoque puteo, repertus miſerandum in modum exhauſtus Antiſtes, & vnà lanceæ cuſpis, qua fuerat confoſſus. Aſportandum in Ciuitatem curant corpus exanime: currum expediunt: ſed ecce tibi cumulata in itinere portenta. Diſtabant quingentos non ampliùs paſſus ab Vrbe, cùm ſubſiſtere boues viſi, obſtinatiùs quidem, quàm vt ſtimuli, aut voces valerent. Hærere ciues, ignari quid conſilij caperent. Factum id diuinitùs; atque inuiſibili quadam ope explorari, curarique oportere: Propè hinc aberat ſacra quædam ædes extra viam regiam, vbi morari Diuus Gaudentius, Ariminenſis Epiſcopus, conſueuerat, qui in eo tùm rerum æſtu accurrens, facto gradu, funes ipſe boum arripuit; atque ad extinctum ſe ſe Epiſcopum conuertens: Serue Dei, inquit, libeat ad propiorem hanc meam eccleſiam diuertere, curabo ipſe perhonorificè funus, ac tumulum. Miſum

D. Antonij Arimini miracula

Cui templum decernitur,

Ac noſtris tribuitur,

D. Gregorij corpus in Ariminenſi eccleſia.

Illata illi mors miraculis illuſtratur.

Ducitur in Ciuitatem.

Sed nouo miraculo aliò deflectit.

ſanè dictu: hæc vbi Gaudentius pronuntiauit, relicta boues militari ad Ciuitatem via, ad ſacrã illã ædem deflexere, vbi inſigni cũ populorũ acclamatione, ſolennique ritu cohoneſtatus ſepultura eſt, ibiq. diutiùs quieuere pij manes; quoad bellis cuncta deuaſtantibus, eorum ſecuritati cautum; translatuſque eſt Diuus Epiſcopus in D. Georgij eccleſiam, vnde in nouam hanc D. Antonij tranſijt; vbi hodieq. non æuo, non ſitu libatus, ab Ariminenſium pietate colitur: putantque eius olim vitam fuiſſe eximiè ſanctam, cuius poſtea mortem cœlum tot miraculis conſecrauit. Acceſſere deindè exornando huic templo & aliç Sanctorum reliquiç. Et in ſuperiore quidem eius

D. Philippi Nerii lipſana à Iulio Diotalleuio,

parte proſtant in Mariano Sacello inſignia quædam D. Philippi Nerij lipſana, quæ Iulius Diotalleuius, e patricio ordine Ariminenſis, atque ex Oratorij Congregatione ſpectati moris ſacerdos, ſingulari in noſtros beneficentia dono dedit; ac neſcio, an obſtringere luculentiore beneficio noſtratũ animos potuerit. In ara autem, Beatis Caietano Thienæo, & Andreæ Auellino ſacra ſplendidè quidem iacent Sanctatũ Martyrum Felicitatis, & Hirenes pignora. Pręclarum id munus fuit Iſabellæ Tingolç Pauonię, ornatiſſimæ fœminç, quç illas ſibi opes è Diuç Agnetis cœmeterio via Nomentena quæſiuerat ſub Innocentio, qui fauſtè nũc regnat, Põtifice Decimo. Et ſanè, quòd

Et geminum Sanctarum Martyrum pignus ab Iſabella Tingola.

ad Diuç Felicitatis corpus attinet, admirationi deſeruijt, exculta eius loculo apparuiſſe Pontificiæ domus inſignia, nempè lilia, & quæ virentis oleç ramum ore præferat, columbam. Significatum hinc nempè, affinem quodammodò, atque inſertam Regnatrici domui felicitatem. Reliquos autem Diuorum cineres, qui hic extant, adaugentq. venerationem, ac cultum, recenſere ſingillatim ſuperſedimus.

Porrò fœcunda quadam ſucceſſione virtutum viſa perẽnare in noſtra hac eccleſia morum ſanctitas, in pleriſque videlicet excellenti religione, ac ſpiritu fœminis, quæ noſtratum diſciplina, ac monitis ablegato mortalium ſtudio, Deo ſe ſe intimè deuouere. Quem ſanè à Theatina induſtria fructum in Ariminenſi hac colonia non eſt,

Clara Diotalleuia.

cur diſſimulemus. Clara Diotalleuia, quà ſtirpe, quà indole nobilis, incomparabili quodam vitæ genere exemplo, atque admirationi fuit. Matthęo primùm Sanctomango, viro ex noſtris abſolutiſſimo, deindè Franciſco Nigrobono, eximij item ſpiritus Sacerdoti operam dedit, à quorum præceptionibus mirũ, quos in via Dei progreſſus habuerit. Habitus illi Capuccinarum omninò in morem craſſior. Nudo veſtigio incedebat. Horarias ex Romano breuiario preces quotidiè perſoluebat. In rerum cœleſtium contemplatione aſſidua, nocteſque fermè integras in ea traducebat; & ne abrumperet ſomnus, commentati paſſis brachijs ſolita erat. Cum verò ad breuem ſe ſe quietem componeret, corpus ſtramenta excipiebant. Aliquot externo operi interdiù horas dabat; cedebatque in pauperum vſum labor. Orphanas præcipuè curandas, alendaſque ſuſceperat, in quarum cõmodis vigilias, ac cogitationes ſuas omnes collocabat. Nulla ab imbre, à niue cœli iniuria detinebat, quominùs

Et Euphraſia germana ſoror:

quotidiè illas inuiſeret, ac beneficentia cumularet. Vnanimis huic ſoror, ac ſimilis omninò virtutis, ab eadem nempè diſciplina, ac ſchola. Nomen illi Euphraſia: perpetua ſui hoſtis, ac vindex. Diuerberare ſeuerè corpus, vigilijs aſſiduè atterere: geniũ, naturamque vt frangeret, putrem perſæpè aquam exſorbere, ſolita erat. In precibus ſatis multa. Silentio ita ſtuduit, vt eloqui Euphraſiam, portenti ſimile videri poſſet,

Lucretia Galeotta.

cogebatque ſuprema neceſſitas. Par in Lucretia Galeotta pietas, religio, ſui odium, atque in corpus rigor: rexitque eius indolem, ac cœteram virtutem, quem modò laudauimus, Nigrobonus. Hieronimam Palazzinam eximia item pietas, ac ſanctioris

Hieronyma Palazzina.

vitæ inſtitutum commendauit. Nobile illi genus, quod ſingularis planè oris ſpecies, ac gratia ita cumulabat, vt nihil ea eſſet in flore æui, aut à forma pulchrius, aut à cultu elegantius: Sed inſtillante ſenſim pietate Hieronymo noſtro Galerato, vitæ rationes in medio ipſo elegantiarum curſu mirificè commutauit. Et quæ à vultus præſtantia, ac venuſtate dilaudari vulgò conſueuerat; cõmendari poſtea ab inſigni modeſtia, à ſolitudine, à Sacramentorum vſu, à corporis afflictatione cœpit. Non abſimili rerum humanarum contemptu receptui cecinit Gineura Catanea, florentiſſima item

Gineura Catanea.

virgo. Eius thalamum è nobilitate certatim plures affectabant. Incerta ipſa, cui ſe permitteret, id conſilij cepit, vt quem primùm obuium habuiſſet, deligeret. Ergò cuiuſdam religionis cauſa egreſſa domo, ita rem Deus adgubernauit, vt ex iis neminẽ

oſten-

offenderit. Reuerſa, Redemptoris é cruce pendentis ſignum, in terram deiectum, domi reperit, cuius aſpectu pulſari intimè ſenſit, eoque mox animi motu inflammari, vt eierato amore mortalium proſùs omni, cœleſti ſe Numini, ac ſponſo dedicauerit; ac rectore Sanctomango, vitam inſtituit procul nuptijs, eiuſmodi ſponſo dignam.

Gabriela Cambalunga.

Profundam ſenio, ac virtute etiam grandœuam annectimus Gabrielam Cambalungam, cui & præcipua inerat à ſtirpe generis commendatio. Libeat hinc eximiæ fœminæ religionem coniectari. Iam octuogenaria miſſarum ſacra fermè omnia in noſtra Eccleſia quotidiè auſcultabat; idque de genu, ac nullibi vnquam innixa, vt admirationi planè eſſet ille in ſenecta adeò ætate vigor. Ad hæc, communis quędam pauperum mater dici iure poterat, ita prona ſemper manu aliorum indigentiam ſubleuabat. In noſtram familiam ad vltimum ſpiritum quàm munificentiſſima; quam & hæredem ex teſtamento dixit. Iam, ſingulas ſpectatæ eiuſmodi virtutis, famæq. mulieres, quæ ſua veluti in areola, noſtra in Eccleſia pulcherrimè floruere, ſtylo perſequi, longiùs profectò eſſet. Paucas ad ſpecimen indigitaſſe abundè fuerit. Nam Laudomiam Diotalleuiam, & Erminiam Baldam, nobile fœminarum par, quæ non ita pridem florente æuo, ac virtutis indole è viuis exceſſere, quòd pręclara earum pietas narrari fusiùs poſtulet, ſuo in loco opportuniùs dicentur. Illud hic porrò ad extremum, antequàm aliò flectat narratio, perſtringendum. Extat Arimini Sodalitium, cui à Diuo Hieronimo nomen, floretque à maiorum gentium cùm numero, tùm pietate, ea quidem apud omnes exiſtimatione, vt quæ quiſque ſupremis tabulis legat pia opera, ſi peragi expeditè velit, ijs potiſſimũ Sodalibus, eorumque fidei credat; veluti iam factum putet, quod grauiſſimis perindè ac pijſſimis viris cõmendauerit. Hic igitur præſtantiſſimorum procerum cœtus ſub ipſum Ariminenſis cœnobij initium vix noſtratum mores, atque inſtitutum propiùs inſpexere, cùm eorum auſpicijs, ductuq. temperari ſuam diſciplinam peroptarunt, permiſeruntque ſe vltrò Theatinæ clientelæ. Et Patres quidem ita loci, pietatiſque vigilias ſuſcepere, vt cùm plerique non vulgatis quidem ſpiritus viri in ijs curis ſucceſſiuè deſudauerint, in ingentem Sodalitij dignitatem, communiſque virtutis incrementum continuata à noſtris rectio ceſſerit. Planè cùm ad publicam Vrbium religioem, morumq. fructum non minimum momentum habeant priuati hi piorum hominum conuentus, eos præſertim præclari operis laus tangit, qui habenas, ac rerum ſummam nauiter, prudenterque temperauerint. Sed de Ariminenſi collegio ſatis.

Sodalitium D. Hieronymi noſtri in ſpiritu moderantur.

Vocat modò narrationem Panormitanum Cœnobium eodem hoc anno fundatũ. Tentatum id olim fuerat, auſpice Marco Antonio Columna, eius Regni Prorege, viro triumphali, & Hieronyma ſorore, lectiſſima Principe, MontisLeonis Ducis coniuge, qui, vti aliàs ſignificatum eſt, pro ſingulari in noſtrum Ordinem ſtudio id enixè curarunt, vt figerent in eo Regno, pręcipuè Panormi, Clerici Regulares ſedem. Verùm, quòd decretum ſuum cuique rei tempus, caruere tunc ſucceſſu vota. Inſtaurato verò viginti poſt annis, vel eo ampliùs conſilio, fauente potiſſimùm hæreditaria quadam beneuolentia Ioanna Pignatella, Hieronymæ Columnæ filia, Terræ nouæ Ducis coniuge, confecta hoc anno res. Negotium Thomas Gueuara, vir inſigniter prudens, & cui non mediocris cùm ſacrarum literarum eruditio, tùm publicæ eloquentiæ facultas inerat, inchoauit. Terminum, quæ Vrbs eſt proximè Panormum, petierat ſuperiore anno ſummis votis à Patre Generali, vt eò ex noſtris mitteret, qui Quadrageſimæ ferijs diceret ad concionem. Ob loci diſtantiam ægrè ille annuebat, ſed valuere Clementis Sutariani, Terminenſis officia, viri egregiè probi, qui nomen Congregationi dederat ante annos triginta, & cui amor Patriæ, vt iam pectus vellicabat, ita exacuere preces potuit exorando Patri Generali, quem & iniecta etiam ſpes Siculi domicilij permouit; deſtinauitq. Gueuaram, virũ nempè, qui & dicendi vſu, ac neruo Terminenſiũ expectationi reſponderet, &, ſi Coloniæ ſubindè occaſio oriretur, expediret prudentia, atque in agendo dexteritate negotium. Attributus illi ſocius Sutarianus, atque vnà ſimul Panormũ Nouembri menſe appulere, excepti perhumaniter à Dominicanis Patribus, apud quos triduum non amplius verſatos, diuertere ad Diuæ Catharinæ domiciliũ, quod ab Oliuella Panormitani vocant, oportuit. Locum ſpectati probitate, ac religione ſacerdotes tenent. Solennia hi quidem religioſorum

Tentatum olim Panormitanum cœnobium.

Fundatur hoc anno.

Mittitur Thomas Gueuara.

hominũ ritu vota minimè ſuſcipiunt: Cæterũ conuictu, diſciplina, ordine, procuratione, cultuq. ſactorũ nihil à Regularium cœtu diſtant, florentque honeſtiſſima apud ciues fama. Inter hos quidam Clementis Sutriani conſobrinus vixerat, cui nomẽ Antonius Gentilis, elatus non ita pridem: qui cũ ſuorum bonorũ ex aſſe hæredem D. Catharinę domicilium dixiſſet, id in noſtrares ſtudio addiderat, vt, ſi quando aduentare illos Panormum contigiſſet, tenerentur Oliuellæ Patres, aut hoſpitio eos liberalitet excipere, aut certã auri sũmam pendere: vt ſanè admirari diuini Numinis prouidentiam oporteat, quæ ignotis viris, ac inſcijs curare cõmoda, eaq. anteuertere peramanter ſtudet. Itaq. conuenere noſtros viri optimi, atque ex Gentilis teſtamento hoſpites eſſe ſuæ domus monent; ac poſtquàm luctatũ aliquantiſper cum Dominicanorum charitate, ac beneuolentia, vicere ſupremæ tabulæ; eòque tranſlati Gueuara, & Sutarianus, perindè familiariter, ac beneuolè habiti ab ijs fuere, ac ſi ex eò contubernio Sacerdotes eſſent. Contigit porrò, vt qui ſanctioribus Dominici Aduentus diebus in Eccleſia de more ad populum diceret, in tempore minimè adeſſet; rogatuſq. impenſiùs Gueuara, eius muneris vices repræſentarit. Vnde aperiri quidam fundandę domui aditus cœpit. Enimuerò cũ robuſtum, ac efficax in eo declamandi genus probaſſent paſſim ciues: qui optimè in noſtram diſciplinam animati iam erant, inflammari tũ vehementiùs, atq. inire viam ſeriò cœpere, qua Clericos Regulares Panormi conſtituerent. Publica iſthæc vota Gueuaræ ſtatim ſignificarunt, qui rem cõmunem temperabant viri proceres, precati, vt poſt Cinerales Conciones Panormum tranſigendo negotio reuerteretur: interea temporis monituros ſe ſuſcepti conſilij Patrem Generalem, atq. omni ope curaturos, vt digna Ordine, Inſtitutoq. contingeret ſedes. Prȩclarum hoc Ciuitatis longè nobiliſſimę ſtudium pergratũ Patri Generali accidit, ac re cum ſuis Conſultoribus communicata, ac nimio quidem opere probata, Gueuarã iubet, poſt exactos Quadrageſimæ labores Panormi ſe ſiſtere. Quando cõmunis, atq. eximia adeſſet procerũ voluntas, fieri vix poſſe, quin cætera ad votũ fluerent. Intenderet ipſe in eã curam neruos, ac ſolertiam ſuã, & ſi locum, ſitumq offerrent, noſtris vigilijs parem, acceptaret vniuerſę Religionis nomine. Nihil potiùs Gueuaræ fuit, quàm vt peractis concionibus maturandæ rei rediret, atque vteretur publicis ciuiũ ſtudijs, quoad ſtrenuè calerent: gnarus, egregiũ quidem, piumq. Siculis ingenium; ac ſi perduraret ardor ille, ac impetus præclaræ mentis, gentem fore ad omnem pietatis, ac virtutis laudem capeſſendam nulli ſecundam. Perluſtratæ quàm diligentiſſimè Vrbis regiones fuere cũ à Magiſtratu, tùm priuato nomine à pleriſq Theatini Inſtituti perſtudioſis. Verùm cũ excipiendæ familię, exercendæq. diſciplinæ nuſquam opportuna appareret Eccleſia, ac domus, faciliùs fore, reputarunt, ſitum quendam cõparare, vbi Eccleſiam ipſi poſteà exędificarent: proindèq. id mentis cepere vt tria aureorum milla Gueuarę ſoluerent: quæreret ipſe in frequenti, bonaque vicinia locum, ac coëmeret: non defuturos ſe auctoritate, ac ſtudio, vbi res poſceret. Interea Siciliam commodùm appulere Carolus Aragonius, & Ioanna Pignatella Terræ nouę Duces, pijſſimi coniuges, qui eandem hanc mentem figendę Panormi Theatinæ familiæ attulere. Propenſi nanq. oppidò in rem noſtram cõmunem, conſiſtere inibi noſtrates peroptabant, quos in re animorũ, atq. in ſuæ præſertim pietatis, morumq. inſtitutione induſtrios, accuratoſque cùm Neapoli, tùm Mediolani, quo tempore Dux Carolus Aragonius Senior Inſubriam ſupremis faſcibus temperabat, experti iam fuerant. Eò ſecũ adduxerant ex noſtris etiam Ioannem Antonium Angriſanum, perfamiliarẽ ſibi, atque intimè carum, Patris Generalis nempè nutu, atque eo conſilio, vt ſi fortè nacti opportunum Inſtituto locum fuiſſent, vti animo conceperant, vnà cũ Gueuara, & Sutariano iungeret operam Angriſanus, ſtatimque rudimenta ponerent diſciplinę, atq. haberent Duces ipſi præterea virũ grauem, ac familiariſſimum, quocum animorum momenta communicarent. Ab horum principũ ſtudio intendere noſtrates, & qui negotio fauebant, diligentiam cœpere; ac tandem ad extremũ Vrbis latus cũ excurriſſent, animũ ad Diuæ Marię templum, quod à Catena nuncupant, adiecere. Loco dignitatem, ac pretiũ faciebat Deiparæ nomenclatio, ac vetus in illam populorũ obſeruantia; tũ ſubiecti maris proſpectus, apertuſq. ſitus, exædificationi percõmodus. Adiacet hæc baſilica Ciuitatis portæ editiore in loco, ac per gradus, eoſque ampliſſimos,

Ad Oliuellę Patres diuertit.

Panormitanæ domus conſilium.

Quæritur noſtro Inſtituto domus.

Terræ nouę Duces Panormum adeunt.

Et cum iis Io. Antonius Angriſanus.

In D. Mariæ à Catena colliniãt noſtri.

Digitized by Google

mos, ad illam conſcenditur, quos excipit porticus à columnis, à cælaturis, à forma ipſa planè ſplendida. Terni ab ipſa porticu ad eccleſiam aditus, Parij marmoris cultu, ſculptiſque ſubtili quidem opere figuris oppidò magnifici. Intùs tripartitò diuiditur, ſuſpenſoſque arcus columnæ non minùs quatuor ſupra viginti ex marmore, ac nonnullæ etiam porphyriacæ, ordine quidem Corinthiaco ſuſtentant. Inclytum Siciliæ Regum opus, Martini primi, & Mariæ Friderici Regis filiæ; teſtandæ in Deiparam obſeruantiæ, atque in celebris miraculi monumentum ab ijs baſilicè excitatum. Rem hic breui adnotaſſe, pretium fortaſſe erit, ac voluptati legentibus. Elato Friderico Tertio, anno reparati orbis milleſimo ſupra trecenteſſimū ſexageſimum octauū, quòd nullos maris ſexus liberos excepiſſet, Mariam, quam diximus, vnicā ſobolem, hæredem Regni dixit, cōmendauitque Artalis Alagonæ fidei. Accidit, vt oborta inter Artalem, & Manfredum Claramontium, Modicæ Comitem peracri diſſenſione, non mediocre exarſerit ciuilium turbarum incendium: adeò vt ſciſſa in partes Sicilia, odijſque, ac armis in dies recrudeſcentibus, trahi inteſtinum hoc malum graui cùm publicæ rei damno contigerit: tenuitque diutiùs, hoc eſt, tredecim omninò annos calamitas. Interim Reginam commiſeratus Guiglielmus Raymundus Moncada, illam, facto impetu, è Catanæ arce extrahit, ac triremi adornata, Barcinonem ducit. Nec mora: Martino ſtrenuo Principi, Martini, Montis albi Ducis, Ioannis Aragoniæ Regis germani fratris filio, illam deſpondet. Feſtinato dein reditu, vnà cum ſponſo, & Martino ſponſi Patre in Siciliam Maria poſtliminiò reuertitur. Drepani communibus ſtudijs Reges excipiuntur; mox Panormus, quòd pro Claramontijs ſtaret, dum obſidione cingitur, dat manus. Potiti rerum, dum componendis diuulſis Regni partibus curas adijciunt Reges, vindicari pleroſque rebellium, vt monerent exempla alios, oportuit. Inter cæteros damnati capitis viri tres, quos ſua quidem conſcientia abſoluebat, ſed qui eſt in rebus turbidis impetus, tumultuaria quadam cauſæ quæſtione, luſa iudicia fuere. Igitur ad ſupplicium pertrahuntur: cùm oborta repentè procella, fulgure, tonitru, grandine, fœdiſque imbribus vſque adeò ſæuire cœlum cœpit, vt diuertere ad Marianam quandam ædiculam, quæ propè aberat, atque à Portu tùm appellabatur, oportuerit. A ſacra Virginis effigie erecti ſpe bona innocentes viri, rogare prolixiùs, ac ſe ſe Virgini commendare. Mirum dictu: fracti momento nexus, ſolutique, qui reuincti ad pœnam fuerant, deprædicare ab Auguſta Virgine libertatem ſuam cœpere. Collato cælitùs beneficio ſubſcripſere illicò Reges; ac inſuper ad rei titulum magnificentiſſimum hoc magnæ Matri templum excitarunt, quod à mirabili vinculorum euentu Diuæ Mariæ à Catena nuncupatum voluere. Extat hodièque percommodo in Eccleſiæ ſitu index miraculi tabula, quę ſcriptis carminibus Mariani patrocinij mortales monet. Solennis exindè hæc Imago Virginis Panormitanis fuit, ac commune omnium perfugium: adeò vt graſſante publica quauis calamitate, ſi forté inſtitutis per Vrbem ſupplicationibus, circumferri Diuorum lipſana contigerit, ad hanc demum eccleſiam ea deferant, excitandę videlicet Beatiſſimę Virginis tutelę, planè nunquam ſine fructu. Id ſemel accidit. Inuaſerat Panormum fames: cumque nihil iam humanę opis reliquum eſſet, pulſare cælū ſtatuunt. Diuę Chriſtinę pręcipuę Patronę corpus, inſtituto ſolenni agmine, ad Diuę Marię à Catena ferunt, quò vix peruenit, cùm nauis quędam frumentaria, quę Meſſanam Liburno è portu curſum intenderat, aſpirante cęlitùs aura, appulſa Panormum eſt: exhilarauitque vecta ex inſperato annona populos. Quo ſimul tempore Gaſpar Guſmanus, Sicilię Prorex, diutinùs penè monitus, cogitare & ipſe de re frumentaria Neapoli cœpit. Quod ne lateret poſteros, proſtare in eiuſdem eccleſię porticu inſcriptum marmor Senatus Panormitanus voluit in hęc verba.

Eius templi ſtructura.

Siciliæ Regum opus.

Eius conſtruendi occaſio.

Virginem à Catena Panormitani præcipuè colunt.

Experti præſentem eius opem.

> Quod Populo Panormitano annonę charitate laborante, ſupplicatio per Senatum decreta eſt; Chriſtinę Sanctę Patronę capſa ab ęde maxima ad Diuę Marię de Catena delata: quaſi cœlitùs ſub decimo octauo Kalendas Februarij oneraria nauis, quę Liburnis Meſſanam ſoluerat, mutato curſu, in noſtrum portum ſuppetias venit, ſubſidio frumenti, quod vix in alterum diem ſuppetebat; & per idem tempus D.Hen-

D.Henricus Guſmanus Comes Oliuarius, Prorex in Siciliam deſtinatus, Neapoli inſtinctu Diuinitatis annonam abundè prouidendam curauit. D.Cotiolanus Bononia Prætor, D.Franciſcus Lombardo, D.Laurentius Bononia, Antonius Bon accoltus, D. Vincentius Roſa, D.Gaſpar Bellacera, Iacobus Gagius P.C. beneficij accepti memores, ad gratantis animi ſignificationem PP.

Non ſtatim Marianam à Catena templum noſtri probãt.

Contigit autem iſtiuſmodi ad hanc baſilicam ſupplicatio ſæpè aliàs, quod in tempore etiam exponemus. Hæc igitur ſedes, inſigni ea religione, ac patrocinio Auguſtæ Virginis conſpicua, oblata noſtratibus fuit, quam ne ſtatim probarent, fecere perpetua quædam onera, ac ſtatis temporibus miniſteria, quæ pugnare cum noſtro Inſtituto videbantur. Id nanque ſolenne noſtris ſemper fuit, vt ab eiuſmodi omninò curis liberæ contingerent noſtro Ordini eccleſiæ; &, ſi quæ ineſſent, abijcerent. At enim qui maximè domicilium hoc commendabat Terrænouæ Dux, ne id ipſis negotium faceſſeret, monuit illicò Patres, pollicitus, curaturum breui ſe apud Pontificem, vt affixa ea munera in aliam transferrentur eccleſiam; vt nihil ſubindè eſſet, quod Theatinum cultum, libertatemque interturbaret. Quo quidem ſublato impedimento, Aragonij nempè fide, amouendum & aliud fuit eiuſdem officijs, ac dignitate. Enimuero cùm conflatum è primaria nobilitate Sodalitium Marianam eam ędem adminiſtraret; non vna, eademque omnibus voluntas, ac conſilium erat; ac pleriſque priuato quodam ſtudio in contrariam ſententiam adductis, nonnulli zelo quodam priſci iuris abdicari vetus eccleſiæ regimen, haud æquo animo ferebant; ac retinendam prę claram poteſtatis poſſeſſionem cùm ſumma ope contenderent, excludere omninò preces, atque officia poſtulantium videbantur. Verùm aggreſſus inſigni voluntate,

Terrænouæ Ducis ſtudiũ.

ardoreque animi opus Terranoua, difficillimam captu arcem auctoritate, ac gratia facilè ſuperauit, euicitque procerum ſuffragia: ita vt qui maximè obniti viderentur, ij proniore quadam beneuolentia noſtros complecterentur. Ergo die quarta, & vigeſi-

Initur Mariana ædes a noſtris.

ma Auguſti menſis huius anni inita à noſtratibus Deiparæ à Catena æd. s, gentium omnium, ac ordinum gratulatione incredibili; qui pietate, qua in ſacram Virginem ferebantur, id impenſiùs optauerant. Sperabant nanque, fore, vt ab incolarum diſciplina, ac moribus, à Theatinæ familiæ ſanctitate, ab aſſidua, ac mundiſſima rerum diuinarum tractatione, à proximorum zelo excreſceret Mariani cultus religio, ac populorum celebritas. Neque profectò luſit eos perſuaſio, ac ſpes. Nam tùm quidem cœpta pro modo celebrari ædes, ac poſtmodùm, adaucto Patrum numero, viſa planè, quà ſacris concionibus, quà ſacramentorum vſurpatione, quà functionibus concinne, & quàm elegantiſſimè peractis, refloreſcere eius templi dignitas; atque adeò

Cum pietatis incremento.

amplificari communia in magnam Matrem ſtudia. Fouitque liberaliter cœptam illam Patrum induſtriam Senatus Panormitanus, elargitis domeſticę inopiæ ſuſtentandæ tribus aureorum nummùm millibus; vti obſignatis die Ianuarij octauo anni voluentis ſeculi quarti tabulis conſtat.

Interea cùm poſita præclarè eius cœnobij rudimenta eſſent, Præpoſiti auctoritas, quæ regeret ampliore iure, ac nutu domi, foriſque rem, deſiderari videbatur. Id quod

Mutandum locum cenſet P. Generalis.

Ioannes Scurcouillus Præpoſitus Generalis minùs probabat. Statuerat nanque apud animum ſuum, ſuprema Præpoſiti poteſtate, ac præfectura contubernium minimè conſtabilire, donec, quæ ſignificaui, annexa eccleſiæ onera aliò transferrentur. Qui negotium Romæ peragendum in ſe receperat Terranoua, Hiſpaniam petierat, ac longè diſſitum grauiores eius aulæ curæ diſtinebant, quominùs efficere, ac nauare opus poſſet. Quare id ſtatim ſignificauit Præpoſitus Generalis, vt quando longiores necterentur moræ, nec conſentanea noſtro Inſtituto eſſent perpetua ea munera, darent operam, vt aut illa amouerentur, aut ſedem mutarent; alioquin nunquam adducendum neque ſe, neque Conſultores ſuos fore, vt Præpoſitum crearent. Parabat hac nempè via Numen ſplendidiſſimam in percelebri Vrbis loco noſtræ diſciplinæ ſtationem; idque vulgari inſtrumento, cuiuſmodi ad excitanda illuſtria inter-

Iacobinus faber lignarius.

dum opera vti aſſolet. Faber quidam lignarius inter eos, quos nominaui, Oliuellæ Patres morabatur, cui nomen Ioannes Dominicus Iacobinus, propenſione quadam

noſtris

Digitized by Google

noſtris ab eo ſtatim initio, quo Panormum tenuere, addictiſſimus: creueratque deindè familiaritas; vt iam frequentior domi eſſet, ac veluti è noſtratum numero. Erecto is erat, fidentique animo, ineratque vnà cum ardenti quadam indole ſua etiam in agendo dexteritas. Is vbi Patris Generalis mentem, ac de mutanda ſede conſilium inaudiuiſſet, cùm nec ipſe ad angulum Vrbis locum ſatis probaret, optaretque ſolerti familiæ ſitum commodiorem, ingenti quadam animi firmitate, ac fiducia, ad Patres: quid, ſi, inquit, Diui Ioſephi eccleſiam ipſe impetrauerim? Ædes ea erat magnitudine quidem, ac ſtructura non admodùm ſplendida, ſed quam prænobilis ſitus celebritas longè commendabat. Panormum viæ duæ, ampliſſimæ illæ quidem, ac rectæ, ex æquo ſe ſe decuſſantes, quadripartitò diuidunt: ita vt qua ſe parte ſecant, exporrectis quatuor circùm angulis, vmbilicum Vrbis efficiant. Nihil ea Ciuitatis regione frequentius, accurſu, recurſuque populorum, ac procerum geſtationibus, qui viam ex ijs alteram, Caſſarum vocant, veſpertinis præſertim horis, atque animi gratia celebrant, teruntque. In hoc ipſo Panormi meditullio ea erat Virginei Sponſi eccleſia, pertinebatque ad fabros lignarios, quorum è numero cùm eſſet Iacobinus, fore confidebat, vt partim ſolertia, partim eblanditis ſuffragijs noſtro illam Ordini aſſereret. Et noſtrates quidem quantò opportunior, ac nobilior ſedes videbatur, tantò ſe imbecilliore niti ſpe rati, operi deſperabant. Enimuerò frequentiſſimum id erat lignariorum Sodalitium: feruidum pleriſque ingenium, ac ſui tuendi iuris ſtudioſiſſimum: nec ignorabant, apud promiſcuam multitudinem non rationem valere, non beneuolentiam, ac ſtudia, quæ nobilium animorum opes ſunt. Scindi ſæpè in partes, ac ſaniores vt plurimùm pauciores eſſe. Vbi pleroſque conciliaueris, vnum quem cæteris concitandis, atque euertendæ rei abundè interdum fuiſſe. Nimirum multorum inuidiam, aut pertinaciam nunquam exhauſeris: cùm ſuccisam penitùs putaueris, pullulare numeroſiùs. Ad hæc, quid in circumfuſo, atque incondito capitum vulgo vnus è numero faceret? qua auctoritate negotium tranſegerit, qua vi facundiæ, qua gratia euicerit? Itaque rem explicatu difficilem putare, nec felicem ſibi ab vnius ſtudio exitum polliceri. At Iacobinus, cui ardens quædam fiducia animos faciebat, incredibili ſedulitate, præſentique animo in negotium ingreſſus, breui eò loci rem adduxit, vt penè voluntates, ac vota omnium vnus flexerit. Fuere, qui obſtinatè abnuerint, inuecti acriter in Iacobinum; ita vt intentare ſicam, mortemque interminari non dubitauerint. Sed is diuina ope fretus, non modò non conſternari metu, ac conſilium abijcere, ſed viſus ea cote magis exacui, proſequutus ſtrenuè eſt cœptum opus; &, vt beneuolos confirmauit, ita hos etiam, qui obluctari videbantur, in ſuam ſententiam inſigni quadam ſolertia pertraxit: itumque mox in ſuffragia, ac ſingulari omnium voluntate addictum Clericis Regularibus Diui Ioſephi templum fuit, obſignatis omnium aſſentione tabulis die nona Auguſti menſis huius anni, planè non ſine inſtinctu Numinis, cuius ope adgubernatum, nauatumque negotium eſſe, perſuaſum habemus. Enimuerò cùm non ante multos annos primò Ioannes Vega, tùm Marcus Antonius Columna, vterque Siciliæ Prorex, id ſumma auctoritate, ac ſtudio contenderint, vt quibuſdam alijs religioſis viris locus cederet, rem cum eo tot capitum, ac ſententiarum Sodalitio perficere minimè potuere: quod cùm vnus poſtea Iacobinus, infimæ ſortis homo, impetraſſet, affirmandum profectò, à Deo fluxiſſe opus. Qui maximè gratulari noſtratibus euentum viſus eſt, is fuit Montis maioris Marchio, Ciuitatis Prætor, qui vbi rem confectam inaudiuit, rectà ad Diui Ioſephi adijt, ac commendato prolixiùs lignariorum ſtudio, grates Deo ingentes habuit: tùm vnà cum noſtratibus, qui aderant, Didacum Ayedum Montagneſium, eius tùm Panormitanæ eccleſiæ Antiſtitem conuenit, vt tranſactum ſecunda ſuffragatione negotium, ratum ipſe haberet; qui vt erat Theatinæ rei ſtudioſiſſimus, probauit ſingulari humanitate, ſenſuque conſilium, cumulauitque mox eximiam voluntatem, indicta ſolenni ſupplicatione, qua transferri è Deiparæ à Catena in Diui Ioſephi templum ſacrum Chriſti Domini Corpus voluit. Deſignata celebritati dies quinta, & vigeſima, Diuo Bartholomæo ſacra. Nihil ad celebritatis magnificentiam deſideratum. Canonicorum ordo, ac reliquus Clerus deducendo Numini agmen inſtruxere. Soda-

Diui Ioſephi ędem proponit.

Difficillimum factu putant noſtri.

Multitudinis vulgique ingenium.

Perficit Iacobinus negotiũ.

Non ſine inſtinctu Numinis.

Tráſfertur ad eam ędem Euchariſtia ſolẽni pompa.

e ligmarij ardere tū ſtudio, tùm plurima face viſi. Adauxit pōpam, ſplendoremque Senatus Panormitanus, tùm confertim nobilitas, ac populus. Denique Vrbs tota viſa in plauſus, ac gratulationem abire, teſtata lætitiam tormentorum exploſione, ac miſſili face, feſtiſque vbique ignibus. Tantæ rei auctor Ioannes Dominicus Iacobinus, vt poſt præclarum hoc facinus ſe etiā Ordini dedicaret, admitti inter laicos noſtrates poſtulauit: ſtatimque communi cum omnium aſſenſu receptus, quam ſingulari ardore animi diſciplinam capeſſiuit, eandem poſtea eximio cum obſeruantiæ regularis cultu tenuit.

Iacobinus ad noſtros aggregatur.

Tranſegiſſe Patres rem perutilem, atque ad ſitum omninò ſplendidum immigraſſe, vbi allatum Patri Generali fuit, promouere & ipſe eius domus initia pro virili parte ſtuduit; deſtinauitq. vnà cum Conſultoribus, qui Præpoſiti appellatione, ac poteſtate regeret, atque ordinaret cum laude prudentiæcū domi, tū foris rem. Fuit is Thomas Gueuara, qui non ita pridem in fundanda Panormitana Colonia plurimùm deſudauerat; & quē ingentem ſui opinionem inibi conciraſſe dixi, abundè idoneus videbatur, qui eius incrementa domus egregiè curaret. Nec ſanè communi expectationi defuit vir optimus. Siquidem populorum opinionem, atque in noſtrum Inſtitutum ſtudia & cultu eccleſiæ, & ſacrorum nitore, & aſſiduo concionum vſu aluit mirum in modū, ad auxitque, explicata etiam nonnihil loci area, atq. excipiendæ familiæ domo, cœmptis attiguis ædibus, atque impetrata à Magiſtratu publica quadam via, modica ea quidem, ſed qua ad peramplas, ac peropportunas noſtro vſui domos, gradum fecit. Marianum verò domicilium à Catena viſum non ſtatim deſerere; quòd ſpes adhuc oſtendebatur, fore, vt ea, quę diximus, onera aliò transferrentur: atque interim præerat ſummo iure ipſemet Gueuara, renuntiato ibi Vicario, qui proximè, ac ſuo nomine rem domeſticam adminiſtraret. Verùm cùm elato poſt paulò Terrænouæ Duce, abrupta omninò ea ſpes videretur, Eliſæus Nardinus, qui Ioanni Sipontino in publico Religionis munere ſucceſſit, re maturè excuſſa, Patribus iuſſit, loco cederent, relicta priſcis Rectoribus Diuæ Virginis eccleſia, ac tecto. Quod illicò factum die vigeſima ſecunda Martij menſis anno huius ſeculi quinto, non ſine ciuium cōmendatione, qui ſtudium ruendæ diſciplinæ probabant. Etſi poſtulantibus deindè eiuſdem ædis Rectoribus, qui quanto cum rerum diuinarum detrimento abſceſſerant Patres, liquidò intellegebant, amotis, quę affixa loco erant in œuum munera, redire poſtliminiò coacti fuere. Quod contigit bienniò poſt, adminiſtrante rem Ordinis communem Ioanne Antonio Angriſano, planè non ſine Panormitanæ Vrbis fructu: quando adaucto eius eccleſiæ cultu, amplificata ſummoperè eſt in Dei Matrem obſeruantia. Atque hæc de Sede Panormitana, quò redibit commodùm ſtylus.

Præficitur nouo cœnobio Thomas Gueuara.

Qui eccleſiā cultu, domum ſitu amplificat.

Retinetur templum à Catena,

Sed mox deſeritur,

Et mox reſumitur.

Eodem hoc anno cùm Venetijs immigrare in nouam baſilicam Tolentinates Patres contigit, tùm Licij abſolutum iam Ireniane eccleſię dimidium, diuino cultu, atq. eccleſiaſticis functionibus celebrari: quod hic innuiſſe duntaxat volui, vt ſua cuique rei temporum ratio conſtet. Nam hęc ipſa aliàs loco opportuniore, ac fuſè narraſſe me, memini. Genuam interim excurrimus, vbi attiguum quoddam noſtris ędibus Sodalitium, à Diua Maria Angelorum nuncupatum, nonnihil hoc anno moleſtię Patribus faceſſit; quod hic raptim perſtringimus. De ſitu queſtio, quæ quidem in Genuenſi Ciuitate, ab eius nempè anguſtia, eſſe non exigui momenti ſolet. Decerpere quandam areæ partem, quæ ad noſtros ſpectabat, Mariani illi ſodales dum contendunt; ac noſtri contra ſua tueri iura pro viribus ſtudent, enatum vtrinque diſſidiū. Scilicet haud integrum viris Eccleſiaſticis Eccleſiæ bona pro libito diſtrahere, atque alieni iuris facere. Contumelias, atque inuidiā ferre non modò religioſis viris liberū, verùm etiam decorum: res verò ſuas, & quicquid eſt ſacri, ac ſacri, retineant mordicùs, neceſſe eſt, ac dimittere occupanti, nefas. Ergo in ea controuerſia exceſſere modum ſeculares viri, religioſamque modeſtiam non minimū exercuere: vt non iniurijs, non ſubitarijs inſultibus, armiſque temperauerint. Rem verò ita noſtri adgubernarunt, vt nhil ijs antiquius videretur, quā citra diuini iuris fraudem morem ſodalibus gerere. Verùm cum neque Auguſti Genuenſis Senatus monita, neque Archiepiſcopi auctoritas, ac minæ id euincerent, vt intra equi, ac recti fines Sodalitij multitudo conſiſte-

Genuæ diſſidium,

ſiſteret, actum ſummo iure Romæ: vnde Genuam lis redijt, ibique tandem adiudicata noſtris fuit. Etſi, quæ ſunt cauſarum moræ, interpoſita aduerſariorum prouocatione, non dum bona fide profligatum hoc bellum eſt. Planè, quod aliàs monuimus, ingens quidem in vtramque partem momentum vicinitas habet: vt nihil ea ſit iucundius, atque vtilius, ſi proba; ſecùs, nihil mortalium conſuetudini, tranquillitatique infeſtius.

Non dum reſtinctum.

Bergomi feliciùs, ac fructuoſiùs pugnatum. Fracta ſiquidem ſtrenuè quorundam ingeniorum audacia à noſtris hoc anno fuit. Nihil profectò religioni Orthodoxę pernicioſius, quàm in fidei momentis velle ad aciem ſubtilioris ingenii ſententias exacuere, atque extenuare; Lubrica ea res eſt, ac facilè is in nouitatem, erroremque prolabitur, qui eiuſmodi gloriæ velificat. Bergomi quædam abhorrens à pijs auribus de baptiſmi materia opinio diſſeminari paulatim cœperat. Qui erudiriores videri cuperent, plaudere: cæteri, minimè deceptos ſe, putare: quando qui viri docti paſſim habebantur, impietati fauebant: cùm interim in re grauiſſima, ac veluti fracta illa communis naufragij tabula, mortalium ſalus vehementer periclitaretur. Fuere huiuſce erroris ſcopulus noſtri homines, quibus cùm primùm enata lues ſuboluit, nimiùm quantùm quà ſcripto, quà voce laborauerint, vt protinùs extingueretur: vtque rem penitùs conficerent, Romanos etiam Patres ea ſuper re literis appellarunt, qui eo ſtudio, zeloque apud Chriſtianæ fidei Cenſores negotium perorarunt, quoad punitis ingenijs, iugulata omninò hæreſis fuit, ac vindicata à ſordibus ſacra, quibus mergere baptiſmum praui nebulones curabant.

Bergomi quędam de baptiſmo hæreſis.

Profligatur à noſtris.

Iam, Paulum Toloſam, ornatum honeſtiſſima legatione proſequamur. Inauguratus is, vti ſignificatum eſt, Bouinenſi Infula, cùm ſedulò ſuarum ouium ſaluti, ac ſuo muneri incumberet, interpellauit ea ſtudia Clemens Pontifex, qui quem ſupremis honoribus deſtinauerat, viam illi ad ſumma faſtigia per gradus muniebat; renunciauitque Apoſtolicum Nuntium ad Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem. Nec deſuere, vt nunquam in aula ſine inuidia Principis fauor, qui apud Pontificem Toloſæ in eiuſmodi negotijs facultatem eleuarent: idque, vel quia affectarent ipſi munus, vel quia, cùm probè ſcirent viri integritatem, ac zelum, nollent inibi acerrimum cenſorem morum. At enim maior omninò erat Clementis de Toloſa opinio, quàm vt hæc illum officia à conſilio dimouerent. Igitur iter ille Taurinum continuò intendit, quò antequàm perueniret, correptus morbo, ac ſubſiſtere Mediolani coactus, expertus Diui Caroli Borromæi præſentem opem eſt. Id quod Ioannes Petrus Iuſſanus in eiuſdem Diui Caroli vita narrat in hæc verba. Anno ſalutis reparatæ ſecundo ſupra milleſimum, & ſexcenteſimum Paulus Toloſa Bouinenſis Epiſcopus, Clericus Regularis, grauiſſima implicitus febri Mediolani detinebatur, cum illàc Taurinum tranſiret, vt demandatam ſibi à Clemente Pontifice Legationem obiret. Quem ille morbum dum vltimum putat, Caroli nomen, ac opem, nuncupatis etiam illi votis, ex animo implorat, cui Carolus carbaſo, ac purpura de more indutus, obiecit ſe ſe, atque hæc conceptiſſimis ad illum verbis: Non hæc te febris abſumet, ſed trahi longiùs neceſſe eſt. Interim auſpicari ab cruce legationem, æquum eſt. Conſequutus prædictionem euentus. Etenim non ante quadrageſimum diem iugulata eſt pertinax febris, ac poſt menſem omninò decimum vix perfectè conualuit. Quo quidem præſidio Cœlitum perſanatum morbis Toloſam non ſemel contigit. Narrat ſiquidem [a] Franciſcus Boluitus, vidiſſe olim ſe in eius cellula iconem quandam, in qua Deiparæ effigies, Diuique alij cernebantur, quos præcipuo ſtudio colebat: interrogaſſe verò ſe, cur & Diuum Hyacinthum appingendum curaſſet? illumque reſpondiſſe, inſigni ſe aliquando ab eo affectum beneficio fuiſſe. Oratum, videlicet, deſcendiſſe confeſtim cœlo vultu planè humaniſsimo, ac priſtinæ incolumitati vitam reſtituiſſe, cùm maximè periclitari contingeret: atque adeò, qui addictus magnoperè illi erat, colere impenſiùs cœpiſſe, delineata etiam Diui benemerentis imagine ad obſtrictæ cuiuſdam obſeruantiæ documentum. Iam verò, defunctus Mediolanenſi eo morbo, Taurinum ſe contulit Toloſa, vbi diù inſigni cum laude prudentiæ, ac Principum præſertim approbatione munus geſsit: etſi qui plerumque eſt Apoſtolicis Nũtijs Principum beneuolentiæ ſcopulus, declinare is minimè potuit. Enimuerò cùm

Paulus Toloſa ad Sabaudum Nuntius.

Mediolani D. Caroli ope à morbo conualeſcit.

[a] Supplement. ad Caſtal. memor. M. S.

Vt olim D. Hyacinthi beneficio.

Taurini ſtrenuè munus gerit.

aduertiſſet, fore, vt non modicum grauiſsimo in negotio Romana auctoritas læderetur, occupare quidem malum ſtuduit, &, quæ ſunt prudentis viri partes, auertere, antequàm in publicum erumperet. Verùm, cùm actum ageret, extremis vti remedijs oportuit, interdicto videlicet ſacris Senatu. Quo quidem zeli fulmine ita in ea capita detonuit, vt Carolum Emmanuelem Ducem non modò non offenderit, verùm etiam plurimùm is æquitatem, grauitatemque iudicij commendauerit; vt qui priuatis affectibus, ac ſtudijs vacuum nouerat Toloſam; eòque ad momenta, libramque rationis peractam meditatè rem eſſe. Romæ verò, vt cæteram Legationem, ita hanc præcipuè in tuenda re Pontificia vim animi egregiam probarunt communi ſuffragatione Auguſti Patres. Et Clemens quidem Pontifex non ita poſt multò oſtendit, & quo illum conſilio eò allegarat, & quo loco cùm reliquam eius indolem, ac virtutem; tùm maximè eximiam in obeundo eius muneris officio ſolertiam haberet.

Percuſſo anathemate Senatu.

Purpuræ deſtinatur Toloſa.

Sed mutatum Pontificis conſilium.

Immutato Toloſæ animo.

Comperium ſiquidem plurium teſtificatione eſt, de illo purpura cohoneſtando vnà cum Petro Cardinali Aldobrandino deliberaſſe, atque adſcripſiſſe iam in eorum album, quos poſtridiè in publico Cardinalium Senatu Auguſtos de more nominaret: etſi reſtante poſtmodùm principe è Pontificis domo fœmina, Innocentio Bubalo, cui illa impenſiùs fauebat, delatus hic honor fuit. Quod vbi Toloſæ innotuit, eo vultu excepit, vt demonſtrarit, neque affectaſſe vnquam purpuram, neque tanti illam facere, vt perturbari proindè animus deberet, quòd ab illa exciderit. Atque hæc de Taurinenſi Toloſæ Legatione, quam ad Paulum Pontificem Quintum, hoc eſt, ad annum ſeculi ſextum extraxit; reuerſuſque inde, ſuam eccleſiam, eiuſque culturam eò acriore ſtudio repetijt, quò feciſſe aliquod vitium diſciplina morum, communiſque pietas videri poterat.

Stephanus Spinula Epiſcopus Albintimilienſis.

Contigit hoc anno Sedem Albintimilienſem vacare. Vrbs ea eſt in Liguria, Genuenſis quidem Ditionis, ſed cuius Sacerdotium Mediolanenſi Archiepiſcopatui ſubeſt. Huic Clemens Pontifex Stephanum Spinulam Genuenſem admouit, virum ex noſtris, quà ſuorum ſplendore, quà ſua etiam virtute, atque eruditione ſpectatum, qui vbi inauguratus Romæ eſt Aprili menſe, in ſuam Spartham continuò inuolauit. Poſcere ea Ciuitas impigras manus videbatur, vbi nonnihil obſoleſcere operarum defectu mores boni cœperant. Nec defuit muneri, atque ouium neceſsitati Stephanus. Siquidem, cum in omnem officij ſui partem intentus, quid quiſque rerum, atque hominum ſtatus poſtularet, coram agnouiſſet, applicuit eò ſtatim manus, ac curas: & ſiuè inſtruendæ eccleſiæ eſſent, ſiuè eccleſiaſticæ functiones, rituſque ordinandi, ſiuè dandæ odeò leges, ſiuè Clericorum mores emendandi, aut inducendus ſacrorum cultus, quandam elucere elegantiam, ac concinnitatem cupiebat, omninò ad noſtri Inſtituti formam; vt facilè quis intelligeret, Theatini moris hominem eam Cathedram regere, ac inſtituere. Is poſtea, dum commendatæ ſibi Eccleſiæ commodo nauiter ſtuderet, in eiuſdem ſinu inſigni cum religioſæ pietatis, ac conſtantiæ documento fato conceſsit.

Eius in Epiſcopatu curæ.

Mutinenſis domus cunabula.

Ad annum nunc tertium ſupra milleſimum ſexcenteſimum gradum facimus, in quo agitata Mutinenſis domus fuit, ac conſequenti mox anno fundata. Excepti in ornatiſsima ea Vrbe, quæ Eſtenſium Principum ſedes nunc eſt, ſingulari quadam ciuium beneuolentia, ac plauſu fuere noſtri homines, fauitque eorundem humanorum Principum gratia, qui complexi munificentiſsimè Inſtitutum, incubuere deindè in eius cœnobij incrementa, cuius Initia pij quidem, ſed modici viri pietas eſt molitus. Fuit is Iulius Bezettus Mutinenſis, egregijſpiritus ſacerdos, cùm virtutum, tùm piorum operum exercitio inter primos addictus. Geſſerat hic quodam in pago animorum procurationem; vbi vt bonos mores, ita & laborantem ſenio loci eccleſiam ex integro reſtituerat quà piorum ope, ſumma contentione conquiſita, quà ſuo ære; cuius etiam partem non exiguam deriuabat in pauperes. Ac ceu poſceret ampliorē ſegetem charitas, abdicato eo munere, Mutinam ſe recepit. Præclara hic ſtatim pietatis documenta edere. Virginum contubernium ſalutatæ ab angelo Virgini dedicauit, adminiſtrabatque ipſemet ea quidem diſciplinæ ſanctitate, vt admirationi Ciuitati eſſet. Gynæcèum item pœnitentium mulierum, Diuæ Mariæ Magdalenæ nuncupatum, excitauit, quarum vt excolebat ſolerti inſtitutione animos, ita emendicata

Iulij Bezetti opera.

aſsiduo

aſsiduo ciuium pietate, alebat corpora. Quod verò propenſiore quodam ſtudio aggredi viſus eſt, id fuit, ſtatuere magnæ Matri templum. Etenim, cùm aduertiſſet, nullam extare Mutinæ Marianam ædem, aſſerere præclatum hoc munimentum, tutelamque Vrbi in animum induxit ſuum, neque humili quadam idea operis contentus, viſus non mediocrem ſubſtructionis formam, mentemque concepiſſe; & cui nihil auri, ac cenſus erat, niti aliorum opibus, ac ſuo labore oportuit. Itaque intra ſeptennium, excitata virorum procerum liberalitate, collectaque quotidiana ſtipe, eccleſiam ad ſummam manum perduxit, Aſſumptæque in cœlum Virgini dedicauit. Cognomentum illi à Paradiſo inditum, ab aqua videlicet, quæ propiùs manabat, cui hæc olim adhæſerat nomenclatio.

Qui Marianam ædem Mutinæ ſtruit.

Cui nomen à Paradiſo.

Porrò capacior illi area, ac non modica ab ipſa ſpecie dignitas, numerabatque octonas hinc inde ędiculas; cui addenda quædam etiam domicilia curauit Bezettus, vbi celebrandæ eccleſiæ, atque animorum vtilitati procurandæ ipſemet, ac alij nonnulli ſpectatæ vitæ ſacerdotes degere religioſorum hominum in morem communi victu cœpere. At enimuerò, quòd regularis diſciplina fructuoſiùs locum, animoſque excoleret, & quòd Ciuitati ſingulari ornamento, ac fructui fore, exiſtimaret, ſi Clericos Regulares, quos impigros, diuinique cultus ſtudioſiſsimos nouerat, eò euocarentur, in id potiſsimùm curas intendit, vt accederent noſtri homines.

Hanc Clericis Regularibus deſtinat.

Cæſari Mutinenſium Duci, Principi ab omni parte laudatiſſimo, nihil accidere gratius potuit, quàm noſtram diſciplinam ſiſti in ſua Vrbe, quam, relicta nuper Ferraria, vt ſuo ſplendori, ac dignitati par eſſet, amplificari, ac religioſis præſertim familijs ornari vehementer cupiebat.

Cum aſſenſu Mutinenſium Principum.

Is idem animi ſenſus Alexandro Cardinali Eſtenſi, germano fratri, ſupra ſuam purpuram viro fuit, qui complecti poſtea, ac fouere Ordinem viſus humanitate quidem, ac munificentia, digna Viri celſitudine, ac indole. Hæc cum incly ti Principes maximoperè probarent, acceſsit eximia Gaſpari Sillingardi, Mutinenſis Epiſcopi voluntas, viri vtroque prudentiæ iure conſultiſsimi, ac Theatino nomini, à quo nonnihil dignitatis hauſerat, cum paucis addicti. Dederat nempè Paulo Cardinali Aretio ex noſtris, Placentiæ primùm, tùm Neapoli operam, Vicarij generalis vtrobique nomine. Et qui noſtratum ſtudia, flagrantemque in ſalute animorum, communique pietate promouenda zęlum cùm in Placentina, tùm in Neapolitana Ciuitate vſu nouerat, conſilium non modò commendauit, verùm etiam vrgere acriùs, ac paſsim concitare omnium vota ſtuduit.

Et Sillingardi Epiſcopi.

Transſigenda Romæ res erat; quò Iulius ipſe Bezettus ſe contulit, vt eo nimirùm ardore, quo præclaram mentem conceperat, conficeret apud Patrem Generalem negotium: qui vbi optimorum Principum, ac beneuolentiſsimi Antiſtitis commendata humaniſsimis literis ſtudia, ac ciuium propenſionem, ſenſumque cognouit; atque, in promptu eſſe Marianum, percommodum illud quidem à Paradiſo templum, complectendam rem ipſe reputauit; ſtatimque cum ſuis Conſultoribus, ac cum cętera Congregatione, vti inſtitutiones noſtrę cauent, communicauit: itumque in eam ab omnibus ſententiam, vt nulla mora, Patres allegarentur, qui domicilium fundarent. Id quod inſequentis anni initio contigit; exceptique noſtrates fuere ingenti omnium gratulatione.

Romę rem tranſigit Bezettus,

Et Bezettus quidem cùm extructam à ſe eccleſiam, tùm quicquid inſtrumenti in ea erat, atque attiguas ędes, non modica inſtructas ſuppellectili, Patribus attribuit. Ipſe autem religioſa eorum conſuetudine, atque Apoſtolica viuendi ratione captus, ſub ipſa eius cœnobii initia adoptari inter noſtrates poſtulauit, impetrauitque: ac nomen cum eo dedere Horatius Blancus, principis templi Canonicus, & Cęſar Mazzonus, robuſti ſpiritus ſacerdos.

Qui attributa Patribus ſacra ęde,

Capeſſit ipſe Inſtitutum cũ Blanco, & Mazzono,

Quę quidem capitum acceſsio à matura iam eorum indole, ac virtute nonnihil adiumenti Mutinenſi rei attuliſſet, niſi tentata mox grauiter valetudine, diuelli ab eo contubernio Bezettum, & Canonicum contigiſſet. Enimuerò cùm in grauem vterque morbum incidiſſet, fore, vt periclitaretur vita, aut acciſę vires, opeſque corporis ſufficere cõmuni diſciplinę minimè ſubindè poſſent, ſi porrò in ea Religionis aſperitate, ciborumque, ac vigiliarum ratione pergerent, medici pronunciarunt. Eaque propter conſulere ſuę incolumitati, atqu abdicare inſtitutum vitę genus ingẽti cum noſtratum ſenſu, ſummoque cum ſui ipſorum mœrore oportuit. Qui perindè diſtracti à nobis ſunt, vt citra nomen, ac habitum Clerici Regulares eſſent, affectu, ſtudioque in rem noſtram Theatinam incredi-

Sed tentata valetudine, Bezettus, & Blancus diſcedere coguntur.

bili; atque interim Bezettus, inſtaurata priſtina conſuetudine, continuare pia opera, ac monialium procurationem eadem contentione inſtituit. Mazzonus verò, qui reliquus fuit, mutato Cæſaris nomine in Geminianum, omnium primus in ea domo vota ſolenni ritu ſuſcepit, vixitque ad voluentis ſeculi annum trigeſimum primum, quo defunctus Ferrariæ eſt cum laude pietatis. Diù nanque regulatem diſciplinam ad vnguem profeſſus, nullam vnquam in Ordine viſus prætermittere officij ſui partē. Aſſiduus præſertim in aſcultandis, expiandiſque fidelium noxis, quo quidem in munere operam oppidò frugiferam poſuit. Multus item in malis genijs legitimè diuexandis, exturbandiſque à mortalium corporibus fuit; nempè vt Diui Geminiani, præcipui Mutinenſium Tutelaris, cuius gerebat nomen, exprimeret etiam ritè munus.

Mazzonus fructuoſis vigilijs ad mortē Deo inſeruit.

Iam, fauente communi cura, mirum, qua alacritate aggreſſi noſtrates ſint in eo cœnobio ſuam diſciplinam, atque externa aliorum commoda, pietatemque publicam promouere: regebatque ea ſtudia Ioannes Paulus Fornarius Genuenſis qui primus eius præfecturam domus capeſſiuit, ſingulari vir prudentia, quam & probitas, & inſignis doctrinarum eruditio, & celebris per Italiam eloquentia commendabant. Et quòd ſucceſſurum cœnobium tùm quidem putabatur, ampliari ſitus, aliaque ad commodam Patrum habitationem extrui, atque annecti domicilia cœpere. Periſtylium item, vt noſtri moris eſt, hortique ad animi remiſſionem laxiores adornati. At enim, præter loci diſtantiam, quam tamen operariorum induſtria, ac popularium ardor, ac ſtudium ſuperabant, & aliud tractu temporis incommodum non exiguo cum ſuæ incolumitatis diſpendio animaduerterunt Patres. Siquidem cùm proximè conſiſtentes, ac reſides ſtagnarent aquæ, inſalubri quadam aura affici aërem contingebat; atque adeò lædi commorantium corpora: vt æſtate præſertim, flagrante canicula, quæ id loci acriùs mordebat, nullus, paluſtri eo cœlo afflatus, non periculosè decumberet. Quocirca commutare ſedem neceſſarium putarunt; vt accidit ſanè percommodè, Principum nempè magnificentiſſimorum gratia, quod ibo in tempore explicatum.

Placuit priùs Mariæna ędes,

Interim ſolennis Paulinæ eccleſiæ inauguratio Neapolim me vocat, quæ ſtrictim hic adnotanda. Dixiſſe me aliàs memini, inſtauratam, atque ad nouam, eamq. vt ampliorem, ita magnificentiorē formā exactam: curas deindè adieciſſe ad eius ornatum Petrum Antonium Garganum, cùm Præpoſitum in ea domo ageret: poſtremò cùm hoc anno expolita ad vnguem, atque ab omni parte abſoluta videri poſſet, vt maior accederet ab externo eo ritu ſanctitas, ac populorum venetatio, conſectandam curarunt Patres. Qui tùm domum regebat, Eliſæus Nardinus non alium eo fungi munere, quàm ex noſtratibus Antiſtitem, par eſſe duxit; rogauitque Ioannem Baptiſtam Tuſum, Acerrarum Epiſcopum, vt manum ſolenni operi commodaret. Qui quidem, quòd eo olim in templo publica Religionis vota nuncupaſſet, non mediocri perfuſus voluptate eſt, quòd inter Antiſtites tranſcriptus, inaugurare illud idem ſanctiſſimis religionibus ſibi contingeret. Conſtituta functioni dies vndeuigeſima Octobris menſis huius anni: affluxitque cùm è populo, tùm è præcipuo nobilium ordine ingens mortalium numerus, qui ſingulari attentione, ac ſtudio proſequuti eam celebritatem ſunt; conciliante præſertim reuerentiam, quòd ratò peragi prolixior, ac plena maieſtatis, atque religionis ea ceremonia cernitur. In arcula, quæ repoſita in principe ara eſt, vnà cum Diuorum Cineribus, extat eius rei monumentum in hæc verba:

Conſecratur D. Pauli Eccleſia;

A Tuſo Acerrarum Epiſc.

An. Domini 1603. die xix. menſis Octobris.

Ego Ioannes Baptiſta de Tuſo, ex familia Clericorum Regularium, Epiſcopus Acerrarum, conſecraui eccleſiam, & altare hoc in honorem Sancti Pauli Apoſtoli, & reliquias ſanctiſſimæ crucis, Sancti Ioannis Baptiſtę, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. Ianuarij Epiſcopi, & Martyris in eo incluſi, & ſingulis Chriſti fidelibus hodiè vnum annum, & in die anniuerſario conſecrationis huiuſmodi ipſam viſitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta conceſſi.

Dum hæc ſcribo, eodem Octobri menſe anno vertentis ſeculi nono, & quadrageſimo

ſimo Neapoli item Sanctorum Apoſtolorum templum, abſolutum iam ſuis numeris, & vti memoratum alibi eſt, excellentium artificum curis, quà picturæ præſtantia, quà auro, ac marmore magnificè excultum, inaugurandum ritè curarunt Patres; impetrauitque, qui cœnobio præerat, Ludouicus Antinorus, vir à ſacra eloquentia, alijſque animi partibus apprimè commendatus, vt Aſcanius Cardinalis Philamatinus, Neapolitanus Archiepiſcopus, obiret ipſe ea ſacra: augeretque magni nominis, ac purpuræ dignitate cùm baſilicæ famam, tùm ceremoniarum ſplendorem, ac ſanctitatem. Scilicet, peculiari quodam ſtudio in id cœnobium fertur ampliſſimus Cardinalis, teſtatuſque luculenter beneuolentiam eſt, excitata inibi percelebri magnæ Virgini ęde, quam aliàs fusè deſcripſimus: extructoque ſibi, ac ſuis monumento, vt mirum non ſit, viuentem proſequi humanitate ſua locum, quem ſuis, ſuorumque manibus, exuta poſtea mortalitate, delegerit. Porrò hanc templi dedicationem mira quadam alacritate viſus peregiſſe, concurſatione hominum incredibili, ac celebritate præſertim virorum procerum, ac principum fœminarum. Noſtris recenti hac Antiſtitis beneuolentiſſimi ſignificatione nihil accidit iucundius, gratulatis vehementer, quod templum, quanta maxima potuit magnificentia ab ipſis exornatum, illuſtraret dignitate, ac luce ſua Cardinalis Philamarinus. Huiuſce verò conſecrationis index in extima ipſa templi facie ſupra portam principem prægrande extat marmor, inſctiptis ad æui memotiam his literis.

Et Sanctorum Apoſtolorum,

Ab Aſcanio Card. Philamatino;

EREPTVM OLIM SVPERSTITIONI PHANVM,
QVOD EXPLICATA LATIVS AREA MVTATO CVLTV
SANCTORVM APOSTOLORVM MEMORIÆ
CONSTANTINVS MAGNVS DEDICAVIT
POSTMODVM EXVTO OEVI SENIO
A FVNDO ATQVE AD CONSTANTINIANAM MAGNIFICENTIAM
A CLERICIS REGVLARIBVS RENOVATVM
FRANCISCVS S.R.E. CARDINALIS BONCOMPAGNVS ARCHIEP. NEAPOL.
IACTO PRIMARIO LAPIDE FVNDAVIT
CHRISTI ANNO M.DC.XXIV. DIE IV. NOVEMB.
DEMVM CONTINVATO PVRPVRÆ AC MAGNORVM NOMINVM SPLEN-
ASCANIVS CARD PHILAMARINVS (DORE
ARCHIEPISCOPVS NEAPOLITANVS
SOLENNI RITV CONSECRAVIT.
RESTITVTÆ SALVTIS AN. M.DC.XLIX. DIE X. OCTOBRIS.

Sed vltra temporum lineam prouectus, refert modò gradum ſtylus, ac denarrare curſim aggreditur quid inteſtini turbinis, qui poſtremo hoc ſuæ præfecturæ anno non modicum ſanè moleſtiæ Ioanni Scurcouillo Præpoſito Generali creauit, perturbauitque Ordinem eò vehementiùs, quòd publicæ diſciplinæ, tuendæque Religionis ſtudium partes in hac ſcena agere viderentur. Planè nihil eſt communi bono pernicioſius, quàm zeli ſpecie graſſari malum, affectuſque ſanctè perſonatos, vocari in ſuffragium. Procellam pauci ex noſtratibus excitarunt, quorum excuſanda ſortaſſe mens bona: quippè qui ſpectare ſe rerum ordinem, ac iura, & Congregationis commoda, tranquillitatemque animorum profiterentur. Neque enim id illorum fuiſſe propoſitum putandum eſt, vt inſtituta, legeſque Patrum conuellerent, ac Sodalitatem à fundo turbarent. Scimus præterea multitudinem, cui non ſemper vnus, idemque impetus, ac mens, hæc monſtra frequenter parere: ac ſanctiſſimas religioſorum hominum familias inteſtina eiuſmodi lue perſæpè laboraſſe, nulla non literarum monumenta produnt. Sinit nempè diuini Numinis prouidentia hæc interdum euenire, vt rerum pulcherrimarum pretium examine, ac veluti attritu probetur, firmenturque aduerſis optima. Neque diſſimulanda ea ſunt ab ijs, qui ſuas hiſtorias conſcribunt, ceu annales commaculet illa rerum commemoratio. Enimuerò, cùm meminiſſe ſuarum partium; fideique ingenuus ſcriptor debeat, tùm nonnihil vtilitatis deriuare eiuſmodi ſcripto in commune bonum ſolet. Erudit nanque efficaciùs interdum

Aliquid procellę in Ordine,

Zeli ſpecie;

Sæpè in religioſis familijs eiuſmodi exépla;

Non tacenda in hiſtorijs,

dum animos poſita ob oculos mali ſpecies, quàm ipſa honeſtiſſimę virtutis forma. Igitur, quo tandem ſpiritu ducti ij fuerint, cùm totus in eo eſſet Pater Generalis, vt propè diem excudendæ, probandæque ab Sede Apoſtolica Conſtitutiones in morem inducerentur, appellare Clementem Pontificem non dubitarunt. Rerum capita ad hæc fermè reuocantur. Pleraque in Ordine eſſe, quæ niſi maturè accederet ſummi Patris auctoritas, ac cenſura, fore, vt quàm primũ in apertum communis rei exitium euaderent. Conſtitutiones ad Sacrorum Canonum lancem minimè expenſas: pleraſque cum ipſis, & cum ipſo etiam veterum noſtratum ſenſu pugnare. Regi publicā rem ad vnius Patris Generalis libitum: haud diuidi ex æquo officiorum munera: prętermitti idoneos; atque adeò perennare inter paucos præfecturas; quod aliorũ neruos, ac contentionem in perſequenda diſciplina elideret. Quod verò inculcare maximè videbantur, erat ſacerdotum in vocaliũ numerũ adoptatio. Nam cùm vel ab ipſo Ordine ineunte in more poſitum fuerit, vt pauci admodũ, atq. nonniſi ſtrictiore quodam morum examine in generalibus comitijs legerentur, id ipſi conabantur, vt laudabile inſtitutum obrogaretur. Quare id eſſe contra ius, faſque expoſuere. Quoſlibet nempè ſacerdotes ex Canonum præſcripto iure ſuffragij gaudere: proindèque nullam penès Capitulum generale eiuſmodi facultatem eſſe. Et rationi etiam congruere. Hos etenim eligi, illos diſſimulari, fieri ſine multorum offenſione, atque inuidia minimè poſſe: vt enaſci ſubindè incommoda oporteat, quæ non modò membra, ſed corpus ipſum afficiant. Hæc vbi compoſito ad Pontificem libello, explicauere, eius opem auctoritatemque implorarunt, vt tempeſtiuè conſuleret: cuius etiam animum occupare officijs quàm opportuniſſimis maturarunt. Siquidem cùm ex ijs nonnulli plurimùm Romana in aula quà conſuetudine, quà conſanguinitate, ac Principum gratia valerent, vrgere peridoneis inſtrumentis rem, facilè fuit: & qui, vti ſignificatum eſt, zelum Ordinis, regulariſque diſciplinæ præſeferebant, inuenire principiò apud grauiſſimos viros locum luculenta eorum reclamatio viſa eſt. Et fuere præſertim ex Auguſto Senatu magni nominis Patres, qui rati Religionis partes agere, negotiũ perindè complexi ſunt, vt & fauerent ipſi ſtrenuè, & Pontificis aures, animũq. in tempore ſubirent. Qui ad gubernacula ſedebat, Præpoſitus Generalis, quòd eò tendere procellam conſpiceret, vt maiorum inſtituta, ac diſciplinam ferè omnem euerteret; metuere magnoperè Sodalitati cœpit; &, quod eſſe ſuarum partium exiſtimabat, obniti malo præſenti conſilio, ac vigore animi incredibili inſtituit. Ampliſſimos Patres, ac Pontificem ipſum conuenit. Intempeſtiuam paucorum capitum impreſſionem, cauſas, finem, ſcopum disertè aperuit. Qui turbarent, eos eſſe, qui ſpecie quidem tueri diſciplinam viderentur: re autem vera Parentis viſcera admordere, ac diſcerpere. Ordinem tũ maximè regulari obſeruantia florere: neminem prętcr ipſos adlatrare ordinationibus, Sodalitati coæuis. Conſtitutiones maturè conſcriptas, ac ſæpiùs, religioſèque recognitas, expenſaſque ad libram: adeò vt ad ſacros Canones, ac ſtatuta Patrum adamuſſim reſpondeant. Quod autem maximè abrogatum vellet pars aduerſa, id eſſe præcipuum quoddam noſtræ Congregationis firmamentum: nempè deſignari in Comitijs generalibus ſtrictiore quadam Conſcriptorum Patrum cenſura Vocales noſtros, vt optimorum quidem veluti Seminarium extaret, vndè idonei deligerentur domorum rectores. Neque hoc delectu lædi iura, ac Pontificum ſcita; quando obſignatis breuibus literis, id nobis permiſerit Clemens Septimus; ac conſequentes deindè Pontifices probauerint, ac ratum habuerint. Nihil enim vnquam à noſtratibus geſtum, inauſpicata Romana Sede, vnde & Ordo, & leges manarunt. Ad hæc, ne quis vnquam grauiſſimi inſtituti ignorationem prętexeret, ſtatuiſſe olim Patres, vt dum Religionis habitum publicè induerent, ſingulis quibuſq. disertè denunciaretur, ius ſuffragij, quoad Capituli generalis ſuffragatio, nutuſq. accederet, nulli fore, vt contingeret. Hæc ſingulari modeſtia, atque efficacia Scurcouillus; aderatque Marcus Paleſcandalus, qui cùm ſummo loco apud Cardinalem Aldobrandinum eſſet, nõ minimum ſanè momenti cõmmuni cauſæ attulit: ita vt Clemens Pontifex, excuſſa grauiter re, ſententiam pro Congregatione tulerit: ac cenſuerit, in lectione Vocalium ſtandum veterum conſuetudini, quam ſummi Pontifices approbauerant, & in cuius obſeruantiam ſuam quiſque fidem obligat. Hoc decreto viſum refrixiſſe, ac reſtringui

Exponuntur Pontifici paucorum queſtus.

Præcipuè de Vocalium electione.

Parti fauēt virorum principum ſtudia.

Obluctatur ſtrenuè P. Generalis.

Diſſoluitque apud Pontificem, & Cardinales aduerſariorũ obiecta.

Diſſipatus breui turbo.

gui

qui omninò ſtudium nouandi. At enim, quòd nuſquàm ſtatim reſedere incitatæ ſemel turbæ, præſertim vbi latus vellicat æmulatio, atque honorum cupiditas, pugnā inſtaurarunt. Etenim cùm propè iam eſſent inſequentis anni comitia, interprete Venetorum Oratore, qui acriùs fauebat parti, Pontifici ſupplicarunt, vt ad commune Ordinis bonum, tranquillitatemq. permitteret, quoſdam ex ipſis Romam adire, vt coram eum Capituli Patribus ipſi agerent, ac rem componerent. Annuerat Clemens, ratus, optimū factu eſſe, Comitiali ea diſceptatione, ac maturo Patrum iudicio, pacatè nimirùm, atque inter domeſticos parietes dirimi ſemel diſſidium. Verùm vbi hoc allatum Patri Generali fuit, quòd is intelligeret, fore, vt ſi feruida ea Patrum indoles Romam conueniret, multò vehementiùs, quà ſua ipſi contentione, quà fauore virorū Principum foris cauſam inflāmarent, ac domi Comitia miſcerent; in id maximè neruos contendit, vt acceſſu prohiberentur. Implorata proindè Aldobrandini fides; qui doctus opportunè, quæ ſecum incommoda afferret illorum ad Vrbem aditus, abrogandam Pontificiam facultatem curauit; cautumque, vt nulli præter deſignatos, lectoſque domorum ſuffragijs, accedendi ad Capitulum generale ius eſſet. Perorata cauſa tunc eſt, quę poſtea viſa funditùs exſcindi, cùm Pompeius Cardinalis Arigonius Summi Pontificis iuſſu Comitijs præfuit, vt in tēpore explicabitur. Interim cùm Patrem Generalem, tùm cæteros bonæ mentis Patres, atque exteros etiam, noſtræ diſciplinæ ſtudioſos id vehementer affecit, quòd inteſtinæ hæ turbæ inumbrare nonnihil Ordinis opinionem viderentur. Nam licet prudentes viri florere maximè diſciplinam, ſibi perſuadeant, vbi eiuſmodi procellæ excitantur; ac ſummè probent, dilaudentque legum auctoritatem, ac ſanctiſſimas maiorum inſtitutiones egregio ſpiritu propugnari; tantùm abeſt, vt illos offendat, quòd in religioſorum, hominum nimirùm cœtu, pauci turbent: nihilò tamen minùs adprimit ſemper, inuritque ſuam notam prauum multitudinis, vulgique, ſecùs interpretantis iudiciū: atque adeò cauendum religioſis familijs, ne, quod emendari tacitè intùs poteſt, in lucem trahant eum communis famæ diſpendio, ac vmbra.

Sed cum iterū turbarent,

Iterum Cardinalis Aldobrā dini ope lusa eorum vota,

Incommodum ab inteſtinis diſsidijs,

Iam quando Ioannis Sipontini Generalatus clauditur, non abs re fuerit ſtrictim recenſere, qui ſe hoc potiſſimùm triennio Ordini adiunxere, morum fama, virtuteq. ac ſtudijs ſpectati. Offert ſe ſe primò Iuuenis, vt genere, ita & generoſi ſpiritus conſtantia, qua ſe Sodalitati deuouit, longè nobiliſſimus. Fuit is Angelus Barbaricus, è Patritio ordine Venetus, qui ætatem indole prætereuctus, intra annum ſextum decimum Venetijs receptus à noſtris eſt, adulta iam virtute, ac robuſtiore quadam fortitudine, qua fuit illi egregiè velitandum. Etenim cùm moleſtiſſimè ferret Pater, deſtitui ſummæ ſpei ſobole, nullis non artibus agere cum eo ſtuduit, vt à præclara mente deflecteret. Spem faciebat œui acerbitas, ceu par annis ineſſet virtus. Verùm vbi ſupra ætatem, paternamque reuerentiam, ac ſupra pollicitationes omnes, ac minas viriles in adoleſcente animos agnouit Pater, poteſtate agere decreuit, atque ipſum Decem Virum Collegium, quæ ſuprema Venetijs auctoritas eſt, appellauit. At enim qui vnius contempſerat Patris imperium, ac vim; tantum habere ſe roboris oſtendit, vt decem ſimul Patres minimè pertimeſceret: eò ipſe fortior, quò numeroſior expugnando propoſito aſſurgeret capitum poteſtas. Igitur explorata Barbarici voluntas, ac conſtantia peracri examine. Interrogare Decem Viri, periclitari acerbiùs mitiùs cùm eloquentiam ſuam, tùm officii vim; eluctante quæſtionem, ac impetum immota omninò mente, ac fronte Barbarico, cuius ea duntaxat audita generosè verba: Se quidem ſponte ſua, Deo nempè auctore, vndè mens manauerat, legiſſe Religionis ſtationem; ac fore, vt habitum, ac propoſitum cum ſpiritu dimitteret. Potiorem eſſe Dei, quam parentum voluntatem: Illum quippè primum, ac verum Patrem, qui non tantùm vitam, ſed æternitatem vitæ elargitur. Iuuenis conſtantia nimium, quantū grauiſſimos viros affecerit; qui vbi ludere ſe in tanta animi firmitudine operam, intellexere; monuere Patrem, cauſam ſuſcepiſſe minùs æquam, & cum filio, qui nobiliorem adoptauerat Patrem. Deſineret proindè ab incœpto, ac ſineret Dei eſſe, quæ ſunt Dei. Quo defunctus certamine, ac parta victoria Angelus, domum reuerſus, vt ritè triumpharet, ſolemnia votorum ſacramenta dixit Iunio menſe huius anni. Specimen hoc fuit, omenque præſtantiſſimæ virtutis; cœpitque eueſtigiò in omni ſe morum lau-

Inſtitutum ea: peſſit Angelus Barbaricus,

Pater obnititur,

Probat conſtātiam ſuam Iuuenis,

Sed breui, ac piè moritur.

laude, regulariſque diſciplinæ vſu exercere. Sed inuidit Sodalitati tantum innocentiæ exemplum feſtinata nimiùm mors. Breui ſiquidem, ac intra triennium ab humanis ereptus, cœlum tenuit, contigitque florente adhuc ætate emeritæ probitati præmium.

Vincentius Caraſa, & Ioſeph Iudice Religioni ſe dant.

Congregationi hoc item anno ſe mancipaꝛunt optimæ ſpei iuuenes duo, Romæ alter in Quirinali domo, alter Mediolani, quos poſtea animorum, fideique ſtudio incenſos ad exteras gentes Romana Sedes allegauit. Fuere hi Vincentius Caraſa Neapolitanus, & Ioſeph Iudice Mediolanenſis. Et Caraſam quidem, quem ſplendidà admodùm conſanguinitas cohoneſtabat, in ea expeditione velitari primùm cum ſuis oportuit, quorum dimoueri precibus, ac lachrymis minimè potuit, quominùs eò curſum intenderet, quò tot rerum diſcrimina, ac labores generoſam indolem prouocabant; viſus profectò affectus omnes, ceu paruulos ſuos alliſiſſe ad Georgianas cautes, inter quas ſpiritum poſuit inſigni cum laude pietatis, vti in loco exponam. Idem in Iudice ardor fuit, qui Iberiam Orientalem, ac Colchidem diuini verbi prædicatione, ac barbarorum inſtitutione in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate diù excoluit; tulitque tandem laborum pretium Conſtantinopoli, vbi coniectus in carcerē, ærumniſque exhauſtus, ſuum ipſe triumphum catenatus obiuit, exitu planè feliciſſimo, ac penè martyr; quippè in orthodoxæ fidei odium diuexatus: quod pleriſque ſanctis Martyribus Romæ accidit ſub Nerone, quos[a] Romanum Martyrologium recenſet. Quanto autem cum incremento, fructuque animorum arduam illam prouinciam procurarit, vt Gentis ſacra, præcipuè baptiſmum ritè expiarit, vt ad frugem orthodoxam Colchorum Epiſcopum reuocarit, vt eorum Regi percarus, ab eoque Romam miſſus, eiuſdem obſequium ad Innocentium Decimum Pontificem detulerit, ſuus erit dicendi locus.

a Octau. Kal. Iul.

Philippus Maria Guadagnius, Alexãder Maffeius. Celſus de Nigris. Marcus Romanus,

Dedit hic item annus Ordini Florentię quidem Philippum Mariam Guadagnium, nobili loco Florentinum, qui vniuerſam deindè Congregationem cum iudicij, ac ſollertiæ laude ſemel, ac iterum adminiſtrauit: Venetijs Alexandrum Maffeium, doctrinarum adiumentis, ac prudentia cum paucis ſpectatum; & Genuæ Celſum de Nigris, quem ſingularis animi candor, tùm regularis diſciplinæ ſtudium, atque in proximos charitas apprimè commendarunt. Superiore verò anno ad noſtros ſeſe aggregarunt Licij Marcus Romanus Cryptalienſis, qui cùm diù Romæ ſacræ Congregationis de Fide Propaganda cùm negotijs peragendis, tùm Collegio adminiſtrando operam nauaſſet, Auguſtorum Patrum, qui Congregationi præerant, poſtulatione euectus ad Rubenſes Inſulas eſt ab Innocentio Pontifice Decimo: Capuæ Thomas de Afflicto Santagathenſis, vir nullo non in ſcriptorum, ac ſcientiarum genere verſatiſſimus: Neapoli verò in Sanctorum Apoſtolorum domo Thomas Pelliccionus Neapolitanus, cui præter egregiam virtutis indolem, monſtri ſimile ingenium contigit. Enimuerò cùm incredibili quadam celeritate rem omnem grammaticam exhauſiſſet, decennis iuris Cæſarij adire ſcholas cœpit, deditque operam viro percelebri Pyrrho Alfano, quo auſpice publicas in æde Spiritus ſancti concertationes propoſuit, propugnauitque, cùm quintum decimum ætatis annum nondum expleſſet: neque vulgares, ac planæ eæ quidem theſes, ſed oſtentando ingenio decerptæ è difficillimis, & nonniſi paradoxæ, atque à cōmuni ſententia longè remotiſſimæ: vt planè ſingulari admirationi fuerit tàm audax, atque acer impetus mentis in tanta ætatis acerbitate. Andreæ Auellino cū Thomam hunc Pelliccionum, tùm Andream Molfeſium, virum item ea iuris prudentiæ facultate inſigniter eruditū, &, ſi ſcriptorum eius monumenta ſpectes, non mediocris famæ, debet noſtra Sodalitas. Enimuerò cùm par hoc iuuenū, recentis iuris laurea donatum, in Neapolitana quadam bibliotheca ſimul eſſent, eiuſque facultatis libros euoluerent, fortè pertranſijt illàc Auellinus, qui eorū indolem, ac ſtudia conſpicatus, imminere iam illos alacritate quadā ingenij, atque ambitioſiùs foro, probè cōprehendit; & quia vi mentis, ac ſuperiore lumine, quo valebat, fore, vt vterque fructuoſiùs in Dei domo ſtudia impenderent, intellexit; aggredi vtrūque, ac vertere in lucrū occaſionem, in animū induxit ſuum. Ergò blandè illos appellat: tùm in ſubſellia, ac forū inuehi. Innocentiæ, atque animorū ſcopulum ea eſſe: cogi viros plerumque integerrimos, ne cauſa cadant, mentiri: adornari perſæpè fraudes: ſtatui auaræ

Thomas de Afflicto. Thomas Pelliccionus. Cuius preclarum ingenium commendatur.

arti

arti pretia, venditari iura, ac ratò ſine iuſtitiæ vulnere propugnari iuſtitiam. Expertum ſe loqui; ac nunquam ſe non ſuſcepti olim patrocinij pœnituiſſe, atque habere Numini grates, quòd æſtus, ac pericula declinaſſet. Hæc eo ſenſu, atque ardore dictionis inculcauit, vt altè in iuuenum animos deſcenderint; ac diſpulſa quadam mentis caligine, aduerterint ipſi luculenter, quibus ſe ſtudijs cum conſcientiæ, animique fraude inuoluerent; nec poſt multò mutare velificationem ſtatuunt, ac Deo ſe, ſuaſque vigilias melioro conſilio dedicare: placuitque vtrique is Ordo, quem Andreas Auellinus ſua virtute, famaque commendabat. Et Thomas quidem Pelliccionus anno huius ſeculi ſecundo receptus in domo Diuæ Mariæ Angelorum eſt, Andreas verò Molfeſius alquantò poſt nomen eodem in cœnobio dedit.

Init ordinem cum Andrea Molfeſio.

Claudat agmen, quod recenſuimus, Genuenſis adoleſcens, & vitæ moribus, & ſtirpe generis perindè nobilis, quem præmaturo obitu circumuentum, contrahere tyrocinium, atque occupare profeſſionis vota hoc anno oportuit, dum ſupremò decumberet. Nicolaus Lomellinus hic fuit, ab ipſis vitæ cunabulis factus ad pietatem, attemperata mirificè ad omnem virtutis, ac morum laudem indole. Primos ipſos annos orationis ſtudio exercuit: vt ſtatim ac à grammaticæ ſcholis reciperet ſe ſe domũ puer, clam omnibus, precibus, ac contemplationi ſe daret; tùm quas non admiſerat culpas, lachrymis eluebar, addebatque tenero interdum corpuſculo flagra: hoc ſanè immitior, quòd innocentiam diuexaret. Charitas item in pauperes eminere id œui videbatur. Non modò commiſerari, verùm etiam quicquid eſſet ad manus, vltrò elargiri ſolitus erat: ſraudabatque contra puerorum morem gulæ imperus, vt alienæ inopiæ proſpiceret. Adire ad Diui Syri, ac noſtra inſpicere cùm cœpiſſet, affici non mediocriter eo ſacrorum cultu; excitarique mox Theatini Inſtituti cupiditatem ſenſit, cuius cùm ferre acriores ſtimulos minùs poſſet, cooptari in Ordinem petijt. Vt probarunt præclatum impetum Patres, ita, quòd ætas illi acerba, atque ipſe corporis habitus delicatior, quàm vt religioſis vigilijs, ac laboribus par eſſet; & quòd maximè vererentur, ne parentes contriſtarent, lentè quidem agere decreuere, vt frangeret ardorem animi mora. Sed is religionis ſtudio vehementer incenſus, pulſare ea vi dicendi illorum animos cœpit, vt tandem admitti impetrauerit. Hieronymus Conſalonerius, vir religioſiſſimus, tyrocinio tùm præerat, cui in ijs ſtatim diſciplinæ rudimentis admirari Lomellini alacritatem, & cum eo non quidem ſtimulis, ſed fręno vti contigit. Ceu leue quid eſſet communis obſeruantiæ rigor, aſpetrima quæque depoſcebat flagrantiſſimus adoleſcens. Temperare carnibus, ac vino, diſcruciare flagellis corpus, aſſeribus indormire: hæc aſſidua eius poſtulata. Et indulgebat pleraque pro virium modo Conſalonerius, quæ tamen vim animi acerrimam minimè explebant. Paupertatem, atque ab ea incommoda nimiùm quantùm adamaret. Hanc potiſſimùm viam triuiſſe ſanctos viros, aiebat, facemque mortalibus præluxiſſe ad ſydera; quam & eo etiam nomine colebat, quòd eſſet cognata Humilitati virtus. Nihil quippè antiquius illi, quam inſigni contemptu ſui complecti vilia, atque in poſtremis numerari. Si quid ſpecioſi muneris peragendum, excuſare ipſe animi parros, atque imparem facultatem. Errata, ac labes ſuas, ceu quid eſſent dignum laude, euulgare ipſemet ſolitus erat, ſubibatque libenter noxarum pœnas, quas non admiſerat. Externa ipſa ſpecie eximiam hanc animi demiſſionem præferebat, vultu, inceſſu, geſtu modeſtiſſimus. Cùm ad aram ſacrificantibus operam daret, accurrere dedita opera nobiles fœminæ, vt illum inſpicerent, cuius aſpectu componi mirificè ad pietatem ſentiebant. Scilicet, quandam oris ſerenitatem ita cum oculorum diſciplina, ac fræno coniungebat Nicolaus, vt Angelum illæ inſpicere ſibi viderentur. Extra cellulam nunquam, niſi cum odeum, ac reliquæ functiones euocarent, pedem ferre: orando, terendoque pios libros tempus fallere. Nihil illi moleſtius, quàm à conſanguineis interdum interpellari. Adibat coactus magiſtri nutu, iuſſuſque eos alloqui, ita de rerum humanarum contemptu, ac fuga, de æternorum exiſtimatione, de virtutum ſtudio perorabat, vt admirationem, pietatemque concitaret, fluerentque mox ab eorum oculis lachrymæ. Et valebat quidem in dicendo gratia, atque efficaci quadam vi. Conuenire ſtatis horis animi gratia cum Sodalibus oportebat; &, ne ſermo adreperet minùs frugi, adornabat ipſe plerumque adhortamenta ad fratres,

Nicolaus Lomellinus adoptatur à noſtris.

Eius in adoleſcentia virtus.

In tyrocinio vitę ratio.

Paupertas.

Humilitas.

Modeſtia.

In adhortando vis.

ab exẽplis, dictiſque Patrũ, à diuinæ ſcripturæ locis, à ſententiarum pondere, ac copia vſq. adeò erudita, atq. ad perſuadendũ appoſita, vt negarẽt ſocij, ac magiſter ipſe, eius æui adoleſcentem, qui ſacras non dum literas delibauerat, ea ſcire, ac eloqui, niſi diuinitùs poſſe. Scilicet, effloruerat intempeſtiuè indoles, ingenium, dictio, pietas: fuitque indicio feſtinata maturitas, deciduam fore præproperè vitam. Ita ſiquidem natura comparatum eſt, vt quæ citò creuerint, citò ſeneſcant. Itaque in medio ipſo tyrocinij curſu vitæ metam attigit Lomellinus: quod cùm ipſe à vi morbi præſentiret, rogare enixè Patres, permitterent, antequàm excederet, initiari votis, annexumque Religioni, expirare in ſinu, complexuque Matris. Quod impetrauit, perfecitque incredibili cum animi voluptate. Poſtquàm verò gratias de ſingulari eo beneficio Patribus habuit, dicere de vitæ, & quicquid fluxi eſt, contemptu ea quidem facundia, ſenſuque cœpit, vt nullus profectò vel diſertiſſimus quiſque eccleſiaſtes ſolidam illã, ac diuino quodam ſpiritu plenam orationem exæquaſſet. Nec poſt multò procuratus ſacris pijſſimus adoleſcens, atque ad quandam hilaritatem compoſitus, animam quàm religioſiſſimè efflauit. Superſtes in omnium animis eius innocentia, humilitas, modeſtia, comitas remanſit, vt nullus non effusè dilaudaret. Et Confalonerius quidem verborum alioqui parciſſimus, cùm de Nicolao incideret ſermo, veluti vberrimam, fructuoſiſſimamque nactus materiam, celebrare præter modum eximiam eius virtutem ſolitus erat; ac ſe quidem in optimo adoleſcente nihil vnquam maturioris probitatis, ac ſanctimoniæ deſideraſſe, affirmabat.

Propè tethum Religionis vota concipit.

Et piè moritur.

LIBRI TERTII FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER QVARTVS.

QVARTVS annus voluitur ſupra ſeculum ſextum Decimum, qui, expleto Ioannis Sipontini triennio, Capirulum generale attulit; coactum, inchoarumque Romæ Maio mẽſe; cui ad comitiorum dignitatem, ac firmamentum externa acceſſit auctoritas; difflatæque eius auſpicijs reliquiæ penitùs fuere eius procellæ, quam paucorum conſilio, motuque excitatam, ſupra commemoraui. Planè, id eſt turbarũ proprium, vt nunquam bona fide, atq. ex inregro componantur. Veluti quod modò efferbuit pelagus, vt quieſcere tempeſtas videatur, neſcio quid præteriti furoris tacita quadam fluctuum agitatione ſubmurmutat. Igitur Summus Pontifex Clemens, vt communi noſtræ familiæ tranquillitati pro ſingulari in eam ſtudio caueret, allegare ad comitia placuit, qui ſuo nomine præeſſet, atq. in eam potiſſimũ curam incumberet, vt ritè, pacatèque cuncta peragerentur: & quod ad Vocalium præſertim controuerſiam ſpectabat, exciperet propiùs Patrum ſententias: tùm ſi qui fierent rerum motus, aut contra ius, faſque exponi poſtulata contingeret, opportunè refelleret. Fuit is Pompeius Cardinalis Arigonius, comperræ vir prudentiæ, qui condicta comitijs die adfuit, & quidem ſingulari modeſtia. Enimuerò, quod poſtulare officij tatio, ac purpura videbatur, cùm conſpicuam, decentique loco ſedẽ collocaſſent Patres, renuit ille; ac veluti vnus quiſpiam eſſet ex eo cœtu, ſedere priuato cultu cum alijs voluit. Quid habetet in mandatis, expoſuit: Scire Pontificem, ac ſe Conſctiptorum Patrum prudentiam, ac communis diſciplinæ zelum, quo quidem regi Sodalitatem, ac vigere in ea veteris inſtituti formam, proindèq, florere inſigni apud omnes fama, maximoperè vterque gratulabatur. Turbaſſe nonnullos, haud eſſe in mulritudine inſolens: ſua quemque indole, ſenſuq. trahi; ac ſpectare interdũ ad corporis incolumitatem, leuiore tentari morbo. Cœterùm vt altiùs diſſidia conſopirentur, hoc eſſe ſummi Patris conſilium, ac votum. His Arigonius peroratis, audire ea ſuper re ſingulorum in orbem ſuffragia cùm vellet, vna eademq. omnibus incredibili animorum conſpiratione in tuenda vetere diſciplina ſententia, ac ardor fuit: idque vno pronunciatum ore: Quicquid inſtitutorum perpetua, conſtanrique temporum ſerie obſeruatum vſq. dum eſſet, à priſcis Patribus, accedente nimirùm Ponrificum anulo, nuruq. manaſſe; ea ipſa, ceu Religioni maximè conſentanea, deinceps retinenda. Iiſdem nempè inſtitutis, quibus coaluit, adoleuitq. hominum cœtus, optimè conſeruari. Nam quid pauci modò refigerent, quod ſapientiſſimi olim Patres, ſummorũ Pontificum auctoritas, ac ratio ipſa fixerat, vſuq. Ordo vniuerſus ſanciuerat? Cardinalis communem hunc ſenſum nimiùm quantùm probauerit; detulitque inſigni cũ diſciplinæ prædicatione ad Pontificem; ac deinceps, vt ſua conſtatet cõmitijs libertas, ſuoq. ordine, ac ritu publica Religionis commoda peragerentur, Capirulo abſtinuit: niſi quod beneuolentiæ, atq. officij gratia Quirinalem aliquando domum adiret; idq. mane, cùm nihil in cõmune conſulerent Patres qui lecto interim Eliſęo Nardino, qui comitiales eas curas, viceſq. Cardinalis regeret, proſequuti ſubindè ſunt ſuis auſpicijs Conuentum, ac pleraq. ante quàm Præpoſitum Generalem renunciarent, decreuere. Conſtituti iterum Capituli conſulto ad ſuorum Prępoſitorum nutum, domorum Vicarij: præſcripta eorũ auctoritas, locus, tempus. Quędam de Scholaſticis, ac concionatoribus, de Vocalium electione, atq. Ordinis præfecturis ſtatuta. Dicta deindè ſupremi Moderatoris creationi dies, in qua orato de more Numine, vt ad Congregationis momentum adgubernaret,

Habentur generalia comitia,

Adeſt Cardinalis Arigonius.

Eius ad Patres verba,

Patrum de ſeruanda vetere diſciplina ſenſus.

Eligitur Præſes Nardinus,

Qui mox Generalis renunciatur.

tet, itum in ſuffragia, aſſenſuque omnium incredibili incubuere in Eliſæum Nardinum vota, eum nempe, qui tùm quidem Capitulum temperabat, ac bis item mira ſolertia, conſtantique iuſti, rectique tenore Ordinē adminiſtrauerat. Commendatiſſimus Pontifici Nardinus, atque adeò probata ab eo prolixiùs fuere Patrum iudicia. Neque commodior profectò contingere tùm quidem Congregationi Præpoſitus poterat. Perſuaſione ſiquidē virtutis, ac ſingularis prudentiæ cùm apud Clementem, tū apud ampliſſimos Patres, Romanāque aulam omnē valebat; ac præterea inerat quædam illi infracti pectoris vis: ſanè vt nullus opportuniùs, ac generoſiùs luderet eorum conatus, qui tecti, zelique ſpecie mutari ſtatuta Ordinis tentauerant.

Quà opportunè.

Iam vbi is prouinciam capeſſiuit, expedire quàm primùm conſultis Patrum, quæ ſupererant, negotia ſtuduit. Tùm renunciatis domorum Præpoſitis, Arigonium monuit, abſolutum iam eſſe Capitulum, atque à ſuo ipſius nutu expectari miſſionem, quam ille non anteà fecit, quā ſummæ Sedis oraculum conſuleret.

Arigonius ad Capituli Patres præfatur.

Itaque poſtquàm alloquutus Pontificem eſt, Quirinales Patres adijt: ac gratulatus, ſucceſſiſſe comitia, hæc paucis, & quàm gratiſſimè. Conceperam quid animo, Patres, ac videbar profectò quieſcere minimè poſſe, quoad Pontificem candidè docerem, quanta cum veſtræ diſciplinæ laude, ac veſtrū omnium exiſtimatione Capitulo huic veſtro præfui; ac luculenter inſuper teſtarer eximiam erga Apoſtolicam Sedem veſtram obſeruantiam, ac ſtudium: quod vnicè catum Sanctitati ſuæ fuit. Illudque addidi, è re maximè fore Chriſtianæ Reipublicæ, vti Romanam Sedem opera, ac vigilijs Sanctæ iſtius Religionis, in qua ſpectata adeò virtus, ac primœuus adhuc ſpiritus floret. Id quod viſus Summus Pontifex eximia voluntate adprobaſſe.

Cōſtitutiones Pontificis auctoritate firmat.

Quod verò poſtremò accuratè cōmendauit, id fuit, ſtrenuam adeò operam, cenſuramque contuliſſe vos in conſtitutionibus veſtris, quà expendendis, quà adornandis; quibus vt Apoſtolicæ auctoritatis accedat pondus, roborari ſuis literis iuſſit: ac pergratum fore ſibi, oſtendit, ſi publicam quàm primùm lucem aſpicerent. Interim vobis benè precatus, facultatem dimittendi Capitulum facit.

Ac Capitulum dimittit.

Hæc diſertè Arigonius. Patres beneuolentiſſimi Pontificis erga Sodalitatem ſtudium, paternamque benignitatem, tùm ampliſſimi Cardinalis prudentiam, amoremque in ipſos breui oratione recenſentes, habuere cumulatiſſimè vtrique gratias: illud ingenuè profeſſi, nullum eſſe exſoluendis tot beneficijs pretium: at abundè rependiſſe, conceptis pro vtriuſque incolumitate, votis. Quo quidem impoſitus comitijs finis, ac ſuam quiſque domum repetijt.

Nardinus in ipſo ſtatim tertiæ huiuſce præfecturæ initio cùm in omnem muneris ſui partem intendere animum videretur; tùm illud potiſſimùm verſare curis ſuis cœpit, vt exactus iam ad vnguem Conſtitutionum codex, incitamento præſertim, ac facultate Pontificis accedente, typis excuderetur.

Cōſtitutiones quàm acri examine expēſæ.

Planè, cum nihil ſit cuique Reipublicæ magis neceſſarium, quàm proſtare communes leges, ad quarum amuſſim publici, priuatique homines viuant, viſa profectò noſtra Sodalitas nihil nauaſſe ſtudioſiùs, quàm vt ſtatuta Ordinis ad exactæ prudentiæ normam expolita, atque vnum in corpus concinnè redacta, ad vnum quoddam perpetuum, & conſtans legum exemplar ſingulorum mores erudiret, & cogeret. Cœptum opus iam inde ab anno exacti ſeculi quinto, & nonageſimo, vti id loci memoratum eſt. Datum nauandæ, perficiendæque rei munus grauiſſimis perindè viris, ac eruditiſſimis, quorum collata ſimul iudicia, ac ſtudia nihil diligentiæ viſa prætermiſiſſe, vt negotij dignitati, grauitatique apprimè reſponderent. Horum labor delatus ad ſingulas Congregationis domos, vt acuratè Patres inſpicerent, ſignificarentque, quid demi, quid addi, mutarique ſubindè vellent. Ab horum lima ad publicam iterum cenſuram reuocatus, ad Capitulum videlicet generale, quod habitum Romæ eſt eius ſeculi anno ſupra nonageſimum octauo, in quo peracri quidem iudicio appenſus ad libram Conſtitutionum liber fuit; itumque non modò per capita, ſed per ſingulas etiam periodos, ac dictiones, ne quid calamo excidiſſet à communi ſenſu alienum, & ne quid, aut indiligentia peccaſſet, aut inelegantia; ſed conſtaret omninò legibus à verborum pondere, ac notione ſua vis. Neque hic ſiſtendum duxere Patres; ſed ad experientiam, vſumque prouocarunt: factoque mox periculo, atque exacto triennio, iterum ad comitia, atque examen omnia; quoad ſupremam tandem manum, ac veluti coronidem

addide-

addiderit Pontificis iudicium. Tanti ſcilicet momenti erat, ſtatuta Congregationis condere, vt nonniſi diutiùs premi, nonumque omninò cudi in annum, oporteret. Igitur ſtatim à generali Capitulo, obſignato die duo de trigeſima Iulij mẽſis Clementis Pontificis diplomate, impreſſæ Romæ Clericorum Regularium Conſtitutiones fuere; quæ antequàm conſcriberentur, tranſcriptæ magnam partem in mores iam erant: vt diù vixerit Theatina Reſpublica ſine legum codice, non ſine legibus. Porrò recens excuſæ, vt non ſint recentes ipſæ, ſed ab omni antiquitate, atque à vetuſtiſſimorum aſcetarum regulis manarint; non ita multò poſt, hoc eſt, anno huius ſeculi decimo, compoſitis ad eaſdem Conſtitutiones notis, planè aureis, eruditiſſimè oſtendit Antonius Cataccíolus, vir ex noſtris, vti aliàs ſignificaui, quem nihil vetuſtatis, ac ſanctioris æui latuit. Libellus ea per Europam approbatione, plauſuque exceptus eſt, vt nullis non eruditiorum, ac religioſorum manibus tereretur. Iuuat in eo cernere inſtauratos, ac veluti rediuiuos noſtrarum opera ſanctioris ſeculi mores, conſenſu diſciplinæ incredibili; vt ſanè mutuaſſe eaſdem ab ijs regulas, eaſdemque viuendi rationes, ac ritus omnes videantur. Magna, ſcilicet, parua, ſacra profana, priuata publica ab eodem fonte: ita vt pari quidem laude digni ſint, qui has leges ſciuerint, & qui ad ſuam illas antiquitatem pulcherrimo commentario reuocauerit. Hunc ipſum poſtea librum, cum paſſim exemplaria poſcerentur, recudi oportuit. Quod inſigni cum auctario, ac mutata inſuper inſcriptione Pariſijs contigit, Cardinalis Berulli opera, qui & excellenti lucubrationi, & auctori intimè addictus, adeſſe ipſemet typis, eoſque recognoſcere, atque emendare eximia planè beneuolentia, atque exiſtimatione operis voluit.

Romanis typis excuduntur.

Antonii Caracciolî in illas notæ.

Mantuam nunc tranſimus, cuius in huiuſce anni Capitulo agitari Coloniam contigit, ſcitumque aſſenſu Patrum, vt fundaretur. Poſtulata iam pridem hæc noſtra cũ expeditio fuerat à Guiglielmo Gonzaga, ornatiſſimo Principe, qui ad reliquam Vrbis ſuæ magnificentiam accedere religioſarum familiarum cœnobia, præclarum, ac dignum pietate ſua putabat. Verùm, vti in loco explicaui, ſucceſſu conatus caruere: inſtauratumque diù poſt conſilium eſt, ſuperiore nimirùm anno, quo Paulum Philamarinum, non vulgari prudentia ex noſtris virum, adire Mantuam contigit; vt eximium quoddam cum Granæ Marchioniſſa pietatis opus tranſigeret. Inſignis; vt genere, ita & virtute ea erat fœmina, atque in noſtrum Ordinem egregiè animata; eaque maximè Philamarini occaſione cùm ſæpiùs de noſtro Inſtituto vltrò, citròque ſermones ſerere libuiſſet, incenſa vehementiùs eſt Theatini moris ſtudio; atque id ſtatim verſari animo cœpit, fore Ciuitati quidem ornamento, communi verò religioni, ac fructui opportuniſſimum, ſi eò Patres euocarentur. Ergò, quæ exerto, virilique ingenio erat, aperire ipſa aditum cogitauit. Margaritam Gonzagam, Alphonſi Ferrarienſis olim Ducis coniugem, conuenit. Clericorum Regularium, celebrioris iam famæ Ordinem, eum eſſe ſignificauit, qui ſine ornatiſſimæ Principis laude, ac publico omnium compendio induci in Ciuitatem minùs poſſet. Aliàs id negotij à Guiglielmo Patre ſumma ope ſuſceptum: fortè, quæ confici tunc minimè potuere, ſeruata eius pietati eſſent: aggrederetur proindè præclarum opus. Si inciperet, ac faueret ipſa, non defuturam proniorem Vincentij Ducis fratris voluntatem, quæ pergeret, ac ciuium ſtudia, quæ plauderent. Fauere autem tùm maximè temporis opportunitatem, præſente nimirùm Paulo Philamarino, viro graui, quicum rem tranſigerent. Margaritæ nihil accidere iucundius potuit, quàm dari ſibi amplificandæ Mantuanæ pietatis occaſionem; & quæ in excolenda virtute, atque animi indole tota erat, ac tùm maximè honeſtiſſimum puellarum contubernium, ac ſuum etiam receſſum cogitabat; commodùm adeſſe religioſiſſimi inſtituti viros, quibus & ſui, & ſuarum virginum clientelam, curamque committeret. Rem ad Vincentium fratrem ſtatim detulit, qui inſtaurari de figenda inibi Theatina familia conſilium, gratulatus, maturandum negotium cenſuit; acceſſitque mox nutus Franciſci Gonzagæ, ſingulari probitate, ac ſanctitate morum viri, qui è fratrum Minorum, quam ab obſeruantia vocant, generali præfectura ad Cephaloedenſes Inſulas, tùm ad Mantuanas euaſerat. His ita conſtitutis, communicare cum Paulo Philamarino rem, & cum eo de loci ſitu, alijſque excipiendæ Sodalitati opportunitatibus conſulere, Margaritæ, ac

Petita olim Mantuana Colonia.

Agitatur à Granæ Marchioniſſa.

Margarita Ferrariæ Dux interpellatur.

Quæ negotiũ cõplectitur.

Acceſſitque Vincentii Ducis voluntas.

Et Mantuani Epiſcopi.

Vincen-

Vincentio libuit: ac ſitum quidem non tàm facile fuit commodum, ac tùm animorum inſtitutioni, quam profitemur, tùm priuato cultui idoneum reperire: quod cùm cerneret Margarita, ne dilabi occaſionem contingeret, eximij cuiuſdam in nos ſtudij,

Deſtinatur D. Vrſulæ ædes familię.

ac magni animi ſpecimen dedit. Siquidem templum Diuæ Vrſulæ nuncupatum, domoſque attiguas, quas inſtituto à ſe Virginum collegio deſtinauerat, noſtrę diſciplinæ libens, volens attribuit. Quod quidem in cauſa fuit, vti mox dicam, cur ſanctius quoddam, ac ſtrictius monialium inſtitutum poſtea conciperet, excitaretque, ac cenſu annuo, lauto eo quidem, in commune monaſterij cōmodum dotaret. Deſtinatam hanc porrò noſtræ familiæ ædem, etſi neque omninò opportunam eſſe ſciret Margarita, ſatis tamen erat ponendis cœnobij rudimentis, quoad aptior occurreret Sedes.

Dantur ad Capitulum literę.

Igitur cum propè iam eſſet generale Capitulum, cùm literas ad Patres, officij, ac deſiderij plenas pijſſimi Principes dedere, tùm Philamarino, qui adeſſe & ipſe comitijs deberet, negotium commendarunt, vt coram conficeret. Euocari Mantuam præclara

Probant cœnobiū Patres.

cum illorum Principum voluntate, atque exiſtimatione Ordinis, gratiſſimum Patribus fuit; atque excuſſa propiùs re, tùm ex literis, tùm ex Philamarini dictis acceptari Mantuanam Sedem placuit, deſtinatuſque is ipſe eſt Paulus Philamarinus, vt eò accederet, &, ſi quidem conſtarent adamuſſim omnia, ac promiſſa exhiberentur, iniret communi nomine domicilium. Exequi is imperata non ſtatim potuit, impli-

Poſſeſſionem capeſsit Philamarinus.

citus nempè morbo, à quo per æſtatem Cremonæ decubuit. Adijt, vbi primùm conualuit, nempè Septembri menſe ineunte, locique poſſeſſionem ingenti cum omniū gratulatione capeſſit, plaudente in primis Mantuæ Duce Vincentio, ac Ferrariæ Principe Margarita, ac gaudente etiam in ſinu Granæ Marchioniſſa, quæ Principum ani-

Statimque deſcribitur familia.

mos concitauerat. Deſcripta ſtatim exercendæ diſciplinæ, celebrandæque de more eccleſiæ familia, quæ proximo Octobri eò inuolauit, ac Philamarino moderatore, viſa nobiliſſimæ Ciuitati ſtudijs, atque expectationi ad vnguem reſpondere, cultu nimirū eccleſiæ pereleganti, accurataque tùm diuinorum adminiſtratione, tùm rectione conſcientiarum, atque animorum, publicis item concionibus, alijſque præclaris vigilijs in commune pietatis incrementum inſtitutis. Qui quidem diligentium operario-

Sedem noſtri mutant.

rum conatus ſtatim oſtendere, haud parē eſſe Diuæ Vrſulæ ædem. Eapropter quærendum laxius, atque in celebriore vicinia domicilium fuit: occurritque peridoneus planè locus, in quem, nulla mora, Auguſto conſequentis anni menſe, die Aſſumptæ in cœlum Virgini ſacra, immigrarunt, dedicato inibi Diuo Mauritio, ac Diuæ Margaritæ templo, ſituque ad Patrum conclauia amplificato, coëmptis vicinis ædibus, quarum pretio exſoluendo priuatæ quorundam procerum liberalitati acceſſit eximia Vincentij Ducis munificentia, elargitis duobus aureorum millibus, ac ſignificato interim prolixiore animo.

Mantuam cōcedit Syluius Brunus.

Iam, qui fundandæ Mantuanæ domui eò inter primos conceſſit, fuit Syluius Brunus, vir, vti aliàs memini, quem & priuatus ſui cultus, morumque ſanctitas cum paucis commendabat, & præclaro quodam prudentiæ genere, ac vi præſertim flexanimæ eloquentiæ in inſtituendis mortalibus, fingendaque cuiuſque indole valebat.

Petente Margarita.

Nouerat illum à virtutum fama, ac de vultu etiam Margarita Gonzaga, quæ fore Brunum, vt publicis moribus, ita ſuis præſertim curis, ac gynæcéo, quod formabat, percommodum, ſibi perſuaſit: idque potiſſimùm à Patre Generali poſtulauerat, vt illum inter cæteros mitteret. Qui quidem vbi Mantuam attigit, eo ſtatim vigore, ſtudioque animi procurare popularium pietatem, moreſque cœpit, vt breui exiſtimatione virtutum, religioſiſque officijs, quibus ſingulos demerebat, in omnium oculis, atque animis fuerit. Dux ipſe Vincentius hominis in agendo ſolertiam, vitæque, ac iudicij integritatem cùm aduertiſſet, vt pote non vulgaris quidem indolis virum, æſtimare magni cœpit. Margarita verò, vt eius opes animi, ac tractandorum animorum facultatem, vſumque propiùs agnouit, non alteri ſui habenas permit-

Cuius confeſſionibus admouetur.

tere, quam illi voluit. Conſcientiæ, amoto, qui hactenus rexerat, confeſſario, ſolum Brunum admouit: tùm dicta, factaque, cogitata ad vnum omnia illi aperire: ab eius conſilio nec latum vnguem diſcedere: quotidianas virtutum exercitationes, ac profectus ab eius ſchola, ac ore haurire: eleemoſynas ipſas, piaſque largitiones non niſi à Syluij arbitrio, manuque velle. Cùm iter in Germaniam intendit,

vt

vt Anſpurgenſem Atchiducem, ſororem ſuam cauſa officij, amoriſque inuiſeret ceu viæ incōmoda, externæq. aulæ auocamenta vna Syluij conſuetudo, ac pręſentia compenſaret, id enixè à Patre Generali contendit, vt vnà ſecum ducere illum liceret. Vereri nempè diſpendia pietatis, ne qui eius præceptionibus formari ſpiritus cæperat, minui eo temporis interuallo, abſente monitore, contingeret: quod quidem impetrauit, conceſſitque in Germaniam Syluius: & qui Margaritæ religionem, moreſque egregios, ac virtutem omnem inſpexere, viſi dilaudare etiam, atque etiam, qui eius & conſcientiã, & indolem regeret. Quod autem in primis ſanctiſſimum, dignumq. magnæ Principis pietate, ac magnificentia molita Mantuæ Margarita eſt, id fuit, vti modò innuimus, ſacrarum Virginum cœnobium, quod imperato Clementis Pontificis nutu ad arctiſſimã Diuæ Claræ regulam à fundo excitauit, ac Diuæ Vrſulæ dedicauit, ſumptu quidem non modico. *Gynæcēum dedicat Margarita,* Nam præter eccleſiæ, domuſque ſubſtructionem, ac domeſticū, ſacrumq. inſtrumentum omne, tribus aureorum millibus in ſingulos annos dotauit: *Dotatque.* vt ſcilicet authoratę inibi votorum Sacramento Virgines, proſcriptis omninò peculijs, & quæ dari aſſolet monaſterijs, dote, cōmuni cenſu, victuq. degerent, ac ſanctiſſimam diſciplinam colerent, publico quidem commodo, ſed paupertate priuata. Quatuor & viginti honeſtis parentibus, ac lectiſſimis moribus puellas, habito Margarita delectu, exædificato à ſe Monaſterio addixit: & vt eſſent, quæ recentem diſciplinam exemplo regerent, ac promouerent, Pontificis item facultate quatuor è Diuę Paulæ Clariſſarū eius Ciuitatis gynecæo eximij ſpiritus, regulariſque obſeruantiæ moniales, vt eò ſe ſe transferrent, curauit. *In eas curas incubuit Brunus.* Porrò, qui in eam curam maximè incubuit, ac loci cū ſtructuram, tùm ſtatuta ordinauit, is fuit Syluius Brunus, qui eximia laboris contentione adfuit præclaro operi, ſtuduitque, vt naſcentes mores ſanctitate adoleſcerent. Cū enim dare ſacris illarū Virginum confeſſionibus aures inſtituiſſet, formare ad omnem pietatem, atq. obſeruantiam Collegium quotidiano, diligentique rerum examine, atque adhortationibus cœpit: vt ſanè cùm plurimùm ad cuiuſque diſciplinæ incrementum interſit, quos habuiſſe magiſtros, qui rerū exordia temperauerint; multùm profectò hoc Diuæ Vrſulæ cœnobium Syluio debet, cuius inſtitutione, ac monitis iacta in eo ſpiritus initia, ac fundamenta ſunt. Cui quidem ſanctimonialiū inſtituto, ac progreſſionibus noſtratum ſubindè induſtria nunquam defuit. In eluendis ſiquidem conſcientijs vti ipſas ſucceſſiuè Theatina opera, ac ſedulitate, contigit, non exigua cum noſtri Ordinis laude, religioſęque eius diſciplinæ additamento. Ipſa verò Heroina religioſiſſima Margarita, quæ locum fundauit, &ſi conformari ad eandem ipſam ſtrictioris vitæ amuſſim, minimè licuit, frui nihilominùs ea portus tranquillitate, ac ſacrarum Virginum conuictu voluit. *Margarita in id ſe cœnobiū recipit.* Exſtructis ſiquidem magnificè in ipſo Monaſterio pro ſe conclauibus, procul faſtu omni, ac ſeculi illecebris eò ſe ſe recepit, nomine quidem Princeps, receſſu verò, ac rerū cœleſtium exercitatione, vſuque monialis: Vbi, Syluio ſpiritus rectore, multarum virtutum, eximiæ præſertim humilitatis, atque abſtinentiæ documenta edidit; ſecumque, & cum Deo agens, quantùm inclyti generis, aulæque contemptu detrahere ſibi auiti ſplendoris videbatur, tantundem ſanctioris lucis refundebat in animum modeſtia. Atque hæc de Mantuana ſede, in quam hęreditaria planè fuere Gonzagæ domus, ac Principum longè beneuolentiſſimorum ſtudia, ac liberalitas.

Aliò nunc pergimus, quò ędium ſubſtructiones ad benefici Numinis, diuinæque bonitatis munificientiam contemplandam inuitant. Nunquam enim percenſere ſumptus in noſtris eccleſijs, ac domicilijs poſſumus, quin admirari arcanam Dei prouidentiam oporteat, quæ cùm noſtra aſſiduò curet, tū ædificia præſertim, modò à noſtrarum fiducia cœperint, ipſa deindè proſequitur, abſoluitque ad omnem vbiq. magnificentiam: vt ſanè vix credi aliquando poſſit, ſumptuoſiſſimi operis exædificationes nullo ære proprio, ſed vltronea piorū ſtipe, atq. in dies ſurgere. Id quod Cremonæ hoc anno accidit, ac Florentiæ; hic templo, ibi domicilio à fundamentis excitato. Et Cremonenſes quidem ædes, vbi degebant tùm Patres, exſtructæ olim ad religioſum quendam modum fuerant, vti in loco memoratum eſt, verū ampliora ea erant conclauia, quàm Theatina modeſtia, atque vſus ferret: *Cremonæ noua inchoatur domus.* cumque non omninò accomodari inſtituto poſſent, ac præterea opportunitates domeſticis officijs peragendis,

dis,

Digitized by Google

dis, quàm plurimæ deeſſent, optimum factu exiſtimarunt, deſcripto ſcitè ſchemate, inchoari à fundo Cœnobium. Præerat illi tùm domui Marcellus Sebaſta, ſpectatæ vir prudentiæ, qui cùm in ipſa ędificij delineatione nihil prętermitti ad quandam etiam ſpeciem curaſſet; cœpta fauſtè domus, abſoluta deinde eſt ad guſtum, ac percommodam Patrum ſedem, fauente nimirũ quotidiana, atq. vltronea piorum ope, quos prę̃ſto eſſe iubet diuinum Numen nihil habentibus, ac magna in ipſius honorem molientibus noſtris.

Florentiæ excitatur à fundo ſacra ædes

Florentiæ iam dixi, Ferdinandi magni Ducis opera nobilem in frequenti Ciuitatis vicinia ſitum noſtræ familiæ contigiſſe, ac celebrari omnium ordinum accurſu templum; quod cùm non id eſſet, vt excipiendæ, erudiendæque multitudini ſufficeret, explicaudum patentiore atea, atque à fundamentis exædificandum decreuere tandẽ Patres. Igitur Andreas Piſcara Caſtaldus, eius cœnobij Præpoſitus, ſingulari, qua erat præditus religione, animique amplitudine aggreſſus id operis eſt. Deſcribendam eius formam ad ipſos elegantiæ numeros, ideamq. excellentiſſimæ artis curauit: tũ, quòd ſciret, Ferdinandum conſultum architecturę eſſe, ac pergratum illi fore, antequàm manum operi adijcerent, eius exemplar contemplari; per Anſelmum Cagiagianũ ex noſtris, accurati virum iudicij, eaque arte nonnihil delibutum, deferri ad illum iuſſit; Expenſa Ferdinandus delineatione, quam ipſe nimio quidem opere commendauit, acciri architectum ſuum iuſſit, qui etiam, atq. etiam probauit. Tũ illi Ferdinandus, quantum auri in perficiendo ad vnguem templo fore inſumendum putaret? qui, ad ſexaginta circiter aureorum millia, reſpondit. Ad hęc ſtatim Cagiano Princeps; cedo, Pater, quænam in prõptu iam eſt continuando ſumptuoſo huic operi pecunia? Cui ille: liceat Principi aperire ingenuè verum, quingenti non ampliùs aurei nobis ſunt: ac mirante vehementiùs Ferdinando, quòd tàm modico ære tàm magnos animo ſumptus concepiſſent, hęc addidit: noſtrarum partium eſt, in magnificum omninò opus, ac ſplendidum collineare, magnoq. animo aggredi: Cæterũ, quod ad ſumptus attinet, non id eſſe nobis curæ, ſed diuino Numini, noſtræ nempè domus Pręfecto longè prouidentiſſimo, cui opportuna ſemper manus, ac planè liberalis; & modò benè, ac prudenter expendatur, adeſt ſemper præſenti auro. Placuit Ferdinando Patrum, vt magnificetia, ita & in Deum fiducia. Atque interim in id labor, curęq. intendi occœpere, vt conſuetis, quàm primũ religionibus opus inchoaretur. Die Auguſti menſis altera, & vigeſima, Dominica ea erat, atque ab Aſſumptę in Cœlum Virginis triumpho octaua, aperta ritè ſundamenta. Ceremoniam ſolenni põpa, ac precatione, adſtante ſacro ordine, obiuit Alexander Mattius Mediceus, Epiſcopus tùm Feſulanus, poſteà Florentinus. Affluxere celebrandis baſilicæ natalibus cum è vulgò, tùm è nobilitate ſummi, infimi: cohoneſtauitq. diei fauſtitatem magnę Ducis Lotharingiæ præſentia, ac amplitudo, excuſato Ferdinando Coniuge, quem extra Vrbem publica diſtinebant commoda. Fundato religioſè templo, cœptum ædificium grandiore quidem animo, quàm viribus. At quem modò diximus, noſtrę domus Præfectus attulit mox opem planè non modicam. Enimuero contigit non ita poſt multò abire ad meliores Dominicum Comũ, virum quà genere, quà pietate nobilem, atq. in noſtram potiſſimũ diſciplinam egregiè animatum, qui vt ſubſtructionem poſtuma etiam munificentia iuuaret, ſeptem aureorum nummũ millia Patribus legauit. Poſt hunc Alexander Guadagnius, vir item nobilis, ac noſtri etiam Ordinis ſtudioſiſſimus, fato conceſſit; attribuitque ſupremis tabulis cœptæ ſtructuræ bis mille aureos. Quo quidem adiumento, aliaque ſubſidiaria piorum ope vrgebat operum alacritas ædificium. Cumq. illàc pertranſire ſæpiùs Ferdinandum contingeret; ſubſiſtere is pauliſper, ac templi incrementa inſpicere ſolitus erat: tùm accito, qui operi præerat, Anſelmo Cagiano, feſtiuè interrogabat: an domus Præfectus opportunè, pronaque adeſſet manu? Hanc poſtea baſilicam complexus ſua magnificentia eſt ex inclyta Medicea domo, atque è Ferdinandi liberis Carolus Cardinalis Medices, adhortante præſertim Lotharingia Matre, quæ pro ſuo in noſtrum Ordinem ſtudio abſolui templum filij opibus, ac religione maximè optabat. Et valuere etiam in eo ſubſtructionis conſilio Comitis Alberti Bentiuoli Bononienſis, viri & gente, & animi partibus prænobilis apud Mediceum Cardinalem preces, qui quidem auito in primis ſplen-

Probat operis ſchema Ferdinandus;

Miraturque Patrum fiduciam,

Quid illi Anſelmus Cagianus,

Fundatur eccleſia,

Fabricam iuuant procerũ legata,

Quã proſequitur Cardinalis Mediceus,

Digitized by Google

ſplendore, ſuique animi magnitudine incitatus, vt ſuſcepit promptè opus, ita proſe-
quutus magnificè eſt, quoad ſupremam manum imponeret. Et verò gratulamur ve-
hementer Clerici Regulares, excitatum magna ex parte ab auguſta ea manu D. Mi-
chaelis eccleſiam, illamque non tàm artis pretio, quàm ampliſſimo ſpectati Princi-
pis nomine nobilitari. Vt ſtudia in ipſum noſtra excitemus, & cenſum metimur, &
animum, vtrumque regium: debitum autem, quod ſoluendo non ſumus, compen-
ſamus votis, quorum ſumma eſt, vt ad templi æuum perennet ipſe Auctor.

Excurrimus modò breui calami tractu Baſilicam, vt quicquid ſubindè pietatis, ac
magnificentiæ ab aliorum cultu acceſſerit, legentes rerum noſtrarum hiſtorias non
lateat. Ideam diximus pulcherrimam. Octonis omninò ſacellis diſtinguitur. Duo
ad aræ principis latera pijſſimæ Sorores Bonſiæ, Helena, atque Eliſabetha; cuius po- *In ea præclari operis ſacella.*
tiſſimū virtutē in loco explicabimus, legato ære, reliquere poſteris exornanda. Quod
Petrus Bonſius nepos, vir & ipſe optimè de noſtra Congregatione meritus, exequutio-
ni magnificè mandauit: qui & ſuo etiam ſplendore nitere hunc templi titulū voluit:
excitatis nempè geminis hinc inde monumentis, pretio marmorū, picturiſq. ad om-
nem elegantiam excultis: quorum alterum præſtantiſſimæ Cardinalis Bonſii Patrui
memoriæ, alterū cognatis Epiſcoporum Inſulis ad honoris, amoriſq. ſpecimen deſti-
nauit. Reliqua deindè, quæ ſuccedunt hinc, atq. hinc ſacella, ſuſcepere ſibi è pri-
maria nobilitate viri concinnanda; inter quos Nerius Ardinghellus, noſtræ diſciplinę
percupidus perindè, & benemerentiſſimus, qui Romanæ primū aulę operam dedit;
ſed hac poſtea valere iuſſa, Patauij, Bononiæ, poſtremò Florentiæ inter noſtros vitam
duxit, quos, pręter quotidianam munificentiam, hæredes etiam fortunarum dixit.
Porrò vt à ſimili quadam elegantia par eſſet in eccleſia ornatus, vno, eodemque ſche-
mathe ita ſuam quiſque ædiculam conformandam pulcherrimè curarunt viri nobi-
les, vt ſua etiam non deſit ab excellentiſſimorum artificum picturis, ac parergis va-
rietas. Oblectat hæc planè in ijs ſumptuoſitas, atque vniformis marmoratio: reſpon-
detque deindè reliquus eccleſiæ cultus. Odèum præſertim ad vnguem expolitum, *Odèum.*
cuius non poſtremū planè ornamentum eſt Chriſti Domini in cruce ſuffixi ex ære ef-
figies, Fuſinæ celeberrimi artificis opus, ac Laurentij Medicei, inclyti Principis, ac Ca-
roli Cardinalis germani fratris, qui dono dedit, liberalitatis, ac beneuolentiæ monu-
mentū. Cuiuſmodi Crucifixi Domini ſignum alterum Leo maximus Pontifex Vnde-
cimus, adhuc in purpura, donauit Patribus: extatque in ſacrario, quod item ornatiſ-
ſimum, ſacroq. inſtrumento, ac ſupellectili abundè inſtructum. Huic verò templi ma- *Diuorum*
gnificentiæ acceſſit à Diuorum lipſanis ſanctitas. In eo ſiquidem Sacello, quod eſt ad *reliquiæ.*
alterum aræ maximæ latus, Infantis Dei cunabulis dedicatum, ſacrorum cinerum
longè pretioſiorem, quàm ex auro, gemmiſq. theſaurum communis pietas deuenera-
tur: in quo quidem præter innumeras penè ſanctorum reliquias, thecis ſuis magni-
ficè conditas, integra extant Marij Martyris, ac Mariæ Virginis, & Martyris corpo-
ra, ex ijs nempè, quę, agente Viglienæ Marchione, Catholici Regis Oratore, è Roma-
nis cœmeterijs effoſſa, noſter Ioannes Baptiſta Caſtaldus, vt in loco exponam, impe-
trauit: & D. Iuliani Martyris integrum item pignus, quod Marchioniſſa Franciſca
Calderina Riccarda, ornatiſſima fœmina, Vincentio noſtro Vguccionо, ſuis à con-
feſſionibus, dono dedit: quorum memoria quotannis diuinis officijs ritè celebratur.
Porrò non mediocre addunt templo decus, pleræque in eo conditæ excellentis virtu-
tis fœminarum exuuię. Bonſię ſorores, Eliſabetha, & Helena, quas modò nominaui,
ſuum quæq. in Sacellum translatæ, occupant, ornantq. pijs manibus locum. In aræ *Eliſabetha, & Elena Bōſia*
principis area, ad lęuam nempè partem, monumentū extat Flammettæ Datę, Camil-
li Dati è patriciorum ordine coniugis. Eximium hæc ſanè matronarum decus, ac vir-
tutum omniū ſpecimen. Præcipuus in ea quidā pro Chriſto patiendi ardor; quo ita tor-
queri videbatur, vt nihil eſſet pijſſimæ fęminæ eo deſiderio acrius; inflammabatque *Flammetta Data.*
alios vehementer ad eam laudem. Præclaras vitę rationes, ac tot animi decora pia
deindè morte cumulauit: cuius inuiſſe hic nomen, ac elogiū voluimus, vt quæ no-
ſtrum Ordinem inſigni beneuolentia, ac pietate complexa eſt, dum viueret, defunctæ
aliqua ſaltem memoris animi, honoriſque ſignificatio accederet à noſtris literis. Eſt
& aliud præclaræ Virginis monumentum, quod ſanè non diſsimulandum: nempè Se-

Digitized by Google

Seraphina Peſſula,

raphinæ Peſſulæ à Vernio, quam quoddam veluti abſolutiſſimum patientiæ ſimulacrum diuturnis cruciamentis, morbiſque expoliuit ſibi diuinum Numen. Infimum illi à natali ſolo, atque à parentibus genus; ſed indoles à pietate atque à virtutis exercitatione nobilis. Puellam modeſtia, ac pudor commendabant. Nulla in quotidiano operum penſo profana de more carmina; ſed piæ quædam fallendo labori cantilenæ, quas & æquales etiam edocebat. Maturiùs, atque in ipſo flore æui corripuere

Eius patientia.

illam morbi, à quibus totos deindè ſex, & viginti annos affixa lecto miſerandum in modum laborauit. Actum principiò remedijs, quæ omnia vicit pertinax malum: eòque tandem euaſit lues, vt præter vultum, in quo vernare tranquillitas, tolerantia, lætitia videbatur, nullum præterea non affectum, intortumque, ac contractum horridè membrũ in ea eſſet. Obducta paſſim vlcera, ac puſtulæ; ſuccedebantque dolores alij alijs: vt ſine incredibili quodam ſenſu neque ex ſe quidem neque externa ope moueri loco poſſet. Ad tantæ cladis corollarium ita claudi dentium ſepta contigit, vt nihil deindè ſumere, aut ſorbere cibi clatratum ſumma vi os poſſet. Quod illi moleſtiſſimum eò vel maximè, quòd Euchariſtico Chriſti Domini corpore priuaretur. Sub ipſum calamitatis initium cùm acerbè admodùm rem ferret, quadam nocte obiecit ſe ſe illi elegantiſſima ſpecie, ac vultu Iuuenis, qui ab auro, à gemmis, ab excellenti opere pretioſiſſimam coronam offerre videbatur: quo tempore ſimul abire mœrorem omnem ſenſit, ſimul inflãmari deſiderio eius potiundæ. Sed dum petit, aliud ille longè diuerſum oſtendit ſertum, ſpinis peracutis horridum; eamque alloquutus in hæc verba eſt: Scias, Seraphina, coronam hanc auream, gemmiſque

Ad quam diuinitùs inflammatur.

illuminatam, dari quidem à Deo, ſed non antequàm ſpineam quis acceptauerit, ac ſtrenuè tolerauerit. Igitur manet te cœlo ſplendidiſſimum hoc capitis inſigne, ſi quos immiſerit ille cruciatus, ærumnaſque æquo tuleris animo, dum vixeris. Ad hęc illa animari vehementer, faceſque ad inſignem patientiam ſubdi ſenſit: tùm acerbiſſima quæque, & quicquid aſperi decreuiſſet diuinum Numen, ingenti vi pectoris acceptauit. Euanuitque illicò Iuuenis. Hinc illi ingens poſtea tolerantia, quæ admirationi tandiù fuit; & quæ in prolixa illa ærumnarum, ac morborum lucta theatrum aperuit, cœlo dignum. Scilicet, emollire quamlibet dolorum aſperitatem, animoſque ſufficere, ac firmitudinem illa pulcherrimæ coronæ cogitatio poterat. Tantam verò corporis cladem aſſidua etiam rerum ſupernarũ contemplatione mulcebat, quæ

Eius contemplatio,

ita ab omni ſenſu doloris mentem auocabat, vt perfundi liquidiſſimis delicijs videretur. Confluebant honeſtiſſimi quique viri, vt monſtrum illud patientiæ cernerent, eiuſque ſe ſe orationibus commendarent. Suſtentandæ item inopiæ ſtipem erogabant, quam, quòd vti manibus nequiret, condi ſub ceruicali iubebat. Adeuntibus deindè ad illam pauperibus, vt eleemoſynam ſibi ab eodem ceruicali ſumerent, roga-

Et in pauperes charitas.

bat; quoſdam etiam, quòd ſcirent, & ipſam egere, vel inuitos cogebat: planè vt certaret cum patientia charitas. Diuturnam hanc porrò patientiſſimæ Virginis crucem cõmendare portento Deus voluit. Enimuerò, vt Laurentius Cocchius, ſacerdos ex noſtris perſpectæ fidei refert, qui eius à confeſſionibus aliquandiù fuit, viſæ in linteis, quæ eius viui erant, quædam identidem cruces, quæ ad aurum vergerent; vt oblectaret nempè eius oculos multiplex crucis effigies, quam ad Redemptoris imitamen-

In eius linteis cruces.

tum tàm libenter ferebat. Nec defuit deindè lacinijs hiſce, cruce ſignatis, ſua vis; fugatis nempè non ſemel earũ attactu morbis. Ad extremum emenſa tanta cum omnium admiratione, ac tolerantiæ laude difficillimũ hoc ærumnarum ſpatiũ Dei ſerua, vocata ad coronam ſuam, eodem, quo vixit, vigore animi mortẽ ſubijt, euolauitque in ſinum ſponſi die Aprilis quarta decima anno voluentis ſeculi decimo octauo. Eius

Moritur, & in noſtra Eccleſia conditur.

quod mortale fuit in noſtra Diui Michaelis eccleſia conditum, inſcripto etiam marmore ad eximiæ vitutis fidem. Rexere eius conſcientiæ, vitæque rationes noſtri homines, qui illam poſtea Braccii Michelotij clientelæ commiſere. Fuit hic Braccius

Braccius Michelotius,

nobili loco Florentinus, qui nomen noſtro olim Ordini dederat; ſed quæ mox fuit in ipſo tyrocinio morbi vis, exuere medicorum conſilio diſciplinam oportuit. Initiatus verò ſacris, ita apud noſtros Florentiæ deindè egit, vt contubernalis, ac citra nomenclationẽ, ac habitũ videri Theatinus poſſet, à cultu virtutis, ſenſuque pietatis cùm noſtratibus, cùm exteris cõmendatiſſimus. Charitatis impetus, flagrante præſertim

popu-

populari lue, egregiè probauit. Complexus nanque magni Ducis, Vrbanique magiſtratus nutu periculoſiſsimas eas curas, breui percuſſus peſtilentia, ſpiritum ingenti cum pietatis laude, cōmunique cum omniū ſenſu poſuit, ſepultuſque cum noſtris eſt, quibuſcum religioſiſsimè diù vixerat. Huic potiſsimū Seraphinam Peſſulam cōmendauere noſtri, qui in ea eximiæ Virginis procuratione nulli profectò ſolertiæ, laborique deſuit.

Ex peſtilentia ſublatus,

Eſt & alia ſpectati moris, atque innocentiæ Virgo, quæ à noſtris itidem inſtituta, eidem huic Diui Michaelis templo ſuas exuuias legauit. Ea eſt Margarita Caſalia, obſcuro quidem loco, ſed à virtutum ornamentis, ac luce non ignobilis. E Diui Franciſci Ordine, quem Tertium vocant, vitam egit, ab eo inſtituto minimè diſſentaneam. Orationi potiſsimùm, rerumque cœleſtium contemplationi vacabat, in qua colluſtrari diuinitùs mentem, ac rerum arcana cognoſcere perſæpè, contingebat.

Margarita Caſalia,

Quædā illi domi erat Crucifixi Domini effigies, quam, ſcire ſe, aiebat Franciſcus Maria Cegia, vir ex noſtris compertæ probitatis, ac Margaritæ à conſeſſionibus, illi non ſemel loquutam, ac pleraque etiam beneficia ad eius preces mortalibus conceſsiſſe. Quæ quidem Imago apud Gentem Griſoniam eſt hodieque in pretio, ac veneratione.

Mira Crucifixi effigies.

Inter hæc pręſtantium fœminarū monimenta non diſsimulandus poſtremo loco Angelus Bonellus, medicinæ artis inter primos conſultiſsimus, qui noſtri Ordinis ſummè cupidus, beneuolentiam ſub ipſum vitæ finem, ſupremiſque tabulis cumulauit. Legata ſiquidem bonorum parte noſtratum vſui, reliquas fortunas cedere in pauperum puellarum dotes voluit: ita tamen, vt noſtri homines, atque è nobilium cenſu viri quatuor, ab ipſis delecti, rem quotannis curarent. Extat in ipſo templi aditu viri titulus, docentque inſcriptæ ad æui fidem literę eius doctrinam, pietatem, munificentiam.

Angelus Bonellus,

Sed hactenus Florentinum hoc templum, quod tandem ab omni parte abſolutū, viſum Carolo Cardinali Mediceo, qui liberaliter, vti ſignificaui, ſtructuræ aderat, vt ritè conſecraretur. Quod accidit die nona & vigeſima Iunij menſis anni quadrageſimi noni ſupra milleſimum ſexcenteſimū. Perfunctus ſolenni eo munere eſt Thomas Saluiatus Epiſcopus Aretinus, vir laudatiſsimus: peractumque id functionis inſigni cum omnium ordinum celebritate, ac plauſu: nec defuit ornandæ ſolennitati Principum Sereniſsimorum humanitas, qui adeſſe priuatim, ac contemplari attentè ſingula voluere.

Conſecratum Florentinum Templum,

Sed antequàm Florentia diſcedo, perſtringenda noſtratum in cōmuni animorum bono ſedulitas eo maximè tempore, quo fundari nouum hoc templum contigit. Enimuerò cùm ſacris præcipuè confeſsionibus, ac concionibus impigram darent operam, eorum ſe ſe fidei, atque inſtitutioni præcipua cùm fœminarum, tùm virorum nobilitas commiſerat: tùm ſiquid honeſti, ac pulchri, ſi quæ pietatis officia peragenda in ea Ciuitate eſſent, acciri in communionem operis noſtri homines ſoliti erant.

Noſtratum Florentiæ ſedulitas.

Exiſtimationem porrò non minimùm adaugebat, quam ſupra memoraui, Eliſabetha Bonſia Capponia, quam cùm à noſtratum diſciplina, nutuque omninò pendere, non ignorarent; quicquid illa pietatis, charitatiſque in proximos obiret, proficiſci à noſtris exiſtimabant. Et ſanè aderant non modò conſilio, atque adhortatione, ſed ope etiam ſanctiſsimæ fœminę: & ſiuè corporum opportunitates, ſiuè animorū lucra curaret illa, connitebantur id ipſum nauare auxiliari manu noſtri.

Adſunt Eliſabethę Capponiæ,

Illud ſub hoc præcipuè tempus accidit, quod paucis referam. Conceperat rectæ religionis ſemina puella quędam Hębręa, cui à parentū cuſtodia nulla perficiendi propoſiti facultas, & copia. At quę ingenioſa eſt diuina charitas, viam illi aperiendi Chriſtiano cuidam viro ſuā mentem per putei tubum demonſtrauit.

Rectam fidē concipit Hebræa Virgo,

Delatum continuò ad Eliſabetham Hębrææ Virginis conſilium, quę lętata in ſinu; vt illam in ſuſceptę mentis ardore confirmaret, ita in ire rationem ſtuduit, qua à parentum, hoc eſt, ab accipitrum manu prędam criperet. Vna affulgere ſpes videbatur, ſi clàm omnibus fugeret: quod ſanè difficillimū factu erat. Nam die multiplex oculus aduigilabat; noctū clatrata Hębręorum contubernia fugæ aditum pręcludebant. Deſeruiſſe nihilominùs ſeipſam, ac opus noluit Eliſabetha; ſed cōmendata prolixiùs Numini re, cōmunicatoque cum noſtratibus conſilio, implorare magnę Ducis Lotharingię fidem ſtatuit, cuius auctoritate, nutuque id factum, vt noctū condicta hora pateret ſecretò pię transfugę Iudęorum clauſtrum. Quo tempore cùm effuſa in preces diuinam opem illa efflagitaret, ecce

Cui adeſt Capponia,

Ac fauente Lotharingia.

Digitized by Google

E parentum manibus clam eripit. tibi ad ſuę domus fores, qui puellam incolumem duceret. Complecti illam Cappo-
nia liquidiſsimo quodam voluptatis ſenſu, trepidę animos facere, adblandiri, fouere:
tùm princeps cura ea fuit, vt Chriſtianis pręceptionibus imbueretur: quam quidem
prouinciam ſibi noſtrares, ceu ſuam vindicarunt, nactique idoneam, ac pręclaram
puellę indolem; mirum, qua diligentia, eraſa vetere Patrum religione, rectę fidei ru-
Noſtris traditur inſtituēda. dimentis, ac potiore illam diſciplina inſtituerint: vt ſanè probauerit poſt paulò ado-
leſcentula inſigni periculo, ac certamine magiſterij contentionem. Siquidem cùm
acerbè conquererentur parentes fucum filię factum, abreptamque contra ius, ſaſque
inuitam; id euicere, vt ſemel, ac iterum illam alloquerentur, eiuſque conſtantiam
qua vellent ope, ac arte tentarent. Viſa profectò iucundiſsimum tunc edere theatrū
Explorata à parentibus. puella. Nam parentum nec auctoritate, nec precibus, ac minis deterrita, obfirma-
tum inſignifortitudine vultum, atque animum obiecit. Tùm hauſtum diuinitùs
conſilium prolixè cōmendare: rectę religionis capita, dignitatem, pretium diſertè ex-
ponere: auitam legem argutè confutare: argumenta, rationeſque refellere: planè vt
deſperantes victoriam Iudęi, maiore verecundia, quàm triſtitia arena faceſſerint.
Victrix euaſit. Quod quidem profligatū tāta cum conſtantię, ac pietatis laude certamen, vt ſumma
voluptate affecit Eliſabetham, ita iucundiſsimum noſtratibus accidit. Agnouere
quippè in adoleſcentulę firmitudine, ac ſupra id ętatis, ac ſexus indole vigilias, ac ſa-
tus ſuos, gratulatique magnoperè ſunt, poſuiſſe cum fructu operam. Nec multò, ex-
Et mox ſacro fonte intingitur. piata ſacro fonte eſt palmatis virgo; accepitque ab Eliſabetha Capponia nomen,
cuius opera, ac ope illud etiam beneficium acceſsit, vt vitam inter honeſtiſsimas vir-
gines ſanctiore quodā contubernio inſtitueret. Pleraque ab Eliſabetha id genus ope-
ra per id tempus Florentiæ: quę, vti ſignificatum eſt, noſtratū auſpicijs gerebantur,
qui illam nutu ſuo regebant, fręnoque erant, aut ſtimulo.

Quædam nunc inſignium capitum recenſenda breuiter funera. Exceſſere hoc
Ioannes Galeota, & Andreas Mormilius fato concedunt. annoè viuis Ioannes Capycius Galeota, & Andreas Mormilius, hic Romę in Diui Sil-
ueſtri domo; ille in Sanctorū Apoſtolorum cœnobio Neapoli; vterque inter Neapoli-
tanos pręnobili genere. Mormilius Conſultoris munere tùm quidem fungebatur, ac
ſimul Quirinales vices adminiſtrabat. Vir fuit delicatiore conſcientia, quam quędam
Mormilij partes. identidem ſcrupulorū acerbitas diuexabat. Quos quidem ſtimulos, & ſi interpellare
mentis tranquillitatem videbantur, trahere nihilominùs in profectum ſuū conabatur;
creſcebatque ab ijs in curſu virtutum alacritas. Hinc illibata illi morū innocentia, ac
ſanctitas: tùm pręcipuum quoddam noſtrę diſciplinę, inſtitutique ſtudium, cui con-
formare ſua adamuſsim omnia contendebat. Tyronum procurationem ab exacta
hac legum noſtrarū obſeruantia, ac peculiari in formanda recenti indole prudentia,
diù exercuit; ac prodiere ab eius ſchola plerique, qui non tàm voce, quàm eximio
ſpiritu, exactaque regulari obſeruantia Mormilij inſtitutionem deprædicabant. Ade-
rat ornando pręſtantiſsimo viro cętera virtus, animi demiſsio, paupertas, orandi ſtu-
dium, victus temperantia, ac ſacta ad modeſtiam externa etiam corporis ſpecies: vt
ſanè cum optimo viro erepta Ordini fuerit idea quędam religioſi moris, ac inſtituti.
Galeotę virtus. Ioannes verò Capycius Galeota, integerrimę vitę, famæque homo, cùm apud noſtra-
tes, tùm apud exteros opinionem collegerat excellentiſsimæ virtutis. Pleraſque do-
morū pręfecturas non vulgari cum laude prudentię temperauit. Acri quippè iudi-
cio erat, quod vſu rerum, ac doctrinarum etiam eruditione expoliuerat, Accedebant
nexu quodam pulcherrimo grauitas, comitas. Ad hæc, veteris diſciplinæ amor ad-
dictus nempè vetuſtati, quicquid fuere maiores, exigere à ſe pręſenti, ac ſeueriore ob-
ſeruantia conabatur. Exceſsit dierum plenus, exemplumque diù habuit Congregatio,
Olympij de eo teſtimoniū. quod imitaretur. Franciſcus Olympius, exaggeratę vir innocentię, in ipſo ſuę mor-
tis articulo inter præſtantes noſtrę Congregationis Patres, quos poſitos iam cœlo, ac
gloria circumfuſos vidit, agnouit & Galeotam; ac teſtatus diuinitùs eſt, libato vix
Purgatorio igne, ad cœlum illum euolaſſe.

Marcus Magnacerbus, & Benedictus Mandina excedunt. Extra Ordinem mortalitatem exuere hoc anno Antiſtites duo, Marcus Magnacer-
bus, Lucerię Epiſcopus, cuius virę rationes, ac mortem aliàs libauimus; & Benedi-
ctus Mandina, quem diximus, à Clemente Pontifice Octauo euectum ad Infulas Ca-
ſertanas, eiuſdem poſtea iuſſu Legationem ad Germaniæ Principes ſumma cum ſoler-

tiæ

tię laude obiuiſſe. Planè ſi viri integritatem, pietatemque, ac ſtudia literarum ſpectes, cum paucis comparaueris. Præclarum ingenij ſpecimen primo adhuc flore ętatis dedit. Nam literis humanioribus, ac logica etiam facultate puer admodùm expeditus, vix duodennis iuris prudentiæ ſcholas Neapoli inijt, contentione quidem animi, ac captus felicitate, quæ admirationi magiſtro eſſet. Laureatus, viſus illicò præſtanti ſacundia, ac ſolido doctrinarum apparatu dominari in foro; adæquauitque primi ſubſellij patronos eruditionis fama. Sed non is erat, qui annos, ac curas ſuas inter litigatores conſumeret, quem Deus ſanctiori vitæ deſtinauerat; excitatique à vehementi quodam ictu præclari ad Religionem impetus. Accidit nanque, vt, quo vehi ſolitus erat, equus, ſpectante elientum corona, excuſſis calcibus, percuſſerit ſædè illius crus, quo à vulnere cùm decumbere diù oportuiſſet; concepit per id otij diuinam mentem; inſtructuſque à ſuomet equo, ſtatuit, excuſſo & ipſe calce, mundo vale dicere, ac crucem ſequi. Exequutus bono cum Deo conſilium in Paulina domo eſt, anno exacti ſeculi tertio ſupra octuogeſimum. Et qui æuo iam maturus, ad Religionis munia, humilitatemque, ac cæteram diſciplinam minimè idoneus videri poterat, nihilòtamen minùs incredibili quadam cùm animi, tùm corporis habitudine complexus Ordinis, ac tyronum abiectiſſima quæque exercitia eſt. Magnæ præſertim, religioſæque mentis documentum edidit, cùm publica nuncupauit vota, boniſque ſe abdicauit. Siquidem qui carnem, & ſanguinem Deo poſthabuerat, non quidem ex æquo partitus patrimonium eſt, ſed minorem quidem conſanguineis, potiorem pijs operibus partem legauit: inſtitutis puellarum dotibus, quę quotannis in periclitantis pudicitiæ firmamentum penderentur. Proſequutus deindè eſt legum noſtrarum ad vnguem obſeruantiam, quam ſibi ad mentis, animique tranquillitatem propoſuerat. Fiduciæ in Deum, quæ præcipua eſt noſtri Ordinis virtus, videbatur ſummè addictus; cui illud aliquando non ſine admiratione, inſtinctuque Numinis accidit. Romæ in Diui Andreæ cœnobio agebat: vbi, quòd nulli eſſent domi nummi, admouere domeſtico, ac neceſſario cuidam operi manus, parcebant Patres: quibus Mandina: ne rem, inquit, aggredi cunctemini, aderit maturè Deus. Itaque deliberatum id operis fuit: ſtatimque in foribus diuini Numinis prouidentia. Enimuerò vocatus eueſtigiò ad ianuam Mandina, hominem Maurum reperit, qui vim pecuniæ non exiguã erogauit; interrogatuſque quis mitteret? Accipe, inquit, nec curæ ſit noſcere. Viſus profectò eam diem Maurus ille ſignare candida manu: ac meritò, vt ait Caſtaldus noſter, qui refert. in ea Mauri ſpecie Eliæ coruum, quotidianæ annonæ adminiſtrum, Mandina ſibi repræſentauerit. Simile cœleſtis prouidentiæ documentum eodem prorsùs ſilentio in eodem Diui Andreæ cœnobio editum, dum inibi Matthæus Sanctomangus, vir ab omni religioſi officij parte commendatiſſimus, præeſſet, quod hię non omittendum. Laborabat re frumentaria domus, nec tantum pecuniarum ad manus erat, quod diurno victui ſufficeret: cùm vocatus ad ianuam eſt Præpoſitus, oblatique centum omninò aurei ab honeſto quodam viro, quem nec de nomine, nec de vultu vnquam agnouerat. Rogare Sanctomangus, vt nomen ediceret. Id nempè eſſe moris noſtri, vt eorum, qui eleemoſynas largiuntur, nomina, excitandæ Patrum cùm fiduciæ, tùm gratitudini, ſuper menſam recitentur; quas cùm iterum, ac tertiò preces inſtauraret, impetrate ab eo nunquam potuit, vt nomen pronunciaret. Intuitus is nihilominùs accurratè hominem, eius lineamenta oris, habitumque ſeriò percurrit, vt Patribus referret, ſi fortè quis illum agnouiſſet. At clarus ea pietate, cætera omninò obſcurus. Quapropter ea omnium fuit ſententia, aduolaſſe ad noſtram opem, præſentemque neceſſitatem ſubleuandam angelum, ac diuinæ prouidentiæ nutu pecuniam è cœli ærario repræſentaſſe. Blandimenta hæc ſunt diuini Numinis erga noſtrum Inſtitutum, quod cœleſti præſertim ope, cenſuque nititur: cuiuſmodi cùm pleraque alibi diximus, tùm alia, prout ſe ſe dabit occaſio, cenſebimus; quæ quidem ea ſunt, vt ſi adnorare ſingula, animus eſſet, molem, ac hiſtoriam ipſa conficerent. Redeo ad Mandinam, qui pro ſuprema poteſtate Epiſcopalem Inſulam indutus, quá virtute ſua in Sede floruerit, dixi in loco. Æquitatem præcipuè memoraui, atque in emendandis moribus vim pectoris infractam aduersùs potentiorum officia, ac munera. Illud hic adnectam Baſilij Cacacij ex noſtris Archiepiſcopi Epheſini relatu,

Mandini ingenium.

Religioſi inſtituti ineundi occaſio.

Pia bonorum abdicatio.

Eius in Deum fiducia.

Diuinę prouidentiæ documentum.

latu,

latu. Quidam in Caſertana Diœceſi grandi natu ſacerdos ſolutiorem agebat vitam: Vbi id Epiſcopus agnouit, cò ſtatim miſit, qui in mores anquireret; &, ſi is quidem publica iam infamia laboraret, acta conficeret. Redijt ille, re inf. cta, quòd addubitati d'ceret, an fama abundè eulgaſſet. Poſtero die gnarus ſacerdos, quid in ipſum cuderet Epiſcopus, adfuit, eiuſque ingenio, zeloque mitigando, lectiſſima perſica dono attul t. Peti muneribus, moleſtiſſimum Mandinæ; attamen ſacerdotem quidem comiter accepit, munus reſpuit: cumque inſtaret ille, vt acciperet, excandeſcens Epiſcopus; quid? inqui', Num ſic efficies, vt prauos tuos mores, ac crimina diſsimulet æquitas? nec te puduit, tuo me munere tentare? Nec mora; trudi in carcerem iuſsit, ac vindicari iure hominem: ac tùm primùm præter morem nocuit munus.

Mandinæ aduerſus munera obfirmata mēs

Hac fama virtutum cùm ſuam eccleſiam adminiſtraret Mandina, longè idoneum reputauit Clemens Pontifex Octauus, cui Eccleſię Neapolitanę vices commendaret. Siquidem cùm poſt Alphonſi Cardinalis Geſualdi fatum diutiùs vacare ampliſsimum Sacerdotium oporteret, nec quamlibet virtutem parem grauiſsimo muneri exiſtimaret Pontifex; imponere ijs illum curis, virum nempè ab doctrinarum pręſidijs, ab vſu rerum; à cenſura morum, ingentique vigore animi ſibi apprimè commendatum, cogitauit. Succeſsit is ſummo iure, ac citra faſtum omnem, aut ſpem commodi, prouincię; idque in primis viſus intendere, vt ſtaret Clero morum cultus, atque Eccleſiaſticę libertati dignitas: quam quidem acetrimè propulſare contigit.

Neapolitanæ Eccleſiæ vices illi commendantur.

Quippè extractum ab eccleſię ſeptis reum cùm Regij adminiſtri ſuſpendio necauiſſent, ſuas ſtatim partes ſtrenuè peregit, ijs anathematis fulmine percuſſis, ac propoſitis publicè ad aliorum documentum tabellis. Probauitque, qui Regni tùm faſces temperabat, Comes Oliuarius. Nam quibus interdictum ſacris fuerat, cùm ad ipſum confugiſſent: oportere, inquit, cum Epiſcopo Caſertano maturiùs agere; nunc quando nimius ardor peccauit, id eſſe remedij, vt veniam, pœnęque relaxationem poſcerent.

Quo zelo adminiſtrat.

Porrò confectum iam ſenio virum, ea curarum moles facilè oppreſsit: conceptoque ab ijs vigilijs graui morbo, nihil babuit antiquius, quàm inter ſuos fratres supremò decumbere, eorumque in complexu ſpiritum ponere. Deferri ad Diuę Mariæ Angelorum cœnobium iuſsit: aiebat nempè, ferri ſua ſponte ad centrum lapidem. Planè, qui religioſiſsimè vixerat, nullum non virtutis ſpecimen in extremo eo vitę actu edidit.

Morbo corripitur.

Malum patientia incredibili tolerare; cùm maximè dolores vellicarent, ardentiore quadam mentis, animique contentione in Deum ferri: cùm opportunè remedia, aliaque reficiendis viribus adiumenta afferrent, ijs compellare Patres verbis ſolitus erat: ne quęſo vos, moras nectite; quin feſtinare, atque vrgere exitum, par eſt: tùm ſingulari alacritate ad Deum: En, mi Domine, vt iter impediunt fratres: fiat voluntas tua. His flagrantis animi affectibus melioris vitę ſtudium teſtabatur, gloriæ candidatus: ac mox ad ea verba: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, animam efflauit: ſepultuſque eſt in eius Eccleſię cœmeterio. Proſequuti funus eximia cum teſtificatione virtutis cùm exteri, tùm noſtri, ac dignum omninò reputarunt, qui diutiùs communi bono viueret.

Eius tolerātia.

Recenſitis noſtratum exequijs, obijcit ſe ſe funus, quod externum quidem videri poterit, ſi habitum, ac profeſsionem ſpectes. Verùm, quòd de pijſsima Virgine agitur, cui ab ipſis vitę rudimentis noſtrorum hominum induſtria inſtillata morum ſanctitas, ac perfecta Chriſti charitas eſt, æquum putamus, noſtris illam faſtis inſeri; vti & aliàs fecimus, & facere de pleriſque item alijs, conſilium eſt, quę formatione ſpiritus, documento virtutum, totiuſque vitę inſtitutione noſtrę profectò ſunt. Ea eſt Vincentia de Oda, honeſtis parentibus Neapolitana, Marcellini de Oda, noſtri olim Ordinis Prępoſiti Generalis, laudatiſsimi planè viri ſoror, quę hoc anno eximia cum laude innocentię Neapoli è viuis exceſsit.

Diē obit Neapoli Vincentia de Oda.

Viſa planè illam Dei gratia maturiùs occupaſſe: vt non antea rationis compos fuerit, quàm eius menti affulſerit diuina ea lux. Quæ quidem feſtinatæ virtutis initia addicta Theatinæ ſtatim clientelæ, ac fidei fuere: Viris nempè, qui à ſingulari quadam diuinarum rerum peritia, vſuque cum paucis inſtructi, erudire deindè ad omnem pietatem, ac ſanctimoniam præſtantiſsimam Virginem potuere. Qui primus fingendæ tenerę eius indoli manus, curaſque adiecerit, Ioſeph Barbulia fuit, cui quantum ineſſet cùm in ſui cultu, tùm in forman-

Qui illam ex noſtris inſti tuerint.

dis

dis alienis moribus ſtudium, dixi in tempore. Huic Matthæus Bencius, præclari vir nominis, atque abſolutiſſimæ virtutis ſucceſſit, quem ſubindè vnus poſt alterum excepere viri duo, quorum excelle ntes animi partes Infula cohoneſtauit: fuere Gregorius de Sanctis, Epiſcopus Bel caſtrenſis, inter paucos doctus, & Paulus Toloſa, Antiſtes Bouinenſis, animorum apprimè ſciens. Demum Antonio Caracciolo ſupremam admouere operi manum contigit, qui ſumma eruditione, atque egregia in primis prudentia conſultus, probare ad acerrimi iudicij lancem, tùm conformare ad ſolidæ probitatis amuſſim fœminæ ſpiritum, ac mores poterat. Is quoad eius conſcientiam eſt moderatus, vitæ actus omnes, progreſſiones, illuſtrationes, viſa in dies perſcripſit, concinnauitque ephemeridem planè fuſam, ac luculentam, ex qua ipſe, ne ſim longior, pauca excerpam, atque ea mente referam, vt ex auctoris duntaxat fide recenſita curſim, ac ſimplici narrationis filo velim: idque ne ſpectatæ Virginis omninò lateat virtus, & aliquis etiam à ſexu fragili accedat mortalibus in perfectionis curſu vigor, ac robur. Iam verò id erat in Vincentia præcipuum, ac planè admirandum; nempè aſſidua quædam, atque intima cum diuino Numine, ac Diuis familiaritas: vt perſæpè interdiù, noctùque colluſtrata ſubita quadam luce, præſentem Deum cernere ſibi videtur, tùm alloquentem audire, increpantem, adhortantem: aderantque identidem Diui quoque alij, atque ipſa in primis Deipara: idque citra omnem oculorum illecebram, externamque ſpeciem, ſed intellectu res tota agebatur; ita tamen, vt dicere ſolita eſſet, ſe quidem certiùs Saluatorem, ac Cœlites præſentes habere, quàm confeſſarium ipſum, quem oculis inſpiceret. Quæ quidem oſtenta, ac gaudia, vt breuia, ita frequentia, vt videri quædam fulgurationes poſſent, quibus accendi vehementeri ac ſimul exhilarari, ſimul erudiri mirificè ſentiebat. Neque verò recenſenda hęc ſingillatim: quod operoſum ſupra modum eſſet. Percurrat mente lector ab incunabulis ad ſupremam vſque cruentæ necis actum Chriſti vitam, ac myſteria eius omnia, & quicquid in eo fuit ad hominum ſalutem, ſiuè eruditionem contumeliarum, & gloriæ: tùm Deiparæ priuilegia, puerperium, curas, gaudia: aliorum deindè Cœlitum opera, pugnas, triumphos: hæc Vincentiæ frequentiſſimè obijci ſolita, præcipuè dum ea ipſa contemplaretur; ac plerumque commentari diuina, inſpicere ea erat, oborta clariſſima quadam menti luce. Porrò, per iſthæc veluti montium cacumina duci quempiam, præſertim fœminas, periculoſum quid eſt. Propior ſiquidem elatis eiuſmodi itineribus caſus. Præterea verendum maximè, ne ementita communis hoſtis ſpecie decipiat. Neque enim inſolens illi, per hæc rerum cœleſtium imitamenta, adornata fraude, ruinam moliri. Poſtremò cautè, & nonniſi ſuſpenſis, vt aiunt, veſtigijs cùm his agendum, qui hæc diuinorum commercia de ſe narrant, euulgantque. Accidit quippè ſæpiùs, vt fallendæ multitudini, captandæque ſanctimoniæ famę hæc à nebulonibus concinnentur, idque, adnitente potiſſimùm dæmone, vſque adeò bellè, ac vero perquàm ſimiliter, vt prudentiſſimos quoſque viros luſerit interdum perſonata hæc ſanctitas. Cuiuſmodi exempla nullæ non ætates, atque hiſtoriarum monumenta ad rei fidem loquuntur. Et verò quò familiarior hæc Numinis præſentia Vincentiæ fuit, eò intendi vehementiùs mentis aciem oportuit, atque attentiore quodam ſtudio rem inſpicere, ne quid lateret fuci, ac fraudis. Id quod, quos modò nominaui, viri ſapientiſſimi, qui eius conſcientiam, vitæque rationes omnes temperandas ſuſcepere, egregiè nauarunt. Quotidianis nanque experimentis, veluti attritu quodam explorare quàm acerrimè ſtuduere, an putum, purumque aurum eſſet, quod luceret: eòque tandem deuenere, vt nullam aut à fœmina, aut ab humani generis aduerſario ſubeſſe fraudem, conſtanter affirmarent; ſed peculiari quadam Dei beneuolentia ijs dignari muneribus, ac blandicijs optimam Virginem.

Res ab ea geſtas ſcribit Antonius Caracciolus,

Eius cum Deo, Diuiſque commercium.

Quàm ſuſpecta aſſidua cœli viſa.

Nullus à Vincentia fucus.

Aderant, quæ fidem potiſſimùm facerent, præclara virtutum adiumenta, quibus niti hæ mentis illecebræ videbantur. Nulla ſiquidem cum hypocriſi, niſi in ſpeciem virtus. E virtutum verò cœtu quæ maximè diuinos hoſce afflatus, atque illapſus probet, ea eſt humilitas. Scilicet id proprium cœleſtium harum deliciarum eſt, modeſtiam, ſuique deiectionem, aut intendere, ſi adſit, aut ingenerare, ſi deſit. Requieſcit nanque Dei ſpiritus ſuper humiles. Abſolutiſſima hæc porrò in Vincentia, ac penè ad miraculum virtus fuit. Hæc ipſa cœli ſolatia, atque oſtenta, quæ diximus, nimiùm,

Eius humilitas.

quo

quo ſtudio tegere ſolita eſſet; adeò vt in arcanorum conſcientiam adhiberet vix confeſſarium; qui iubebat, vt euulgaret; & quem rogabat ipſa aliquando impenſiùs, ne tanto cum ſuæ modeſtiæ vulnere, ac ſenſu prodi vel vni ipſi ea vellet. Ad hæc trepidare, ac vereri vt maximè, ne decipi in ea diuinorum affuſione contingeret. Agnoſcere nanque ſe, aiebat, quàm longè à caſtiſſimis ijs ſponſi amplexibus, ac cœleſtis gaudij libamentis diſtaret, quæ multiplices culpas quotidiana etiam labe cumulabat. A quo item modeſtiæ ſenſu precari Deum ſolita erat, vt modum beneficentiæ imponeret, aut omninò gaudiorum curſum illum abrumperet, veluti diceret: Exi à me, Domine, quia peccatrix ſum. Illud etiam in eius precibus frequenter. Nam cùm ab ijs colluſtrationibus, quæ occultari non adeò poterant, quin aliqui manarent interdum radij, atque à reliquo vitæ inſtituto in honore ſe eſſe cerneret; petere à Deo inſtitit, vt graui potius morbo corpus attereret, quàm ſineret in ea exiſtimatione, ac luce mortalium verſari. Certabat nempè cum ambitioſioris ingenij viris; quando ijſdem corporis incommodis caueret ipſa ſuæ deiectioni, quibus illi celebritatem ſibi, ac famam nonnunquam comparant. Hoc autem humilitatis ſtudium & reliqua vitæ ratio commonſtrabat. Ea nanque ſibi libentiùs depoſcere, atque obire conſueuerat, quæ abiectiora, ac viliora. Votum capeſſendæ Capuccinarum Virginum diſciplinæ conceperat, quod poſtea à valetudine ſucceſſu caruit. Ita verò placuit ab humilitate inſtitutum, vt non vtcumque implere monialium numerum, ſed adoptari inter ſorores laicas percuperet: nempè vt ad viliſſima quæque abijci pro officio, ſuique demiſſionem exercere continenter poſſet. Hæc poſtea modeſtiæ exempla, quę ſibi in cœnobio propoſuerat, in noſocomijs ſuppleuit: vbi videre Vincentiam erat inter decumbentes mulieres, eaſque præcipuè, quas morbus, atque vlcera miſerè corroſerant, ac deturpauerant, verſari, ſordidari, nulli parcere miniſterio. Quod mox opportuniùs dicendum, cùm de corporis, animique afflictatione ſermo erit. Interim qua ſtatim alacritate complecti quamlibet ſe ſe abijciendi occaſionem ſoleret, illud indicabit. Semel domum adijt Ioſeph Barbulia, quem illi diximus à confeſsionibus; ac tùm quidem altera ſoror, quæ ſunt nubilium puellarum ſtudia, ad cytharę modos choreàs ducere condiſcebat. Ergò tempeſtiuè aduenisſe, vt feſtiuiſsimum clientis ſuę, eiuſque humilitatis periculum faceret, putauit Barbulia. Nec mora: iubet, theatrum & ipſa impleat, ac cum ſorore ad numerum ſaltet. Capuccinarum habitu induta ea erat, ac præterea, quod ad ſpeciem oris attinet, vultus illi inelegans quàm qui maximè; modicæ deindè ſtaturæ reſpondebant corporis totius dehoneſtamenta: ſubclauda item ad formę corollarium, ac denique inepta omninò, viſuque deformis: planè vt nihil mouere ſpectantibus riſum vehementiùs poſſet, quàm ſaltare Vincentiam. Attamen emicare illa promptè, choreaſque inſtituere viſa eſt; inſuper habens inde contemptum, ac deridiculum; ceu tùm quidem ſui exiſtimationem opportuniſsimè proteretet, cùm pedibus ageret. Profiteri poſtea ingenuè voluit, nunquam aliàs maiore cum verecundia, ſenſuque animi quidlibet agreſſam. Quo ſanè oſtendit, nunquam tàm ſeriò humilitatē exercuiſſe, ac ſe ſe demiſiiùs abieciſſe, quàm inter eos luſus, ac ſaltus. Atque hanc quidem virtutem, cùm in reliquas ſedulò incumberet, à Deo poſcere potiſſimùm conſueuerat. Semel inſpiciendū illi ſe ſe dedit Saluator, in ea verba alloquutus: Quid me vis facere? Confeſtim illa peccatorum veniam petijt; tùm humilitatem, cęterarum nempè virturū momentū, ac pręſidium. Neque alio magis ſtudio teneri Virginem ſuam Dominus ipſe cupiebat, quàm ſui deſpicientia. Eapropter cùm eius aliquando in conſpectum veniſſet, paſſionis inſignibus conſpicuus, peracerbo in primis ſpinarum ſerto, hęc illi: Scias, Vincentia, nihil æque mulcere cruciatus meos, quàm demittere ſe quempiā: & ipſa quidē, quoties humilitati litaueris, tot è meo capite ſpinas euelles. Peracri quidē incitamento hęc erant præclaræ Virgini: vt non mirū, ſi tantùm deindè à celebritate abhorreret, quæreretque tàm anxiè angulos, tenebras, deſpicatus, materiā denique omnē, ac ſegetem humilitatis. A magna itē Matre ingentes illi ad modeſtiā ſtimuli; ſuppeterentque exempla, ſi percurrete hic omnia, animus eſſet. Vnum referre ſat fuerit. Meditabatur domeſtica Virginis Deiparæ miniſteria; eòque contemplando deuenit, vt cogitaret, ſolitam illam purgare euerriculo domum. Quod dum attentiùs verſat, impetu quodam abripi ad imita-

tio

Adoptari inter Capuccinas laicas optat.

Humilitatis à ſaltatione periculum.

Humilitatem à Deo poſtulat.

Humilitatis à Deipara incitamentum.

tionẽ ſenſit: ita tamen, vt quod cœli Regina ſcopis fecerat, id ipſa lingua perficeret.
Itaque propoſuit, ad id officij linguam aduertere, ac quantũ ſuum erat conclaue, ore
conuerrere. Quod quia arduũ, nec fieri ſine graui incommodo poterat, abnuit con-
feſſarius, contentus, vt adlamberet decuſſatim pauimentũ, libaretque duntaxat egre-
gium hoc humilitatis votum. Paruit illa. Nam quod ſciret ad perfectiſſimæ humili-
tatis guſtum præcipuè accidere, ſi promptè quis obſequatur, nihil vnquam priùs ha- Vincentiæ o-
buit, quàm ſua deſideria, atque egregios ipſos impetus ad obedientiæ aram iugulare, bedientia.
ac confeſſario parere. Iuberet ille, concederet, negaret, nihil apud illam efficaciùs,
quàm eius imperium, nutus, renutus. Non modò pietatis, virtutiſque opera, ſed ipſa
etiam vitæ commoda, ac domeſtica exercitia ex obedientiæ legibus ordinare; nec pre-
ces ipſas pro alijs fundere, niſi aut imperaret, aut probaret conſcientiæ moderator.
Piis perſæpè operibus, Euchariſtico Corpori, precibus, vigilijs illi interdicebatur; quo
quidem vt flagrantiſſimæ Virgini nihil moleſtiùs, ita nihil iucundiùs eo fræno. Con-
tra verò pleraque iubebantur, quæ diſſentanea conditioni, inſtituto, pietati videren-
tur: quæ perindè cõplecti, ac ſi optatiſſima, ac plena virtutis iniungerentur. Semel à
Matthæo Bencio perijt, vt Lupercalibus diebus liceret ſibi vrgere plus ſolito rigoribus
corpus; placando nempè Numini, quod eò maximè tempore impetit mortalium in-
ſania. Quibus ille poſtulatis non modò non annuit, verũ etiã ſeuerè iuſſit, vt quoties
tranſire per viam perſonatos, atque eiuſmodi in bacchanalibus ludrica audiret, accur-
reret ipſa illicò, exereretque feneſtra faciem. Quid honeſtiſſimæ Virgini grauiùs, quæ
receſſum, ſolitudinem, modeſtiam tantoperè adamaret? attamen ceu colludentes
per Vrbem laruas, ac nugas leuiſſimarum inſtar puellarum perditè deperiret, vix adeſ-
ſe intelligebat, cùm adiret ipſa continuò feneſtram: planè non ſine ingenti ſororis
admiratione, quæ inſolens omninò hoc in Vincentia laxamentum cùm cerneret,
imperare ſibi minimè potuit, quin dicto illam peteret, ac vellicaret: Quid, in-
quit, adeò frequens ad feneſtram, ſoror? Videri fortaſsè cupis, ac nubere? Quæ
illa tacitè ac demiſsè excipiebat, gratulata ſibi humilitatis, atque obedientiæ exer-
citium.

Iam, quòd corporis afflictationem meminimus, haud remiſſior planè fuit in hoc Corporis affli-
generoſæ, robuſtæque virtutis ſtadio Vincentia. Cùm religioſæ vitæ rationes cogita- ctatio.
ret, Capuccinarum inſtitutum concepit, quas nouerat, aſſidua, duraque admodùm
palæſtra exercere corpus. Quod poſteà viuendi genus aſperrimo ſui cultu, atq. om-
nigena duritie longè ſuperauit. Tunicam cilicinam horridè contextam, interdiù ge-
ſtare, parum fœminę erat, niſi & illi indormiret; idque ſupra nudum aſſerem; conci-
liandoque molliùs ſomno, pro puluinari ſaxum adhibebat. In ſeipſa piè diuerberan-
da nullus inerat modus, ac ratio; atque ita ſæuire videbatur, vt nulla placerent fla-
gra, niſi quæ armabat, atq. aſperabat chalybs, ac ferrea cuſpis. Horrori iſthæc paſſim
ſui laniena Sorori, ac domeſticis erat, quorum aures, ac oculos verberum ſonus, ac fu-
ſus vbertim ſanguis vulnerabat: vt moneri confeſſarium, neceſſariũ duxerint, ne ſe illa
ſenſim conficeret. Interdum id etiam tormenti genus adhibebat. Funiculum, innexis
quàm duriſſimè nodis, adlaborabat, eoque ſe non vno planè ductu, ac tàm arctè ad-
ſtringebat, quoad ferret anhelitus. Quo quidem non diſſecare modò pellem, verũ
etiam intimè corpus peruadere, ac ſenſus in eo omnes retundere geſtiebat. Flagella,
ac reliqua huiuſmodi carnificinæ inſtrumenta, non antea vlli viſa, quàm fato ipſa
concederet: ac tùm quidem à nodis, à ferro, à concreto ſanguine nullus non ſupra ſe-
xũ, atque exigui corpuſculi vires illa exiſtimauit. Cum gula aſſiduas exercebat ini-
micitias. Præter quadrageſimam, ac Chriſti Domini Aduentum, alia item ſeruabat
paſſim ieiunia, continuabatque ad pluſculos etiam dies. Quindenas præſertim ferias, Abſtinentia.
quę ad Aſſumptæ in Cœlũ Virginis feſtum proximè accedunt, ſeueriore quadam abſti-
nentia conſecrabat. Cœterũ vnico contenta ferculo; nempè cui minùs ineſſet illece-
bræ; idque vt ſaperet, condire abſynthio, aut aloe ſolita erat; aut cùm ſcita huiuſmo-
di condimenta minùs ſuppeterent, infuſa ſaltem frigida, inſperſoque cinere, corrum-
pere ſaporem, guſtumque omnem ſtudebat. Inter hæc autem dura ſui exercitamen- Immiſſis in
ta, illud non infimum, quãquã infimam corporis partem tangit. Exiguos nanque, ac calceos calcu-
peracutos identidem calculos immittere dedita opera in calceos ſolebat: nempè vt per lis, pedes ve-
xat.

omnigena cruciamenta gradum faceret ad omnimodã ſui victoriam. Quam quidem victoriam eo etiã afflictationis genere obtinuit, quod voluntarias haſce corporis pœnas, quas modò commemoraui, longè ſuperat. Fœda ſiquidem viſu, ac ſordida, quæ natura ipſa impetu quodam auerſatur, & quæ aſpectu ipſo ſtomacho faſtidiũ mouent, non modò non abhorrere, ſed inſigni quadã animi firmitudine, atq. alacritate tractare ad delicias geſtiebat. Adire Inſanabilium noſocomiũ conſueuerat: corruptas omni morborum genere fœminas circumſpicere primũ, veluti collimaret: tùm quæ ſibi grauiore affecta lue, atque vlceribus ſcatere fœdioribus videbantur, in eas inſilire, ac ſibi, ſuoque potiſſimùm miniſterio depoſcere. Nullum non ijs officium exhibebat: tondere impexos ſanie crines, vngues præcidere, purgare, tergere, in humeros ſuſtollere,

Carioſas fœminas procurat in noſocomio.

aut complecti, vt lectos ſterneret, atque id genus pleraque peragere, vulgaria ea quidem: generoſiùs quippe audebat. Semel fœminam, turpi lepra coopertam, delegit: & quòd illa cibos omninò faſtidiret, vt guſtum excitaret, vnà ſimul, eadem nempe in patina comedere inſtituit. Quod quidem tanto cũ ſui faſtidio accidit, vt cedere naturæ, ac ſtomacho nauſeanti oportuerit. Erubuit tùm quidem ipſa, ſibique, ceu delicatulæ, non minimùm irata; nacta iterũ occaſionem, eſſe denuò eiuſmodi elephantiacæ commenſalis voluit: atque ita ſtrenuè peracta res eſt, vt dixerit poſteà confeſſario, ſe nunquam lautiùs, ac iucundiùs cœnaſſe. Maiore aliàs cum fœnore iſtiuſmodi menſæ communicatio contigit. Eodem nanque in valetudinario ſcabiem contraxit quàm fœdiſſimam, quòd ea corporis illuuie laboranti fœminæ inſeruiſſet, ſumpſiſſetque cum ea cibum. Quam luem alere, ac fouere animus erat, quòd ex charitate concepiſſe diceret: ſed vetuit moderator. Ægrotantem item aliam dum procurat, conſpicata peſtilẽtiſſimum in ea vlcus, cùm refugeret ſenſus, prolapſa ſtatim in oſcula

Scabiem contrahit.

eſt, quæ ter quidem ita libauit, vt ad primũ perturbari vehementer ſenſerit, ſequuta deinde in cœteris incredibili quadam animi voluptate; vicitque abhorrentem ſenſus imbecillitatem. Illud non ſine præſenti Numinis blanditia. Medebatur fœminæ cuiuſdã plagæ, quæ pectus latè corroſerat, atque interim Chriſti latus, lancea, ac grandi

Vlcera exoſculatur.

vulnere confoſſum meditabatur; cùm ecce tibi incredibili quadam luce, ac forma obijcit ſe ſe illi intimè Saluator, ac fulguris in morem breui quadam de more præſentia colluſtratam, exhilarauit: didicitque Vincentia æſtimare pluris ſaniem, atque vlcera, quæ lamberet; quando tàm magnificè reſponderet operi merces. Suppeterent adhuc eiuſmodi exempla. Nam quæ frequens aderat in noſocomio, peramplam, &

Non ſine præſenti operæ pretio.

obuiam robuſtæ virtuti ſegetem habebat, quam demeteret. Sed hæc hactenus, ne quid faſtidij moueat legentibus prolixior ipſa commemoratio.

At enimuerò, quæ ſenſuum mortificationi tribuimus, hæc ipſa iure quàm qui optimo vendicat ſibi in proximũ charitas, quæ quicquid in ægrotos impenditur, officij ſui eſſe iure contendit. Difficillima præſertim in noſocomijs patrare, manuque ac oſculis tractare vlcera, ac ſordes, niſi flagrantior charitas impulerit, nulli vnquam contigit. Et verò nimiũ quantùm hoc aduersùs proximos ſtudio flagraret Vincentia, quæ cùm ſępiſſimè, vt diximus, decumbentibus adeſſet, id intimè dolebat, quòd interdiù, noctùque ijs inſeruire, atque aſſidua eſſe in hoc pietatis genere minimè poſſet. In

Vincentię charitas in proximos.

cæteros verò egenos par illi propenſio, ac beneficentia. Paupertatis ſtudioſiſſima, hoc inuidere magnorum fortunæ videbatur, quòd effundere in pauperum vſum opes poſſent. Abſtinentiſſima cũ eſſet, quicquid corporis, ac genio ſubtraheret, refectio pauperis erat. Semel petenti egeno interulam erogauit; ſed quòd in ea ſtipe neſcio quid interioris pugnæ, morçque aduertiſſet; perbreuem naturæ repugnantiam haud impunem voluit, mulctauitque ſtatim cilicio, ac largiore poſtmodũ eleemoſina. Ardentior hęc porrò charitas, cũ de animorum ſalute ageretur. Illos præſertim non ſine quodam inuidiæ ſtimulo ſuſpiciebat, quibus idonea ineſſent procurandæ animorum ſaluti inſtrumenta. Dicere ſolita erat, ſe quidem, modò corrigi ad frugem quempiã ſui cauſa, ac opera contingeret; nullos non ſubituram labores, ac cruciatus. Quod alij

Animorum in ea ſtudium.

ſtudiorum contentione, vi eloquentiæ, circumcurſatione in rem animorũ faciunt, nanabat ipſa precibus, ac corporis afflictatione; quã intendere ſolita erat, quoties deplorata alicuius morum, viteque inſtitutio poſcere videbatur. Nihil frequentius in Neapolitano Inſanabilium noſocomio, quàm pellices, concepta lue, eò deferri, quæ de-

fun-

ſunctæ morbo, quæ eſt conſuetudinis vis, redeunt plerumque ad ingenium. His pręcipuè adhærere Vincentia, ac beneficijs, obſequio, comitateque deuincire; quas deindè captas beneuolentię officijs, facile erat, obiecta pudicitiæ laude, ſenſuque virtutis, ac pietatis inſtillato, à publico vitę dehoneſtamento ad ſaniorem mentem traducere. Iſtiuſmodi prædas, ex inferorum faucibus ereptas, proximum Pœnitentium mulierum cœnobium excipiebat; gaudebatque Vincentia ad aram ſtrictioris vitæ immolari perpetuæ pudicitię, rigorique proſtitutas olim fœminas. Quædam ex ijs præſtanti quidem corpore, cui nomen Iſabella, viſa principiò eius operam, atque induſtriam ludere. Nam vbi conualuit, nullis dimoueri argumentis poterat, quominùs redeundi in Veneris Caſtra propoſitum mutaret. Accitæ principes matronę, quę fœminam allicerent: tùm religioſi viri, qui futurorum denuntiatione terrerent. Sed cùm actum agi humanis hiſce pręſidijs, cerneret Vicentia; adhibere valentiorem è cœlo machinam conſtituit, totamque ſe orationi dedit. Nec mora: alius repentè in vela incidit ventus. Induit momentò, ac ſpontè bonam mentem Iſabella; conſcientiam generali confeſſione expiauit: monaſterium, & clatra vltrò poſcere. ac vrgere: vt perſuaſerint ſibi pleriq. omnes, nonniſi à Vincentię zelo, ac precibus tàm ſubitam pietatem extitiſſe.

Proſtitutas fœminas ad honeſtatem vitę reuocat.

Neque verò ab hac in proximos charitate ſeparati amorem Dei, par eſt, quem intima cum Numine coniunctio, frequentes mentis exceſſus, ardens diuinæ gloriæ deſiderium, ſitis patiendi, aſſiduus de diuinis rebus ſermo. peccandi formido, peccati odiũ luculenter teſtantur. Interdum eo diuini amoris affectu occupari videbatur, vt veluti ſub graui quadam mole fatiſceret, opem inclamaret. Dicere ſolita erat: Cùm vis amoris pectus compleret, ſi id ſui moderator annueret, ituram ſe per vias, ac fora, vt in tanta Dei beneficentia tantam in eo diligendò mortalium ſegnitiem ſaltem vociferatione vindicaret. Semel facultatem à Confeſſario petijt, vt liceret feſtinare votis ſuam mortem: nempè vt eò citiùs perueniret, vbi nulla niſi in ſinu æternæ charitatis quies. Sæpè correpta Deo, ac ſuperfuſa amoris flamma, ceu magnus ille Hierotheus, pati diuina videbatur. Nam palpitare celeri quodam motu, ac igne cor ſentiebat; attonitæ ſimilis hęrere; prærepto ſenſuum officio, languere corpus: deliquio penè intermori: tandem, agente intus Dei charitate, eò deuenerat, vt auocata ab humanis rebus omnibus, nihil prorsùs cogitare præter Deum poſſet. Hoc autem diuini amoris impetu exerceri tùm maximè videbatur, cùm ſacro Chriſti Corpori communicabat; quippè quę propiore ea flamma vehementiùs incaleſceret. Teſtantur plerique ex noſtris, irradiatos cœleſti quadam luce eius vultus, non ſemel inſpexiſſe, cùm ſacram Euchariſtiam ſumeret: nempè ab interno igne emicare in externam eius ſpeciem lumen, neceſſe erat. Nihil frequentiùs, ac anxiùs à confeſſario petebat, quàm ſæpiùs in hebdomada dignari ea menſa: quam ſi per aliquod ſpatium quotidiè impetraret, (impetrabat nanque aliquando) geſtire ſupra modũ, atque ab immenſo quodam gaudio ſubſilire, atque ebullire cor eius videbatur. Contra verò vnus illi dolor, atque animi conſternatiò, hac eſca priuari. Et contigit illi quidem ea non ſemel calamitas. Enimuerò cũ exercendo ſpiritui, probandæque obedientię quid aſperum præcipere illi moderatores vellent; abſtineret diuino epulo, iubebant. Vidiſſes tunc fœminam, ceu telo quodam percuſſam, corporis, animique opibus deſtitui: familiarium conſuetudinem, refectionem, ac cœtera vitæ ſolatia, & commoda reſpuere: ſecum conqueri, interpellare ſuſpirijs Deum: ac ſemel quidem adeò vehemens occupauit illam mœror, vt exanimi perſimilis, nec conari verba, nec reciprocare, intercluſis nempè faucibus, ſpiritum poſſet; id quod repentinæ cuidam animę, naturęque defectioni tribuit ſoror, curauitque præſenti, externaque ope languori adeſſe, qui ſanè vitaliùs, ac longè diuiniùs ab Euchariſtico ſponſo remedium poſcebat. Et redijt quidem hilaritas, ac ſanitas, cùm agnito morbo, ſuum amori conceſſum alimentum, ac pharmacum. Eiuſmodi autem deliquium coram ipſo confeſſario quatuor intra certum temporis ſpatium aliquando contigit; vt agnouerit is tandem morbi cauſam, atque iniecta refectionis ſpe, perſanauerit. Neque verò auidiſſima hęc ſacrę Euchariſtiæ fames ſine peculiari quadam Numinis beneficentia aliquando fuit. Referam ex Antonio Caracciolo, quod rarò, aut nunquam contigit. Flagrabat ſemel ſumendi ex-

Amor in Deũ.

Eius in accipiendo Chriſti corpore devotionis ardor.

Ab Euchariſtię fame deliquium

Digitized by Google

tra ordinem Chriſti corpus Vincentia, ac viſum Caracciolo, qui tùm eius vitæ rationes moderabatur, abnuere. Ergò ſpiritu peragere, quod re ipſa non poterat, ardentiſſima Virgo conſtituit. Siſtit ſe ad aram. Diuum Franciſcum porrigere ſibi diuinam eam dapem comminiſcitur; ac dum tota in ſpiritualem ſynaxim incumbit, ecce tibi ex inopinato Franciſcus: Et age, inquit, ipſe te Dominico Chriſti Corpore reficiam: ſtatimque citra oculorum aſpectum viſa ſibi Euchariſtici panis orbem è Seraphici viri manu ore accipere, ac ſenſiſſe motus animi excitari planè mirificos. Qua de re, quòd quid inſolens videretur, interrogata diligenter à confeſſario, per ſpeciem, an verè communicaſſet? conſtanter affirmauit: ſe quidem vidiſſe nihil, ſed guſtaſſe reuera ab ea manu diuinum Epulum intima, vitalique ſuauitate, quæ pectus, atque animum inundauit. Iterum cùm decumberet, atque acri eiuſdem Euchariſtici Corporis deſiderio teneretur, obiecit ſe ſe illi Apoſtolus, quem diligebat Ieſus, explicatoque à duobus angelis velo, cuius extremam oram hinc inde tenebant manu, viuifico illam Sacræ Euchariſtiæ cibo refecit. Conſequuta ſingulare hoc beneficium intima cum Deo præſentia; vt loqui ea die, aut cogitare, niſi de Deo non poſſet; admirata vehementer, quòd viueret, intolerabili ea vi deliciorum intercepta.

D. Franciſci manu Dominico corpore reficitur.

Et Ioannis Apoſtoli.

Quantùm hę porrò à Deo illecebræ internum diuini amoris ignem adaugerent, coniectari facilè quis poterit. Qui quidem ignis excreſcere item magnoperè videbatur à frequenti rerum cœleſtium contemplatione. Nam verum illud: in meditatione mea exardeſcet ignis. Plures interdiù horas diuinorum commentationi ſeponebat Vincentia, trahebatque etiam ad multam noctem preces. Quo verò ſtudio in id mentis exercitium incumberet, frequentiſſimæ in ipſa meditatione colluſtrationes, oſtenta, gaudia, exceſſus, diuini Numinis præſentia abundè commonſtrant. Vix enim aliquando orauit, non eiuſmodi delicijs affluens: vt ijs interdum occupata, ſæpiùs licet interrogaret confeſſarius, non verba, non vigor ſuppeteret, ac nonniſi refrigerato eo mentis impetu, reſponderet: ac tùm quidem ea erat verborum non tàm copia, quàm ardor, vt audientes intimè inflammaret, eliceretque etiam lachrymas, vt teſtatur de ſe Caracciolus. Quæ præcipuè contemplari conſueuerat, diuina attributa erant. Demittere quidem in hæc infima, atque in rerum humanarum miſerias, ac vmbram cogitationem aliquando animus erat; ſed cœpta vix oratione, euehi ſublimi quodam volatu ad diuina mens videbatur: ceu ſperneret auis generoſior telluris ima. Et incredibile planè dictu eſt, quantum contemplando hauſerit diuinitatis rudis fœmina: vt ſcientiſſimus quiſque ſentire de Deo, aut loqui altiùs minùs poſſet. Quo cœli, ac ſyderum commercio irradiata mens, haud mirum, ſi ad arcana etiam, ac longè poſita interdum pertingeret. Pleraque ſiquidem narrantur ad vnguem eueniſſe, quæ ipſa prænunciauerat. Inerat prætereà eius orationi incredibilis quædam efficacitas; vt certatim eius ſe precibus commendarent. Id illi proprium, intima, ac præſenti quadam fiducia ad petendum animari, ac arrigi, ſi quid eſſet, quod à diuina munificentia proſperè caderet: contra verò moram quandam, ac ſegnitiem aduertere, cùm ſucceſſum preces non eſſent habituræ. Hinc prædiuinabant, facilè ſe impetraturos, ſi perorandum negotium alacri quodam ſpiritu Dei ſerua ſuſcepiſſet. Cæterùm, remiſſiùs reſpondiſſe, cadere id erat concepta iam ſpe. Iam quod ad orationem attinet, quæ voce concipitur, in ea, vt multa, ita religioſiſſima planè erat: reſpondebatque egregiæ mentis deuotioni vultus ipſe ad omnem pietatem compoſitus. Illud indicandæ eximiæ religioni in perſoluendo hoc vocalium precum penſo ſatis fuerit. Semel nanque recitare nocte intempeſta matutinas preces cœpit: ſed vix auſpicata ijs verbis eſt: Domine labia mea aperies; cùm elata quidem voce, ac diſertè pronunciari audiuit: Deus in adiutorium meum intende: cognouitque interiore quadam luce, angelum fuiſſe, qui ceu vellet alternis cum ea pſallere, inchoatas à ſe laudes exceperat ſuo cantu: quam quidem angelorum, aliorumque cœlitum familiaritatem non ſemel experta eſt. Cùm autem ſiuè mente, ſiuè voce oraret, ea quidem attentione vacabat operi animus, vt nullus euocaret illam ſtrepitus: ac ſemel quidem in noſtra Sanctorum Apoſtolorum eccleſia percelebris quædam ſolennitas ab concurſu, æſtuque populorum plus ſolito perſtrepuit; vt communem attentionem, ſtudiumque pietatis non minimùm læſerit rumor; quod dum veſpere deindè

Cœleſtiũ contemplatio.

Precum efficacia.

In perſoluendis diuinis laudibus angelũ habet ſocium.

Qua attentione oraret.

Vincen-

Vincentiæ ſoror domi commemorat, viſa illa vehementer mirari, ceu nihil inibi turbarum aduertiſſet. Nempè fixa cœlo mens officium aurium ita occupauerat, vt, vel cùm æſtuantis in morem pelagi fluctuaret eccleſia, Alcedonia in ea ageret intentiſſima pietati Virgo. Cuius quidem poſtremo loco innocentiam, candoremque animi ſtrictim libabimus. Et quidem is fuit eius vitæ curſus, vt nunquam aut grauiore lapſu ceciderit, aut cæſpitauerit. Teſtantur continentem conſcientiæ puritatem, quibus totius ante actæ vitæ confeſſione patuit arcanum Virginis pectus. In quotidiana verò expiatione cùm nihil certæ labis promeret, ſuſpenſo agere iudicio confeſſarium oportebat, ac nonniſi ex conditione culpæ vmbras diſpellere. Iam, quòd vulgaris, ac mollior ea virtus, quæ citra arenam, ac ſanguinem domi floret; exerceri in campo, militiæque Deus voluit; ac permiſit, vt facto communis hoſtis impetu, illam aggrederetur. Obijcere fœdiſſima quæque malus dæmon, vt inureret illibatæ pudicitiæ maculam, expugnaretque ſuiſmet cogitationibus mentem. Inſtaurabat verò interdiù, noctùque ſæpiùs certamen ea quidem contentione, vt coniuraſſe in Virginis perniciem Infernus videretur. Quo in rerum diſcrimine non ſe illa deſtituit. Precibus, vigilijs, flagris agere. Spinas etiam nudo pectori ſub veſte applicuit, vt tutiùs florerent inter ſpinas lilia. Eòque etiam peruenit, vt earundem ſpinarum faſces in cubili hinc inde apponeret, vt adeſſent lateri veluti haſtati milites, obirentque lectulum Solomonis ſexaginta fortes, omnes tenentes gladium. Quæ quidem ſpinarum argumenta quamuis Diuos Benedictum, ac Franciſcum frangendis eiuſmodi dæmonum conatibus mirificè iuuerint; Vincentiæ nihilominùs viſa non modò nihil attuliſſe adiumenti, verùm exacuiſſe etiam aduerſarij rabiem, inualeſcente quotidiè, ac vehementiùs lucta. Conqueri proindè, flere inops iam conſilij. Sed adfuit tandem Deus, poſtquàm diù ſtrenuè decertantem difficillima in palæſtra illam vidit. Siquidem confeſſarius ſuperiore nempè inſtinctu aliam iniri viam iuſſit. Temperaret nimirùm flagris, ſpinis, vigilijs: Deum rogaret, non vt cogitationes illas diſpelleret, ſed continuari potius ſineret: acquieſceret interim eius voluntati, ac diuinã duntaxat gratiam poſtularet. Paruit: quamquam nihil illi grauius, quàm ſuis precibus prorogari ſibi moleſtum adeò malum. Ergò præpoſterè dum orat, irritæ fuere preces; votique compos facta, euanuiſſe intercos motus omnes ſenſit, bellumque penitùs profligatum. Exinde verò nullæ eiuſmodi, ne leuiſſimæ quidem, cogitationes mentem inumbrarunt, floruitque procul omni afflatu, æſtuque integerrimus ille flos animi, ac corporis. Quod quidem eximiæ puritatis decus conciliauit illi procul dubio Dei Matris beneuolentiam, quæ caſtimoniæ munditie cum magnoperè delectetur, Vincentiam in primis frequentiſſimis amoris argumentis, ac ſui maximè præſentia cohoneſtauit. Reſponditque illa principe quodam ſtudio in Auguſtam Virginem, ac Tutelarem ſuam. Præcipua eius ſolennia excipere inſigni cultu, atque inſolito affectu mentis conſueuerat. Ieiunia ante eiuſdem in cœlum Aſſumptæ Virginis ferias quindecim omnino dies, vti ſignificatum eſt, continuabat. Audiuiſſe, aut pronuntiaſſe Mariæ nomen, colliquefieri intimè erat. In Inſanabilium noſocomio cùm omnes peramanter complecteretur, atque eas præſertim, quibus fœdior, vti diximus, morbus; tùm ex ijs vnam peculiari prærogatiua plùs cæteris viſa adamaſſe. Cauſam dum exquirunt, compertum, Mariæ nomine vocari fœminam; quam appellationem aliquid præcipuæ obſeruantiæ, ac ſtudij poſtulare, putabat Vincentia, cuius pectus Marianum obſequium penitùs occupauerat. Sed de præſtantiſſimę Virginis virtute hactenus. Nam licet non omnia, plura tamen diximus, quàm locus poſceret. Diem deindè obijt ſuum, poſtquàm affixa diù lecto, conſtantiam, patientiam, pietatem inſigniter probauit. Quindecim ſiquidem, vel eò ampliùs, menſes graui morbo conflictata, illud in primis petere à Deo ſolita: vt aut mori ſineret, aut pœnas, ærumnaſque congeminaret; ac viſa quidem exaudiri; cùm excreſcerent quotidiè à morbo corporis incommoda, inter quæ luctari item cum infernis hoſtibus non ſemel contigit, quos vt in reliquo vitæ curſu, ita in extremo eo agone facilè repulit: ac tandem in complexu Dei Matris, quæ ſe illi in eo rerum articulo ſpectandam dedit, animam piè efflauit, die Octobris quarta, Diuo Franciſco ſacra, quem vt habitu, ita & virtutibus repræſentare pro viribus curauerat. Ductum in noſtræ Sanctorum Apoſtolorum

Vitæ innocẽtia.

Mentis puritatem ſtrenuè tuetur.

Et in Deiparã obſeruantia.

Vincentię in ſuprema valetudine virtus.

Funus in æde Sanctorum Apoſtolorum. ſtolorum eccleſia funus inſigni cum innocentiæ fama, ac mortalium celebritate, qui vſurpare oculis quodam animi ſtudio, ſenſuque pietatis extincta Virginis ora videbantur. Inſcripta paucis tumulo eius virtus ab Antonio Caracciolo in hæc verba.

Ieſu Chriſto Sanctarum Virginum ſponſo ſuauiſſimo.
Vincentia de Oda Virgo Neapolitana, apud Clericos Regulares in æde Sanctorum Apoſtolorum ſanctis moribus inſtituta, innocentia, humilitate, rerum cœleſtium contemplatione inſignis: dæmonum, & diutinæ ægritudinis vexationibus ingenti virtute ſuperatis, euolauit in cœlum IV. Non. Octobris M. DC. IV. Vixit ann. 38. menſ. 3. dies XXV.

a Tom. 2. ann. 1604. Porrò eximiæ Virginis meminit cum laude in ſuis annalibus a Zacharias Boucrius. Extare ſiquidem in Capuccinorum faſtis, ac monumentis præclarum eius nomen debuit, quæ nihil vouit impenſiùs, quàm Capuccinarum inſtitutum. Sed fruſtrata eo deſiderio, ac ſpe, illius diſciplinæ habitum, ac cinerem ita induit, vt conformare mores ſuos ad ſeueriores eas rationes pro virili ſtuduerit.

Clemens Pôt. VIII. fato cōcedit. Iam quæ deſcripſi hoc anno funera cùm noſtratum, tùm extera, monent me exceſſus maximi mortalium, nempè Clementis Octaui, Optimi perindè, & ſapientiſſimi Pontificis, qui conſequenti mox anno voluentis ſeculi quinto fato conceſſit. Parentatum illi publicis lachrymis, ceu Parenti publico, qui egregijs regnandi artibus, cultu religionis, ſplendore magnificentiæ, magnitudine rerum geſtarum, atque omni laudum genere amorem, ſtudiumque Orbis ſibi conciliauerat. Huiuſce funeris acerbitas noſtram Sodalitatem non minimùm tetigit. Beneficum quippè Ordini, ac fauſtum omninò ſydus cecidit. Quippè non vulgari quodam in nos ſtudio ferri ſummus Pater videbatur, & qui cæteris clemens, communis rei noſtræ videri ſummè cupidus, atque amantiſſimus volebat. Leges noſtras, inſtitutionem, rerum ordinem, Eius in nos beneuolentia. ſacrorum cultum, nitoremque eccleſiarum paſſim commendabat. Ornandæ, amplificandæque familiæ aderat prolixiùs. Priuilegia confirmauit, adauxitque. At enim eiuſmodi beneuolentiæ, atque eximiæ voluntatis exempla ſupra ex Michaelis Ghiſlerij commentario congeſſi, quæ ſanè argumento ſunt, quanti is faceret noſtra: ac ſimul docent, quo memoris animi ſtudio proſequi Theatinus Ordo memoriam eius Pontificis debeat, qui vt rerum geſtarum magnitudine ſuperiorum ſacrorum Principum nomina, famamque adæquauit, ita conſequentibus documenta reliquit, quibus argumentis ad Summi Hierarchæ laudem, ac decora enitantur. Exacto tanti Principis, ac Patris iuſtitio, de ſucceſſore actum, lectuſque eſt ſecunda Auguſtorum Succedit Leo Pontifex Vndecimus. Patrum ſuffragatione Alexander Mediceus Florentinus, appellatus Leo Vndecimus, cuius præter cæteram indolem, dignam loco, ac Inſulas ab ipſo nomine regium quid, Addictus & ipſe noſtro Ordini. ac magnanimum Roma, ac Orbis conceperat. Addictus is noſtro Ordini cum paucis erat. Nullum Cardinali familiarius à curis, atque aulæ negotijs ſpiramentum, quàm noſtratum conſuetudo, ac vſus, & Quirinalis domus amœnitas. Pontificia comitia ea inijt fiducia, vt cùm à ſua virtute ampliſſimi Senatus propenſionem æſtimaret, fore ſe ad ſupremum ſacrorum Principatum promouendum, non dubitaret. Quare, quòd moris eſt, vt lecti Pontificis domus communi hilaritati, ac direptioni pateat; cauere maturiùs ab hac populi licentia voluit, commendata noſtrorum hominum fidei domeſtica, ac lautiore ſuppellectili, quam abundè ſartam, ac tectam Breui moritur putauit in Diui Siluestri cœnobio. Eo Pontifice appellato, inauguratio, an fulguratio quædam illa fuerit, incertum. Nam intra menſem Mediceum ſydus occidit, ac viſa mors præclaris ijs magni Leonis exuuijs ſuperbior. Planè, dici tùm potiſſimùm potuit, fortunam eſſe vitream, quæ dum ſplendet, frangitur. Quamquam non raro has breuioris æui perſonas in ſcena exhibeat Vaticanum, vt erudiat mortales, propiora eſſe faſtui fata. Summo muneri ſucceſſit Camillus Burgheſius, grauitate mo-Renunciatur Pontifex Paulus Quintus. rum, vſuque rerum, quàm ætate ſenior. Nuncupari Paulus voluit, vt rediret Orbi Sanctiſſimi Pontificis Pauli Quarti, noſtri Ordinis Conditoris memoria, ac nomen; apud quem honeſtiſſimo loco fuerat Marcus Antonius Burgheſius Pater, qui quidem vſque-

vſqueadeò addictus ſanctiſſimo illi Pontifici fuit, vt eùm eius poſtea domum ſuprema calamitas premeret, ac nullus eſſet, qui tueri cauſam, eoque inuolui turbine auderet, complexus ipſe eſt in diſcrimine ſummo rerum Caraſarum patrocinium obluctatus ſtrenuè quà doctrinis, quà facundia virorum principum fortunæ. Quod ſi ſtudij contentioni euentus minimè reſpondit, ſat fuit præclarum edidiſſe grati animi documentum: quo etiam reſpectu Camillus Burghelius filius, renunciatus Pontifex, appellatus eſt Paulus, vt ipſemet conceptiſſimis perſæpè verbis teſtatus eſt. Noſtra verò Congregatio hoc item nomine gratiam à Paulo Quinto non mediocrem inijt. Honeſtare ſiquidem illam, ac fouere viſus eſt Pontifex, cùm alijs de cauſis, tùm maximè quòd Paulum Quartum, à quo fluxerat, repræſentaret; vt dicere ſolitus eſſet, cùm Ordini magnificè faueret, Paulum id Paulo concedere. Cuius interim beneuolentiam non minimùm intendebat addicta vehementer noſtræ diſciplinæ Pontificia, ac regnatrix domus. Enimuerò Ioannes Franciſcus Burgheſius, germanus frater noſtratum opera in expianda conſcientia, excolendoque animo vtebatur: & Virginia Burgheſia Pontificis fratria, ornatiſſima matrona, viuum etiam ex noſtris à ſacris confeſſionibus delegerat, cuius conſilio cùm pietatem, tùm domeſtica etiam temperabat. Sed tanti Pontificis ſtudium erga rem noſtram Theatinam libaſſe hic abundè fuerit.

Mutuatus à Paulo IV. nomine.

Studioſus ipſe rei noſtræ.

Et domus Burgheſia.

Elato Clementis Octaui funere, Petrus Aldobrandinus nepos, ſolutus Eccleſiæ vniuerſæ, Romanæque aulæ negotijs, Rauennam ſtatim cogitauit; vt ſuam ipſe Sedem, ouesque procuraret. Marcum Paleſcandalum, ſibi à grauitate, ac doctrina commendatiſſimum, adiumento ijs curis fore vel maximo reputauit. Eapropter ab Eliſæo Nardino Præpoſito Generali petijt, vt hominem ducere Rauennam liceret, futurum non modò à confeſſionibus, ſed à conſilijs. Id nanque ſtatuiſſe ſe apud animũ ſuum, vt Paleſcandali potiſſimùm nutu, ac iudicio Sacerdotium regeret. Annuit ſtatim Nardinus Aldobrandino, cuius in nos ſtudia nullas non officij ſignificationes depoſcebant. Rauennæ & ſi Pontificijs in ædibus inſtructa ſuo, ſocijsque vſui erant conclauia; diuertere nihilominùs Paleſcandalus ad Ieſuatos Patres voluit, quorum propè aberat cœnobium; vt cum religioſis viris regularem diſciplinam coleret, proſtaretque pro libito popularium confeſſionibus excipiendis. In Rauennates eas vigilias ingreſſus ſtrenuè eſt Cardinalis: & qui moderandis terrarum curis aſſuetus iam diù erat, vſuque prudentiam elimauerat; eo ſuam Eccleſiam ſtudio temperare inſtituit, vt nihil aut ſingularis ſolertiæ, aut flagrantis in eo zeli deſideraueris. Moles rerum incumbere magnam partem Paleſcandali ceruicibus videbatur. Nihil eo inconſulto Archiepiſcopus aggredi, nihil efficere, ac nauare. Inſtituti præſtantium capitum cœtus, quorum iudicijs, ac conſultationibus ordinari Eccleſiæ momenta occœpere: aderatque in primis Paleſcandalus. Eccleſiaſticorum diſciplina ſicubi lapſa videri poterat, cœpta eius potiſſimùm conſilio, ac labore inſtaurari. Qui initiandi ſacris ordinibus eſſent, aut inire animorum procurationem, ac ſacerdotium deberent, nonniſi ab eius examine, nutuque probabantur. Tùm ſacrorum, atque eccleſiarum inſpectiones obire; ſanctimonialium obſeruantiæ, pietatique expoliendæ operam dare, aliaque id genus publica exercere munera: à quibus quicquid deindè temporis ſupererat, expurgandis aduentantium conſcientijs in Ieſuatorum templo vir impiger impendebat. Quo quidem in officio cùm multus omninò eſſet, vſque adeò ab ea ſubindè patientia, & charitate creuit mortalium accurſus, vt ſi quando otium ſuppeteret, ſolidum diem aures confitentibus commodaret. Quapropter vt diutiùs fructuoſiſſimo huic operi vacare poſſet, cùm apud Cardinalis menſam diſcumbere mane ſolitus eſſet, id ab eo petijt, vt prandere apud Ieſuatos liceret. Quod annuit quidem Aldobrandinus, ſed non ſine lucta, ac ſenſu. Enimuerò qui eruditas quaſdam inſtitui ſuper menſam diſſertationes volebat; moleſtius ferre videbatur, eo deſtitui, qui earum proponere argumenta, ac regere totius diſputationis ordinem inſigni cum doctrinarum laude, ac fructu ſolebat. Sed communi hominum beneficio poſthabenda priuata voluptas fuit; ac permittendum, vt laudabili ſuo genio indulgeret Paleſcandalus, qui iam publicus Rauennatis populi Pater habebatur; accenditque Ciuitatis ſtudium erga noſtrum Sodalitium, quod cœptum ſummis votis expeti, vt in loco exponam.

Card. Aldobrandinus Paleſcandalum Rauennam ducit.

Rauennates curas adminiſtrat Paleſcandalus.

Et ſacris confeſſionibus vacat.

Perſtrin-

Licij oborta controuerſia.

Perſtringenda nunc eſt pia quædam controuerſia, quæ oborta Licij in Salentinis, dirempta Romæ eſt ſingulari partium modeſtia. Licienſem noſtri Ordinis eccleſiam, ſignificatum alibi eſt, Diuæ Irene Theſſalonicenſi Virgini, ac Martyri nuncupatam; illi, ſcilicet, quæ Pauli Apoſtoli nutu, ac Numine aurigante, Theſſalonica ad Salentinos applicuit; atque omnium prima hauſtam ab eo Apoſtolo Chriſti fidem, Licij diſſeminauit: eaque propter accepti beneficij memores Licienſes, Ciuitatis Patronam renunciarunt, illamque ceu Parentem, ac Dominam ſummè venerati; vt à noſtratibus eccleſia eius nomini quàm ſumptuoſiſſima excitaretur, attributo ære publico, curarunt. Sacrę Virginis Cineres nuſquam nunquam reperti; vt fuerit aliquando, qui diceret: vt olim Athenis exædificatum delubrum fuit Ignoto Deo, ita Licij templum Ignotæ Virgini extare; nempè cuius adhuc corpus lateret. Accidit verò ſub id tempus, vt Societatis Ieſu Patres quædam communi venerationi lipſana exponerent, quę libatam ex Irenes Theſſalonicenſis, ac Licienſis Patronæ corpore particulam eſſe dicerent: excitandæque populorum in Patronam ſuam obſeruantię, publicam, ſolennique ritu ſupplicationem cogitabant. Dum petitur ab Antiſtite facultas, atque is

Ex Diuæ Irenes Licienſis Patronę reliquijs.

recognoſcere pretioſum pignus de more inſtituit; aduertit ex literis, fidei teſtibus, haud abundè conſtare, Patronæ reliquias eas eſſe; atque adeò ſuſpendi rem placuit. Interim conflata ex argento ſumptuoſi operis ſtatua, ibique collocatæ ad Diuæ Virginis cultum reliquiæ: tùm eius impreſſa effigies, extendentis ſupra Ciuitatem in tutelæ argumentum, ac ſpecimen dexteram, appoſita inſuper epigraphe, quæ Licienſis Patronæ reliquias teſtabatur. Hæc enimuerò, quæ auocare à noſtra Diuæ Irenes eccleſia populorum ſtudia videbantur, haud probare noſtrates poterant: &, ſi quidem comperta omninò tabulis, atque explorata ea fuiſſent, quid optabilius contingere vnquam potuiſſet, quàm proſtare Licij ſacris è puluinaribus lectiſſimæ Patronæ exuuias, quas populares venerarentur. At quando perſuaſum haberent omnes, non eas eſſe Theſſalonicenſis Diuæ, ſed alterius cuiuſdam Irenes reliquias, optimum factu exiſtimarunt, de doceri erroris gentem. Decere nempè, ſua cuique pignora, ac cultum tribui; nec eos eſſe Sanctos, qui aſcititias alieni corporis partes appingi ſibi velint, aut emendicata veneratione coli. Acceſſit Epiſcopi zelus, qui circumferri ea inſcriptione imagines, ac pietatem publicè concitari, moleſtè omninò ferebat. Igitur Licien-

Agitur Romę res.

ſes Patres Romam ad Nardinum Præpoſitum Generalem rem detulere, qui cùm ſui Ordinis cauſa, tùm rei merito excutiendum negotium cenſuit, atque id ſtatim apud Auguſtos Patres permodeſtè vrgere, vt veri fides inſpiceretur. Camillo Cardinali Burgheſio, qui eodem hoc anno in ſummum ſacrorum Principem euaſit, demandata res eſt: quo tempore intendi, atque innecti litem contigit. Siquidem, vt in prima

Litem adauget D. Hirenię corpus.

hiſtoriarum parte tetigiſſe, me memini, Horatius Oricellatius Florentinus, vir genere, ac opibus Romæ clarus, ac rei noſtræ ſtudioſiſſimus, vt ſacellum, quod in noſtro Diui Andreæ templo cultu marmorum ſplendidiſſimo adornauerat, ab Diuorum etiam cinere explendeſceret, quædam è Calliſti cœmeterio Martyrum corpora impetrauerat. In his Diuæ Hireniæ Virginis, ac Martyris, oſſa fuere; quę viſa planè ditando, ornandoque Licienſi templo opportuniſſima: præſertim, quòd quædam cum Tutelari Diua nominis cognatio, ac ſimilitudo id poſceret. Votis annuit Oricellarius; ſed obortus ſtarim rumor eſt, velle noſtros homines pro Irene Hireniam obtrudere, atque ea vocabuli affinitate Licienſi pietati imponere: idque euincere conabantur, vt vitandæ fraudi Licium Hirenia minimè mitteretur. Agitabatur hæc Romæ controuerſia, expendebatque in primis illam Burgheſius, cui negotium demandatum, cùm defunctis breui inter ſe ſe interuallo Clemente, & Leone, Summis Pontificibus, euectus ipſe ad ſupremam Inſulam eſt; atque inter primas fermè curas id egit, vt componeretur quàm primùm altercatio. Igitur diſceptationis arbitrum ſuo loco dixit Cardinalem Gallum: deindè Præpoſitum Generalem Societatis Ieſu, Claudium Aquauiuam, & noſtrum monuit, vt vnà ſimul coram eo Cardinali conuenirent, inirentque viam, qua rem bellè, ac bona fide dirimerent. Percupere quippè ſe, vt quos externi habitus, atque officiorum ſimilitudo necteret, coniungeret etiam charitas: præſertim quòd etiamſi diſceptari inter ipſos peramicè contingeret, non deeſſent exteri, quos ſcinderet beneuolentia, ac in partes abirent: proindèque verendum,

Digitized by Google

dum, ne ſtudia amicorum in aperta demum odia, contentioneſque degenerarent. Quod cùm ipſimet Præpoſiti Generales maximè optarent: capitum nanque eſt, cauere corpori: nihil cunctati, finem velitationi perhumaniter, honeſtiſque inter ſe conditionibus impoſuere. Nec ſanè diſſideri diutiùs poterat, vbi de Irene, cuius vocabulum pacem ſignificat, agebatur. Adduxerat quidem in certamen tergeminas Virgines, ac Martyres eadem nomenclatio, viſique in pacificis chori caſtrorum. Sed iunxere mox dexteras, ac ſalua ſacrarum reliquiarum obſeruantia, ſuus cuique honor, ac certus honoris dies tributus. Igitur in hæc potiſſimùm capita Patres Generales conuenere. Primùm, vti die quinta Maij menſis, ac per octo conſequentes dies, qui ſacri ſunt Virgini Theſſalonicæ, ac Patronæ Licienſi, fas nulli ſit, neque Societatis Ieſu Patribus, Diuæ Irenes cineres, quos in ſuo Licienſi Collegio habere dicunt, neque Clericis Regularibus Sanctæ Hireniæ corpus publicæ pietati exponere. Deindè, vt per id tempus concinnari ſolenniorem in modum Ieſuitis liceat Diuæ Irenes ſacellum, quod in ipſorum templo extat. Tùm vt extra id tempus, ſicuti de alijs Diuorum lipſanis fit, liceat pro libito ſacra ea pignora vtrinque proſtare; ita tamen, vt eorum ſolennia certo quidem, ſed diuerſo inter ſe tempore celebrentur, & Ieſuitæ quidem die Aprilis quinta, aut qua transferri reliquias contigiſſet; Clerici verò Regulares die Dominica, quæ in Aſſumptæ in cœlum Deiparæ ferias incidit, diem feſtum agant. Sancitum hiſce conditionibus fœdus, delatum ad Paulum Pontificem, probatumque ab eo vehementer eſt, commendata prolixiùs Patrum Generalium prudentia, ac mente. Qui quidem, vt ab enatis inter ſuos eiuſmodi controuerſijs affici intimè ſentiebant; ita cauere in poſterum decreuere, ne quæ deſedit iam æmulatio, inflammari iterum contingeret. Quare id inter ipſos conuenit, vt compoſitis literis, ſuos quiſque Licienſes Patres religioſæ beneuolentiæ graui parænesi monerent: atque efficerent ipſi cum priuatis collegijs, quod ampliſſimarum familiarum rectores, nempè Prædicatorum, ac Franciſcanorum Generales Magiſtros feciſſe cum vniuerſo Ordine, conſignatum hiſtorijs habemus. Extant penes nos binæ hæ literæ, quæ, vt potè communicatis conſilijs, in eandem ſententiam recidunt: eritque ſanè pretium, illarum hic alteram, latinè redditam, ad æui memoriam apponere; vt diſcamus quo ſtatim charitatis ingenio, aut in ipſis cunabulis iugulari controuerſiæ debeant; aut omninò contumulari, ſi fortè exarſerint, earum incendia, ac cineres poſſint. Sic igitur Claudius Aquauiua ad ſuos,

Sed amicè dirimitur.

Certis conditionibus.

Charitate cauent Societatis Ieſu.& noſtri Ordinis Generales.

Elapſis menſibus vbi allatum mihi fuit, excitatam inter vos, ac Theatinos Patres de ſacris Diuæ Irenes reliquijs altercationem, officij duxi monere vos etiam per Patrē Prouincialem, vt hac vos in re prudenter quidem, modeſtèque ac beneuolè, vti religioſos viros decet, gereretis. Nunc verò, quando iam compoſita lis eſt, atque obſignata vtrinque conciliationis capita, quæ mittuntur; ſtatui, paterna vos iterum, efficacique epiſtola, quod & Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium cum ſuis facit, admonere, vt præcidere radicitùs placeat, quod humanæ potius æmulationis, zelique ſpeciem, quàm Dei gloriam præſeferat. Id enim vehementer cuplo, vt inter noſtram, ac reliquas religioſas familias, maximè Theatinorum, tantæ, videlicet, ſanctitatis, exemplique, ac fructus in Eccleſia Dei, pax intercedat, ac charitas, quę perindè propria eſt Spiritus Sancti, vt Paulus Apoſtolus, vel in profanos ipſos homines ſeuerè pronunciauerit, inter quos arderent diſſidia. Itaque vt omnis poſthac ſimultas, aut vtrinque moleſtia eradatur, diſertè iubeo, ſicut & Theatinus ſuis iubet, vt neque publicis concionibus, neque priuatis ſermonibus, aut alia quauis ratione, quæ penes vos ſunt, ea eſſe Licienſis Patronæ lipſana, pronuntiare quis audeat, aut ceu talia populis deueneranda tacitè proponat; ſed veluti ſacri Cineres Diuæ Irenes Virginis, & Martyris adorentur, nihil ea ſuper re temerè affirmando. Ad hæc, cùm dici nequeat, eas eſſe Licienſis Patronæ reliquias, in hanc itum ſententiam, vt ſi fortè in argenteæ eius ſtatuæ baſi inciſa inſcriptio fuerit, aut inſculpta Ciuitas, aut quiduis aliud appoſitum, quod illam Licij Patronam eſſe indicet; tunc, dedicata alteri cuipiam Diuæ Virgini Imagine, tollantur ab ea ſacræ eius reliquiæ, atque alibi reponantur, titulo Irenes Virginis, & Martyris. Nam ſi in ea ſtatua ſeruarentur, eas eſſe Licienſis Patronæ reliquias, oſtenderent ſculpturæ, ac literæ; quod imus amolitum:

Scriptis ad ſuos literis.

atque hoc exequutioni omninò mandetur. Illud porrò prolixè commendo, vt ſi fortè diſſidium vtrinque excitetur, quòd minimè fore, mihi perſuadeo, lateat d ſeculares; nec facilè ſpargi in querimonias ſenſus animi veſtros ſinatis; ſed conueniat ſtatim Rector Clericorum Regularium Præpoſitum, exponatque candide, quę ad ſuas aures affluxerint, vt afferat ipſe opportunè remedium. Quòd ſi minùs hoc conſilium ſucceſſerit, compoſitis ad me litteris, rem mihi totam aperiat, vt Patris eorum Generalis auctoritate, de cuius ipſe mihi ſingulari virtute, atque integritate plurimū polliceor, communi charitati conſulam: atque interim prudenter, modeſtèque ſe noſtri gerant. Iam, quòd apud exteros ingenerari facilè potuit libatæ inter nos charitatis opinio, id omni ope curandum, vt eximatur hic à vulgi mente error, atque intelligant plerique omnes, quanti nos ſanctam iſtam Congregationem facimus; & vt cor vnum, animamque vnam vtrique Ordini eſſe cupimus; mutua nos beneuolentia, ac laude, honoreque complectentes. Quo ſanè, & amplificari maximè Dei gloriam, & curari proximorum fructum continget. Si mutuum hunc animorum pro virili curabitis, erit profectò cùm nobis, tùm huic aulæ gratiſſimum. Verùm vt noſtram hanc mentem & illi etiam intelligant, qui ſubindè ſuccedent, ſciantque ita velle nos; ac neminem decreta hæc impunè tranſgreſſurum; ſeruari literas vnà cum alijs noſtris ordinationibus volumus. Vt veſtris me orationibus, ac ſacrificijs iuuetis, rogo etiam, atque etiam. Romę die 18. Menſis Iulij Chriſti anno 1605.

Hęc ad ſuos Aquauiua, ac ſimili omninò ad noſtros ſententia Nardinus, qui mutuo animorum fœderi efficaciùs conciliando, illud addit; fuiſſe nempè inter primœuos

Diua Hirenia Virgo, & M.

vtriuſque Ordinis Patres eximiam inuicem beneuolentiam, quam tueri deindè mutua officiorum teſtificatione eos, qui ſucceſſerant, par erat. Tū ſeueriùs mulctam interminatur, ſi ab ea maiorum charitate deſciſcāt. Iam verò de pretioſis Diuæ Hireniæ exuuijs, Licienſi Eccleſiæ ab Oricellario dono datis, eſt adhuc, quod ad eius venerationem, cultumque adnotemus. Enimuerò Licium hoc anno cùm perueniſſent, nihil habuit prius Thomas Aquinas, eius tū cœnobij Prępoſitus, quàm illas clā omnibus habere, quoad certior factus Scipio Spina Epiſcopus, cuncta ad Romanæ

Obiecit ſe ſe Sindico Licienſi.

regulæ, ac nuperę concordiæ normam peragerentur. Verū, quæ beandæ ſuis cineribus Ciuitati aduenerat, haud paſſa eſt nomen, atque oſſa diutiùs tegi. Proxima quippè nocte Ludouico Perrono, viro nobili, qui rem communem eo anno adminiſtrabat (Sindicum vocant) obiecit ſe ſe Virgo inclyta, liberali planè vultu, ac fronte; atque hęc illi conceptiſſimis verbis: *Ego ſum Hirenia Virgo, & Martyr: aſportatæ iā ſunt in veſtram hanc Vrbem mei Corporis reliquiæ. Deum in me colite.* Euànuitque his

Euulgaturque ſacrum eius pignus.

dictis. Excitatus Perronus, plenuſque recenti ea imagine, ac pulcherrima Virginis ſpecie, ſummo mane ad Diuę Irenes adire. Vt Hireniam in ſomnis viderit, quid illa diſertè pronunciauerit, narrare: atque id etiam, atque etiam iureiurando cùm affirmaret, rogare impensè Patres, vt theſaurum abſconditum euulgarent. His precibus, ac ſacramenti religione coactus Aquinas Præpoſitus, gauiſuſq. vehementer, renunciari præcone cœlo pignora; illa & ipſe publicauit; ac manante ſubindè fama, incredibilis ſtatim ardor, ac pietas viſa intendi: vt vſurpare quiſque oculis præclarum munus, ac venerari percuperet. Ergò recognouit de more oſſa Epiſcopus: tū ornandæ

Quod ſolenni ritu per Vrbē circumfertur.

nobiliſſimę Hoſpiti, eiuſque cineri quàm magnificentiſſimè excipiendo decreti honores publici, ac ſolennis per Vrbem ſupplicatio. Quam quidem pōpam cōmuni ære, ſumptuque Ciuitatis Magiſtratus faciendam ſtatuit; curauitque in primis Perronus, cui ſe inſpiciendam permiſerat Virgo, vt regio omninò cultu, atque apparatu triumphus ageretur. Et verò, vt in prima hiſtoriarum parte latiùs memoraui, ſupra cōmunem magnificentiam peracta res eſt, tenuitque octiduum celebritas, templi ornatu, concentu vocum, concionum ſplendore, populorum frequentia, feſtis ignibus,

Et Diua ipſa eligitur in Patronam.

tormentorum exploſione longè ſuperbiſſima: ſacroque in primis cineri elaborata tū quidem ſolido ex argento arca, pulcherrimi, ſumptuoſique operis. Neque verò ſiſtere hic Ciuitas, ac Magiſtratus voluit. Concepta ſiquidem per ea ſolennia inſigni in Diuam Hireniam pietate, alterum adoptare patrocinium publicę rei Licienſi decreuere, & qui Irenem Præſidem Vrbis, ac Dominam venerabantur, Hireniam etiam

in

in præſidium, tutelamque ſuam aſciſcere: fore nempè, vt cognomines Virgines, ac Martyres veluti armatæ, ac citra omnem fabulam ſanctiores Pallades Ciuitatem pulcherrima ſiuè æmulatione, ſiue fœdere propugnarent. Ergò collatis vnà votis, acclamata Hirenia eſt ſuffragatione, ac plauſu incredibili. Noſtris præcipuè nouum hoc patrocinium optatiſſimum contigit, quòd ipſorum eccleſia, vni quidem dicata, alteriùs verò locupletata exuuijs, ab gemina ea tutelari Virgine arx quædam, ac munimentũ Vrbis videri poſſet. Atenim vt eo nomine coli ritè poſſet Hirenia, peti Romani Pontificis nutum oportuit. Allegatus proindè Romam eſt, qui Ciuitatis ſtudia, ac conſilium exponeret; cõmendatumq. in primis negotium fuit Franciſco à Caſtro, Catholici Regis Oratori, qui auctoritate, ac gratia, qua apud Paulum Pontificem, atque ampliſſimos Patres valebat, id ſtatim obtinuit, vt rata eſſet Patronæ electio; obſignatiſque Pontificijs literis, id permiſſum, vt inſtauratis lętitię argumentis, Patrocinium noua ſupplicatione publicè celebraretur; additumque, vt in ijs ſolennijs, qui primò die pompam deducerent, ampliſſimam delictorum veniam conſequerentur: duobus verò inſequentibus, qui templum inuiſerent, ſeptenni cœleſtium delictorum indulgentia fruerentur. Actus alter hic triumphus fuit; calente adhuc priori gratulatione, inſtructiſque magnificentiore quidem ornatu vijs, foris, compitis. Labarum præſertim ingenti quidem lacinia, vt pulchriùs, atque auguſtiùs fluctuaret, excitatum. In eo vtraque Licij Patronæ excellenti penicillo delineata, forma, cultu, atque oris fauſtitate pares, extenſis ſupra Vrbem dexteris, ſecuritatem, felicitatemq. adpromittere videbantur. Porrò ea vi luminum, intendentibus ſe ſe tenebris, accenſa extimè noſtra Ireniana baſilica eſt, vt, inextincto die, ſucceſſiſſe nox videretur. Et fuere, qui extra Vrbem cùm eſſent, ab ſpiſſiore ea luce, ac coruſcatione ardere templum putarent. Viſa autem Martyr Hirenia, collatis identidem beneficijs, oſtendiſſe, quàm grata ſibi hęc Ciuium ſtudia fuerint. Neque enim fundi ad ſurdas aures preces paſſa eſt; impertiuitque non pauca ſuã fidem implorantibus. Vnum referam, quod ſatis compertum, ac celebre Licij fuit. Ægrotabat Angelus Surgentius, Marci Antonii filius; eòque tandem deuenit morbus, vt deſperauerint ſaluti medici, aderantque, grauiſſimę valetudinis appendix, dolores peracerbi. Conſternatis mœrore domeſticis, non ſe infirmus ipſe deſtituit; ſed qui Diuam Hireniam pręcipuo ſtudio coleret, collocare in ea ſpem, atque id ſumma ope inclamare, vt Martyris lipſana eò à noſtris afferrentur, quæ religionis ergò tangeret, ac veneraretur. Factum: ac vix exoſculatus ea eſt, cùm tranquillari moleſtiæ, ac vicinioris fati tempeſtas cœpit: tùm recitatis quibuſdam piè precibus, viſus ipſe vehementer exhilarari, audituſque dicere: proh quàm pulchra, quàm elegans. Nec mora: accerſita ad ſe Matre, disertè innuit, audiuiſſe tùm quidem ſe de ipſo Diuę Hirenię ore, fore, vt cõualeſceret, ac ſacra Conſtantinopolitanæ Dei Matri Martis die (Sabbathi dies tunc erat) à lecto ſurgeret. Igitur remiſit momentò mali vis: defixis nimirùm ſtupore medicis, qui cũ perfectiſſimè illum ſubindè conualuiſſe, ac reſtitutas corpori vires aduertiſſent, id decreuere, vt defunctus penitùs morbo, ſurgeret dię Martis, non tàm incolumis, quàm rediuiuus. Porrò Irenianum Licij templum non inclyta modò hæc Patronarum nomina exornant: Sed & acceſſere mox alia ab alijs Diuorum lipſanis pręſidia, ac decora. Pleræque ſiquidem martyrũ exuuię Roma delatæ, ſuiſque in loculamentis quã elegantiſſimè diſpoſitæ, piè à fidelibus coluntur. Nominum Syllabum Cœſar Infantinus in libro, quem Licium ſacrum inſcripſit, accuratè cenſet; adaugetque ſacrorum pignorum numerum integrũ pręſtantiſſimi Martyris Placidi brachiũ, ac Beati Andreę Auellini tũ Coſta, tùm ſeruatus in vitrea ampulla ſanguis. Pia etiam iſtiuſmodi donaria, quæ à Mantuę Ducibus acceperat, Abbas Fulgentius Gemma, cùm in ea Licienſi domo abdicauit, redijtque ſuo Clericorum Regularium inſtituto, addidit; qui & floccos itidem duos è Pontificali olim Diui Caroli Borromæi indumento, dono dedit, quos illi ex ebore, hebenoque theca incluſos Mediolanenſium Canonicorum ordo donauerat, cùm in principe eorum templo inſigni cum omnium approbatione per Quadrageſimæ ferias vir egregius declamauit. Extant inibi alia excitandæ populorum religioni, ornandæque baſilicæ. Sed hæc hactenus.

Decreto accedit Pontificis nutus.

Ac noua ſupplicatione celebratur Patrocinium.

A Diua Hirenia beneficia.

Alia Licij Diuorũ lipſana.

Romæ eſt, quod non diſſimulet narratio. Poſitam nanque ibi à noſtris in tuenda

Iacobus Vachetanus.

communi religione operam inuenio. Planè, & ſi ſacrarium quoddam, ac ſedes ſit orthodoxæ fidei Roma, ac propriùs ardeat vindicandis prauis nouatorum ingenijs cenſura, ac fulmen; nihilominùs ea eſt corruptorum hominum audacia, vt eò proximè accedere, ac ſua inibi doctrinarum deliramenta diſſeminare audeant; ceu ſecurior, ac felicior ſit propè ſupplicium temeritas. Eiuſmodi hoc anno proiecti pudoris, ac peſſimæ indolis homo Romæ fuit, cui Iacobo Vachetano nomen, eò pernicioſior, quòd ementiretur ouem habitus: Clericus quippè, ac ſacerdos honeſtatem, pietatẽq. præſeferebat. In ipſa vitiorum omnium fæce altè conſopitus, non vnum ſomniauerat

Praua Romæ dogmata diſſeminat.

mendacium, quod impiè edoceret. Quæ præcipua ſunt Chriſtianæ legis capita præcidere, atque interuertere pro libito conabatur. Primigeniam, transfuſamque in genus hominum culpam pernegare; abrogare Inferni loca, ac pœnas; contritionis cõditiones abſurdè appingere; ſummi Pontificis poteſtati detrahere; indulgentiarum theſaurũ expilare: atque id genus monſtra ſecretiore quadam ſchola Romę ſerere. In hunc veteratorem, ac lupum, intectum pio vellere, incidit puella, cui nomen Aurelia Sturdia, optimæ quidem indolis, ſed quæ dum ſe, ſuamque conſcientiam perpurgare

Sturdiam decipit.

apud illum putat, contaminari hominis lue contigit, hauſto paulatim medicato, infectoque hæreſi poculo. Verũ vt clauus clauo truditur, detegi impium confeſſarium religioſo confeſſario, Numen voluit. Etenim arcano quodam inſtinctu; ac luce ad D. Andreæ templum dum adit Sturdia, cùmque aperire noſtratibus noxas, eoſque conſulere aggreditur; agnoſcit confeſſarius, quem fuiſſe Gregorium Cardonam Narnienſem, virum ex noſtris pijſſimum, à Franciſco noſtro Boluito accepi, bonę alioqui frugis Virginem delibutam praua religione: ac dum alia ex alijs interrogat, veſtigatque; per ea veſtigia ad errorum cubilia facilè peruenit. Ergo cauendum opportunè

Quæ dedocetur à noſtris.

putauit, atque intercipiendum colubrum, qui pernicioſo eo habitu animas inficeret, necaretque. Quod quidem feliciter accidit. Nam quæſitus ad pœnam Vachetanus, atque hęreſum compertus, eierata publicè multiplici impietate, mulctatus irrefragabili Romanę Inquiſitionis telo eſt. Cum Aurelia verò, vt quã mores boni, ac ſimplicitas abſoluebant, ac deceptam à viro improbo Cenſores nouerant, mitiùs actum: iniunctumque illi fuit, vt nonniſi in D. Andreæ templo peccata expiaret, exciperetque

Mulctatur Vachetanus.

is ipſe Gregorius Cardona: quo poſtmodùm Roma abſcedente, ſucceſſit muneri, eorundem ſcilicet Quæſitorum nutu, Antonius Caracciolus, vir item religioſiſſimus, ac ſummè eruditus. Atque ita deſiit inſanire Vachetanus, confectumque Romæ eſt peſtilentiſſimum malum, ac fœcunda hęreſum hydra.

Non defuere hoc anno delatæ noſtratum virtuti Eccleſiarum Inſulæ, Paulo Quinto ſiſtitur primò à Philippo Hiſpaniarum Rege Tertio Hippolytus Riua Neapolitanus, quẽ Stabiarũ Antiſtitem Regij Conſilij ſuffragijs deſtinauerat. Is iuris prudentiæ rudi-

Hippolytus Riua creatur Epiſcopus,

mentis, cui, antequã Religionem iniret, vacauerat; ſtudia poſtmodùm humanę, diuineque philoſophiæ, ſacrarũq. literarũ adiecerat; vt abundè eruditus, verſatuſq in omni diſciplinarũ genere videri poſſet. Accedebant mores ad regularis diſciplinę formam expreſſi. Nam eximia quædam inerat vultu modeſtia, ac grauitas. Tùm illũ animi candor ingenuus; ac mentis integritas commendabat. Ad hæc, in rebus agendis ſolertia, pietatis ſtudium, præcipua eùm in homines, tùm in Deum charitas, aliaque orna-

Eius animi partes.

menta virtutum, quas, vbi inauguratus Epiſcopatu eſt, exercuit cum laude, ac miſcuit: planè vt non ſine Stabienſis pietatis, diuinique cultus incremento eius Eccleſię adminiſtrationem capeſſiuerit.

Alter hoc anno ad Epiſcopalem Cathedram prouocatus, fuit Hilarius Corteſius, itẽ Neapolitanus, par quidem muneri, tùm idonea regendis mortalibus indole, ac ſpe-

Epiſcopus item Hilarius Corteſius.

ctata morum laude, tùm maximè vſu rerum, ac doctrinarum præſidijs. Enimuerò, vti ſcriptorũ eius monumenta, quæ in Neapolitano D. Pauli tabulario extant, apertè teſtantur; Cœſarij, ac Pontificij iuris ſcientiſſimus omninò erat, addictus vehemẽter id genus ſtudijs; atq. adeò quæ ad Eccleſiarũ rectionẽ, morũq. Eccleſiaſticorũ formam,

Card. Geſualdo percarus;

rituſq. ac Pontificũ decreta pertinent, callebat ipſe ad inuidiã. Nouerat prolixam, Corteſii eruditionẽ Alphonſus Cardinalis Geſualdus, eiuſq. præſertim opera in grauiſſi-

Et Philippo Card. Spinello.

mis Neapolitanæ Eccleſiæ, cui præerat, negotijs vtebatur. Aderat publicis cõſultationibus, ac cœtibus, priuatũq. ſępiùs in cõſiliũ adhibebatur. Philippus itẽ Spinellus Epiſco-

Digitized by Google

pus Policaſtrenſis, & Archiepiſcopus Rhodienſis, poſtea ex Auguſto Senatu Patrum Cardinalis, opinionē, quā ſibi ſtudiorū peritia concitauerat Corteſius, luculenter cōprobauit. Siquidē ad aulā Rodulphi Cęſaris deſtinatus Apoſtolicus Nūtius, vt Eccleſię Policaſtrenſi, commendatiſque ſibi ouibus bene eſſet, id egit cum Clemente Pontifice, antequàm in Germaniam proficiſceretur, vt Policaſtrum concederet Hilarius, eaſque curas, habitu quidem Theatinus, poteſtate verò, ac iure Epiſcopus complecteretur. Annuitque Pontifex; ac datæ eius nomine Iacobo Aldobrandino, Apoſtolico ea tempeſtate Neapoli Nuntio, à Petro Cardinali Aldobrandino literæ ad Corteſium fuere, quæ disertè præciperent, vt eò ſe conferret, eiuſque Inſulæ munus præſens regeret. Nulla à præcipientis auctoritate excuſatio illi erat: attamen quòd abeſſe diutiùs à regulari diſciplina oporteret, modeſtè quidem, ſed quàm efficaciſſimè egit, ne loco moueretur. Quod ea conditione impetrauit, vt præeſſet nihilominùs eius Eccleſiæ adminiſtrationi. Quare in Paulina domo Neapoli degens, aderat inſigni ſolicitudine, ac ſolertia Policaſtri; ſpiritu, doctrina, ordinationibus præſens: vt nihil inibi ageretur, quod non ipſe pro poteſtate iuſſiſſet. In quo quidem admiranda eius fuit prudentia, ac vis iudicij, compenſauitque auctoritate, ac ſtudio præſentiam. Reuerſus ab Germanica Legatione Spinellus, adoptatuſque inter ampliſſimos Patres, traslatus ad Auerſanum Sacerdotium fuit, lautiſſimum idquidem, ac octauo non ampliùs à Neapoli lapide percommodum. Porrò quòd ſingulari quodam ſtudio, ac beneuolentia in Corteſium ferebatur Spinellus, ac rependi Policaſtrenſes vigilias percuperet, eius apud Paulum Pontificem Quintum idoneas adminiſtrandis Inſulis artes, capacemque eiuſmodi curarum mentem commendauit; rogauitque, vt quando ea vice, quam ille præclarè adminiſtrauerat, fuiſſet iam penè Policaſtri Epiſcopus, accederet modò appellatio, ac habitus, regeretque ſuis auſpicijs Eccleſiam. Igitur renunciatus Epiſcopus, ac poſt inſigne doctrinarum periculum inauguratus. Viro optimo non admodùm graue munus fuit, cui aſſueuerat iam, ac leuiorem fecerat molem vſus. Quæ primæ Epiſcopi partes ſunt, communi ſuarum ouium ſaluti, atque Eccleſiæ dignitati excubare, id ipſe præſtitit egregiè quà zelo, acrique cenſura morum, quà comitate, ac manſuetudine. Cæterùm, quòd ad ſui cultum attinet, præter externam ſpeciem, regularem vitæ rationem, hauſtamq. ſemel Theatinam diſciplinam retinuit. At qui deuexa iam ætate erat, Cathedram non diù rexit, obijtque in ſuæ ſponſæ ſinu anno voluentis ſeculi Octauo, obeunte Septembri menſe.

Cuius opera Policaſtrenſes illi vices deſtinantur.

Mox eius Eccleſiæ Epiſcopus.

Hos quidem cohoneſtauit hoc anno Infula. Sed non diſſimulandi duo item alij, qui ſuperiore anno appellati quidem ad id muneris, maiore cum plauſu, ac laude recuſarunt. Fuere hi Nicolaus Fuſcarus, & Ioannes Petrus Carafa, hic Neapolitanus, ille Venetus, ſplendore generis, ac diſciplina morum vterque prænobilis. Fuſcarus Venetorum Patrum iudicio, ac deſignatione Candiæ Archiepiſcopatui deſtinatus, cùm Romæ in Quirinali domo tunc eſſet; Auguſtinum Nanum, Reipublicæ Oratorem, conuenit, eaque contentione, ac vi precum cum eo egit, vt impetrauerit à Senatu, ne Clementi Pontifici Octauo ad eas Inſulas ſiſteretur. Scilicet, is erat Fuſcarus, qui ſeculum vſu iam nouerat, ac poſtquàm aliquem etiam in Republica gradum, ac munus procuraſſet, grandi natu nuncium rebus humanis remiſerat. Quarè inſtitutæ diſciplinæ, religioſæque tranquillitati addictiſſimus, adduci minimè potuit, vt externis iterum curis inuolueretur: etſi Metropolitana alliciebat Infula, ac clara centum olim Vrbibus Inſula. Eadem in Ioanne Petro Carafa in deprecanda dignitate ſpirituum generoſitas. Frater huic fuit, cui Alphonſo Carafæ nomen, Epiſcopus Hoſtunenſis, quæ eſt ſub Brunduſina Metropoli Sedes. Is inſigni quodam prudentiæ genere, ac ſuauitate morum Eccleſiam ita adminiſtrauit, vt omnium ordinum beneuolentiam, amoremque ſibi adiunxerit: cùmque anno huius ſeculi quarto defunctus vita communi cum omnium deſiderio, ac luctu eſſet, compenſare ciues iacturam ſuccedanea germani fratris indole cogitarunt. Perſuaſum nanque habebant, vt germanitate, ita & animi dotibus, ac naturæ genio coniunctos plerumque fratres eſſe: ac præterquàm quòd inaudiuerant ipſi famæ prædicatione Ioannis Petri ornamenta virtutum, ac præſtantes religioſi viri partes. Romam igitur certum hominem legant, qui Antiſtitem Carafam noſtrum officijs quàm efficaciſſimis poſtulet: effectúque

Nicolaus Fuſcarus Candienſes Infulas recuſat.

Et Io. Petrus Carafa Hoſtunenſes.

Dum vltrò ab ijs ciuibus poſtulatur.

que eſt Hiſpaniarum potiſſimùm Oratoris opera, ac niſu, vt annueret Clemens Pontifex. Quod vbi ille reſciuit, quòd alienam ab dignitate, faſtuque omni mentem geſtaret, illicò repudiauit; ac nulla, neque auctoritas, neque momenta rationum valuere, vt conſtantiam expugnarent. Nempè ab Ioannis Petri Carafæ, noſtri Ordinis Conditoris indole degenerare minimè potuit alter ab eadem Gente Ioannes Petrus; præclaroque eius exemplo monitus, recuſauit ipſe Inſulam, quam ille abdicauerat: incertumque omninò fuit, quid in eo magis dilaudandum; poſtulari vltrò à populis Epiſcopum, an recuſare Epiſcopatum. Noſtrates verò hunc dignitatis contemptum viſi maximopetè probauiſſe. Etenim cùm comitia eo anno in Quirinali domò haberentur, vbi Carafa per id tempus morabatur, non modò vtroque illum vocis ſuffragio cohoneſtarunt, verùm etiam, cùm cautum ſeuerè eſſet, ne ante bimeſtre Vocales euulgarentur, id eius promeritis conceſſum, vt ſtatim ius illud ferendi ſuffragium publicaretur.

Anno Domini 1606

Gregorius de Sanctis.

Iam verò, vt ſimili argumento in conſequentem mox annum ſtylus ingrediatur, geminam item Epiſcopalem Sedem annectam, quæ noſtris contigit. Gregorius de Sanctis, qui in Paulina olim domo Religioni ſe vouerat, laudatiſſimi moris, atque indolis fuit. Doctrinis apprimè inſtructus, ac regulari obſeruantia inter paucos ſpectatus. Eius maximè virtus Genuæ enituit, quo tempore graſſari inibi viſa eſt popularis lues. Ex ijs nanque fuit Gregorius, qui ægrotantium ſe miniſterio, ac morti ſtrenuè deuouere. Sed ipſe cùm haud minùs periculoſam aleam, quàm alij, ſubijſſet, præſenti nihilominùs ope Numinis ſeruatus lue fuit. Hominis eruditionem, integritatemque intuitus propiùs Aſcanius Cardinalis Columna, acri iudicio Princeps, illum ſingulari beneuolentia complectebatur; ſpecimenque mox cùm præclaræ opinionis, quam de ipſo conceperat, tùm eximiæ in eum voluntatis, dedit. Enimuerò cùm à morte Auguſtini Cardinalis Valerij Præneſtinum Sacerdotium, quod ex ijs eſt, quibus antiquiores Purpuræ ordine ſuccedunt, ad ipſum deueniſſet; nec illi adminiſtrando ſufficeret valetudo, Gregorio imponendum id muneris curauit. Et annuit Paulus Quintus Pontifex, illumque Salaminæ quidem titulo tenùs Epiſcopum, Præneſtinæ verò Eccleſiæ ſuffraganeum, vt aiunt, renunciauit. Quas ille Columnæ vices æquabili ac prudentiæ laude temperauit: hæſitque inibi ad ſexennium. Tùm ad Belicaſtrenſem Cathedram ab eodem Pontifice translatus, exacto vix anno, defunctus in ea Sede eſt, anno ſeculi duodecimo Octobri menſe ineunte, cum delineate iam præſtantiſſimam ideam mentis, quam eò attulerat, occœpiſſet.

Agente Aſcanio Card. Columna.

Eligitur Præneſtinæ Eccleſiæ ſuffraganeus.

Poſtea Belicaſtrenſis Epiſcopus.

Vincentius Paganus.

Alter ex noſtris dictus hoc anno Epiſcopus, Vincentius Paganus fuit, nobili genere Neapolitanus, Pyrrhi Pagani, viri Cæſarei iuris conſultiſſimi, atque à regijs Neapoli conſilijs, filius. Is florente admodùm æuo, ac ingenio ſtudiorum ciuilium ſpatia emenſus, adeptusque publicam cum plauſu lauream, periclitari forenſem eloquentiam, fortunamque cogitabat, ac graſſari per veſtigia, atque imitamenta Patris ad gloriam. Verùm, ſpirante meliore aura, aliò flectenda velificatio fuit, complexuſque eſt Religionis portum, antequàm iactari pelago, æſtuque negotiorum inciperet. Nomen in Paulina domo profeſſus eſt, oſtenditque ſingulari quodam in virtutum exercitio ardore, ac ſtudio, quàm prudenter, religioſèque id conſilij capeſſiuiſſet. Curſum cùm Philoſophiæ, tùm ſacræ Theologiæ inſtituit, abſoluitque: cumque frui pacata quadam animi quiete, ac religioſa conſuetudine videretur, raptus ad Eccleſiã Acerrarum eſt, Inſulam deferente Philippo Hiſpaniarum Rege Tertio: effecitque Patris reuerentia, qui filium præpoſtero quodam affectu ea inſignitum dignitate cupiebat, vt acceptaret. Verùm quo animi ſenſu ſuſceptum ſemel inſtitutum dimiſerit, commonſtrauit poſt annos non admodùm multos; cùm elato iam Patre, reſtitui poſtliminiò priſtinæ diſciplinæ curauit. Id enim natura comparauimus, vt eò redeat ſtatim animus, vnde auulſus ſuis ingratijs, ac vi fuerat. Romam igitur eo conſilio acceſſit Paganus, vt abiecto Epiſcopali munere, ac dignitate, receptum à Pontifice impetraret: cumque non tralatitiò id quidem, ſed quàm efficaciſſimè, ac ſemel, & iterum, & tertiò efflagitaſſet, flecti Pauli Quinti animus nunquam potuit: ijſque potiſſimùm verbis vota Pontifex eludebat: Relinquet homo Patrem, & Matrem, quæ eſt Religio, & adhærebit vxori ſuæ, quæ eſt Eccleſia. Accepta hac Vicaria Numinis voce

Epiſcopus Acerrarum.

Abdicare Epiſcopatum cogitat.

bonus

Eius vitæ rationes.

bonus Antiſtes,extra Religionis ſepta ita vixit,vt religioſi officij partes egregiè tenuerit. Externa in primis ſpecie modeſtiam eximiam, ac Theatinum penè cultum repræſentabat. Frugaliſſimus,ac propior noſtro Inſtituto eius victus ratio; accedebantque pauperibus ea parſimoniæ compendia. Quod quædam grauioris cœli inclementia Acerrarum Ciuitatem afflet,cauent ſuæ incolumitati Epiſcopi Neapolitano domicilio. Is verò ita Neapoli commorabatur, vt cùm perſæpè oues ſuas coram inſpiceret, præſentiam diligentiore quodam ſtudio,ac ſedulitate compenſaret. Deuexa iam ætate defunctus piè eſt inter noſtratum officia, ac certa ſpe gloriæ. Succeſſit in Acerrenſi eo ſacerdotio Antiſtes Manſuetus è Barnabitis, eloquentia, ac eruditione cum paucis ſpectatus, qui dicere ſolitus erat, quicquid inibi commodi, aut cultus reperiſſet, à Pagano extitiſſe, vt qui Eccleſiam & ornauerat, & cenſu auxerat.

Gregorius Carafa vota concipit,

Eius ſtudia,

Et literarum monumenta,

Hoc anno, quo admoti ad Eccleſiarum procurationem Antiſtites hi fuere, vota ſuſcepit Neapoli in Paulina domo Gregorius Carafa, adſcitus poſteà & ipſe inter Antiſtites; vir planè primi nominis inter noſtrates, ſi natales ſpectes, ingenium, doctrinam, mores, gradus, Inſulam: vt qui genus cæteris animi partibus,externiſque honorum Inſulis æquauerit. Interpretatus humanam,diuinamque Philoſophiam Neapòli diù eſt, ſcripſitque eruditè philoſophica, ac Theologica. Extat nanque eius de naturali concurſu cauſæ primæ cum ſecundis opuſculum non pœnitendum: & in primā ſecundæ Diui Thomæ commentarium, in quo Angelici Doctoris de efficacitate gratiæ ſententiam propugnat, ſolidè quidem, ac peracutè. Epiſtola item Iſagogica de Veſuuij conflag ratione, quæ ita rei faciem, metumque conſternatæ Campaniæ deſcribit, vt pleraque etiam petita à vetuſtate, atque à Philoſophorum adytis,digna ſcitu, ſtylus miſceat: poſtremò ne moralem Theologiam prætermiſiſſe omninò videri poſſet, de Duello, ac iuſta ſui defenſione fusè lucubrauit; eamque materiam ita verſauit, vt planè exhauſerit. Neque verò contineri in ſcholis vir poterat,quin & publicas etiam conciones haberet; miſcebatque gymnaſij ſtudia publica, ac non ingrata planè facundia.

Ordinis moderatio.

In adminiſtranda autem re communi idoneam cùm probaſſet ſolertiam, ac facultatem; viſus, breui ad ſupremam noſtri Ordinis Præfecturam perueniſſe. E Paulina ſiquidem domo, quam triennium rexerat,in Præpoſitum Generalem euaſit. Quid in eo munere in commune commodum nauauerit, quibuſue prouinciam illām artibus rexerit, ſuus erit dicendi locus. Expleta generali Præfectura,non diù poſt excepere illum Inſulæ, quarum non poſtremus auctor fuit Ioannes Alphonſus Henriquez,Caſtellæ Almirantes, Prorex Neapolitanus, qui, quo tempore Præpoſitum Generalem Romæ ageret Carafa, Catholici Regis obſequium Innocentio Decimo Pontifici ſplendidiſſima legatione detulit, planè non ſine grauiore quodam diſcrimine. Pro tuenda ſiquidem ſui Principis, ac muneris dignitate res illi fuit cum primaria quadam Purpura: vt niſi maturè malo conſuluiſſent, nil propiùs fuerit, quàm erumpere in publica arma, ac perniciem diſſidium. Rei periculi plenæ Carafæ quà ardor, quà in agendo dexteritas mirum in modum occurrit.

Romę inſigne diſſidium cōponit.

Commendatur Hiſpano Regi a Caſtellæ Almirāte.

Monere, rogare, mora impetum frangere, Pontificem ipſum adire: adeò vt compoſita deindè vtrinque controuerſia, exitum illi acceptum retulerit Almitantes; qui & in alijs etiam Romæ opportunitatibus vſus eius opera eſt. Quocirca debere ſe illi plurimùm conceptiſſimis verbis profeſſus, cùm non ita poſt multò in Hiſpania ſupremo decumberet morbo, ipſumque Philippus Rex inuiſeret, in vltima ea vitæ linea etiam, atque etiam Carafam illi commendauit; veluti de re Hiſpana, ac Rege ipſo optimè meritum; & qui Romanam eam Legationem egregia ſanè opera, opportuniſque officijs cum primis iuuerat. Deſcendit altiùs in Regis animum hæc viri principis commendatio, cui cùm acceſſerint mox alia à regijs adminiſtris officia; præſertim quòd, flagrante poſtea inteſtinis turbis Populo Neapolitano, ſtudium in Regem inſigniter probauerat; facile fuit ad Caſſanenſem euehi Cathedram, quæ vacabat, & quæ inter principes Regni Neapolitani eſt quà cenſu, quà curis.

Renunciatur Epiſcopus Caſſanenſis.

Itaque perhonorifico Catholici Regis iudicio præclaræ Inſulæ deſtinatus, probatuſque Romæ ab Innocentio Pontifice, qui viri partes, opeſque animi nouerat, inauguratus ritè eſt anno ſeculi quadrageſimo octauo. In Epiſcopatu ſuæ indoli reſpondit Carafa, atque in ipſo ſtatim rerum initio, ne quid ſuæ Eccleſię, atque officij dignitati detractum iret aliorum potentia, eximiam obiecit con-

ſtantiam,

ſtantiam, commendato Romæ ſummoperè eius zelo, quo ſuas vigilias adminiſtrare cum laude pergit. Sed hæc hactenus.

Excedunt Venetijs, redeuntque mox noſtri.

Enato ſub huius anni initium inter Maximum Pontificem, ac Venetam Rempublicam diſſidio, noſtros etiam is turbo inuoluit. Exceſſere ſiquidem Venetijs, eiuſque Ditionis finibus; quanto cum animi ſenſu, is facilè expenderit, qui inclyti Senatus in noſtrum Ordinem promerita, ac noſtratium viciſſim ſingularem, ac nunquam abruptam in ipſum obſeruantiam nouerit. Sed, re mox compoſita, vt ſua redijt tempori, ac Venetæ Dominationi tranquillitas, ita reſtitutæ noſtris ſuæ poſtliminiò ſedes fuere, ingenti profectò cum omnium gratulatione, ac plauſu; inſtaurataæque communis beneuolentiæ ſignificationes, ac ſtatæ præſertim ſolenniotibus quibuſdam anni ferijs eleemoſynæ. Planè, cùm plurimùm Auguſto Venetorum Senatui noſtra deberet Sodalitas, quòd olim clade Borbonica excluſam Roma, ſua Ciuitate donauerit; ſinuque complexam munificè fouerit: tùm quòd, repetita nunc beneficentia, iterum exceperit, excreuiſſe mirum in modum debitum ſentit: & quæ ſoluere reipſa beneficium nequit, compenſat votis. Quippè, vt auita, atque illibata Venetorum libertas perennet; vt illuſtris terra, marique virtus, profligato nunc Thrace, veteres triumphos inſtauret: vt Florentiſſimum Dominatum, quem ſapientia, conſilium, æquitas regunt, pax, fauſtitas, copia fortunent: hæc enimuerò noſtrorum ſumma votorum eſt. Sed aliò pergimus.

Controuerſia Genuæ oboritur;

Genuæ iterum lite oborta, velitari cùm Societatis Ieſu Patribus oportuit. Agitata diù controuerſia fuit, ſalua Religioſorum hominum modeſtia, & charitate, qua, vbi neceſſitas poſtulat, ita diſceptamus, vt quod eſt maius commodùm, nempè animorum nexus, ac germanitas, minimè diſſoluatur. Genuenſe noſtrum cœnobium acclivi loco ſitum, non ita ad borealem partem attollitur, quin virorum quorundam procerum, ac ſplendidæ domus horti, atque ambulacrum emineant, noſtriſque ſublimiore quodam proſpectu hortis dominentur. Curauerant quidem Patres multa, ac ſpiſſiore cupreſſu arcere exterorum oculos, excitato etiam muro ad religioſæ libertatis munimentum. At ſucciſa noctu adulta iam cupreſſus, euerſuſque vnà paries: quod tulere æquo animo noſtri, doluerunque vltorem mox Deum. Obſeruatum nanque, breui præclari operis adminiſtros ſuo quemque ſupplicio vindicatos: fuitque infauſta nimis auctoribus detruncata funeſta ea arbor. In hunc liberioris aſpectus, ac ſitus

De loci ſitu.

locum, veluti conſtruendo collegio opportuniſſimum, collineant Ieſuitæ: & cùm hortis, ac ambulatione, quam dixi, tùm artiguis quibuſdam Cæſaris Romèi ædibus coëmptis, poſſeſſionem ex inopinato ineunt. Moleſtiſſimum id omninò noſtris, non vno planè nomine: nec minùs noſtræ diſciplinæ ſtudioſis rei nouitas diſplicuit, quorum opera illicò factum; vt Senatus conſulto Genuenſes proceres poſſeſſionem interpellarent. Scilicet cùm plurimùm noſtri in ea Ciuitate valeant apud nobilitatem

Ea ſuper re Senatus conſultũ

gratia; ac prima ſtatim facie ſtare à nobis æquitas videretur, facile fuit cùm iudicia, tùm fauorem iuſtiſſimorum, ac beneuolentiſſimorum Patrum mereri. Ergò ceſſere loco Ieſuitæ. Interim Genuenſis Senatus quid ea ſuper re in commune Vrbis bonum, ac tranquillitatem cauerint, Paulum Pontificem edocuere, qui & prudentiſſimum decretum probauit, & ſanciuit ipſe Pontificijs literis, ne Societatis Ieſu Patres de contubernio eo loci exædificando ampliùs cogitarent, ac conſopiretur perpetuo ſilentio

Acceſſitque Pontificis decretum.

controuerſia. Quæ cùm extincta iam Genuenſi, Romanoque eo ſuffragio videri poſſet, iterùm reuixit. Orato ſiquidem per ſummam precum contentionem Pontifice, id impetrauit quinque poſt annis aduerſa pars, vt, lite inſtaurata, decernerent ſummo iure Romana ſubſellia. Quod quidem id effecit, vt nouo veluti attritu exſplendeſceret luculentiùs cauſæ æquitas. Noſtris curæ fuit, deſcripta Diui Syri domus area, ac ſignatis veluti tabulis, oſtendere, proximas illas Romèi domos perficiendo ſuo cœnobio perneceſſarias. Deeſſe tyrocinij locum, atque excipiendis hoſpitibus conclauia; tùm Veſtiarium, aliaſque item officinas: proindeque ſi occuparent artiguum illum, deſtinatumque ijs commodis ſitum Ieſuitæ, anguſtam omninò, ac per-

Sed renouata lite, noſtris adiudicatur cauſa.

petuò incommodam futuram Theatinam eam domum. Quod vbi Sacræ Rotæ Auditores ad incorrupti iudicij lancem accuratè reuocarunt, adiudicata noſtris lis eſt, obſignata die Februarij menſis ſexta voluentis ſeculi anno duodecimo ſententia,

quam

quam iterùm, & tertiò, teclamante, videlicet, atque vrgente ſtudijs actioribus parte, deſcripta, emenſa, æſtimataque irerum, ac tertiò quàm diligentiſsimè Diui Syri domn, ritè confirmarunt. Nec propterea ceſſatum: nempè ſua ſunt cauſis, vt ſydera, ita & temporum interualla: tenuitque controuerſia, quoad Claudius Aquauiua, Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis, conſtantis vir indolis, defunctus vita eſt anno huius ſeculi quinto decimo; creatuſque Mutius Vitelleſcus, mitioris ingenij homo: quo tempore noſtrũ Ordinem cum laude, ac ſummo iure temperabat Andreas Piſcara Caſtaldus, qui ita Genuenſem rem tuebatur, vt nihil haberet antiquius, quàm exſcindi inter religioſos viros diſſidia: dolebatque vchementer, cum ijs eſſe altercationem, quibuſcum necti ſuorum animos perpetuo quodam beneuolentię adamante vellet. Ergò inire is ſtatim viam, qua rem bona fide, ac citra forum, ſtrepitumque componeret. Vitelleſcum adit, damnataque vtrinque diſceptatione, ac mora, id inter ipſos conuenit, vt ſpectatum quà dignirate, quà prudentia, atque integritate virum, negorij arbirrum vnà deligerent: quicquid is ſanciuerit, irrefragabile ius eſſet, acceptarentque ipſi, ac ſui. Eam nempè iudicij formam religioſo inſtiruto magis eſſe conſentaneam, pręcidi fori perendinationes, ac futurum Pontifici gratiſſimum, ea rationo dirimi citiùs, ac pacatiùs litem. Qui verò id muneris, curęque ſuſciperet, viſus vtrique Patri Generali petidoneus Horatius Spinula Cardinalis, atque Archiepiſcopus Genuenſis, rerum perindè ſcientiſſimus, atque egregiè iuſtus, & qui loci ſitum, quo de lis erat, aliàs inſpexerat; eòque expendere illum, ac rei molem aptiùs poterat. Conſignata publicis tabulis pactio, quam & Pontifex ſummoperè probauit. Ergò Spinula inſigni cum animi alacritate, affectuque negotium complexus, viſus nulli ſanè ſtudio pepercisse. Quæſtionem quàm diligentiſſimè verſauit, momenta rationum, ac partium iura excuſſit perquàm ſeriò: deindè ne ſuo nimiùm iudicio confideret, antequàm ſenrentiam ferret, Romanæ Rotæ Auditores conſuluit: poſtremò, cùm quod ſecum ipſe ſtatuerat, Pontificem docuiſſet, huic ſententiæ ſubſcripſit: Cederent Ieſuitæ quicquid in eo ſitu domorum coëmerant, Clericis Regularibus, qui viciſſim, aut earum illis pretium cum trium aureorum millium additamento repræſentarent, aut diſſitas è noſtro cœnobio ædes alias, quæ vſui ipſis forent, coëmerent: Quod quidem non perindè vtrique parti ſedit: reclamatumque illicò à Societatis Ieſu Patribus, eo maximè prætextu, quod Vitelleſcus inconſulto Genuenſi cœnobio paciſci cum Caſtaldo nequiuerat. Pontifex, ne vllus daretur cunctationi locus, haud agitari plenis ſubſellijs à Romana Rora rem voluit, ſed iudicem extra ordinem ex eo Auditorum numero Fabritium Veroſpium, virum doctum, ac nauum delegauit, iuſſitque, vt abrumpendæ quàm citiſſimè, ac penitùs liti, vires, ac curas ſuas omnes in id negotij impenderet. Qui cùm cerneret, fore, vt facilè negotium conficeretur, ſi quid auri ſupra Cardinalis Spinulæ æſtimationem accederet, re cum Pontifice communicata, adaugendum domorum pretium, quod noſtri ſoluerent, ſtaruit: atque ita breui perorata cauſa eſt, acceſſirque Sancti Syri cœnobio illa ædium appendix, non ſanè parua, quæ ſine diuturna ea controuerſia, aut nunquam, aut ſerò, ac per ſummum laborem acceſſiſſet. Ea nanque eſt Genuenſis Ciuitatis anguſtia, vt rara amplificandi ſitus facultas à Senatu concedatur: eaque propter gratulandum, feciſſe Deum cum tentatione prouentum. Porrò ingentem vim pecuniæ, hoc eſt, ſeptem & viginti aureorum millia intra exiguum temporis ſpatium ſoluere, viris, nullo ære, cenſuque proprio ſubnixis, difficillimum omninò fuit. Verùm, quæ nunquam Theatinæ rei curta eſt Numinis prouidentia, ita Genuenſium procerum liberalitatẽ, pietatemque excitauit, vt partim gratuita ſtipe, partim accepra mutuò pecunia, partim fœneratitia pactam eam ſummam, quæ negorium vel opulentiſſimis faceſſiuiſſet, exſolnerint. Redijtque, iugulata controuerſia, externa cum Ieſuitis Patribus concordia. Intimam ſiquidem charitatem nulla vnquam velitatio delibauerit. Nec mirùm profectò videri debet, frequentiùs fortaſſe, quàm par eſt, inter nos diſceprari. Neceſſiras inuitos cogit: ſicut inter fratres perſępè, nec rarò inter parentes, ac filios accidit, quos alicuius commodi ratio ita committit, vt germanitas, ac reuerentia non exulent, ſitque intra dignitatem, ac decentiam pugna.

Sed cum iterũ reclamarent.

Iterum à Cardinale Spinula lis dirimitur;

Ac tandem Veroſpij ſententia ſtirpitùs reciditur,

Genuenſium in noſtros liberalitas,

Z Attin-

Maximus Gratiolus Mutinæ obit.

Attingenda nunc eſt Viri virtus, qui hoc anno Octobri menſe Mutinæ deſiit eſſe inter homines. Fuit is Maximus Gratiolus, Cremonenſis, ab animi dotibus abundè nobilis, etſi minùs exſplendeſceret luce natalium. Indole ad regularem diſciplinam factus, quam viſus inchoaſſe, antequàm ſe ſe Religioni addiceret. Modeſtia ſiquidem, morumque innocentia, atque inſigni pietate à prima ipſa ætate emicuit. Exemplo, ac cenſuræ ſui æqualibus erat, quorum non prętextata modo verba, ſed & nugas, iocoſque euitabat. Cuiuſmodi ſermones, ſi quando ſeri inter ipſos contingeret, excedere illicò Gratiolus videbatur. Nec ab ea mente conuicia, quibus interim petebatur, conſtantiſſimum adoleſcentem dimouebant.

Eius à puero modeſtia.

Quo quidem mores ſupra ętatem graues pręferebat, cauebatque ſedulò mentis puritati, ac caſtimonię. Vbi ingredi in publica negotia, aliorumque procurare rationes cœpit, illud in eo admirandum omninò fuit, quòd externis licet curis occupatiſſimus, diuinas tamen preces ex Romani breuiarij forma recitare, perindè ac ſi homo religioſus, aut Sacerdos eſſet, nunquam prætermiſerit. Quod verò inter addictos foro, curiæque homines accidit quā rariſsimè, quicquid ab officio lucri, ac pecunię proueniret, id illicò ſingulari quadā indole pietatis pauperibus erogabat.

Et officij ſui quæſtū, pecuniam pauperibus erogat.

Planè ſolidam quandam virtutem hic nūmorum contemptus, atque in pauperes charitas indicabat: quam quidem virtutem vt ad religioſę obſeruantiæ vnguem magis expoliret, abdicatis ſeculi curis, quæ moram perfectioni iniiciunt, aggregari ad noſtros poſtulauit. Nec cunctari Patres, præcipuè Hieronymus Buzaccarinus, vir, quem aliàs meminimus, omni genere laudū cumulatiſsimus, qui tùm tem noſtram Cremonenſem adminiſtrabat.

Noſtro Inſtituto dat nomē.

Inſpexerant ſiquidem in Maximo non vulgarem quendam ad diuina impetum, ac perfectionis ſtudiū, quod is vbi Ordinem mox iniit, virtutum exercitio mirificè commendauit. Quod eſſe primum debet ad perfectionem graſſantibus; nempè genium, animique motus frangere, ſubacto etiam ad mentis ſeruitium corpore, id ſibi principe item loco propoſuit Maximus, qui nihil magni aggredi quempiam, nihil aſſequi ſine certamine, ſuiq. victoria, ſibi perſuaſerat. Iam, vt cuiq. à natura, ac corporis temperie adnaſcitur vitiū, præferuidus, atque ad iram procliuis admodùm erat; quos ſtatim impetus ita edomuit, vt pręcipua in eo virtus manſuetudo, ac comitas, & quædam in agendo facilitas fuerit: planè vt nullus vnquam poſteà ſibi perſuaſerit, obnoxium aliquando iræ fuiſſe Maximum, cuius nunquā vel leui motu concitari animum, nec turbari frontis tranquillitatem, conſtantemque oris habitum cernerent.

Naturæ vim igneam ad māſuetudinem erudiit,

Iniurijs, ac conuicijs non ſemel laceſsitus, aut nulla, aut plena humanitatis verba, ceu beneficium accepiſſet, reſpondit. Semel accidit, vt grauioris cuiuſdam incommodi cauſam in ipſum deriuarint: quocirca amoueri ab ea domo, vbi tùm cū laude, ac libenter verſabatur, oportuit. Quod eius exiſtimationem, tranquillitatemque cū non minimùm læderet, ac propulſare crimen facilè poſſet vir innocentiſsimus, abſtinuit: exceſsitque tacitus cœnobio, ac Vrbe.

In ferendis iniurijs æquitas,

Iterùm inuſta ſibi perſimili nota, cùm pronunciarent viri graues, haud liberum cuique eſſe, exiſtimationem, famamque contemnere, eòque diluere obiecta oportere: id ille reſpondit, ſe quidem priuatam perſonam gerere, cui tueri opinionem, non ita neceſſarium eſſet, ac viro publico: atque hac quidem perſuaſione famæ lacunas inſigni cum animi ęquitate tolerabat vir, qui eſſe, quàm videri bonus malebat: ac neſcio, an certiùs probari manſuetudo, atque imperturbatę mentis habitus, ad Lydium lęſę exiſtimationis lapidem poſsit. Huiuſmodi verò aduerſa, aliaque, ſiuè animi, ſiue corporis incommoda, vt quo exciperet animo, indicaret, Dei luſus, ac iocos appellare ſolitus erat. Scilicet, perindè aſpera quæque accipiebat Gratiolus, ac ſi per ea luderet bellè cum ipſo Deus.

Nec ſanè tolerare hæc famę vulnera ea patientiæ laude poterat, niſi qui inſigniter humilis, ſuę deſpicientiæ, ac deiectioni apprimè ſtuderet. Et verò familiaris hæc Maximo virtus, qui tunc ſui pręrogatiuam nominis, hoc eſt, Maximi appellationem aſſequuturū putabat, cum haberi omnium minimū, ac minima quęque, abiectaque domus miniſteria obire contigiſſet.

Gratioli humilitas.

Tyronum magiſter non modò eorum formandæ indoli ſedulò incumbebat; verùm curando etiam corpori, veluti addictus ſeruituti eſſet, mirū qua humilitate operā daret: viſus perſæpè, vbi id eorum munditia poſtularet, linea, ſordeſque eluere, ac perpurgare ſua manu. Illud non mediocre humilitatis,

ac

ac modeſtiæ, proniore quodam obſequio aliorum in officijs peragendis vices ſupple-
In vilibus miniſterijs.
re. Enimuerò, cùm id moris noſtri ſit, vt Clerici ſacrum inſtrumentum curent, aras,
lampades concinnent, conuerrant pauimenta, aliaque id genus miniſteria in Eccleſia,
ac domi obeant; non raró contingebat, vt addicti ſcholis, ac ſtudijs iuniores, ijs oc-
cupati, implere opportunè ſuas partes, ijſque vacare muneribus minùs poſſent; tunc
certum eorum perfugium erat Gratiolus, qui grandi licet natu, alijſque diſtentus curis,
ſumma quadã alacritate in eos labores inuolabat, aduertebatq. impigras ſtatim ma-
Aliorumque vicibus obeundis.
nus ſacrario, altaribus, ſcopis. At nunquam planè demiſſior, quàm cùm vel leuis ani-
mum ſuſpicio peruaſiſſet, offenſum ex fratribus aliquẽ ſuis aut dictis, aut factis. Adire
ſiquidem, nulla mora, hominem cernebatur, ad eius pedes accidere, culpam prolixiùs
fateri, veniam intimo quodam ſenſu doloris petere; cùm interim qui aduolutum
ſuis pedibus virum innocentiſſimum deſpiceret, tantam in eò animi deiectionem, ſui-
que deſpectionem admiraretur. Iam, qui interiorem hominem rerũ maximè diuina-
rum contemplatione ali, atque ab hoc potiſſimũ orationis ſtudio religioſi viri progreſ-
Orationi addictus.
ſiones exiſtere, non ignorabat; addictus ipſe præclaro eiuſmodi mentis exercitio, ac
otio cũ paucis erat. Aſceticos, & qui cœleſtia commentandi materiam præberent, li-
bellos aſſiduè terebat, ijſque ſedulò immorari, atque innutriri videbatur. Tũ nihil
impenſiùs curabat, quã ne externa animũ occuparent, & vt faceſſerent cogitationes,
quæ beatã mentis tranquillitatẽ perturbarent. Hinc illi facilis quædam, atque aſſidua
cum Deo conſuetudo, ac vnio. Somnus in eo ſtudio vigilanti parciſſimus; ita vt é
ſolida interdum nocte vix horam ſopori daret. Addicta nempè vehementiùs, atque
altiùs diuinis rebus mente, nullus adrepere in tanta animi abalienatione ſomnus po-
terat. Monuerant quidem confeſſarij, ac ſeuerè etiam cauerant loci moderatores, ne
ſe precibus, quæ mente concipiuntur, à cœna daret; quando non mediocri cũ corpo-
ris diſpendio quietem non modò interpellarent, ſed diſſiparent penitùs, fugarentque.
Et parere vir obſequentiſſimus conabatur; verũ, quæ eſt diuinorum vis, aut vſus, ab-
ſipi continuò ſentiebat, & vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebatur. Quam quidem
contemplatricis animæ attentionem, ardoremque mentis ne diſſipari contingeret, eas
etiam adhibere preces ſolitus erat, quæ cũ à iaculis nomen habeant, ſpiritum, admo-
Orationum, quas iaculatorias vocant, vſus.
to veluti telo, ad ſuperna acriùs excitant. Harum vſu, ac faculis inardeſcere, ac cœ-
lo ſemper adhærere; ita vt qui illum aſpiceret, intelligeret ſtatim, Maximum cœleſti-
bus affixum, longè ab humanis vitam ducere. Illud item hanc in ſe collectam, ſpar-
ſamque ad diuina mentem fouebat, quòd à mortalibus, facto ſtatim gradu, ad
æterna aſſurgeret, verteretque in compendium, quod aliò diſtrahere animũ poterat.
Peculiare hoc illi exercitium, quo non modò quotidianam contemplationi materiã
ſuppeditabat; ſed etiam ad virtutum ſe ſe curſum, feruoremque incitari vehemen-
tiùs videbatur. Cuiuſmodi cũ pleraque ſe ſe obijciant exempla, illud non prætermit-
tam. Propter Vicentinum noſtrum cœnobium equile quorundam virorum procerũ
erat, in quo diligentiſſimus mediaſtinus ſingulis noctibus ante matutinas noſtras
A corporeis ad cœleſtia facilè aſſurgit.
preces ſurgere curandis, expoliendiſque equis ſolitus erat: cumque id ſtatis ſemper ho-
ris, nunquam fallente ſtrigili, audiret Maximus, hominis diligentiã ſuũ, aut incitamen-
tum, aut conuicium putabat; dicebatq. poſtea, cum ſe ſe dabat occaſio: O me felicem,
ſi eo ipſe ſtudio, ac contentione Deo inſeruirem, qua ſeruus hic ſuorum dominorum
equos curat; idq. eo ſenſu pronunciabat, vt ſimul & quadam ſuffundi verecundia, &
inflammari ad diuina videretur.

Huic verò interno ſui hominis cultui non ita ſtudebat, quin externa etiam aliorũ
commoda procuraret. Adire infirmos, ac iuuare adhortamentis; iiſdemq. moribun-
dis adeſſe, inter præcipuas eius curas erat; nec ſine pugna, quæ virtutem commen-
Eius in ægrotos charitas.
dat. Enimuerò cùm ex vna quidem parte odoratu quodam acriore polleret, ex alte-
ra verò quidam illi naturæ ſiuè languor, ſiuè genius ineſſet, quo odorum grauitatem
fœditatemq. eiuſmodi, inhalari ab ægrotantium, ac morientium corporibus ſolitam,
vel maximè auerſabatur: frangere nihilominùs indolem, languoremq. naturæ vi to-
lerantiæ conabatur; vt ſimul & proximi bonum curaret, & ſuam in charitatis offi-
cijs virtutem ſtrenuè exerceret. Ad hæc, ſi quempiam reſciuiſſet, ægro animo eſſe,
grauemque aliquam ærumnam geſtare ſinu, ac premi: abrumpere, quem tantoperè

Conſolandis mortalibus peridoneus.

adamabat, receptum: totuſque in eo conſolando erat: nec opus deſerebat, quoad motum, morbumque animi penitùs diſpuliſſet. In quo quidem illud admirandum, quòd arcanum plerumque vulnus, & quę potiſſimũ cauſa morbum faceret, ſuperiore quodam inſtinctu contrectabat: vt paſſim contingeret, fieri medicinã malo, quod nulli vnquam mortalium patuiſſet. In eiuſmodi verò animorum motibus, atque afflictationibus componendis plurimũ habebat à naturæ adiumenti: nempè inſignem quandam linguæ facultatem, ac vim. Nam cœtera quidem taciturnitati addictiſſimus, vt appellari ſilentiarius poſſet: tamen cùm, collato cominùs pede, expugnandus noxius quidam mœmor, atque inducenda mentis hilaritas eſſet; nihil illo vocalius, ac eloquentius: præſertim vbi ſuaderi cœleſtium amorem, atque admoueri ad virtutem ſtimulos oportebat, horas interdum loquendo inſigni cum fruge, fructuque animorum trahere videbatur: ac tantũ abeſt, vt fatigari auditorum aures contingeret, vt excitata peracri fame, reguſtare ſermonis ſuauitatem, ac perennitatem cuperent. Semel accidit, vt Veneta quædam princeps fœmina, quæ conflictari curis moleſtioribus, grauique angore animi ſolita erat, loquentem de Deo Maximum audiuerit; adeòque tranquillari cogitationum ſuarum æſtus, guſtuque rerum ſupernarum capi ſenſerit, vt ſuas deindè delicias, progreſſuſque virtutum in eius ſermonibus poneret; ac breui ſuam illi conſcientiam omninò permiſerit. At nullibi ſanè ſplendidiùs tàm frugifera, ac diuina eius eloquentia triumphauit, quàm Vicentiæ in ſacrarum Virginum aſceterio, cui ab Ara cœli nomen. Elanguiſſe regularis in eo Monaſterio diſciplina videri poterat, quòd pleręq; è præcipua eius Vrbis nobilitate, viuida, florentique indole lætiores, ſubdi inſtituto mores ſuos, ac pati frænos dedignarentur. Deſtinatus eò à confeſſionibus Maximus fuit. Nec mora: tantùm ardor dictionis, atque exhortationes valuere, vt mirificos ſtatim animorum motus excitauerint, inſtillato pręclaro quodam diuinorum ſenſu, admotiſq. ſtimulis acrioribus; ijs præſertim, quas ætas, ac natalium conditio contumaciores reddiderat: ita vt reſtituta diſciplina clauſtrorum, eæ potiſſimũ virgines contemptu mortalium, obedientia, orationis ſtudio, ſilentio, ac cętera diſciplina cœteris anteirent. Quę verò ab facundo, ſacroque eo ore documenta hauſerant: ne exciderent, id in primis vnaquæque certatim efflagitabat, vt ſcripto etiam impetraret: quibus deindè monitis, ac literis nihil illis carius, ac pretioſius fuit, ſeruaruntque ceu ſancti cuiuſdam viri reliquias. Pręterea, quam ipſæ virtutis pręſtantiam, ac fructum deguſtauerant; vt ad conſanguineos etiam deriuarent, eos impensè hortabantur, vt Maximum conuenirent; ac ſe, ſuamque conſcientiam eius curæ, fideique committerent: ſcirentque, virum eſſe ab omni parte perfectiſsimũ, atque in mortali corpore angelum. Id ipſũ in alijs etiam Sanctimonialium collegijs, ac priuatim cum ſolutioris vitę hominibus, efficacis nempè linguæ vſu, ac ſanctitatis opinione feciſſe, compertum habeo. Atque ab hoc quidem in animorum inſtitutione ſtudio, ac facultate tyronum præfecturam exercuit fermè ſemper; qui vt propiùs, ita & copioſiùs cœleſtem quandam diuinorum æſtimationem, amoremq. eo docente concipiebant: vt nullibi ſanè adoleſcere lætius, ac ſanctiùs iuniorum indoles, ac ſpes illæ Ordinis cernerentur: quàm ſub Maximi clientela. Et ipſe quidem cũ eximiam in ijs concinnitatem, modeſtiamq. atque ad omnem diſciplinæ laudem propenſionem aduerteret, ingenti quadam perfundi lætitia videbatur; ac dicere ſolitus erat, vereri ſe maximè; nequam ab eo progreſſu nouitiorum caperet voluptatem, merces quędã eſſet; qua bonum aliquod opus ſuum remunerari in præſentia Deus vellet, vt puniret deindè poſt vitę finem. Ipſi verò tyrones eo in Magiſtrum ſtudio, affectuque ferebantur, vt cùm externa animorum procuratio ita illum interdum diſtineret, vt niſi veſpere eos inuiſere, atque alloqui nequiuiſſet; conqueri peracerbè, atque occultæ cuidam ſui ipſorum culpæ tribuere ſolebant, quòd frui amantiſsimi Magiſtri pręſentia ea die minimè potuiſſent. Scilicet, quà dicendi, quà agendi ſuauitate ita illos ſibi conciliauerat, vt imprimere poſtea formam ſui, ac fingere ad libitum pectora facilè poſſet.

Valebatque lingua.

A Maximi eloquẽtia fructus

Præcipuè in Vicentino monialium aſceterio.

In formandis tyronibus facultas.

Corporis afflictatio.

Sunt adhuc, quę in Maximo adnotentur, nempè eximius ſui corporis contemptus, atque afflictatio, in qua ita multùs erat, vt quę maximè communi hominum cœtui aduerſatur ſingularitas, atque inſolens vitæ ratio, omni ope euitaret; vſurpabatque tri-

tritum illud: Qui facit, quod non alius, mirantur omnes. Quocirca intra cõmunes
ipſas legum obſeruãtias rigorem quendam ita exercebat, vt conuenire cum alijs vide-
retur: cùm interim ſeueriùs ageret; ſingulari nimirùm paupertate, veſtibus per uetuſtis,
vno, aut altero in cella libro, nulla ſuppellectili; cibo quàm modiciſſimo, ſomno, qui *Eius innocentia.*
naturam fraudaret, alijſque incommodis, quæ ſine pompa, atque admiratione corpus
attererent. Quòd autem de eo ſummoperè prædicatum, ea fuit conſcientiæ puritas.
Planè, qui eius diutiùs confeſſiones excepit, Bonifacius Sfondratus, vir ex noſtris
emendatiſſimis moribus, qui & pleraque de Maximo in Commentarium retulit, teſta-
tur, nullum vnquam ſe veniale crimen, planè voluntarium, in eius conſcientiæ expia-
tione audiuiſſe; ac confiteri ſolitum, quæ naturæ conditione exciderent potiùs, quàm
ipſe admitteret: adeò vt examinandum ipſi accuratè eſſet, an ritè impertire pecca-
torũ veniã poſſet? Scilicet, diligentiſſimus ſui cuſtos dicta, factaq. ac cogitata ſua om-
nia ita ad diuinæ legis, ac recti regulam exigebat, vt, neque, quod eſt in homine ma-
ximè lubricum, lingua ipſa modicè exerraret. Atque hæc perſtrinxiſſe de Maximi
Gratioli virtute abundè fuerit, qui hoc anno die ſeptima Octobris menſis Mutinæ diẽ *Integrumq. poſt mortem corpus.*
ſuum obijt inſigni cum innocentiæ fama; cuius deindè corpus, vti, quem modò me-
moraui, Sfondratus refert, multos poſt annos integrum, atq. incorruptum repertum,
teſtante viri probitatem, atq. incorruptiſſimos mores tumulo.

At enim ereptum noſtro Ordini præſtantiſſimum hoc omnigenæ virtutis exem-
plar, compenſatum eodem hoc anno eſt præſigni ſanè viro, cuius ineundæ Religionis
conſilium adulta iam ætas, lux generis, præclaræ affinitates, coniugij vinculum, do-
mus cõmoda, atque animus ſupra hæc omnia, & quicquid polliceri fortuna ſplendi-
dior poteſt, apprimè commendarunt. Fuit is Carolus Caracciolus, qui mutato poſtea
nomine, Ioſeph apud noſtrates audiuit, qua nos deinceps illum appellatione nomina- *Ioſeph Caracciolus Ordinẽ capeſsit.*
bimus; è Neapolitana nobilitate iuuenis florentiſsimus æuo, opibus, cultu: qui cùm
maximè adblandiri, atque arridere ſibi mundum cerneret, nuncium illi remiſit vnà
cũ Iſabella Caracciola, æquè clari generis, atq. indolis, formæq. lectiſsimæ coniuge: ad-
ſcituſq. is quidem inter Regulares Clericos in Diui Pauli cœnobio, illa verò inter Diui
Andreæ exactæ obſeruantiæ monaſterij ſanctimoniales. Sed eximium hoc magni ani-
mi ſpecimen, contemptuſq. mortalium non ita paucis perſtringendus; & qui inter
præclara noſtratium, atque abſolutiſsimæ virtutis nomina numerari iure omni debet;
æquũ eſt, vt eius id loci cùm vitæ, tùm ſpiritus cunabula, primoſque animi impetus
explicem, quoad Congregationem inijt: proſequuturus cœteram deindè diſciplinam,
atque ornamenta virtutum in loco. Gentis Caracciolę pace, belloque decora familia-
rũ nulli concedunt. Id verò in ea rarũ: in tot videlicet ramos, æquè titulis, ac opibus
inclytos, abijſſe truncum, vt neſcias, an vſpiã locorum princeps quædã alia proſapia
ſit, quę tot in vna familia illuſtria familiarum diuortia æquet. In hac ſparſa latiùs ſtir-
pe non vltima planè eſt Marchionũ Caſalalberi domus, in qua natus, educatuſque
eſt Ioſeph, cùm maximè fortunis, cultuque magnificentię floreret. Pater illi Marcellus
Caracciolus, Caſalalberi Marchio, militari vir ingenio, qui rebus pręclarè geſtis famam *Eius natales à Caſalalberi Marchionibus*
ſibi non vulgarem comparauerat: ita vt Philippus Hiſpaniarum Rex ſecundus auto-
grapha illum epiſtola ad grauiſsimam, quam tùm adornabat, expeditionem inuita-
uerit, honeſtaueritq. præclara militię præfectura: quo in munere obijt ętatis anno
vndetrigeſimo, bellica laude ſupra id æui ſpectatus. Mater Conſtantia item Carac-
ciola fuit ex S. Angeli Comitibus, quæ tunc domus affinitatibus, ac opũ affluentia cũ
paucis erat cũ Neapoli, tùm per Italiam cõparanda. Ornatiſsima ea quidem fœmina, *Mater illi Conſtantia Caracciola.*
quę non auita duntaxat virtute, ac luce, ſed ſua etiam laude niti voluit. Enimuerò in
ea ſtatim ætate, quæ capi delicijs, ac pompis ſolet, præclaram ſe ſe Deo vouendi mẽ-
tem conceperat. Verũ quæ eius erat in parentes obſeruantia, illorũ imperio, nutuque
ita deindè flexit ad coniugij leges, vt in eo ſtatu modeſtiam sũma cũ fortuna egregiè
coniunxerit; oſtederitq. inuitã ſe inter opulentæ domus cõmoda, atq. illecebras ſeculi de-
gere. Id quod opere poſtea, exemploq. ſingulari cõprobauit; & quod animo sũmo æui
mane præceperat, veſpere tãdem, deuexaq. ętate perfecit. Soluta ſiquidem matrimonio
ac curis omnibus, cũ conſtare adhuc vires, ac ſufficere regulari obſeruantię viridem
quandã ſenectam cerneret, anno ętatis ſecundo, & ſexageſimo adoptari inter Sancti

An-

Digitized by Google

Inter Sanctæ Andreæ Moniales poſtea adſcita,

Andreę moniales voluit, eo quidem conſilio, vt ſupremam vitam Deo, eiuſquè mo-
naſterij vigilijs, laboribus, ac diſciplinę manciparet. Quod quidem, poſita ſeculi per-
ſona, ac matronali dignitate pręſtitit adamuſſim, complexa iuuenili quodam ardore
animi, atque inſigni ſui deſpicientia communem vitam, ac munia. Geminam dica-
tam Deo filiam, alteram inter Diuę Tereſię diſcalceatas, quę ſoluta item coniugio,
ſeueriorem eam diſciplinam capeſsiuerat; alteram in eodem hoc Diui Andreę aſce-
terio, cui nomen Archangela, viſa eſt pijſſima mater imitari; certabatque cum ijs re-
ligioſę obſeruantię laude. Humilitate infra omnes, diſciplinę cultu ſupra omnes il-

Floruitque omnigena virtute

lam dixiſſes. Nihil abiecti muneris recuſare: choro, quà fundendis priuatis precibus,
quà communi pſalmodię perſoluendæ, affixa: id moleſtè admodùm ferens, cùm ab-
ſtinere matutinis laudibus iuberet Antiſtita. Comitas quędam illi ſupra communem
morem: charitas item, quà publica monaſterij mater videri poterat: conſuendis,
ſarciendiſque veſtibus Franciſcam (ſic enim deinceps audijt Conſtantia) adibant ple-
ręque omnes: ipſa nullam excludere, vultu, manuque alacris. Planè, non id loci eſt,
religioſiſſimę fœminę virtutes omnes, vitamque ad tertium, & ſeptuageſimum an-
num eximia cum innocentię laude productam, recenſere. Id ſtrictim commemoraſ-
ſe duntaxat volui, quod commendando ab ſua radice fructui, abundè eſſe putaui.

Ioſephi incunis ipſis boni mores,

Deriuant nempè in ſobolem vi naturę parentum mores, ac prima filiorum ſanctitas
eſt, radix ſancta. His igitur parentibus editus Ioſeph Caracciolus, origini pręclarè
reſpondit: animęque bonæ ſpecimen cunę ipſę dederunt, amabilitate quadam, faci-
litateque naturę præter aliorum infantum indolem, moroſam plerumque, ac pręfra-
ctam. Quæ maximè adoleſcere cum eo virtus, atque eminere videbatur, pietas erat.

Et pietas in pueritia.

Puerum ſiquidem cùm nulla eius ętatis ſtudia, ac luſus caperent, totus in eo erat, vt
quæ domi erat, ſacra ædicula niteret: concinnare ipſe aram, cultumque omnem
procurare, agebatque æditum planè impigrum. Preces ad Deum, Diuoſque aſſi-
duò fundebat: præcipua verò religione in Virginem Matrem, cuius quotidiè laudes
ex eius officij formula perſoluebat, ferebatur. Illud autem in teneris ijs annis miran-
dum. Nam arcano quodam morſu vellicari pectus dicebat, quòd in dilaudando
Numine à matutinis auibus vinceretur. Quocirca noctu omninò claudi ſui cubicu-
li feneſtras, ac conopœum minimè patiebatur: iubebatque patere aliquantiſper ſpecu-
laria, vt ſtatim ac diluculaſceret, recitandis certis precibus lecto ſurgeret, æmulaſque

Et ingenium docile,

auiculas anteuerteret. Ingenium illi docile, aptumque literarum facultatibus; ſed
viuidam, exertamque adoleſcentis naturam aliò flexit Pater: ijſque ſtatim artibus,
ac ſtudijs admouit, quæ formare nobilem iuuentutem ſolent; & cui ſpirituum quæ-
dam alacritas inerat, habiliſque ad omnem diſciplinam corporis habitus, equos, ar-

Et naturæ bonitas,

ma ſtrenuè, ac concinnè tractabat. Porrò, vt vultus illi, aſpectuſque planè liberalis,
ita & mores elegantiſſimi. Parentibus nullum non obſequij genus deferebat. Cum
fratribus nunquam, vt moris eſt, rixari viſus. Comis, humanuſque cum cætera fa-

B. Andreas futurâ eius virtutem præuidet,

milia; vt in omnium amoribus, ac oculis eſſet. Frequentiſſimus domi aderat B. An-
dreas Auellinus, Marchionum à confeſſionibus, & qui lectiſſimos pueri mores, ad re-
gularem diſciplinam factos, modeſtiam præcipuè contemplabatur; iam tùm ab eo
flore maturam virtutis frugem præuidebat, ſi Religioni aliquando nomen dediſſet.
Quare adhortari illum ſolitus erat, atque immittere in terram bonam eiuſmodi con-
ſilij ſemina, quæ Ioſeph haud illibenter excipere videbatur: atque illud tunc religio-
ſæ mentis rudimentum quoddam in eo fuit. Etenim cùm adeò periculosè ægrotare,
quam ipſe intimè diligebat, amitam ſuam contigiſſet, vt fuerit penè conclamatum
funus, fuſis pro eius incolumitate ad Deiparam precibus, ſuſcepit diſertè votum, fore
vt perpetuò cælibem vitam duceret, ſi illa conualuiſſet: impetrauitque ea voti reli-

Cælibatum ante annos vouet,

gione amitæ ſanitatem. Verùm promiſſorum fidem, quòd ſupra ætatem vouiſſet;
nam tertium decimum annum non exceſſerat, minimè deindè præſtitit: accedente
præſertim ab annis florentibus quadam ad lætioris vitæ delicias, atque oblectamen-
ta propenſione.

Et quidem, vt ipſemet in ſuæ vitę commentario, quem confeſſarij iuſſu conſcripſit,
de ſe teſtatur, cùm in eam ætatem euaſit, in qua maximè calet indoles, quà ſimi-
lium exemplis, quà amicorum vocibus, quà diuitiarum incitamento laxare aliquan-
tiſper

tiſpet habenas genio viſus eſt: Hinc in externo veſtium cultu, ac elegantia multus erat: adire amœniores iuuenum cœtus: Vrbem de gentis more in equis terere ludos, choreas, menſas celebrare. Ad hæc, luſtrandæ Italiæ cupido illum cœpit; vrbes, moreſque hominum vidit; & quo tempore ineundæ Ferrarienſis Ditionis poſſeſſioni eò ſe contulerat Clemens Pontifex Octauus, Ferrariam ipſe appulit, cùm vt Pontificiam in ea nouæ Dominationis acceſſione maieſtatem, tùm vt nuptam Philippo Hiſpaniarum Regi Tertio Margaritam Auſtriacam, celebrandaſque inibi ritè, & cum pompa nuptiales tædas oculis vſurparet. Planè cui ab anni, autique copia inſtrumenta non deerant voluptatis, ab communi ſe vſu, ac vulgo procerum rapi ad eiuſmodi vitæ oblectationes, ac otia ſinebat. Verùm, quæ fuit in ipſum Dei bonitas, ac Virginis Deiparæ patrocinium, ab hoc humanarum deliciarum poculo lethalis culpæ fæces nunquam hauſit; & quod ad corporis integritatem, candoremque virgineum attinet, illibatum omninò ad honeſtiſſimas vſque nuptias ſeruauit. Quod ſanè ratum in eo ætatis lubrico: adeò vt inter ipſas voluptatum illecebras eiuſmodi florentes roſas citra ſpinam decerpſiſſe, pro miraculo habeatur; quod ipſe potiſſimùm magnæ Matris tutelæ, cuius ſe ſe olim ſeruituti ex animo dedicauerat, tribuebat; ac peractis deindè ſtimulus illi fuit eius complectendæ impenſiùs clientelæ.

Iuuentutis genio abripitur,

Sed citra Dei offenſam,

Inter hæc oblatam ſplendidiſſimi coniugij occaſionem arripuit, duxitque in matrimonium, quam dixi, Iſabellam Caracciolam, Marchionis Vici filiam, ſecundo loco genitam; nam prima, opum, ac tituli hæres, in Spinellum, Olıueti Principem abierat. Iſabellam, vt eximia quædam formæ venuſtas, ac gratia, ita & excellentes animi dotes, modeſtia præſertim, ac pietas cohoneſtabant. Quippè in ſinu Mariæ Geſualdæ, Venuſiæ Principis filiæ, atque Alphonſi Cardinalis Geſualdi Sororis, Auiç ſuç, pijſſimæ matronæ educata, inſtillatam accuratè ab ea morum innocentiam, admirabili quadam naturæ bonitate conceperat. Eius nuptias, quas formoſitas, ac virtus, atque opes etiam cumulabant, plerique è principe nobilitate cùm adfectarent, in eo certamine ad vnum ipſa Ioſephum animum arcano quodam motu conſtantiſſimè applicuit. Deſtinauerat nempè nexum illum ſingulari cuidam ſuæ gloriæ, ac flagrantiſſimæ virtutis documento Deus. Igitur innexum connubio par Iuuenum; cœptique Ioſepho optimæ coniugis exemplo pręclari quidam ad virtutem, pietatemque impetus ingenerari; qui mox, accedente propitre quodam Dei monitu, mirificè adaucti. Enimuerò gemino maſculæ ſobolis funere, ancipiti veluti gladio, altè vulneratus, hauſtoque diuinitùs lumine, agnoſcere pręſentem Dei manum, rerumque mundanarum inconſtantiam cœpit; aliaſque inire vitę rationes cùm in animum induxiſſet ſuum, auſpicari à totius anteactę vitę confeſſione voluit. Iuſtini Barnabę, viri ex noſtris, vti aliàs memoratum eſt, fingendorum animorum longè peritiſsimi, clientelę addixerat iam ſe, hortatu coniugis, quę eidem confeſſario conſcientię habenas permiſerat. Is incitatiſsimum Iuuenem complexus, quòd nullis non parem Chriſtianę diſciplinę officijs cerneret, ducere per gradus ad culmen, quò nitebatur, inſtituit. Pios ſtatim libros ſuaſit, quibus conciliandę, formandęque virtuti nihil aptius; quos ille terere auidè, atque accuratè cœpit; inciditque principiò in eam Iuſti Lanſpergij epiſtolam, quam Chriſtus Ieſus ad ſponſam ſuam ſcribit: planè non ſine inſtinctu Numinis: in ea quippè cùm exprimi graphicè rerum ſuarum ſtatum aduerteret, ſibi exaratam, miſſamque diuinitùs putauit; cœpitque ab ijs inibi inuitamentis, atque adhortationibus ita affici, vt legere vix inciperet, cùm ſolui in vberrimas lachrymas videretur: adeò vt lectionem illicò abrũpere, atque interim audire internam Dei vocem oporteret. Quam deindè epiſtolam & legere ipſe frequenter, & hortari alios, vt legerent, ſolitus erat. Hoc verò diuinorum guſtu initiatum, adoptari Barnaba inter Sodales Paulini Oratorij, à Chriſto in cruce ſuffixo nuncupati, quam ipſe tùm præfecturam adminiſtrabat, voluit; viſuſque in illum ſtatim curſum Ioſephi effundi, vt breue admodum, ac impar ardori ſuo, animique alacritati ſtadium illud oſtenderet. Admirationi, atque incitamento erat omnibus, quos diligentia, ac ſtudio cùm in frequentandis myſterijs, tùm in reliquis pietatis operibus longè ſuperabat. Rectorem illum loci, ętate alioqui muneri longe imparem, deſtinauerant. Nam licet in grauiſſimo, confertiſſimoque virorum procerum cœtu non alium preeſſe

Nubit Iſabellę Caracciolę,

Cuius exemplo,

Et Iuſtini Barnabæ ductu.

debete

Digitized by Google

debere exiſtimarent, quã qui, vt virtute, ita & matura etiam ætate commune ſibi obſequium conciliaſſet: nihilominùs vbi de Ioſepho agebatur, quoniam ab ardore ſpiritus maturuerat ſupra æuum virtus, dignum loco putabant, & penè renunciauerant, niſi interceſſiſſet Barnaba; qui grauiter lædi modeſtiſſimi Iuuenis humilitatem cùm cerneret, ſuffragia aliò conuertit. Eius verò in Deum ſtudium, rerumque humanarũ contemptus eò breui peruenit, vt cõmutatis omninò vitæ rationibus, alius eſſe videretur. Ornatum, curamque corporis omnem depoſuit, contentus vulgari veſtitu, & cultu. Enſem, ceu paratus ſuſtinere ſtrenuè quamlibet pro Deo iniuriam, abiecit. Seruitia abdicauit. Detractis è domeſticis parietibus aulæis, ac velis, nuda exindè conclauia placuere. Mutua amicorum, ac conſanguineorum officia abrupit. Demum quæcumque amorem Numinis, vſumque pietatis, quam inſtituerat, imminuere aliqua ratione poſſent, vi quadam egregij ſpiritus proſcripſit. Nihil inconſulto Barnaba aggredi, nihil moliri conſtituerat: cui profeſſus diſertè eſt, animæ ſuæ negotium vni ipſi commiſiſſe, ac ſtatuiſſe ſecum ipſum, eius ad vnguem imperata facere: iuberet, moneret, oſtenderet viam; iturum, quò vellet. Cumque ſorderet iam ſeculũ, acriore quodam capeſſendę regularis diſciplinæ ſtudio incenſus, votum in eius manibus nũcupauit, initurum religioſam vitam, vbi hoc ipſum afflatum coniugi conſilium diuinitùs fuiſſet, aut quoquo pacto monſtraſſet cœlum iter: interea id curaturum, vt totum perpetua caſtimonia conſecraret, litaretque in thalamo diuino amori puram animam: cui ſtatim propoſito adſtipulata honeſtiſſima coniux eſt, admirabili inter florentes æuo, ac forma Iuuenes exemplo; eo quidem maiore admiratione digno, quòd ne proderent pudicitiam, indiuiſum torum voluerint; imitati quodammodò ea priſtinæ tatis miracula, quæ ſacrarum hiſtoriarum monumenta cũ plauſu celebrant. Scimus nanque pleraque floruiſſe virginitate connubia, atque illabata pudicitia, coniunxiſſe, ſiuè incendiſſe animos, non corpora. Eiuſmodi fuere inter Henricum, & Chunegundam Auguſtos; Iulianum, & Baſiliſſam; Eleazarium, & Dalphinam; Eduardum, & Editham; Egardum, & Catharinam; Pinianum, & Melaniam, quos cum Deo veriùs, atque arctiùs, quàm inter ſe nupſiſſe, dices, citra thalamum Coniuges. His annectendus Ioſeph, & Iſabella, qui cũ nullum decerpi à matrimonio ſanctiorem poſſe fructum putarent, quàm mutua ad virtutem incitamenta, atque vnanimem in Dei obſequio conſenſionem, mirũ, qua contentione, poſtquàm ſeruandæ caſtimoniæ conſilium iniere, pijs ſe ſe operibus addixerint. Ieiunium ter in ſingulas hebdomadas ſeruare; cũ cœteris deindè diebus perquàm vulgari, parcoque cibo vterentur; proſcripto etiam, affligendo corpori, vino. Sacro item Chriſti Domini Aduentu religioſorum hominum ritu ieiunabant. Somnus illis parciſſimus. Matutinis horis fundendis Deo precibus, ſurgebant: Et quod propè noſtrum Sanctorum Apoſtolorum cœnobium eorum domus; ſignum illis nocturnæ eiuſmodi pſalmodiæ idem ac noſtris. Diem inter orationem, piorumque librorum lectionẽ inſumebant. Rara inter ipſos alloquutio; ac ſeuerè pactum, vt nunquã niſi de Deo, ac rebus cœleſtibus ſermones ſererent. Quod ſupererat temporis, Iſabella quidem acu lucubrare, Ioſeph verò ſportulas, quarũ opificium à Capuccinis Patribus didicerat, contexere ſolitus erat. Ter in hebdomada expiare conſcientiam, ac diuinum Epulum vſurpare: idque ſummo mane, vt oculos, ac celebritatem fugerent. Quater item in hebdomada ad Inſanabilium noſocomium adire: Iſabella mulieres, viros Ioſeph omni charitatis officio proſequi: non laborioſa, non fœda viſu declinare: quos morbus, ac vlcera turpiùs deformauerant, complecti, mederi, inſeruire libentiùs. Semel accidit, vt iſtiuſmodi confectus tabe, atque horribili quodam mortis genere vir expiraſſet; qui ad Sacellum de more efferret, nullus tùm forte aderat; cùm nactus occaſionem Ioſeph, facto animoſiùs gradu, cadauer ipſe ita ſuſtulit, vt putris eius facies in ſuam ipſius propenderet, ac incumberet faciem: ſicq; non modicũ planè ſpatium emenſus, fœdas eas exuuias aſportauit, veluti in triumphum charitatis, admirantibus ad ſpectaculi inſolentiam, qui aderant. Et ſi in ea vlcerum tractatione aſſiduus erat Ioſeph. Nam, vt teſtatur ipſemet, propenſam ad munditiæ ſtudium indolem vt proculcaret, marcentia ęgrotantium membra, dedita opera tangere, atq; exoſculari conſueuerat.

Alium inſtituit vitam.

Religionis votum nuncupat

Interim caſtimoniam cum vxore paciſcitur.

Imitati priſcos inclyti nominis coniuges.

Eorum vitæ ratio.

Ioſephi in Inſanabilium noſocomio factum.

Inter has virtutum exercitationes in pauperes, ac pia loca charitas eminebat.

Pa-

Patrimonium ijs omninò lautum: nam prouentus eorum annui quinque aureorum nummûm millia excedebant; quibus tripartitò diuiſis, partem vnam, minimam eam quidem ſuæ, neceſſitati potiùs, quam vſui deſtinauerant; eccleſiis alteram, tertiam pauperibus, atque inopum ſamiliarum commodis erogabant.

Pręcipua coniugum virtus, in pauperes pietas.

In domeſticam ſtatim ſuppellectilem, quæ illis ſumptuoſior, munificæ, piæque manus inuolarunt; ac breui exhauſta, atque expilata, veluti in communi quadam direptione, domus.

Diſtracta domus ſuppellex

Nam quicquid auri, factique argenti, ac gemmarum erat; tùm pretioſi operis veſtes, periſtromata, equi, arma, diſtracta illicò in egentium ſubſidium fuere. Clauſa cęteris domus, pauperibus patebat, quos nulla tēporis ratione turmatim admitti mos erat. Tricies quinquies in annū, vel eò ampliùs, teſtandæ quorundam Diuorum, ac celebritatum pietati excipere ſolenni èpulo certum quendam pauperum numerum conſueuerant, quibus miniſtrabant ipſi, interdum de genu; ac ſoluto prandio, pecuniarum corollario dimittebant. Quos reſciuiſſent pudore detineri, ne ſtipem publicè quæritarent; honeſtas item ſamilias, rei domeſticæ difficultate preſſas, obæratos, carcere detentos, periclitantem puellarum verecundiam, reuocatas à corporū nundinatione ad frugem bonā fœminas aſſidua, ac munificentiore manu ſubleuabant.

Sine modo eleemoſynæ.

In Diuæ Virginis Annuntiatæ, atque Inſanabilium noſocomijs iuuandis multi erant; & quà ſarciendæ ſabricæ, quà conficiendis ægrotantium lectis, quà alendis orphanis, non modicam quotannis pecuniarum ſummam diſpertiebant. Ad hæc, luſtrare Ioſeph Neapolitanas parœcias ſolitus erat, ac veſtigare canum inſtar venaticorum odora quadam vi pauperum neceſſitates: tùm Curiones ipſos accuratè interrogare, an eiuſmodi mendicabula in ſua eſſent parœcia? Exhauſta interdum, quam ſecum attulerat, pecunia, ne eleemoſynam denegaſſe aliquando videretur, quidquid ad manus eſſet, elargiebatur.

Nummis deficientibus veſtimenta elargitur Ioſeph.

Semel, ac iterum, ac tertiò accidit, vti ſuis literis conſignauit Iuſtinus Barnaba, cui dicta, ſactaque Ioſephi omnia comperta erant, vt is honeſtos quoſdam viros offenderit, qui quòd decenti carerent veſtitu, domo egredi, ac ſacrum audire diebus ſeſtis nequiuerant. Euerberari intima charitate ſenſit vir pijſſimus. Nec mora: detractum ſibi pallium, ac ſagulum erogauit: erogaſſet & reliquum indumentum, niſi conſulendum ſibi, ſuæque honeſtati intellexiſſet: at redijt poſtridiè, attulitque ſub pallio quicquid conueſtiendo ex integro homini, opus eſſet. Nempè eò ſubleuandæ inopiæ ſtudium in illo peruenerat, vt iam vulgarem exercendæ charitatis modum ſaſtidiret, opemque alijs abſque ſui detrimento afferre, rem putabat ad guſtum excellentis cuiuſdam charitatis minùs aptam. Hinc domeſticos ſumptus, quibus ita iam imminutum iuerat, vt nihil ſupra; imminuere adhuc ſubtili quadam ſupputatione, ac fraude naturæ curabat.

Domeſticos ſumptus minuit.

Suppellectilem, vti ſignificatum eſt, iam profuderat; inuiſere nihilominùs, quæ ſupererant, ſolebat, vt aliquid pauperibus etiam cum ſui neceſſitate accederet. Ad extremum, id illi maximè in optatis, pauperem pro Chriſto fieri, vt ſuis ſortunis diteſceret pauper. Quod quidem, ſi is, cuius ſe fidei, ac magiſterio mancipauerat, permiſiſſet; abdicatis ad aſſem facultatibus, vtique fecisſet, abijſſetque inter mendiculos. Cuius nihilominùs rei ſpeciem quandam aſſequi voluit. Etenim qui ſua tàm magnificè diſſipabat, corrogare etiam vicatim ſtipem pro ijs, quos domi verecundia continebat, occœpit.

Pro pauperibus quæritat.

Quo quidem in officio pietatis haud illi ab impactis contumelijs defuit tolerantiæ materies. Semel cùm ad publici tribunalis, Vicariàm vocant, gradus emendicaret, non vltimæ notæ vir fuit, qui cum fortè Ioſephum non agnoſceret, peracerbo illum dicto petijt, ac ſuſpicari ſe, ait, ne corrogatam pecuniam ſibi arrogaret. Quod ille æqua fronte, ac hilari, ceu lepidum quid, ac bellè dictum, excepit.

In eo exercitio tolerantię materies.

Illud nobiliſſimi Iuuenis fortitudinem in primis cōmendauit. Nam cùm ad eoſdem de more gradus perſiſteret, atque vrgente charitate, incitatiùs in eo euntium, & redeuntium populorum æſtu quæritaret; accidit, vt indignatus in illum vir quidam, ratuſque ab aſpectu, vulgarique cultuè vulgo hominem, alapam impegerit. Nec mora: poſito genu, iniuriam patientia propulſauit, computauitque in beneficijs. Fluebant hæc illi quidem ad votum, vt qui nihil optaret impenſiùs, quàm eiuſmodi pro Chriſto dehoneſtamentis, ac probris dignari. Pronuntiare nanque ex animo, ac diſertè ſolitus erat, paratum ſe ad difficillima, atque indigniſsima quæque pro Domino: quod generosè quidem, præſenti-

Ioſeph ad cōtumelias paratiſſimus.

que animo, ac vultu expreſſit Carolo Caracciolo, Marchionis Vici germano fratri; atque Iſabellæ coniugis Patruo magno, ſummæ apud Neapolitanos auctoritatis viro. Enimuerò cùm is aliquando trito amictu, atque inermi latere citra ſuorum ſimilium conditionē nepotem offendiſſet, obiurgare grauiter alienum ab ætate, ab ſtirpe cultum cœpit: Quando, inquit, Neapoli conſuetudo apud viros proceres eſſet, vt ornamento, ac tutelæ ferro latus munirent, quid ipſe, abiecto communi vſu, intempeſtiuā illam religionem, demiſſionemque præſeferret? Cogitaret, perſonæ ſibi rationem habendam. Ad hæc ille, demiſſis profundè oculis, primò quidem ſiluit; ſed cùm pergeret obiurgatio, erecto vultu, animoque: Quid, inquit, mihi cum enſe, cùm certum ſit, alteram maxillam præbere, ac verbera etiam quàm libentiſſimè ſubire? Quod quidem audiri à grauiſſimo eo viro, atque altero, viro item patricio, qui vnà aderat, abſque ingenti admiratione minimè potuit: idemque poſtea nunquam ſine elogio, ac lachrymis vterque memorabat. Et germano fratri, qui grauem quandam ſuſceperat cum viro principe ſimultatem, ac ſtricto iam enſe res agebatur, apertè denunciauit, ne fratris opem, manumque in conflictu expoſceret: putaret extinctum iam, quando, ſubacta mortalium exiſtimatione, ac fama, alteram induerat in mundi ſcena perſonam.

Eius mundi deſpectus,

Et verò, vbi de mundi, rerumque humanarum omnium contemptione agitur, neſcio an religioſi quique, ac prouectioris ſpiritus viri poſt diuturnam ſenſuum, animique exercitationem eò deuenerint, quo Ioſeph in eo vitæ melioris exordio peruenerat. Virtutum ſtudia iam tùm ad eas leges exigebat, quas olim ſibi grandæuæ ſanctitatis vir Ioannes noſter Marinonius præſcripſerat, ijs omninò præceptis: ſpernere mundum, ſpernere nullum: ſpernere ſe ſe, ſpernereque ſperni. Quæ ipſe præcepta moribus, cultu, dictis ad vnguem expreſſit ſingulari quadam generis, affinitatum, amicorum, opinionis, ſui, ſuorumque deſpectu. Filios, fratres, quibus nihil carius, ceu nihil ad ſe pertinerent, intrepidè defungi vita ingenti cum ſuæ domus incōmodo vidit: vtque ingenuè poſtea Archangelæ Caracciolæ pijſſimæ Sorori, in Diui Andreę cœnobio ſanctimoniali, faſſus eſt, eo animi motu tot ſucceſſiuè funera excepit, quem excitaret exiguæ muſcæ caſus. Exarmauerat nempè ſenſum quoddam iam humanorum faſtidium: carebatque lacerando pectori dente, ac vnguibus dolor, quem non hominum peccata, aut Chriſti Domini cruciatus excitarent. Hinc Carolo Caracciolo, quem modò nominaui, interroganti, cur ad Marchionis fratris, ſummę ſpei, ac tantarum partium iuuenis obitum, quem nullus non proſequutus lachrymis fuerat, fletum ipſe continuerit? Flexo ad hilaritatem vultu, nihil tanti, inquit, ſibi eſſe, vt fraternis exequijs lachrymas perſolueret: ſeruandas opportuniori vſui eas eſſe, ac flendum ſolummodò pro Redemptoris morte, qui Pater, & frater, & ſponſus eſt. Quo quidem in funere cùm matrem, ſororemque plus nimio indulgere lachrymis, ac dolori cerneret, hac præſertim animaduerſione temperare exundantem fusè luctum ſtuduit: Meminerint, videlicet, Saluatoris noſtri cruciatus, ac funus peracerba ea comploratione dignum: mortalibus, aut nulla, aut breui lachryma parentandum.

Suorum funera ſiccis oculis cernit;

Ac lachrymas Chriſti funeri ſeruat,

Cœleſtibus delicijs perfunditur,

Neque verò humani eiuſmodi caſus moleſtiam afferre illi poterant, quem intima quædam cœleſtium deliciarum affuſio, atque illecebrę Numinis inundabant. Arcanos ſiquidem diuinorum ſenſus non ſine ineffabili quodam nectare illabi in animum in eo ſpiritus tyrocinio ſentiebat, ineratque aſſidua quædam cum Deo coniunctio, quæ ita animi facultates ab humanis officijs abſtrahebat, vt vacare externis minùs poſſet. Quæ ipſe gaudia vt afflictione aliqua temperaret, macerare corpus pijs verberationibus conſueuerat, atque aſſiduo cilicio, quod illi grauiſſimum tunc erat tormenti genus. Nam cùm arcto de more veſtitu vti oporteret; ne ſe laxiore cinctu proderet, adprimi profundiùs, ac moleſtiùs aſperas eas ſetas contingebat.

Quas temperat afflictatione corporis.

Conjugem ad regularem diſciplinam hortatur.

At enimuerò eximiæ huius virtutis, ac ſpiritus virum cum cæteris mortalibus in ſeculo degere, etſi documento ijs, exemploque erat, ac nonnihil etiam venuſtatis id habebat, & gratiæ: quemadmodum formoſior roſa eſt, quæ alieno anni tempore, ac cœlo ſub aſpero vernare cernitur; attamen quòd factum propemodùm ſe ad religioſam diſciplinam agnoſceret, eò ſtatim ab ipſo emutatæ vitæ initio animum appulerat Ioſeph: & vti paulò ante ſignificatum eſt, modò coniux annueret, Religionem vouerat.

Google

Relig. 83.

vouerat. Adhortabatur quidem ſæpiùs Iſabellam, ac proponere ſtatus ſecuritatem, ac bona conſueuerat. Vtrumque, ſcilicet, vitam iam inſtituiſſe penè regularem: futurum perfacile ijs, qui tàm propè acceſſerant, ac vix vno diſtarent gradu, illam omnino capeſſere. Quid igitur differrent? Spreuiſſe opes, ac commoda, magnum quiddam eſſe; at longè maius, ac generoſius, reliquiſſe. Hæc impensè inculcare coniugi, quam in eiuſmodi licet conſilium propenſam, plura detinebant, quominùs eò cogitationes, animumque aduerteret. Enatam tùm quidem, agentemque in cunis puellulam in primis cauſabatur. Naturæ ipſius officium, ac debitum poſcere ſobolis curam: quam in lucem vix editam alienæ fidei deſerere, genus quoddam ſæuitiæ videri poſſet. Sinerent illam ad ſeptennium adoleſcere, ducturam poſtea ſecum in monaſterium, certa ſpe fore, vt & ipſa deindè religioſum caperet inſtitutũ, cui ab infantia exemplo matris aſſueſceret. Sed qui ſpectatam coniugum virtutem Religioni deſtinauerat Deus, præcidere hanc moram breui voluit: extincta videlicet decem non ampliùs menſium filia: à quo vulnere cùm aliquantiſper Iſabella, tenerioris nempè indolis, doluiſſet, nihil omninò Ioſeph perturbari viſus: quin gratulatus extincto pignori ſortem, Iuſtinum Barnabam ſtatim conuenit; ac ceſſiſſe domo, ait, ne præpoſtera conſanguineorum officia exciperet; quando effusè lætaretur ipſe in ſinu: ſciretque, nihil contingere feliciùs filiæ potuiſſe, quàm cœlo recipi. Præcipua hac difficultate, quæ morari propoſitum videbatur, ablata, obiecere ſe ſe aliæ non magni quidem momenti, ſed quæ lentè promoueri opus ſinerent; cui mox vrgendo, diſſoluendiſque impedimentis, adfuit veluti è machina Deus. Conſueuerant vnà ſimul frequentandis ad eccleſiam myſterijs, alijſque pijs operibus obeundis curru pergere lectiſſimi coniuges: planè non ſine Neapolitanorum fructu, qui ab vnanimi ea pietate erudiri ſe intimè ſentiebant; ac plerique omnes cùm eos intuerentur, ceu Sanctos venerati, temperare laudibus minimè poterant: id quod ijs moleſtiſſimum; atque altiùs vulnerare eorum aures, ac animum aſſidua commendatio videbatur. Igitur cùm ineundæ regularis vitæ deliberatio pluſculum temporis teneret; contigit, vt, cùm vnà curru de more veherentur, vir quidam, de vultu ignotus, facto propiùs gradu, ad illos acceſſerit: Ecquid, inquit, diutiùs cunctamini? Vbi Numinis benignitas aſpirauerit, nihil differendum: corrumpunt nempè præclarum opus moræ. Dei nuntius huc adſum; ſi ſapitis, conſilium maturate: abijtque his dictis. Hoc monitu inflammata vehementer Iſabella eſt, ſtatimque Iuſtino Barnabæ ſignificauit, quæ animum occupauerant, difficultates euanuiſſe; ac nihil ardentiùs cupere, quàm monaſterio, ac diuino ſe obſequio inter dicatas Deo Virgines addicere; conſultoque eodem Barnaba, atque habito regularis diſciplinæ delectu, ipſa Diui Andreæ cœnobium, Ioſeph Regularium Clericorum Inſtitutum probauit. Et cum Ioſepho quidem non mediocriter luctandum tùm fuit. Enimuerò qui humilitatem, abiectumque omninò ſtatum ſibi propoſuerat, admitti inter laicos fratres, conſtanter poſtulabat. Laboribus nimirùm, ac vilibus quibuſque domus miniſterijs parem ſe, aiebat: cæterùm à Clericali militia, ſacrorumque præſertim ordinum dignitate ita abſterreri, vt quoduis aliud eligeret potiùs, quàm ijs gradibus initiari. Quæ cùm feriò, obfirmatoque penitùs animo pronunciaret, vi quadam vti Barnabam oportuit; expugnauitque propoſitum tùm auctoritate, ac opinione, qua valebat, tùm ea potiſſimùm ratione, quòd etiam ſi ad Clericos aggregaretur, liberum deindè fuiſſet ad ea, quæ laici ordinis fratrum ſunt, munera, ac domeſtica miniſteria deſcendere, ac clericali habitu Laicum agere. Hac etiam difficultate explicata, in id illicò animum intendere, vt domeſticis ſe ſe curis exſoluerent. Deſtinatum, tributumque incomparabili pietate, ac Chriſtiana prudentia pijs locis, ac fructuoſiſſimis operibus vtriuſque patrimonium. Et Ioſeph quidem ſexaginta circiter aureorum millia ita pro Deo diſtribuit, vt vix exigua quadam portione Marchioniſſam matrem reſperſerit: Barnabæ nempè nutu, ac conſilio, qui charitatis ordinem cùm obijceret, priùs matris, quàm aliorum neceſſitatibus conſulendum ſuaſit: valuitque apud illum pietatis ſpecies, ac obligatio; cùm alioqui in animum induxiſſet ſuum, nihil pauperibus, nihil Deo in ſolenni ea opum abdicatione detrahere. His ergo ſecretò conſtitutis, dictus capeſſendæ Religioni dies, qui fuit renaſcentis proximè anni primus; vt ſcilicet

Impedimentũ ſobolis morte præciditur.

Ioſephi in eo obitu æquanimitas.

Moras alias è cœlo nuntius rumpit.

Ac de Religione tandem deliberant.

Aggregari ad Laicos poſtulat Ioſeph.

Patrimonium pijs locis diſtribuunt.

ineunte cum anno nouas ſe inire vitæ rationes intelligerent. Verùm cùm euulgari inter conſanguineos res cœpiſſet; veriti, ne quid ij turbarent; tùm vt officia, ac deductiones anteuerterent, pridiè eius diei, quæ ſuprema eſt expirantis anni periodus,

Ac Religioni ſe dant vltima anni die.

ſimul in Diui Andreæ aſceterium, in quo excipienda Iſabella erat, perquàm taciti abiere: vbi citra affectum omnem, ac lachrymas, relicta Ioſeph coniuge, ac paucis data, acceptaque vtrinque ſalute, nouiſſima ea verba pronunciauit. Abi felix, reuiſam te cœlo: tùm rectà ad Diui Pauli, aggregatuſque & ipſe ad noſtros eſt, diuturni voti compos. Quod vbi in vulgus manauit, nimiùm quantùm commendatum à Neapolitanis florentiſſimorum coniugum conſilium fuerit; dilaudata etiam in anticipanda ea die prudentia, ne moram aliquam necterent cognati, ac noti. Et acci-

Quod non ſine cõſilio Numinis.

diſſe Numinis inſtinctu putandum eſt, id temporis anteuertiſſe; vt, ſcilicet, ea die ſeculi fugam ipſi adornarent, qua Piniani, ac Melaniæ memoria ab eccleſia celebratur: qui matrimonio & ipſi innexi, nuptias cùm vnanimi charitate, tùm eximia corporum puritate dedicarunt: eodemque poſtea conſilio Hieroſolymitanam peregrinationem cùm inſtituiſſent; hæc inter fœminas, inter viros ille, authorati votis, religioſam diſciplinam ſuſcepere. Quo illi exemplo moniti, erectique ad quandam vitæ ſanctioris formam, ſanctiſſimorum coniugum & nomen colere, & imitari mores conſtituerunt. Porrò quo ſpiritu ponere tyrocinium Ioſeph cœperit; quanta cum ala-

Prima Ioſephi diſciplinæ rudimenta.

critate paupertatis, laborumque, & vigiliarum incommoda vorauerit; quo diuinorum ſenſu, captuque orationi ſe ſe addixerit; vt magiſtri omninò ſe nutui ſubiecerit; vt, quæ minima videri poterant, exactè ſeruauerit, incredibile planè dictu eſt. Illud ab inſigni humilitatis ſtudio, quod ſibi propoſuerat, agitare ſtatim cœpit, an rotundum, ac ſeſſile capitis tegumentum, quo vti Laici noſtri ſolent, geſtare & ipſi liceret.

Laici pileum affectat.

Nam qui Laici munia obire apud animum ſuum ſtatuerat, id impenſiùs cupiebat, vt externo etiam habitu conformari ijs contingeret, excreſceretque ab ea ſpecie humilitas. Verùm à magiſtro monitus, alienam à Clerico eam pilei formam, atque hanc eſſe diuinam voluntatem, vt habitu cum cæteris conueniret; litaretque proindè Deo deſiderium, quod etſi optimum, intempeſtiuum nihilominùs videri poterat, quieuit. Sed de abſolutiſſima religioſæ vitæ perfectione, excellentique eius virtute ſuus erit dicendi locus. Interim hanc partem, quæ ad ſeculum, ac primum diſciplinæ rudimentum pertinet, attigiſſe, ſatis modò fuerit.

De Iſabella verò, quæ Maria deinceps audiuit, pauca adhuc referam, abſoluamque

Iſabellæ in monaſterio virtus.

de piiſſima fœmina id loci narrationem. Nondum quartum, & vigeſimum annum exceſſerat, cùm mundo renunciauit, oris gratia, formaque, vti dixi, apprimè ſpectabilis, ſed morum elegantia, ac pietate formoſior. Id ab ingreſſu beneficij, gratiæque nomine ſtatim petijt, ne ſe permitterent, ad crates alloquendi, conſalutandique cuiuſpiam cauſa deſcendere; quod ita impetrauit, vt, ne Marchioniſſam quidem Vici, ſororem, quam vnicè diligebat, vnquam admiſerit; oſtenditque, eximium attuliſſe Religioni rerum humanarum contemptum, ac mentem auerſam omninò

Modeſtia.

cæteris, quæ Deum non ſaperent. Modeſtiam, quæ externum quoddam, ac præclarum ornamentũ eſt, principe ſtudio coluit; ac tota in oculorum potiſſimùm cuſtodia erat; vt non modò non euagari, ſed ne verecundè quidem attolli fineret. Id quod & ſecum etiam attulerat. Peculiari ſiquidem cura extra monaſterij diſciplinam obtutus compeſcuit; ita vt vel cùm domi eſſet, ab ipſius coniugis aſpectu temperaret; ac aliquot ante initam religionem annos viri faciem intueri penitùs ſibi interdixerit.

Legum obſeruantia.

Cœnobij leges, vt ſingulari quadam ingenij alacritate ſtatim edidicit, ita admirabili contentione ſumma, infimas obſeruare videbatur. Obſequium non modò Antiſtitæ, ſed ipſis etiam adoleſcentulis, ſi iuberent, deferebat. Addicta præſertim cellulæ,

Solitudo.

ac tacitæ cuidam vitæ conſuetudini, vt quæ in orationis ſtudio, ſacrorumque librorũ lectione multa eſſet. Chorum prima ingredi, poſtrema digredi. Ad hæc, charitas, comitas, manſuetudo eminebant: planè vt cœnobij deliciæ, ac amor eſſet. Iam, qui diuini Numinis mos eſt, expolire aduerſis, ac veluti ad ignem virtutis aurum periclitaris Mariam, eiuſque bonæ mentis, atque animæ indolem perficere, afflicta va-

Eius à diuturno morbo patientia.

letudine, voluit. Quidam illam in pedum altero dolor inuaſit, qui mox in immane quendam tumorem abijt: nec poſt multò quædam hinc inde vlcera apparuere, quæ

ſenſu

ſenſuquodam pericuto ita illam exercebant, vt à vi doloris interquieſcere neque noctu, neque die ſinerent. Luſa medicorum conſilia, ac conatus fuere; vt non modò exquiſitæ curationes minimè procederent; ſed pertinaci quodam morbi ingenio, remedia ipſa, atque officioſæ manus officerent. Cum ſumma cruciatus acerbitate ſumma Mariæ tolerantia certabat. Dolor illi non vltrà crepidam, ac pedem; nam vernare frons hilaris videbatur; & quas in eiuſmodi calamitatibus ſolui in lamenta voces, mos eſt, ſoluebat illa in Dei laudes, & grates: adeò vt optimè quidem æſtimari à pede, ac veluti ab vngue tota eius virtus potuerit. Tredecim omninò annos eadem nempè contumacia morbus tenuit: cùm vlcerum malignitas, ac virus ſerpere ab imo corpore ad vitaliores partes cœpit; quo breui abſumpta Maria, admirabili quadam mentis, ac vultus hilaritate vitam clauſit; cùm paulò ante ſereno quodam obtutu cœlum ſuſpexiſſet, quaſi locum deſignaret, quò mox anima, tot cruciatuum ornata monilibus, contenderet. Nouembri menſe felix hic exitus contigit, anno ſeculi trigeſimo, ætatis ſeptimo, & quadrageſimo. Fuit verò, quod eius tùm quidem exequias exhilararet; quod nos Ioſephi Caraccioli, olim coniugis relatu, & ex communi, quæ tùm percrebuit, fama imus narratum. Siquidem, delato de more cadauere in Odêum, quod Eccleſiæ reſpondet, dum ſacra piacularia pro eius anima peragerentur, ecce tibi ab chori cancellis aſpectabili forma Maria ipſa, veluti rediuiua, quæ hæc diſertè pronunciauit: Ne me putetis extinctam: viuo equidem, atque eo loci ſum, vbi apertè didici, veriſſimam eſſe Diui Pauli ſententiam: quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: tùm addidit, æqualem ſibi cum Diua Melania præmium contigiſſe. Atque hæc fuit communis omnium perſuaſio, Mariam, quæ opes, quæ ſponſum reliquerat, conſequutam illicò æternas cœli diuitias, ac nuptias longè ſplendidiſſimas cum ſponſo Agno.

Ex quo moritur.

Defuncta, viuere ſe teſtatur

Præclarum hoc porrò à iuuentute, ac nobilitate exemplum non quidem ſterile fuit; ſed, quæ eſt æmulationis in vtramque partem vis, alterum mox ex eadem Neapolitana nobilitate eiuſmodi exemplum edidit. Planè nihil eſt, quod factu difficillia magis emolliat, quàm hæc ipſa ab alijs ſimilis conditionis fieri; atque inſuper exacuitur plerũque indoles, ſtudetque paria facere ab ea cote. Itaque non ita poſt multò concepere eandem hanc flammam, ac mentem par item nobilium coniugum, Cæſar Serſalis, & Camilla Capycia Piſcicella. Conſilium, qui illis tunc erat à confeſſionibus è noſtra Sanctorum Apoſtolorum domo vir prudentiſſimus, ita commendauit, vt quà mora, quà fuſis ad Deum precibus, ac ſacrorum vſurpatione, quà rimatis intimè eorum ſenſibus, ac viribus, exquiſitè probauerit: cumque illud ſupernè immiſſum, atque augeri in dies religionis ſtudium, ardoremque cognoſceret; quos iunxerat ſanctè connubium, ſeparari ſanctiùs, ſuſcepto regulari inſtituto, permiſit.

Cæſar Serſalis, & Camilla Capycia Religioni ſe dant.

Camilla Trinitatis Gynæcèum delegit, quod tùm quidem fundatum,
nouerat exacta religioſiſſimarum Virginum diſciplina, ac
ſpiritu florere. Cæſar inter noſtrates adoptatus,
in eadem Sanctorum Apoſtolorum domo
tyrocinium depoſuit, appellatus
Ioannes Baptiſta;
complexuſ-
que ea alacritate eſt obedientiam, paupertatem,
ac Religionis iugum, qua commoda,
atque arbitrium ſui pro
Chriſto dimiſe-
rat,

LIBRI QVARTI FINIS.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER QVINTVS.

Eliſæus Nardinus Generalatu defungitur.

TERTIVM generalis pręfecturæ triennium expleuit hoc anno voluentis ſeculi ſeptimo Eliſæus Nardinus, cuius eximiæ prudentiæ, ac ſeueriori cuidam cenſuræ morum plurimùm noſtra diſciplina debet: quippè cui retinere priſcos mores, atque inſtituta maiorũ, princeps cura erat: planè vt in amplificanda legum noſtrarum obſeruantia, ijſque amouendis, quæ labefactare, atque atterere illam poſſent, neſciã, an alius quis vſus diligentiore ſedulitate, atque acriore animi ſtudio fuerit. Id illi ſolenne, ac fixum: quo veteris diſciplinæ ratio, ac rigor conſtaret, non ſplendida, non ſpecioſa affectare: quin etiam reſpuere generoſiùs, ſi quando offerri eiuſmodi munera contigiſſet, quæ dignitati eſſe, atque exiſtimationi communi rei Theatinæ potuiſſent: gnarus, religioſos Ordines humilitate, qua cœpere, optimè conſeruari. Iam verò, præſtantiſſimi huiuſce viri cæteras regendi artes, auctoritatem, grauitatem, vim iudicij, charitatem memini, me aliàs perſequutum; quæ modò illi partes, cùm moderatoris perſonam depoſuit, communem omniũ plauſum conciliarunt; veluti qui, vt reliquos, ita ſupremũ hunc tertij Generalatus actum peregregiè repræſentauerit.

Romæ generalia comitia.

Indicta, ac celebrata Romæ comitia de ſucceſſore accuratè agitarunt: vt ſimili rectore, eademque zeli, atque induſtriæ laude adminiſtrari habenas Ordinis contigiſſet. Igitur quęſito inter bonos optimo, admirabili animorum, ſuffragiorumque conſenſione renunciatus eſt Præpoſitus Generalis Ioannes Antonius Angriſanus Neapolitanus, qui tùm quidem Neapoli in Paulina domo, vbi vota olim nuncupauerat, triennalem expleuerat magiſtratum.

Eligitur Generalis Io. Antonius Angriſanus.

Comperta abundè iam inde ab annis florentibus maturior viri prudentia, ac morum integritas. Nam quod rarò olim contigit, ac poſtea nunquam; ſimul & admiſſus ad vocis vtriuſque ſuffragia, & appellatus Mediolanenſis domus Præpoſitus fuit. Deindè opinione, vſuque ſolertiæ nulli non muneri præfuit; valebatque præcipuè cùm dexteritate in agendo ſingulari, tùm voluci quadam prudentia, qua plura ſimul, eaque optima conſilia in medium afferre conſueuerat, negotijs quibuſlibet, quàmuis arduis, par omninò, aut maior.

Eius prudẽtia.

Quo præſertim nomine percarus in generali Magiſtratu Paulo Quinto Pontifici Maximo fuit, qui hanc in eo fertilitatem prudentiæ, copiamque conſiliorum, ac maturã mentis celeritatem nimiùm quantùm commendaret. Nimirùm, ille Principis gratiæ opportuniſſimus, qui ſui fœcunditate ingenij cùm plura excogitet, delectũ illi, ac laudẽ operis relinquit: cuiuſmodi cùm eſſet Angriſanus, eam ſibi Pauli Pontificis beneuolentiam conciliauit, vt nihil non ab eo impetrauerit in commune Congregationis bonum; acceſſeritque deindè ab eius munificentia, ac iudicio dignitas ab Inſulis Surrentinis, vt in loco exponam.

Iacobus Piſcicellus comitiorũ Præſes.

Ante Patris Generalis electionem renunciatus primo loco fuerat, qui Interregnum Præſidis nomine adminiſtraret. Fuit is Iacobus Capycius Piſcicellus, vir grauiſſimus, ac prudentia cùm paucis ſpectatus, cuius auſpicijs pleraque in cõmunis obſeruantiæ incrementum, atque exactum Ordinis regimen excuſſa opportunè, ac ſancita.

Inducti iterũ Vicarij.

Inuecti iterum domorũ Vicarij, qui perſonam Præpoſiti in tempore exhiberent. Scilicet, cùm compertum experientia eſſet, Præpoſito abſente, ad eos deuolui perſępè munus, qui aut ſenio, aut valetudine, aut etiam indole minùs commoda regendis alijs minimè ſufficerent, pernoceſſarium putarunt Patres, vt deſignaretur, qui prudentia, ac moribus compenſare moderatoris abſentiam poſſet.

Præpoſiti non vltra nouẽniũ.

Statutum præterea, vt qui præfecturas Ordinis nouennium tenuiſſet, is per annum vacaret: tùm quidem,

ne

Digitized by Google

ne in vnius manu conſen eſcerent domorum gubernacula; tùm verò vt ſpiramentum ijs daretur, qui attritas ab externa aliorum rectione, reficere interioris hominis vires cuperent; tùm denique, vt gra ta vice peridonea aliorum virtus recenti ſpiritu ad labores, molemque rerum accederet, gliſceretque ab vſu rerum multorum prudentia, quæ cum fraude Ordinis lateret, ſi hæreditario quodam iure ijdem perpetuò præeſſent. Cuiuſmodi argumentum aliàs tractaſſe, ac tùm perpetuas, tùm proliziores è Republica præfecturas excluſiſſe me, memini. In id autem ſingulari votorum conſpiratione coguenere ad vnum omnes, vt honorum cupiditati, antequàm proſerperet latiùs, cauerent. Quare, vbi grauium pœnarum denuntiatione frænum ijs iniecifſent, qui domeſticos magiſtratus appeterent, cenſuram in illos exacuerunt, qui eò aliquando ambitionis deueniſſent, vt Epiſcopalem dignitatem affectarent. Maiores quidem noſtri, qui conſilio, ac ſpiritu plurimùm valuere, publicam hanc populorum procurationem, vti aliàs ſignificatum eſt, excluſam à Clericorum Regularium inſtituto minimè voluere: quippè charitati, quam profitemur, optimè operoſas eas curas congruere, ac tùm è re communi animorũ eſſe, tùm ad ipſiuſmet dignitatis decus facere reputarunt, religioſos viros, quos diù virtus exercuit, pietate, atque eruditione præſtantes, ad Eccleſiarum gubernacula admoueri: atque adeò bonorum Antiſtitum opera, ac ſedulitate fraudare rem Chriſtianam, æquum non eſſe. At enimuerò lubricum quid eſt dignitas: capitur nanque facilè genus mortalium ſui excellentia; ac nihil propiùs eſt, quàm ſubire, atque occupare animum honorum appetentiam, qua nihil virtutum exercitio, ac progreſſionibus pernicioſius. Igitur cùm plerique è noſtratibus ad Inſulas in dies euocarentur, veriti magnoperè Patres ſunt, ne, quæ tàm propè fulgeret, honoris ſpecies aliquorum animos ſolicitaret; vt quærerent ipſi, quod alij obtinuiſſent: proindèque periculum anteuertere, atque elidere prima ipſa eiuſmodi cupiditatis ſemina, antequàm in herbam luxuriarent, decreuerunt. Quare communi zelo, atque acriore interminatione ſcitum, vt qui comperti affectatæ Inſulæ fuiſſent, ijs quauis dignitate in Ordine fulſerint, à ſuo ſtatim munere, ac gradu cadant, reſeruata Capitulo Generali quæſtione, à quo recognoſci cauſa nonniſi poſt ſexennium poſſet; additumque inſuper extirpandæ penitùs occaſioni, vt ab ea Ciuitate, in qua admiſſæ id genus prenſationes fuerint, aliò, nulla mora, candidati amandentur, mutentque ſolum ad ambitionis morbum opportuniùs curandum. Planè, integro adhuc corpore, non ea tùm medicina opus eſſe, videri poterat: ſed tanti eſt cauere malum, adeò ſacris Ordinibus noxium, ac religioſis ipſis hominibus indecorum. Nec intempeſtiuum dixeris, quod luem occupar, antequàm commu nem incolumitatem afflet. Pleraque item alia in comitijs ſancita: renunciatiſque mox locorum rectoribus, dimiſſum Capitulum ab Generali Angriſano fuit; qui prouinciam ſubindè complexus, præclaris quidem initijs, ac ſingulari quadam ſolertia in omnem muneris ſui partem intendere curas ſuas cœpit. Studia præſertim, ac rem omnem literariam promouere in animum induxit ſuum; eaque ſtatim animi attentione, inſtitutis ſcholis frequentioribus, ſcholaſticorum ingenia inflammauit, vt ſub eo maximè literæ floruerint, ac multos tunc dederint eruditionis laude præſtantes viros gymnaſia inſigni cum aliorum fructu, ac Ordinis fama.

Præciditur honorum cupiditas.

Præcipuè Epiſcopatus.

Acriore iudicio, ac pœnas.

Studia promouet Angriſanus.

Iam verò præter alia Religionis commoda agitatæ in generalibus comitijs pleræque etiam coloniæ fuere, de quibus modò agendum. Rauenna Vrbs eſt in ſuperi maris ora longè antiquiſſima, Regum olim, atque Exarcharum ſedes. Petrus Cardinalis Aldobrandinus eam Cathedram adminiſtrabat, aderatque; vti dixi, conſiliorum eius omnium particeps, atque adminiſter Marcus noſter Paleſcandalus, qui cùm non publicis modò curis, ſed animorum etiam ſaluti aſſidua ſacrarum confeſſionum adminiſtratione, priuatiſque adhortationibus operam daret, Rauennatum ita in ſe beneuolentiam conciliauerat, vt acre etiam Congregationis deſiderium accenderit, quam ab vnius Paleſcandali induſtria, ac ſedulitate fructuoſiſſimam Ciuitati ſuæ futuram, exiſtimabant. Id ipſum percupere Aldobrandinus videbatur, vt qui noſtro Ordini addictiſſimus, ac Theatini Inſtituti gnarus, peridoneos inſtituendis ſuarum ouium moribus noſtrates reputaret. Et vrgebat rem ipſe Paleſcandalus, tùm quia indigere eam Vrbem impigrorum hominũ opera, perſuaſum habebat, tùm verò, vt

Agitur de domo Rauẽnate

Vrgente rem Petro Card. Aldobrãdino:

ſuo

Digitized by Google

ſuo commodo conſuleret. Nam quando apud Cardinalem Archiepiſcopum agere maiorũ nutu oporteret, tàm diù apud exteros commorari, pigere iam cœperat; optabatque vehementer, vt fixo inibi domicilio, aduentarent noſtri; cõmunique ipſe vitę,

Qui dat ad Capitulũ literas.

atque obſeruantiæ inſiſteret inter ſuos. Ergò literas ad Generale Capitulum Cardinalis dedit, amiciſſimi deſiderij plenas: Rauennates curas iuuari à Theatinis Patribus, cũpere ſe vel maximè; ac putare, tanti eſſe apud ipſos meriti, vt impetraret. Non defuturas excipiendæ Sodalitati cùm ædes, eorũ vſui opportunas, tùm ſacris peragendis eccleſiam. Cæterùm polliceri hæreditariam Aldobrandinorum beneuolentiam, qua complecti, ac fouere Ordinem ſtuduiſſet. Planè ea erant ampliſſimæ Purpuræ in nos promerita, vt quamuis eam coloniam minùs probarent Patres, haud liberum tamen eſſet recuſare: ſcitumque, vt ſub tantis auſpicijs domicilium acceptaretur: cõmendata rei exequutione Patris Generalis fidei, qui ſtatim cùm literis, tùm voce per noſtrates, quos à comitijs reuertentes, tranſire Rauenna iuſſit, gratias Cardinali prolixiùs habuit, quòd eadem, qua ſemper, humanitate adeſſet rei noſtræ, inuitaſſetque in vineam ſuam operarios ex Clericis Regularibus, Aldobrandinæ beneficentiæ tot nominibus deuinctos. Nec poſt multò, inſtituta Galliæ Ciſalpinæ, vt moris eſt, inſpectione, eò ipſe ſe tranſtulit, exceptus incredibili quadã eius Vrbis, atque ampliſſimi præſertim Antiſtitis gratulatione. Deſtinatam noſtro Inſtituto ædem ſacram vt

Angriſanus locum probat.

vidit Angriſanus, à loci ſitu, ab antiquitate, à religione, à familiari inibi olim miraculo illicò probauit. Eccleſia ea erat, quam tùm à Spiritu Sancto nuncupabant, ſed quæ dedicata olim Diuo Martyri Theodoro ante annos circiter mille ſuper quater-

Pręcipuè eccleſiam,

centum Calliſti Pontificis tempore fuerat. Vetuſtiſſima ea quidem, ac famæ celebrioris. Enimuerò vt eius Vrbis annales narrant, & conſtans etiam traditio eſt, legi in ea baſilica Antiſtites Rauennates conſueuerant, quos diù non mortalium, ſed diuini Spiritus ſuffragium deſignauit. Indicta ſiquidem electioni die, haud conſulendum in cõmune erat, vt optimum quemque deligerent: ſed aſpectabili forma colũba è ſublimi deuolans, quem deſtinauerant cœli comitia, ciuibus publicabat. Miracu-

Vbi columbæ indicio Epiſcopi eligebantur

lum diù tenuit, renunciatique eo columbæ indicio Archiepiſcopi omnino vndecim, quos faſti Rauennates inter Sanctos numerant, celebrantque. Ex ijs poſtremus Seuerus fuit, vir ſanctiſſimus, è lanificio ad Pontificium munus translatus. Is nam-

D. Seueri electio,

que cùm abrupto labore, ac opere, quo victitabat, ad eccleſiam, quo tempore, præcone cœlo, euulgandus Antiſtes eſſet, adire cogitaſſet; coniux, cui intempeſtiuum cum fraude familiæ id otium videbatur, hæc illi ſubirata, ac per deriſum: I pede fauſto: ſcilicet, te Infula expectat. Nec plura: vix populo, ac celebritati immixtus ille eſt, cum viſa placidiſſimo volatu columba rectà Seuerum petere, motuque alarũ eius veluti dignitati plaudere. Declinaſſe, conatuque omni abegiſſe, fruſtra modeſtiſſimo viro fuit. Nam fungi conſtanter cœleſtis illa Internuntia officio ſuo voluit; nec antea diſceſſit, quàm diuini Numinis conſilium in eius aures, theatro ſpectante, inſuſurrauerit. Acceſſere mox populorum ſuffragia, ac fauſta admurmuratio; raptuſque ad Sedem Archiepiſcopalem Lanarius, exuto inibi ſordido amictu, inſignia Magiſtratus, ac chlamydem induit; dixitque piè facundus ad concionem, in qua diuino inſtinctu monitus, populo prænunciauit, hactenus columbæ miraculo conſalutatos Epiſcopos Rauennates, aliamque fore deinceps eligendi rationem. Hanc deindè eccleſiam, quòd tàm frequenti Sancti Spiritus volatu, præſentique Numine nobilitata olim fuerat, mutare nomenclationem contigit, ac dicta eſt à Spiritu

Tribuitur noſtris Spiritus Sancti ędes.

Sancto, quam ab ipſo ſui exordio Diui Theodori nomine inſcripſerant. Hæc modò Aldobrandini nutu Theatinis curis, ac iuri ceſſit; inieruntque illã noſtri homines ſingulari cum approbatione, ſenſuque animi; rati nempè, haud exiguæ ſibi, ſuęque Congregationi dignitati eſſe, illam incolere, ac celebrare baſilicã, quę à diuinis ijs comitijs, pręſentique afflatu Numinis inter Orbis terrarum eccleſias eſſet longè celeberrima. Collocata igitur ſede, quam concitauerat in noſtrum Ordinem Ciuium beneuolentiam Marcus Paleſcandalus, adauxit deſcripta mox à Patre Generali familia tùm religioſa domi obſeruantia, tùm foris induſtria, ac charitate, tùm denique nitore diuini cultus in eccleſia, quæ accurato diuinorum miniſterio, ſacrarum concionum aſſiduitate, concinna pſallendi ratione viſa priſcæ venerationi nonnihil recentis etiã

digni-

Fauet initijs Aldobrádinus

dignitatis addidiſſe. Et Cardinalis quidem Aldobrandinus, qui inſigni quodam ſtudio Patres euocauerat, cùm reſpondere opinioni Theatinas vigilias, magnoque cum ſuarum ouium fructu laborare noſtros cerneret, gratulatus ſuæ Eccleſiæ pietatis incrementum, fouere patrocinio, affectuque recentes curas, ac iuuare quàm liberaliſſimè noſtram inopiam contendebat. Pœnitentiariæ præſertim munus in principe templo illis attribuit; & quoad ipſe inter viuos egit, duos grauiſſimo officio adeſſe ex noſtratibus Patres voluit, quorum ſedulitatem non modico ſanè ære in ſingulos menſes compenſabat. Eo verò elato, imminutus hic labor, ſedemque in Pontificali Eccleſia miſtrando pœnitentiæ Sacramento vnus retinuit.

Card. Caietani in nos ſtudium.

Qui verò in his ipſis cœnobij Rauennatis initijs noſtram familiam inſigni liberalitate, ac beneuolentia demeruit, Bonifacius Cardinalis Caietanus, Æmiliæ Legatus fuit. Debet Auguſto huic Principi plurimùm vniuerſa Theatina res noſtra, atque ea præſertim domus. Templum ſuis concionibus, valebat quippè in ea dicendi laude non minimùm, perſæpè cohoneſtauit. Chorum à fundamentis non mediocri planè ſumptu extruxit: cogitabatque admouere reliquæ baſilicæ exædificationi manum: ſed præclaram mentem præcidit fatum. Primarium eius Odèi lapidem, ſuo inſcriptum nomine, ſolenni ipſe ritu iecit; tùm eo abſoluto, altare eadem celebritate, ac populorum concurſu conſecrauit.

Et Cardinalis Vidoni,

Geminæ huic Purpuræ, longo licet interuallo, ſucceſſit Cardinalis Vidoni munificentia, qui antequàm ampliſſimo Senatui adoptaretur, eiuſdem Prouinciæ Præſes, domum Rauennatem non exiguis planè beneficijs cumulauit. Etenim præter ſtatam in menſes eleemoſynam, cœnationem de ſuo conſtruxit, atque inſuper bibliothecam, quam & libris etiam inſtruxit; continuauitque ſubindè hanc in Ordinem beneuolentiam peregregiè.

Meſſana Vrbs ornatiſſima,

Alteram nunc domum, Rauenna longè diſſitam, ſtylo iungimus. Meſſanæ ſiquidem hoc anno cœnobium figitur. Clariſſima ea Vrbs eſt, &, ſi antiquitatem ſpectes, principem in Sicilia locum obtinet. Gemino mari nobilis; tuta alluentis freti inconſtantia, ac metu; portu ſupra omnem magnificentiam exculto, longè ornatiſſima; vt interim fabuloſa Charybdis, ac Scyllæ nomina diſſimulem: quæ monſtra naufragijs, ac poëtarum carminibus clara, addere celeberrimæ Ciuitati nonnihil famæ, ac ſplendoris videntur.

Eius in noſtros ſtudium.

Incenſi iam olim fuerant noſtræ diſciplinæ ſtudio Meſſanenſes, in omnem religionis, ac pietatis partem intentiſſimi; & qui ſuæ Ciuitati ornamento, ac fructui non mediocri futuros noſtros homines ſibi perſuaſerant; iam inde ab ineunte hoc ſeculo curauerant, vt eò accederent. Negotium commendauerant Iacobo Gallo, Neapolitano, magni nominis Iureconſulto, qui è Neapolitanis gymnaſijs, vbi ius Cæſareum principe fama explicabat, relicta, neſcio qua oborta contentione, Patria, Meſſanam conceſſerat, eandemque inibi legum facultatem publicè profitebatur.

Dat operam Iacobus Gallus, vt eò noſtri adirent.

Addictiſſimus noſtro Ordini is erat, magnoque viciſſim in pretio à noſtris habebatur excellentis viri virtus. Igitur, vt Meſſanenſium ſtudia demereret Gallus, agere impenſiùs cum noſtratibus cœpit, ac ſummis precibus rogare, vt Vrbem, Theatini nominis ſummè cupidam, adirent. At enim quòd capeſſendę eius expeditionis tempus nondum venerat, caruere ſucceſſu vota: quoad, inſtituto poſtea Panormi cœnobio, inardeſcere acriùs Mamertini Magiſtratus deſiderium cœperit. Ac tùm quidem compoſitis ad Thomam Gueuaram, qui Panormitanam coloniam fundauerat, ibique præerat, literis quàm humaniſſimis, ipſum rogarunt, vt Meſſanam ſe conferret, inſpiceretque coram cùm ſtudia ciuium, tùm idoneum excipiendæ Sodalitati locum. Percupere ſe namque, atque omninò effecturos, vt cum familiæ dignitate, ac commodo contingeret ipſi domicilium.

Dux Feriæ Meſſanenſium ſtudia inflammat.

Quam Meſſanentium in noſtrum Ordinem propenſionem Dux Feriæ, qui tùm Siciliam pro Rege temperabat, vſque adeò probauit, vt datis ad ipſos literis, eorum prolixiùs conſilium commendauerit, incitaueritque vehementer ad id operis, dilaudato magnoperè fructu, qui iã à Theatinis laboribus Panormi exiſteret. Inuitari tùm quidem perhumaniter, atque expeti à prænobili Ciuitate Inſtitutum, gauiſus vel maximè Gueuara eſt, vt qui nouerat, cupere iam inibi domicilium Patres, quod antea recuſauerant. Nam quando, conſtituta Panormitana domo, in Siciliam ſemel adnauigauerant, non ampliùs itineris longinquitas, ac pelagi pericula terrebant: quin immò amplificari in ea Inſula Ordi-

nem opportunum reputabant, vt operarum communione mutuò ſe ſe cœnobia iuuarent. Itum igitur Meſſanam, in qua nimiùm quantùm in noſtram diſciplinam animatū cùm populum, tùm nobilium ordinem, ac Senatum offenderit Gueuara. Loci delectus, quæ princeps in fundando domicilio cura eſſe debet, continuò agitatus: & quòd nullus noſtris vitæ rationibus accomodatus, aptuſque tàm citò occurreret, in eā Magiſtratus Vrbis diſceſſere ſententiam, vt pecuniam ipſi largirentur: cęterùm inſpecta Patres diligentiùs Ciuitate, deligerent ipſi ſitum, ac coëmerent. Quinque aureorum nummùm milliū ſumma ita oblata tùm quidem eſt è publico cenſu, vt plura adpromitteret in dies communis beneuolentia. Id quod cùm Senatus, tùm ipſius Gueuaræ literis delatum ad Eliſæum Nardinum Præpoſitum Generalem fuit, qui ardorem illum ciuium, affectumque in noſtros impenſiùs probauit. Verùm quòd extremam iam præfecturam regeret, inſtarentque generalia comitia, negotium ad ea referri voluit: actiſque interim Meſſanenſibus gratijs, reſpondit, excludi ſe temporis anguſtia, quominùs honorificentiſſimæ eorum poſtulationi cogitationem adijceret: at non dubitare ſe, quin, vti gratiſſima ea vota congregatis in Capitulo generali Patribus forent, ita cum plauſu ſuccederent. Nec aliter planè res cecidit. Quippè in conſultationem vbi Meſſanenſis ea Colonia veniſſet, acceptata ſingulari cum omniū aſſenſu fuit. Tùm ab Angriſano, qui Eliſæo ſucceſſerat, allegatus eò eſt perficiendo negotio idem ipſe, qui inchoauerat, nempè Thomas Gueuara, cui adiunctus Ioſeph Caſtriota, vir prudens, alijque conſtituendæ familiæ, qui non ante Auguſtum menſem huius anni Meſſanam peruenere. In ſumma beneficentiæ, atque humanitatis inter viros proceres contentione ad Antonij Mazzapinti, Neapolitani ædes diuertere. Vir is erat doctrinarum ſplendore inclytus, ac primarius Iuriſprudentiæ in publicis ijs ſcholis interpres, qui exceptos hoſpitio Patres, copioſè ac benignè pro ſingulari in Ordinem ſtudio habuit. Nec diſſimulandum planè eius hic erat nomen, cuius contubernio per menſem, aut eò amplius vſi noſtri homines ſunt; cùm maximè id beneficentiæ expoſcerent rudimenta familiæ. A Mazzapinto tranſitum ad exiguas quaſdam domos propè Diuæ Virginis ab Angelo ſalutatæ, Gentis Catalaunæ templum: vbi & ſacris operari, & habere diebus ſanctioribus conciones, & operam ſacris confeſſionibus aſſiduam dare communi cum morum fructu, atque incremento pietatis occœpere. Nec diù hic morati, ſitum in principe Vrbis loco ad viam, quam ab Aucupe appellant, ſplendidum omninò, ac commodum nacti domicilium inibi ea, qua diximus, publica pecunia coëmerunt; inſtructa pro modo cùm excipiendæ familiæ domo, tùm æde ſacra, quam Deiparæ item Annuntiatæ dedicarunt: ac mox vtramque adiunctis attiguis ædificijs, ope nimirùm, ac auro, partim priuato piorum hominum, partim communi eiuſdem Ciuitatis, amplificarunt: vt tùm quidem, quà laxandæ ſitus areæ, quà contubernio concinnando, ad duodecim aureorum millia expenderint. Qui maximè eius domus exordia complecti, ac iuuare ſtrenuè viſus eſt, is fuit Octauius Aragonius, Simeonis Cardinalis Aragonij, & Terrænouæ Ducis germanus frater, Meſſanæ tùm Prætor; qui vt Panormi Dux frater, ita ipſe Meſſanæ ſtudium in Clericos Regulares, eorumque diſciplinam probauit, certauitque officijs cum Bonauentura, Caltaieronenſi, Patriarcha Conſtantinopolitano, Epiſcopo olim Pactenſi, tùm eius Vrbis Archiepiſcopo, qui pridem Diui Franciſci familiam, quam ab obſeruantia appellant, ſupremis faſcibus adminiſtrauerat. Is, cùm ab hominum induſtria plurimum vtilitatis, ac commodi accedere ſuæ Eccleſ , intelligeret; eſſetque ex ſe ipſe in noſtrum Ordinem egregiè animatus, nihil auctoritatis, atque efficaciæ prætermiſit, quo nouæ familiæ benè eſſet, ſituque opportuno ſtatueretur: nempè vt intentos in omnem iuuandarum animarum occaſionem diligentiſſimos operarios, iuuaret etiam locus. Studia hæc ciuium, ac primorum hominum, tùm collocatam, veluti bono in lumine Sodalitatem, cùm accepiſſet Angrilanus, familiam implgra Sociorum manu adauxit, qui ex ſui inſtituti forma, & aſsidua pſalmodia, & precibus vacare Deo, vitæque contemplatiuæ; & quę eſt actuoſę charitatis indoles, communi animorum ſaluti, ac bono ſedulam dare operā, aggreſsi ſunt: vt adiunxerint ſtatim ſibi omnium animos, pręcipuè procerum, è quorum poſtea ordine, ac ſanguine plerique inſtitutum capeſsiuere, ornauerùntque quà literis, quà moribus.

Cōtendit Meſſanā Gueuara.

Deſtinatur cōſtituendo domicilio pecunia.

Differtur ad comitia negotium.

In quibus acceptatur domus Meſſanē ſis.

Mazzapintus noſtros excipit.

Qui mox ſuū domicilium ſigunt.

Octauius Aragonius ordini fauet.

Et Caltaieronēſis Patriarcha.

Altera

Altera in ijſdem huius anni comitijs, eodemque in Siciliæ Regno agitata colonia est, quæ nonniſi duobus poſt annis, hoc eſt, anno vertentis ſeculi nono, conſtituta inibi fuit: quam tamen, quòd in Sicilia ſtylo verſamur, iuuat hic poſt Meſſanam adſcribere. Ea eſt Platienſis domus, in Vrbe ſcilicet, in Siciliæ vmbilico apprimè nobili, ſitus magnitudine, populorum frequentia, diuitiarum copia, gentis moribus.

Agitatur Platienſis domus.

Communis ea eſt Siculorum pietas, religioſos viros vnicè complecti; at neſcio, quæ peculiaris in noſtrum Ordinem propenſio effecit, vt Platienſes noſtros homines vehementiùs poſtulauerint. Excitauerat nempè illos honeſtiſſima opinio, qua Panormi Theatina ſedulitas deſudabat; ac ſibi ab eius communione inſtituti, ac fructus non minimùm in morum formatione momenti pollicebantur. Quocirca, collatis vnà votis, ac ſimul excogitata percōmoda hoſpitij ratione, ac ſitu, vt allicerent; decreuere, communē omnium voluntatem, ac preces Romam ad Capitulum generale deferre, ac rogare impenſè, vt quando ſplendidiſſimā Regni partem ſuis vigilijs occupaſſent, non dedignarentur, in intimū etiam eius ſinum penetrare, inuenturi, non tàm Vrbis, quàm animorū magnificentiam, ac amplitudinem.

Committitur P. Generali poſtulatio.

Poſtulata Patri Generali examinanda conſcripti Patres cōmiſere. Excuteret ipſe maturiùs rem: tùm ſi conſtaret loci opportunitas: ac fore, vt ibi prouenirent labores noſtri, exſtimaret; mitteret, qui vineam excolerent, ac ſtudijs flagrantiſſimis curarum ſedulitate reſponderent. Explicari negotium non tàm citò potuit; ac videbatur Pater ipſe Generalis ad Regni meditullium lento quidem gradu, ac tentabundus accedēre: præſertim, quòd ſciuerat, non deeſſe ibi procerum aliquot, qui ſtudio quodam partium conſilium interturbarent. At enim, quæ pars Clericis Regularibus fauebat, longè ea quidem maior, & quæ Ciuitatis ſuffragia, auctoritatemque repræſentabat, longioris moræ impatiens, ea quidem incitatioris ſtudij impreſſione, vigoreque animi Angriſanum circumuenere, vt dederit is beneuolentiſſimis ciuibus manus.

Qui eò Cornelīū à Lama allegat.

Igitur, allegatus eò eſt ex noſtris Cornelius à Lama, commodis vir moribus, qui tùm Panormi agebat: fuitque eò ciuibus gratior, quò acriùs, ac diutiùs diuexauerat deſiderium: teſtatuſque lętitiam eſt honeſtiſſimus procerum occurſus, ac campani æris ſonitus.

Andreas Aſſarus Ordinis percupidus.

Domi ſupra communem humanitatem, cultuque, qui religioſi viri conditionem excederet, excepit Andreas Aſſarus, vir ex ea nobilitate primarius, animi perindè ac fortunæ opibus inter paucos inſtructus, qui ſtudio, quo noſtram Sodalitatem eò deducendam curauit, ac munificentia, qua aluit, noſtros ſibi magnoperè deuinxit.

D. Laurentij ædes Theatinis tribuitur.

Viſa exercendæ pietati, regularique obſeruantiæ opportuniſſima Diui Laurentij ædes, quæ à viro quodam ſanctitatis laudè præſigni, qui vitam ibi exegerat, Patris Sancti nomen inuenerat. Parœcia Ciuitatis ea erat; impetratoque cùm Rectorum, tùm Patriarchæ Caltaieronenſis, quem modò nominaui, ad Catanenſem Cathedram iam tranſlati, aſſenſu, attributa noſtris fuit. Quò ſtatim conceſſit Cornelius; vt quando deſcripta iam erat loci familia, expectabatque Panormi ab ſe nuntium, tectum ipſe, vt Theatinum in morē exciperentur, concinnandum curaret.

Matronarum in ea adornāda ſtudium.

In quo quidem plurimùm præcipuarum Matronarum pietas, ac liberalitas eluxit. Etenim adornanda ſibi pro ſuo quæque ſtudio conclauia, omnique ſuppellectili inſtruenda, certatim ſuſcepere; idque ita ad vnguem factum, vt intra religioſam paupertatem, ac munditiam nihil commodi, aut cultus deſiderares.

Noſtratum viciſſim induſtria.

Eximia hæc porrò ciuiū voluntas cumulata mox eſt acceſſu Sodalium, qui in demandatam ſuæ induſtriæ prouinciam ſtrenuè inuolarunt: in id maximè intenti, ne viderentur Platienſes in ignauos, ingratoſque beneuolentiam ſuam collocaſſe. Siquidem tàm domi, quàm foris charitas, quà conſcientijs perpurgandis, quà fingendis moribus, quà corporum, animorumque languoribus mitigandis nullum officiorum, aut laborum genus prætermittere videbatur; accurrebantque promiſcuè cùm è multitudine, tùm è nobilium cœtu homines, vt ab ea Patrum ſolertia, virtuteque proficerent. Illud autem noſtratum induſtriæ teſtimonium fuit planè luculentum. Nam qui in ea, quam innui, concitata à paucis procella minimè fauere noſtro Inſtituto videbantur, dederantque ſtrenuè operā, ne admitteretur; ij ad noſtros ſe ſe potiſſimùm adiunxere, compenſaruntque proniore quodam ſtudio, ac beneficētia quicquid antea iniecerant moleſtiæ, ac moræ, emutato præclaré animi habitu, ac ſenſu.

Diuinæ prouidentię in noſtros ſpecimen.

Fauit egregiè huiuſce domus initijs diuini Numinis prouidentia, ſub cuius potiſſimùm ſignis

Clerici Regulares militant. Pleraque ſuppetunt exempla, ex quibus vnum recitaſſe abundè fuerit Eccleſia, opportuna licet populorum frequentiæ, non eo tamen inſtrui altarium ac ſacræ ſuppellectilis apparatu potuit, qui noſtri Inſtituti rationes deceret, cui id in primis propoſitum, vt diuinus cultus niteat. Igitur, negotiatorem quendam, natione Catalaunum, adit Cornelius à Lama, qui communi rei, vti dixi, præerat, diuitem illum quidem, ſed qui ſeuerè admodùm, ac nonniſi præſenti pecunia rem ſuam extruderet. Vt adornandæ eccleſiæ certam ſericæ telæ vim credat, etiã, atque etiam rogat: fore nanque, vt breui pretium ſolueret. Inſolens hoc viro, apud quem nulla vnquam interpoſita fides valuit. Attamen interno quodam inſtinctu actus, præter morem credidit. Poſtera luce, ecce tibi ſummo mane Andreas Micciché, Conſorti Oppidi Dominus, Cornelium conuenit: & ſe quidem, inquit, ea nocte defunctos ſuos ob oculos habuiſſe, eorumque incenſum flammis, decreuiſſe, aliquid illis ab eleemoſyna refrigerium mittere. His dictis, ad quinquaginta nummos aureos erogauit: quantum, ſcilicet, æri alieno, quod cum Catalauno contraxerat, ſatis eſſet; quem Cornelius in veſtigio temporis adijt, ſolutoque auro, gratias deindè de feſtinata adeò ope Deo, eiuſque prouidentiæ perſoluit. Et mercator quidem ſtudioſiſſimus poſtea noſtri Ordinis fuit, cuius inopiam vſque adeò curæ eſſe Numini viderat. Subſequuta deindè eiuſmodi diuinæ beneficentiæ argumenta; ac liberaliter noſtri in ea Ciuitate habiti. Etenim Vrbs ipſa vltronea munificentia, ac ſtipe ducentos ſupra quinquaginta aureos erogare quotannis è communi cenſu ſtatuit, quibus cœnobij exędificationi in dies proſpicerent. Quibus additus poſtea ad eandem nempè ſubſtructionem à Suſanna Barberina, Salti Oppidi Domina, & à Iacobo Romano, viro nobili, in ſingulos annos eleemoſynę nomine cenſus planè non modicus: præter quotidianas piorum hominum erogationes. Qua quidem ope ſubnixi noſtrates, animatique tanta ciuiũ beneficẽtia ad omnem charitatis, ſuique inſtituti partem, vacare ſtrenuè publicę animorum ſaluti, ſtudioque pietatis videbantur. Cumque id in primis inſtituendis, expoliendiſque mortalium moribus opportunum ducerent; nempè ſi pios domi cœtus inſtituerent, vbi frequentioribus adhortamentis cominùs agerent; non modò è nobilium ordine conflatum ſub Crucifixi Redemptoris ſignis, ac nomenclatione Sodalitium; verùm etiam & reliquis è populo propoſita eſt ſeges virtutis, quam demeterent. His autem ſucceſſit mox ſanctior quidam cœtus, ſingulis ſextis ferijs cogi ſolitus. Pauci hi quidem, ſed quibus vita emendatior, atque ardentior ſpiritus. Hunc Siluester Sclaueta, vir ex noſtris in eiuſmodi pietatis exercitatione verſatiſſimus, excitauit, eo quidem fructu, ac plauſu, vt affirmauerint paſſim omnes, nihil eſſe ea ſchola virtutis ad morum formam accomodatius. Quam ipſam laudem altera ſubindè Sodalitas promeruit, quam Hieronymus Confalonerius, vir pijſſimus, dum Prępoſitum in ea domo ageret, quartis quibuſque anni ferijs inſtituit. Frequentior hęc quidem ex honeſtiſſimis nempè ciuibus, pręcipuè ſacerdotibus: vbi cùm cęterę pietati diligenter vacent, tùm humilitati potiſsimùm litant; contumelijs aſſueſcunt; labes ſuas in medium proferunt, euulgantque ingenuè, humi ad ſui contemptum procumbunt, aliaque id genus probra cùm vltrò petant, toti in eo ſunt, vt exiſtimationem quiſque ſuam, honoremque pro virili atterant, inſigni quidem cum fruge virtutis. Alia item in commune bonum nauarunt confeſtim inibi noſtri, quibus omnium beneuolentiam, affectumque viſi collegiſſe.

Platienſiũ beneficentia.

Sodalitia à noſtris inſtituta.

Anno, vti ſignificatum eſt, huius ſeculi nono fundata hęc Platientis domus fuit. Superiore autem anno Surrentinum domicilium conſtitutum fuerat, quod perturbato etiam ordine hic adnotauerim, vt continuet eandem ſcriptionis materiam calamus. Percelebris in littore Picentino Surrentina Vrbs eſt, è regione Neapolitanę Ciuitatis ſita, interfuſo eo mari, quod à forma Gręci Cratera appellarunt. Inclytę Parthenopes vicinitas, eiuſque liber omninò proſpectus non mediocris quędam Surrenti pręrogatiua eſt: cùm alioqui ſua illi non deſit à ſitu amœnitas, ac dignitas; vt quam hinc ſoli vbertas, hinc ſubiecti pelagi delicię, atque opportunitas apprimè commendent; cuius etiam & antiquitatem Plinianus calamus, & magnificentiam, atque ornatum Statianę Syluę non vno in loco teſtantur. Has verò pręnobilis Ciuitatis laudes cùm priſci bellorum motus, tùm noſtrorum Patrum memoria Turcarum impe-

Surrenti laudes.

tus,

tas, graſſante ferro, ac flamma, miſerandum in modum attriuere. Inſtaurare autem exacti æui damna dum pergunt Surrentini, noſtrum Ordinem, quem perutilem moribus, ac ſplendori Vrbis fore ſibi perſuaſerant, ſũmis votis expetiuere; à quibus aliena quidem Patrum mens videbatur: quippè qui inſtituti rationem, locique frequentiam cùm expenderent, eò immigrare, haud eſſe è re noſtra, reputarent. Verùm, quæ eſt perſeuerantiæ vis, cùm Vrbis Magiſtratus, ac priuati etiam proceres, quos vehementer Hieronymus Prouenzalis Archiepiſcopus pro ſingulari in nos ſtudio inflammabat, ea iterum, ac tertiò vota quàm efficaciſſimè renouaſſent, exorari tandem paſſi ſunt Patres, acceptandumque Surrentinum domicilium decreuere. Deſtinata illis ædes Diuo Antonino Abbati Sacra, cuius inibi corpus iacet, & quem veluti Patronũ, tutelamque ſuæ Ciuitatis publicam præcipua religione ciues colunt, non ſine quotidiano eius beneficentiæ, ac patrocinij experimento. Perantiqua ea quidem Eccleſia, Diuo Agrippino olim nuncupata, cuius poſtea & nomen miraculorum ſplendore inumbrauit, & locum populorum fama occupauit Sanctiſſimus hic Abbas, inibi conſepultus; de cuius vita, ac rebus præclarè, ſanctèque geſtis pauca quædam ad nos monumenta peruenere, manaruntque ab Anonymo quodam auctore, fide, quàm dictionis cultu præſtantiore; quem pridem Neapolitanis typis euulgauit Antonius noſter Caracciolus, ſuiſque animaduerſionibus pereruditè de more exornauit. Sanè, quæ eius eſt in perueſtiganda antiquitate vis, ac facultas, quæ obſcura admodùm in Diui Antonini actis videbantur, admota hiſtoriarum face, eundoque per veſtigia temporũ, egregiè illuſtrauit; ita vt accurata eius ſtyli ſupputatione, quo ille tempore vixerit; quo mortalitatem depoſuerit; vnde ad Surrentinos, atque Agrippinenſe cœnobium euocatus fuerit, planè conſtet. Iam verò excellentis cuiuſdam innocentiæ, ac ſanctitatis virum fuiſſe Antoninum, argumento fuerint ingentia omni æuo patrata ab eo miracula, ac ſucceſſiua Picentinorum religio, præſertim Surrentinæ Vrbis, quæ ſibi pios Cineres, ac patrocinium gratulatur. Quod verò præcipuè ſanctitatis eius famam amplificauit, id eſt formidandum Inferis nomen, ac peculiaris quędam in malos genios tributa illi poteſtas, quam & veteres etiam hiſtoriæ, & Romanum Martyrologium memorant. Et verò, commune eſt eiuſmodi infeſſorum hominum perfugium Surrentinus hic Hercules, monſtrorum, atque Herebi domitor. Illum non è circumiecta modò regione, ſed è reliquo etiam Neapolitano Regno, atque ab extrema Italia voti cauſa adeunt, nunquam ſine præſenti tutela, ac ope. Nam ſuperbiſſimi, ac contumaciſſimi alibi ſpiritus ponere ad Diui Antonini limen faſtum omnem videntur; iniectoque veluti fræno, accipere leges, quas ille dederit, coguntur. Hypogęum, cellamue ſubterraneam, vbi ſacri eius Manes quieſcunt, nullus ſine pio quodam horrore, ac veneratione iniuerit. Hic Diui Antonini theatrum, ac lucta cum Infernis hoſtibus, & palmæ. Noſtri homines vbi hanc ſedem, ac ædem capeſſiuere, tot victoriarum inſpectores, atque adminiſtri fuere; ac longiùs profectò eſſet, portenta hic referre, quæ cernere ſuis oculis contingebat. Vetus mos obtinuerat, vt poſtquàm malos dæmones legitimis euocationibus, ſacriſque carminibus diuexaſſent, energumenos ad columnam quandam arctiſſimè alligarent: tùm obductis cellæ foribus, ad vnum omnes egrederentur, expectarentque interim Diui opem. Quo tempore nunquam planè non admiranda, atque ipſa oculorum fide comprobata, cernebantur. Enimuerò quàm ſæpiſſimè, ac fermè ſemper, quem implicatiſſimis, ac Gordijs planè nodis obligauerant, ſolutum, & quod mirere magis, intactis nodis, inueniebant. Plerumque concinnatæ lampades, accenſique ad aram cerei liberratem energumeni, ac Seruatoris triumphum ea luminum hilaritate celebrabant. Interdum conſtratum floribus, neſcias, vnde lectis, aduectiſque, vernare pauimentũ. Quæ mulieres ſuis ſurijs percitæ, ſoluerant, ac turbauerant comas; eæ nonnunquàm, vt ſolutæ funibus, ita compoſito, atque illigato decenter crine, addito etiam florum ſerto, reperiebantur. Plura eiuſmodi noſtris, exteriſque comperta, quotidiano, familiarique ſpectaculo, recenti ſemper admirationi deſeruiebant: atque ab ea magni Tutelaris poteſtate, ac vi nimiùm quantùm gliſceret in eum ſtudiũ, ac pietas. At enimuerò ſiuè quòd obuium, patratumque ad mortaliũ arbitriũ miraculum quandam ingenerauerit humanæ induſtriæ ſuſpicionem; ſiuè quòd accurſu promiſcui ſexus quę-dam

Euocantur eò noſtri.

D. Antonini templum.

Eius vita ab Antonio Caracciolo edita

D. Antonini ſanctitas.

Et in dæmones imperiũ.

Qui miris modis fugantur.

Adiurãdi malos genios mos interdicitur.

Digitized by Google

dam oboriri incommoda poterant, quæ præcauenda omninò prudentiæ; ſiuè quæ fuerit rei cauſa, certè maiorum zelo, ac prouidentia impoſitus frequentibus hiſce oſtentis modus; cautumque, vt citra admirabilitatem Diui Antonini auxilium aduersùs rebelles genios imploretur. Porrò in Surrentina ea colonia non mediocrem demetunt fructum noſtrates, à quorum induſtria creuit inibi pietas, ac ſacrorũ vſus. Quod verò ad Patrum contubernium attinet, nullibi profectò amœniùs habitatur, exædificato à fundo cœnobio, cui aſpectus Neapolitani crateris, hortique citrijs, atque aurantijs bellè conſiti, marique imminentes ſingularem conciliant venuſtatem.

Cęſar Amphora,

Huic ædificio adfuit communis pietas, præcipuè Cæſaris Amphoræ, viri patricij, probique, qui præter cęteram in noſtrã familiam beneficentiam, hanc domus ſubſtructionem munifica manu iuuit: addictuſque noſtro Ordini is erat, cũ alijs nominibus, tùm verò quòd anno antequàm Surrentinum cœnobiũ conſtitueretur, ad noſtros ſe aggregauerat in Neapolitana Diui Pauli domo Honuphrius Amphora, eius filius, qui poſtea ad generalem Congregationis vniuerſæ prę fecturam euectus, dum id muneris cum laude gereret, eſſe deſijt inter homines.

Honuphrij Prępoſiti Generalis Pater,

Porrò è Theatinis curis extitit hoc anno in Neapolitanam pietatem publicum aliquod emolumentum, non ſine ſplendore diuini cultus, ac celebritate Paulinæ eccleſiæ. Regebat, vti aliàs ſignificatum eſt, Sodalitium, ſuffixo in cruce Redemptori ſacrum, Iuſtinus Barnaba, vir ad aliorum pietatem promouendam factus. Nihil eo cœtu frequentius, ac ſplendidius; quippè quem ſumma Neapolitanæ nobilitatis capita celebrabant; dabantque cùm priuato quiſque profectui, tùm externis proximorum neceſſitatibus egregiam planè operam. Excitandæ Sodalium religioni id in morem inuexerat Barnaba, vt quotannis die ſalutiferæ Crucis Exaltationi ſacra, diuinam in Oratorio Euchariſtiam magnificentiore cum pompa, ac theatro exponerent; ſuccedebatque priuata ea pietas cum fructu. Verùm quòd anguſtior is erat loci ſitus, ac maior indè, atque vberior prouenire ſeges poterat, ab eo Crucifixi Larario in publicam baſilicam anniuerſariam celebritatem tranſtulere. Sed nec ita diù tenuit hęc conſuetudo; ac fructuoſius adhuc opus, ac tempori longè opportunius agitari cœptum. Scilicet, ſolenne id eſt vbique gentium, vt extremis bacchanalibus œſtro quodam percitum, inſaniat hominum vulgus, laxato nimiùm modeſtiæ fræno, ac proniore ad omnia dehoneſtamenta morum licentia. Huic malo cauerant ex parte Neapoli religioſi viri alij, inſtitutis ſupremo bacchanalium triduo publicis precibus: quod quamuis refrænandæ communi licentiæ valdè accomodatum: attamen quo maximè tempore calere vulgus, ac ſolui diſciplina incipit, qui monerent officij, reuocarentque ad frugem mortales, nulli adhuc erant: & plurimi quidem intereſt, obſtare principijs. Ergò optimum factu putarunt Patres, affixa Exaltatæ Cruci diuinorum exercitia ad Septuageſimæ ferias, lubricum nempè tempus, traducere; adaucta præſertim magnificentia, ac ſplendore cultus; vt quà curioſo templi ornatu, quà lectiſſimarum vocum ſuauitate per omnem oculorum, ac aurium illecebram animi ad diuina traherentur. Cœpta fauſtè hoc anno ea pietas, ac ſuggerente nobiliſſimo procerum Sodalitio anniuerſarium adornando operi ſubſidium, ac aurum, cùm hinc sũptus, hinc Theatina mundicies certatim alliciant, familiares, ac præſtantiores iam ſunt hoc bacchanalium tempore Neapolitanorum deliciæ, pia hæc otia, atque exercitia; oblectantque mirum in modum & compacta ad omnem elegantiam moles, & luminum ordo, & variata quotannis rerum facies, & quęſitiſſima concentus modulamina, & ſacrę ad multitudinem conciones. Quę cùm inſequentibus ſubindè Dominicis in pręcipuis etiam Neapolitanis eccleſijs ſucceſſiuè, ac magnificentiſſimo item theatro peragantur, viſus lymphatus ille mortalium furor à continuata ea religione non minimùm deferbuiſſe.

Celebritas in Neapolitano Crucifixi Sodalitio,

Transfertur ad extrema bacchanalia.

Cum populorum voluptate, ac fructu,

Hęc in Paulina eccleſia hoc anno. Quo item anno aucta hęc eadem eccleſia eſt inſigni quodam theſauro, ac tutela, hoc eſt, ſacris, atque innumeris penè Diuorum reliquijs: quod hic non diſſimulauerim. Planè cùm pleraque militantis huiuſce Eccleſię ornamenta, atque opes ſint; non in poſtremis numerandi ſunt Sanctorum manes, oſſa, cinis, quibus nihil, neque ad decus ſplendidius, neque ad munimentum validius. Nam quę membra templa fuere diuini Numinis, magnarumque animarum inſtru-

Diuorum reliquiæ dignę veneratione.

Digitized by Google

inſtrumenta, ac prçclarç Heroum exuuiç, ea honeſtari poſtmodùm diuina virtute,
ac cœleſti quadam vi, par eſt. Spiritualium iſtiuſmodi diuitiarum ſummè cupidus
fuit noſter Ioannes Baptiſta Tuſus, qui vt erat apud pleroſque Principum, atque
Antiſtitū gratioſus, cùm non aurum, non cōmoda ab ijs ſibi polliceretur vir Theati-
na paupertate initiatus; totus in eo erat, vt ſacros potiſſimùm Cineres illorum aucto-
ritate adipiſceretur: ac breui, congeſtis vndique id genus opibus, piè auarus, ac lo-
cuples, priuata pietate, quæ parauerat, venerabatur. Euectus poſtea ad Inſulas Acer-
rarum, id illi cum Paulinis Patribus conuenit, vt aſportaret quidem ſecum pignora,
ac frueretur ſuamet in eos Diuos obſeruantia, quoad viueret: cæterùm redirent po-
ſtea ad Paulinam baſilicam. Id quod, confecto reliquiarum indiculo, obſignatis ta-
bulis cautum voluere. Et quidem vt eximia ea erat in pretioſos eos Cineres Tuſi ob-
ſeruantia, ita haud paſſus deindè eſt, vt vulgari cultu, atque ornatu niterent. Enim-
uerò ijs quàm honorificentiſſimè condendis, deſcripta ad omnē elegantiam peregri-
na quadā idea operis, thecas argento liberaliter, ac pulcherrimè conueſtitas, chryſtal-
lis quàm nitidiſſimis interſtinctas concinnari voluit, non modico planè ſumptu, quē
iuuit magnificè Conſtantia Caretta, Sulmonæ Princeps, cui ipſe à confeſſionibus erat.
Opus quà ſacrorum pignorū, quà conditorij pretio vſque adeò ſplendidum viſum eſt
omnibus, vt latere intra priuatæ domus parietes ſine publicæ pietatis iniuria minimè
poſſe, exiſtimarent. Eapropter cùm hoc anno Paulini Patres ædiculam excitare in
ſua eccleſia cogitaſſent, vt quicquid apud ipſos eſſet ſacri pignoris in ſublimiore qui-
dem eius ſacelli loco ad populorum venerationem collocarent; gratificari ijs magni-
ficè Tuſus voluit: & vt videretur ſpontè donare, quòd aliquando iure contigiſſet,
mortē anteuertere, ac cumulare eius aræ opes domeſtica illa ſua opulentia ſtatuit.
Non exiguum planè auctarium Paulini theſauri eæ reliquiæ fuere. Quç verò illæ ſint,
vndè, & qua fide corrogauerit Tuſus, cenſet ipſemet accuratè in noſtri Ordinis hiſto-
rijs à ſe conſcriptis. Nulla non inibi præclara nomina: ex omni quippè Diuorum
ordine, cenſuque Cineres faſtos conficiunt ſacros, annumque ſua per ſolennia recur-
rentem: quibus ipſe deſcribendis, ne lectores plùs nimio morer, superſedeo. Illud hic
tantùm nolui diſſimulaſſe, inter præclaras dono acceptas à Flauio Cardinali Vrſino
reliquias, ſacroſanctæ Dominicæ Crucis particulam fuiſſe, quam ipſe Cardinalis con-
ſtanter, ac ſuprema vita affirmauit, à Romano Sanctæ Crucis templo, quod à Hieru-
ſalem appellant, habuiſſe: eo nimirùm tempore, quo Gregorius Pontifex Tertius de-
cimus, vt Philippi Hiſpaniarum Regis ſecundi pietati faceret ſatis, eius, quod ibi aſ-
ſeruatur, præclari Ligni partem præcidi iuſſit, Granuela, & Geſualdo Cardinalibus rei
teſtibus qui aderant. Paulinam hanc porrò ſacrarum reliquiarum thecā cumulauit,
ornauitque mirificè Valerij Pagani ſtudium, conquiſitis vndique peracri quadam
diligentia lectiſſimis Sanctorum lipſanis; vt ſyllabum bis centum Diuorum nomini-
bus adauxerit, amplificatis pari cultu, ſplendoreque loculamentis. Quibus & alia
etiam perenni cùm noſtratum, tùm exterorum munificentia acceſſere. Nam Fauſtina
Capycia Latra, Sancti Luciti Marchioniſſa, religioſiſſima Fœmina, ex ſolido argen-
to thecam egregij quidem operis, ſed piorū Cinerum æſtimatione longè ſumptuoſio-
rem, ſuæ erga nos beneuolentiæ monumentū, Diui Pauli eccleſiæ ſupremis tabulis
legauit; excreuitque inſigni eo donario publica Lipſanotheca; quam auxit ſubindè
Vincentius Capycius, ex Clerico Regulari Epiſcopus Gallipolitanus, Diui Caroli Bor-
romæi pileolo, quod eiuſdem Cardinalis Veſtiarij manu Mediolani acceperat; adiun-
ctumque eſt eiuſdem Borromæi pileo, quod antea dono dederat Paulus Sibonus, ex
noſtris item ſacerdos; vt iam à gemina ea purpura nihil regij cultus in hoc reliquia-
rum ſacello deſit. Adhæc, Ioannes Vitellius, Caleni primùm, deindè Caputaquen-
ſis Epiſcopus noſtri Ordinis, Diui Martij ſolitarij, cuius corpus Caleni ipſe reppererat,
prægrande cruris os, ac catenæ partem, qua ſe Diuus ille perpetuò adſtrictū voluit,
Paulino huic reliquiarum conditorio addixit. Fuit hic Martius ſeuerioris cuiuſdam
pœnitentiæ, ac ſolitudinis portentum. Nam vt a Gregorius Magnus memorat, in
faſtigio montis, cui à Dracone nomen, Calenenſis Diœceſis, ſpecum ſibi delegit, cō-
pacta gemina ad murum catena, plumbo ferruminata, atque innexo vtroque ijs pe-
de, exitu inde ſibi æterno carcere interdixit. Planè, nullus vnquam liberiùs ad glo-

In ijs congerendis multus fuit Io. Baptiſta Tuſus,

Illas Diui Pauli templo addicit.

Præcipuè ſalutiferæ Crucis fruſtum.

Hæc pignora adauxit Valerius Paganus,

Et Fauſtina Capycia,

Et Vincentius Capycius,

Et Ioannes Vitellius,

Diuus Martius Solitarius.

a Dialog.

riam

Digitized by Google

Vincentius de Cardenas eandem Lipſanothecam cumulauit.

Et Gregorius Carafa inſigni D. Roſaliæ pignore.

riam properauit, quàm, pedé catenato, Martius. Præterea varietati, ac multitudini ſacrorum horum pignorum nobile additamentum à Vincentio de Cardenas, viro Theatini itidem nominis, factum. Accepit is à Franciſco de Cardenas Patruo, qui in comparandis, venerandiſque Sanctorum exuuijs multus fuit; reliquitque ſub vitæ extremum nepoti religioſo religioſum hoc Legatum, quo nulla planè lautior hęreditas. Denique poſt alias inſignes perindè, compertaſque reliquias corollarium addidit inclyta Virgo Roſalia. Etenim cùm Panormitanam inſpectionem obiret Gregorius Carafa, tùm Præpoſitus Generalis, nunc Epiſcopus Caſſanenſis; fuit, qui quod ſuæ pietati ſepoſuerat grande pretioſi corporis fruſtũ, illi donauerit; quod Neapolim allatum, ritèque recognitum, in ſacra Diui Pauli Lipſanotheca collocatum fuit; vt ſua veluti in areola æternùm vernaret Roſaliæ nomen, ac Cinis. Atque hæc de reliquijs, quæ pulcherrimo opere, ac pereleganter reconditæ, Paulinum templum exornant, ac conſecrant. Præclaræ eæ quidem, nec ſolæ. Nam recenſenda in loco ſuot, quæ poſtea Diuorum corpora Roma allata, viſa integrum Cœmeterium ibi conſtituiſſe.

D. Syri Eccleſia conceſſa olim noſtris à Card. Iuſtiniano.

Genuæ hoc anno laborantem vetuſtate Diui Syri eccleſiam renouare, iactiſque ſolenni ritu fundamentis, à ſolo conſtruere inſtituunt Patres: quod non omittendum, quando in ampliſſimam deindè ædem, ac non modò noſtri Ordinis, ſed Italiæ fermè totius longè ſumptuoſiſſimam, ea euaſit moles. Contigerat hoc Clericorum Regulatium Inſtituto templum iam inde ab anno Chriſtiani Orbis quinto, & ſeptuageſimo, Vincentij Cardinalis Iuſtiniani, ſummæ auctoritatis, ac nominis viri beneuolentia; qui, vti aliàs memoratum eſt, quòd commendata ſuæ fidei ea eſſet baſilica, ac probè intelligeret, fore vt à noſtri Ordinis diſciplina, cultuque ſacrorum non mediocris accederet illi dignitas, Gregorium Tertium decimum ea ſuper re interpellauit, impetrauitque, obſignatis Pontificijs literis, Theatinis locum. Extant penes nos literæ, quæ eximiam inclyti Cardinalis in nos voluntatem poſteritati æternùm adprobant. Illas verò in prima noſtratum hiſtoriarum parte conſultò diſſimulauimus, ac parcimus hic etiam adſcribere. Epiſtolam eiuſdem Cardinalis ad Marcum Paleſcandalum, Genuenſis domus Præpoſitum, qui gratias illi communi nomine de ſingulari eo beneficio immortales habuerat, debere hic oolui: quippè quæ tantæ Purpuræ in nos humanitatem graphicè deſcribit. Sic verò habet.

Eius ad Paleſcandalum literæ.

Reuerende admodùm Pater, literas accepi tuas, quibus pro eccleſia, ac cœnobio Diui Syri, veſtro Ordini Maximi Pontificis benignitate, ac me poſtulante, conceſſo, gratias habes. Gratulor etiam, atque etiam, conſilium perbellè cecidiſſe, ac ſucceſſiſſe conatus, ac labores meos. Simul pro re feliciter geſta grates diuino Numini perſoluo, in cuius honorem, & obſequium in id operis curas, neruoſque inrendi. Porrò in iuuanda, ornandaque re Theatina ipſe nunquam deero: certus, fore, vt meam hanc voluntatem, ac operam veſtris precibus compenſetis. Quod ſanè debetis mihi, non quidem ob collatum hoc beneficium, ſed ob ſingularem in ſanctam veſtram Sodalitatem obſeruantiam, ac ſtudium. Deum precor, vt cedat in ſui gloriam opus, fructu quidem, quem ipſe opto, ac voueo: ac veſtrum omnium orationibus me ex animo commendo.

Eccleſia D. Syri corruit.

Hæc ad Paleſcandalum Cardinalis Iuſtinianus, qui, vt munificentiam cumularet, certa loci tutela ſubindè fuit; ac, ſi quid præſidij enatæ inibi controuerſię, aut quęuis Patrum momenta poſcerent, adfuit ſtatim auctoritate, ac ope. Quod verò ab diuturno iam œuo hęc Diui Syri eccleſia conſenuerat, anno eius ſeculi octuageſimo alterum eius latus ingenti quadam ruina corruit: noctu id quidem, quod diuini Numinis bonitati adſcribendum. Die nanque, vt non ſine graui Patrum ſenſu, totiuſque horrore vicinię caſus accidit, ita, profectò non ſine mortalium ſtrage, in celebri nempè baſilica, accidiſſet. Damnum verò pręſentis ruinę ita affecit Patres, vt pulſaret vehementiùs ab reliqui templi ſenio metus. Vitium quippè non vno in loco fecerat, monebantque propioris fati laborantes vbique, ſolutique parietes. Viſa tùm quidem aliqua ab inclyto Senatu ſpes affulſiſſe, fore, vt templum hoc ipſe à fundo inſtauraret, in gratiarum nempè actionem ob reſtitutam florentiſſimę Vrbi incolumitatem, quam nuper adeò corruperat peſtilentia. At enimuerò, quod pręter commu-

nem

Digitized by Google

nem eam lucem, inteſtina etiam bella, ac turbæ ætatium exhauſerant, appellere ad eas curas, ſumptuſque animum minimè potuit. Et cecidere quidem hac ſpe Patres, ſed non abiecere omninò animum. Nam qui diuina potiſſimùm prouidentia nitebantur, non dubitabant, fore, vt rationem ipſa iniret, qua Dei templo opportunè conſulerent. Itaque quòd intelligerent, vetuſtiſſimum ædificium diù ſtare minimè poſſe, collapſam eius partem, labentemque reliquã molem ita reparare tùm quidem occœpere, vt ſimul nouæ baſilicæ formam, ideamque magnificentiſſimã deſcripſerint: nëpè vt Genuenſium pietatem, diuināque prouidentiã ijs præclari operis lineamentis excitarent, prouocarentque. Anno deindè ſexto ſupra octuageſimum Marcus Paleſcandalus, cùm iterùm cœnobium regeret, explorare rem propiùs conſtituit, inchoauitque, ad deſcriptam nempè formam, ſubſtructionem: aggreſſus, veluti tentabundus, dextrum eius latus: reſponditque adeò piorũ hominum pietas, vt conſequenti mox anno abſoluerit. Longè verò poſtea, hoc eſt, anno ſeculi, in quo ſtylo verſamur, ſeptimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum Ioannes Scurcouillus, tertiùm eius domus Præpoſitus, poſtquàm vniuerſum Ordinem ſexennium adminiſtrauerat, principem templi partem, hoc eſt, odeùm, ac cæterum corpus, abacta penitùs vetuſtate, fundare conſuetis religionibus, ac proſequi conſtituit, ingenti planè fiducia, cùm nihil eſſet congeſtæ dòmi pecuniæ, quæ continuando ſplendido ædificio, animos faceret. Id ſiquidem ſolenne Theatinæ paupertati, aggredi pia quadam temeritate ingentia, quam nunquàm diuinum Numen præſenti ope non adprobauit. Siquidem nullum ſupernæ munificentiæ acrius incitamentum, quàm audax quædam religio, ac fides. Igitur eadem omninò die, qua ante annos duos, & triginta eius baſilicæ poſſeſſionem iniuerant noſtri homines, hoc eſt, Auguſti menſis ſeptima, & vigeſima, eiuſdem renaſcentis fundamenta ſolenni ritu poſita: acclamatumque hiſce veteris templi cunabulis ab omni hominum cenſu, qui celebritatem ingenti planè gratulatione, plauſuque excepere. Lapidi hæ literæ inſcriptæ.

Reſtituitur.

Et mox à ſolo conſtruitur.

Iacitur primus lapis.

> D. O. M. Dinoque Syro Epiſcopo Genuenſi iam pridem erectam eccleſiam, eamque ob vetuſtatem collabentem, Clerici Regulares integram reſtituere, & ornare cupientes, Sext. Kal. Septemb. ann. Salut. 1607. Horatio Spinula Archiepiſcopo Cardinale, Pauli V. Pontif. Max. ann. tertio primum lapidem poſuere.

Eius inſcriptio.

Templum hoc porrò ad quam breui magnificentiam, cultum, ſplendorem peruenerit, & nos alibi innuimus, & explicari abundè ſimplici ſtyli ductu nequit. Diceres ab opulentiſſimis exædificatum: planè vt inſolens videri paradoxum poſſit, religioſos viros, ſummæ inopiæ mancipatos, tàm ſumptuoſam ſuſcepiſſe excitandam baſilicam, ac perfeciſſe. Sed dilaudanda decumana nobilium, piorumque ciuium liberalitas, quæ viſa cum ædificio ipſo certare: vt eo ipſa munificentiùs adiumenta ſuppeditaret, quò ſurgeret magnificentiùs templum. Appellari hic poſſent ſatis multi, qui opus non mediocriter iuuerint: ſed viſi palmam cæteris præripuiſſe Thomas Lomellinus, & Camilla præſtantiſſima coniux, qui cætera quidem vnanimes, conſpiraſſe nihilominùs in ſacram hanc ædem peculiari quadam animi conſenſione videri voluere: vrgebantque non modò ſuo ipſi auro opus, verùm & alios etiam præclaro exẽplo prouocabant. Neque prima ea erant illuſtrium coniugum munificentiæ documenta. Etenim excitauerant iam ad dexterum baſilicæ latus, quod extructum ſuperioribus annis diximus, ædiculam, Virginis puerperio ſacram, marmorum cruſtis quàm ſplendidiſſimè loricatam, cælaturis præterea, ſignis, vi gemmarũ, atque omni ornamentorum genere planè conſpicuam, quam & ſacro omni inſtrumento, cultuque ſplendidiſſimo inſtruxerant. Debet ſanè plurimùm tàm luculentæ liberalitati cùm Diui Syri domus, tùm noſter Ordo vniuerſus. Quando ita vni affixæ loco eorum curæ eſſent, vt latiùs etiam pertinerent. Siquidem Camilla præſertim, vt videretur, in commune etiam Congregationis cõmodum incumbere, in Romanum Diui Silueſtri domiciliũ, hoc eſt, principem Ordinis ſedem, ac caput deriuare opes ſuas voluit, amplificata baſilicè Quirinali ea Domo: quod quia aliàs cõmemorauimus, parcimus hic

Ciuium in eo opere liberalitas.

Præcipuè Thomæ Lomellini, & Camillæ coniugis.

hie reponere. Idque interim etiam, atque etiam gratulamur, priſea ornatiſſimę fœminæ, virique ſtudia haud quidem illorum cineri immortua; ſed tranſmiſſa hęreditatis quodam iure, ita adhuc extare, vt repręſentet priſcã ſuorum in nos beneuolentiam poſteritas. Reuertimur ad Genuenſem baſilieam: & quando Lomellinam ædiculam meminimus, delibet & alias calamus. Non vltimum ſiquidem tantæ ædis ornamen-
Hieronymus Serra ſacellũ excitat. tum eſt pulcherrimum in ſacellis magnificentiæ certamen. Et ad dexteram quidem partẽ principem locum obtinet ſacra Marianæ Aſſumptioni cella, quam exeitauit, ornauitque vario marmore, auroque, atque ab excellenti artificum manu picturis Hieronymus Serra, abundè aliàs à ſplendida in noſtros charitate, cum de Genuenſi lue egimus, dilaudatus. Ad hoc ſacellum vt viro benemerentiſſimo Patres gratificarentur, altare priuilegiatum tranſtulere; ac poſtmodùm, vt inſigni loco pretium adderent ſacro cinere, Diui Felicis corpus, quod ad aram maximam conditum erat, eò etiam aſportarunt. Compenſabant nempè eiuſmodi gratitudinis argumentis viri promerita. Dedicata præterea Diuæ Virgini Senenſi ara à Gente Centuriona, ſolido,
Et Gens Centuriona, ac maculoſo etiam marmore, cultuque cæteris non abſimili exornata; cui addicta,
Et Laurentius Inurea. religioni amplificandæ, non vulgaris ſuppellex. Laurentius Inurea ſuum etiam Sacellum Deiparæ à Pietate nuncupauit. Ornatiſſimum id quidem, quà materiæ, quà operis pretio; commendantque pręſertim columnę, ſimulacra, ac princeps Marianę
Et Io. Iacobus Imperialis. pietatis ab laudatiſſimo penicillo Icon. Claudit dextrum hoc latus Ioannis Iacobi Imperialis Sacellum, diuinæ Sapientię perquàm appoſitè nuncupatum; à viro nempè, quem deindè ſingularis quędam ſapientia ad ſupremos ſuę Reipublicę faſces euexit. Nulli is ſumptui pepercit, vt munditijs, atque elegantijs omnibus niteret locus: viſus eo etiam nomine peculiari quadam munificentia in opus incumbere, vt ſtudiũ, quo Ordinem complectebatur, oſtenderet: debemuſque profectò Viro Conſulari, ac
Et Pinelli, Principi, eiuſque aſſiduę, cumulatęque liberalitati ſanè plurimum. Siniſtrorſum ſi vergat calamus, obijcit ſe ſe à Pinellis inſtructa ędicula, cui ſuus etiam, nec vulgaris quidem à peregrini marmoris ornatu, cęteraque magnificentia ſplendor: cumque alia ſubindè cultu pari ſuccedant Diuorum Conclauia, non poſtremo ſane loco cen-
Maſſæ Principum ſacellum. ſenda, quę nuncupata Beato Andreę Auellino eſt ara, quam Maſſę Principes ſui ſplendore nominis ornant. Ceſſere hi quidem Patribus, quę ſui iuris erat, aram eccleſię principem: Patres verò excitare viciſſim, atque ornare aliud ijs ſacellũ polliciti ſunt, quod cœptum iam, magnificè proſequuntur, ac ſedulò; quando illuſtris eius domus res agitur, quę noſtrę diſciplinę officijs, atque inſigni patrocinio vnicè, ac ſemper ſtuduit; perennatque beneuolentia non mediocri cum Ordinis dignitate, ac fructu. Atque hęc de fundata ritè hoc anno Genuenſi eccleſia, quę ſub id tempus ſacra etiã, pretioſaque ſuppellectili ad inuidiam augetur, certantibus in ea beneficentię laude illuſtribus matronis, viriſque primarijs: planè vt nihil ad diuini cultus nitorem, atque amplitudinem deſiderari in ea poſſit.

Fuere hoc anno è noſtratibus, qui è tacitis regularis diſciplinę rationibus ad publi-
Petrus Antonius de Ponte, cum Eccleſiarum regimen prouocati, Inſulas capeſſiuere. Petrũ Antonium de Ponte
Ioannis Franciſci filius, aliàs meminimus. Fuit is Ioannis Franciſci de Ponte, Murconi Marchionis filius, percelebris Neapoli viri, quà doctrina, quà rerum vſu: vt qui in aula Hiſpanica apud Philippum Secundũ Regem Itali Conſilij olim Regens, poſtea Neapolitani, vt aiunt, Collateralis Decanus fuit; ac poſtremò abdicatione prę clari muneris longè maior, Clericus Regularis, vt dicemus. Petrus Antonius ex equite Hieroſolymitano noſtrum Ordinem inijt, vir poſtea ad omnem ingenij, atque eloquentię laudem factus. Nam Philoſophica, ac Theologica Romę noſtris in ſcholis profeſſus diù eſt, ineratque peracuto quidem viro perſpicua quędam docendi ratio; qui rarus in gymnaſijs nexus. Eius verò dicendi facultas vſque adeò per Italiam inclaruit, vt dominari inter pau-
Eloquentia percelebris. cos, ac primos eius videretur facundia. Adiumenta naturę, conficiendo Chriſtiano Oratori, confluxerant in ipſum omnia. Aſpectus illi gratiſſimus perindè, & grauiſſimus, qui momentum conciliandę beneuolentię non modicum habet: delectus verborum, vt non quęſitus, ita nec admodùm neglectus; actio virilis, ardens, & quę mores, non aerem, aut auram peteret. Ad hęc, vis laterum, ac pectoris robur, extirpandis vitijs, peridoneum. Nouerat viri pręſtantiſſimi partes Paulus Quintus Pontifex,

ac

ac primò quidem in eo Auguſtorum Patrum Concilio, quod in læſæ fidei reos extra ordinem conſtituit, Theologi, ac Conſultoris munere fungi illum voluit; quo in officio eruditionem, ac ſolertiam ſtrenuè probauit ſuam. Tùm, elato Iacobo Aldobrandino, Troiæ, quę Vrbs eſt in Apulia, Epiſcopo, ad eam Cathedram Maio menſe huius anni admouit; poſtquam lapſis proximè Quadrageſimæ ferijs Romæ incredibili cũ omnium ordinum adprobatione, plauſuque aulæ declamauiſſet. Igitur ritè inauguratus, ſtatim Eccleſiam ſuis curis commendatam, petijt; in qua poſtea dum ſuarum ouium inſtitutioni, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ accuratè incumbit, vocatus à Paulo Pontifice, ad Ferdinandum Auſtriacum Archiducem, poſtea Matthię Auguſti adoptione Bohemię, ac Vngariæ Regem, poſtremò Cœsarem mittitur Internuntius: obijtq. honeſtiſſimam legationem cum aſſenſu tùm Pontificis, tùm Ferdinandi.

S. Officii Conſultor a Paulo V. renunciatur.

Mox Troiæ Epiſcopus.

Ad Ferdinandum Auſtriacum Nuntius.

Alter, quem hoc anno euehi ad Epiſcopalem Sedem contigit, fuit Aloyſius de Frãchis, Neapolitanus, Vincentij filius, viri in Neapolitano foro ſummi, qui Conſilio, quod à Sancta Clara appellant, pręfuit ſupremo iure, & filios, quos plurimos ſuſcepit, quà toga, quà Infulis cohoneſtatos rara Patris felicitate vidit. Ex ijs fuit Aloyſius, qui florenti admodùm æuo Deo ſe in religioſam ſeruitutem dedicauit, inſtructus in Ordine optimis, quà moribus, quà doctrinis. A Paulo Quinto Pontifice impoſitus Æquenſi primùm Eccleſiæ, tùm Neritonenſi fuit; impleuitque vtrobique egregiè ſui muneris partes. Quippè, cùm non ſua, ſed aliorum commoda curare Epiſcopum oportere, intelligeret, conſulere accuratè ouibus ſuis ſtuduit, liberali præſertim in pauperes pietate, quorum ſe conſtitutum Patrem putabat.

Aloyſius de Franchis Epiſcopus Æquẽſis, mox Neritonenſis.

Annectendus his eſt Michael à Conſulibus Barolitanus, dictus inſequenti mox anno Soræ Epiſcopus. Recuſauerat is quidem non ita multò ante Capreenſem Eccleſiam, vt qui religioſo inſtituto addictus, auelli à ſuis ęgrè patiebatur; ſed accedente deindè altero Pauli Pontificis imperio, detrectare onus nequijt. Elucebant in pręſtãtiſſimo viro præclara animi ornamenta. Doctrinarum præſidijs apprimè inſtructus, Pontificij præſertim iuris cõſultiſſimus fuit. Irregularitatum materiam, planè multiplicem, implexamq. iuuandæ memoriæ, mira quadam facilitate in tabulas redegit. Eccleſiarum Viſitationis ideam quandam adornabat: aderat quippè Diuo Carolo Borromæo in Mediolanenſis Eccleſiæ inſpectione, à cuius vſu, ac ſuo etiam ſtudio cõcinnare perutilem illum commentarium inſtituit, quem expolire ad vnguem minimè potuit. Admotus nanque Soranis curis, cùm maximè opus elaboraret, non ita poſt multò exuit mortalitatem. Quòd verò ad vitæ innocentiam, probitatemque attinet, vir fuit Michael, morum laude, vſuque virtutum ſpectatiſſimus. Religioſæ diſciplinæ, legumque noſtrarum cum primis tenax. Prudentiam communes curæ, atque adminiſtrata cum laude præcipua Congregationis munera commonſtrarunt. Charitatem in difficillima arena egregiè probauit. Ex ijs nanque fuit, qui, graſſante Mediolani lue, ęgrotantium ſe ſe miniſterio per ſummos labores, atque inſigni contẽptu mortis addixere. Cœteram autem virtutem conſtans inter nos de eius animi integritate opinio ſatis deprædicabat; ac teſtatus deindè eſt Soranus Populus. Enimuerò cùm vix ſemeſtre ſuam rexiſſet Eccleſiam, ea præclaræ indolis, ac ſanctimoniæ documenta dedit, vt iam communi fama vir haberetur ab omni officij, ac morum parte perfectiſſimus. Quare breui è viuis ſublato, ea ciuium in optimũ Antiſtitem pietas exarſit, vt veſtium lacinias certatim præciderent: fuitque ardentioris ſpiritus ſacerdos, qui intempeſtiuo quodam deuotionis impetu abreptus, digiti particulam abſciderit, in quem graui poſtea interminatione agi oportuit: vt reſtitueret. Adaucta deindè eſt ſummæ integritatis opinio. Recognito ſiquidem poſt menſes aliquot tumulo, non modò nulla inde odoris grauitas manauit; verũ etiam integrum repertũ cadauer fuit; quod omnium maximè admirationi deſeruijt, qui obeſo nimis corpore Epiſcopum, putabant fore citiùs colliquandum.

An. Dom. 1608. Michael à Cõſulibus Epiſcopus Soranus.

Eius ſtudia.

Et virtus.

Sorani populi in eũ pietas.

Sed quando eos meminimus, qui ad Eccleſiarum regimen ſub id tempus ſunt euocati, meminiſſe hic etiam raptim Alexandrum Porrum, haud ſanè pigebit; qui hoc anno ſeculi octauo Theatinam inijt diſciplinam; ſed anno deindè quinquageſimo publico eiuſmodi muneri deſtinatur. Mediolani nobili loco natus, ibidem in Ordinem eſt adoptatus. Poſt ſpiritus rudimenta, addictus ſcholaſtico pulueri, bonitate ingenij

Alexander Porrus.

inter æquales maximè floruit; quo diſciplinas mira felicitate exhauſit. Maturus deindè æuo, quòd inſigni prudentia valeret, publicis Religionis euris admotus, per omnes honorum gradus vim iudicij non noſtratibus modò, ſed exteris, ac ſummis etiã viris probauit: vt ab hac potiſſimùm ſolertiæ opinione Franciſcus Cardinalis Barberinus, regnante Vrbano Pontifice Patruo, illum aliquando in Germaniam grauiſsimi negotij conficiendi cauſa allegauerit, quod aliàs adnotandum. Romæ dum Procuratoris, vt vocant, Generalis munere fungitur, agente Cardinali Triuultio, qui eius opera, atque eruditione vſus diù fuerat, Bobienſi Cathedræ, quæ in Inſubria quidem eſt, ſed Genuenſibus Inſulis ſubeſt, ab Innocentio Pontifice Decimo imponitur. Doctrinæ ſpecimen id ſtatim edidit vir egregius. Nam die Octobris quinta renunciatus Epiſcopus, die ſtatim ſeptima examen de more ſubijt, ingenti cum omnium approbatione ac plauſu; quod niſi qui præſenti ingenio, doctrinaque valeret, præſtare minimè potuiſſet. Bobium deindè petijt, atque ab ipſo vigiliarum tyrocinio nonniſi opportuniſſima in commune commodum pollicetur.

Epiſcopus bobienſis.

Vnà cum Alexandro Porro, eodem videlicet anno ſeculi quinquageſimo, Inſulas capeſſit Andreas Lanfrancus Neapolitanus, quem Philippi Catholici Regis Quarti iudicia Vgẽtino Sacerdotio cohoneſtarũt. Fuit is Andreas Andreę Lãfrãci Senioris, viri à doctrinarum prçſidijs, ac literarum monumentis non obſcuræ cùm apud noſtros, tùm apud exteros famæ, nepos. Et iuniorem hunc quidem, ſi vim ingenij, atque eruditionis ſpectes, parem illi dices: ſuperauit verò dicendi facultate, quæ ſanè inerat nõ mediocris, gratia, geſtu, voce, aſpectuque ipſo auditorum animos concilians. Nouere illum Italiæ ſubſellia. Sed in Hiſpania ſacræ eius eloquentiæ longè maior contigit fama: vbi cum omnium aſſenſu diutiùs declamauit, ac tandem inter regios eccleſiaſtas adoptatus, viſus Regis aures Italica facũdia ſuſpendere. Hiſpanicæ rei noſtrę, cui ipſe præfuit, ab hac aulæ, Regiſque beneuolentia non minimùm ſanè profuit; potuitque in fundando potiſsimùm Matritenſi cœnobio operam longè accurariſsimam; vt rem planè difficillimam penè ad vmbilicum perduxerit. Vgenti deindè Epiſcopus creatus, ac Romæ inauguratus, Cathedram, quam ſtatim petijt, annum haud integrum tenuit, functus vita; atq. interciſa immaturiùs ſpe, quam à viri ſolertia, ac zelo de eius Eccleſiæ incrementis populares conceperant.

Et Andreas Lanfrancus Epiſcopus Vgentinus;

Regius in Hiſpania Eccleſiaſtes,

Immaturè moritur,

Quod Præſulis fatum aliorum eiuſmodi funerum ſtylum monet. Exceſſere nanque eodem hoc anno voluentis ſeculi octauo tres item ex noſtratibus Antiſtites; vt viſa profectò mors fuerit in Theatinas Inſulas hoc maximè tempore collimaſſe. Hilarius Correſius Policaſtri obijt Septembri menſe, poſtquam eam Cathedram, in cuius rectione Philippo Cardinali Spinello ſucceſſerat, triennium tenuiſſet. Eius adiumenta literarum, ac peridoneam regendis populis indolem in loco explicauimus. Decembri menſe Corrone abijt ad pauciores Thomas à Montibus, Alexandri à Montibus, Achaię Marchionis germanus frater. Sedem ad decennium procurauit conſtanti quodam tenore recti, ac ſancti. Floruit potiſſimùm eo Rectore Cleri diſciplina, ac diuini cultus mundicies. Tùm quæ boni Præſulis partes ſunt, Eccleſiæ patrimonio fouere inopes; hoc ipſe egregiè, ac liberaliſſimè præſtitit, partito cum pauperibus cẽſu: quorum deindè lachrymis, ac ſenſu peracerbo parentatum honeſtiſſimè Thomæ fuit. Nullæ ſiquidem celebrantur ſplendidiùs exequiæ, quàm quas pauperes lugent. Clauſit item hoc anno ſupremùm diem vir ab eximia morum innocentia, & à doctrinarum laude, ſacriſque præſertim literis longè commendatiſſimus. Fuit is Antonius Agellius, magni olim Sirleti Cardinalis alumnus, quem vt orientalium linguarum vſu, ſacrorumque Codicum ſtudio æquauit, ita editis literarum monumentis, atque in commune compendium lucubrationibus, longè ſuperauit. Summis Pontificibus, quos plurimos eſt emenſus, apprimè commendatus. Eius fidei, ac eruditioni Hippolytum Cardinalem Aldobrandinum commiſit Clemens Pontifex Octauus, qui & ipſum Epiſcopum Acernenſem renunciauit; ac mox vt Eccleſię bono Romæ hęreret, eo munere abſoluit, attributo aliundè cenſu, vt dignitatem, ac ſtudia ſuſtentaret. Quæ ſcripſit, recognouit, emendauit, tranſtulit, edidit, aliàs ſusè recenſui. Nihil eius ſcriptione accuratius, copioſius, grauius. Romę, vbi diù Clericus Regularis, & Epiſcopus in omniũ laude, & luce eſt verſatus, doctiſſimus, ac viua quædam bi-

Hilarius Correſius Epiſcopus moritur.

Et Thomas à Montibus.

Et Antonius Agellius;

Vir à ſtudiis percelebris.

Digitized by Google

bibliotheca audiebat. Commentaria in Salomonis prouerbia, inchoata ea quidem, nec dum ad auctoris iudicium, limamque exacta, quòd haud æquum erat, deperire quid pretioſæ lucubrationis, diù preſſa, aſpexere tandem lucem Aloyſij Nouarini operat: ac neſcio, cui plus debeant literæ, Agellio, qui ſcripſit, an Nouarino, qui ſuis opuſculis adſcripſit? Certè, vt magnum eſt, ſua cudere, ita planè dignum laude, aliena in lucem vindicare: nec parum quidem eſt, ita nitere in propriis bonis, vt accedat etiam ab aliorum vigilijs decus. Et Nouarino quidem non hos modò Agellianos labores acceptos refferimus, ſed plura etiam ſcriptorum monumenta dum ſuis addit, aſsuitque purpuræ purpuram, de communi eruditione quàm optimè meretur. Decades præſertim Antonij noſtri Caraccioli, viri doctiſſimi, in inſignia quædã diuinæ ſcripturæ loca perierant, niſi is ſuis literis commendaſſet: gaudetque modò Caracciolus in Nouarini areolis repubuiſſe flores ſuos: Porrò Agellius tot laboribus, ſtudijſque exhauſtus, Romæ hoc anno eſſe deſijt inter homines, profundiore quidem æuo: nam ſextum ſupra ſeptuageſimum ætatis annum exceſſerat; ſepultuſque cum ſuis eſt in D. Silueſtri cœmeterio: etſi, agente poſtea Cardinali Ceſis, Viro ſapientiſſimo, qui eius virtutem, eruditionemque maximi ſemper fecerat, tranſlati in Eccleſiam eius cineres, excitatoque ad æui memoriam lapide, collocati ad ipſiuſmet cœmeterij limen fuere.

Eius in Salomonem Commentarii editi Nouarini opera.

Qui & Antonij Caraccioli Decades euulgauit.

Poſt Infulata hæc funera objicit ſe ſe mors, ac virtus pijſſimæ Virginis Bononienſis, cui nomen Pudẽtiana Zagonia, quæ hoc anno Bononiæ deceſſit, ſepulta in noſtra D. Bartholomæi eccleſia; vbi quòd inſtituta ad omnem morum ſanctitatem, atque expolita ad vnguem fuerit, noſtræ diſciplinæ alumna, habitu licet alia, meritò noſtris illam faſtis inſerimus: quod noſtræ huic hiſtoriæ non inſolens. Neque verò eximiam eius indolem, atq. animi ornamenta deſcribere copioſè, animus eſt, ſed ex parte quidem, ac paucis. Nam qui integram eius formam intueri graphicè delineatam cupit, habet de rebus ab ea geſtis elaboratum fusè commentarium, ex quo non ipſam nos Pudentianam, ſed quandam eius vmbram excerpimus; ne deſiderari in noſtris hiſtorijs aliqua ſaltem tantæ virtutis lineamenta videantur. Igitur, Patre farcinatore orta nobilis Virgo, cunas abſtinentia nobilitauit. Singulis nanque ſextis ferijs, indicto ſibi auſteriore quodam ieiunio, lacte abſtinuit. Infantiam verò charitas in pauperes commendauit. Erogare ſiquidem egenis ſolita erat quinquennis puella, quicquid illi panis, vt meridiaretur de more, parentes dabant. Creſcente deindè æuo, incredibilis quædam oris elegantia, ac forma iccircò effloreſcere in ea viſa eſt, vt virginitatem pulchriùs commendaret. Enimuerò matura iam viro, vt mortales nuptias anteuerteret, caſtimoniæ propoſitum concepit, ſanciuitque mox voto. Id autem planè admirandum. Nam cùm parentes, ignari ea religione, tradere illam nuptui cogitarent, ac iã penè confecta res eſſet, ad Chriſtum ſponſum confugit, rogauitque, vt morbos immitteret, qui exauſto vigore corporis, corruptaque formæ gratia, thalamos luderent, ac parentum vota: imitata Beatam Coletam, vti Surius narrat, quæ eiuſmodi fermè precibus integritati, pudoriq. ſuo cauit. Nec mora: adfuit optata ea lues, quæ vires, opeſque corporis vſque adeò affecit, vt quiduis aliud cogitare, quàm nuptias, de ea oportuerit: redemitq. Pudentiana nõ exiguo ſanè pretio, nempè valetudine, Virginitatem; quam quidem vt externo etiam habitu cohoneſtaret, adoptari ad D. Franciſci regulam, quam Tertij Ordinis vocant, poſtulauit. Additæ illi ab eo indumento, ac cinere acriores ad perfectionem faces fuere, vitamque inſtituit Seraphico Inſtituto planè conſentaneam; auſpicijs videlicet, nutuque expertiſſimi moderatoris, quo nihil in eiuſmodi virtutis, rerumq. diuinarum ſchola magis neceſſarium; præcipuè fœminis, quas exerrare ſæpiùs, ac falli, aut naturæ facilitate, aut dæmonum aſtu contingit; niſi certa conſultiſſimi confeſſarij documenta, ac leges regant. Atque in hac quidem ſpiritus formatione præclarè cum Pudentiana actum, diſciplinæ, fideique tradita Syluij Bruni, viri ex noſtris, vti aliàs meminimus, à literis, atq. à pietatis ſtudio laudatiſſimi, cui & peculiaris quædã inerat fingendorum morum facultas, atque ab vſu peritia. Qui quidem præclaram Virginis indolem, atque inſtitutum ad perfectionẽ iter, tùm arcana quædam diuinæ charitatis dona, ardoremque ſpiritus illicò cognouit; gratulatuſque in ſinu eſt tantam in egregia puella innocentiam, ac diuinorum ſenſum.

Pudentiana Zagonia Bononienſis moritur.

a Io. Andr. Rena typis Bonon.

Eius ab incunabulis virtus.

Virginitatem vouet.

Tom. 2. pag 70

Tuendoque voto morbos impetrat.

Accipitur in Syluij Bruni clientelam.

Quæ

Digitized by Google

Quæ tamen virtutum ſtudia, ac collata diuinitùs in illam munera attritu etiam, ac ſeueriore mox diſciplina periclitari, ſuarum partium duxit. Accidit quippè non rarò, vt quod ſolidum aurum putas, in ſpeciem niteat: fallitque bracteata perſæpè virtus. Quncirca nihil ijs rerum initijs Syluio moroſius, auſterius, difficilius. Nunquam humaniore illam vultu, verbiſque, non ad aſperitatem quandam compoſitis, excipere: modum precibus imperare: improbare voluntarias, atque aſſiduas corporis iniurias, atque omninò interdicere: diſtincta per quadrageſimas ad Franciſcanæ abſtinentiæ leges ieiunia, partim indulgere, partim abrogare: tentari illa extaſi ſolita erat, hanc vt, illata vi, cohiberet, frænaretque charitatis impetus, præcipere: quòd ſciret, moleſtiſſimũ illi ab altaris Sacramento auelli, iubere identidem ex abrupto, ne accederet. Ad hæc, contumelijs minimè temperare: ſuperbiam, hypocriſim, ignauiam obijcere: ab ſe interdum expellere; veluti quæ confeſſarij patientiam contumacia vinciſſet: nihil denique prætermittere, quo & eius frangeret voluntatẽ, & intimos animi ſenſus quàm ſtudioſiſſimè exploraret. Diutiùs tenuit peracris lucta, in qua nullũ non illa ſolidæ virtutis ſpecimen dedit. Immutari vitæ rationes, fraudari vſitatis piorum operum exercitijs genium, ſolatia, atque alimenta ſpiritus minui, in ipſo pietatis ſtudio exprobrari, conuicijs immeritò laceſſiri, non ea profectò fuere, quæ Pudentianam de gradu mouerent. Obſequi, parere, tolerare, hoc denique ſummum eſſe ſanctimoniæ faſtigium; humilitatemque, ac ſui victoriam longè potiorem, quàm cœli delicias, reputabat. Et Syluius quidem, vt ipſemet teſtatus non ſemel eſt, facto hoc virtutis periculo, cùm perdiligenter deindè ſecum ipſe expenderet, quid addi ad ſupremam vitæ, morumque perfectionem præſtantiſſimæ Virgini poſſet; conficiebat, non modò nihil in ea prorsùs deſiderari, ſed quæ ineſſent virtutum præſidia, communem modum, rationemque excedere.

Qui inſtitutionem ab humilitate auſpicatur.

Hæc modò virtutum ornamenta, quæ ſub eo præceptore excoluit Dei ſerua, curſim enarrabimus; præſtantiores nempè earum actus, ne moretur ſtylum rerum lacinia. Id autem primo loco cenſeri poſcit, quod in delicatiore Virgine, atque ingentibus paſſim morbis conflictata, dignum planè admiratione fuit: nempè ſui odium, atque acris vindicatio. Virtutis curſum vix cœpit, cùm corpus frænum pati docuit, ne refractaria deindè ſenſuum contumacia profectus ſuos moraretur. In delicijs cilicium habebat, cuius cùm non ſufficerent morſus, vrticas etiam, atque horrentes aſparagi ſpinas adprimere nudo pectori ſolita erat. Funem, nodis aſperrimè interſtinctam, tàm arctè adſtrictam lateri aliquandiù geſtauit, vt intimè non ſine vulnere adhæſerit, abſtracta etiam pelle, cùm ſolui contigit. Idem à ferreis catenis, ac repetitis interdiù, noctùque flagris cruciamentum. Qua quidem diuerberatione certis anni temporibus, præſertim per pluſculos ante Pentecoſtes ſolennia dies, quos Sancti Spiritus quadrageſimam appellabat, ter in die inceſſere corpus conſueuerat: idque infirma etiam valetudine; vt mitiorem non redderent morbi, ac ſui commiſeratio. A lenta quadam febri per annum ita laborauit, vt nulli ægritudinem aperiret: ſcilicet, ne cogeretur, molliùs, quàm ſupra aſſerem, cubare; & ne medicorum denuntiatione, ac iuſſu cæteris ſibi rigoribus interdiceretur. Inter voluntaria verò corporis incommoda ſtrictiore præſertim annona carnem macerabat. Nam cùm plures per annum quadrageſimas ſolenni abſtinentia celebraret, adderetque religionis cauſa ieiunijs ieiunia, tùm in quotidiano ipſo victu vſque adeò parca erat, vt auiculę dimenſum minimè excedere videretur: Cùmque modicis, ac vilibus, prauique ſucci edulijs vteretur, breui accidit, vt illam ſtomachus deſtitueret: adeò vt, ſuccedente mox febri, defectiſque omninò viribus, deplorata eius ſalus videri poſſet, niſi præſenti quadam ope, ac planè admirabili adſuiſſet Deus. Enimuerò, cùm nec exigui quid iuris exſorbere infirma poſſet, diuino quodam inſtinctu ſoror, quæ aderat, affata in hæc verba Crucifixi imaginem eſt: Quid ſi poculum hoc in aquam, quam Samaritanæ olim mulieri pollicitus es, commutares? Quod vbi audiuit Pudentiana, erecta impulſu quodam: fiat, inquit, ac crucis ſignum in potionem efformauit. Mirum dictu: verſum in limpidiſſimam ſtatim aquam iuſculum eſt, ex qua recreatæ vires, veluti quid valentiſſimæ ſorbitionis irrigaſſet membra, confirmaſſetque. Id quod iterùm accidit, præſente Syluio Bruno, qui periclitari clientis ſuæ vim, ac meritum cum eius

Pudentianæ vitę aſperitas.

A nimia abſtinentia ſtomachi languor.

Qui curatur mirè.

eius ſalutis compendio voluit. Porrò ab hoc ſui corporis odio id illa contendere videbatur, vt animi motus, ſenſuſque omnes in poteſtate haberet. Quod an aſſequuta ad vnguem fuerit, docet ſingularis, ac nullo vnquam affectuum turbine, aut leui ſaltem flatu interturbata pectoris tranquillitas. Indicat & externorum ſenſuum, oculorum præſertim, frænum, in quibus ſtrictior quædam, ac penè ad miraculum modeſtia ſemper fuit. Semel in noſtra Diui Bartholomæi eccleſia celebrari ſolenni ritu diem quendam feſtum contigit. Stragulis, aulæis, picturis conueſtiti ad omnem elegantiam parietes: cumque nullus non ab eo templi cultu penderet, Pudentiana nihil in eo pompæ, ac opum aduertit. Quod aliàs modeſtiſſimæ Virgini in eiuſmodi ſolennijs accidit: vt ne templi quidem formam aſpexerit.

Externorum ſenſuum diſciplina.

Qua quidem ſenſuum, præcipuè oculorum, cuſtodia, nihil profectò magis conſentaneum virginitati, integritatique cùm animi, tùm corporis, cui Pudentiana vnicè ſtudebat. Caſtimoniæ votum, vti diximus, intra infantiam concepit: adulta precibus, rigoribus, ſolitudine ita illam coluit, expoliuitque, vt tractu deindè temporis ad quandam, angelis perſimilem, puritatem peruenerit, nullis omninò illecebrarum ſtimulis, nullo voluptatis incitamento, ac morſu: veluti emerſa mortalium fæce, in cœleſtem quandam naturam euaſiſſet. Aperuit aliquando confeſſario, ſe quidem anno ætatis vndeuigeſimo die Deiparæ Conceptioni ſacra, dum magnæ illius Matris tutelam ſuæ pudicitiæ imploraret, certiorem ab ea factam, fore, vt perenni victoria carnis blanditias triumpharet; ac tùm quidem afflatam ſibi vim quandam, edomandis ſenſibus parem. Atque hæc quidem puritas ita animo inerat, vt in vultum etiam, ac ſpeciē ipſam ſe ſe effunderet: ingenerabatque florentiſſimæ huiuſce virtutis amorem intuentibus. Interdum etiam ſuauiſſimus quidem odor, eximię nimirùm caſtimonię teſtis, ab ea mirificè efflabatur: eandemque attactu fragrantiam rebus alijs adprimebat, veluti lilia, roſas, atque ipſas aromatum areolas cœleſtis vnguentaria circumferret. Hinc illi cum angelis familiaritas: nihil enim frequentiùs, quàm ſimilium conſuetudo, ac nexus. Et tutelaris quidem angelus mirum quo illam ſtudio proſequeretur. Aderat aſpectabili ſæpiùs forma: blandiri, alloqui, erudire, ire, redire famuli in morem, quò illa vellet. Ab hac item virginitatis laude peculiaris in illam extitit Deiparę Virginis beneuolentia. Planè non exiguum illud amoris ſpecimen fuit, ſemel, ac iterum obieciſſe ſe ſe illi Dei Matrem, ſuumque illi pulcherrima ſpecie Infantem amplectendum, exoſculandumque exhibuiſſe. Neque verò puriſſimum illud, diuinumque lilium in eius vlnis collocaſſet, niſi præcipuo quodam ſtudio virginitatis, ſimilique illam candore mentis excellere, cognouiſſet. Quid ſi ab inſigni caſtimonię prętogatiua illam ſibi deſponderit diuinum Numen? Narrat ſiquidem eius vitæ ſcriptor, quem ſupra laudauimus, Sponſum Chriſtum, eo quidem aſpectu, vt ſpecioſum forma præ filijs hominum diceres, noctu anulum, quem illa geſtabat, ab ea popoſciſſe; redijſſe verò mane, eundemque in eius digitum anulum inſeruiſſe: Qua quidem nuptiali teſſera ſuis illam caſtiſſimis amoribus deſtinaſſe, ac ſubharraſſe anulo alteram Agnetem, oſtendit: nullumque profectò eximij cuiuſdam pudoris luculentius teſtimonium, quàm diuinis nuptijs initiari.

Eius caſtimonia.

Quæ odorem etiam inhalabat.

Angelorum in Pudentianam beneuolentia.

Et Deiparæ.

Chriſti nuptijs cohoneſtatur.

Quę quidem nuptiæ, & ingentem etiam in ſponſum ſuum amorem indicarunt. Nulla ſiquidem ardentior, quàm inter ſponſos charitas. Planè eò in Pudentiana excreuerat diuini amoris flamma, vt incenſo penitùs animo, Corpus etiam medullitùs occuparit. Eapropter implorare nonnunquam Dei opem, precarique impenſiùs viſa eſt, vt modum flammæ imponeret, ne vitam abſumeret incendium. Cùm morbi aliquando vrgerent, nihil cauendum attentiùs erat, quàm ne quid calidi languido ſtomacho, & qui foueri maximè indigeret, apponerent. Nihil quippè intimè deflagranti externo eo calore inſenſius. Tentato aliquando à medicis pectore, nihil in eo penitùs palpitationis, ac motus deprehenſum; vt in ſuſpicionem venerint decineraei, abſumptique omninò cordis. Aſſidua, & quæ diutiùs in ea perdurarent, deliquia, atque à ſenſibus abalienationes vim quandam amoris ineluctabilem commonſtrabant. Inuolat nanque in ſinum charitatis, nonniſi cui charitas ipſa alas ignis, atque flammarum commodauerit. Eiuſmodi autem mentis exceſſus denarrare ſingillatim, res eſſet planè longior. Nihil quippè in ea frequentius; ac raro quidem ap-

Eius in Deum amor.

Et mentis exceſſus.

pellere

Digitized by Google

pellere ad diuina animum videbatur, quin impetu quodam abripi mentem contingeret. Non ſemel in eo exceſſu circumfundi luce quadam, ac peti radijs, veluti iaculis contigit. Nec ſanè mirum, fulgurationes, radioſque afferte Dei charitatem, quæ tota ignis, ac flamma eſt. Suppetunt & alia flagrantiſſimi amoris argumenta. Ardor in primis patiendi, cui frænum à confeſſario accedere oportuit.

Addicta Chriſti cruciatibus

Ad hęc, Chriſti Paſſionis myſteria, quæ nouerat, præcipua eſſe diuini amoris inſignia, mirùm quo ſtudio, affectuque proſequeretur; veluti percuperet eadem & ipſa pati, vt amotis vices rependeret. Auelli ab ea pœnarum cogitatione nunquam permittebat; vt in ipſo externo opere affixa cruci, lamberet Chriſti vulnera. Pleroſque ante exceſſum annos ſingulis quibuſque hebdomadis à diei Iouis veſpere ad inſequentem vſque diei Veneris noctem nihil indulgere quietis, ac ſomni corpori conſueuerat.

Quos expri- mit ipſamet.

Quo tempore ſingulari quodam Dei munore dignata pœnarum cõmunicatione ſuit: planè ad amantiſſimæ Virginis palatum. Videbatur nanque ſibi torculari quodam premi, ac teri minutatim oſſa: tùm ad equuleum extendi neruos, luxarique ad vnum membra, ac torqueri intimè viſcera, nulloque non affici ſupplicio ſentiebat. Sic nempè amorem probabat ſuum, ac peracerba ea rerum perpeſſione cruenta Chriſti myſteria ad vnguem repræſentabat. Semel correpta ſubita quadam extaſi, ita præter ſolitum expalluit, vt exanimem ſoror crediderit. Sed monuit viuere fluens vbertim è fronte ſudor, quem dum illa tergit, aduertit, ſanguineas eſſe guttas: quo ſanè intellexit, à vehementi diuinæ Paſſionis meditatione extitiſſe deliquium; ac meruiſſe tùm quidem illam, vt manaret à fronte cruor, veluti à ſpineo coronamento.

In ſacram Euchariſtiam ſtudium.

Illud poſtremò ad excellentis aduersùs Deum charitatis documentum facit: nempè in auguſtum Euchariſtici Corporis myſteriũ, in quo quantus quãtus eſt, lucet, flagratque diuinus amor, peculiaris quædam propenſio. Hoc illi Sacramentum duntaxat ſapere: quicquid propinarent voluptatis creaturæ, abhorrere.

Ex qua corpori etiam alimẽtum.

Alimentum etiam ab ſuperſubſtantiali eo pane in corpus deriuabat. Ac ſemel quidem per octonas, quæ Chriſti Corporis ſolennia intercurrunt, ferias, hoc ferculo contenta, nihil præterea cibi ſumpſit, niſi quòd, coacta bis confeſſarij iuſſu, vires quinis amygdalis refocillauerit. Quo verò ardore deſiderij, fameque accederet, illud profectò luculenter docuit. Petro Romano Sacerdoti ex noſtris religioſiſſimo Pudentianam Euchariſtica reficere annona ſemel contigit. Ergò Dominicum corpus manu tenens, conceptiſque de more verbis, dum iret, eripi ſibi vi quadam ſacram hoſtiam ſentit. Horrore quodam perculſus Petrus, gradum nihilominùs fecit: ad illam autem vbi peruenit, ſemiaperto adhuc eius ori ineſſe hoſtiam, aduertit, ipſam verò abreptam ſenſibus, contemplatione altiùs conſopitam. Id portenti Syluio duntaxat aperuit Petrus: ac coniectari facilè potuit, præcidiſſe moras diuinum Numen, vt languentem ab acri deſiderio Virginem, fulciret floribus, ſtiparet malis. Indulgere quotidianam illi eiuſmodi refectionem Syluius coactus interdum erat, ne laboraret plus nimio ab flagrantiore hoc deſiderio ſpiritus. Aliquando verò, quòd ab ardentiſſima charitatis flamma, atque à vehementi diuinorum contemplatione nimiùm incaleſcere illam cerneret, ac vereretur maximè, ne ſi Chriſti Corpori communicaret, flammas cum diſpendio virium, atque incolumitatis adderet; cogebatur vel in ſolennioribus anni celebritatibus ab eius vſura myſterij arcere Virginem: ac tùm quidẽ mœror, ægritudo, languor à priuatione: vt neſciret planè confeſſarius, eius vitę rationes qua diſciplina tẽperaret: quãdo, ſiuè negaret, ſiuè annueret diuinum Epulũ, idem illi periculum crearet, aut ab nimio ardore, ſi ſumeret; aut ab incomparabili mæſtitia, ſi abſtineret. At enimuerò viſum aliquando patrocinari ſponſæ ſuæ Numen; vt miris illam modis reficeret, ne ſuo alimento fraudaretur charitas.

Illam ſemel cœlitùs de ſacram ſumit.

Semel die Diuo Martyri Petro ſacra, quem præcipuo illa colebat ſtudio, templum adijt: cumque ad myſticam ſe ſe cœnam appararet, ecce tibi ſenerum à confeſſario imperium; rediret ieiuna domum. Paruit: ſed dum negatum angelorum panem lachrymarũ potu ſuo in conclaui compenſat, funditque ad Tutelarem illum ſuũ preces. liquidiſſimum ex inopinato lumen locum complet. Aderat ſoror, quæ cœleſtes illecebras ſuſpicata, contemplari tacitè rem cœpit. Nec plura: Quę humi iacebat Pudentiana, nixa genibus, cùm ea verba pronunciaſſet: Domine, non ſum dignus; ea quidem religione, atque oris habitu ſe ſe conformauit, vt accepiſſe ſacram Eucha-

Euchariſtiſmi videretur. Hæſit id loci, eodemque ſtatu corporis inter preces: tùm audita, grates Diuo Petro diſertè perſoluere,quòd tantum munus tanta cum amoris, honoriſque ſignificatione attuliſſet. Iterum eiuſmodi à confeſſario mandatum. Ac iterum.
Sed dū ad eccleſię angulum iacturam perenni fletu dolet, adſuit ſpectabili forma matrona, quæ temperaret lachrymis,iuſſit: tùm lectiſſimum panem è ſinu protulit: & hunc habe, inquit, ſitque tibi Euchariſtici panis loco: euanuitque his dictis. Matrona, vti poſtea compertum habuit Syluius, Diua Magdalena fuit, à qua id etiam memoratu dignum. In ſuprema Pudentianæ valetudine, quæ diutiùs tenuit, id illi cum confeſſario conuenerat, vt diebus feſtis Euchariſtiam ſumeret, profeſtis verò cùm is ad aram faceret, ſiſteret ipſa ſe ſe affectu quodam, non corpore miſſæ ſacrificio,ac ſpiritu quidem libaret, quæ re ipſa guſtare altaris myſteria,minimè poterat. Accidit aliquando, vt Syluius, qui ab altaris menſa eiuſmodi illi cibum conatu quodā mentis mittere ſolitus erat, id officij alteri ex noſtris demandauerit; cui nomen Ioannes; qui quidem nihil inter rem diuinam de Pudentiana cogitauit;exciditq.animo viuificum illi de more panem in ſpiritu mittere. Igitur, expleto ſacro, verenda quadam ſpecie D. Magdalenę in illam ſtudiū
fœmina Ioanni ſe ſe obijcit, ac panem candidiſſimum illi quidem manu porrigens: Affer hunc, ait,Pudentianæ. Adijt ille veſpere ad Virginis domum vnà cum confeſſario, ad quem ſtatim illa: Hem, Pater, manè ieiunauimus. Ac tùm quidem Ioannes, quòd ſe proditum agnoſceret, aperta ingenuè re, oblitum ſe mane affirmauit;ac ſimul traditū ſibi à venerabili matrona panem protulit;quem illa venerata ſummoperè eſt, gratulata, miſſum ſibi à Diua Maria Magdalena munus; eoque poſt ea recreare non ſemel vires, cùm maximè deſtituerent, conſueuit. Promeruit, ſcilicet,eximia in altaris Sacramentum Pudentianæ pietas Diuorum hanc curam, ac ſtudium. De quorum miniſterio in recreanda cœleſti epulo flagrantiſſima Virgine, innumera ſuppetunt exempla. Sed illud præſtantiſſimum,in quo viſum diuinum Numen ſponſam ſuā peculiari quodam ornare munere,atque illecebra voluiſſe. Enimuerò non ſemel, aut iterū angelos miſit, qui illam diuina ea dape reficerent: verùm continuatis per Angelorū chori Euchariſticū panē deferūt,
pluſculas hebdomadas delicijs, antequam deſineret viuere, id iuſſit,vt ſingulis quartis, ac ſextis ferijs angelorum chori in orbem accederent; allatoque cœleſti pane, decumbenti impertirent. Quod quidem nunquam ſine puriſſima quadam luce, ac fragrantia, ſuauiſſimoque concentu vocum accidit. Spectaculo clàm aderat ſoror, quæ teſtata rem eſt oculorum fide: monituſque deindè Syluius, vſurpare & ipſe oculis mirabilem eam ſcenam,atque angelorum diuinam eſcam comportantium viciſſitudinem potuit. Ab hac autem deliciarum affuſione quantum ignis hauriret Dei Serua, reputare apud ſuum quiſque animum facilè poterit.

In altera porrò charitatis parte, quæ mortalium cōmoda reſpicit, nihil eſt,cur diutiùs immoremur. Æqua ſcilicet fronte geminus hic proximorū,ac Dei amor incedūt, Pudentianę in proximos charitas,
inflāmatque alter alterum. Et Pudentianam quidem hoc in egenos ſtudium viſum maturiùs occupaſſe. Diximus,quinquennem puellam ſolitam pauperibus merendā ſuam erogare: cùm verò nihil illi ad manus, quod erogaret, lachrymas fundebat, non tàm aliorum conditionē commiſerata, quàm ſuam; quòd exercere in pauperes liberalitatem nequiret. Adoleſcere cum adulta charitas viſa. Nihil illi iucundius, quàm infirmis adeſſe,& conſolari; tractare, mederique peramanter eorum vlcera; non vigilijs, non laboribus parcere. Ad hæc,cùm ruſticari contingeret, pueros,puellaſque è vicinioribus villis cogere, erudire ad pietatem, fide,ac moribus imbuere. Si quos lethali culpa perditè implicitos, grauique in diſcrimine æternæ ſalutis verſari, Precipuè in peccantes,
inaudiuiſſet; inardeſcere vehementer videbatur, accurandiſque ijs animæ momentis; quicquid non fineret ætas, ſexus, conditio, ſupplebant mirificè preces, vigiliæ,ac voluntariæ corporis ærumnæ:vt ereptos ex Inferni faucibus pleroſque iſtiuſmodi deploratæ iam ſpei mortales iactet Pudentianæ charitas. Quæ tamen non aliundè maiorē concipere vim, atque ardorem videbatur, quàm à Purgatorij flammis. Nihil illi potiùs,quàm luctantes piaculari in ea palæſtra animas iuuare. Quicquid ipſa quotidianę afflictationis à flagris, à ferro, à ieiunijs toleraret, illis dabat. Corporis incommoda, Et in pios manes,
doloreſque, ac morbos, à quibus aſſiduò laborabat, impetrauerat ipſamet ſibi ſuis precibus, vt animarū incendia temperaret: atque id illi in primis familiare, ſe,caput-

que ſuum diuinæ iuſtitiæ deuouete, vt earum nomina ad minimum quadrantem

Quorum pœnas luere ipſa conſueuerat,

diſſolueret. Acciditque non ſemel, vt euolarent illæ in cœlum, ſoluente pœnarum reliquum peracerba dolorum perpeſſione Pudentiana. Et accedere quidem à Confeſſario modum oportuit, ne tàm facilè tanto cum ſui diſpendio Purgatorij ſibi cruciamenta vindicaret: nec pœnas ſuas, ipſo inconſulto, proniore ea manu erogaret. Quod ſanè torquere eius charitatem fuit, cui nihil ſuauius, quàm in eiuſmodi ærumnarum tolerantia ſubire aliorum vices, vt ijs benè eſſet.

Eius precandi ſtudium,

Porrò ita externis, quà viuentium, quà defunctorum commodis ab inſigni charitatis ſtudio vacaba: Dei Serua, vt nihil de interno ſui cultu remitteret. In contemplatione præſertim rerum diuinarum vſque adeò aſſidua, ac tota erat, vt putatis vitæ rationibus, ac diurno, nocturnoque tempore excuſſo, rarò illam diceres, non oraſſe. Senas, ſeptenaſque interdiù horas cœleſtia cōmentari ſolita erat; noctes verò plerumque integras, de genu quidem, ac vegeto ſemper, ſupraque tædium, ac ſomnum corpore in tranquilliſſimo eo mentis otio tranſigebat. Seposita item extra ordinem & alia anni tempora, in quibus neruos, ac preces ſuas intendebat. Quater ſiquidem in anno quadraginta horarum ſupplicationem inſtituerat: quo tempore ſomnus illi breuior, aut fermè nullus, ac raptim cibus: reliquum deindè interuallum alternis voce, ac mente precationi, contemplationique incumbere. Et quod ad refectionem attinet, ſemel cùm ſolenniores eas preces diebus lupercalibus perageret, ſolidum illud triduum amygdalis omninò quinque traduxit; iterum aliàs lupinis ſeptem. Scilicet, abundè hæc illi, quæ mentem commentatione diuinorum lautiſſimè paſcebat. Hoc autem orationis vſu ad eximiam quandā cum Deo coniunctionem peruenit: vt excederet ſæpiùs mente, relictaque corporis ſarcina, ferri leui contemplationis penna In

A quo diuinorū cognitio,

cœlum; ac diuina, quantùm mortali faseſſet, intueri contingeret. Hinc illi ſupernarum rerum intelligentia, ac diuina quædam lux, qua abditiſſima quæque Chriſtianæ religionis myſteria ita aſſequi viſa eſt, vt iam penè nullum ab vmbra, veloque fidei meritum illi reliquum eſſet. Interdum verò poſtquàm à contemplatione rediſſet, de ijſdem rerum cœleſtium arcanis tàm ſublimi genere dicendi, ac diſertè ſermonem habere conſueuerat, vt miraretur in fœmina profunditatem, facilitatem, copiam Syluius; ac diceret aliquando familiaribus, nunquam ſic loquutus eſt homo. Ab hoc itidem orationis ſtudio lumen; quo obſcura penetrare, ac longè poſita intueri liquidò

Et futurorum.

videbatur. Nihil in Pudentiana frequentius, quàm aliorum caſus, morbos, fata prænunciare. Subire etiam pectoris intima, & quæ quiſque corde euolueret, intueri: tùm animarum ſtatū cognoſcere: cuiuſmodi exempla ſuppetunt ſatis multa, nec vacat hic referre: ſicuti & earundem precum efficacitatem, quòd facilè ſibi quiſque eam perſuaſerit, mittimus memorare; ac ſatis fuerit indicaſſe, ad eius potiſſimùm orationem ſolitos fuiſſe Bononienſes paſſim confugere: expertos ſuccedere plerumque ad votum, quæ illa Deo commendaſſet.

Eius humilitas

Interim orationi animi deiectionem, humilitatēque annectimus, quam ſanè nunquam demitti profundiùs contingit, quàm cùm altiùs ad Deum mens euehitur: vt planè ſchola quædam modeſtiæ, ſuique demiſſionis ſit contemplatio. Et Pudentiana quidem quò ſe ornari magnificentiùs à Dei beneuolentia aduerteret, eò ſe ſe magis cœleſtibus ijs donis indignam reputabat, ſentiebatque de ſe quàm infimè. Quæ laudes nunquam non ſubtriſti vultu excepit; probra gratanter, ac pronis auribus audiebat. Syluius, qui præclara in Virgine ornamenta, opeſque animi ſtatim aduertit,

Cuius perampla à confeſſario materia.

humilitate in primis tantæ virtuti cauendum duxit. Quocirca, vti ſupra monuimus, increpare illam aſſiduò, atque aſperè accipere; improbare eius facta, ac dicta; nihilque comitati dare, auſteritati, ac ſupercilio plurimùm. Quæ tamen illa inſigni modeſtia, veluti ſibi conſentanea, æqui, bonique conſulere; auſteriorem diſciplinam complectis ad confeſſarij ſe ſe nutus promptè componere; ad eius etiam pedes perſæpè abijci.

Et à Matre,

Hæc eadem domi humilitatis à matre ſeges, quæ cū ſeueriùs ſecū agere filiā, ac plus nimio voluntaria corporis caſtigatione afflictari; atque atteri proindè corporis vires, cerneret, continuis penè conuicijs, ac rigoribus clàm palàm agere, ac peracerbè obiurgare, ſolita erat: quo nihil modeſtiſſimæ Virginis auribus iucundius. Vberior iſtiuſmodi à malis genijs materia. Perpetuo quodam deriſu, contumelijs, flagris illam

pete-

Digitized by Google

Et à malo dæmone.

petebant; vt nihil eſſet hac palæſtra frequentius, in qua quidē humilitate potiſſimùm illa certabat: dignam ſe verberibus ſeruilem in modum accipi, dignam contemptione, ac riſu deprædicabat, à qua mentis demiſſione in fugam ſe ſe præcipites ſuperbiſſimi dæmones dabant. Iam exiſtimationem, famāque mortalium, ac lucem mirum, quo ſtudio aſpernari videretur. In eo tota erat, vt diuina beneficia, colluſtrationes, virtutum actus, profectuſque pro viribus occultaret. Prodi, videri, audiri, cùm vis Numinis abſorberet, ac traheret, id demum illi infeſtiſſimum. Quod verò inſolens; atque ad inſignem quandam modeſtiam facit, famæ, honorique ſuo poſt funera etiā cauit. Etenim cùm cerneret, ſingulari quadam munificentia cohoneſtari à Deo ſe, cum viueret; verita maximè eſt, ne id etiam diuinum Numen tribueret, vt aliquis cineri honor, ac veneratio contingeret. Igitur impensè precata Deum eſt, vt ſuo pulueri extinctæ corporis exuuiæ indormirent, ac nulla ſubindè excitaretur à mortalium impetu celebritas. Qua de re cùm inter preces cœli oraculum, decretumque inaudiuiſſet, in ea ſtatim verba erupit; fiat voluntas tua, ſed tibi gloria, tibi laus, tibi honor.

Humilitati cauet etiam post mortem.

Pudentianæ patientia.

Humilitati affinis patientia, quam, pleriſque alijs, quæ recenſeri virtutes poſſent, omiſſis, imus modò narratum: fuitque profectò in Pudentiana, ſupra quam credi poteſt, admiratione digna. Et quidem in hac tolerantiæ exercitatione cōparari nonnisi cum patientiſſimis poſſet, præſertim cum Diua Thereſia, cui votum erat, aut pati, aut mori. Neque enim aſpera vtcumque ſubire, ac tolerare, ſed ingenti quodam deſiderio, ac ſiti congeri, cumularique ad ſatietatem mala, atque addi cruciatibus cruciatus, peroptabat. Nihil frequentiùs à Deo precari, quàm vt ſpiſſæ grandinis in modū in caput ſuum incōmoda, ærumnæque ruerent. Si quid ſibi nouæ crucis inſtare, Dei, aut tutelaris angeli monitu inter preces intelligeret, geſtire, lætari ſupra modū: contrà, cùm deliciæ intimè inundarent, veluti quid acerbioris moleſtiæ accidiſſet, triſtari vehementer, ac angi. Famem hanc patiendi expreſſit ipſamet graphicè ſorori in hæc verba: difficile dictu eſt, Soror, quantum voluptatis occupet pectus, cùm nouis me cruciamentis amantiſſimus ſponſus petit. Olim cùm integra mihi ſalus; vſque adeò pœnarum deſiderium excruciabat, vt nocte, dieque collachrymandi finē nullum facerem. Eapropter, vt aliquod mœrori leuamentum afferret confeſſarius, facultatem tandem fecit, vt precibus cum Deo agerem, idque enixè peterem, vt tantum ærumnarum mitteret, quæ explendæ vehementiſſimæ huic ſiti ſatis eſſent. Hæc illa. Et impetrauit ſanè, quod ſummè cuperet; ita vt omni morborum genere, moleſtijſque acerbiſſimis conflictata, circumferre malorū Iliadem videretur, ac nullum non ſuo dolore laboraret membrū. Quam quidem corporis cladem, adacta aliquando Confeſſarij iuſſu, denarrauit ipſamet ſingillatim ad hunc ferè modum. (Videtur mihi, inquit, peracutis traijci caput ſpinis, quarum aculei in vultū ipſum pertingant: corrumpi, ceu felle quodam palatum: transfigi etiam guttur: humeri, brachia ita doloribus frangi, vt nihil ſupra: pectus inſolito quodam tormenti genere diuexari: hærere & ſuum cordi telum: oſſa demum, ac membra ferè cuncta miſerandum in modū atteri.) Hæc autem cum audirent medici, cauſamque diligenter inquirerent, quæ morbum faceret, vt remedium ab artis præſidio afferrent; mirari vehementer, quòd nihil in affecto corpore cernerent, quod mederentur. Quapropter apertè pronunciabant, non quidem vi naturæ, ſed arcano quodam Dei conſilio immiſſa Virgini incommoda, ad quæ ſua ſtudia minimè pertingerent. Scilicet, ſitientiſſima cruciatuum Pudentiana cùm pœnas etiam, atque etiam efflagitaret, induliſſe perquàm liberaliter votis hiſce voluit amantiſſimum Numen. Inter has verò ærumnarum acerbitates iucundiſſimum planè erat, ea fronte illam intueri, veluti delicijs afflueret: vt planè oſtenderet, quàm robuſta ineſſet illi virtus, quæ ſereno adeò vultu duriſſima quæque exciperet. Patientiam hanc porrò in ſuprema ipſa valetudine, quæ diuturnior, ac planè acerbior, cumulauit: affixa nimirùm lecto, ac cruciatibus longè duriſſimis obſeſſa per pluſculos omninò menſes. Quod ſolenne eſt viris ſanctis, vt cupiant diſſolui, & eſſe cum Chriſto, viſa minùs probaſſe Pudentiana. Nihil ſiquidem moleſtius illi, quàm feſtinare ad exitū; non quidē horrore mortis, aut vitę ſtudio, ſed quòd optatiſſima tolerantiæ palęſtra, ac multiplex calamitas inueniret citiùs finē. Eapropter erubeſcere ſe quidem, affirmabat, inter cœlites apparere curta quadam

Vehemens in ea patiēdi deſiderium.

Enumerat ipſamet pœnas ſuas.

Quas illatas diuinitùs putant medici.

Præcipua in ſuprema valetudine tolerantia.

patientia, quam non diutiùs ad ferrum, ac ignem probauerat. Interim ſorbere auidè, atque inſigni conſtantia calicem, amariorem quidem, quòd in fundo. Velutì ſponſam ſuam exercere tùm quidem ſeueriùs veller diuinum Numen, incredibile dictu eſt, vt ſæuiret, ac tecrudeſceret identidem magis omnigenus dolor. Affirmauit ingenuè ipſamet, quæ alioqui ijs expleri minimè poterat, eo tandem morbos ſuos, eorumque ſenſum perueniſſe vt ſatiſceret penè humanitatis facultas: grates proindè Deo habere, quod crucem, ac patientiam pro voto adauxiſſet.

Faculiatem obeundi pètit,

Hac tolerantiæ laude agonem vltimum ſubijt Pudentiana, in quo quidem pleraq. accidere, memoratu digna, quæ eius vitæ ſcriptor narrat. Illud hic nos minimè diſſimulabimus, quod neſcio, an aliàs contigit. Procurata ſupremis ſactis, cũ, facto iam gradu, cominùs cum morte luctaretur, ac nihil propiùs eſſet, quàm vt expiraret, viſa confeſtim exhilarari, receptoque tantiſper ſpiritu, hæc ad Syluium, qui aderat: ſcire te, Pater, non ignoro, vt totam meo me Numini addixi, nihil poſtea, neque feciſſe, neque cogitaſſe me ſine obedientiæ ductu. Reſtat ſupremus hic vitæ actus, quem ſanè niſi eiuſdem obedientiæ auſpicijs, nutuq. non abſoluerim. Permitte igitur pro poteſtate, vt in pace dormiam. Conſtitit ad hæc Syluius, admiratus in eo rerum ſtatu obſequentiſſimam Virginis mentem. Tũ diuino quodam inſtinctu manere illam iuſſit, nec tàm citò abire. Acquieuit tũ quidem Pudentiana: ita tamen, vt ad Chriſti Crucifixi ſignum, quod manu tenebat, excuſare confeſſarij imperium videretur, quominùs in ſponſi amplexum conuolaret. At non diù poſt, iterũ dimitti poſtulat: negat iterũ ille: ſed cũ tertiò ſponſi inuitamentum vim afferre ineluctabilem affirmaſſet, petijſſetque infimis precibus, vt abire ſineret; ijs tandem poſtulationibus cõmotus Syluius, inter lachrymas benè illi precatus, migrandi facultatem fecit. Quod vbi pientiſſima Dei ſerua impetrauit, benedictionem denuò popoſcit, ijs verbis: Benedicite, Pater; adſtantes deindè circumſpexit, veluti conſalutaret: tũ Chriſti Domini è cruce pẽdentis effigiẽ dextro lateri admouit: poſtremò flexo ad hilaritatem vultu, abire iam ſe ſignificauit, oculoſq. ſuiſmet ſibi manibus clauſit; quas vbi decuſſatim ſupra pectus

Moritur ex obedientia.

compoſuit, veluti placidiſſimæ ſe ſe quieti permitteret, expirauit; planè obediens vſq. ad mortem. Relicta quædam in defunctæ Virginis vultu innocentiæ, ac ſanctimoniæ ſpecies, quæ intuentium pietatem mirificè excitaret: adauxitque magnoperè ſtudia ingens quædam, quę manare ab eius membris cœpit, fragrantia. Vt autem vulgatum, migraſſe Pudentianam, facti illicò incredibiles mortalium concurſus, quos, ne quid exanimi corpori inferrent damni, ſubmoueri ſtrenuè oportuit: neque impediri adeò potuere, quin facto audentiores impetu, propiùs accederent, atque aliquid etiam laciniæ religionis cauſa præciderent. De præclaro Virginis pignore quædam à Franciſcanis, qui Conuentuales audiunt, intentata lis eſt. Nam, quòd olim tertium, vt vocant, habitum induiſset, ius ſibi in ipſam eſſe, contendebant. Sed difflata mox controuerſia, ſtetit à noſtris palma. Quare noctu, ac nullo prorſùs campani æris ſigno, vt turbas euitarent, importatæ in noſtram D. Bartholomæi Eccleſiam exuuiæ, quas ſummo honori duxere viri quidam proceres ſuis humeris efferre. At falli populorum pietas minimè potuit. Momentò ſiquidem viſum mirabili quodam affluxu compleri templũ. Morari aliquandiù oportuit, quoad celebritas deferueſceret; ac tũ quidem ijdem ipſi honeſtiſſimi proceres, qui ſuos funeri humeros commodauerant, ne quid vile prænobile corpus tangeret, ſuiſmet illud manibus ad ſepulturam quàm decentiſsimè cohoneſtarunt. Nec defuere mox, implorata eius ope, ac nomine, beneficia, quę hodieque, continuato pręſtantiſsimę Virginis patrocinio, plerique mortalium identidem conſequuntur. Sed nobis ſat fuerit, hęc eius virtutum ornamenta paucis expoſuiſſe. Iam, quòd flagraret vehementiùs eius ſanctimonię fama, impetratum ſubindè à Bononienſi Antiſtite, vt confici de eius virtutibus, exempliſque morum acta poſſent, quæ Romã poſtea ad Sacram Auguſtorum Patrum Congregationem miſſa: curatumq. interim Corpus, decentique in loculo rite collocatũ, pietate, ac opera Matthæi Sagacij, viri ornatiſſimi, prænobilis D. Petronij Collegij Præpoſiti, qui & addi ad tumulum ſuæ in Pudentianam obſeruantiæ teſtem, marmor voluit his literis.

Sepelitur in noſtra D. Bartholomæi Eccleſia.

Ad eius tumulũ inſcriptio,

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.
RELIGIOSÆ FAMVLÆ DEI
PVDENTIANAE ZAGNONIAE
OSSA HIC REQVIESCVNT.
QVAE DIE XIV. FEBRVARII AN. M. DCVIII.
BREVI ANNORVM XXV. CVRSV CONSVMATO,
DEO ET HOMINIBVS AMABILIS,
EXPLEVIT TEMPORA MVLTA.
CVIVS NE PERIRET MEMORIA,
LAPIDEM ISTVM
MATTHAEVS SAGACIVS
INSIGN. COLLEG. S. PETRONII PRAEPOSITVS,
INDICEM POSVIT
ANN. DOMINI MDCXXXX.

At enimuerò extra noſtrarum ædium ſepta diù, multùmque euagati, ſtylum intra *B. Andreas Auellinus,*
cœnobium reuocamus. Inſignis hic annus eſt tranſitu Beati Andreæ Auellini, qui *Thomas Brãcia,*
Neapoli in Paulina domo Nouembri menſe ſenecta admodùm ætate ad laborum *Iacobus Tornus exuunt mortalitatem,*
præmium conuolauit; cui non ita multò ante in eodem cœnobio viam ad cœlum munierat Thomas Brancia, eximij ſpiritus ſacerdos; illumque ſubſequutus mox eſt ipſo videlicet ſuccedentis anni initio Iacobus Tornus, vir item illibati moris, atq. inſigniter probus. Scilicet non niſi honeſto comitatu deduci ad ſupremam Patriam debuit Auellinus, veluti non vulgaris ſanctimoniæ, ac notæ. Percurrenda horum nunc virtus: & primò narrandus Brancia, qui pręclara morte facem prætulit Auguſto huius *Brancia deſcribitur,*
anni menſe. Natus is eſt Neapoli, nobili domo, fortuniſque inſtructa. Pater illi Iacobus Brancia à Regijs Conſilijs, æquè vir probus, ac doctus. Mater Catharina Brancaccia, pia, & illuſtris fœmina. Par natalibus educatio, ingreſſuſque in ſtudia litterarum, illa mox nobilium more, exemploque iuuenum abdicauit, vitamque instituit, quam ætas, opes, ac lęta quædam indoles ſuadebant. Verùm quem religioſo inſtituto ſepoſuerat Deus, haud altiùs mundi delicijs mergi voluit; libatoque vix humanarum voluptatum poculo, ſuum in obſequium, frugemque pertraxit. Nam, vti aliàs memoratum eſt, anno ætatis vigeſimo, calente nimirùm genio, diuinis illuſtrationibus, ac monitis excipiendis minùs idoneo, mutatus repentè eſt; idque non hominis facundi vehementia, ac vi, ſed familiari alloquio cum Franciſco Filago, viro ex noſtris, vt egregiè pio, ita literarum, ac linguæ omninò rudi. Nempè in animorum negotio dat pondus, ardoremque verbis Deus. Itaque iniecta diuinitùs cœleſtium ęſtimatione, caduca faſtidire: tùm, concepta ineundę Religionis mente, mirum quo ardore animi noſtrũ *Dat ſe Religioni,*
inſtitutum petijt, inijtque. Tyrocinium regularis vitæ in D. Pauli domo poſuit. Senſuum pręſertim, genijq. afflictationem, quæ ſubſternit ad virtutum poſſeſſionem iter, propoſitam habuit: eoque exercitio ita motus animi omnes ſui iuris fecit, domuitque, vt in alium planè euaſerit; ac viſa illi à natura veluti inſita ſingularis quędam *Eius manſuetudo,*
manſuetudo, atque imperturbabilis mentis tranquillitas, quę in vultum deindè, externamque ſpeciem habitu quodam oris grauiſſimo deriuabat. Ab hoc item ſui imperio eximia puritas, ac candor mentis extitit, in cuius quidem pulcherrimæ virtutis ſtudio vſque adeò inſignis fuit, vt qui oſtendere viuum aliquod niuei pudoris, ac ve- *Et pudor,*
recundiæ ſimulacrum vellet, Thomam indigitaret: ita nempè ore, verbis, geſtu caſtimoniam præſeferebat: fuitque conſtans omnium opinio, integritatem, floremque corporis ad ſupremam vſque vitam perduxiſſe. Voluntatem, quæ perardua victo- *Et Obedientia,*
ria eſt, ita ſubegerat, vt à nutu maiorum omninò penderet, vir ad omnem obſequij partem paratiſſimus. Leuia, an factu difficilia iuberet moderator, æquo ille vultu, animoque imperata facere. Illud etiam natura inſitum nobis, quod euelli ſine magna virtutis contentione minùs poteſt: nempè in ſuam gentem, ac conſanguineos ſtudium; quo neſcio, an aliquid generoſiùs protriuerit Brancia. Cognatos, ceù nullos *Et cognationis contemptus.*
haberet, neque appellare vnquam, nec literis officij cauſa conſalutare viſus eſt. Diù abſens, ſummis licet precibus rogatus à ſuis, vt rediret, adduci nunquam potuit, vt

an-

annueret. Semel poſt ſexdecim omninò annos, ſuperiorum nempè iuſſu Neapolim repetijt: ſed arrepta iterum occaſione, Patria ſe ſe proripuit, reuerſurus poſt ſexdecim item annos, vt ſpiritum in ea poneret. Prudentiam mira cum animi ſimplicitate, morumque ingenuitate coniunxit: admotuſque Ordinis præfecturis, admirabili cum diſciplinæ compendio illas adminiſtrauit. Benignitate, quam edomitis internis animi motibus, familiarem ſibi feciſſe, diximus, euincere à ſuis conabatur, quod alii dignitate officii, poteſtateque exigebant. Vbi autem efflagitare acrimoniam, rigoremque zeli ardor videbatur, præſertim in tuenda communi legum obſeruantia, nihil illo vehementiùs: abiectaque in tempore facilitate, obiurgare, vindicare publicè: vt & emendaret reum, & moneret, terreretque reliquos. Hinc in illū immixtus timori amor, cùm regeret. Venetam domum ſexennium adminiſtrauit. Percarus nanque Venetiis cū domi, tū foris, præcipuè apud viros proceres, quorum ſtudia ſingulari quadam integritatis opinione, atque excellenti in tractandis animis peritia ſibi apprimè deuinxerat: adeò vt cum ſemel indè abire contigerit, per Franciſcum Cardinalem Maurocenum Romæ egerint, vt rediret. Et Mauroceno quidem non ſat fuit, officiorum efficacia viri reditum à noſtris impetrare; verùm, vt ab ampliſſima nobilitate, quæ poſtulabat, maiorem iniret gratiam, eò Branciam adducere vnà ſecum voluit; excepitque reducem omnium ordinum gratulatio. Iam, eximium in eo paupertatis ſtudium; ita tamen fraudare ſuum genium ab inopiæ amore videbatur, vt quæ ad fratrum cōmoda pertinerent, curaret peramanter; ſui quidem oblitus, in ſuorum verò opportunitatibus multus. Orationi, ac rerum cœleſtium commentationi addictiſſimus fuit. Præcipua illi in Sanctos religio. Ioannem Chriſoſtomum, ſanctitatis, ac linguæ pretio inclytum, ſingulari quodam animi ſtudio proſequebatur. Eius aſſiduò terebat cum fructu monumenta; ac dicere ſolitus erat, ſe quidem ſine Chriſoſtomo eſſe veluti ſine anima corpus. Aduersùs cœli Reginam, Patronamque noſtram Deiparam nihil illo flagrantius. Quædam eius effigies ita illi ad cor, vt quocumque iret, vnà ſecum circumferret: affirmabatque, ſe neque ad momentum quidem carere Mariana ea imagine poſſe. Fortè perennem inibi beneficiorum venam, ac præſentiſſimam magnæ Matris opem expertus, omnia ſecum bona ſua in vna Icone portare ſibi videbatur. At enim præclara virtus probari ad corporis incommoda debuit, quæ quidem perindè tulit, ac ſi voluptati deſeruirent. Excreuerant illi ad enormem quandam craſſitiem, tumoremque crura: cumulatumque malum eſt, enatis paſſim vlceribus, viſu fœdis. Vitia hæc corporis in ima ea parte aſcendere ad ſuperiorem animi contignationem minimè potuere, tranquilliſſima nimirùm ſemper fronte, ac nunquam abrupta ſuarum actionum, regularíſque diſciplinæ ſerie. Statis nanque functionibus, ac domeſticis officiis, communique cœnationi aderat: tùm preces, ac pſalmodiam cum aliis obire, frangebatque tolerantia, conſtantique vigore animi vim morbi; quem non alio, quam diuini beneficij nomine vocare conſueuerat; & quæ maximè ſcatebant ſanie vlcera, ſuas gemmas, ac carbunculos, mutuato à rebus pretioſiſſimis vocabulo, appellabat. Iam, corporis lues, quæ occupare animum non potuit, exhauſit tandem vitam. Etenim ab ea excreſcentis humoris malignitate concepta febri, breui inſigni cum patientiæ laude, qua dolores vicerat, mortem eſt amplexatus. Neque verò ſine diuinę beneuolentię ſignificatione extremus illi dies accidit. Supremò laborabat, cùm ecce tibi Virginum chorus viſus promouere eò gradum. Exhilarari Brancia: tū valetudinario, qui aderat: Vndenam, inquit, hę lectiſſimi oris fœminę? quæ adeundi facultas? Cui ille: è cœlo eas eſſe. patronas nempè ſuas vnà cum ſanctiſsima Dei Matre. Nec poſt multò noua cœli illecebra obiecit ſe ſe ſcitiſſimæ formæ puer, qui eum is excepiſſe multis blanditiis viſus eſt. Certè, aut angelus quidam, aut ipſe puer Ieſus fuit, qui honeſtare eo conſpectu eximiam viri ſimplicitatem, candoremque voluit: ſpiranteque hac cœlitùs diuinæ benignitatis aura, appulſa ad cœlum eſt puriſſima Thomæ anima, die decima ſeptima Auguſti menſis inter Aſſumptæ in Cœlum Virginis ferias, cui ſe intimè dedicauerat. Triſtitiam, quæ ab eiuſmodi iactura exiſtere viſa eſt, diſpulit continuò meritorum recordatio, ac ſpes certa præmij: vt celebratæ non mediocri cum gratulatione præſtantiſſimi viri exequiæ fuerint.

Et prudentia.

Venetam nobilitatem demeruit.

Venetias cum Card. Mauroceno repetit.

D. Chriſoſtomi ſtudioſiſſimus

Et Virginis Deiparæ.

Eius patientia

Moritur non ſine cœlitum fauore.

Ma-

B. Andreas vita fungitur.

Maiorem omninò lætitiam in eadem Paulina domo excitauit Andreæ Auellini mors, quæ conſequuta Nouembri menſe, rheatrum quoddam rerum admirabilirare aperuit: vt non tàm defuncto ſolui iuſta, quàm adornari Beatiſſimo Seni triumphus viſus fuerit, acclamantibus ſauſta populis, certatimque ad ſacri pignoris venerationē accurrentibus. Hæc modò imus narratum. Et quamquàm conſignauere iam ea literis, ſplendidè quidem, ac copioſè idonei ex noſtris auctores: attamen haud ęquū eſt, in hiſce annalibus, qui omnigenam noſtram hiſtoriam complectuntur, deſiderari. Annum ætatis octauum ſupra octuageſimum agebat Auellinus, cùm monenre deuexo admodùm ſenio, ac non ſine ſuperiore quodam lumine, proximè abeſſe vitæ exitum agnouit. Ac primò quidem intendi timor, quo vellicari vehementer conſueuerat. Suæ nanque ſalutis nimiùm quantùm dubius, ac anxius, adire pluries in die Confeſſarium, aperire perquàm demiſsè conſcientiam, ac noxas: tùm inter ſuſpiria, ac lachrymas interrogare: an putaret, comporem ſe aliquando futurum melioris vitæ? Inrer has æſtuantis animi curas acre æternorum deſiderium plus ſolito pulſare boni Senis pectus videbatur. Flagrare, ac veluti in curſu anhelare ardentiùs ad felicitatis metam, de qua nihil frequentiùs, quàm immixtus lachrymis ſermo. Suſpicere item cœlum intentiùs: quam ob cauſam cellulæ ſpecularia non ita adduci noctù ſinebat, quin intueri ſydera, ac cœlum poſſet: vt extimæ eius pulchritudinis aſpectu interioris theatri faciem ſibi repræſentaret, temperaretque affectus, ac moram contemplatio. Itaque vrgere ſeipſum videbatur, ſuo fini propior: ſicuti eò proniore caſu ruit lapis, quo centro vicinior. Neque verò hic diſſimulanda, quæ excidère identidem illi de ſua morte prædictiones. Et quidem annum ipſum ætatis, quo exceſſurus erat, prænunciauerat diſertè Gregorio Caraſæ ex noſtris, Epiſcopo poſtea Caſſanenſi, cùm is tyrocinium adhuc poneret adoleſcens. Diem verò viſus penè acu rangere: prædixitque præſertim ſuo ſocio: qui diſtentus aliquando neſcio quibus erga ipſum curis, pulſare in tempote æs campanum, quæ ſuæ partes erant, cùm omiſiſſet; monendus officij, ac diſciplinæ fuit, iuſſuſq. vt culpam in media cœnatione de more fatererur. Denuntiationem vt audiuit Auellinus, occupare illicò pœnam voluit. Nam qui ſui cauſa defuiſſe officio ſocium, nouerat; deberi ſibi admiſſæ negligentiæ mulctam, putabat. Igitur adfuit refectorio; & mirari quidem omnes, quòd qui diù cum ſenij, tùm peculiaris cuiuſdam ieiunij cauſa publico cœnaculo abſtinuerat, eò ſe contuliſſet; ſuſpenſique ad inſolens ſpectaculum, Senem vident, procumbentem in genua, ſeque culpæ reum pronuntiantem: quo quidem temperare vix lachrymis potuere. Iuſſus ipſe confeſtim ſurgere: at ſocij animaduerſionem tulit peracerbè, ſtatimque à menſa illum conuenit, ac blandè conſolatus, breui, inquit, fore, vt ijs vterque curis defungeretur, nec vltra octiduum duraturas: quod probauit conſequutum octauo ſubindè die funus; quo ſolutus ipſe mortalitate, ſocius verò ſeruitio fuit. Id quod Aureliæ Paparæ, pijſſimæ fœminæ, per eoſdem fermè dies prædixit: & prædixerat paulò ante Iſabellæ Caraſæ, Cerciæ Maioris Duciſſæ: cui ſimul, quo tempore quiduis aliud cogitari de ea poſſe videbatur, florente nimirùm œuo, ac ſplendido connubio innexa, daturam inter ſanctimoniales nomen, apertè prænunciauit; quod, elato deindè coniuge, accidit. Audiuit hoc ipſum pronunciantem Ioannes Maria Tagliaſerrus, vetere amicitia cùm Andrèa coniunctus: audiuere item alij: nec diſſimulanda inops quędam fœmina, cui cùm quandam quotidiè eleemoſynam erogare Andreas ſolitus eſſet, pridiè eius diei, quo efferri ipſum contigit, aliquantò liberalior, adauxit: ac duplicaſſe, inquit, ſe ſtipem, quòd ſuprema ea eſſet; doluitque conſequenti mox die fœmina, vera protuliſſe beneficum ſuum.

Salutis timor in eo acrior,

Et vehementius æternitatis deſiderij.

Mortem ſibi prænunciat.

Cui ſe comparat,

Monitus procul dubio cœlo Andreas ſui tranſitus, quem tàm certò ſignabat. Quo ſanè intentiore ſe ad illum ſtudio comparaſſe, atque excepiſſe alacri quodam ſpiritu, vigoreque animi, viſus eſt. Igitur die, quam ſupremam ſibi futuram nouerat, ſummo mane, ſolito promptior, monente fruſtra ſocio, cerram nondum lucem eſſe, ſacrarium petijt, rem diuinam facturus. Inter eundum Præpoſitum offendit, cui interroganti, vt valeret? reſpondit, labeſactatas nonnihil vires corporis. Ergo, inquit ille, abſtineret ſacro ea vice: quietem languido perneceſſariam; tùm alacriore ſpiritu reſumpturum preces, ac diuinam hoſtiam. Quæ quidem ſanctiſſimi Senis auribus

haud

haud grata vox accidit; & quod citra poteſtatem ſuadere Præpoſitus videbatur, qui incruentam aram inhiabat, haud paſſus eſt exorari. Quocirca ſacro indutus ſyrmate, veſtigio non ſatis firmo; nam ter claudicauit, ſiſtit ſe ad altare. Aduertit fatiſcentem ſocius, ac veritus maximè, ne inter litandum procumberet, rogat, in ſacrarium reuerteretur. Inardeſcere ad hæc Senex, animo, quàm viribus robuſtior; erectaque corporis facultate, contentione quadam, ac vi ſpiritus pronunciare: Introibo ad altare Dei. Tacere ſocius, quod prædiuinare neſcio quid ſubiti caſus, ſibi videretur. Vrgere ille, atque inchoare iterum: Introibo ad altare Dei. Quibus dictis, repentino correptus malo, viſus prolabi, exceptuſque ſocij manibus eſt, accurrentibus mox alijs, qui penè exanimem in ſacrarium reuexere. Curatum opportunis tùm quidem præſidijs, vt animam reuocarent, ac retinerent; mox vbi aliquid ſpiramenti affecto corpori datum, reportatus in cellulam eſt, ſuoque in ſtramentitio cubili collocatus; vbi moliri ſe, vultuque, ac geſtu, moræque impatiens, auidè quid percupere, ſignificauit. Interrogare Patres, num deferri ad eccleſiam vellet, ſacroque inibi epulo recreari? annuit etiam, atque etiam. Hic illi: præſto quidem eſſe hęc flagrantis animi adiumenta, ac ſupremas delicias: cæterùm non eo loci eſſe ſe, vt duci eò poſſet. Interim ſeuerè à medicis pronunciatum, ac conclamata boni Senis vita. Quare feſtinata extrema ea ſacra: quæ ille, qui citra loquendi facultatem vigere ſenſibus, atque vſurpare oculis, ac auribus dicta, factaque omnia videbatur, ſingulari pietate, affectuque animi excepit: quo munere ſacrorum componi mirum in modum ad omnem tranquillitatem viſus: confluentibus interim cùm noſtratibus, tùm exteris, quibus ille dextera, cui, afflicto cætero corpore, morbus pepercerat, benè precabatur. Succedente verò eius diei veſpere, iniji ipſe agonem vltimum, qui non ſine eximia morientis athletæ contentione, ac laude fuit: inſtaurato nimirum in eodem vitæ articulo certamine, ac triumpho Diui Martini Turonenſis Epiſcopi, cuius id erat diei feſti peruigilium, & quem colere Andreas ſolenni ſtudio ſolitus erat. Ergò eo in arenam ingreſſo, dato de mora ſigno, confluxerant certatim Patres, iuuabantque egredientem animam precibus; cùm ecce tibi ex improuiſo abire vultum, candoremque Senis: mox infuſcari vehementer, ac nonnihil intumeſcere. Mirari, atque horrere, qui aderāt, ac ſuſpicati periculoſum cum communi hoſte certamen, vrgere pſalmodiam, ac præſentem Numinis opem cœpere. Pugna ea fuit, quæ tùm quidem incomperta, ac clàm omnibus; ſed patuit poſtea Dei nutu, qui non diù latere ſuorum palmas ſinit. Rem verò mendaciſſimus licet ſpiritus, coactus tamen legitimè, euulgauit; acceſſitque ad dicti fidem viri eximiè probi, ac ſanctimoniæ fama perceIebris teſtimonium. Fuit is Iacobus Tornus ex noſtris, de cuius virtute dicendum in loco ſuſiùs. Sutrenti in noſtra Diui Antonini Eccleſia Thomas Pelliccionus, Theatini item nominis vir, æquè probus, ac prudens, nobilis fœminæ, quam Infernus hoſtis inſederat, conſcientiam expiabat. Reluctari, ac opus omninò abrumpere refractarius inquilinus contendebat: cumque conſuetis religionibus, ac diris compeſceret Pelliccionus, incidiſſetque de Andrea mentio, eò illum adduxit, vt vel inuitus diceret, Sodalem quendam ſuum Andreucij morti, (ſic enim contemptu quodam illum appellabat malus dæmon,) nec quidem impunè adfuiſſe, verberibus quàm diriſſimis malè acceptum. Id autem ſpectaculi ex noſtratibus quendam vſurpaſſe oculis, qui & ipſe quàm primùm exceſſurus è viuis erat. Delata rebellis genij dicta Neapolim per literas ſuere, quæ dum in decumbentis Iacobi Torni cella recitantur, is opportunum ratus, ea tandem euulgare, quæ, laborante in extremis Auellino, dum moribundo cum alijs adeſſet, viderat; mali dæmonis teſtimonium ſuæ fidei ſanctitate obſignauit. Ac intuitum ſe, ait, in eo rerum articulo vultu, habituque hominem longè deſpicatiſſimum, ac horridum, exſpirantis lecto inſiſtentem; ac tentabundum: ac ratum communem hoſtem eum eſſe, nihil eo conſpectu territum, adductoque ſupercilio, interrogaſſe: quid illic rei ageret? reſpondiſſe malum genium: eo ſe conſilio acceſſiſſe, vt ſolutam corpore animam abriperet, ceu ſuam: ac fore breui, vt eundem ipſum, qui ea tunc ſecum auctoritate vteretur, ad Inferas etiam ſedes, velit nolit, pertraheret. Inter hæc ſuperiorem quandam virtutem eò repentè conuolaſſe, arreptumque vi quadam veteratorem, ac trucis ad modum canis catenatum, per cellæ murum, qui viſus tùm aperi-

Apoplexia corripitur.

Conclamatus, expiatur ſacris.

Lucta cum communi hoſte.

Ab energumenꝰ poſtea euulgata.

Iacobi Torni teſtimonio.

aperiri, ad proximum viridarium duxiſſe, ibique dirè cæſum, mulctaſſe pro meritis, ac demum præcipitem dediſſe in tartara. Hæc Tornus. Statimque qui aderant Patres, mutatos in ſupremo eo temporis momento beati Senis vultus in memoriam reuocantes, cauſam agnouere. Et Andreas quidem, exacta ab Angelo teterrima ea lue, defunctuſque periculo, viſus illicò priſtinæ formæ reſtitui, redijtque natiuus candor, purpuræ immixtus. Prædixerat id ipſe olim cùm noſtris hominibus, tùm exteris, quorum ſæpè opem ſolicitè implorabat. In ſuprema nanque vitæ periodo rem ſibi fore, aiebat, cum Inferno antagoniſta, qui tùm impetum adornaſſet longè periculoſiſſimum. Vnam ſibi ſalutem, nempè piorum preces, ac Dei Matrem; cuius præſertim cùm effigiem quandam in cella intimè coleret, eamque non vno miraculo nobilem deprædicaret, dicere ſolitus erat, in ea ſe plurimùm confidere, ac fore in ſuprema lucta tutelarem, ac præſidium ſuum; obſeruatumque poſtea eſt, quo maximè tempore premi, ac conflictari contigit, in Marianam eam Imaginem fixiſſe obtutum: vnde ſatis animorum, ac roboris hauſiſſe, credendum procul dubio eſt. Ergò defunctus eo periculo, ac pugna Senex triumphalis, paulò poſt quadam oris tranquillitate, ac pietate ſpectabilis, animam efflauit, quam potitam iam cælo, atque immortali circumfuſam luce, ſtatim demonſtrauit inſolitus fulgor, quo radiare defuncti ora, quidam ex noſtratibus vidit. Acceſſitque piæ cuiuſdam monialis teſtimonium, è Capuccinarum aſceterio, quod à Hieruſalem appellant. Laborabat hæc in extremis, extra omne officium, ac ſenſum vitæ, nec dum ex ijs monialibus aliqua ægrotare Andream ſciuerat. Interea pulſatum Diui Pauli æs campanum, quo moris eſt, admoneri mortales, quempiam ex noſtratibus expiraſſe. Neque mora; excitata moribunda; orate, inquit, nam Sanctus exceſſit.

Luctam prædixerat ipſe Andreas.

Qui paulò poſt moritur.

Lucet extincto vultus.

Quid Sanctimonialis quædã, eo mortuo.

Et verò communis fuit Neapolitanorum ſenſus, exceſſiſſe virum ſanctum: ita vt plerique adduci minimè poſſent, vt communi more, apprecationibus nempè expiandis defunctorum animis adhiberi ſolitis, Dei Seruo parentarent, excidebantque vel inuitis laudes, ac hymni. Ex noſtris præſertim, quibus intimè nota viri virtus, quàm plures, quòd detractum iri eius ſanctimoniæ, gloriæque Numinis putarent, ſi piaculari ſacro litaſſent, afferre ſibi vim quandam oportuit, vt comuni Eccleſiæ ritu agerent: erecti ſpè fore, vt eximius ſanctitatis ſplendor mox eluceret. Planè conſequuturę ſanctiſſimi viri gloriæ viſa quædam ſtatim indicia, ac rudimenta in populorum ſtudijs, ac votis, quæ continuò exarſere. Enimuerò, vbi primùm ſacræ hominis Dei exuuiæ delatæ in Eccleſiam fuere, vt precibus, ac thure iuſta de more ſoluerentur, inundare ingens hominum multitudo viſa eſt, ac manante latiùs fama, excreſcere: vt iam Paulina baſilica vim mortalium non caperet. Lachrymari præ gaudio, accurrere ad feretrum, manus, pedes certatim deoſculari; quò quiſque audentior, ac flagrantior, veſtium lacinias præcidere, barbam, ac capitis pilos auellere; fuitque, qui in capitis integumentum inuolarit, ac cum ſuo commutauerit, pretioſo eo exuuio diues. Nec diſſimulandum in ea concurſatione, conſenſuque mortalium, infantium etiam teſtimonium. Ex his nanque fratres duo, tenera infra octennium ætate, eius ſanctimoniam mirè declaraſſe, viſi ſunt: quorum vnus cùm expaueſcere vehementer ad mortuorum aſpectum ſolitus eſſet, Andream ita non horruit, vt oblectari intuitu videretur, eiuſque vultui diù hæſerit, mirantibus, qui indolem nouerant. Alter verò nihil doluit magis, quàm non eſſe in promptu ferrum, quo ſibi veſtium fimbriam decerperet. Oculos verò ad coronarium ſertum, quo defuncti manus implicabantur, cùm adieciſſet, facto gradu, abſtulit, attulitque matri gratulabundus, atque ea ſæpiùs verba pronuncians, viri ſancti pignus, ac monumentum id eſſe. Quod ſanè non abſque ſuperiore quodam inſtinctu fieri, exiſtimabant viri graues; ceu vellet Deus ab ingenua illa, ac lactea infantum prædicatione amplificari, confirmarique magni Senis famam. Porrò germanorum horum fratrum, qui Andreæ promerita, ac ſanctimoniam publicarunt, haud par eſt, inuolui ſilentio nomina. Fuere hi Fabritij Quindatij æquè nobilis, ac religioſi viri filij, qui, vt ſtirpe generis, ita & ſua poſtmodùm virtute claruere. Aggregati ſiquidem in ipſo etiam ætatis rudimento ad noſtros, non minimùm ſanè lucis, atque exiſtimationis attulere Ordini. Natu maior Thomas Guindatius, minor Caietanus: vterque morum comitate, pietate, eruditione, ac ſa-

Eius ſanctitatis communis perſuaſio.

Accurſus ad exequias.

Ab ore infantium laus.

Fuere hi Thomas, & Caietanus Guindatij.

cra in primis eloquentia oppidò ſpectatus. Inerat Caietano ardor, ac vis quædam dicendi expugnandis mortalium animis peridonea, reſpondebatque ſolidæ, flagrantique animi vittuti, qua præditus erat, neruoſa, ac robuſtior eloquentia. Thomam vero gratior dictio, ac quædam etiam in pronunciaodo feſtiuiras commendabat, vt populorum ſtatim aures, animoſque conciliaret. Teſtes præcipuæ Italiæ Vrbes fermè omnes, quas conciooibus, ac nunquam ſine principe plauſu peragrauit: cùm interim a tradendis ſcientijs minimè feriaretut, emenſo inſigni cum laude ingeoij non voo ſacræ, profanæque Philoſophiæ curriculo. Diutiùs profectò viuere par fratrum præſtantiſſimorum debuit. Maturiùs nanque, ac paruo ioter ſe ſe iorerueallo ingenti cum publicæ tei noſtræ damno ex humanis ereptos, non ita pridem defleuimus. Et Caietanus quidem Romæ obijt anno ſeculi octauo, & quadrageſimo proximè Quadrageſimæ ferias, in quibus dicturus ad populum erat in noſtro Diui Andreæ templo. Thomas Neapoli conſequenti mox anno, poſtquàm in eadem Romana noſtra eccleſia eodem magni ieinoij tempore tertiùm conciones habuiſſet, ſingulari cum aſſenſiooe, affluxuque Romanorũ. Sed de Guindatiorum virtute, ac indole ſuus erit dicendi locus. Redeo ad Auellini exequias: quibus ritè peractis, oe quid turbarum exciraret gliſcentis vulgi celebritas, viſum Patribus, feſtinari ſepulturam: curaſſentque tùm quidem corpus, niſi principum fœminarum, præſertim Iſabellæ Gonzagæ, Ho-
Differtur Andreę ſepultura ſtiliani Principis, & Mariæ Caracciolæ, Aquarij Ducíſſæ, quæ ſub Andreæ clientela diù fuetaot, preces interceſſiſſent, impetraſſentque, differri ad veſperam officium, vt frui eo pignore diutiùs, ac ſatiari per otium iucundiſſimo aſpectu poſſent. Quo loco non omittendum, quod Gonzagæ contigit, veluti ad Andreæ erga ipſam patrocinij rudimentum. Addicta hæc magnoperè ſuo olim in ſpiritu Patri, cogitare apud animum ſuum cœpit, quid potiſſimùm excitandę ſiuè memorię, ſiuè pietati ab eius corpore ſibi auferret. Subijt Marianum ſertum, quod diximus: quod vbi præreptum audijt, id tandem ſummis precibus enicit, vt eius ſaltem parte donaretur: quam ſtatim de ceruice ita ſuſpendit, vt in ſiniſtram mammam incumberet. Mirum dictu:
Iſabella Gonzaga Andreæ opem experitur. laborauerat diù pars ea pectoris duritie quadam, quæ luſa medicorum arte, nil propiùs erat, quàm vt in peſtilens aliquod malum degeneraret: Nec mora: roſarij attactu planè conualuit, ac reſtituta pectori eſt incolumitas. Quod ipſa poſtea Princeps ad facti memoriam, ac fidem teſtata ſcripto, ac ſacramento eſt.

Subſequuta mox alia ex alijs, antequàm ſacrum corpus conderetur, prodigia, quibus & inclaruit abundè Andreę ſanctitas, & piorum religio, ac ſtudium vehementer incaluit. Enimuerò cùm procetum, ac nobilium matronarum deuotioni ſatis iam factum putarent Patres, atque à tumultuantium populorum ardore incommodũ pertimeſcerent, contumulandum corpus duxere. Allatus itaque illi excipiendo, lo-
Vrna cadauer non capit. culus, qui tùm quidem portenti materia. Nam dum non modò parem, ſed maiorem putant; vt qui ſcirent, capaciorem, ac longiorem iuſto ab artifice efformatum; aduertunt longè imparem; vt ne inflexis quidem vi brachijs, ac pedibus caperet. Dum magoopere noſtrates admiraotur, inclamare omnes, Numinis conſilio id euenire, ne tàm citò ſuis ipſorum obtutibus ſubduci contingeret, quod tàm auidè intuebantur. Certè diuinitùs hoc factum, ſuccedentia ſubindè miracula commonſtrarunt, ne,
Sanguis à capite. ſcilicet, theatrum ijs intercluderent, ſi ſepelirent. Igitur differri in diem poſterum ab ea conditorij breuitate ſepulturam oportuit; ac interim, quod non dum aliquis aduerterat, madere recenti ſanguine beatum pignus, ac ſepulcrale indumentum conſpiciunt. Scilicet, ſiuè ab ea vi, qua illum condere breuiore in loculo contenderant Patres, impactum arcę violenter caput fuiſſet, ſiuè, quod propiùs vero eſt, affuſa fidelium pietas lęſerat, dum religionis cauſa capillos diuellunt, inciſum tantiſper caput fuit, manabatque cruore quodam viuido. Quo ſanè nihil cùm noſtris, tùm cęteris viſum admirabilius, dum demortuum externo die, ac profundè ſenem contemplantur; ac cœlum tùm quidem frigidiſſimum. Rei explorandę accurrere altera luce
Quod bis etiã inciditur. medici. Et Hieronymus quidem Thomaſius, vir in hac medicinę arte inter primos, cùm id ſupra mortalitatem eſſe, exiſtimaret, periclitandam ſuperiorem eam vim duxit nouo vulnere, inciditque ſemel ad ſupercilium frontem, iterum pericranium, vnde minimè expreſsus tùm quidem cruor, niſi quòd medicę cuti, quam è capite pręcidit,

cidit, viſæ purpureæ quædam ſanguinis guttæ adhæſiſſe. Quæ mox cutis & ſuo miraculo claruit: præſenti, ſcilicet, in lactentem eiuſdem Thomaſij filium beneficio. Reſpuebat is omninò vbera; proindèque deſperauerat ſaluti Pater. Vna illi tùm ſpes, commutatis commodùm pharmacis, defuncti Senis pelliculam infantis ori admouere. Factum: viſuſque in veſtigio temporis arripere mamillam puer, ac ſanitati reſtitui. Id ille poſtea pretioſæ cutis aurea incluſum theca, ſumma in veneratione habuit; cui ab ipſo etiam colore, qui nunquam defluxit, commendatio, & pretium: & quo anno adoptatus in Beatorum concilium Andreas eſt, viſa pulchriùs in lætitiæ argumentum rubeſcere. Poſt Thomaſium Iulius Iaſolinus, celebre per Italiam medici nomen, facturus & ipſe periculum, acceſſit. Tentare hic dextram aurem, exanguem nempè partem, voluit, à qua liquari continuò, atque ea vi fluere ſanguis cœpit, vt colligi vitreis vrnulis oportuerit. Venæ huic iugiter mananti adfuit, quam modò nominaui, Duciſſa Aquarij, matronæque aliæ, quæ obſignari publicis tabulis cuncta voluere. Cum interim affuſus latè rumor nullum non mortalium ordinem ad Diui Pauli contuendæ nouitati prouocaret. Clatratum opportunè cœmeterium, quod ſcenam illam aperiebat: verùm dum maximè addubitatur, ne cupida videndi multitudo clauſtra effringeret, aſſerendum ſecretò in tutã eccleſię partem corpus fuit; quoad æſtus ille hominum deferueſceret. Quo loco cruori additus cruor. Nam veluti inuideret auriculæ inciſum paulò ante cranium, viſum abire in ſanguinem; certatumque non ſine incremento pietatis inter ea vulnera; quæ quidem cuiuſdam Andreæ prædictionis memoriam excitarunt. Siquidem cùm aliàs acceptum pro ſacrarum virginum tutela tergeminum vulnus denarraret, diſertè pronunciauit, ter itẽ ſe poſt fata vulnerandum. Quod adamuſſim contigit medicorum manu. Illud etiam olim prænunciatum, cui reſpondit modò euentus. Nam cùm ſæpiùs viuidam in eius ore purpuram cõmendarent Patres: quid, inquit, vigere, atque animari ſanguine viuentis vultum miramini, quando eundẽmet vultum triduò iam defuncto idem color, & flos purpuræ exornabit? Quod ingenti cum omnium admiratione ſpectatum; ſpirante nimirùm, ac conſita ceu roſis facie: cui veluti adhuc viueret Andreas, & reliquus corporis habitus reſpondebat. Apertis nanque ab Iaſolino oculis, nihil in ijs corruptum, libatumque. Tùm manus, brachia facili quodam flexu morbida. Neque verò tertia eius prædictio diſſimulanda. Siquidem cùm incidiſſet de ipſius morte ſermo, id ſibi defuncto euenturũ dixit, quod bobus in macellaria paſſim taberna accidit, quorum quiſque partem, fruſtũque aufert. Et ſanè conciſum quodãmodò eius corpus, viſum abijſſe in partes. Hæc in Auellini funere, eius ſanctimoniæ declarandæ. Cùmque venerandi iam, contemplandique corporis copia abundè facta iam eſſet, haud ampliùs differendum ſepulturæ officium cenſuere Patres. Quocirca, curata ampliore vrna, triduò à morte conditum in cõmuni cœmeterio propter eius altare fuit; hæſitque in omnium animis tanti Senis recordatio: vt iam nihil eſſet Neapoli frequentius, quàm de eius laudibus ſermo: cumque non deeſſent in dies collata ab eo in piorum cõmodum beneficia, gliſcebat paſſim eius opinio virtutis, de qua & aliqua hic ſtylus adnotauerit, vt in ampliſſima ſegete partem ſibi magnorum operum demetant annales noſtri. Porrò ſeruandus hic ordo, ne multiplex argumentum ſcriptionem confundat; ac ſuos cuique virtuti actus ita adſcribamus, vt quod fuerit alibi pro temporis, locique opportunitate dictum, non hic reponamus.

Eiuſque pellicula ſanatur puer.

Ab aure item cruor,

Et mox à cranio.

Prędixerat ipſe poſt mortẽ vulnera,

Et vultus purpuram.

Tandem ſepelitur,

Auſpicandum ab ea virtute, quæ maior omnium cum ſit, principem ſibi vendicat locum. Charitas ea eſt, qua nihil ardentius, nihil actuoſius, ſiuè Deum reſpiciat, ſiuè mortalium commoda. Vna quidem eſt, quæ magnæ indolis amplitudine cœlum ſimul, ac terras complectitur; ac tota in Deum aſſurgit, tota in proximos propendet: vt miſceat, augeatque mutuis ijs ardoribus vtrumque ſtudium. De amore in Deum dicemus ſecundo loco. Eam nunc charitatis partem exequimur, quæ tota in demerendis mortalibus, atque in animorum lucris impenditur. Et verò is fuit in hoc officiorum genere Andreas, vt iuuandis alijs natus, præcipuum quoddam charitatis inſtrumentum videri poſſet. Nihil illi antiquius, quàm inueteratas longo vſu ſimultates, ac odia exſcindere: culpis innutritos, affixoſque malo ſuo homines ad frugem corrigere, ac reuocare: vitia funditùs extirpare: adhortari, inſtituere ad virtutis curſũ

Andreę in proximos charitas.

contrectare animorum vulnera; confeſſiones aſſiduò excipere. Quæ ſanè curæ ita illum diſtinebant, vt nunquam feriari vir incitatiſſimus viſus fuerit. Quinimò, vt ſibi, ſuoque profectui, iiſdemque charitatis officijs vacaret, partem, nec modicā quidem de ſolida nocte decerpere, horaſque antelucanas vigilijs ſuis anteuertere oportebat: vt ſcripſerit aliquando ingenuè Atripaldenſium Duci: optare ſe vel vna tantùm nocte ſatiari ſomno, nec dari. Scilicet, vt quoniam pro hominum ſalute dare ſanguinem, ac vitam minimè permittebatur, ſaltem labores, vigilias, ac corporum incommoda exhauriret. Id quod diſertè, compoſitis ad religioſiſſimam Principem Mariam Parmenſem literis, ſignificauit in ea verba: Quonam modo in Seruorum Dei cenſum adſcribendus eſſem, ſi minimè ex toto percuperem corde & ipſum etiā ſanguinem pro animarū æterna incolumitate effundere? At quando meorū grauitate peccatorum id auidè mihi ſitienti negatur, dabo operam, vt ingenti, perennique labore præſto illis ſim. Hæc ille: accedebatque dictis fides ab ipſo opere. Enimuerò ſubire, vorare quicquid eſt moleſtiæ, ac laboris videbatur, vbi proximorū neceſſitas prouocabat. Excipiendis aure peccatis, atque emendandis mortalibus intentus, prandium non ſemel omiſit, compenſabatque ieiunium labor ipſe, ac ardor rei pro Chriſto benè gerendæ. Non cœli, non temporum iniurias declinare, vbi affulgere ſpes aliqua ſpiritualis lucri videbatur; excipiebatque ruentes imbres, veluti delicijs inundaretur. Æſtiuum item ſolem nihilo magis formidabat. Monenti aliquando, vt ab æſtu caueret: quid, inquit, cereus ne ego, vt ſolem timeā? addiditque aliàs, illi ſe deſudare, qui ſupra ſolem, ac ſupra pluuiam eſt. Semel, vt ægrotanti maturiùs adeſſet, eo impetu ferri, ac rapi viſus, vt nihil propiùs fuerit, quàm interceptum curru, rotæ protererent. Aliàs ne dilabi occaſionem ſineret, ſordida inire loca, non dubitauit: gnarus, nullum non locum charitati nauandæ opportuniſſimum. Aliquando opem nobili fœminæ in ſummo rerum diſcrimine laturus; ne ſuſpicionem crearet, ſi cernerent conſanguinei, adrepere manibus quadrupedum more oportuit; inuiſitque clàm omnibus, ſolatuſque illam eſt, quam triſtitia, curæque conficiebant. Illud eximiæ charitatis præclarum ſanè argumentū; neque morbis detineri, quominùs aliorum neceſſitatibus adeſſet. Accidit nanque interdum, vt afflicta valetudine, dum præſtolari medicū oporteret, charitate exſtimulante, exiret ipſe domo, afferretque alijs ſalutem ægrotus. Sæpius inter eundum diffluere defecto Seni inteſtina contingebat; nec proindè contentionē remittere, ac laboribus temperare, videbatur: gratulatus nempè patere viſcera charitatis. Accidit, vt Ioannes Vincentius Capycius Piſcicellus, è patricio ordine vir pius, illum aliquando offenderit inter hæc corporis, ac fluentium viſcerū incōmoda, inſtitura iſtiuſmodi charitatis opera proſequentem; & qui addictiſſimus viro erat, monere illum perhumaniter, ne tàm ſeuerè ſecum ageret, ac quieſceret, quoad morbi vis remitteret: cui ardentiore quodam ſpiritu; abſit, inquit, vt cū implacabili hoc hoſte, corpus indigitabat, mitiùs agam, eiuſque curandi gratia procurationem animorum abrumpā, pro quorum incolumitate Chriſtus Dominus in cruce ſpiritum poſuit. Eiuſmodi verò, ſiuè in perditorum hominum conuerſione, ſiuè in aliorum profectu, atque inſtitutione vt operam poneret, nulla detineri locorū diſtantia patiebatur, quominùs vel longiſſimè poſitos, vt aliquod faceret operæ pretium, adiret. Non tempora diſtinguere, qui æquè perdius, ac pernox iuuandis proximis operā dabar. Nulla itidem perſonarum, aut gradus apud illum ratio. Nam, etſi in virorum principum, ac magnatum moribus expoliendis multus erat, vt quorum exempla in vtrāque partem valere maximè nouerat: attamen nullū vnquam ex infima ſorte hominem viſus excludere. Æquale mortalium pretium, non cenſum, non opes expendebat: proindèque omnes æquè excipere, monere, cunctis obuius, ac facilis, ceu publicum perfugium, ac ſalus. Ne verò in hiſce pietatis officijs tempus falleret, atque vni plùs, alteri minùs ſe ſe, ſuamque operā impenderet, horologium arenarium geſtare de cingulo conſueuerat: ſic cui plures quotidiè inuiſere, conſolari, inſtruere propoſitum erat, diuiſo ex æquo tempore, omnibus aderat. Atque hoc quidem animorum negorium non vna planè ratione, ac via curabat. Siquidem quò pertingere voce, ac præſentia minùs poterat, ſcriptione agebat: eratque vbique literarum beneficio, atque ardore quodam, quo ſtylus flagrabat. Extant in Neapolitano Diui Pauli tabulario

Etiam afflicta valetudine,

Nullo locorū diſcrimine,

Aut perſonarū

Diuiſo ex æquo tempore,

Literis etiam agebat;

bulario eius Auellini literæ, quas exſcribere ipſemet, ſolitus erat, antequàm mitteret. Plenæ illæ quidem robuſti ſpiritus, ac monitorum; quippè quas, vt ipſemet aliquando teſtatur, diuinus amor, ac zelus dictaret. Nihil in ijs, vti alibi ſignificatum eſt, ſuperflui officij, nulla humanæ beneuolentiæ conciliatio; ſed acres ad virtutem ſtimuli, ac vibrata cominùs tela admirabili quodam dictionis genere ſupra noſtrum calamum. Quanti illas fecerit Maria Luſitana, pijſſima Heroina, quanti item Raynutius filius, qui vel inter Belgica arma, quæ tractabat, oblectari earum lectione ſolitus erat, alibi ſignificaui. Fuere & aliæ nobiliſſimæ Neapoli matronæ, quibus nihil iucundius, ac pretioſius, quàm Andreæ epiſtolæ. Inter quas Ioanna Caſtriota Nuceriæ Ducifſa, præter animi eruditionem, hauſtamque inde pietatem, & corporis etiam incolumitatē earum attactu impetraſſe, affirmabat. Chriſoſtomam item Carafam, religioſiſſimam fœminā, nunquam ſine aliqua beati Senis epiſtola erat reperire. Vltimā quippè apud ſe retinere, ac legere ſæpiùs ſolebat, quoad aliam acciperet. Quæ quidem literis veneratio mirum in modū creuit, eo defuncto; quod ipſemet prædixit. Teſtatus nanque eſt Aloyſius Carafa, Hoſtiliani Princeps, audiuiſſe non ſemel ſe Andream pronunciantem, poſt exceſſum ſuū fore ſuas literas magna veneratione aſſeruandas. Conſentaneus planè ijs epiſtolis honor, quas non antea exarabat, quàm fuſis ad Deū precibus, exciperet diuinitùs ſenſa, ac monita, quæ ſcriberet. Qui mos illi familiariſſimus: ita vt cùm orandi, commentandique ſpatium ante literarum ſcriptionem minimè ſuppeteret, omitteret potiùs literas conſcribere, quàm Numine inconſulto ſtylum ducere. Quod excuſationis genus cum noſtro Paulo Aretio aliquando adhibuit, dum is Neapolitanæ Ciuitatis nomine legatione apud Philippum Secundū Regē Matriti fungeretur: Diſtuliſſe ſe nempè, ait, literas dare, quòd præcipiti occaſione, ac feſtinato nimiùm tabellarij diſceſſu, non licuiſſet aliquantiſper orationi ſe dare, vt fœcundata diuino afflatu mens, opportuniſſima, & quæ fructui eſſent, exararet. Harum verò literarum numerū inire, omninò impoſſibile. Enimuerò vt viris, quā Inſulis, quà nobilitate præcipuis morē gereret, aſſidua tractare manu ſtylum oportebat: vt quæ in Paulina duntaxat domo extant, ſupra millenas ducentenas numerentur: autographæ illæ quidem, ac perquàm concinnè conſcriptæ, ducto ad omnem apicū elegantiam calamo; ne incondito, obſcuroque charactere laborarent monita, quæ dictabat. Quod quidem iuuandorum mortalium ſtudium non familiaribus modò literis vrgebat, ſed alijs etiam aſceticis commentarijs, quos ad morum formationem, atque ad incrementa virtutum legendos ſuis propinabat. Planè qui tot ſcripta eius manu volumina, quæ in eadem Paulina domo ſunt, contemplatur, mirari vehementer neceſſe eſt, qui potuerit vir alieni ſemper iuris, atque in externa proximorum ſalute procuranda longè occupatiſſimus, tàm prolixè cōmentari, lucubraris ingentibus, quà numero, quà mole opuſculis? Quare conficiendum omninò, veriſſimum id eſſe, quod ipſum aliquando diximus pronunciaſſe: nempè veluti quendam adminiſtrum, ſiuè amanuenſem excepiſſe ſe ſcripto, quod Numen dictabat. Et comprobare id ipſum videbatur admirabilis quædam facilitas, ac celeritas, qua ſua perſcribere ſolitus erat, manu videlicet, nunquam refractaria, ac continuato nulla prorsùs litura ſtyli ductu. Enumerat hæc ſingillatim opera Franciſcus Boluitus, quæ deſiderari hic noluimus. Scripſit ſiquidem in pſalmum quadrageſimum quintum, & centeſimum decimum octauum: in orationem Dominicam: in Salutationem angelicam: in illud Lucæ: Deſcendens Ieſus de monte: in illud: Diliges Dominum Deum tuum: in Epiſtolam ad Romanos: in Epiſtolam Iacobi: in ſecundum librum Magiſtri ſententiarū: Scholia in ſummam D. Thomæ: de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: de diuina clementia: de ſpe, ac timore: de ſeptem donis Spiritus Sancti: de Chriſtiana humilitate: Directorium Magiſtri nouitiorum: pleraque item de orandi, contemplandique ſtudio, ac arte, ac plura etiam concionum volumina. Fuere ex noſtris, qui in multiplicis, ac fructuoſiſſimæ ſcriptionis ſpecimen pauca quædam è tot lucubrationibus excerpſerint, fingendis moribus, fouendæque pietati opportuniſſima. Quod omninò placuiſſe Animæ illi magnæ fatendum eſt: vt, qui adeò in animarum negotium intentus olim fuit, videatur adhuc vrgere, ac formare piorum pectora vigilijs, ac ſcriptis ſuis.

Quas plurimi faciunt Viri, ac matronæ principes.

Quod ipſe prædixerat.

Ante ſcriptionem orat.

Aliæ item ſcriptiones.

Enumerantur.

Hæc

Andreæ in Deum charitas.

Hæc de Andreæ charitate in proximos, quæ non adeò planè exarſiſſet, niſi qui animam occupauerat, incendebatque diuinus amor, ſuas illi flammas ſuffeciſſet. Languet nempè ea ſtatim charitas, quàm non in Deum amor reficit, vegetatque. Iam, quantus inerat Andreę diuinus amor, abundè commonſtrabat ſtudium, quò hunc ipſum in alijs ingenerare, afflare, propagare contendebat. Eò nimirùm labores eius omnes, vigiliæ, adhortamenta collineabant, vt calerent ab cœleſti eo igne hominum pectora. Ad hæc, vnio illa, qua ita affixus Deo erat vt obuia quæque interdum minimè aduerteret, nullus non affirmauerit, argumentum fuiſſe vnicè amantis, cuius id eſt proprium, abreptam à ſenſibus mentem Deo coniungere. Ab hoc etiam fonte vberes inter orandum lachrymæ, amoris profectò indices. Hinc etiam iunctæ lachrymis deliciæ, quibus affundi interdum contingebat; quos enim diuinus amor inflammat, ac vrit, ſuo etiam rore, ac gaudijs inſpergit. Aduerſùs diuinam Euchariſtiam, quòd præcipuum quoddam eſſet diuini amoris inuentum, mirùm quo affectu ferretur. Propiorem eccleſiæ cellulam eo nomine incoluit libenter, ac diù, quòd Euchariſtico Amori ſuo vicinior eſſet: cùmque aliò immigrare exædificationis neceſſitas coëgiſſet, id impenſiùs efflagitauit, vt conclaue contingeret, vnde eccleſiæ ſaltem feneſtras proſpiceret; vt peracrem animi ſenſum eo aſpectu leniret, aut falleret. Propterea ſingulare illi in miſſæ ſacrificium ſtudium, ac fames quædam faciendi ad arã, quæ ita animum vellicabat, vt moræ impatiens, quotidiè ſummo mane celebraret, auebatque, quã primũ innecti, miſcerique cũ Deo. Nullum ſibi acerbius infortunium euenire poſſe, teſtabatur, quã ſacro abſtinere. Semel ob valetudinem interdicta illi Litatio; & quamuis diuina ea myſteria quotidiè vſurparet, nihilò tamen minùs quà precibus, quà ſuſpirijs efflagitandi finem nullum fecit, quoad reſtitutus aræ fuit; ac tũ quidem alacri quodam amoris ſenſu, ac impetu geſtire, exultare, potitus diuini amoris delicijs. Par illi in Chriſti Dom. Paſſionem, doloreſque affectus; quòd nihil efficacius ad inflammandos in Dei amorem mortales ſciret, quã Saluatoris patientis, morientiſque memoriam. Hæc illi perfamiliaris loquendi, ſcribendique materia. Hoc potiſſimũ medendis, leniendiſque animarum languoribus argumento vti. Ab eiuſmodi colloquijs nihil propriùs erat, quã abire illum in vberrimos fletus. Semel ex noſtratibus quidam celebrioris famæ concionatorem, de Chriſti cruciamentis, pœniſque copiosè, piéque dicentem audiuerat. Dum audita Andreę refert: ecce tibi fluere oculos, ac per genas vberrimè madere barbam, ac veſtimenta. Quæ lachrimę in ſuprema maximè ætate ita iam faciles manabant; vt qui eum conuenirent, à cõmemorandis Redemptoris cruciatibus dedita opera abſtinerent, ne fructuoſis boni Senis ſermonibus, ſubito fletu interceptis, priuarentur. Sæpiùs ante Chriſti è cruce pendentis imaginem auditus verba amoris plena proferre, ac vehementiùs exardeſcere. Hymnum illum: Ieſu noſtra redemptio, in Dominica Aſcenſione cani ſolitum, recitare ipſe identidem conſueuerat; tùm maximè, cũ ad diuinam immolationẽ pergeret. Vbi verò ad ea verba: Crudelem mortem patiens; perueniret, agi inſolito quodam amoris impetu videbatur; eademque ſæpè congeminans, Cœlum tremebũdus ſuſpicere, inflammari, quati, lachrymari: vt propterea, recepta ſubindè apud noſtrates, ac exteros conſuetudine, hymnus ille, ſancti Senis hymnus appellaretur; cuius vim ſenſere aliquando mali dæmones, implorato ſimul Andreæ nomine. Ferias autem, Dominicæ Paſſioni ſacras mirum quo pietatis habitu, quo ſtudio flagrantioris animi exciperet. Feralem illam Caluarij ſcenam ita eo potiſſimũ tempore animo obijciebat, vt perindè quaſi theatro præſens adeſſet, ſuſpirijs, ac comploratione minimè temperaret. In ipſa verò re diuina, ac ſacra pręſertim Paſſionis lectione ſubſiſtere identidem oportebat, quoad vis lachrymarũ, ac impetus ille doloris, amori immixtus, remitteret. Hinc illi, vt ad Saluatoris ſeſe exemplum cõponeret, ſitis quædam ærumnarum, ac cruciatuum; veluti erubeſceret, ſub cruentato eo capite, expertem doloris, ac ſanguinis vitam agere. Quæ ſitis patiendi luculentum ſanè in Andrea diuini amoris indicium fuit. Cùm enim hoc maximè ærumnarum periculo, ſiuè attactu diuinæ charitatis aurum, eiuſque dignitas exploretur, planè non vulgaris notæ amor in eo fuit, cui nulla antiquior cura, quàm acerba, ac aſpera pro Chriſto ſubire. In martyres, quos vngula, ac ferrum diſcerpſit, veluti inſigni prærogatiua à Deo

In ſacram Euchariſtiam deuotio.

In altaris præcipuè ſacrificium affectus.

Et in Chriſti Paſſionem.

Patiendi deſiderium.

do-

donatos diſſimulare præclaram inuidiam minimè poterat. Eapropter ab arcano eò pectoris morſu exclamare ſolitus erat: ah Martyres, Martyres. Scilicet, non ad pœnarum præmia, ſed ad pœnas ipſas, earumque argumenta ſuſpirabat, vt ſuo veluti in theatro vim generoſi pectoris oſtentaret diuinus amor. Hinc, quæ olim, Martyres imitatus, tuendarum virginum ſtudio excepit vultu intrepido vulnera, memorare aliquando gratulabundus conſueuerat; oſtendebatque gaudere ſe quidem, dediſſe pro Chriſto ſanguinem; ſed multò magis cupere, viro afflictionum ſitientiſſimo nouã dari patiendi occaſionem. Cùmque acerbiſſimis interdum conflictari corporis doloribus contingeret, non modò nullam admittere opem, ac leuamentum; verùm etiam alloqui impetu quodam dolores ipſos, atque inuitare, ſiuè irritare ſolitus erat, vt acriùs impeterent, ac diuexarent: &, ſi poſtquàm faceſſerint, poſtliminiò redirent, illos prolixiùs benedicere; eorumque charitatem, quòd ſępius inuiſerent, commendare, videbatur. Dicere ſolitus erat, ſi hinc per aſpera, hinc per oblectamenta pateret ad cœlum aditus, dareturque alterutrum pro arbitratu inire, relicta facili via, ingreſſurum ſe in aſperam. Et, ſi hinc ęrumnarum Iliadem, hinc delicias, quotquot ab rerum initio fuere, eruntque ad earum finem, Empyreo minimè excepto, quoad eam partem, quę fruitione conſtat, propoſitas haberet, complexurũ ſe potiùs cruciamenta, in quibus Deo ſeruimus, quàm voluptates, quibus Deo fruimur. Tanti autem apud ipſum erat pro Domino pati, vt diceret, audacem nimiùm fore ſe, ſi peteret in pœnarum communionem vocari; ducebatque oppidò indignum eſſe, vile caput eadem donari ſorte, qua diuinus Pater filium cumulaſſet. Addebat, ſi qui nos oderunt, dignitatem, ac decus intelligerent calamitatum, quę inferunt; abſtinerent quidem, ne adlaborarent hoſti ſuo lauream, ac palmam. Illud profectò è ſchola diuini amoris, quotidié mane à Deo impenſiùs poſcere, vt non ſibi ſine aliqua vel animi, vel corporis ęrumna laberetur ea dies. Quod ſi preces ſuccederent, intimè gaudebat, ſe compotem eius voti. Cuiuſmodi documentum in Gallia Ciſalpina edidit, dum iter conficeret. Enimuerò inſcenſurus equum, afflictus humi, raptatuſque ab eo graui cum corporis incõmodo cùm eſſet, non modò viſus non triſtari, verùm accurrentibus, gauiſum ſe magnoperè affirmauit; quòd mane id pręcipuè Numini ſupplicaſſet, vt daretur ſibi ea die aliqua patiendi materia. Iterum, ſimili omninò caſu excuſſus ab equo eſt propè Beneuentũ, niſi quòd luto inuolutus, ac equi pedibus preſſus, grauiùs, ac fœdiùs cecidit. Tertiò eandem equi contumaciam expertus, propè fuit, vt impactum ad ſilicem frangi, luxariue corpus contingeret. Quę ipſe eadem animi, ac frontis hilaritate excepit; profeſſus, non aliud ſe enixiùs rogaſſe, dum manè litauiſſet: quod ſi ſucceſſu minimè lętaretur, lingua tenùs flagitaſſe, ac luſiſſe, videri poſſet:

Martyribus inuidet.

Patiendi materiam à Deo poſtulat.

Et verò quem Chriſti charitas fecerat calamitatũ pro Domino ſitientiſſimum, eadem illi tolerantiã, ac pectus ęrumnarum capax, ac patientiſſimũ dedit. Atque hęc quidem perquàm familiaris Andreę virtus, hauſeratque à Saluatoris Cruce, ſanctorũque cruciamentis, quorũ comparatione quęcumque ſibi aſpera, ac dura ingrueret contingeret, aut grata, aut exiguę muſcę iniurias, ac morſus putabat. Planè cùm actuoſior is eſſet, ac res illi cum omni mortaliũ genere, in homines nonnunquam incidere difficiles, pręfractoſque, neceſſe erat: atque adeò laceſſitus perſępè iniurijs, ac contumelijs fuit, quas ipſe non alio quidẽ vultu, ſenſuque excipiebat, quàm ſi cumulaſſent laudes viri humaniſſimi; vt vel ab eo inſignis tolerantię habitu emollirent indolem, ac verba, qui lęſerant. Hanc verò in acerbis ęquanimitatem, ac patientiam nihil exercuit pulchriùs, quàm feſtinata vnico nepoti mors, ferro quidem, ſed immerenti illata. Conciliauerant Patrui affectum mores boni, ac ſingularis in eo probitas: vt ſanè delicatiorem in Auellino partem tangere, ac vulnerare humana calamitas nequiret. Nuntius perturbare, ac miſcere conſtantiſſimi cuiuſque viri animum poterat. Verùm ea in Andrea vis animę, vt nihil de eius tranquillitate, vultuque caſus delibauerit. Quinimò communi quadam tolerantię laude minimè contentus, demiſſus in genua, ceu beneficium aliquod impetraſſet, Deo primùm grates, laudeſque habuit, tùm qui trucidauerat, ſicario benè precatus, diuino illum Numini ex animo commendauit. Ad hęc, germanum fratrem, cui ereptus filius, literis ſtatim monuit,

Eius tolerãtia.

In conuicijs ęquanimitas.

Nepotis cædẽ intrepidè excipit.

vt Chiſtianæ patientiæ, ac charitaris memor, offenſam illicò condonaret, profeſſus diſertè quà ſcripto, quà voce, in ea ſe clade Dei ſolūmodò iniuria vehementiùs vellicatū: cæterùm non tanti ſuiſſe nepotis iacturam, vt decerperet vel minimùm tolerantiam; quam præter hæc externa, quæ dixi, & ſui eriam corporis incōmoda commendabant.

Corporis incōmodis conflictatus.

Non vno laborabat morbo vir egregius, Tentari nanque identidem dentibus, ſtomacho, aſthmate, hernia, maliſque alijs ſolitus erat, qui coniunctis interdum viribus, non ea vi oppugnare animum poterant, quin ipſe doloribus maior, fortiſſimè triumpharet. Semel, quòd periculoſè intumuerat dextrum genu, adhibere ferrum, ac ſectionem oportuit; quod quidem ingenti cum ſpectantium admiratione accidit. Nam cùm ipſamet chirurgi manus tremere videretur, lanienam ipſe ſuam aſpexit vultu planè immoto.

Blanditias in eo curādo recuſat.

In his autem morborum moleſtijs pluſquàm morbi ipſi illorum beneuolentia diuexabat, qui ſenſu quodam cōmiſerationis corporis indulgentiam, ac blanditias ſuadebant. Contraria iſthæc generoſæ patientiæ indoli. Quare eiuſmodi monita excipere ſupercilio, ac ſententijs, fortiſſimo animo dignis conſueuerat: ac modò, glorioſiùs triumphare charitatem, aiebat, quò laborioſius exercetur: modò, non alijs accipi blandimentis corpus, quàm afflictationibus, debere interdum, crucem militarē eſſe viam ad Paradiſum: ſæpè ad fortia martyrū exempla prouocare: ſæpiùs in tolerantiæ laudes excurrere: atque ita robuſtæ huiuſce virtutis poſſeſſione, ac cultu dignus ſua nomenclatione videri Andreas potuit.

Verſamur adhuc in patientiæ laudibus, eamque tolerantiæ partem modò perſtringimus, quæ in atterendo, vindicandoque ſponte corpore conſiſtit.

Sui hoſtis, & lictor.

Affirmabat ſæpiùs Andreas, nullum ſibi capitaliorem hoſtem, quàm ſeipsū; idque vehementer dolebat, quòd alere, fouere, circumferre coactus eſſet corpus ſuum. Quapropter nequid auderet, turbaretque ſenſuū contumacia, duriore vitæ genere, ac fræno vtendū ratus, ſæuire in ſeipſum ſæpiùs, quà cilicio, quà flagris conſueuerat. Et in pia quidem verberatione ita multus erat, vt cum ſuā quotidè armaret manū, inteutaretque corpori vulnera, cuperet etiam externū quendam lictorem, qui acriore vi percuteret. Attenuare eius etiam vires conſtanti quodam vigiliarum tenore, ac lecti incōmodo videbatur.

Somnus illi perparcus, & in palea.

Quippè ſomnum non vltrà quatuor horas trahere; lectus verò illi ſtramentitius, ſubſtrata nimirùm culcitra, paleis farta, quam ſubigi, ac renouari nonniſi poſt octonos, aut nouenos annos permittebat, idque ſuperiorum iuſſu; ac tùm quidem dicere feſtiuè, ſolitus erat; lætari à recenti palea aſellum: hac ſcilicet honorifica appellatione corpus indigitabat, quod à Diuo Franciſco didicerat.

Thienæi exēplo.

Imitari ſe Caietanum Thienæum, Parentem ſuū molliore eo cubili, quod vix diſtaret à nudo aſſere, profitebatur: & quem nouerat, ad finem vſque vitæ eā cubandi conſuetudinem retinuiſſe, id ipſe rogare eriam, atque etiam ſuos, vt ſinerent ſpiritū ponere, aut humi, aut duriſſimo in ſtramento. Hanc porrò ſomni menſuram, ac ſeueriorem quieſcendi modum, neque in principum virorum domo vnquam remiſit. Excipi quidem conclauibus, ac lectis magnificè inſtructis interdum contingebat: ſed cui nihil prius, quàm vitæ vbique rigor, non ijs ſe capi delicijs patiebatur, vertebatque in grauiorem ſui pœnā blanditias. Vellicari ſiquidem, vexarique appetitum propiore ea hoſpitis magnificentia gaudebat: cùm interim humi cubaret, preceſque ad multam noctem funderet.

Auellini abſtinentia.

Vigilijs reſpondebat gulæ frænum, ac abſtinentia, quā quidem vir alioqui robuſti corporis, & cui plurimum inerat innati ignis, ſtrictiùs planè coluit. Incidit aliquando inquendā ex noſtratibus cœtum; &, vt nunquam non de ſerijs, ac fruge animorū ſermo erat, vbi Andreas præſens aderat, ſciſcitari illum cœpere: quid capeſſendæ virtuti, expoliendæque interiori homini opportunius iudicaret? Ille, vbi aliquantiſper cogitabundus ſubſtitiſſet:

Ac de gula ſententia.

gulæ, inquit, mortificationem, quantùm ipſe caperet, momentum planè ingens ad perfectionem habere. Mirari omnes, quòd primi nominis virtutibus prætermiſſis, primas abſtinentiæ dediſſet: at ipſe vehementiore quodam ſpiritu: ita, inquit: circumſcribenda victus ratio, atque edomanda primùm gula eſt: hanc ni ſternas, nunquam ad ſumma euades: cumque ad ſcholæ calculum reuocare viri illi graues rem vellent; quòd diſceptando nullum fieri pretium operæ, terique inutiliter tempus cerneret, cōmendato etiam, atque etiam abſtinentiæ ſtudio, ac proſciſſa acriùs gula, confeſtim abijt. Sed neque hæc verbo tenùs. Nam præter ſtata Eccleſiæ ieiunia,

noſtra

noſtra item diſtrictè obſeruare, traducta ſæpiùs ad veſperam cœna, vt maiore cum corporis incommodo ieiunaret. Quicquid edulij palato ſaperet, guſtumque proritaret, illicò proſcribere. Obuia, vilia, & quæ vires tantummodò citra voluptatem omnem reficerent, cupere: lupinis interdum contentus; idque potiſſimùm, cùm ad moniales verba eſſet facturus: ſic dictioni latera, ac robur comparabat.

Præcipuè in ſenectute victus aſperitas.

Abſtinentiam, quæ ſuſtentandæ ſenectuti, remitti plerumque ſolet, ipſe, ceu deuexa ætate creuerint vires, opeſque corporis, vehementiùs intendit. Etenim qui antea ſobrius, poſteà ſeuerè parcus, ac tenuis, & gulæ omninò victor fuit: interdicto ſibi prorsùs carnium, piſcium, ouorumque vſu: computabatque inter delicias cocta pridiè legumina, ac reiectitias herbarum reliquias, quas ipſemet viſus interdum colligere, ac lixandas ad prandij lautitias tradere. Quam ciborum rationem cùm nunquam abrumperet, placuit interdum ipſa Dominicæ Reſurrectionis die heſternis fabis ieiunium ſoluere; guſtu quidem, ac ſenſu, ceu ſaliari quodam epulo ſolennitatem exciperet.

Etiam in Principum menſis.

Splendidiſſimis item in procerum menſis ſui ſimilis, eandem hanc ſtrictioris victus contentionem retinere. Teſtata luculenter id eſt Vici Marchioniſſa, quæ impetrare ab eo nunquam potuit, vt quoties Leucopetram, qui eſt propè Neapolim vicus, accederet, præter olera, ſuas nempè epulas, aliquid delicatioris opſonij delibaret.

Quid illi in Hoſtiliani Principis domo acciderit.

Et Iſabella Gonzaga Hoſtiliani Princeps, cui Auellinus à confeſſionibus, quoties Herculanum, vbi morabatur, reuocare illum contingebat, vt domi diutiùs retineret, ſuam illi menſam ſtrui, hoc eſt, legumina apponi iubebat; Semel, vt boni Senis incolumitati, oc uoque conſuleret, vti pia quadam fraude, eiuſque illudere abſtinentiæ, cogitauit, immixto fabis pullo gallinaccio, minutatim conciſo: qua ille pulte, cùm accidere ad palatum ſolito delicatiùs animaduerteret; inſidias, ac illecebram ſuſpicatus, protinùs abſtinuit: ſeruandum tùm quidem ratus monitum illud Pythagoræ: A fabis abſtineto.

Eadē in morbis victus ratio.

Atque hunc vilium eduliorum vſum nunquam neque affecta quidem valetudine intermiſiſſe, oſtendit planè Andreas, peculiari ſe præſidio Numinis in eo victus inſtituto dignari: præſertim cùm, vti alibi ſignificatum eſt, eiuſmodi cibatu non modò non gliſcerent, ſed faceſſerent morbi, qui blanditijs, atque adhibita ex medicinæ arte victus ratione cœperant intendi. Hinc qui perſanando corpori alia ſibi incedendum via, perſuaſum habebat; ſuadentibus accomodata valetudini opſonia, ac languentis ſtomachi, naturæque leuamentum, in ea verba inſurgere Senex præferuidus ſolebat: Annon medicinæ auctor Deus? quid ergo mihi cum præceptionibus medicorum? Scilicet, ſanitatem reſtituet ille, qui morbos nouit, & pharmaca. Interdum mortales increpare, quòd vitam prorogare mortuorum animalium adiumento ſtuderent: aliàs vrgentibus, rationem afflicti corporis habendam [a], Euſebij Pontificis canonem laudauit, in quo præclara illa habentur Ambroſij verba: Medicorū cōſilia à ieiunio reuocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intenſione meditationis abducunt. Itaque qui ſe medicinis dederit, ſeipſum ſibi abnegat. Hæc ille. Quod ſi moderatorū imperio, nutuque indulgere aliquando corpori, ac reficiendis viribus quid ſumere melioris ſucci, cogeretur, quo id ſenſu admitteret, teſtabantur ſuſpiria, ac lachrymæ; ceu nihil ſibi accidere moleſtius poſſet, quàm inſtitutum abſtinentiæ rigorem abrumpere: cuius denique ſtudio teſtando pronunciare egregia quadam vi ſpiritus ſolebat, Diuum Franciſcum à Paula adeò ieiunijs aridum, vt poſt fata non habuerint vermes, quod vorarent: id ipſum ſe percupere. Scire nempè contentam paucis naturam, obrui multis; nec ignorare, gulam, quæ maior eſt neceſſitate, ac ventre, vt olim parentes primos, ita deindè peſſum poſteritatem dediſſe: demùm ali, armarique inſolentiſſimum in nos ipſos hoſtem, nempè corpus, ingeſto affatim cibo.

[a] Cap. conuerſio. de conſecrat. Diſtinct. 5.

Andreas paupertatis ſtudioſus.

Hæc porrò in epulis parcitas conſentanea omninò erat paupertati, quam vnicè Andreas profitebatur, & quæ ſtrictim narranda nunc eſt. Hærebat eius animo hæc potiſſimùm virtus, quam magnificè dilaudare, atque appellare paſſim primam Chriſti ſponſam, cœli Dominam, virtutum omnium parentem ſolebat. Gaudere vehementer in ſinu, ac triumphare videbatur, quoties neceſſaria ſibi deeſſe cerneret, ceu tùm quidem verè pauper. Siquidem, vt vmbratilem eſſe paupertatem illam dicebat, quæ neceſſarijs inſtructa, nullam ſentit indigentiam; ita nomine tenùs pauperes religioſos illos eſſe, qui quod cupiunt, capiunt. Contrà, præcipua illi mœroris, ac triſtitię

cauſa, ſi quem ſe pauperiorem inſpexiſſet: admordente ſiquidem pectus quadam inuidia, tabeſcere veluti ad ſplendidam alterius fortunam videbatur. Mendiculum enectum fame, ac ſordidum obuium aliquando habuit; ac tùm quidem contineri minimè potuit, quin ſenſu quodam peracerbo ſocium alloqueretur: En, inquit, verè pauper. Me miſerum, qui huius inopiæ comparatus, lautus videor, ac diues. Iterum ſolui in lachrymas viſus, vbi pauperem quendam nudum frigidiſſimo ſub Ioue iacere, conſpexiſſet: triſtatus piè inuidus, quòd non id ipſe inopiæ, atque incommodi ferret.

In cella,

Iam, cellulæ cultus is erat, vt diceres, fixiſſe inibi ſedem paupertatem ipſam. Arcta, atque intra neceſſitatem ſuppellex: nulla item munditia, ne læderet votam egeſtatem quæſitus in ipſa egeſtate nitor. Iniit hoc aliquando cubiculum Raynutius Dux Parmenſis, cognouitque ab optimi viri ſanctitate, ac paupertate abundè locum exſplendeſcere. Nihil autem eius in præclaram hanc virtutem ſtudium luculentiùs demonſtrauit, quàm veſtium vſus, ſinè deſpectio.

In veſtibus,

Nam quòd in nouis veſtibus neſcio quid ſplendidi, nec ad ſtrictioris paupertatis guſtum cerneret, illas ſemper reſpuit. Vnica contentus tunica: ſarciebatque detritam ſuis ipſemet manibus: atque interim, quòd alia non ſuppeteret, lecto attineri oportebat. Interiora verò indumenta vſque adeò vetuſtas, atque adſutæ aliæ ſuper alias panni laciniæ mutauerant, ac conſuderant, vt primigeniam eorum materiam iam nullus dignoſceret. Ex ijs quædam ad annum vigeſimum, quædam etiam ad vigeſimum ſextum, hoc nimirum acus adiumento, ſtudioque paupertatis geſtauerat. Calceos ipſos quos ab actuoſa, ac nunquam quieſcente in proximos charitate atteri citiùs ſolito oportebat, nonniſi poſt decennium dimittere, ſartos iterum, atque iterum, atque adeò inueteratos, conſumptoſque, vt nulli ampliùs vſui eſſent.

Eius humilitas

Gaudebat autem detritis, atque obſoletis iſtiuſmodi indumentis non modò inopię gratia, quam vouerat, ac ſummè adamabat; verùm etiam quòd ijs potiſſimùm tueri virtutum omnium fundamentum, & culmen, hoc eſt, humilitatem, ſuique deſpectionem, ſibi videretur. Nouerat vir apprimè in Chriſti ſchola eruditus, ac iam magiſter, quantùm expoliendis virtutibus, ac perfectioni indipiſcendæ proſit, animi demiſſione ſordeſcere: proindeque ſiuè ſpiritum, ſiuè corpus exerceret, præire ſui deſpectum volebat: certus augeri, amplificarique virtutes ad humilitatis, ac modeſtiæ modum. Hanc ſibi viſus in ipſo ſpiritus initio propoſuiſſe. Cum Paulo Aretio, quicum tyrocinium poſuit, eximia illi animi coniunctio, ac mutua beneuolentia. Vnum duntaxat inter ipſos erat de humilitate certamen: contendebantque vilia quæque, ac ſordida domus miniſteria ſibi præripere vnanimes æmuli. Id illi ab hac modeſtia perpetuum inſtitutum fuit, abiectiora deligere, ſplendidiora deprecari.

In omni vitæ actu,

Cum iter habendum, commodiorem, honeſtioremque ſocio equum cedere: ipſe clitellarium potiùs conſcendere, quàm inſtratum, quem ſuis deindè manibus in diuerſorio curabat. Semel, oblata illi à matrona quadam nobili ſella geſtatoria, opportuna ea quidem longo itineri, ac ſeni: verùm tentari ea geſtatione humilitatem ſuam vir modeſtiſſimus, vſque adeò indoluit, vt ſubiratus etiam nobili fœminæ fuerit non ſine eius verecundia, ac ſenſu. Illud commendandæ eius animi demiſſioni cum primis memoratu dignum. Vico Æquenſi Neapolim reuerſurus, nihil in littore cymbarum, præter onerariam, deprehendit. Rogat excipi, ac tranſportari. Excuſare nautæ: nauigium id eſſe conuehendis ſarmentitijs faſciculis, viatoribus quidem incommodum. Gratulatus tunc ſibi Andreas ſuæ deſpicientiæ occaſionem: Nullum, inquit, nauigium mihi opportunius. Quando ſtramenta, ac faſces tranſuehitis, reputate me faſcem, ac ſtramentum, alligatumque veſtris faſcibus, traducite. Viſus tùm profectò Andreas ſecundiſſimè enauigaſſe, cùm ſederet in puppi, regeretque gubernaculum humilitas.

Generis nouitatem obtrudit.

Atque has quidem atterendæ opinionis, famæque occaſiones, vt auidè arripere, ita offerre vltrò, ac præſertim de ſe, veluti de viro deſpicatiſſimo contemptim loqui, conſueuerat. Natalium nouitatem paſſim memorare, vt aliquam ab generis obſcuritate inſpergeret exiſtimationi ſuæ caliginem. Grates interdum Deo agere, quòd ab ea loci, ac ſtatus conditione ad honeſtiſſimam, ac præclaram Religionis ſortem traduxiſſet. Aliàs diſertè pronunciare, ſi hærere domi ſuæ, ac ſeculo contigiſſet, victi-

tandum

Digitized by Google

Relig. 85;

tandum ſibi labori ſuo, ac vix futurum, qui obtutu dignaretur. Sæpè cùm accumberet menſæ, collachrymari, atque ea verba cum animi ſenſu proferre: heu quot nobiles, & virtute, & ſtirpe viri hoc indigere pane, quo vile ego caput ſuſtentor. Id etiam virorum principum famulis ingenuè nonnunquam teſtari: quod ſibi Dominorum iuſſu obſequium deferebant, religioſo Ordini tribuere: cæterùm eiuſmodi eſſe ſe, vt ſi natales ſuos ſpectarent, ex libero ipſe potius famulatum illis deberet. Quendam ex laicis nouitium conquerentem, quòd non æqua lance cum Clericis, ac Laicis Magiſter ageret, ac veluti perſonarum, ac ſanguinis rationem haberet, hos blandiùs, illos ſecùs acciperet; vehementiùs obiurgatum, ac commonefactum ſuæ ſortis, dimiſit. Tùm Magiſtrum adijt, nouitij queſtus, ac peracrem à ſe reprehenſionem aperuit; idque etiam, atque etiam rogauit, ſi quando huiuſcemodi morbo laborare laicos ſuos cognoſceret, ad ſe mitteret. Nam qui obſcura, ac non diſpari conditione erat, adhibere opportunè manum, opemque poterat, quam is, qui ſplendore generis clareret, afferre non ita liberè potuiſſet. Cum hac autem ſuæ ſtirpis, fortunæque prædicatione opes animi imminuere, ac defectus etiam ſuos palàm alijs obtrudere, atque inculcare ſolitus erat. Hoc nempè humilitatis ingenium, quæ in fundo latent, animi labes in apertum trahere, ac producere in mortalium conſpectum, veluti cum pompa vitium. Ergò nihil Auellino familiarius, quàm ea euulgare, quæ oſtenderent, ſe non minimùm à ſanctitate diſtare. Deſidem ſe paſſim, ſegnemque in Dei obſequio appellare: in ſolidæ virtutis poſſeſſionem minimè adhuc ingreſſum: hærere in limine: non ardens diuinorum ſtudium ineſſe animo. Illud pronunciare frequentiùs; ſacra ita pertractare, vt fœdaret ſuis mendis: ac ſemel quidem manantem illum vbertim lachrymis quidam ex noſtratibus in cella deprehendit, flendique cauſam ſciſcitanti: quid ni, inquit, copioſè collachrymem, dum grandi quadam ſocordia, ac negligentia Dei opera deturpaſſe, ac dehoneſtaſſe, me cogito? Idque eo ſenſu, ac demiſſione affirmare, vt videretur infra humana omnia abijci ſe velle. Si quid fortè ſibi excidiſſet, quod verti in ſui laudem poſſet, ſtatim labem aliquam, defectumque adnectere; curabatque extingui contemptu quodam conceptam inde venerationem. Exterus quiſque ſi coram dilaudaret, aut perhonorificè appellaret, non acerbiore ſe vulnere peti potuiſſe, obortis illicò lachrymis, ſignificabat. Inſtitutam verò laudationem intercidere ſi minùs potuiſſet, abire, ac dilabi, veluti à re longè moleſtiſſima, & quæ intimè modeſtiã, animumque perturbaret: cùm contrà affectare contumelias, ac conuicia videretur: vt dixerit aliquando conceptiſſimis verbis, ac votis omninò flagrantioribus: Vtinam opprobrijs, iniurijs, contumelijs mortalium totus proſtem, impacto etiam in vultum luto: onerari maledictis, ac fœdè commaculari famam, id demum magna in laude, atque honeſtamento ponerem. Scilicet perindè aſpetum humilitati elogium, ac iucundum conuicium.

Et animi defectus,

Contumelias affectat.

Honores verò ab eadem hac indole humilitatis ita fugit, vt ad nomen ipſum horreret. Domeſticas præfecturas, laboris, ac vigiliarum plenas, adminiſtrauit quidem ſedulò. Verùm, quòd nonnihil dignitatis, ac lucis videntur præſeferre, nullam non operam, ſtudiumque adhibebat, vt collato ſe munere expediret; abdicato etiam non ſemel in generalibus comitijs ferendi ſuffragij iure, quod nunquam impetrauit. Maius profectò in exteras dignitates odium illi fuit, quibuſcum luctari ſæpiùs cum palma, ingentique cum ſui deſpicientiæ laude contigit. Ac bis quidem ita ab Inſulis circumuentus, vt nullus iam videretur patere fugæ aditus. Eò nanque ſemel Cardinalis Cuſanus, optimi viri virtuti, ac ſanctitati cum paucis addictus, peruenit, vt confecto Romæ negotio, veluti iam triumphaſſet, Epiſcopales illi exuuias miſerit, ac Epiſcopum conſalutauerit. Triſtius hoc quidem Andreæ accidit: ſed quando integra adhuc res; vt qui nondum aſſenſerat, illudere perbellè Cardinalis beneuolentiæ cogitauit, ac compoſito ad omnem hilaritatem vultu, acceptaſſe indumenta videri voluit, veluti dignitatis candidatus. Verùm ijs illicò diſtractis, pretium æris, ac ſacrorum cultui addixit. Id quod commendauit prolixiùs Cardinalis, nec auſus deinceps tentare Inſulis virum, quem nullus perſtringeret honorum fulgor. Efficacior ab ipſo Romano Pontifice impetus. Enimuerò Gregorius Quartus decimus cùm ſua ſponte, vt qui præclaras Andreæ partes, ac ſanctimoniam nouerat, tùm vt Sigiſmundæ Eſtenſi,

Ab honoribus abhorret,

Oblatũ Card. Cuſani opera Epiſcopatum recuſat.

Iterum à Gregorio XIV vocatus ad Inſulas, renuit.

nobiliſſimæ matronæ cognatæ ſuæ, cuius conſcientiæ operam Andreas dabat, gratificaretur, euehere illum ad lautiſſimum Sacerdotium cogitauit; egitque coram, vt maieſtas ipſa cogeret. Sed robuſtior in eo vis pectoris, ac firmius in ſui contemptione propoſitum fuit, quàm vt expugnaret Pontificis inuitamentum; reportauitque iterū triumphum vir, in hoc certaminum genere multarū palmarum: vt qui eiuſmodi ſæpiùs impreſſiones inſigni cum humilitatis, ac conſtantiæ laude ſuſtinuerit. Eſſent porrò adhuc, quæ de eximia eius modeſtia literis conſignarentur. Illa curſim attingenda. Cùm plura ad aliorum, ſuumque profectum conſcriberet, nihil vnquam viſus lucubraſſe, quod non ſtatim doctorum hominum iudicio, ac cenſuræ ſubmitteret. Dicta etiam, ac facta ſuo confeſſario aperire, nihilque eo inconſulto aggredi, ceu tùm

Pleraque humilitatis documenta.

primùm tyrocinium inchoaret. Cùm diuinis beneficijs frequenter dignaretur, nihil habuit prius, quam illa occultare; ac familiare illi dictum: Secretum meum mihi. In precibus multus erat: compertum autem habemus, primo ſemper loco humilitatem poſtulaſſe. Ad ſingularem quandam conſcientiæ puritatem, vitæque innocentiam peruenerat; vt frequenter nihil eſſet in viro abſolutiſſimo, quod confeſſarij condonarent: attamen is in eo erat humilitatis ſenſus, vt de animæ ſalute vehementer addubitaret: adeò vt affligi interdum plus nimio, conſternarique ad animi deliquiū hac cogitatione videretur. Denique an articulos humilitatis omnes tenuerit Andreas, abundè oſtendit, quem de hac virtute commentarium conſcripſit ad Raynutium Farneſium, qui hunc ab eo laborem poſtulauit; in quo cùm eruditè, copioſèque argumentum pertractet, nemo non dixerit Chriſtianæ illum humilitatis magiſtrum.

Orationis in Andrea ſtudiū.

Ab hac virtute gradum ad orationis ſtudium facimus; idque opportunè. Conciliare ſiquidem orationi vim quandam humilitas ſolet: vt dicant ſacræ literæ: Oratio humiliantis ſe penetrat nubes. Iam, quòd cùm voce, tùm mente concipiuntur preces, vocalem priùs laudationem, celebrando Numini ritè inſtitutam, raptim percurrimus. Nouerat enimuerò Andreas, religionis, quæ præclara, ac princeps eſt virtus, proprium eſſe, pſalmodiam, hymnoſque Deo canere: proindèque quàm religioſiſſimè hoc labiorum penſum perſoluendum.

In choro aſſiduus.

Itaque inſigni cum animi pietate odèum ſtrenuè frequentabat: iſque præſertim canenti erat oris habitus, vt oſtenderet, mentem cœlo agere, dum lingua diuinas laudes pronunciaret. Aderat interdum choro etiam cùm à febri laboraret; ac nonnunquam quo die potionem conſilio medicorum ſumpſerat, viſus cum alijs pſallere.

Eius in pſallendo habitus corporis.

Si quando proximorum commoda diſtinerent, ne publicè caneret; tūc in priuata eius penſi ſolutione, aut de genu, aut erecto corpore, apertoque ſemper capite preces recitabat: idque curabat maximè, vt ſua pſalmodiæ tempora conſtarent, recitaretque ſtatis horis, ac legitima partitione preces. Quocirca cernere illum erat, modò inter eundum ſubſiſtere, modò inſtitutum ſermonem intercidere, quòd pulſata hora recitandarum laudum temporis moneret. Eiuſmodi verò linguæ vſu vſque adeò oblectabatur, vt nunquam vel inter ipſas occupationes non mouere ad pſalmos labia, ac quid precum muſſitare cerneretur. Laudabile planè inſtitutum.

Sanctimonialis Diſcalceatæ dictum.

Nam vt religioſiſſimam quandam ex Diſcalceatis monialibus Virginem præclarè dixiſſe, memini: ſi nullum non recognoſcet, mulctabitque otioſum verbum Deus, certè neque frugifera, ac diuina quælibet verba excident ſine præmio. Præcipuum verò Andreæ exercitiū, & cuiimmorati prolixiùs conſueuerat, ea erat tacita mentis in Deum eleuatio, ſiuè rerum diuinarum contemplatio, in qua ita multus erat, vt appellauerit illum Paulus noſter Toloſa, Archiepiſcopus Theatinus, perpetuum orationis miraculum.

Andreas orationis miraculum.

Dignus profectò eo elogio, qui in ipſo ſtatim vitæ ſanctioris initio, adgubernante ſpiritus rudimenta Ioanne Marinonio, antequàm Religioſo inſtituto ſe manciparet, quinas, ac ſenas quotidiè horas cœleſtia commentari ſolitus erat. Poſtea natu iam grandior, abiecta veluti prætexta, ac ſumpta cum religionis habitu virili toga, nimiùm quantùm, creſcente diuinorum guſtu, illi ſe ſe contemplatricis animæ otio permiſerit.

In meditatione aſſiduus.

Deſtinata noſtris legibus orandi tempora ita nunquam intermiſit, vt ſtatæ eæ preces velitationes quædam eſſent flagrantiſſimæ mentis: cæterùm aſſiduitate, contentioneque animi incredibili multò longiora ſibi meditandi interualla ſeponebat. Enimuerò anteuertere matutinas laudes trium omninò horarum ſpatium conſueuerat, quas in ea mentis exercitatione inſumebat:

vt

vt qui nouerat puriorem quandam in eo potiſſimùm noctis tempore afflari animis lucem. Poſt preces antelucanas iterum contemplationi operam dabat. Ante miſſę ſacrum integram item horam, vt pro tanti myſterij dignitate ad aram faceret, orabat. Ad hæc, nihil non procurata diuinis illuſtrationibus mente aggredi: reputabatque piaculum res magnas, paruas niſi ab oratione, ac contemplatione peragere. Poſt laborioſa pietatis opera, ac circumcurſationes charitatis cauſa, nulla feſſo corpori quies, niſi in meditatione, receſſuque mentis, quem ſtatim ab externis curis, poſitis humi genibus, vegeto quodam ſpiritu adornabat: ita vt pulcherrimo quodam nexu, & ſummè actuoſa, & ſummè contemplatrix eius eſſet vis animæ. Aſſiduum hoc orandi ſtudium enormis quidam enatus in altero genu tumor teſtatus eſt, quod ne ſerperet, ac partes incolumes corrumperet, incidi non vno vulnere oportuit. Ferrum æqua fronte, vti aliàs ſignificatum eſt, tulit: idque eo maximè nomine, vt inſtaurare, ac pergere ſuum de genu meditandi inſtitutum poſſet. Porrò diuturniore vſu; ſiuè facilitate quadam bonæ mentis id aſſequutus iam fuerat, vt quandocumque commentari cœleſtia libuiſſet, in promptu eſſet attentio. Dominari ſenſibus, ac cogitarionibus; tempori item, locoque omni videbatur; vt animum. & ſtatim, & vbique recolligeret: atque hoc tàm acri contemplatione, vt præſentia minimè aduerteret, mente veluti abalienatus, ac cœlo affixus. Id luculenter oſtendit, cùm Aerolam, quinto decimo ab Vrbe Neapoli milliario oppidum, peteret. Auſpicatus nanque inſcenſo ſtatim curru meditationem, ea attentione eſt proſequutus, vt Argentium, quod alterum eſt in ipſo itinere oppidum, pertranſiſſe iam ſe, minimè aduerterit; excitatuſque propè Aerolam ab eo mentis ſtudio, miratus deindè fuerit, tantum iam itineris confici potuiſſe, quod inchoaſſe tùm quidem ſibi videbatur. Trium nempè horarum ſpatium momentò orauerat: quod attentiſſimi eſt animi, cui fuga nimiùm præcipiti tempus abit.

Et ab aſſiduitate in genibus tumor.

Eius in meditatione attentio.

Neque verò ſine ingenti operæ pretio inſignis hæc in commentandis cœleſtibus attentio fuit; ſiuè impetrata à Deo beneficia, ſiuè oſtenta, ac ſolatia, quibus irrigari interdum contigit, ſpectes. Et quidem, quod ad internas animi delicias attinet, occultabat ipſe quidem quàm modeſtiſſimè: attamen non adeò ſeuera eſt humilitatis indoles, quin aliqua loco, & tempore ſinat ad proximorum documentum, ac ſtimulum euulgari. Solenne viſum illud fuit, quod Ioanni Mariæ Tagliaferro, quem aliàs memoraui, Andreas ipſe indicauit. Siquidem familiari quodam ſermone cùm in rerum diuinarum commendatione plus ſolito incaluiſſet, eò ſe abripi paſſus eſt, vt diceret viro æquè pijſſimo, ac amiciſsimo, dignatum olim ſe inter preces Chriſti Domini humanitatis conſpectu, cui ea quidem inter circumfuſæ, ac liquidiſsimæ lucis radios inerat maieſtas, ac ſpecies, vt dixerit quàm veriſſimè Regius Vates: *Specioſus forma præ filijs hominum*: tùm hæſiſſe animo ideam quandam longè pulcherrimã; eumque concepiſſe ab eo ſpectaculo diuinorum ſenſum, vt humana omnia, & quæ maximè mortales cupiunt, viluerint: deindè diuinæ bonitaris amore intimè occupatum, exarſiſſe in mortales odio, quod hominum, rerumque pulcherrimum dehoneſtare, ac neci tradere, auſi fuerint. Hæc ille inter lachrymas denarrabat, eoque guſtu, ceu denuò eius theatri delicias vſurparet. Poſt hanc Domini Saluatoris illecebram, angelorum etiam intuitu oblectatum, non dubitamus. Ac ſemel quidem, vt pœnitentiæ Sorores, quas ipſum ad honeſtatis, ac pietatis frugem Placentiæ reuocaſſe, aliàs diximus, ad orationis ſtudium vehementiùs inflammaret, compoſitis ad eas literis, ingenuè profeſſus eſt, contemplatum ſe non ſemel externis oculis angelos, eorumque lætitiam, qua piè, deuotèque orantibus adſunt. Quo non obſcurè ſignificauit, oranti ſibi, ac meditanti præſentes plauſiſſe angelos. Diuorum item aſpectu exhilaratum aliquando, dum mente ad diuina aſſurgeret, pro comperto habemus. Aperuit ipſemet viro pio, affulſiſſe ſibi duo illa cœli ſydera, Auguſtinum, ac Thomã Aquinatem, alloquutos familiariter, dubiæ mentis caliginem diſpuliſſe, abijſſe, poſtquàm conſternatum ab intimo quodam mœrore pectus pręſenti conſolatione inſperſiſſent. Aliàs idem Aquinas vnà cum Diuo Dominico obiecit ſe ſe illi, cùm maximè lapſus equo, raptuſque ab eo, auxiliarem manum expoſceret. Hæc aliaque illi oſtenta, ac cœli gaudia contemplatio conciliabat. Etſi purior hæc deliciarum vena viſa

Non ſine cœli delicijs.

Chriſti humanitatẽ intuetur.

Adſunt oranti angeli.

Et Diui alij.

aliquan-

nobiliſſimæ matronæ cognatæ ſuæ, cuius conſcientiæ operam Andreas dabat, gratificaretur, euehere illum ad lautiſſimum Sacerdotium cogitauit; egitque coram, vt maieſtas ipſa cogeret. Sed tobuſtior in eo vis pectoris, ac firmius in ſui contemptione propoſitum fuit, quàm vt expugnaret Pontificis inuitamentum; reportauitque iterũ triumphum vir, in hoc certaminum genere multarũ palmarum: vt qui eiuſmodi ſæpiùs impreſſiones inſigni cum humilitatis, ac conſtantiæ laude ſuſtinuerit. Eſſent porrò adhuc, quæ de eximia eius modeſtia literis conſignarentur. Illa curſim attingenda. Cùm plura ad aliorum, ſuumque profectum conſcriberet, nihil vnquam viſus lucubraſſe, quod non ſtatim doctorum hominum iudicio, ac cenſuræ ſubmitteret. Dicta etiam, ac facta ſuo confeſſario aperire, nihilque eo inconſulto aggredi, ceu tùm primùm tyrocinium inchoaret. Cùm diuinis beneficijs frequenter dignaretur, nihil habuit prius, quam illa occultare; ac familiare illi dictum: Secretum meum mihi. In precibus multus erat; compertum autem habemus, primo ſemper loco humilitatem poſtulaſſe. Ad ſingularem quandam conſcientiæ puritatem, vitæque innocentiam peruenerat; vt frequenter nihil eſſet in viro abſolutiſſimo, quod confeſſarij condonarent: attamen is in eo erat humilitatis ſenſus, vt de animæ ſalute vehementer addubitaret: adeò vt affligi interdum plus nimio, conſternarique ad animi deliquiũ hac cogitatione videretur. Denique an articulos humilitatis omnes tenuerit Andreas, abundè oſtendit, quem de hac virtute commentarium conſcripſit ad Raynutium Farneſium, qui hunc ab eo laborem poſtulauit; in quo cùm eruditè, copioſèque argumentum pertractet, nemo non dixerit Chriſtianæ illum humilitatis magiſtrum.

Pleraque humilitatis documenta.

Orationis in Andrea ſtudiũ

Ab hac virtute gradum ad orationis ſtudium facimus; idque opportunè. Conciliate ſiquidem orationi vim quandam humilitas ſolet: vt dicant ſacræ literæ: Oratio humiliantis ſe penetrat nubes. Iam, quòd cùm voce, tùm mente concipiuntur preces, vocalem priùs laudationem, celebrando Numini ritè inſtitutam, raptim percurrimus. Nouerat enimuerò Andreas, religionis, quæ præclara, ac princeps eſt virtus, proprium eſſe, pſalmodiam, hymnoſque Deo canere: proindèque quàm religioſiſſimè hoc labiorum penſum perſoluendum. Itaque inſigni cum animi pietate odeum ſtrenuè frequentabat: iſque præſertim canenti erat oris habitus, vt oſtenderet, mentem cœlo agere, dum lingua diuinas laudes pronunciaret. Aderat interdum choro etiam cùm à febri laboraret; ac nonnunquam quo die potionem conſilio medicorum ſumpſerat, viſus cum alijs pſallere. Siquando proximorum commoda diſtinerent, ne publicè caneret; tũc in priuata eius penſi ſolutione, aut de genu, aut erecto corpore, apertoque ſemper capite preces recitabat: idque curabat maximè, vt ſua pſalmodiæ tempora conſtarent, recitaretque ſtatis horis, ac legitima partitione preces. Quocirca cernere illum erat, modò inter eundum ſubſiſtere, modò inſtitutum ſermonem intercidere, quòd pulſata hora recitandarum laudum temporis moneret. Eiuſmodi verò linguæ vſu vſque adeò oblectabatur, vt nunquam vel inter ipſas occupationes non mouere ad pſalmos labia, ac quid precum muſſitare cerneretur. Laudabile planè inſtitutum. Nam vt religioſiſſimam quandam ex Diſcalceatis monialibus Virginem præclarè dixiſſe, memini: ſi nullum non recognoſcet, mulctabitque otioſum verbum Deus, certè neque frugifera, ac diuina quælibet verba excident ſine præmio.

In choro aſſiduus.

Eius in pſallendo habitus corporis,

Sanctimonialis Diſcalceatæ dictum.

Præcipuum verò Andreæ exercitiũ, & cui immorati prolixiùs conſueuerat, ea erat tacita mentis in Deum eleuatio, ſiuè rerum diuinarum contemplatio, in qua ita multus erat, vt appellauerit illum Paulus noſter Toloſa, Archiepiſcopus Theatinus, perpetuum orationis miraculum. Dignus profectò eo elogio, qui in ipſo ſtatim vitæ ſanctioris initio, ad gubernante ſpiritus rudimenta Ioanne Marinonio, antequàm Religioſo inſtituto ſe manciparet, quinas, ac ſenas quotidiè horas cœleſtia commentari ſolitus erat. Poſtea natu iam grandior, abiecta veluti prætexta, ac ſumpta cum religionis habitu virili toga, nimiùm quantùm, creſcente diuinorum guſtu, illi ſe ſe contemplatricis animæ otio permiſerit. Deſtinata noſtris legibus orandi tempora ita nunquam intermiſit, vt ſtatæ eæ preces velitationes quædam eſſent flagrantiſſimæ mentis: cæterùm aſſiduitate, contentioneque animi incredibili multò longiora ſibi meditandi interualla ſeponebat. Enimuerò anteuertere matutinas laudes trium omninò horarum ſpatium conſueuerat, quas in ea mentis exercitatione inſumebat:

Andreas orationis miraculum.

In meditatione aſſiduus.

vt

vt qui nouerat puriorem quandam in eo potiſſimùm noctis tempore afflari animis lucem. Poſt preces antelucanas iterum contemplationi operam dabat. Ante miſſę ſacrum integram item horam, vt pro tanti myſterij dignitate ad aram faceret, orabat. Ad hæc, nihil non procurata diuinis illuſtrationibus mente aggredi: reputabatque piaculum res magnas, paruas niſi ab oratione, ac contemplatione peragere. Poſt laborioſa pietatis opera, ac circumcurſationes charitatis cauſa, nulla feſſo corpori quies, niſi in meditatione, receſſuque mentis, quem ſtatim ab externis curis, poſitis humi genibus, vegeto quodam ſpiritu adornabat; ita vt pulcherrimo quodam nexu, & ſummè actuoſa, & ſummè contemplatrix eius eſſet vis animæ. Aſſiduum hoc orandi ſtudium enormis quidam enatus in altero genu tumor teſtatus eſt, quod ne ſerperet, ac partes incolumes corrumperet, incidi non vno vulnere oportuit. Ferrum æqua fronte, vti aliàs ſignificatum eſt, tulit: idque eo maximè nomine, vt inſtaurare, ac pergere ſuum de genu meditandi inſtitutum poſſet. Porrò diuturniore vſu; ſiuè facilitate quadam booæ mentis id aſſequutus iam fuerat, vt quandocumque commentari cœleſtia libuiſſet, in promptu eſſet attentio. Dominari ſenſibus, ac cogitationibus; tempori item, locoque omni videbatur; vt animum. & ſtatim, & vbique recolligeret: atque hoc tàm acri contemplatione, vt præſentia minimè aduerteret, mente veluti abalienatus, ac cœlo affixus. Id luculenter oſtendit, cùm Aerolam, quinto decimo ab Vrbe Neapoli milliario oppidum, peteret. Auſpicatus nanque inſcenſo ſtatim curru meditationem, ea attentione eſt proſequutus, vt Argentium, quod alterum eſt in ipſo itinere oppidum, pertranſiſſe iam ſe, minimè aduerterit; excitatuſque propè Aerolam ab eo mentis ſtudio, miratus deindè fuerit, tantum iam itineris confici potuiſſe, quod inchoaſſe tùm quidem ſibi videbatur. Trium nempè horarum ſpatium momentò orauerat: quod attentiſſimi eſt animi, cui fuga nimiùm præcipiti tempus abit.

Et ab aſſiduitate in genibus tumor.

Eius in meditatione attentio.

Neque verò ſine ingenti operæ pretio inſignis hæc in commentandis cœleſtibus attentio fuit; ſiuè impetrata à Deo beneficia, ſiuè oſtenta, ac ſolatia, quibus irrigari interdum contigit, ſpectes. Et quidem, quod ad internas animi delicias attinet, occultabat ipſe quidem quàm modeſtiſſimè: attamen non adeò ſeuera eſt humilitatis indoles, quin aliqua loco, & tempore ſinat ad proximorum documentum, ac ſtimulum euulgari. Solenne viſum illud fuit, quod Ioanni Mariæ Tagliaferro, quem aliàs memoraui, Andreas ipſe indicauit. Siquidem familiari quodam ſermone cùm in rerum diuinarum commendatione plus ſolito incaluiſſet, eò ſe abripi paſſus eſt, vt diceret viro æquè pijſſimo, ac amiciſsimo, dignatum olim ſe inter preces Chriſti Domini humanitatis conſpectu, cui ea quidem inter circumfuſæ, ac liquidiſsimæ lucis radios inerat maieſtas, ac ſpecies, vt dixerit quàm veriſſimè Regius Vates: *Specioſus forma præ filijs hominum*: tùm hæſiſſe animo ideam quandam longè pulcherrimã; eumque concepiſſe ab eo ſpectaculo diuinorum ſenſum, vt humana omnia, & quæ maximè mortales cupiunt, viluerint: deindè diuinæ bonitatis amore intimè occupatum, exarſiſſe in mortales odio, quod hominum, rerumque pulcherrimum dehoneſtare, ac neci tradere, auſi fuerint. Hæc ille inter lachrymas denarrabat, eoque guſtu, ceu denuò eius theatri delicias vſurparet. Poſt hanc Domini Saluatoris illecebram, angelorum etiam intuitu oblectatum, non dubitamus. Ac ſemel quidem, vt pœnitentiæ Sorores, quas ipſum ad honeſtatis, ac pietatis frugem Placentiæ reuocaſſe, aliàs diximus, ad orationis ſtudium vehementiùs inflammaret, compoſitis ad eas literis, ingenuè profeſſus eſt, contemplatum ſe non ſemel externis oculis angelos, eorumque lætitiam, qua piè, deuotèque orantibus adſunt. Quo non obſcurè ſignificauit, oranti ſibi, ac meditanti præſentes plauſiſſe angelos. Diuorum item aſpectu exhilaratum aliquando, dum mente ad diuina aſſurgeret, pro comperto habemus. Aperuit ipſemet viro pio, affulſiſſe ſibi duo illa cœli ſydera, Auguſtinum, ac Thomã Aquinatem, alloquutos familiariter, dubiæ mentis caliginem diſpuliſſe, abijſſe, poſtquàm conſternatum ab intimo quodam mœrore pectus prȩſenti conſolatione inſperſiſsent. Aliàs idem Aquinas vnà cum Diuo Dominico obiecit ſe ſe illi, cùm maximè lapſus equo, raptuſque ab eo, auxiliarem manum expoſceret. Hæc aliaque illi oſtenta, ac cœli gaudia contemplatio conciliabat. Etſi purior hæc deliciarum vena viſa,

Non ſine cœli delicijs.

Chriſti humanitatè intuetur,

Adſunt oranti angeli,

Et Diui alij,

aliquan-

aliquandiù aruiſſe, ſubducta arcano quodam Dei conſilio ſuauitate, qua conſueuerat
irro.ari. Quam ipſe ſpiritualis annonæ caritatem, ſterilitatemque interioris hominis
ita tulit, vt cùm maiore quodam conatu perfectioni inſiſteret, ſingulari humilitatis,
ac perſeuerantiæ laude abundantiã expectaret, ac priſtinum diuinorum ſenſum. Iam,
Orationis efficacia. quæ fuerit attentiſſimæ orationis vis, ac efficacia, non hic diſſimulandum. Siquidem
non modò profectus ſuos, ac virtutum incrementa piæ precationis aſſiduitati acce-
pta referebat Andreas, verùm etiam pleraque diuinitùs beneficia cùm ſibi, tùm alijs
impetraſſe, ac non pauca etiam ſuprà naturæ facultatem mira hoc potiſſimùm inſtru-
mento patraſſe, teſtantur liquidò, quæ paucis, & cum delectu referam. Nam ſingu-
la adnotare, vt onerarent multitudine hiſtoriam, ita ſatiatatem ſimilitudine quadam
legentibus crearent. Illud in primis celebre. Herculanum ad Hoſtiliani Principes
cymba vehebatur. Nautis nihil priùs, quàm curſum abſoluere, vt Neapolim tempe-
ſtiuè redirent. Ergo exſcendere Senem iubent in littore, vno adhuc, aut altero ab
Herculano lapide; ac mentiti facilem, breuemque reliquam ad oppidum viam, ab eius
ſe ſe conſpectu illicò proripuere. Dum explorat iter ſocius, ecce tibi ab heſterni maris
impetu ſtagnantes vbique vndæ, ac æſtuaria; vt tranſuadare omninò deſperarent.
Confugere tunc ad familiare præſidium Andreas, conceptiſque paululùm precibus,
iubet ſocium, exciperet ipſum humeris, ac tranſportaret. Principiò improbare ille
conſilium; quòd nec ipſe ferendæ ſarcinæ eſſet, nec facilior proindè tranſitus vndante
Impeditū iter explicat. latiùs pelago: verùm iubentis imperium reueritus, paruit. Mirum planè dictu: ex-
plicari admirabilem quendam in modum iter, quod obſitum vndequaque fluctibus,
atque interclusum videbatur: tùm veluti nullum acceſſerit humeris pondus, vectus
ad multam viam Senex: qui aut vires addidit ſocio vi precum, aut ſublatus ipſe vigo-
re quodam mentis, ac contemplationis, minimè iam grauitabat. Alterum in eodem
hoc Neapolitani maris cratere miraculum addimus. Vicum Æquenſem euocatus,
obuiam conſcendit onerariam, putans eò velificaturam. Inſtituta nauigatione, ad-
uertit ſocius, Surrentum iter intendi. Monet Auellinum, qui fiduciam de more in
Deum commendans, rogat nautas, peterent Æquenſe littus, indeque Surrentum
Ventos regit. flecterent. Surdi precibus nautæ, non venti fuere. Enimuerò, orato paululùm Nu-
mine, eam potiſſimùm precem vſurpauit, quæ fluctuantes Apoſtolorum Principes
memorat; nempè, Petrus Apoſtolus, & Paulus Doctor gentium. His dictis, mutato
repentè cœlo, ac vento, mutari velificationem oportuit; coactique nautæ, vellent
nollent, Æquenſem oram attingere; in quam poſtquàm demiſere Andream, aſpirauit
poſtliminiò prior aura, ac Surrentum tenuere: admirati vehementer viri ſanctitatem,
eiuſque in ventos, ac mare imperium. Et Andreas quidem gratulatus diuinam ſibi
benignitatem, monere fiduciæ ſocium inſtituit: Et vidiſti ne, inquit, vt alij ſtatim ve-
nere in vela venti, noſtris, videlicet, precibus, ac nutui famulati? Age, fili, permitte
te Numini, ac diſce oratione, ac fide niti. At enim prauam hominum indolem rege-
re, quàm ventis ipſis dominari, longè difficilius. Perdomuit & hos animorum mo-
Patientiā iracundo cuidā viro impetrat tus prece ſua Andreas. Aerolam petebat, fractuſque in itinere currus rhedarium
adeò incitauit, vt nihil propiùs eſſet, quàm vt maledicta in Diuos iaceret; ſolitus nan-
que is erat, leui etiam ex cauſa impuriſſimo in cœlū ore inſurgere, quo nihil Andreæ
acerbius. Ergò monet ſocium, vt, iunctis vnà precibus, patientiam illi impetrent: quo
mutata illicò indoles, ac præter morem ne verbulum quidem viro excidit ſubiratum:
idque ex inſperato contigit, vt concinnando currui, omnia ibi, alieno planè loco, ſup-
peterent. Sed ad eximiam orationis commendationem aliud tùm accidit planè ad-
mirabile. Nam quòd præſtolari opus aliquantiſper oportuit, lapſus in genua Andreas,
Ad cadentem pluuiā ſiccus, ſemel, recitare ſub dio horarias preces inſtituit. Interim imbres largiùs quidem ruere; cùm-
que perſtaret ille, ſuamque recitationem religioſiſſimè pergeret, libellum, vnde reci-
tabat, pluuia non attigit; reuerita nempè eius pietatem; ſiuè quòd abundè eſſet ma-
dere ſæpiùs lachrymis. Quæ quidem cadentium imbrium in virum ſanctum reueren-
tia non ſemel contigit, narrantque alij fuſiùs, quod hic compendio perſcribam. Re-
uertebatur à Camilla Carafa, Camilli de Curtis, Neapolitani Conſilij Præſidis coniu-
ge, prouecta iam nocte. Currum de more reſpuit, cùm maximè eo vti oporteret. Nam,
procella oborta, ruebat fœdis imbribus cœlum. Comitem admiſit, qui Præſidis à ſa-

cris

cris erat, famulum item, qui in caligine ſumma rerum facem præferret. Sed extulere vix domo pedem, cum,furente ventorum turbine, extincta fax eſt, additusque, decidente vbertim pluuia, ingens à tenebris horror. Orare interim Andreas, ac ſe Deo intimè commendare. Nec mora; viſa quædam è cœlo ſe diffundi lux, illumque velo quodam aureo amicire,ac præire ambulantem;continuatumque ſplendoris obſequium, quoad Paulinæ domus ianuam tenuit.Immiſſam cœlitùs facem dum mirantur effuſè comites,ac venerabundi Andreæ ſanctimoniæ tribuunt,noua illis ſubijt admiratio. Enimuerò dum attentè Senem inſpiciunt, putantque imbribus intimè perfuſum; obſeruant, nulla omninò ex parte,vel leuiter inſperſum; ſed nec calceos ipſos, vndantibus licet vijs, immaduiſſe: ſe verò dum circumſpectant, vident,Andreæ merito & ſibi etiam ruentes aquas pepeerciſſe. Nam veluti ſereno cœlo ambulaſſent,nulla pallijs,ac veſtibus apparuere pluuiæ ſigna. Relatum id poſtea miraculum in acta, ac publicis tabulis conſignatum, non ſine miraculo, vt exponam in tempore. Aliud nunc à pluuia, ac cœlo mirum imus narratū,vt perſpiciat lector,quàm opportunè viri ſanctiſſimi precibus, ac nutibus obſecundauerit aliquando Deus: nunc ablata imbribus facultate, ne madeſacerent, nunc ijſdē repentè immiſſis,vt mortales mergerent. *Ac iterum.*

Bacchanalibus diebus inſanire vbique homines,mos eſt. Neapoli ludis hiſce initium à Diui Antonij feſto die ſumitur: quo potiſſimùm die publica vbique populorum licentia, ac ſolutior quædam feſtiuitas non ſine morum, ac pietatis labe. Pulſabat intimè Andreæ zelum recepta hæc tanta cum diuini Numinis iniuria conſuetudo, dolebatque,maiorem eſſe,quàm vt abrogari priuata quadam vi poſſet. Communi quodam remedio opus eſſe, idque è cœlo accerſendum, ac refrigerandam omninò fore putabat calentem nimiùm lætitiam, æſtumque illum animorum,ſi plueret. Igitur ſumma eius diei luce ſocium interrogat: ſudum ne cœlum?ita,inquit ille: proh quantum hæc ſerenitas malum portendit, Andreas ait: ſcilicet, nullas hodiè non effundi in inſanias,inuitatos hac diei fauſtitate mortales,continget. At ego id precum efficacia, ac contentione euincam,vt pluat. Nec multis; penetrauit; expreſſitque nubes oratio. Momentò ſiquidem mutata cœli facies, adductiſque nubibus, abijt in pluuiā ſerenitas: quo illuſum bellè communi licentiæ, ac luſibus. Quod ipſum ſacta Diuæ Luciæ die impetrauit. Situm Neapoli eius Diuæ Templum ad Lucullanam oram maritimam; & quòd loci amœnitas, proſpectuſque maris alliciat, frequentior inibi ea die celebritas, ac promiſcua circumcurſatio; planè vt peccer non minimùm in ea euntium, ac redeuntium multitudine oculorum iactus. Illuxiſſe ſereniorem ſolito diem, vehementer Andreas indoluit; induxitque ſtatim in animū,id enixiùs,dum ad aram faceret, precari, vt, immiſſa cœlum pluuia, Dei offenſam anteuerteret. Litatum: factumque mox, quod poſtulauerat Senex, obortis repentè imbribus, qui illum ingenti lætitia perfudere; vt diceret gratulabundus; en quanti facienda eſt precum efficacia. *Ab eadem vi precum pluuium repentè cœlum.*

Quam quidem efficaciam liceat adhuc à ſubitis quibuſdam corporis curationibus intueri. Excuſſus ab equo Andreas Galdius, medicus, impegit vehementer ad ſilicem caput. Commiſeratus viri caſum, orat tantiſper Andreas, ſurgitque eueſtigiò Galdius ab ictu vehementiſſimo incolumis. Lucretiam Albertinam ſeptuagenariam apoplexia corripuit. Conclamatæ iam adſuit prece ſua vir ſanctus, ſtatimque reſtitura ſanitati eſt; quinquennium deindè ſuperſtes: vri tùm quidem Fabritio Guindatio filio Andreas ipſe prædixerat. Ab eiuſmodi item apoplexia obſtupuerat Lucretiæ Suardæ altera pars corporis, luſa omni medicorum ope. At, ſuſis ab Andrea precibus, redijt ſuus corpori ſenſus, ac calor. Hæc eadem adiumenta Hippolytæ Capyciæ Piſcicellæ, & Victoriæ Lagniæ, nobilibus matronis orationis potentia attulit, quarum vni in partu, alteri à partu laboranti, mirificè adfuit. Hæc alijs penè innumeris, quæ ſi recenſere hic vellem omnia, vereor, ne ſim nimius, ac ſufficere profectò videntur, quæ hactenus commemoraui, explicandæ efficacitati, qua Auellini preces valebant. *Et à morbis curationes.*

Hauſtum nunc ſupernum ab oratione lumen, quo & futura, & arcani pectoris ſecreta Andreas proſpiciebat, perſtringam. Scilicet, hoc attentæ contemplationis proprium, afflari ſuperiore inſtinctu mentem, conceptaque diuinirùs luce, ad obſcura quæque, ac tempore, locoque diſſita, pertingere. Quod illi adeò familiare, vt quicquid *Futurorum itē à precibus notitia.*

quid eius ore excideret, certò euenturum, ſibi quiſque perſuaderet. Et ægrotantium
quidem ſiuè incolumitatem, ſiuè exceſſum cùm prædixit, contra medicorum ſenten-
tiam id omninò accidit, quod ipſe prænunciauit. Teſtantur Franciſcus Buc de Ara-
gonia, Ioannes Baptiſta Rauaſcherius, Portia Adorna, Fabritius Spinellus, Dux Aqua-
rij, alijque non ſanè pauci, quos, cùm defuncti ſuo morbo viderentur, atque abeſſe
periculum, medici affirmaſſent, mors intercepit, vti diuinitùs Andreas pronunciaue-
rat. Contra Victoria Lagnia, Iulia Carafa, Hyppolyta de Summa, Beatrix Buc de
Aragonia, Hippolyta Capycia Piſcicella, Beatrix Tolſia, Hieronymus noſter Pigna-
tellus periculosè ægrotabant, ſuſpenſis ad euentum medicis, ac malè ominantibus; ſed
conſequuta mox incolumitas oſtendit, vera prædixiſſe Andream, quem Numen affla-
uerat. Illud illuſtratam supernè eius mentem mirificè commendauit. Abellinenſium
Principem Chriſoſtomā Carafam, à morbo laborantem, curauerant celebrioris famæ

Mortem Chriſoſtomæ Carafæ prænunciat,

medici, ac iugulatum iam malum, pro certo affirmabant. Igitur dum eorum arti à
domeſticis plauditur, ac quàm plurimæ è Neapolitanis matronis, quæ officij cauſa
conuenerant, incolumitatem Principi fœminæ gratulantur; adeſt Andreas, factoque
ad illam gradu, monuit in hæc verba: Scis, Princeps, quo te ſtudio, animæque tuæ
ſalutem proſequutus hactenus fuerim; poſtulat officij mei ratio, vt ſupremo hoc maxi-
mè vitæ periculo adſim. Age, ne medicis, ne conſanguineis crede: poſitura breui
mortalitatem, pone ſpem omnem vitæ, ac tibi conſule. Nouerat illa dicentis ſancti-
moniam, adhibuitquè dictis fidem; procurata illicò conſcientia, ac compoſita re do-
meſtica, veluti inſtantis iam fati certior. Secundùm hæc, monere eius rei & filias An-
dreas voluit, Portiam, & Ioannam, quæ poſtea nuptæ, altera in Montis Miletti, al-
tera in Ariciæ Principem euaſit. Puellæ feſtiuè quidem, ac riſu excepere dictum, vt
quæ conualuiſſe iam matrem, ſibi perſuaſerant. Tùm illum rogant, vt pro patre qui-
dem, qui grauiſſimè decumbebat, preces ad Deum funderet, cæterùm matrem extra

Et Principi Abellinenſium eius viro ſalutem,

eiuſmodi metum, ac aleam eſſe. Ad hæc ille: haud delirat, inquit, Senex: ipſæ me
feſtinare mox reditum iubebitis in optimæ matris opem, quam ſcito conclamatam:
patri verò prolixior adhuc vita. Quod accidit. Nam hic quidem breui conualuit:
illa verò à cœna repentino quodam malo correpta, cùm feſtinare ad exitum aduerte-
ret, accerſito Andrea, ac munita ſupremis Sacris, poſtera luce animam exhalauit. Lo-
cum hìc ſimilis prædictio ſibi vendicat. Vincentium Tufum ex noſtris, Epiſcopum
Vritanū præcipuo quodam ſtudio Andreas proſequebatur, vt quem ipſe noſtro Ordi-
ni adoptauerat; ac ſciuerat, ſtrenuā in Inſulis nauate ſuis ouibus inſtituendis, forman-

Et Epiſcopo Vritano item mortem,

diſque operam. Hùnc ergo, cùm nondum ab eo morbo, qui ſupremus illi fuit, ægro-
taret, inſtinctu quodā literis appellauit, quæ Licium primùm miſſæ, tùm interiectu tē-
poris à quodā ex noſtratibus, qui hæc lutatus affirmauit, allatæ Epiſcopo fuere, cùm
iam decumberet, eiuſque ſaluti medici deſperauerant. Quocirca cùm non eo loci is
eſſet, vt literas perlegeret, viſum nepoti, qui aderat, eas coram Archidiacono, ac The-
ſaurario reſignare. Illarum initium id erat: Fili recordare, quòd breues ſunt dies tui:
pergebatque peramanter monere vicinioris fati, atque adhortari, vt ſe ad mortem
compararet. Admirari vehementer omnes, atque in eam ſtatim iucre ſententiam,
ſanctum quendam virum eſſe oportere, qui ſcripſerat. Nam reſcire niſi diuinitùs ex-
tremū morbum, minimè poterat: & niſi cunctari diutiùs, qui epiſtolam attulit, con-
tigiſſet, ad incolumem quidem, atque in tempore ea monita perueniſſent. Igitur &
literas, & virum magnifacere: & illas quidem, ne intercideret rei memoria, aſſeruan-
das inter publica Epiſcopalis tabularij monumenta duxere.

Et nobilibus fœminis religionem.

Illæ verò eò admirabiliores fuere futurorum inſpectiones, quò abeſſe longiùs vide-
bantur, quæ prænuntiabat. Geminis ex eadem gente Carafa illuſtribus fœminis, &
quà forma, quà opibus florentiſſimis, & quod caput eſt, connubio innexis, fore, vt
vtraque daret Religioni nomen, prædixit. Fuere hæ Iſabella Carafa, Cerciæ maioris
Duciſſa, & Catharina Carafa, quam paulò ante nominaui, Camilli de Curtis coniux,
quæ, vt ille prænunciauerat, elatis ſubindè viris, eidem ſe ſe Sapientiæ cœnobio manci-
parunt. Celebre & illud fuit de Iuſtina Lampugnana, pijſſima in Placentino Pœ-
nitentiū cœnobio moniali, vaticinium, cuius ante decennium inſaniam, & mox ſani-
tatem, ac tranquilliſſimum vitæ finem prædixit. Semel, ac iterum tyrones noſtros
con-

Digitized by Google

contemplatus, alijs ex præſenti illorũ indole diuerſa opinantibus, diſpatem ipſe exitũ certò pronunciauit; acciditque adamuſſim cum omnium admiratione. Sæpè item ab ipſo aſpectu adoleſcentiũ ſtatum anteuertit; & qui futuri poſtea maturo iam æuo eſſent, prædixit. Hæc, aliaque ſatis multa, quæ conſultò prætermittimus, vates certiſſimus prædiuinabat; cui & mortalium pectora, cogitationeſque eorum intimas patuiſſe, non pauca quidem exempla commonſtrarunt. Literis præſertim, quas excitandæ virtuti, pietatique paſſim dabat, ea vis inerat, vt occultos, præſenteſque animorum motus plerumque componeret. Teſtati ſæpiſſimè ij ſunt, ad quos eiuſmodi epiſtolæ mittebantur, id ſibi ab Andrea perſcriptũ, quod tùm quidẽ mente agitarent; atque ea potiſſimùm remedia, ac adiumenta illata, quæ in præſentia morbus, ac malum poſceret; veluti narrata illi ex fide infirmitas animi fuiſſet. Quæ verò præſens hærentia imo pectoris fundo ſecreta edixit, haud facilè quis omnia percurrerit. Bononiæ Auguſtini Lucatelli hoſpes, Camillæ, maturæ viro filiæ, de qua collocanda tùm agebatur, id euulgauit, quod ipſa cùm maximè cuperet, patri aperire minimè audebat: nempè collineaſſe ſe in quendam extra Patriam ſponſum. Quod illa, quę rem diù preſſerat, ac nulli mortalium aperuerat, venerata virum ſanctum, diſſimulare minùs potuit. Alteri Neapoli puellæ ſtimulos ad regularem diſciplinam aperuit, obiurgauitque lentam diuino imperio obedientiam, ac moram. Obſtupuit illa, trahi in apertum arcanum animi ſenſum, maturauitque illicò conſilium. Fuit hęc Agnes Minutula Capycia, quę in Diui Andreę aſceterio vota poſtea dixit, vixitque cum laude. Aliàs agitatus furijs quidã iuuenis, necem in immerentẽ ſororem, re cum nemine prorsùs cõmunicata, adornabat. Conſilium, qua valebat luce, Andreas vidit; monitãque, vt à germano fratre caueret, fœminam ſeruauit. Sępiſſimè aut prętermiſſas per imprudentiã noxas, aut conſilio omiſſas, in memoriã reuocauit, obiecitque vltrò, vt pœnitentia delerent: planè vt eorum conſcientias penitùs inſpicere, ac veluti è commentario recitare crimina videretur. Cum noſtratibus verò mirùm qua vi penetrare interdũ contigerit, quę quiſque animo volueret. Dum pręcaretur, ſi fortè impetrandis licentijs, libata velmodicè terũ fide, pretextus adornarentur, agnoſcebat illicò fucũ, quem maximè oderat, nulluſque erat impunè mendax. Negato interdum oportebat, quę petebantur; ac tùm quidem quo ſenſu id quiſque acciperet, non latebat virũ ſanctum: ac ſemel quis indignatus, intempeſtiuè ſibi rem negatã, tacitus deliberauerat, eiuſmodi facultatẽ nunquàm fore, vt deinceps ab eo poſtularet: cùmque hęc vehementiùs agitaret, ecce tibi Andreas, qui quod is apud animum ſuum decreuerat, aperuit, monuitque officij, ac diſciplinę.

Hauſiſſe hanc mentis lucem, diximus, ab orationis aſſiduitate; cuius partem non ſanè modicam in colendis etiam Diuorum memorijs inſumebat. Pręcipua ſiquidem illi inſanctos religio, è quibus pleroſque adoptauerat ſibi Tutelares, confectaque ſyllabo, recitabat ſingillatim nomina, eorũque dies eximia pietate excipiebat, celebratis etiam ieiunio, alijſque corporis afflictationibus peruigilijs. Eminebat in hoc Diuorum indice illa mortalium Tutela princeps, ac magna Dei Mater, in quam ea quidem fiducia, affectuque ferebatur, vt diceret lętabundus: in Matris, quàm in Filij dilectionẽ maiorem ſe quodammodò ſpem collocaſſe. Oportere ſiquidem Chriſtum, aiebat, qua parte iudex videri vellet, miſcere cum clementia iuſtitię rigorem: at cùm Virgo ad Orbis patrocinium nunquàm non ſit diuinę beneficentię, ac pietatis conciliatrix. Hinc frequentiùs ad illam perfugium: cùmque curas illam Orbis voluere, cõmuni hominum ſaluti excubare, accurare generis humani cõmoda, atque opportunitates aſſiduò deprędicaret, appellare conſueuerat, Negotiatricem. Qua quidem actuoſioris tutelę perſuaſione, & alios ad eius pietatem inflãmabat: &, ſi quid ipſe impetrare à Deo vellet, Negotiatricem ſuam vrgebat; à qua, profeſſus aliquando eſt, nihil vnquam petiiſſe ſe, quod non impetraſſet. Excreuerat proindè in illam, vt ſolida quędã mentis obſeruantia, ita dulciſſimus etiam cordis affectus, quo ad Marię nomen colliqueſieri, videbatur. In cuius etiam obſequij ſignificationem id animo ſtatuerat, vt nihil vnquam, quod Deiparę nomine à ſe quiſque peteret, denegaret. Porrò inter alia venerationis argumenta preces illi horarias quotidiè perſoluebat; idque aperto ſemper capite, etiam ſub dio, ac peracri ſole. Eius item Roſarij ſerti reci-

Aliæ eius prędictiones.

Secreta pectoris penetrat,

Et enunciat;

In Cœlites pietas;

Præcipuè in Dei Matrem,

Quam Negotiatricem appellat.

Mariano Roſario addictus

tandi conſuetudinem nulla vnquam temporis anguſtia abrupit. Prandium ſiquidem potiùs, quàm Virginis eas preces omiſiſſet. Viſa profectò quotidianam hanc Roſarij recitationem, pronumque in ea humanæ ſalutis myſteria affectum teſtari diuino

Expreſſum in Duracino Perſico Roſariũ.

quodam conſilio celebris illa arbor Perſica, quam ſua manu plantauerat Andreas: in qua & ludere perbellè Virgo ipſa voluit quindeno pomorum numero ad ſuarum laudum incrementum, ac decus. Creuerat hæc arbor pro loci, ac ſitus anguſtia lætior, ab aſſidua nempè beati Senis manu, ac irrigatione. Eo verò elato, pulchriùs efflorũit miraculis, atque hominum fama. Obſeruatum nanque diù eſt, nonniſi quindecim ab ea quotannis ſolita prouenire Perſica, excitandæ videlicet Mariani Roſarij memoriæ; quo dicere tùm quidem poterat magna Parens: Flores mei, fructus honoris, &

Non ſine miraculo.

honeſtatis. Ne verò caſu exiſtere myſticum illum pomorũ numerũ ſuſpicari quis poſſet, comprobata miraculo ſemel, ac iterũ, ac tertiò res eſt. Enimuerò cùm eadem omninò autumnitas, hoc eſt, quindecim de more fructus poſtliminiò redijſſent, penderetque è ramis Roſarium; accidit, vt excuſſa ventorum vi arbore, pomum decideret. Dũ dolent Patres, non ampliùs conſtare myſterijs ſuũ numerum, caſu numerant. Mirum dictu: quindena adhuc poma, ceu nullũ decidiſſet, reperta: adauxitque mox admirationem congeminatum portentum. Siquidem, vt infirmi cuiuſdam pietati, fideique fieret ſatis, decerpi ex ijs vnum oportuit; ac tùm quidem communis fuit perſuaſio, actum iam de Roſario eſſe. Verùm dum iterũ accuratè numerant, perſtare, conſtanti Roſarij ſymbolo, quindecim omninò fructus mirantur: vt nullus iam ampliùs dubitaret, ab Andreæ virtute, eiuſque in magnã Matrem pietate naſci, atque autumnare in hortis miracula. Id quod eo luculentiùs altero mox anno compertum, quò plures in rei cõmunionem vocati Patres, veri fidem cõprobarunt. Etenim, recurrente anni vice, viſa nec plures, nec pauciores ſolito attuliſſe Perſica ea arbor fructus. Quare quòd exploratum iam habebant, attentiùs adhuc obſeruare conſtituunt Patres. Poma non vnus, ſed vt teſtatior res eſſet, plures vnà numerant. Nec poſt multò inſtauratum miraculũ eſt. Vno ſiquidẽ mox auulſo, non defuit fructus alter, qui numerũ impleret: admirantibus, ac fidẽ ſuis oculis penè abrogantibus ijs, qui diligenter numerauerant. Factum hinc pomis pretium, dignis planè, quæ viris principibus, ea certatim expetentibus, mitterentur. Gratiſſima nanque in primis fuere Paulo Quinto Pontifici Maxi-

Ab ijs pomis beneficia.

mo, & Alexandro Cardinali Montalto, & Iſabellæ Sabaudæ, Principi Mutinenſi, qui gratanter excepere. Addita inſuper illis non modò ab hac ſacri numeri admirabilitate, verùm etiã à præſenti perſanandis morbis virtute veneratio. Memorantur quidem nonnullæ à ſcriptoribus plantæ, humanis vſibus oportunæ, ac medicæ: ſed nobilitarunt hanc maximè Auellini arborem collata diuinitùs beneficia, curationeſque mortaliũ: idque eò cumulatiùs, quòd non modò poma, ſed & flores, ac folia ipſa ſalutaria plerũque fuerint: vt dici potiùs debuerit malus Medica, quàm malus Perſica. Neque verò abs re fuerit, pauca hic curſim adnotare. Et quidem ab eius floribus

Quæ libātur.

penè reuixit Agnellus Mareſchius puer, hauſtu nempè aquæ, quam flores illi diuinitùs medicauerant. Ab his etiam Iſabella, & Fuluius Berlingerij, ſoluta apoplexia, conualuere: eademque ope viſus faceſſere vehementiſſimus capitis dolor, quo Artemiſia Ianuaria laborabat. A folijs hoc idem præſidium. Deſperauerant medici Franciſci Penellij, Auerſanæ Diœceſis, ſaluti, exſucco iam, aduſtoque epate. Aderat loci Dominus Hieronymus Gueuara, qui decerptũ ſua manu ab ea arbore folium, piè aſſeruabat: iniectaque miraculorũ mentione, quæ vir Dei in dies patrabat, arrectum ſpe bona ægrotum, implorare eius opem, iuſſit. Igitur admotum epati folium: ſtatimque lapſus in quietem, excitatuſque mox Penellius, defunctũ ſe morbo penè momentò aduertit. Quod ipſum Andreas Staibanus, tentatus graui ſebri, expertus, poſtquàm immixtam eiuſmodi folijs aquam exſorbuit. Pomorum verò virtutem ſenſere Archangela Maria Pignatella, in Diui Andreæ cœnobio monialis, & Zenobia Albanella: illi veluti ſuperfuſus imber, febrim, qua dirè æſtuabat, continuò extinxit traiectum ore eorũ fruſtulum: huic verò corruptam apoſtemate manum eorundem itẽ particula, affectæ parti admota, perſanauit. Cuiuſmodi curationes frequentiſſimæ cũ fuerint, ingentem conciliarunt arbori celebritatem: ita vt vbi poſtea conſenuit, deuotionis ergo in cruces, ac vaſcula abierit, quibus & ſua etiam in propulſandis morbis vis fuit.

Ab

Ab Andreæ in Diuam Virginem, eiuſque Roſarium pietate in hanc arborem deflexımus. Alia nunc ſe ſe obijciunt denarranda, atque à Diuorum cultu ad eius in malos dæmones imperium gradum facimus. Planè cùm nihil humani generis hoſtibus moleſtius, quam in animorum lucro, ac formatione verſari, nullus ijs Auellino infeſtior videri poterat, qui in eo proximorum ſtudio incitatiſſimus, in id maximè vires, conatuſque intendebat, vt prædas ab ipſis inferni leonis faucibus, ac vnguibus eriperet. Hinc Illum vehementer mali genij oderant, atque inter ſuos hoſtes capitaliſſimum, ac principem numerabant. Andreas autem felici quodam victoriarum curſu ita illos attriuerat, vt iam deſpectui, ac deridiculo haberet; inſultaretque magnificè victis, ac non modò palæſtram minimè refugeret, ſed vltrò prouocaret. Hieronymam Guazzalutam pijſſimā fœminam mirùm, vt perturbauerant mali dæmones, inuolutam conſcientiæ ſcrupulis, à quibus arrigere ad diuina animū minimè poterat. Luctam illam quà adhortamentis, quà prece Andreas vicit: tranquillatamque Guazzalutam monuit, ſibi cum pertinaciſſimis hoſtibus rem eſſe: ſciret ijſdem aculeis reuerſuros: ſi ſaperet, ne ſe moleſtiſſimis cogitationibus permitteret, tentaretque pugnæ aleam; ſed recuſata ſtatim lucta, hoſtes ad ſe mitteret. Euenere hæc eueſtigiò. Nam dormitabundam noctu aggreſſi rebelles genij, perturbata animi tranquillitate, vellicare ſcrupulis, varijſque agitare dubijs occœpere. Aduertit illa eorum impetum, ac memor, quæ Andreas prænunciauerat, præſenti animo adire ad illum, iuſſit. Nec mora: ipſa quidem, ſedata mox tempeſtate, componi animum ſenſit: Andream verò repentina quadam impreſſione laceſſitū, collato cominùs pede, certare ſtrenuè oportuit. Nam poſtera luce, vbi Hieronymam vidit: Benè eſt, inquit, adfuere inferni veteratores, nec grauatè ſuſcepta mihi palæſtra, ac labor. At enim nocturni iſtiuſmodi cum dæmone conflictus non ſemel virum fortem exercuere. Quotieſcumque enim illuſtre aliquod facinus edere, aut quid celebrioris prædæ adipiſci contigiſſet, actus in rabiem cōmunis hoſtis, conſequenti mox nocte adoriri ſolitus erat præclari operis auctorem. Inueteratas inter pertinaciſſimi ſpiritus homines inimicitias, eius opera conciliatas, alibi commemorauimus. Sed ecce tibi nocte in Andreæ iugulum inſilire dæmones, quos ille, inſtitutis illicò precibus, dicto citiùs profligauit. Iterum Placentiæ nobilem matronam, ſpreta forma, ac formæ cultu Deo aggregauit: quo cùm nihil accidere acerbius ſtygijs hoſtibus poſſet, adornata in illū acriore pugna, noctu item aggredi, ac vindicare ſua damna ſtatuunt: quos ille eadem precum vi, ac tutelaris angeli ope cùm exarmaſſet, mirùm qua ſtatim rabie inſaniuerint. Nam, cùm proximè ad virum ſanctum accedere nequirent, permiſcere in conclaui omnia, ac diſcerpere ſuppellectilem, libros, lectum cœpere. Computare hæc Andreas in victoriæ argumentis, gaudebatque in externa effundi, ac conſumi inſanos illorum impetus. In quibus etiam ab humanis corporibus deturbandis inerat illi vis ingens. Nam dum inter viuos ageret, fatebantur mali ipſi hoſpites eius diuexari, atque viri præſentia: poſtquàm verò vixit, eius potentiam, ac nomen vſque adeò formidabant, vt ab iniecta eius memoria, ſoluta obſidione, confeſtim abſcederent: quod alibi erit adnotandum. Eſſent præterea, & aliæ eius virtutes adnumerandæ: nempè ſingularis in adminiſtranda familia, formandiſque, ac regendis aliorum moribus prudentia, & ab hac ſeuerior quædam cenſura, ſiuè diſcretio ſpirituum. Tùm eximius regularis obſeruantiæ zelus, quo excubare aſſiduò domeſticæ diſciplinæ, monere, increpare acriùs videbatur. Ad hæc obedientia, longanimitas, clementia, comitas, quarum virtutum actus cùm ſparſim aliàs dicti à nobis fuerint, hic iterum dare, ſuperuacaneum ducimus.

Andreę in infernos genios vis.

Quos prouocat.

Nocturnæ cũ ijs pugnæ.

Illos ab humanis corporibus deturbat.

Quod nunc poſcere hiſtoriæ filum videtur, id eſt virtutibus, quas hactenus deſcripſimus, miracula annectere. Iuuat nanque inſtitutam ſemel narrationem continuare mirabilium cenſu, quæ poſt receptum cœlo ſpiritum patrauit. Quæ quidem ita ſtylo conſignabimus, vt & nonnulla ſuis nihilominùs locis relinquantur, & in rerum copia delectum habeamus, ne dum ſingula perſequimur, familiare à prolixitate faſtidium ſcriptioni adhæreſcat. In ijs verò deſcribendis pictorum ingenium, artemque, imitabimur, qui circumfuſam capitum multitudinem ita ſuis in tabulis diſponunt, vt cùm multa exprimant, plura innuant; Effictis nanque ex integro præſtantioribus,

B. Andreę miracula.

pleraſque contrahunt ab arte effigies, ac nonnullas vix ab humero, ac vertice ſpectandas præbent. Igitur eximia Andreæ ſanctitas inclareſcere miraculorũ teſtimonio ſtatim cœpit; oſtenditque cœlo illum viuere, fuſa terris in cõmune mortaliũ bonum munificentia. Auſpicari libet ab eo beneficio, quod primò conſignatum publica tabella eſt; atque eius aræ conſecratum. Vela Neapolim Roma faciebat Bernardus à Summa, è Franciſcana, quam ab obſeruantia vocant, familia, vir, quà doctrina, quà dicendi facultate celebris. Turbata cœli facies monuit vix tempeſtatis, cùm intumeſcere, atque inſanire pelagus cœpit, eo quidem impetu, vt nullã iam à conſilio, aut manu ſperarent ſalutem nautæ; ac ventorũ ſeſe arbitrio permiſerant; certi, non longè naufragium abeſſe. Subit Bernardo, pleraque iam ab Auellino mortalibus beneficia præſtari, ac deprædicari paſſim fama. Rogat, tabellam tumulo vouet. Igitur deferbuit momentò pelagus, rediitque tranquillitas, aſpirante ad Andreæ preces meliore aura. Liberauit mox vir religioſus fidem, appenſa votiua ad miraculi monumentũ tabula, quæ prima fuit, ac rudimentũ tot deindè ab omni hominum gradu votorum, ac munerum. Cuiuſmodi in ſedandis fluctibus virtutem non ſemel Andreas oſtendit. Nec defuere & alia ab eius patrocinio in mari adiumenta. Nam inſequentibus non ſemel Turcis, implorato eius nomine, mutatiſque illicò ventis, iniecta iis mora eſt, ereptaque barbaris præda, cui velis, remiſque incumbebant.

Bernardus à Sũma naufragio eripitur.

Iam quod frequentius, ac moleſtius in hac palæſtra humanitatis mortales vexat, id eſt morborum genus omne, à quibus ad Numinis, Diuorũque opem anxiùs confugimus. Deſperata hîc duntaxat, atque inſanabilia, curata ab Andrea mala attingenda. Nam vulgariũ iniri numerus nequit. Patrata hæc porrò miracula eius lipſanis, veſtiũque laciniis, baculo item, perſpicillis, capillis, calceis, ſoleis; interdum nullo externi amuleti adiumento, ſed pietatis duntaxat ſignificatione, fuſiſque ad eum precibus. Cuiuſmodi percelebris fuit Panormi curatio, reſtituta viro nobili membrorũ incolumitate. Fuit is Simon Raus Sanctæ Luciæ Abbas, quem malorum Ilias ita inualerat, vt non capiti, non ſtomacho, non intimis medullis peracerbus dolor parceret: denique contentione quadam morbi neruorum, memborũque vſus omnis ereptus; exploratis fruſtra medicinæ, ac medicorũ adiumentis. Petendam à cœlo ſalutem cùm ſibi perſuaſiſſet Raus, Andreã delegit medicũ, excitatus miraculorũ fama, & interno quodam motu, cultuque animi. Ergo recurrente anniuerſaria eius memoria, vt ſuum in beatum Senem ſtudium teſtaretur, eiuſque ſibi pietatem viciſſim conciliaret, adornandam ad omnẽ magnificentiam celebritatem curauit in aliena quidem ęde ſacra. Nam ne in noſtra baſilica id pompæ excitaretur, prohibuit noſtratum modeſtia; ne quæſiti intempeſtiuè honores viderentur viro, non dum inter Beatos relato. Igitur conueſtiti aulæis parietes, cultum auro, ac floribus ſacellum, imago gemmis illuminata. Veſpertinæ primùm preces exquiſito concentu vocum celebratæ; tùm mane ſolenne factum ingenti mortalium accurſu peractum. Adfuit geſtatoria in ſella Abbas, bona quidem ſpe plenus, at membris omnibus captus, ſtipiti, quàm homini ſimilior. Perſolutis ritè ſacris, conceptiſque ex animo precibus, domum redit; cuius ad gradus dũ pauliſper ſiſtit, viſa ſibi audiri intimè ſemel, ac iterum vox, quæ iuberet ſurgere. Ad hæc, redire neruos, ac quandam afflari incolumitatem ſentit. Nec mora: ſurgit: conſtare vires, pedes, veſtigia aduertit: mox geſtientibus, ac miraculum inclamantibus, qui aderant, moliri ſe, nec quidem tentabundus, ſed alacer emetiri gradus, eoſque vnico veluti ſpiritu exhaurire viſus eſt. Eius in primis Pater, qui ſummus Iuſtitię Prę-ſes Panormi tunc erat, gratulatus; quòd qui ſella iuerat, rediret pedibus. Reliqui deindè ponè oculis fidẽ abrogabant, dum cernerent à conclamata valetudine repentem incolumem. Conciliata hinc Andreæ fama, ac cœpta linguis omnium celebrari eius ſanctitas in Panormitana Ciuitate, in qua cùm plura ederet miracula, illud etiã admirabilitatem habuit non vulgarem. Deciderat ab alto trabs ingens, fregeratque Pauli cuiuſdam Caluini femur, qui cùm diù iacuiſſet, tandem, afflicto corpore, moliri ſe fulcris, ac ſuſtentare precariò vitam cogebatur. A collatis in alios beneficiis erectus ipſe ſpe bona, Andreæ ſe cõmendauit; qui obiecit illicò ſe ſe viro, apprenſaque manu, ac iuſſum æquo animo eſſe, ſalutis monuit. Senſit ille ſtatim cœleſte præſidium. Erigit ſe, graditur; inſequenti mox die conſuetas operas reſumit, nullo non admiratione

Simon Raus ſanitati redditus.

Paulo Caluino crus reſtituitur.

Digitized by Google

tione defixo, qui luxatum, accisumque hominem nouerant. Reuocatam hanc porrò affectis, aridisque membris vim experti Neapoli plerique ſunt: præcipuè Ioannes Iauanus, & Carolus Vaccarius, quorum ille penè ab incunabulis claudus; hic verò nonniſi teptando inambulabat: vterque, implorata Andreæ ope, conualuit, cœpitque ſuis quiſque pedibus inſiſtere. Admirabilior profectò, inuocato duntaxat Andreæ patrocinio, biennis pueri non ſanitas, ſed vita. Nomen illi Petrus Paulus Cobelſius, quem lethales puſtulæ inuaſerant, correptumque mox apoplexia, veluti iam extinctum mæſtiſſimi parentes complorabant. Exangui ſiquidem vultu, porrectis membris, explorato etiam oris halitu; nuſquam vitæ veſtigia. Quocirca nec locus precibus videbatur, conclamato iam puero. At matrem ſpes non deſtituit. Iubet ad beati Senis imaginem lāpadem accendi: prouoluitur in genua, orat ipſa, & quotquot aderant: ſtatimque viſus excitari defunctus puer, circumferre huc illuc oculos, inclamare, cibum petere: denique reſtituta illi ſalus. Gratulati rediuiuā ſobolem parentes, ad Beati mox ſepulcrum, veluti triumphatæ mortis trophæum vnà cum votiuis muneribus illam ſiſtunt. Idem lactenti puero, cui nomen Carolus Vitus, collatum vitæ beneficium. Correptus nanque febri, cùm triduū vbera combibere minimè potuerit, ea erat omnium ſententia, iam expirauiſſe. Lachrimari vbertim mater, ac miſerandum in modū inclamare. Cōmiſerata caſum nobilis matrona, accurrit, baculū, quo vti Andreas conſueuerat, habebatque ipſa ſummo in pretio, attulit, defuncti ori admouit. Nec multo: reddita puero vita, matri puer.

Extinctus puer mox rediuiuus

Reſtituta itē alteri vita.

Atque hic quidem baculus non vnius planè miraculi inſtrumentum Neapoli fuit. Huius attactu Horatius Loffredus, podagra dirè diuexatus, alijſque pertinaciſſimis à diuturniore æuo morbis conflictatus, conualuit. Hoc Horatius Citarella, medicus dolorem, qui ſtatis temporibus malarū alteram vehementer diſcruciabat, ſedauit. Hoc Beatricis Tuſæ famula à febri, ac aſthmate laborans, liberata ab ijs morbis eſt. Ab hoc Mariæ Felici, & Hieronymæ è gente Macedonia, in Diui Andreæ Aſceterio monialibus, grauiſſimè affectis, præſidium, ac ſalus. Sed vt nulli robuſtius malū, quàm Mariæ Franciſcæ Piſcaræ Caſtaldæ, eiuſdem monaſterij ſanctimoniali, ita nulli præſentius ad hoc baculo remediū. Biennium decumbebat, doloribus acerbiſſimis tentata, ac motus omninò expers; vt ferri ſororū manibus ad Euchariſtiam oporteret. Defatigatis medicorū ſubſidijs, ingenti fiducia Beati Senis baculū poſcit: quocum noctu dum quieſcit, ecce tibi quędā ſurgendi cupido, ac impetus. Experitur, & adeſſe robur ſentit, & ſua mēbra. Summo mane cùm lecti impatiens, tùm vt Andreę ſanctimoniā ab accepto beneficio depredicaret, ſurgit, odèum petit, genua facilè ponit, aſſurgit alacriùs, gradus conſcendit, admirantibus, quæ aderant, ac ſanitatē effuſè gratulantibus. Diē tenuit ſalus; cùm nouo ſtatim miraculo rediere morbi. Enimuerò addubitans Caſtalda, an è re animæ ſuæ futura ea incolumitas eſſet, Andream ex animo alloquitur: Se quidem gratanter corporis firmitatem accepiſſe, ſed præhabere animæ bona. Eaque propter niſi cum ſpiritus incremento id acciderit beneficij, recrudeſceret poſtliminiò malū. Neque mora: dū has preces impenſiùs concipit, abiere mēbra, eorūque motus, ac ſenſus: vt redire aliena ope in cellulā oportuerit. Hæc poſtea incomparabilis planè Virgo cùm virtutū omnium in eo cœnobio, tùm eximiæ cuiuſdā patientiæ exemplar fuit. Viſum ærumnarum agmen illam quodam fœdere adoriri, atque in ſingula graſſari acerbiùs membra. Deliquiū identidem totā occupabat, idque in horā quindecies, horribilem planè in modum; vt inter cæteras dolorū peſtes oculorū etiam, oriſque deformitas, atque inuerſio terreret. Planè, cùm plus æquo ſororū charitatem exercere aſſidui hi morbi viderentur, qui tunc erat Monaſterij à confeſſionibus, Benedictus Mandina id conſilij cepit, vt iuberet Caſtaldā iterum ad Andreæ patrocinium confugere. Paruit illa, admouitque affecto corpori ligneū cuneum, quo vti ille ſolitus erat, vt ferreū circulum lateri arctiùs adprimeret. Quo ſtatim amuleto proſcripta lues omnis, atque à difficillima ægritudine reſtituta ſibi eſt infirma. At enimuerò deliciæ ſunt malorū perpeſſiones, ſapitque amanti crux. Igitur recurrente Diui Bernardi peruigilio, in Chriſti Domini cruciamenta, eorumque commentationē ingreſſa, concepto diuinitùs igne, flagrare ſolito ardentiùs cœpit: tùm ſenſus ſuos omnes abdicare, & quod ad corporis afflictationem pertinet, totam ſe Deo permittere.

À Beati baculo miracula.

Præcipuè Maria Franciſca Caſtalda perſanatur.

Quę nouo miraculo in morbum relabitur

Sed curata iterum.

Inter

Inter hæc viſa ſibi audire Andreæ vox, quæ diceret, impetraſſe iam ſe, idque decreuiſſe diuinum Numen, vt ad morborum luctam rediret. Quod iterum, ac tertiò audiuit: & ne eſſet dubitationi locus, monita, vt confeſſario rem aperiret; qui cauere cõmuni Monaſterij incõmodo ſtuduit; iuſſitque, eas funderet ad Deum preces: nempè vt aggeraret quidem pœnas, ſed liberaret anxia ſolicitudine, ac labore ſorores ſuas.

Iterum ægreſcit.

Atque ex eo quidem tempore citra Sodalium moleſtiam, cumulatis malis, acerbiſſimã dolorum palæſtram inijt, grauique præſertim deliquio ita corripi conſueuerat, vt triduum exanimis nullo prorsùs motu, ſenſuque perduraret. Quo quidem tempore quid illi acciderit, cùm de Beati Andreæ Auellini ſanctitate actus Neapoli conficerentur, dicemus in loco.

A calceo mirabilia.

A baculo igitur plura, ſed à calceo non pauca: vt in Andrea condecorando videas, argumentũ vel à vilioribus Deum ſumpſiſſe, modò vſui illi fuerint. Experta huiuſce calcei virtutem Eleonora de Bottis, ſemel dum intimè doloribus cruciaretur: iterum dum ab immodico ſanguinis fluxu nil propiùs erat, quàm vt abortiret: tertiò, deſperata iam ſeptennis filij ſalute. Admoto ſiquidem familiari, præſentique hoc morborum ſubſidio, conſequuta certa incolumitas eſt: vt ſanè cognoſci à calceo, veluti ab vngue Andreæ ſanctitas potuerit: cuius quidem parua, ac vilior pars, nempè ſoleæ fruſtulum, admirabilis etiam fuit.

Homodea à Beati ſolea conualeſcit.

Teſtis Hieronyma Homodea, nobilis fœmina Panormitana, quæ apoplexia identidem penè ad interitum laborabat; ac ſemel quidem vſque adeò familiaris hic morbus guttur intercepit, vt cùm inſtillato duntaxat guttatim lacte, ac iure ali per pluſculos dies contigerit, poſtea ne liquores quidem admitteret. Petere à Beati Senis ſolea medicinam ſtatuit, ac ſorbere quid aquæ cœpit, eius attactu ſalutiferæ: quo remedio repetito, omninò conualuit; viſa facili gutture cibum ſumere: ac poſtridiè, vt grates Deo, atque Andreæ redderet, à lectulo ad templum adit. Porrò vt ab hac ſolea ſemel, ita à ſanctiſſimi viri capillis ſæpè conualuit Homodea. Nempè ſuperflua hæc perindè ac leuiſſima humani corporis additamenta plurimùm valere ad amplificandam Serui ſui gloriam, Numen voluit.

Beati Andreæ Capilli igne probantur.

Ergò geminus pijſſimæ huic fœminæ Andreæ capillus in pretio fuit, quorum virtutem probari ad ignem priùs oportuit, ſtupendo planè miraculo. Enimuerò cùm chartulam, vbi aſſeruabantur, propè focum explicaſſet, accidit, vt illorum alter in ignem decideret. Abſumi momento debuit; ſed qui ſanctis viris pollicitus eſt, fore, vt ne capillus quidem de eorum capite periret, intactum voluit. Subſilire nanque viſus è flamma, afflatus tantummodo ab altera ſui parte eo igne; vt oſtenderet, viciſſe. His igitur capillis mira quædam in morbos vis. Et Homodeæ quidem nulla efficacior, ac promptior medicina, quoties affligi ſuo malo, atque intercludi guttur contingebat.

Ab ijs Panormi miræ curationes.

Immergere ſiquidem illos in aquam conſueuerat, cuius deindè hauſtu, & ſedari continuò morbi impetus, & traijcere ipſa pro libito cibum videbatur. Qua deindè ope adeſſe & alijs ſolita erat: vt iam nihil Panormi frequentius, quam ab ijs capillis ſalutem ægrotantibus peti. Petro Carbonetto, Vincentio Rainoni, Felici Lauriæ, Ioſepho Albertino ex noſtris, alijſque ſanè multis reſtinctæ ſaluberrimis iſtiuſmodi vndis febres peracutæ. Nimphæ Meſſiniæ, eiuſdem Homodeæ famulæ fœdum vlcus nares curruperat. Inſperſa aqua, abijt morbus. Quod illa dum medicorum induſtriæ tribuit, repetitum monendæ fœminæ narium dehoneſtamentum. Hinc illa ad pietatem, fidemque excitata, ad ſalutarem aquam recurrit: cùm inſequente mox nocte, videre ſibi viſa eſt venerabili quadam ſpecie Andream, proximè ad lectũ accedentem, qui vbi de morbo blandè interrogaſſet, nareſque manu tetigiſſet, abijt & cum ipſo morbus. Nam expergeſacta, nihil in naribus vitij reperit; didicitque venerari beneficum ſuum. Collata item in eadem Vrbe Panormitana eodem hoc aquæ potu ſalus ingenti quidem miraculo fuit Hieronymo Dentices ex noſtris, qui percuſſus apoplexia, horas omninò decem ita iacuit, vt procuratus extremis ſacris, iam iam expiraturus crederetur. Potionem quidem ex margaritis reuocandæ vitæ cùm reſpuiſſet, medicatam capillorum attactu aquam admiſit, ex qua ſtatim ſanus.

Et Neapoli.

Neapoli probata etiam hæc capillorum virtus, pleroſque ſanitati reſtituit. Illud verò notatu dignum. Nam cùm gliſceret miraculorum ab ijs fama, ac ſummis votis, veluti certum malorum remediũ expeterentur; quidam, vt eſſent, vnde plures acciperent, intermiſcere veris falſos, non du-

Digitized by Google

dubitauit. Sed compertâ mox fraude, monitus erroris fuit. Nam poſtera die, ceu nefas eſſet cum viri Sancti capillis alienos cōmiſceri, dum eos reuiſit, ſeparatos inuicē reperit. Quo ille ſucceſſu exprobratus, ad Andreæ pietatem exaugendam, rem planè admirandam, ac culpam ſuam euulgauit. Simile quid de celebri Diui Nicolai Myrenſis Epiſcopi liquore legimus. Vitreas vrnulas, ſalutari ea vnda plenas, quis amico ſuo adornauerat: vtque augeret numerum, adulterinas confidentiſſimè addiderat. Sed nec decipi quemquam, nec decipere, Nicolaus voluit. Nam quas verus liquor imbuerat, plenæ illæ quidem, aſcititiæ vacuæ ad vnam omnes fuere ad amicum perlatæ. Quod quidem vt mirè, ita & benignè factum. Siquidem nemo vnquam ſacris impunè illuſit.

Miraculo ſeparantur veri capilli ab adulterinis.

Percurrenda modò ab indumentis, eorumque lacinijs admiranda. Capitis præcipuè integumentum, ſiuè biretū nimiùm quantùm ab aſſiduis beneficijs Neapoli inclaruerit. Incluſum rheca argentea, deferri ab vno ad alium ægrotum oportet, ceu familiare morbis omnibus medicamentum, fermè nunquam fallente patrocinij, atque incolumitatis ſpe. Corneliæ Capyciæ Sconditæ correcta ſtatim mamilla, quam fœdè vlcus depaſcebat, non alia quidem ope, quam bireti attactu; quo etiam Lucretia Capycia Latra, cuius ſaluti deſperauerant medici, conualuit. Teſtati hoc idem præſidiū Ioannes Bapriſta Blancus, & Fauſtina Caracciola, quos pertinax capitis dolor diutiùs excruciauerat; & cum his Iulia Barilis, & Hippolyra Caracciola, Montis aperti Comitiſſa; illa peracerbo defuncta ſtomachi dolore: hæc enixa feliciter, poſtquàm tertiùm abortiuerat. Anginam verò quàm ſæuiſſimam, quæ Ioannem Baptiſtam Galeotam ita cruciabat, vt intercluſis faucibus, nullum daret medicinæ locum, idem biretum ſoluit, cuius tactu congeſta in apertam perniciem lues, amoto velut obice, erupit, ſalute mox reſtiruta. In monaſterio Diui Andreæ faceſſere multiplices ab alijs monialibus morbos, iuſſir. Et Angelæ Mariæ Columnæ enaras in capire glandulas, moleſtiſſimas eas quidem, non ſemel eraſit. Margaricæ Rinaldæ nil propiùs fuit, quàm abire in immedicabilem luem pectus. Sed ad bireti tactum proſerpens malum conſtitit, & mox euanuit. Eademque vis diſpulit ex Agathæ Veſpolæ oculis vitium, oppidò pernicioſum. Illud in Ioanna Ciceria non diſſimulandum. Inuaſerat illam clandeſtinus dæmon, eamque ſic affecerat, vt ferre vterum videretur. Suſpicari libatam pudicitiam in grauida alieno tempore coniuge maritus. Mutua hinc odia, & cædis conſilium. Tandem deprenſus, qui diù latuerat, malus genius: admotoque bireto, torqueri, vociferari; nec multis: ea vi cogi ſe hoſpitio cedere, indignabundus pronunciauit; ac fore, vt poſtero die faceſſeret. Erupitque planè, vt dixerat. Auſus verò voluente anno idem repetere domicilium, eadem inde machina exrurbatus repenrè eſt. E reliquis deindè veſtibus frequens, ac paſſim ſalus. Nempè abactæ ab ijs febres, ſedari dolores peracerbi, diſpulſa membrorum vitia, puerperæ à partu periculosè decumbentes, perſanatæ: viſa coiuiſſe ſtatim vlcera, ſolui apoplexiæ, laxari nerui, defecta denique corpora mirè inſtaurari. In vna duntaxat Hieronyma Curſaria multiplex malum Andreas aggreſſus, ſuæ veſtis fruſtulo perſanauir. Caput illi intimè, atque immodicè tundebatur, vt aurium vſum amiſerit, ac nulla interdiù, noctùque quies eſſet. Corpus ab inteſtina, arcanaque vi morbi intumuerat; cor ipſum ea inuaſerat rabies, vt obuia quæque dentibus laniaret, nec ſibi, ſuiſque carnibus parceret: creſcebatque in dies ab ipſis remedijs malum. Inita tandem ratio, quæ ſiſteret, ac ſanaret. Subijt nanque, quandam eſſe domi Andreæ veſtis laciniam, quæ admouetur vix pectori, cùm erumpere peſtilentiſſima quædam ſanies, atque inundare morbus cœpit; quo viſa illicò, & lues comprimi, & mox, orante ad Andreæ ſepulcrum amita, reſtitui integræ ſanitati fœmina; quæ & alijs ſubindè malis conflictata, experta non ſemel eius patrocinium eſt.

Profligata ab Andreæ bireto mala.

Curati ab indumentis alijs morbi.

Iam verò, non modò veſtes, ſed quicquid Andreæ vſui fuit, vis quædam, in mortales benefica, afflauit. Fuit cingulo ſua virtus; & vnum quidem ex laicis noſtris, quinas omninò horas peracerbo laterum dolore laborantem, eo præcinctum, in veſtigio temporis cruciatus deſeruere. Alium quempiam grauiore animi morbo; nempè impuriſſimarū cogitationum inſolentia, ac ſtimulis exulceratum, quæ olim Andreæ latus obligauerat linea faſcia, caſtimoniæ, candorique mentis reſtituit. Beati Senis conſpicilia,

Salutare etiā cingulum.

Et conſpicilia.

ſpicilia, vt ſalutaria morbis alijs non ſemel fuere, ita ſuis oculis perſanandis opportuniſſima experta eſt Beatrix Moccia. Par item virtus thecæ cuidam, quam ille olim geſtauerat, in qua ſacra quædam numiſmata, ac cerei agni fruſtula ſeruabantur. Senſit ab ea ſubitæ incolumitatis beneficium Eugenia Moliniana, è Diui Andreæ monaſterio; idque ſemel, ac iterum, & tertiò. Aliud præterea numiſma ſacrum inſignis miraculi inſtrumentum fuit. Caſtronouo, quæ Andreæ Patria eſt, excitatum incendium, reſtingui nulla vi poterat; creſcebatque vehementiùs, poſtquàm quatuor iam, & viginti omninò horas perdurauerat conflagratio. Tandem ſenſere à populari ſuo opem ciues. Proiecto ſiquidem in ignem, quod diximus, numiſmate, viſa graſſata diù flāma, momentò in cineres deſediſſe: idque ingenti mox admirationi fuit, quòd neque numiſma ipſum, neque ſericam, qua illigauerant, teniam vlla penitùs ex parte ignis læſerat. Ad hęc, exaratę eius manu ſchedulę nuſquam non ſalutares: teſtaturque Camillę Staibanę filia, peracutis laterum doloribus exempta. Eſt etiam, quod in breuiario, quod horarias preces recitando Andreas triuerat, miremur. Inhalate ſiquidem inſolitum quendam odorem cœpit, quo excitata magnoperè viri pietas, qui non adeò eius erat ſanctimonię, ac nomini addictus. At enim res ſingulas, ac minutiorem ſuppellectilem percurrere, longiùs profectò eſſet. Vt enim plantarum, ac ſtirpium nonnullę reperiuntur, quarum nihil non mortalibus, quà victui, quà medicinę opportunum, nempè radix, folia, flores, fructus, cortex ipſe, ac truncus; ita nihil ab Andrea non vtile, vel ipſa, quę abiectiora, ac viliora videri poterant.

Incendiū Caſtronouo extinguitur Andreę numiſmate.

A ſchedulis, ac breuiario mira.

Quę circa eius imaginem accidère, curſim nunc expedienda, vt conſtet, vmbram etiam ipſam Andreę fuiſſe admirabilem. Et quidem in pretio eius erat effigies in eo mulierum contubernio, quod Aurelia Papara Neapoli excitauerat. Hanc quotannis, redeunte eius celebritate, ſolita erat pietatis ergo Iulia Baſurta, diſtinctis auro, ac ſerico floribus exornare. Igitur, appetente ea die, accingitur de more operi: aurum verò, ac ſericum, quod ſerto contexendo parauerat, viſum planè modicum, ac longè intra cultum, ac floſculorum numerū, quem imaginis magnitudo poſceret, & ipſa deſtinauerat. Dum anxia ſupputat Baſurta, quædam ex Sodalibus, quę in id etiam operę, laboriſque inſudabat: ne, inquit, nimium hęc nos cura ſollicitet. Monet namque animus me, fore, vt Senex hic perornatam, nec minùs ſolito, effigiem hanc ſuam velit. Pergunt: acciditque coniunctus cum admirabilitate labor. Nam perducta ad calcem opera, aduertunt, quadraginta omninò flores lucubraſſe, quot, ſcilicet, adornandę imagini opus erat. Andreę manum, virtutemque inibi agnoſcunt. Siquidem ęſtimata priùs materia, vix octo floſculis ſuffecturam, reputauerant. Res igitur pro miraculo Sodalibus alijs narratur: fecitque Baſurtę obſequio pretium multiplicatum affatim aurum: planè non ſine incremento pietatis in eam effigiem, quę vernare pulchrius ab ijs floribus cœpit. Iam odor poſt flores commemorandus. Accidit id in Diui Andreæ cœnobio, vbi ſanctiſſimi Senis exempla, eiuſque vitę bonus odor mirùm quo ſanctimonialium ſtudio fragraret. Obtinuerat apud ipſas mos, inſtituta quotannis domeſtica ſupplicatione, ſacram eius imaginem per monaſterium circumferre. Conſtituta die redeunte, redijt celebritas, quam eo anno, qui ſextus decimus erat ſupra ſeſquimilleſimū, Maria Magdalena Columna, & Anna Maria Caracciola præcipuè adornauerant. Quæ quidem, veluti in pietatis pretium, dum circuitus ille ſacer perageretur, viſæ ſibi ſuauiſſimo quodam odore afflari. Admirantes, vnde is eſſet, explorant; ac nihil intra cœnobium odoramenti ſparſum aduertunt: tùm cæteras ſorores eius rei dum monent, audiunt, & eadem ipſas inhalari fragrantia. Igitur affirmare conſtantiſſimè omnes, cœleſtem quandam ſuauitatem ſupra omnem Arabiæ vnguentariam impetraſſe Andream ipſum, ne deeſſent anniuerſarię illi celebritati ſua thura. Id quod compertum mox luculentiùs ijs fuit. Enimuerò, à ſupplicatione, peractis de more precibus, ſacram eam effigiem exoſculatæ, efflari ab ea odorem perſenſere: quo adaucta earum pietas, ac gratulatæ vehementer ſunt, ea illecebra adfuiſſe ſolennitati ſuæ, ac monialium ſtudijs Andream. Illud etiam, & in eodem aſceterio, & ab eadem imagine admirandum. A cœna conuenerat in odéum Anna Grimalda cum cæteris ſororibus, quibus deindè abeuntibus, remanſerat ſola ipſa, vt diutiùs ad diuinam Euchariſtiam ſuas preces lucubraret. Producta ad multā no-

Et ab imagine.

Cui adornandę ſericum, & aurum creuit.

Et ab illa odor

noctem oratio: ſed diſcedere dum cogitat, tentatque exitum, inuenire odèi fores nul-
la ratione poterat. Iam quidam à tenebris, vicinoque cœmeterio timor animum
pulſabat, cùm ab Andreæ imagine, quæ publicè in odeò proſtabat, emicare clariſſi-
mam quandam lucem vidit, qua, inducto veluti meridie, locus mirè inclaruit. Abijt-
que Grimalda, quæ à præclaræ imaginis beneficio vſurpare Dauidicum illud poterat:
Et nox illuminatio mea in delicijs meis. Panormi lux etiam ab effigie: & quid longè
mirabilius. Pleuritide laborabat Maria Paladina, eamque morbi peſtilitas eò adduxe-
rat, vt actum iam de eius vita eſſet, ac de extremis ſacris ageretur. Interim allata
Andreæ imago, cuius aſpectu viſa animos, vireſque ægra colligere; conceptiſque in-
timè precibus, incolumitatem ingenti fiducia efflagitauit. Tùm iuſſis, qui aderant,
abire, adduci cubiculi feneſtras, ac cubiculum ipſum voluit: ceu tantiſper interquie-
ſcere, animus eſſet: re autem vera, vt de ſalute propiùs, atque ardentiùs cùm Beato
ageret. Nec mora: ceu diem, ſolemque admiſiſſet, irradiari illicò ingenti quadam — *Et iterum lux, motus, ſanitas,*
luce conclaue. Ad hæc, quæ ob oculos erat Andreæ imago viſa brachium exporri-
gere, ac flabello, tẽperandis febris æſtibus, auram euentilare. Inter hæc dat ſe quieti:
mox euigilat, ac defunctam ſe pleuritide, ac febri ſentit, attonitis ad inſperatam ſalu-
tem domeſticis, qui perſuadere ſibi vix poterant, quod oculorum fides comprobabat.
Eiuſmodi etiã in imagine motum pia quędam fœmina cum fructu vidit. Nam cùm
ad Andreę effigiem enixiùs oraret, cõmendaretque graues admodùm curas, quibus
tùm quidem nulla ſpe proſperioris euentus premebatur, vidit illum, veluti votis an-
nueret, caput inflectentem. Reſponditque mox exitus. Siquidem non poſt multò,
mutata rerum facie, ceſſere illi feliciter omnia. Vocat nunc & alia apud virum prin-
cipem effigies non vno ſanè prodigio, Innico Aualos, Piſcarę Marchioni Andreę ima-
go domi erat, quam intimè colebat. Ad hanc dum orat è domeſticis quidam, ſtil- — *Et ſudor;*
lare ab ea guttas quaſdam aduertit. Defixus rei nouitate, alios, atque alios vocat:
tùm Marchionem ipſum; quibus ſedulò inſpicientibus, compertus ſudor: cumque
nullibi in eo conclaui humor; ſupra naturam eſſe, perſuaſum habuere, ac portendi quid
grauius, quod guttis ijs, veluti manantibus lachrymis, Andreas complorabat. Con-
tigit porrò, quod timeri tunc cœptum. Enimuerò ſextum poſt diem Carolus Aualos, — *Qui mortem Carolo Aualos prænunciauit.*
decennis puer, ac Marchionis filius, vuã in horto decerpere ſua manu dum tentat, in-
niti marmoreę cuidam ſtatuę oportuit, quę repentè concidit, ipſumque dicto citiùs,
accurrentibus fruſtrà famulis, oppreſſit. Quod prænunciare, ac prematuris lachrymis
dolere Andreas voluit. Plura ab eius effigie, ſed hęc ſatis.

Intueri ſiquidem ipſummet aſpectabili, ſuaque forma iuuat. Scilicet, quaſdam — *Andreę apparitiones mortalibus ſalutares.*
eius recenſere apparitiones, quę cum inſigni miraculo, fructuque mortaliũ identidem
contigere. Et quidem Catharinę Caraſę, quam aliàs dixi, Camilli de Curtis coniu-
gi, non ſemel obiecit ſe ſe Andreas, nunquam ſine corporis, animique compendio.
Extincto pręſertim viro, dum ſolitudinem illa ſuã impenſiùs lamentatur, adfuit è cœ-
lo bonus Senex, ac veluti inter viuos adhuc eſſet, familiarem ſerere cum ea ſermonẽ,
lachrymam, mœroremque abſtergere, adhortari ad pietatem, ac tolerantiam cœpit.
Nempè in peracerbo eo caſu officij duxit, fœminam conſolari, cuius olim mores, re-
ligionemque formauerat, eius in ſpiritu pater. Puellam nuptias ſiue deprecantem,
ſiuè affectantem, actamque inde in furentem quandam amentiam, dum pręcipitium
tentat, iamque ab alto ſolicitat caſus ſuos, dilapſus cœlo Andreas, manu continuit,
reſtituitque ſuę menti, quam & aliàs aſpectu ſuo ab animi, corporiſque deliquijs libe-
rauit. Nec ſegnior in Beatricis Moceię preces, quam pro Simone fratre orantem,
tactis leuiter humeris, monuit, eius iam ſanitatem imperraſſe. Cuiuſmodi etiam de
matris incolumitate nuntium Eleonorę Claramontię attulit, viſus ab ipſa Theatino
ritu linteatus. Sed cùm ab eiuſmodi viſis frequentior hominibus cùm animę, tùm
corporis ſalus extiterit, non omnia hic enarranda. Abundè erit, vnum adhuc, aut
alterum, memoratu dignum, percenſere. Inaudiuerat pius quidam iuuenis, cui no-
men Franciſco Damorio, occulta ſępè crimina, dum in humanis ageret, inſpexiſſe — *Franciſco Damorio latens crimen aperit*
Andream, ac euulgaſſe. Adſcriptus is erat diuini amoris Sodalitio in domo noſtra
Neapolitana Diui Pauli, in quo, recepto iam vſu, dum tutelares Diui in menſem
ſorte diſtribuuntur, Damorio Beatus Andreas contigit: quo ille patrocinio excitatus,

rogare Tutelarem ſuum cœpit, vt ſi quod fortè in pectoris fundo lateret crimen, quod ipſe minimè cerneret, in memoriā reuocatet, vt maturè dilueret. Ergo dormienti videri ſibi viſus eſt in Paulino templo eſſe: tùm procurata conſcientia, adire Oratorium. Dum aditum tentat, obiecitſſe ſe Andream, luce quidem conſpicuū, euibrantemque è corde flammā, vultu verò ſubaſpero, ac minabundo ab eo ingreſſu ſemel, ac iterum arcentem, ceu non omnia confeſſario aperuiſſet: diſertè verò monuiſſe, excuteret perquàm diligenter animū; latere nempè admiſſum ante annos quatuor piaculum, quòd expiari oporteret: rediiſſe tunc ſibi facti memoriam, faſſoque ritè crimine, patuiſſe ad Sodalitium aditum. Excitatus, compotem ſe voti factum, gratulatus Damorius eſt. Siquidem cum à ſomno anteactam vitam, animūque ſedulò recognoſceret, aduertit, oblitum reuerà ſe noxæ cuiuſdam, eo quidem tempore, quo monitus ab Andrea fuerat, admiſſæ. Confeſſionemque illicò inſtituit. atque id etiam in ea mirum: quòd cùm conſuetum ſibi confeſſarium quæreret, obuiam eundem ipſum habuerit, cui videri ſibi viſus eſt, aperire in ſomnis conſcientiam. Nempè vt intelligeret, ſomnium minimè fuiſſe, cui, remotis vmbris, tàm aptè cuncta reſponderent. Hic poſtea eodem in Paulino cœnobio nomen noſtræ Sodalitati dedit, exceſſitque è viuis, non ſine inſigni tutelaris angeli ope. Quod verò Neapoli item præſens Andreæ præſidium maximè cōmendauit, repetita quædam apparitio fuit, qua non vnius quidem vitæ, atque exiſtimationi conſultum. Luſa mariti fide, honoſtatem læſerat mulier quædam quæ tandem maturum iam partum effudit. Rei conſcius quidam ſub eodem tecto conſanguineus erat, qui quidem & adeſſe fœminæ, & tueri familię famā pro virili primùm ſtatuit: vnde & Andreæ in eo ſe rerum diſcrimine commendauit. Verùm cùm poſse

Iuuenem à cædis cōſilio reuocat, ſemel,

ſubindè contegi crimen, deſperaret, vrgeretque honoris ſtimulus, ac impotens in fœminā ira, ad vltima tandē conſilia animū appulit, atque id vnum tuendæ publicæ exiſtimationi opportunum putauit, ſi matrem, ac ſobolem conficeret. Dum hæc animo verſat, ac ferrum iam expedit, ecce tibi obortus repentè ſplendor cubiculum occupat, & ab illo graui quidem ſupercilio Andreas: Ecquid, ait, molitis, fili? neſcis, Dei filiū pro animarum ſalute è cœlo deſcendiſſe? audes tu illas perdere? eo viſu, ac monitu perculſus vir ille, abijcit conceptū facinus: ſtatuitque nocte intempeſta infantem exponere. Itur: vocata in conſilium, opemque fœmina, facem præit. Sed dum hæc extinguitur, in ſummis tenebris rediit homini deſperatio, ac furor, verſatque iterum necem. Subijt tamen animo Andreas; eoque inuocato, adſuit ille extemplo, luce

Ac iterum.

vndique irradiatus, ac facem præterea manu geſtans: eoſque alloquutus; Quid facitis? inquit, lumine indigetis? en illud: euanuitque, luce impertita. Pergunt; ſed ecce nouum ab Andreæ patrocinio beneficiū. Nam dum Ciuitatis cuſtodias timent, expandi circa ſe ingentem ſplendorē vident, quem ſequuti, deſtinatum ad locū peruenere, partumque abiecere, ac metum. Nihil ad ſanctiſſimi viri, eiuſque in mortalium caſus ſubleuandos propenſionis cōmendationem illuſtrius, quo eius de miraculis narrationem obſignauimus. Etſi, quæ oppidò fœcunda, ac nunquam effœta virtus fuit, & alia in loco, ac tempore mirabilia ſuppeditabit, quæ tradam poſteritati. Nam qui viuens hiſtoriam ſæpius adauxit ſuis factis, is ipſe defunctus, ac Cœlitum numero adſcitus, ſegetem ſcriptioni non ſemel dabit. Sed nunc hactenus.

Anno Domini 1609.

Poſt Andream Auellinum, bimeſtri elapſo, deſijt eſſe inter viuos Iacobus Tornus, vir, vti aliàs meminimus, virtutū omnium prȩſidijs cumulatiſſimus, atque exacta quędam veteris diſciplinæ, moriſque effigies. Planè, ſi cum Auellino compares, inſignis quidem vitæ ſanctimonia vtrumque commendabat; ſed indole omninò diſpari, ille actuoſior, ac factus ad aliorum cōmoda; hic ab externa conſuetudine remotior; intentuſque in ſui profectum, interni ſui hominis ſtudioſiſſimus videri voluit. Quocirca cui latere, atque hominum lucem fugere, curæ fuit, id maximè effecit, vt ex rebus

Iacobi Torni ortus, parētes, ingenium.

ab ſe geſtis, paucæ ad nos peruenirent, quas literæ conſignarent. Damus hic porrò viri inſigniter probi lineamenta quædam, non integram imaginem, quam coniectari quis facilè poterit, atque æſtimare, veluti ab vngue. Neapoli natus honeſto loco, Patrem Ioannem Antonium Tornum, Matrem Lauram Folleriam habuit, à quibus liberaliter, ac piè fuit educatus: In puero mores ſtatim apparuere, capeſſendæ virtuti peridonei: ingenium item facile, ſpecimenque futuræ eruditionis ſtudia humanita-

tis,

tis,quæ perdiligenter arripuit,dedere. Et Pater quidem ab ea in artes bonas propenſione erectus in ſpem non mediocris literaturæ,Ipſum peculiari quodam affectu complectebatur. Quæ maximè in lubrico eſt ætas, intra modum ſingulari quadã pietate continuit: vitabatque præſertim æqualium cætus, quorum perſepè conſuetudine, afflatuque labefactati mores probos,contingit. Proludere religioſæ diſciplinę receſſu quodam,videbatur,ad quam vocatus mox peculiari inſtinctu diuinitùs fuit. Ad noſtrum potiſſimùm Inſtitutũ trahi videbatur. Alliciebat nempè Theatina paupertas, modeſtia, atque externus, qui inerat, rigor, conformis omninò ſuæ indoli. Igitur Ioannem Marinoniũ adijt,qui tùm Paulinum cœnobium moderabatur, florebatque præclara ſanctimoniæ laude Neapoli. Adiungi ad Chriſti famulatum ingenti ſpiritu petijt,pollicitus ardore illo animi eximiũ ſubindè in excolenda regulari diſciplina ſtudiũ. Quod quidem egregij iuuenis propoſitũ,ac vultus ipſe,ad omnem virtutis cultũ, ac laudem cõpoſitus,conciliare facilè potuit cùm Marinonij,tùm reliquorum Patrum voluntatem. Explorandum nihilominùs quà mora,quà diligenti examine conſilium fuit: ac poſtquàm is inſignem conſtantiã,incitatumque ad obſequium Numinis animum diù Patribus approbauit, receptus in Sodalitatem eſt die Octobris menſis trigeſima,anno exacti ſeculi octauo,& quinquageſimo. Rei nuntius nimiùm quantùm patrem perculerit; vt qui non mediocrem amplificandæ domus ſpem à filij ingenio conceperat: ac præterea eius valetudini metuebat, quæ quidem imbecillis, atque infirmitati obnoxia cùm eſſet,perſuaſerat ſibi, fore, vt è religioſi inſtituti rigoribus atteri omninò contingeret, Igitur, vt nimiùm ſibi aliquando in filiorũ affectu indulgent patres, conatus ſuos omnes adhibere conſtituit, vt illum de ſtatu, ac præclara ea mente dimoueret. Adiuncta conſanguineorum manus, vt fortiùs oppugnaret, Fit impetus, & ne paternus duntaxat affectus tractare cauſam, atque adornare impreſſionẽ videretur,vrgere honeſti,rectique ſpecie Iuuenem cœpit. Valetudinem potiſſimùm obijcit. Infirmam eam eſſe,non religioſis laboribus, non vigilijs,ſtrictiori præſertim victui parem; vtque religionem propiùs inijceret, medicorum iudicia, ac fidem teſtatus, ſcriptas eorum ſententias attulit, quæ ſeuerè pronunciabant, initæ viuendi rationes fore, vt breui corporis opes, vireſque conficerent. Quæ cùm ille conſtantiſſimis auribus, ac animo ſupra ſuorũ ſtudium reijceret; auctoritate, ac vi agendum putat. Illi ſumma olim fuerat apud Petrum Toletanum gratia; proindèque plurimùm apud Ferdinandum Toletanum, Albæ Ducem, qui tùm Regno Neapolitano moderabatur, valebat. Ergo ipſum conuenit. In Clericos Regulares acerbè primùm inuehere: veluti filius non ſua ſponte, ſed importunis eorum artificijs,atque adhortationibus Religioni ſe ſe dediſſet. Tùm rogare, vt cognoſceret, atque exploraret ipſe accuratè rem; & quando neque habitudinem corporis, quæ tolerandæ diſciplinæ eſſet, neque ſpontaneam in adoleſcente mentem cõperiſſet, curaret, reſtitui illum Patri. Prorex pro ſuo in Tornum ſtudio expendi perdiligenter negotium voluit. Viros graues, & quà auctoritate,quà prudentia ſpectatos miſit, qui tyronem alloquerentur, eiuſque intimè tentarent ſenſa, ac animum. Hos ille firmitudine quadam pectoris incredibili excepit. Mentem, ait, non externis ſuaſionibus, ſed ſupernè, diuinoque inſtinctu ſe concepiſſe; diuriùs,votiſque pertinaciſſimis contendiſſe, vt à Patribus in Ordinem admitteretur: admiſſum, certum ſibi eſſe, in complexu Religionis mori: ſperare deindè ſe,ſuffecturum vires,qui præclarum conſilium ſuffecerat: nec dedignari Patrem debere, ſi filium ſuũ cœleſtis Pater adoptaret. Quæ cùm etiam,atque etiã, eodemque oris habitu, ac conſtantia repeteret viris, qui illum in examen, ac quæſtionem vocauerant,cõpertum liquidò eſt,altiùs quidem propoſitum illud radices egiſſe, quàm vt conuelli humana ratione,aut auctoritate poſſet. Quod vbi reſciuit Dux Albanus, iuuenem prolixè cõmendauit,ſuaſitque ipſemet Patri, vt ad nutum ſe ſe Numinis cõponeret; ac translatam in terram bonã ſuam ſobolem, ſineret, per exercitamenta virtutum efflorеſcere pulchriùs Deo. Et Pater quidem,vbi minùs proceſſiſſe pugnã,conatuſque cognouit,cæptis abſtinuit, filiumque diuino ſpiritu ad Dei caſtra perductum,cõplecti peramanter cœpit: quocum deindè cùm familiariter conquereretur,quòd adeò imbecillis cùm eſſet, adeò ſeueram,ac robuſtæ duntaxat corporis habitudini attemperatam, diſciplinã delegiſſet; reſpondit ille:non ſui,ſed Dei fiducia

Aggregari ad noſtros poſtulat.

Recipitur.

Conſilium ægrè tulit Pater.

Reuocare ab eo filium conatur.

Proregem appellat.

Sed fruſtra.

Conciliatus filio Pater.

id aggreſſum, cui curæ eſſent valetudinis incommoda. Et verò generoſæ huic voluntati viſus adfuiſſe illicò Deus. Etenim qui aſthmate præſertim laborare ſolitus erat, antequàm vitæ rationes mutaret, adoptatus poſtea in Ordinem, ab eo ſtatim morbo conualuit. Nempè, quod naturæ detrahit aſſiduus in Religione labor, ſupplet exacta quædam viuendi ratio, & conſtans temperantia, & Deus ipſe, qui inſolita quadam medicinæ arte morbos ipſos per ea, quæ officere ſaluti videntur, curare interdū ſolet. Conciliatus itidem noſtris eſt Ioannes Antonius, qui illexiſſe illos ſuis artibus ad meliora filium, ſibi perſuaſerat: adeòque infenſum ijs animum diutiùs geſtauerat. Poſtea verò ita illis addictus fuit, vt nemo Theatini nominis ſtudioſior. Cōmunis quippè pater videri voluit; & qui fortunis abundè commodis erat inſtructus, aſſidua quidem ſtipe rei noſtræ domeſticæ aderat, ac præter cæteram beneuolentiam ſuburbanos item hortos relaxandis animis noſtri penè iuris fecit: vbi & ægrotantes etiam, quòd clementior ibi aer, excipere, ac benignè, quoad inſtauratis viribus omninò conualeſcerent, fouere conſueuerat. Quorum deindè hortorum vſum, vt continuaret poſt fata beneficentiā, teſtamento noſtratibus reliquit; qui tamen, quæ eſt noſtri Inſtituti in bonorum poſſeſſione ratio, ac religio, ſtatim abdicarunt. Illud hic perſtringendum, quod non erit fortaſſe iniucundum. Mancipium procurando pomario, ac domibus in eo expoliendis aſſiduò ibi morabatur. Hic vultu quidem Æthiops; cæterùm indole candidiſſimus; & ſi recta acceſſiſſet fides, nihil eſt, quod in eius deſiderari moribus poſſet. Noſtros, qui ſæpiùs hortis aderant, impenſiùs amabat: & viciſſim vehementer dolebant noſtri, quòd naturæ bonitatem religio corrumperet. Hinc monere, hortari omni ope Maurum, vt fidei candorem inducerent. Sed narrata hęc ſurdo. Accidit, vt aggreſſi hortos, ac domum latrones, vt diriperent, propugnantem illum ſtrenuè, multiplici vulnere penè confecerint. Commiſerati noſtri homines viri caſum, vt quos animæ potiſſimùm coquebat cura, neruos tùm maximè contendere, vt aperiret oculos moriens talpa, ac lucem miſer aſpiceret: idque aſſiduis adhortamentis poſtremò euicere, vt polliceretur, fore, vt ſi mortem euaderet, ſalutari baptiſmo initiaretur. Gratiſſimum id quidem noſtris: cùmque pro ſalute corporis, vnde animæ penderet incolumitas, preces enixiùs inſtaurarent, ecce tibi vehementior è cœlo impetus. Noctù dum quieſcit, obiecit ſe ſe illi grauiſſima quadam ſpecie Senex, qui increpare primùm acriter cœpit, quòd in capeſſenda recta religione conditionibus, pactiſque ageret: deindè fidem obligauit ſuam, fore, vt conualeſceret, ſi ſacro fonte expiaretur: ad extremum eſſe ſe Ioſephum ſponſum Deiparæ, affirmauit, eoque vt nomine appellaretur, iuſſit: atque abijt his dictis. Narrat hæc ille Patribus; nec mora: ritè inſtructus, ac luſtratus ſacro latice eſt, audiuitque Ioſeph, Chriſtianis deindè moribus, cultuque pietatis ſpectatus. Hic vnà cùm vſu pomarij legatus etiam noſtris à Torno fuit; ſed libertate ſtatim donatus, extremam poſtea ſenectutem, cùm premi ſumma egeſtate, ac æuo contigit, in Paulina domo egit, exceptus perbenignè à Patribus. Eius vitam ad ſingularem quandam animi puritatem peruenerat. Admirabilis quædam illi manſuetudo, atque obedientia. Orationi prolixiùs inſiſtere; in ſacrorum vſu aſſiduus, vſurpabatque ſingulis diebus feſtis vnà cum fratribus noſtris Laicis altaris myſteria. Mortuus piè eſt, ac certa cum ſpe gloriæ, gratulantibus noſtris, quòd in ſuo ipſorum complexu exceſſerit, quem ipſi Deo pepererant. Huc libenter deflex imus, nec dedignamur, quòd habeant in noſtris annalibus locum mancipia, ac Mauri, quorum etiam nomina conſcripta in libro vitæ ſunt calculo candido.

Et noſtris;

Cuibus poſtea addictiſſimus.

Mancipium ex teſtaméto noſtris legat.

Qui à D. Ioſepho noctu increpatus, baptiſmo abluitur.

Et inter noſtros ſenex pie moritur.

Tornus cum ſtudijs virtuté excolit.

Redeo nunc ad Iacobum Tornum, qui Patris beneuolentiam, affectumque ſtrenuè eluctatus, poſt emenſum cum laude tyrocinium, vota ritè concepit, appulitque mox ad profanæ, ſacræque philoſophiæ ſtudia animum, ea quidem ſolertia, vt non mediocres in ijs progreſſus fecerit. Ingenium verò ita excoluit, vt primas virtuti, ac diſciplinæ daret. Literas quippè præcipuè ſacras etſi grande religioſis hominibus ornamentum putabat; regulari nihilominùs diſciplinæ, morumque cultui inſiſtere, id eſſe ijs proprium, eorumque inſtituto longè conformius, exiſtimabat. Iam verò, princeps in eo ſtudium, naturam, atque inſitos à natalibus motus frangere. Planè ingens ad virtutem momentum indoles. Rudimentum probitatis eſt naturæ bonitas:

tas:

tas: contra, luctandum in palæſtra virtutum, cui contumax, ac refractaria quædam corporis, animique habitudo contigit. Itaque Iacobus ſuopte ingenio, ac natura non admodùm diſciplinæ, ac religioſæ manſuetudini idoneus: ita vt ab ipſa ſtatim ſpecie genij quædam contumacia appareret. Nam capillus ſummè illi rufus: vultus color malus, ac cinereus: quo quidem oris habitu medici inſpecto, indolem ineſſe pronuntiarunt oppido difficilem, præfractam, atræ bili obnoxiam, flexamque ad ſçuitiam, ac minùs virtuti accommodatam. Quocirca veriti, ne humorum improbitatem irritarent, à purgando eius corpore maximè cauebant. Quæ ipſe naturæ vitia in laudis materiam egregiè vertit. Sui nanque exercitatione innatos animi motus, geniũque ita emollijt, vt nihil illo dulcius eſſet, ac mitius: ac videbatur profectò, naturali potiùs bonitate, quàm ſolertia, ſtudioque manſuetudinem aſſequutus. Quippè nihil vnquam ab eius ore ſubaſperum excidit; nulla vultu ab indole ferocia; neminem viſus geſtu, aut verbulo vnquam læſiſſe. Quod quidem compoſitum ad omnem modeſtiæ, ac ſuauitatis normam ingenium ipſa cum primis morborum incommoda probabant. Nimia ſiquidem, atque exuberans bilis petere peracri euaporatione principem partem, eoque affligere cruciamento caput ſolita erat, vt penè conficere illum videretur doloris vehementia. Ad hos ille inſultus mirè patiens, nunquam tantùm in ſe licere peracerbæ afflictioni voluit, vt queſtum, geſtumue eliceret, modeſtiæ, ac patientiæ minùs conſentaneum. Eadem frontis, animique tranquillitate ſæua iſchiade annum integrum laborauit. Contractum item ad renes vlcus, prægrande id quidem, ac longè moleſtiſſimum, ita tulit, vt nulli vnquam mortalium aperuerit: quod, ipſo deindè extincto, inſpectum; perſuaſum omnes habuere, ſine ſenſu peracuto tolerari minimè potuiſſe. Cuiuſmodi afflictationibus cùm maximè vexaretur, interrogatus, vt ſe haberet? reſpondebat: optimè quidem; quando eſſet cum Chriſto in cruce. Præterea, nihil iram, ac patientiam laceſſit acerbiùs, quàm hominum conuicia, ad quæ ille adeò ſui compos, ac ſimilis, vt triumphaſſe omninò naturam, viſus fuerit. Semel à viro quodam extero perquàm aſperè acceptus; cùm deindè conflatam in illum procellam inaudiuiſſet, mirum quà benignitate, ac ſpiritu eius cauſam ſuſceperit. Nulli autem eius periclitari diutiùs, ac frequentiùs tolerantiam, contigit, quàm infernis hoſtibus, qui ceu peculiare quandam exercerent cum eo inimicitiam, omni moleſtiarum genere interdiù, noctuque ad palæſtram prouocabant. Laruam non vnam induere, vt variè terrerent: minis interdum agere: modò laudis illecebra lenocinari auribus: ſæpè verberibus dirè inceſſere, cogebantque, vt ſuiſmet ipſe manibus ſe laniaret. Quo in malorum dæmonum conflictu vti ille tùm ſingulari animi æquitate, tùm generoſiore quodam ſpiritu conſueuerat; modò recitata angelica ſalutatione in fugam agere: ſæpè, cùm acriùs ſæuirent, è proxima cellula è fratribus aliquem accerſere, vt animos ad pugnam, vireſque eo ſubſidio reſumeret: ſæpiùs odeum petere, quo propiùs accedere rebelles ij genij ob loci maieſtatem, ac reuerentiam minimè audebant. Diù tenuit eiuſmodi lucta; vt iam vſu quodam vincendi, hoſtes, eorumque inſidias, ac nocendi artes contemneret: & qui inſtructus apptimè ab longa ea exercitatione erat, erudire ipſe alios, ac rationem oſtendere, qua ſibi ab eorum armis cauerent, ac vincerent.

Naturâ à virtute abhorrétem frangit,

Vt nihil illo manſuetius,

In morbis æquanimitas,

Et in cõtumelijs;

In dæmonum cõflictibus generoſitas,

Porrò quem diximus difficilem, ac refractarium naturæ genium ad aliorum nutũ, ac voluntatem accommodare, vt omninò arduum, ita laudabilis profectò in eo fuit obedientiæ virtus, quà maximè excelluit. Scrupulis ab eadem nempè nigræ bilis habitudine vellicari præter modum conſueuerat: ita vt quamuis doctrina, atque ea præſertim, quæ mores reſpicit, facultate excultus cum paucis eſſet, imperare nihilominùs ſibi in ea conſcientiæ perturbatione, ac ſolicitudine minimè poterat. Id illi ſalutare, ac vnicum omninò remedium, ſtimulos confeſſario aperire: quicquid ille pronunciaſſet; non ampliùs addubitare; non ad examen dictum vocare; confeſtim parere, ac exequi: adeò vt veluti propitia quædam aura aſpiraſſet, tranquillari ſtatim animum, contingeret. Pendebat verò ab eius ore non modò in hiſce fluctuantis conſcientiæ æſtibus, verùm in cætera etiam diſciplina, ac quibuslibet vitæ actionibus magnis, paruis. Solenne illi nempè omnia ex obedientiæ nutu peragere: cumque adire ſæpiùs Præpoſitum, curis plerumque implicitum, importunum duceret,

Eius obedientia,

In ſcrupulis,

Et in cætera diſciplina.

impe,

impetrauerat, vt eius vices confeſſarius ſubiret. Illum igitur conuenire: communicare cum eo ſpiritus, ac corporis omnia: nihil eo inconſulto, ac niſi impetrata priùs facultate, agere: vt non veſtes abſque licentia ſarciret, nec effigiem aliquam ex vno in alium cellulæ locum, eo inſcio, transferret: idque cùm iam profundè ſenuerat, atque ad extremum vſque vitæ ſpiritum. Neque verò confeſſarij duntaxat nutui addicta hæc eius obedientia; ſed iunioribus etiam ſacerdotibus, ac Clericis proniore quodam obſequio aderat: Laicis item fratribus, cùm robuſtior illi ætas, in abiectiſſimis quibuſque cœnobij miniſterijs operam præſtabat ſuam: iuſſiſſe illos, paruiſſe erat. Ex ijs verò, quæ eſt nonnullorum ſæpè imprudentia, cùm aliquem ſupra modū, ac vires vti eius obſequio, contingeret; non ideò ille non promptior, aut ſubducere ſe ſe ab opere, atque obedientia, videbatur. Coniectari hinc facile eſt, quanta Præpoſitos reuerentia proſequeretur, qui ſe infimæ conditionis fratribus ſubmitteret. Satis illi ad quodlibet officij, curæque capeſſendum, moderatores iuſſiſſe. Nullum vnquam detrectare imperiū, nullam prætexere excuſationem viſus. Ioannem in primis Marinonium, qui Neapolitano cœnobio præerat, cùm adſcriptus ipſe in Ordinem eſt, etiam poſtquàm præfecturam exuit, inſigni quodam ſtudio coluit, eiuſque ad vnguem præceptionibus parebat; cuius ſe ſe clientelæ cōmendare etiam poſt eius exceſſum, conſueuerat. Ac teſtatus ſemel eſt, cùm angi ſe conſcientiæ ſtimulis vehementiùs ſolito aliquando ſentiret, cœmeterium ad pios eius cineres adijſſe, Dominicam inibi orationē, Salutationemque angelicam recitaſſe, ac dicto citiùs fluctus animi, atque agitationē omnem deſediſſe.

Laicis etiam fratribus paret

Io. Marinonij ope iacceſſunt ſcrupuli.

Eiuſmodi autem obedientiam nonniſi ab inſigni quadam modeſtia, animique demiſſione extitiſſe, dicendum eſt. Familiare illi ſtudium humilitas, atque omnium ſe abiectiſſimum reputare. Quicquid habere ſplendoris, ac dignitatis aliquid videbatur, omni ope declinare, aliena ſemper à præfecturis Ordinis mente; vt vel ipſo ferendi ſuffragij iure honeſtari, omnino recuſaret. Verſatus oppidò in doctrinarum ſtudijs erat, valebatque eruditis in diſceptationibus ingenio. At nunquam iſthæc animi, ac ſcientiarum præſidia oſtentabat. Si quæ oborta controuerſia diſſerendi materiam præberet, ſententiam vt perdoctè, ac ſolidè, ita quàm modeſtiſſimè pronunciabat: non illam acriter tueri; ſed inſtituto vix certamine, ſimul & præſtare cæteris quadam eruditionis excellentia, & dare ijs manus humilitas videbatur. Iam, qui haberi infra omnes vellet; exercitia, quæ viliora domi erant, ſibi depoſcebat. Nihil ſanè abiectius, quàm ad eluenda immunda, ac ſordida, aquam ad certū locum, cōmunique vſui deferre: deferebat ipſe quotidiè, tenuitque hunc morem ad extremam vſque ſenectam. Quotidiè item à prandio ſcopa ad eccleſiam adibat, eaque perdiligenter inſpecta, ſi quid ſordium, aut à canibus, quod ſæpè accidit, retrimenti offendiſſet, conuerrere, atque inde ſtatim auferre videbatur, conſtanti quodam tenore humilitatis. Ad alia item infima ſe ſe abijcere: vnde leuiora in viro longè humiliſſimo illa videbantur: nempè hoſtias ad miſſarum ſacrificia, atque ad myſticam populorum cœnam præcidere; ſacrum inſtrumentum expolire, ac concinnare; eluere ſacrarij lintea, ac reliquam ſuppellectilem accurare: quæ cùm peragi à Clericis noſtratibus, ac ſacerdotibus iunioribus ſoleant, ea ipſe ex inſtituto obire, grandi iam natu, ac canicie verendus, non erubeſcebat. Nempè creuerat illi ab æuo, atque exiſtimatione non auctoritas, ſed humilitas.

Torni humilitas.

In occultanda ſcientia.

Et obeundis vilioribus miniſterijs.

Cognata modeſtiæ paupertas, quam Tornus proximè, ac mirum in modum adamauit. Viſus profectò id maximè contendere, ne quis pauperior domi eſſet. Veſtibus nunquam vti nouis voluit. Quas detriuerat magis vetuſtas, ac reiectitias, opportunas ſuo vſui reputabat; ſarciebatque ſuis ipſe manibus, ea quidem diligentia, vt ſuprema inibi diligentia lateret; aberatque in primis ex Diui Bernardi præſcripto ſqualor, ac ſordes. Cellula ad eximiæ paupertatis ſtudium exacta. Nihil in ea quæſitæ elegantiæ; ſuppellex, quæ neceſſitati deſeruiret, & quæ eſſet domi deterior. Sacræ quidem imagines quò fuerint elegantiùs pictæ, eò vehementior excitari ab ijs pietas ſolet. Vibrat nanque in exquiſitis picturæ lineamentis arguta quædam vis, animorū dominatrix. Attamen, vt ad votam inopiam reſponderent omnia, chartaceæ vtcunque Diuorum effigies, ac rudiore quidem ſchemate placebant. Scilicet, mens ipſa diuino-

Eximia eius paupertas.

Digitized by Google

Orationis ſtudium.

diuinorum contemplatrix artem ſupplebat, animabatque figuras efficax quoddam meditationis ſtudium, quo ſibi rerum cœleſtium formas ad viuum repræſentabat. Atque in hac orandi exercitatione, vt multus, ita flagrantiſſimus fuit. Præter externa Inſtituti opera, reliquum tempus orationi dabat. Declinate accuratè omnia, quę aut minuere dimenſum precum tempus, aut diſtrahere ab eo mentis otio animum poſſent. Hinc illi receſſus, atque arctior quædam ſolitudo ad cor: vt eremita videri potiùs poſſet, quàm cœnobita. Quin à præclara quadam conſuetudine, vſuque commentandi, etiam cùm ad externa appellere animum cogebatur, hærebat Deo mens: atque id illi proprium, quæcumque cerneret, in contemplationis materiam vertere: vt facto ſtatim gradu, ab humanis ad æterna conſcenderet. In perſoluenda verò publica pſalmodia affixus potiſſimùm coelo videbatur. Elucebat in ipſa oris ſpecie animi attentio, ad quam vt ſe vehementiùs excitaret, qui vnà ſecum in odèo pſallebant, angelos reputabat; ac ſe quidem cum ijs cœleſtem quendam chorum efficere, & coram Deo canere. Interturbare malus dæmon intempeſtiuis cogitationibus hanc eius in diuini officij recitatione religionem, ac ſtudium curabat; quos ille dolos cùm ſtatim agnoſceret, diuertere momentò ad hoſtis inſolentiam, quà voce, quà geſtu caſtigandam, ſolitus erat: tùm redibat attentiùs. Is idem in altaris ſacrificio peragendo mentis, atque oris habitus. Afflari diuino quodam ſpiritu inter litandum videbatur. Grauiſſimis licet malis conflictatus, non ita implicari ſe, ac retineri ab ijs ſinebat, quominùs, ipſamet natura obluctante, ſacris operaretur. Interdum exhauriri omninò vires pertinaci nimis morbo contingebat: ac tùm quidem, vt miſſæ ſacro intereſſet, deferri in odèum curabat: cumque neque ſedere, neque inſiſtere pedibus poſſet, proſternere ſe in chori pauimento conſueuerat, eaque abiectione, ſtatuque corporis litanti aderat.

Vitę innocentia.

Porrò, quod maximè Iacobum Tornum cõmendabat, innocentia quædam morũ fuit, atque irreprehenſibilis vitæ ratio. Qui virum intimè nouerant, affirmare pro certo non dubitabant, quoad is in Ordine vixit, immunem à quauis veniali noxa, quæ voluntaria dici poſſet, fuiſſe. Nullum vnquam ab eius ore otioſum, aut inconcinnum verbum excidit: non voce, non geſtu quempiam aliquando læſit: quin ne leui quidem ſuſpitione fratrum vnquam exiſtimationi, famæque detractum voluit. Id quod Franciſco Balſamo, viro ex noſtris pijſſimo, ſibique indolis ſimilitudine percaro, ingenuè affirmauit. Excuſabat opus, excuſabat intentionem: demum perſuadere ſibi minimè poterat, exerrate quemquam, tametſi in meridiana luce culpa erat. Nempè, qui vel leuiſſimas cauere noxas contendebat, idem eſſe in cæteris mortalibus innocentiæ ſtudium reputabat.

Animi puritas.

Hæc verò inculpata morum ratio præcipuè in eximio candore animi, ac mentis puritate elucebat. Nihil illo in hac potiſſimùm laude, cultuque ſtudioſius. Singulari quadam modeſtia, atque oculorum pręſertim fręno, qua ſeduſitate, curaque caſtimoniam tueretur, indicabat. Rara, aut perquàm breuis cum mulieribus collocutio. Quarum confeſſiones excipiebat, eas ita admittere conſueuerat, vt neque conſalutari officij gratia ab ijs vellet. Pronunciare ieiunè, ac ſtrictiùs noxas ſuas præcipiebat: cæterùm ne mora, aut beneuolentia quid animo afflaret, quę ad rem conſcientię minimè facerent, illicò pręcidebat: eumque ad omnem virtutis exercitationem eas inſtituere conaretur; tùm hoc pręſertim pudicitię ſtudiũ ita illis cõmendabat, vt à mutua etiam manuum prenſatione cauere adoleſcentulas iuberet. Rem eſſe omninò fragilem, ac lubricam caſtitatem; ideòque intentiore quadam cura excubandum, aiebat, ne quid pulcherrimę virtutis formam deuenuſtaret.

Corporis afflictationibus procurata.

Quam ipſe in ea cuſtodienda ſolertiam, contentionemque eximiè adhibuit, ſenſuum pręſertim diſciplina, ac corporis afflictatione, in qua aſſiduus quidem erat, circumſcripta ad ſeueriorem quandam regulam cibi, ſomnique menſura, armata etiam flagris in ſeipſum manu. Igitur in hac mentis, corporiſque integritate ſic de illo ſtatuendum, cenſuere ij, quibus comperti mores eius omnes erant, vt collactaneum puritatis florem, ac decus ad ſenectutem vſque perduxerit. Pręcipuas eius virtutes enumerauimus; ſed generatim exercitatiſſimus in omnibus fuit; quarum opinione cùm apud noſtrates, tùm apud exteros magno in pretio, ac veneratione erat. Vixit porrò conſtanti huiuſce diſciplinę exercitatione ad annum octauũ ſupra ſexageſimũ;

ac

Dæmonē in Auellini morte videt.

ac viſus infeſtus hoſtis, eius virtutibus infenſiſſimus, mortem illi prænuntiaſſe. Enimuerò cùm Beatus Andreas Auellinus supremò decertaret, vidit ipſe cruentum antagoniſtam, moribundo imminentem: cumque graui ſupercilio interrogaſſet, quid illic rei ageret? Adſum, inquit ille, vt egredientem hanc animam mei iuris faciam, arrepturus propè diem & tuam. Lusere quidem vota, conatuſque rebellis genij deuotæ cœlo magnæ animæ. Sed poſt Andreæ exitum proximè Tornus poſuit mortalitatem.

Paulò poſt & ipſe decubit.

Decembri ſiquidem menſe eius anni correptus apoplexia, die poſtea Ianuarij decima octaua, ineunte anno ſeculi nono, cœlum inijt. A morbi violentia obſtupuere primùm ſenſus omnes, emarcuitque ſiniſtrū latus; ſed mox quidam reſtitui motus, ac linguæ vſus cœpit. Quare inſigni religione, affectuque munitus ſupremis ſacris eſt. Benedictionem ſerena quadam frontis hilaritate petentibus impartiebat:

Eius in extremis monita.

monita etiam pleraque in eo rerum articulo affuſis ad lectum fratribus, veluti certū quoddam patrimonium, reliquit: inter quæ illud præcipuum: vt æſtimarent modica. Quod ipſe ad vnguem fecerat, religioſæ diſciplinæ vel in minimis ſeruantiſſimus; & qui ſemper non modò culpas, ſed earum etiā veſtigia, ac veluti ipſas culparum vmbras cauerat. Supremo itidem eo ſpiritu fertur, Franciſco Balſamo, quem modò nominaui, mortem intra annum prædixiſſe; quod religioſiſſimo illi viro, ac Torni perſtudioſo iucundiſſimū: vt quos morum ſimilitudo coniunxerat, locus etiā, atque æternitas citò complecteretur.

Funus populorum frequētia celebratur.

Pijſſimi viri funus non ſine publica omnium ordinum acclamatione, ac veneratione celebratum fuit. Siquidem vbi primùm manauit fama, exceſſiſſe Tornum, viſa certatim cōplere Paulinum templum ex omni quidem cenſu mortalium multitudo. Apparuere ſtatim in exanimi corpore quędam veluti veſtigia gloriæ. Spirare ſiquidem neſcio quid venuſtatis, ac venerationis vultus videbatur, cui ſuus inerat color, ac pietas. Nullus item membris rigor: flecti, ac duci quò quis vellet, facilè videbantur: brachium, quod viuenti exaruerat, viſum ex tacto reuixiſſe, ſoluta neruorū contumacia; vt ab eo ſe plerique ſignari cruce voluerint. Inuolare præterea in veſtes, capilloſque religionis cauſa piorum manus: fuitque audentiore quis animo, qui præcidere è dextro pede digitum, non dubitauit. Nec defuere tùm quidem, ac poſtmodùm collata diuinitùs beneficia, quæ viri ſanctimoniam, ac gloriam teſtantur. Conſepultus in communi cœmeterio propè Auellinum fuit, ſeparato quidem conditorio.

Eius corpus deinde incorruptum.

Accidit porrò, vt Ioannes Antonius Angriſanus, noſtræ Congregationis Præpoſitus Generalis, cùm poſt biennium Andreæ corpus recognoſceret, inſpicere & Iacobi Torni pignus voluerit, quod perindè repertum, ac ſi contumulatum tùm quidem fuiſſet. Nulla in eo corrupta à ſitu, humidoque loco pars, nulla odoris grauitas. Oloſerico poſtea conueſtitum, translatum in ſacrarium eſt, vbi nullo quidem cultu, ſed non ſine omnium admiratione hodièque poſt annos tres, & quadraginta conſpicitur, integro nempè contextu corporis, vt videatur adhuc degere inter noſtrates Tornus, citra ſpiritum ſuperſtes. Atque hæc de Iacobo.

Iacobus Tornus iunior.

Quo loco non diſſimulauerim, ſequutos eius veſtigia in complectendo noſtro item Ordine duos ex fratre nepotes, Simonem, & Andream, quibus à patrui memoria, exemploque peracres ſubdi ad regularem diſciplinam ſtimulos oportebat, quos deindè inſequutus, horum quidem nepos, Iacobi verò pronepos, alter Iacobus Tornus, qui innocentia morū, exercitio, cultuque virtutum, ſilentij ſtudio, orationis aſſiduitate, exacta præſertim legum noſtrarum obſeruantia viſus patruum magnum ad viuum repræſentaſſe.

Neapoli moritur.

Dum hæc ſcriberem, anno videlicet labentis ſeculi nono, & quadrageſimo Maio menſe exceſſit è viuis in Neapolitana Sanctorum Apoſtolorum domo; planè non ſine maiore quadam virtutum teſtificatione, ac pompa. Extinguitur nempè lumen vberiore lumine. Cœleſtium præterea fauor, atque oſtenta viri promerita comprobarunt. Adfuere ſiquidem in ſupremis laboranti Diuorum cœtus, quibuſcum auditus ſermones trahere: teſtatuſque ipſe tunc eſt, dignatum ſe inter cæteros Sanctiſſimi Parentis Caietani, ac Beati Andreæ præſentia, in quorum complexu animam efflauit. Sed de Iacobo hoc iuniore narrationem in tempore adornabimus.

Diximus, ineunte anno vertentis ſeculi nono abijſſe ad pauciores Seniorem Tornum, qui item annus ob alia noſtrorum hominum funera non admodùm Ordini

lætus

Jætus fuit. Genuæ moritur Innocentius Paleſcandalus, ſæpiùs à me dictus, natus vnà cùm Marco germano fratre ad cõmune Congregationis bonum; quippè quibus mirificus tuendæ amplificandæque Theatinæ diſciplinæ ardor fuit. Menſuram nominis inculpata quadam vitæ ratione egregiè impleuit Innocentius. Nihil in eius moribus, aut actibus, niſi conformatum ad legum noſtrarum amuſſim, in quibus ipſe concinnandis, adornandiſque non minimùm deſudauit. Inſtructus ſacrarũ pręſidio literarum, ac frugifera quadam priuatę dictionis facultate omniũ ſibi beneuolentiam, amoremque facilè conciliabat. Præcipua illi virtus prudentia, quam in regendis, ac fundandis etiam pleriſque Congregationis cœnobijs exhibuit, probauitque planè non vulgarem. Ad hæc, religio, pietas, manſuetudo, grauitas imaginem quandam religioſi viri abſolutiſſimam conficiebant. Quocirca inter laudatiſſimos noſtræ familiæ homines collocandus iurę eſt Innocentius, de quo cùm pleraque ſparſim aliàs adnotauerim, ſatis fuerit, breui hac commemoratione virtutis viro præſtantiſſimo parentaſſe.

Genuæ diem obit Innocentius Paleſcandalus.

Eius animi ornamenta.

Eodem autem menſe Martio, quo hic Genuæ exceſſit, Romæ in Quirinali domo mortalitatem exuit Laurentius Valente, Erminij Cardinalis Valente patruus, dierum quidem plenus, atque octuogeſimum annum tranſgreſſus. Florentem, ac maturioris æui partem mundi curis dedit Laurentius; velificatus nempè ſuis cõmodis in aula Margaritæ Auſtriæ, Caroli Quinti Cæſaris filiæ, ac Parmenſis Principis, cui in præcipuis rerum momentis ſolertem, ac diù operam nauauit, fuitque illi à ſecretis. At enim, reflante poſtmodùm meliore aura, curſum aliò intendere, nempè in ſinum tranquilliſſimæ ſtationis. Itaque attigerat annum ætatis quadrageſimũ, cùm ineundæ Religionis conſilium ſuſcepit, admiſſuſque à noſtris eſt Romæ in Diui Silueſtri cœnobio. Ab ipſis ſtatim ſpiritus rudimentis, quam attulerat Ordini comparandæ virtutis, ſuique expoliendi voluntatem, cõmoſtrauit: ita nullam proficiendi in diſciplinæ ſtudio occaſionem viſus vnquam prætermiſiſſe. Accedebant vires, atque opes corporis, vt mira quadam pectoris vi, atque alacritate cõmunes vigilias, ac reliquam inſtituti diſciplinam complecteretur, voraretque difficillima, ac aſpera. Hoc ſeruandarum legum ſtudium, quod ſtatim hauſit, comendare etiam cæteris, atque vrgere vehementiùs ſolitus fuit, cùm adminiſtrare cõmunes curas contigit. Præpoſiti nanque, ac Viſitatoris munus non ſemel functus, in id maximè incumbere, vt conſtaret omninò vetus, ac ſeuerior diſciplina, & ne vel in minimis vitium faceret obſeruantia. Illud ſæpiſſimè vſurpabat: penè quid grauius eſſe, prauum aliquem morem, etiam exiguum in cœtus mortalium inducere, quàm hominem interimere. Scilicet, vbi virum conficias, vni duntaxat damnum infers: at, ſi conſuetudinem in Sodalitiũ inuehas, vniuerſitatem capitum corrumpi, neceſſe eſt. Hinc Laurentio exacta illa in tuenda diſciplina cura, ac rigor. Silentio, quòd facilior à lingua lapſus, accuratè inuigilabat. In ſacrario, alijſque dignis veneratione locis colloqui, piaculum putabat: in ijs verò, quæ dici neceſſitas poſceret, extuliſſe plùs æquo vocem, acriter vindicabat. Semel Antiſtes quidam magni nominis confabulari in odéo noſtro cœperat, quem ille ea dexteritate confeſtim monuit, vt intelligeret, decere loci ſanctitatem ſilentium. Exquiſito huic regularis obſeruantiæ ſtudio reſpondebat præſenti quadam beneficentia diuina bonitas. Id enim Numini proprium, eò largiùs adeſſe vitæ commodis, quò tueri impenſiùs inſtituta religioſi viri ſtudent. Quod Laurentius potiſſimùm vſu comprobauit, qui in vltronea piorum ſtipe, ac manu admirari ſolitus erat quàm liberaliſſimam in ſuos Dei prouidentiam; ita vt fauore quodam Numinis, quæ regeret ipſe cœnobia, non modò non extrema vnquam premi egeſtate, ſed affluere ad vitæ ſuſtentationem bonis viſa fuerint: idque difficillimis maximè temporibus, cùm copioſæ plerumque domus indigent. Romam anno eius ſeculi nonageſimo ingens rei frumentariæ anguſtia inuaſit, vexauitque vſque adeò populos, vt Gregorius Pontifex Quartus decimus decreuerit, licere in magno Quadrageſimæ ieiunio vſum carnium. Quo tempore cùm regeret Quirinale domicilium Laurentius, expertus diuinam opem ea quidem liberalitate eſt, vt, & noſtris ſufficeret annona, & pleriſque etiam mortalibus, ſupremò egentibus, impertirent. Quocirca dicere ſolitus erat, ſe quidem, quòd ad diuinam in ſuos prouidentiam attinet, haud niti fide, ſed veluti

Laurẽtius Valente Romæ moritur.

Legum ſeruãtiſſimus.

Silẽtij ſtudioſus.

Dei in illum liberalitas.

Et ſua in alios ſubiectam oculis, illam luculenter, ac liquidò inſpicere. Quam quidem Numinis beneficentiam quadã etiam liberalitate impertiri fratribus,peroptabat; ſic enim, aiebat, ad diligentiorem diſciplinæ cultum illos excitari: quando pudere quempiam debeat, in diuinorum ſtudio reſpondere auarè Deo,qui tam munificè in temporaliũ

At ſibi parcus, bonorum erogatione ageret. Cæteris autem liberalis, ſibi parcus, ac ſeuerior; vt vel in profunda ſenectute conſulere defectis viribus aliqua cibi, ſomnique indulgentia detrectaret. Exemplo nimirùm præire ſe, ac prouocare iuniores debere, perſuaſum habebat; idque in eius ore tritum: Portandum ſenibus eſſe pondus diei, & æſtus vſque ad vndecimã,ac duodecimam horam: hoc eſt,ad ſupremam vſque vitæ lineam: idque ex Diuo Bonauentura egregiè confirmabat. Quippè cùm in obſeruantiæ, vitæque regularis curſu ſenũ contentionem, ac labores minimè adoleſcentes viderint; ac poſtea, attrita naturæ facultate, indulgere ſibi aliqua perſpiciant, quoddam ſibi etiam laxamentũ licere putant, excerpuntque à ſenibus, quam vident benigniorem ſui curam, relicta exacti æui auſteritate, ac ſtrenuo in palæſtra virtutum ſtudio, quod non aſpexere. Fuere & alia,quæ Laurentij mores apprimè commendabant.

Mentis in eo candor, Mentis nitor, ac mundicies curæ illi potiſſimùm fuit: cauebatque ſibi, ac ſuis, ne non modò ſordes aliqua,ſed ne exiguus quidem puluis, aut afflatus caſtimoniæ candorem, ſplendoremque læderet. Lucebat eximia hæc puritas, vt in vultu, ad modeſtiam cõpoſito,ita in veſtibus, ac cellula,in quibus certare nitor, ac paupertas videbantur. Ad hæc, inſignis in agendo grauitas, humanitas, ac peculiaris quædam in rectione animorũ peritia: vt eius ſe ſe fidei plerique cõmitterent,quos ipſe conforma-

Franciſca Vrſina gynæceũ inſtituit, re ad eximiæ religionis, pietatiſque regulam contendebat. Inter ornatiſsimas, ac principes fœminas,quarum audiendis Romæ confeſſionibus operam dabat, Franciſca Vrſina fuit, generis perindè, ac virtutis luce ſplendidiſſima. Hæc in Vrbe Domina ſingulare cùm magnificentiæ,tùm pietatis documentũ edidit, excitato ſanctimonialium cœnobio ad abſolutam quandam regularis vitæ normã,quæ hodièque viget immortali cum Vrſinæ laude. Huic monaſterio conſtituendo auxiliarem operam adiecit Laurentius, in deligenda potiſſimùm regula, formandiſque initijs, quibus

Laurentii cõſilio,ac ope. maximum quidem momentum eſt ad operis perfectionem. Neque inſtituendę duntaxat eius diſciplinę,fingendiſque moribus adfuit; verùm etiam cœnobij ſubſtructionem non mediocriter iuuit. Egit nanque cum Clemente Pontifice Octauo,impetrauitque, vt ſua quędam bona Vrſinę reſtituerentur, quibus continuatum ędificium, perduci ad ſupremam manum contigit. Quo loco non diſſimulandum, legaſſe quidem ex teſtamento Franciſcam Vrſinã non modicam auri ſummã noſtro Diui Silueſtri domicilio: verùm cùm poſtea præclaram excitandi monaſterij mentẽ concepiſſet, auctor Laurentius fuit, vt voluntatem, ac legatum mutaret. Nempè quòd laudabilius, ac fructuoſius putaret, impendi in nonam illam Virginum ſobolem fortunas; ſui, ſuorumque cõmodi ſtudium ſtrenuè preſſit: oſtenditque hoc eſſe religioſæ, generoſæque paupertatis proprium, opes non modò non anxiùs expetere, ſed recuſare, ac magnificè alteri cedere: qui rerum humanarum contemptus admirabilis in viro egregio fuit. Atque hoc quidem vitæ, ac virtutum curſu ad extremum vſque ſenium peruenit: ac viſus deſijſſe potiùs viuere, quàm mori. Humanitatis exuuias eo loci exuit, vbi Religionis habitum ante annos quadraginta induerat, nempè Romæ in Quirinali domo, in cuius cœmeterio, ſuperſtite pietatis fama, fuit conſepultus.

Longæuo huic aſcetæ addimus adoleſcentem, qui quòd citò maturuit, citò decidit; ac dignus profectò memoratu eſt eius tranſitus, quem vehemens quædam flãma

Ioannis Roccæ virtus. charitatis, atque impetus animæ ardentioris commendauit. Fuit is Ioannes Rocca Mutinenſis, qui quo maximè tempore occupare animos ſolent primæ rerum humanarum illecebræ, nempè anno ætatis decimo ſeptimo, concepto mortalium faſtidio, nuntium mundo remiſit, deditque Mutinæ noſtræ Sodalitati nomen ſuperiore anno. Tyrocinium eo religioſæ diſciplinæ ſtudio eſt auſpicatus, vt videretur facta ad virtutum vſum indoles. Sodalibus exemplo, Magiſtro admirationi erat. Quæ eſſent in interiore animi adyto ornamenta,propilæum demonſtrabat; nempè externa in vultu modeſtia, atque ingenuus pudor. Nihil flagrantiſſimo ingenio arduum. Quæ

cæteris aſpera, initio præſertim regularis obſeruantiæ, ea ipſe complecti mirabili alacritate, ac proniore quodam ſtudio videbatur. Eius obſequio nihil promptius: animi demiſſionem dixiſſes illi innatam. Si quid externi operis agendum, abiectiſſima, & quæ operoſiora erant, ſibi depoſcere. Orationi impensè addictus, cui, vt prolixiùs vacaret, conceſſas ſomno inſtaurandæ naturæ, horas decerpebat. Ad hæc in Diuos; præcipuè in Deiparam pietas planè ſingularis. Suauiſſimus item in Chriſti Domini pœnas, ac crucem affectus. Ad extremum ſupra ætatem illi charitas, deuotio, atque omnigena virtus: vt non tendere ad perfectionem pleno gradu, ſed tenere iam illam videretur. Hiſce ſanctimoniæ documentis Religionis vota publicè ſuſcepit Iunio menſe huius anni die Sanctorum Petri, & Pauli memoriæ ſacra. Verùm qui ſenium anteuerterat, feſtinata quadam meritorũ canicie, veluti iam maturus, decerptus, euocatuſque in cœlum eſt. Enimuerò die ſeptima Auguſti inſequentis, correptus ſebri, decubuit. Afflaſſe vitaliores partes morbum, atque adeò inſtare breui mortem, ſeuerè illicò pronunciarunt medici. Quocirca & denunciari illi ſupremum diem, & muniri ad extremæ vitæ præſidium, tutelamque, oportuit. Expiatus ſacris, mirum, qua lætitiæ ſignificatione tranquillari, atque exhilarari ſtatim cœperit, veluti libamentũ aliquod gloriæ propinatũ ſibi eo nuntio fuiſſet. Viſus quidem poſt paulò ſubita quadam oris mutatione triſtari, ac toruum intueri. Nempè terrendo pijſſimo Iuueni, eiuſque delicijs interturbandis, acceſſerat teterrima ſpecie cõmunis hoſtis: ſed cùm is ea confeſtim pronunciaſſet: ſuper aſpidem, & baſiliſcũ ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem, veluti iam viciſſet, fugaſſetque inimicũ, redijt forma, ac feſtiuitas vultu. Ac tùm quidem nulla profectò explicauerit ſtyli facultas, quo ſenſu habere deſpicatui mortalia, ac fluxã hanc vitam cœperit; vt ſupernorũ deſiderium, amoremque in Deum intenderit; quàm disertè id Numinis beneficium cõmendauerit; quàm anxiè, propiore iam morte, ſpes ſuas ſolicitauerit. Affectu denique, ſuſpirijs, verbis agere vi quadam ſupra morbum, ac vires. Præcipui in Redemptoris è cruce pendentis imaginem eius animi impetus. Hanc nunquam è manibus dimittere, ſæpiùs complecti, exoſculari, alloqui. Illa potiſſimùm non ſine adſtantium lachrymis, ac compunctione ſtatim pronunciauit; Confixiſti Domine manus tuas pro me, confige nunc meas pro te: innecte capiti meo ſpinas, quibus lancinari verendum cœlo, ac terris caput tuũ voluiſti: da lacerari pedes meos clauis tuis: tùm eundo per transfoſſi corporis partes, ſingulas vehementiore quodam ſpiritu proſequi, ac verbis quàm ardentiſſimis venerari. Beatiſſimam itidem Virginem, in qua ſita mortalium ſpes, identidem alloqui, atque implorare, ac nihil vehementiùs cupere, quàm ſacra illi die ſpiritum ponere. Angelis, Diuiſque omnibus ſe ſe ex animo commendare. Qui aderant, Patres rogare, vt orationibus iuuarent, ac de cœleſti gloria, æternique boni felicitate verba facerent. Quod dum illi appoſitè, atque ad morientis guſtum, affectũque faciunt, excitari mirificè, inflãmari, ac nimia quadam ſuauitate colliquefieri, videbatur. Iterum cùm inferno hoſte lucta: ſed impreſſionem multò ſanè acriorem, quà Diuorũ patrocinijs, quà crucis oſtentatione, quà verbis fiduciæ, atque animorũ plenis, generoſiùs propulſauit; ac mox triumphũ canere, atque epiniciũ cœpit: vtque exundantem in pectore lætitiam oſtenderet, modulatis quidem vocibus, atque ad Dauidicam lyrã illa eiuſdem Vatis carmina effudit: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domũ Domini ibimus. Et, Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini inuocabimus. Et, Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Et, Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Quæ poſtea lætitia, ac cantus familiaris illi fuit, veluti accineret ad pſalmodiam, ac concentũ cœli. Pluſculos dies tenuere hi laborantis animæ affectus; vt integer quiſque, ac robuſti pectoris vir deſatigari à dictionis aſſiduitate, ac vehementia facilè potuiſſet: cùm interim repararet ipſe vires, ceu vigorem ſufficeret moribundo, defectoque corpori, quæ fortis eſt, vt mors dilectio. Planè prorogari mors debuit, vt in eo vitæ confinio omniũ exempla virtutum ederet pijſſimus Iuuenis. Nam præter iſthæc flagrantiſſimæ charitatis argumenta, quæ dixi, incredibilem in ferenda vi morbi tolerantiam præ ſe tulit: obedientiam etiam, humilitatem, corporis afflictationem, paupertatem vſque adeò exercuit, vt admirati vehementer noſtri fuerint tàm robuſtam, prouectãque

Preſioſa eius mors deſcribitur.

Digitized by Google

que in tyrone diſciplinam. Ad extremum cedere naturam malo oportuit, quo mox exhauſtus inter ſuauiſſima Ieſu, ac Mariæ nomina animam efflauit, exeuntibus ferijs, receptæ in Cœlum Deiparę ſacris; noſtris non quidem ab acerbo eo funere collachrymantibus, ſed ſummè gratulantibus pretioſam illi mortem, ac gloriam.

Philippus, & Io. Gonzaga Ordinė ineūt.

Portò ea eſt diuini Numinis in conſeruandis, amplificandiſque ſacris Religioſorũ familijs prouidentia, vt dum eorum numerus mors decerpit, ſuccedant mox alij, qui cenſum inſtaurent. Atque hoc quidem anno cùm Inſtitutum plerique ſuſceperint; tùm duo è principe domo germani fratres primo appetentis œui flore cooptati in Ordinem ſunt. Fuere hi Philippus, & Ioannes Gonzagæ, Ferdinandi Gonzagæ, Guaſtallę Ducis, ac Molfictę Principis filij.

Quod ipſum conſilium Ferdinandus Pater ſuſceperat

Conceperat quidem generoſa quadam animi indole hanc noſtræ Sodalitatis mentem Ferdinandus ipſe, qui vſu potentiæ, ac opum didicerat iam, nihil eſſe humana potentia, ac opibus fluxius. Conſilium cum Placido Filingerio, viro ex noſtris doctiſſimo perindè ac eloquentiſſimo cõmunicauit, dum is Mantuę in magni ieiunij curſu ſingulari cum omniũ ordinum plauſu declamaret: qui, quòd ſciret, ſuperſtitem adhuc Victoriam Doriam ornatiſſimam fœminam, ac Ferdinandi coniugem eſſe, ludi ſe à viro Principe putauit: ſed cùm is etiam, atque etiam propoſitum vrgeret; fruſtra eſſe omnia Filingerius monuit, niſi annueret, ac receptui etiam caneret Victoria. Eas nempè eſſe coniugij leges, vt niſi mutua accedat conſpiratio, ſeparari, ac religioſa prȩſertim vota concipere, nequeant vnanimes coniuges.

Sed obortis difficultatibus filios diſciplinæ deſtinat.

Periclitari Princeps, ac tentare ſtrenuè negotium cœpit; ſed cùm plures omninò in progreſſu, quàm in ipſo aditu conceperat, oboriri difficultates cerneret, id Filingerio ſignificauit, decreuiſſe ſe, quando ipſe eius voti compos eſſe minimè poſſet, duos noſtrę Congregationi liberos dedicare. Educata ad omnem pietatẽ lectiſſima illa filiorum indoles, viſa illicò Patris conſilium probaſſe; quod ſummoperè laudandum in teneriore ea ętate. Siquidem Philippus decimum, Ioannes nonum agebat annum; quo quidem tempore eiuſmodi conditionis pueri, quippè qui delicatè, atque inter auitę opulentię cõmoda, ac delicias enutriti, expalleſcere ad religioſi inſtituti nomen ſolent.

Qui Neapoli excipiuntur.

Itaque peracta res cum Angriſano Pręposito Generali, qui gratulatus pręclaram ab inclyto genere acceſſionem Ordini fieri; excipi, noſtraque diſciplina initiandos, inſtituendoſque mitti Neapolim, iuſſit: vbi Septembri menſe huius anni in Sanctorum Apoſtolorum domo ipſemet Angriſanus illos Congregationis habitu induit: cœpitque ſingulari quadam indole, ac ſtudio pietatis efflореſcere immatura nimiùm ætas: ita vt præter illa, quæ vires, ac ætas minimè ferebant, cæteram inſtituti rationem, pſalmodiam, preces, templi cultum, domeſtica item pleraque exactè obirent. Adoleuit nobiliſſimum fratrum par; vtque generis, ac virtutũ ornamentis literarũ etiam prȩſidia accederẽt, poſt tyrociniũ Genuã, quòd inibi inſtitui tùm quidem Philoſophię ſcholæ deberent, amandantur.

Philippus Genuæ moritur.

Vbi Philippus grauiſſimo ſtatim correptus morbo, ac conclamata mox ſalute, diem clauſit extremũ: cùm antea, quæ publicè, ac propè diem nuncupanda vota erant, in lectulo, morti propior emiſiſſet. Peracerbum id omnibus fatum accidit. Quippè polliceri ea ætatis rudimenta præclaros in prouectiore œuo mores videbantur. Nam quædam illi in agendo maturitas, ac ſiuè in dictis, ſiuè in factis grauitas, ac fides inerat. Tùm eximia naturæ facilitas, ac candor, quæ maximè conciliare amorem ſolent, illum apprimè cõmendabant: accedebatque prudentiæ ſpecimen ſingulare, aliæque animi partes, quæ excitare vehementer præſtantiſſimi adoleſcentis deſiderium potuere. Illachrymarunt præſertim funeri amantiſſimi Parentes Ferdinandus, ac Victoria, qui vt mœrorem ſubindè mitigarent, id ſummis votis expetiuere, vt Guaſtallam ſe transferret Ioannes, vt eius præſentia fruerentur, ac ſe coram Religionem ſolenni ritu voueret: futurum nempè ſibi in ea elati filij acerbitate non exiguæ conſolationi, putarunt, vſurpare ſuis oculis celebritatem, quæ alteram ſobolem conſecraret.

Ioannes Guaſtaliæ vota nuncupat.

Poſtea Prępoſitus Generalis

Adornata itaque Guaſtallæ ſolennitas fuit. Ioannes Scurcouillus, quem aliàs meminimus, ac tùm quidem Genuenſem domum adminiſtrabat, Gonzagam, profeſſionis candidatum, eò deduxit. Acceſſere è Mantuana domo, vt ceremoniam adaugerent, plerique etiam è noſtratibus. Tùm Ferdinando, ac Victoria prȩſentibus, plaudente item aula, ac populo, concepta ritè vota fuere. Is poſtea literis non mediocriter inſtructus, ac prudentia ſpectatus,

ſtatus, cùm pleraque Religionis munera cum laude obiuiſſet, demum euectus ad ſupremum Ordinis totius magiſtratum fuit: quo in officio functus vita eſt, vti in loco ſignificabimus. Hos deinde conſecratos præmaturè Deo germanos fratres alius non poſt multò ex eadem gente Gonzaga prænobilis puer eſt imitatus. Fuit is Franciſeus Gonzaga, Vincentij Mantuæ Ducis ex nobiliſſima matrona filius, qui Neapolim item tenera admodùm ætate amandatus, educari peculiari ſtudio, atque ad omnem morum, ac pietatis formam à noſtris cœpit in Paulino cœnobio, in quo mox, quæ eſt conſuetudinis, atque exempli vis, adiungi ad Theatinos voluit; exceptuſque ſingulari Patrum conſenſione, portare à pueritia ſua Chriſti iugum cœpit; qui nuncupatis deinde votis, ac grauioribus ſtudijs excultus, in Cariatenſem Epiſcopum euaſit, petente Eleonora Gonzaga Auguſta, Ferdinandi Secundi Cæſaris coniuge, eius ex Patre ſorore; quod in tempore memorabimus.

Fräciſcus Gōzaga Ordini mancipatur,

LIBRI QVINTI FINIS.

HISTO.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER SEXTVS:

Romæ Comitia.

ANNVS voluitur à partu Virginis decimus ſupra milleſimum ſexcenteſimum, in quo Ioannis Antonij Angriſani generalis Præfectura abſoluitur, ac noua inſtituũtur Romæ Comitia. Qui rirè interfuturi Patres erant, adeunt in tempore, cœptumque exeunte Aprili menſe Capitulum; poſtquàm pro felici euentu rerum, communique Congregationis bono conſuetis religionibus ſupplicatum Numini eſt. Qui comitia in eo Interregno adminiſtraret, lectus fuit Marcellinus Oda, vir & æuo, & prudentia, & geſtis officijs maturus; in cuius manibus poſt Patrem Generalem reliqui ſubindè ſua ſtatim munera abdicarunt. Agitata re communi, ac ſtatu Religionis, vocatus in ſuffragium ſucceſſor. Planè is fuit Angriſanus, vt cùm eximia quadam ſolertia, atque integritate triennales eas curas rexerit, locum electoribus minimè reliquerit excogitandi, quē illi potiſſimùm ſufficerent. Comperta ſiquidem, cũ eius in gerendo munere ſedulitate, ac præſtantia iudicij, tùm communi Ordinis propenſione, nihil opportunius exiſtimarunt, quàm vt ipſe ſibi ſuccederet, continuaretque ad alterum triennium prouinciam, quàm præclaris auſpicijs temperauerat. Refectus itaque is eſt cum approbatione, aſſenſuq. omnium; dilaudauitque maximè ſuffragia Paulus Pontifex Quintus, qui, vti aliàs ſignificatum eſt, egregia illum voluntate, ac beneuolentia complectebatur. Inter quatuor Viros, Conſultores vocamus, qui admoueri à Capitulo Patri Generali ſolent, vt in rerum momentis vnà cum ipſo deliberent, ac conſulant; renunciatus Eliſæus Nardinus fuit, ter Præpoſitus Generalis, qui quòd ſibi videretur, ſatis præfuiſſe; tùm vt interiori homini, vir profundæ iam ætatis, reliquum vitæ impenderet, munus cum laude recuſauit. Et verò, qui non minùs in ſui cultu accuratus, quàm in aliorum rectione fuerat, vitam ita inſtituerat, vt externis curis ablegatis, Deo vacaret, & ſibi. Pſalmodiæ die, noctùque aderat: Cœtera item domus obire eo ſtudio, vt nihil de communi obſeruantia detraheret ſenium. Præclarum ſanè, vt ſenibus, ita & iunioribus documentum in ea diſciplinę contentione exibebat. Nam hi quidem exprimere à viro grandæuo viuidam quandam ſpiritus alacritatem poterant: Seniores verò diſcere, non ſtatim ac ætas conſenuerit, remitti neruos, ac diſciplinam debere; & modò ardor animi conſtet, conſtare etiam continuandæ communi vitæ vires. Nempè rarò ita exhauritur vigor, ac ſuccus corporis, vt non illud vegetet ſeruandi ſui inſtituti zelus.

Præfec. Marcellinus Oda.

Angriſanus reficitur Generalis.

Nardinus Conſultoris munus recuſat.

Porrò, quòd non modò capitis electionem, ſed totius etiam corporis incolumitatē curandam ſibi eſſe in eiuſmodi comitijs, Patres intelligerent; regularem diſciplinam, ac noſtra inſtituta perdiligenter inſpexere, ne quid ſenſim vitij induceret conſuetudo, aut moderatorum facilitas. Paupertati, quæ Theatinum patrimonium eſt, ac ſingulare Ordinis ornamentum, cauendum in primis duxere. Quidam, vt benefici in ſuos ex noſtratibus conſanguineos poſt fata eſſent, legauerant cenſus annuos, ea quidem lege, vt domus, in qua illi degerent, exigeret; ac finiretur eorum morte penſio. Planè cùm nullæ hinc opes, ac fundi, nec perpetua exiſterent vectigalia, ſed ſucceſſiua, ac temporaria quædam eſſet ſuſtentandæ inopię eleemoſyna; minimè lædi iſtiuſmodi legatis vota Clericorum Regularium paupertas videbatur: attamen quòd delicatior res ea eſſet, ac vellent Patres, non modò prouentus ipſos, ſed illorũ etiã vmbrã, ac ſpeciem declinare, id in hoc Capitulo ſanxere, vt eiuſmodi cenſus nulla deinceps ratione admitterentur: qui verò acceptati iam fuiſſent, illicò diſtraherentur, conuerſo-

Paupertati conſulitur in comitijs.

que

Digitized by Google

que in domeſticos vſus pretio, extingueretur illa annui reditus facies, quę inumbrare Theatini inſtituti decus, videri poterat. In quo quidem annis deindè ſuccedentibus oculatiſſimi fuere. Nam cùm pleraſque noſtris domibus obuenire ex teſtamento, aliaque piorum liberalitate facultates contigerit, id omni ope curatum, vt confeſtim à noſtris in alienas abirent manus; ne videamur ſtudere patrimonio; atque agnoſcerent illicò mortales, ab eorum legatis non perpetuas, certaſque opes, ſed quotidianam duntaxat ſuſtentationem, ſalua nimirùm priſcæ paupertatis puritate, noſtris cœnobijs prouenire. Quòd ſi tardiùs interdum diuendi eiuſmodi bona contigiſſet, tunc enimuerò acriore quadam cenſura, ac zelo inſurgere in comitijs generalibus viſi Patras, vrgere, increpare, decretis ſeuerioribus agere, vt ſartam, ac tectam diſciplinam conſeruarent. Qua de re & aliàs erit ſermo. Nam meminiſſe hoc ipſum ſæpiùs, pretium ſané eſt. Scimus quippè, non defuiſſe, qui decepti ſuamet perſuaſione, ſtylum non ita beneuolum in noſtram paupertatem intorſerint, illamque impunè, nec leui quidem ictu ſauciauerint.

Tueri item egregiè legum, atque Inſtituti dignitatem, non mediocre licet commodum, ac magnificentiæ ſplendor alliceret, Patres voluere. Camillus Catacciolus, Abellinenſium Princeps, vir & maiorum titulis, & ſua potiſſimùm virtute cõſpicuus, vt quam ſibi à bellica laude gloriam comparauerat, pietate æ—rnaret, Neapoli noſtrum Sanctorum Apoſtolorum templum conſtruere à fundamentis cogitauit, Planè, qui opes animo æquabat, ideam operis conceperat longè ſplendidiſſimam; gnarus, cùm æde Numinis ingens ſibi, & poſteritati excitari magnificentiæ, ac religionis monumentum. Tranſacta cum eius cœnobij Patribus re, cùm bina in ſingulos dies ſacrificia, aliaque illuſtris Fundator efflagitaret, quæ noſtrę Conſtitutiones cauerant, deferri ad generale Capitulum negotium, oportuit. Quod vbi in conſultationem veniſſet, potior fuit legum dignitas, quàm Principis beneuolentia, ac templI exædificandi opportunitas. Igitur decretum, non eſſe ordinationes noſtras immutandas. Si nullum præterea operis fructum Abellinenſis quæreret, quàm excitaſſe de ſuo ſumptuoſam Numini baſilicam, nullumque inuectum noſtratibus onus vellet, obſtrictam tanti viri pietati, liberalitatiq. Ordinis totius obſeruantiam æternùm fore. Cœterùm non eam eſſe Patrum mentem, vt cum templi ſubſtructione ruerent inſtituta, ac leges: nec dubitare ſe, quin percupidus Theatini nominis Princeps hoc tuendę diſciplinæ ſtudium approbaret. Quem Patrum zelum viſus mox Deus remuneraſſe. Nam cùm id conſilij Camillus Caracciolus abieciſſet, adfuit ſubindè Principis fœminæ liberalitas, qua, vti aliàs ſignificaui, conſtructa hæc ædes eſt ad omnem artis ſplendorem, ac formam. Porrò, quod ad iſthæc miſſarum onera artinet, ita apud nos conſtans hæc fuit ordinatio, vt nuſquam conſtituenda, aut exornanda noſtra ab exteris templa, ac ſacella conceſſa cum eiuſmodi pactionibus fuerint. Illud poſtea rationabile ex ſe—, nec noſtris legibus, paupertatique diſſentaneum, vt inſtitui, acceptarique pro miſſis quotidiè celebrandis reditus poſſint. Nam qui vectigalia, ac certos prouentus Clerici Regulares excludimus, qui veniunt cum hoc onere miſſarum cenſus, non reditus annuos reputamus, ſed quendam ab altari victum, de quo quidem altari congruum omninò eſt, vt Clerici viuant, qui altari ſeruiunt.

Abellinenſiſ Principis de SS. Apoſtolorum templo exędificando conſilium.

Succeſſu caruit.

Acceptantur onera miſſarũ perpetua.

Animatum egregiè in ſtudiorum incrementa Angriſanum diximus; quòd eſſe literas bonas pręcipuum ſacrorum Ordinum decus intelligeret; ac cudi in ſcholis ingenia, quæ deindè communem religionem, ac Chriſtianos mores amplificant, exornantque. Inuectus igitur eo auctore in gymnaſia ordo, frequentia, æmulatio. Et quòd hanc maximè officij ſui partem vrgeret, illud præterea ſtatuendum in hiſce comitiis curauit, vt è Capituli cenſu decem omninò Patres, quà conſilio, quà doctrinarum vſu præſtantes, deligerentur, qui vnà ſecum, inſtituto ſeorſim cœtu, rem omnem literariam excuterent: vt quod ipſe ſuis auſpiciis inchoauerat, ſcriptis poſtmodùm ſanctionibus,, in morem induceretur; florerentque conſtanti quodam rerum ordine, ac contentione ſtudia. Quod quidem negotium ita dignum non vulgari conſultatione viſum, vt illi expediendo deſtinati primæ omninò notæ Patres fuerint. Nam ex iis pręter Angriſanum, qui tùm præerat, vnus quidem ſexennium Ordinem vniuerſum procurauerat; nempè Ioannes Scurcouillus, tres verò ſucceſſiuè;

Deſtinati ordinandis ſtudiis Patres.

ac proximè communes eaſdem curas adminiſtrarunt. Fuere hi Marcellinus Oda, Andreas Piſcara Caſtaldus, & Vincentius Gilibertus: reliqui æuo, ac rerum vſu digni eo munere. Manarũt profectò hinc inſtituendis ingenijs pręceptiones longè opportuniſſimę. Conſultũ ſcholarũ celebritati, vt gliſceret à numero, atq. à pluriũ certamine

Quid vnà decreuerint.

ſcholaſticorũ ardor. Iuſſus magiſtrorum delectus, vt nonniſi excellens quędã facultas alios erudiret: vſu nanque cõprobauimus, à docentis mediocritate languere pręclara ingenia. Cautũ præterea, vt non antequàm bis Philoſophiã profeſſi lectores fuerint, in ſacræ Theologiæ ſpatijs verſentur, ac doceant: ita ad ſummam doctrinarũ quædã cùm à ſcientia, tùm ab æuo etiam maturitas, ac prudentia affertur: tritumque inter viros doctos eſt, Theologiam neminem cum laude tradere, niſi conſumatum Philoſophum. Ad hæc, præſcriptæ materiæ, quæ ſuo quæque ordine, ac tempore prælegerentur: & ne curſim delibari, ſed altiùs imprimi doctrinas contingeret, definita item mora; vt grauiores ſcientiæ nonniſi ſeptennio abſoluerentur. Examinis, exacto deindè curriculo, leges ſancitæ: qua ſeueritate inſtituenda res eſſet; qui in ea

Moralis Theologię ſcholæ,

probatione candor, ac fides; qui reijciendi, qui admittendi. Denique inducendæ ſolidæ eruditioni nihil à ſapientiſſimis viris prætermiſſum: qui nec illam ſtudiorũ partem, quæ mores reſpicit, diſſimulatã voluere, iuſſis in vnaquaque domo ter, aut bis in hebdomada eiuſmodi de Chriſtiano officio prælectionibs. Sanè regendis mortaliũ conſcientijs perneceſſaria hæc moralis literatura: &, ſi calculum ponas plures, atque vberiores ab ea opportunitates, quàm ab illa, quam ſpeculatiuam vocant, exiſtere comperies. Conſumitur vis ingenij perpetuis in ſcholaſtico puluere diſceptationibus; minuta anxiùs agitantur, quæ neminem vnquam fecere meliorem: cùm interim morales diſciplinæ iuſtitiam, quæ publica virtus eſt, emendent, mores informent, vitia proſcribant, conſcientias inſtituant, expurgent, complanent. Et è vulgo quidem, vt nullus ad arduam diuinorum cognitionem, ac adyta aſſurgit; ita nemo eſt, qui non ſcire aueat, quid ſibi in agendo, atque in procuranda familia, Ciuitate, animęque ſuæ rationibus expediat; quos niſi qui motum eſt conſultiſſimus, non erudierit. Atque hæc potiſſimùm noſtratibus cura ſemper fuit, vt qui in conformatione animorũ, ac conſcientiarum rectione ex inſtituto verſamur, poſt Scholaſticæ Theologiæ ſtudia in hanc maximè de moribus facultatem incumbamus.

Leges tyrocinijs præſcribũtur.

Ijs ipſis decem viris, quibus ſcholaſtica demandata fuere, iniunctum præterea fuit, vt rem nouitiorum ſtudioſè accurarent; ac iuuentuti potiſſimùm ordinandæ, formandęque vacarent. Pubeſcit nempè in herba, ac flore maturior fruges: magnumque ſemper momentũ attulit ad diſciplinæ conſeruationem iuniorum educatio. pleraque igitur cùm ad tyrones, tùm ad ſcholaſticos adoleſcentes pertinentia, opportunè ſancita. Cœptum à magiſtrorum partibus, à quibus tyronum ardor, profectus, ſancti-

Magiſtri nouitiorum partes.

tas pendet. Exactum ad libellam regularis, ſeuerioriſque diſciplinæ, ſedulum, impigrũ, ſolertemque, & cui flexa ad grauitatem comitas, magiſtrum eſſe oportet. Quibus non eę artes inerint, illos ſi formandę indoli admoueas, nihilò profectò melius res ſuccedet, quàm ſi cerdo, aut ſutor efformare ad viuum ſtatuam velit. Id itaque viſum, vt quando de grauiſſima omninò re agitur, in magiſtro deligendo non vnius iudicio ſtetur: cautumque propterea eſt, vt in eo cœtu Patrum, quem Definitorium vocamus, ad examen ſingulorum mores venirent: tùm quibus ab æuo, à prudentia, à ſacrorum peritia, ab inculpatæ vitę fama, ea facultas fuerit, ij in indice deſcriberentur, qui penes Patrem Generalem eſſet; vt cùm res poſceret, peti ab eo Magiſter poſſet: procul omninò metu, ne aut ſubita aliquando deliberatio peccaret, aut falleret ſtudium. Quod verò ad tyrones ipſos attinet, fuit, quod in eorum receptione ſapienter cauerent. Nam quòd ſcirent, veriſſimum eſſe, malè cuncta miniſtrare impetum; gradus, ac moram quandam in hoc magni momenti negotio ſtatuendam

In recipiẽdis nouitijs maturitas.

duxere. Accidit nempè interdum, vt tumultuario, ac ſubito quodam ſpiritu correpti quidam, habitum petierint: ac tùm quidem videbantur polliceri ex ſe magna, fidemque adſtruebat flagrantior poſtulatio. Verùm, quòd calor ille maturę deliberationi locum minimè feciſſet, vix experiri religioſę vitę rationes cœpere, cùm refrigerata ea mente, nutare primùm, tùm conſtantiam abijcere coacti fuerint. Quocirca optimũ factu putarunt viri illi graues, primos eos impetus ita frangere, vt à tempore,

Digitized by Google

pore, ac maturitate, & conſilio pondus accederet, & petentis voluntas in eo magis propoſito firmaretur, & conſtaret luculentiùs Patribus, à diuino Spiritu eos duci, quorum deſiderium valeſceret mora. Itaque pręter cęterum morum, ac indolis examen, tres haberi à Patribus communes inter ſe ea de re conſultationes intra menſem, ante quas nulla ratione excipi nouitius poſſet, decreuere.

Non ante tres cõſultationes.

Interim vacaret pietati, ac ſacramentorum vſui, ſiſteret ſe frequentiùs noſtratibus, peteret, inſtaret. Quod hodieque cum diſciplinę compendio, fructuque ſeruatur, eaque tarditate, ac vſu Candidati mores ita inſpiciuntur, vt acciderit aliquando, vt cui ſuffragati ſemel, ac iterum Patres fuerint, tertiò refragari conarentur, comperta nimirum per id temporis indole. Ad hęc, ętas, qua excipi ij debeant, pręfinita. Scilicet, non ante annum quartum decimum; quòd tùm quidem affulgere quoddam mentis crepuſculum incipit; proindèque imprimi pietatis, ac ſpiritus rudimenta in eorum animis poſſint, quæ ſi anteuertas, operam profectò ludis.

Tyronũ ætas.

Tùm de eorundem veſtimentorum ratione, vt paupertas in ijs luceat; de morum inſpectione intra probationis annum identidem facienda; qua cenſura admittendi ad profeſſionem ſint; de bonorum item abdicatione, de tyrocinij etiam loco actum. Illud verò ad ingenij cultum. Nam cùm quę ſemel inſederint pręcepta grammaticę, atque humaniorum literarum ſemina facilè è puerorum animis excidant, niſi exercitatio accedat; cautum, vt poſt rerum diuinarum ſtudia, ſtatis horis eiuſmodi ſcholę haberentur.

Grammaticæ, ac Rhetoricę nouitij vacẽt;

Et quod ad hanc politiorum ſtudiorum partem ſpectat, prouiſum opportuniùs poſtea eſt, vt poſt emiſſam profeſſionem, antequàm ad Philoſophiæ adyta Clerici admitterentur, ſaltem per annum, inſtituto frequentiori gymnaſio, Rhetoricę, ac linguis, hæbraicę potiſſimùm, gręcęque operam darent. Poſcit nanque rerum ordo, vt eiuſmodi exercitationibus efflореſcant primùm ingenia, ac veluti ad excipiendas grauiorum rerum imagines expoliantur. Quamquam non ita lęta, ac iucunda ſunt hęc ſtudia, quin etiam videantur apprimè neceſſaria.

Eloquentiæ ſtudium quàm neceſſarium,

Id quod experiuntur quidem tractu temporis, teſtanturque paſſim viri docti, qui, barbarie non dum deterſa, in ſcientias ingreſſi, arripuere quidem pro ingenio, quo valebant, profundè artes: verùm quę eruditionem exhilarat, amplificatque, eloquentia deſtituti, in ſumma doctrina fateri Infantiam coguntur. Quod tùm quidem vehementiùs dolent, cùm quid lucubrandum, vbi fluat ſtylus, ac facundia, neceſſe eſt. Hærent nempè, luctanturque cùm imperitia dictionis; ac ſerò diſcunt, multùm doctrinarũ ſplendori detrahi ab impolita dicendi facultate; nec conari ſe quid ſplendidum, ac grandius poſſe, niſi accedat à Rhetoricæ vſu latinè, ornatèque ſcribendi ratio, ac modus. Eapropter aut ſcriptione conſultò abſtinent ingenti cum publicæ rei literariæ fraude, aut ſi ſcribunt, eruditorum aures vulnerant dicendi charectere. Nec diſſimulandum, pleroſque poſt emenſa in cathedris ſcientiarũ curricula, præpoſtero diſcendi ordine, ad præcepta Rhethorum, ac latinitatis rediſſe: vt quæ ſcirent, ſcriptis conſignarent ſine venia; oſtenderentque, tempeſtiuiùs diſcendas orationis leges, à quibus ordo, concinnitas, cultus, ac forma ipſa ſcientijs. Inſiſtendũ itaque noſtratibus eſt prudẽtiſſimis hiſce Patrum ordinationibus, ac formanda omninò iuuentus in tempore latina eloquentia, ſine qua, vt ait [a] Quintilianus, quicquid ſuperſtruitur, corruet.

a Fabius lib. 1. cap. 4.

Cui & peregrinarum etiã linguarum addenda eruditio, qua nihil ad ſacrarum literarum ſtudia vtilius.

Et linguarum peritia,

Hæreditariæ penè ſunt noſtris hominibus linguæ, vel ab ipſo Maximo Pontifice, ac Conditore noſtro Paulo Quarto ad nos tranſmiſſæ; qui quidem ea facilitate hæbraicè, ac græcè perorabat; qua non quiſquis alius Italicè. Propagatæ ſubindè ab alijs, in quibus Cardinalis Schottus ad inuidiam eminebat.

Quę noſtratibus hæreditaria.

Acceſſere magni Sirleti, poſtea Cardinalis Scholæ: quo magiſtro mirum qua contentione, ac fructu Romæ in noſtra Quirinali domo tradita linguarum facultas fuerit; vt euaſerint ad eximiam quandam laudem è noſtris non pauci, quos omnes præteruexit Agellius, hæbraicè, ac græcè inter primos ſcientiſſimus. Ab hoc Ghiſlerius; tùm alij ex alijs, tradita veluti in curſu lampade. Quo in ſtudio promouendo, vt in cætera literarum diſciplina, flagrantiſſimus planè fuit Vincentius Gilibertus, qui cùm Præpoſitum Generalem ageret, accedentibus præſertim Vrbani Pontificis Octaui Sãctionibus, in id operam accuratè intendit, vt linguæ Orietales propagarentur; factumque breui eſt, vt quà adhortamentis, quà præceptioni-

Vincẽtius Gilibertus linguas promouet.

bus, ac pœnis nullibi iuuentus noſtra non aliquid peregrini idiomatis eloqueretur: ac iucundiſſimum tunc ſanè erat, compoſitis, recitatiſque ad iuniorum exercitationem Syriacis, Arabicis, Hæbraicis, Græciſque orationibus, reſonare multiplici lingnarum genere Academias. Neque verò ſatis dici poteſt, quantùm ab eo ſtudio creuerit po-

Quæ & vſui,

ſtea inter noſtros cùm profana, tùm ſacra eruditio: vt tùm demum cõprobatum experimento ſit, Iſagogem quandam ad omnigenam doctrinam eſſe linguas. Inflammat nanque iſtius notitiæ decus ſtudia diſcentium, inquit [a] Auguſtinus, qui libro, quem de Chriſtiana doctrina inſcipſit, quàm neceſſariæ ad ſacrarum literarum cognitionẽ linguæ ſint, fusè docet; monetque tùm quidem profundæ dictionis ſenſa, notionesque inclareſcere, cùm, admota veluti face, affulſerit earum peritia. Nemo ſiquidem ad vim Atticam, hæbrçamque puritatem, profunditatemque interpretatione ſua vnquam peruenerit, qui non præſid'um, opemque ſibi ab ijs dialectis comparauerit,

a De Trinit. lib. 10, cap 1,

Et ornamento ſunt.

Præterquàm quod incompatabile quoddam ex ſe ornamentum eſt, linguis hominũ loqui; vt dicat [b] Ambroſius, præcipuum id eſſe diuinæ mentis munus. Nec ſanè quis aptiùs, aut elegantiùs boc idiomatum decus expreſſerit, quàm Auguſtinus, qui præclarum illum Reginæ Eccleſiæ amictum, quem acu, ac ſtylo ſuo pinxit Regius Vates, cum dixit: Adſtitit Regina in veſtitu deaurato circumdata varietate: de linguarũ varietate expoſuit; veluti idem ſit, ſermones gentium ſcire, ac picturato quodam ſyrmate, Phrygioque paludamento amiciri. Excurrit huc calamus, vt noſtratum aures vellicarem, ac meminerint, maiotum veſtigijs inſiſtere, ne intermoítuus ille linguarum ardor ſtudiorum noſtrorum famam ſinat obmuteſcere.

b 1. Corinth. 13

Nouitijs laicis conſultum.

Iam ad Laici ordinis nouitios conſultatio etjam deſcendit. Permagni nempè intereſt Congregationis, infimũ hunc fratrũ ordinem in officio contineri. Membra eiuſdem corporis ſunt, actuoſa ea quidem, ac domeſticis vſibus deſtinata. Hinc quædam illis comparandæ virtutis maior neceſſitas. Siquidem, quos ſpargi ad actiones, ac domi, foriſque cum omni hominum genere agere, neceſſe eſt, illos ſolida quadam virtute, atque animi puritate inſtrui, oportet; ne diſtracta ad externas, ac multiplices curas mens, facilè diſciplinam, rigoremque inſtituti abijciat. Planè, vt non mediocrem perſæpè Ordini opinionem iſtiuſmodi fratrũ ſanctitas conciliauit; ita non minori profectò dedecori Religioſæ familiæ eſt, ſi eorum aliquis exorbitet, quàm ſi peccet Sacer-

Qui olim cũ Clericis educabantur.

dos, aut Clericus. Olim cùm tyronibus Clericis inſtitui Laicos, mos erat. Et quidem ab eo conuictu, ac conſuetudine clericorum induci quandam in ipſos vrbanitatem, contingebat. Facile nanque erat, expoliri mores, ac natalium conditionem exuere nobilium adoleſcentum vſu. Præterea profundam ſui deiectionem, humilitatemque concipere, neceſſe erat; quando ſub ipſorum oculis præclara eſſent eius virtutis documenta: nempè delicatiſſimos, atque ab illuſtrj domo iuuenes ad abiectiſſima quçque demitti: quo ſanè monebantur, quid ipſi facerent, quos è modico lare, atque è domeſtica inopia ad Religionem Deus euocauerat. Eadem deindè ſolertia, ac ſtudio ab experientiſſimo Magiſtro erudiri, ijſdemque ſpiritus rudimentis, atque in eadem palæſtra virtutis exerceri, plurimùm ad eorum diſciplinam conferre videbatur. Nihilo

Poſtea ſeorſim inſtitui cœpti.

tamen minùs, expenſis æqua lance hinc indè rationibus, cõpertum, approbante rem experientia, quædam, nec ſanè parua, ab ea ſocietate incommoda exiſtere. Laici, externis operis addicti, raro ijſdem horis vacare, ac Clerici; vt quæ ſpiritus ſunt, ſimul obirent. Præterea, immorari pluſculùm in peculiari eorum inſtitutione, eoſque in ſuo miniſterio inſtruere cùm oporteret, hoc nihil ad Clericos: quorum deindè monita, ac præceptiones nihil interdum ad Laicos: proindèque teri vtrinque ſine fructu tempus, perſæpè contingebat. Illud verò maioris momenti. Siquidem cùm in puplicis cœnobij officinis, lociſque adeſſe Laicos fratres pro ſuo quemque officio, oporteat; insudire, velint nolint, cùm domeſtica, tùm externa coguntur: qui poſtea ad ſocios redeuntes, quid ijs in familiari conſuetudine propinauerint, niſi quas ipſi bibetint nugas? quibus nimiùm quantùm diſtrahi ſpiritum, atque interiorem animi cul-

Nõ ante quinquennium ad habitũ admittuntur laici,

tum, neceſſe ſit. Itaque ſolui ſocieratem, atque educari ſeorſim à Clericis Laicos, inſtituto peculiari ryrocinio, iuſſere Patres: qui id etiam quàm ſapientiſſimè ſciuere, vt qui admiſſi inter noſtros Laici fuerint, quinquennium hoſpites eſſent, quo expleto, probationis annus inciperẽt; tùm vota cum aſſenſu Patrum nuncuparent. Multiplex

qui-

quidem eius decreti cauſa fuit: tùm vt diuturniore diſciplina ſolidam quandam virtutem conciperent, quam occupationes deindè externæ minùs labefactarent; tùm quòd, experientia magiſtra, explorandæ eorum indoli longiore quidem ſpatio, vſuque opus eſſet. Ad breue ſiquidem tempus poterit quiſque videri probus: at nullus diù mores ſuos celauerit: atque adeò ii tantùm admitterentur, qui humilitatem, charitatem, patientiam prolixiùs probauerint ſuam. Denique ipſiſmet perutilis ea mora viſa eſt: vt ſcilicet diutiùs ipſi ſe, ac vires ſuas periclitarentur; ne tunc onus detrectent, cùm ſubeundum neceſſariò eſt. Et verò accidit non rarò, vt plerique primis ſtatim ſtipendiis impigri, alacres vigoroſiore quodam ſtudio labores, vigilias, curaſque longè operoſiſſimas vorauerint; qui deindè neruos ita paulatim remittere viſi ſunt, vt fractis non tàm corporis, quàm animi opibus, conſtantiam omninò, atque animum dimiſerint: effecitque prolixior ea probatio, atque experientia, vt libertati ſuæ conſulerent, antequàm ad profeſſionem admiſſi & familiam perturbarent, & prouocarent deſidia ſua maiorum indignationem; & mulctam. Hactenus de Nouitiis Comitia.

Noſtra aliàs cùm in hac, tùm in priore hiſtoriarum parte priuilegia meminimus. Conceſſa ea nobis, atque amplificata à ſummis Pontificibus non parca quidem manu. Nam magna licet videri poterant, que elargita peculiari nomine noſtro Inſtituto ab iis fuerant, eorum nihilominùs communione, quæ impertita identidem fuere aliis religioſorum familiis, perindè noſtra excreuere, vt in hac Pontificiæ munificentiæ parte nihil profectò Theatino Ordini deſit. Principem cum Canonicis Lateranenſibus communicationem annuit vltrò Clemens Pontifex Septimus. Alteram cum Societatis Ieſu Patribus Familię Fundator, Paulus Quartus. Tertiam cum cœteris deindè, quotquot in Chriſtiano Orbe ſunt, ſacris Ordinibus, conceſſit magnificè Gregorius Quartus Decimus: acceſſitque tot immunitatibus, ac gratiis à plurimorum Pontificum confirmatione maior ſubindè auctoritas, ac pondus. At enimuerò, quæ eſt mortalium conditio, vt non idem ſemper ſit rerum ſtatus; pleraque pro temporum ratione in hiſce Religioſorum hominum priuilegiis immutari ſummorum Pontificum nutu contigit, quædam omninò abrogari, addi etiam multa, & quæ ablata ſemel fuere, iterùm reſtitui. Adhæc, obſoleta in iis non pauca: plura item incertæ fidei: planè vt nihil faciliùs ſit, quàm in multiplici hac priuilegiorum ſylua exerrare. Aſſolet autem eiuſmodi confuſa rerum varietas id maximè afferre incommodi; quòd quæ in iis dubia ex ſe ſunt, cœteris fidem abrogent. Suſpenſis nanque veſtigiis quiſque ſibi putat incedendum, vbi nouerit, minimè conſtare omnia: Compertumque experientia eſt, in rerum multitudine afflari facilè, communicarique inuicem vitia. Hinc cum locorum Ordinarijs, qui imminui nonnihil ſuæ auctoritati Regularium priuilegijs putant, frequens controuerſia. Obuia, & quæ meridie clariora, tantummodò admittunt: Cœtera temerè obtrudi putant, ac veluti dubia, aut irrita reijciunt, non ſine Religioſorum Ordinum iniuria, qui quod ſuis in publicam rem Chriſtianam promeritis, aſſiduis nempè in formatione morum, in amplificanda orthodoxa religione, in inſectandis, profligandiſque hæreticis vigilijs, ſtudiiſque ſibi peperere, oppugnari deindè ab Epiſcopis, eorumque ſupercilio in dubium reuocari, vehementer dolent. Eapropter non minimũ quidem operæ pretium ij feciſſe dicendi ſunt, qui eam ſibi prouinciam ſuſcepere, vt hanc priuilegiorum materiam quã diligentiſſimè excuterent, ac per temporũ, Pontificum, ſacrorumque Conciliorum veſtigia recurſantes, omniaque ſingillatim certa incerta expendentes, ea in mediũ protulere, quibus citra omnem controuerſiã, ac dubium Regulares potiuntur. Factum nempè hiſce Commentariis, ſumma fide, ſtudioque adornatis, vt & ſtarent intra ſuam lineam, ac terminos Religioſi viri; & nouerint viciſſim Antiſtites, quid iis Maximorũ Pontificum indulgentia, ac liberalitas conceſſerit: nec iis derogatum vellent, quæ Sancta Sedes conſultò, cũ ad excitanda ſacrarum familiarum ſtudia, tùm ad exantlatos pro re Catholica labores remunerandos benignè contulit. Sed in aſſerendis Pontificum facultatibus egregiè pro ſua quiſque diſciplina inſudauerit, certè quod ad noſtram Cõgregationem attinet, illas accuratè collegit, digeſſitque, ac ſuis etiam adnotationibus illuſtrauit noſter Alexander Peregrinus, vir doctus, qui priuato quidem ſuo vſui

Conceſſa noſtro Ordini priuilegia.

Quędam in Regularium priuilegiis cõfuſio.

Cui doctorum hominum ſcriptis conſultũ.

Alexandri Peregrini priuilegiorum cõpendium.

Commentatiũ aggreſſus, illum deindè abſoluere, atque in communem omnium vtilitatem publicare, iuſſus eſt. Etenim vbi primùm Peregrini vigiliis cudi perutile hoc opus, ad Patrem Generalem perlatum eſt, vrgere ille ſtylum, exaratumque recognoſci diligenter à noſtris Theologis, iuſſit: quorum iudicio apprimè cõmendatum, decretum hoc anno Capituli conſulto eſt, vt in lucem quàm primũ ederetur, atque ad ſingulas ſtatim domos eius exemplaria tranſmitterentur. Idque preterea iniunctũ, vt

Iubetur excudi.

nulli poſthac abſque Patris Generalis licentia aliquo alio vti priuilegio liceat ab his, quę hoc Compendium continet. Et verò, vt auctori laborioſus, ita ad noſtrarum facultatum notitiam opportuniſſimus libellus hic fuit, in quo quicquid vnquam gratiarum, aut nobis, aut aliis conceſſum à Summis Pontificibus fuit, ordine quidem eximiò, ſed ſtrictim, breuique veluti in tabula habemus: vt multũ ſanè vniuerſa noſtra

Et iterum recudi.

Congregatio vnius induſtriæ, ac labori debeat. Qui poſtea commentarius, quòd manauerint ſubindè alię, atque alię Pontificum Conſtitutiones, quibus pleriſque Religioſorum priuilegijs derogatum fuit, ab eodem ipſo auctore recognitus, atque expunctis ab eo cenſu, quæ deleta Romanæ Sedis iudicio, nutuq. fuerant, lucem denuò typis Neapolitanis aſpexit anno huius ſeculi tertio, & trigeſimo: eſtque in manibus cum fructu.

Quòd verò noſtri potiſſimùm Inſtituti eſt, vel aliàs monui, Eccleſiæ cultui, eiuſque functionibus, ac ceremoniis ritè, concinnèque peragendis incumbere, id etiam in hoc Capitulo cautum, vt vna, eademque in noſtris eccleſiis eſſet ſacrorum ratio, idemque

Caſtald. Ceremoniale in lucem editur.

omnibus ritus. Quapropter, quem de ceremoniis diligenter lucubrauerat librum Andreas Piſcara Caſtaldus, vir in eiuſmodi diuinorum ſtudiis verſatiſſimus, poſtquã è noſtris peritiſſimi item viri expenderint, iuſſum, vt publicæ vſurę, lucique daretur, vnà cum eiuſdem auctoris libello de proceſſionibus, in quibus quicquid ceremoniarũ in noſtris eccleſiis agitur, ad Romani ritus formam continetur: petiturque ab iis per omnes anni ferias celebrandarum ſolennitatum modus, ratio, concinnitas. Qui ſanè laudatiſſimus Piſcarę labor quantũ non modò in noſtris Eccleſiis, ſed in exteris etiam

Cum incremento diuini cultus.

dignitatis, ac ſplendoris diuino cultui attulerit, aliàs perſtrinxiſſe me, memini; ac teſtatur alia vbique ſacrorum facies, ac elegantia, ab vſu videlicet eius libri; qui auctus deindè, ac rem omnem Eccleſiaſticam fusè cõplexus, nulli non ſacrorum hominum gradui videtur accomodatus, teriturque omnium manibus. Matriti præcipuè in ipſo Regio ſacello, atque in Regiarum Diſcalceatarum templo non alio ſacrorum adminiſtri vtuntur ceremoniarum libro, quàm quem Caſtaldus noſter excudit: quòd ſanè in eius cõmentarii, atq. auctoris laudem non mediocrem vertit. Atq hæ præcipuæ comitiorum ordinationes. Pleraq. autem cùm ad politicum totius Ordinis, tùm ad œconomicum domorum regimen, prudenter ea quidem ſancita, quod onerarent plùs æquo hiſtoriam, parcimus recenſere.

Iam verò poſtulari à pleriſque Ordinem in his comitiis contigit. A Siciliæ præſertim literæ: vbi cũ ſecundiſſima quidem fama cõmune animorum bonum procurarent

Poſtulatur à pleriſque Siciliæ Vrbibus Ordo.

noſtri, accendi paſſim ſtudio Theatini nominis populi, videbantur. Pronior quippè pietati, aſſerere in ſuam certatim Vrbem impigras eas operas contendebant, quæ tanto cũ mortalium fructu in pręcipuis eius Regni Ciuitatibus deſudabant. Igitur flagrantiſſimè noſtram familiam expetiuere Siracuſæ, Nicoſia, Caſtrum Ioannis, Narum, quibus additum ad extremã Neapolitani Regni oram imminens Sicilię, Regium. Gratæ Patribus poſtulationes fuere; quòd ex ijs intelligerent, noſtratum in demerendis mortalibus ſtudia, eorumque vigilias, ac labores procedere. Verùm, quòd pro temporis anguſtia expendere accuratè ea Ciuitatum vota tunc minimè liceret; & ea res eſſet, vt indigere oculorum fide, ac non mediocri examine, videretur, in eam itum ſententiam, vt Patris Generalis auctoritati negotium permitterent. Scilicet, in Siciliã js propè diem cogitabat; inſpectaque re propiùs, ſtatuere de ijs colonijs coram, ac maturè poterat. Quo quidem conſilio adiit Siciliam Angriſanus; ſed dum Panormita-

Committitur Patri Generali res.

nas domos luſtrat, à Paulo Pontifice Quinto, qui eius tunc in re grauiſſima integritate, ac ſolertia indigebat, reuocatus, reuerti Romam cogitur. Vices ſuas, ne trahi longiùs rem contingeret, Viſitatoribus delegauit, qui eo primũ anno creati pro Sicilia fuerant; quòd non minimum afferret incommodi, eò quotannis è Neapolitana Prouin-

uin-

uincia Viſitatores transfretare. Erant hi Hieronymus Stinca, & Franciſcus Boluitus, qui aggreſſi ſtatim munus, Nicoſiam, Caſtrum Ioannis, ac Narum ſe contulere. Inſignis vbique ciuium voluntas, ac ardor; ſed dum fundandæ diſciplinę ſedem explorant, nullibi opportunus excipiendis Patribus ſitus. Ad hęc, non ea locorum celebritas, ac popularium opulentia, vt niti Theatina paupertas vltronea, ac quotidiana eorum liberalitare poſſet. Quod ipſum & in Rhegina Vrbe compertum. Qua de re monitus Pater Generalis; cui potior ſui Ordinis dignitas, quàm exterorum ſtudia, abiiciendum conſilium, putauit.

Et ab hoc Viſitatoribus.

Excluſis pleriſque Vrbibus.

Vrbem Siracuſarum, cui à mari opportunitas, à gentis nobilitate, ac opibus ſplendor, atque ab ipſa ſui antiquitate quędam etiam ineſt veneratio, Viſitatores maximoperè probarunt: vrgendamque eam coloniam duxere; quam difficultatibus obſeſsā, hoc ipſo fructuoſiſſimam Ciuitati, ac noſtræ familiæ opportuniſſimā fore, reputabant. Qui Siracuſanorum ſtudia concitauit, fuit Ioannes Bernardinus Labella, & ipſe Siracuſanus, Regni Siciliç à ſecretis, ac vir ſanè probus, qui cùm Panormi moraretur, videretque à noſtratū opera lætiſſimā inibi exiſtere pietatis, ac morū ſegetem, deriuare in Patriā tantū ſpiritualis commodi ſtuduit; ac cōmendata prolixiùs peracri hominū induſtria, inflammare ſuos facilè potuit; effecitq. vt, collatis vnà votis, noſtram familiam enixiùs poſtularent. Vt rem conficerent, eò ſtatim acceſſere Viſitatores, excepti à Matthæo Corſo, Viro nobili, ac noſtro Inſtituto addictiſſimo, à quo, ne diutiùs hominis beneficentiam grauarent, ad Patres Ordinis Minorum diuerterunt; quorum non hic diſſimulanda humanitas, ac charitas, qua noſtros, perindè ac ſi è Franciſcanis eſſent, accepere; habueruntq. liberaliter, quoad iis ſua domus, ac ledes eſſet. Quòd quidem non tàm citò contigit, aliis, atque aliis ſubindè difficultatibus conſilium remorantibus. Enimuerò, quòd primò obtulere domicilium ciues, à ſitu quidem incommodū cū eſſet, atque adeò anguſtum, vt neque amplificari tractu temporis poſſet, recuſandum putarunt Patres: qui quòd, nullus deindè ſe ſe obiiceret opportunior locus; ſucceſſum penè deſperabant. In ea rerum difficultate fuit, qui ſpes maximè arrigeret, & quà conſilio, quà ope negotium iuuaret: nempè Didacus à Sylua, homo Hiſpanus, & luce generis. & pietatis laude pręnobilis, Roderici Gomeſij à Sylua, Philippi Secundi Catholici Regis gratia olim florentiſſimi, nepos. Is Theatinæ rei cum paucis addictus, nihil optare videbatur impenſiùs, quàm hærere Siracuſis noſtros: Cūque deſignatum à Magiſtratu ſitum cerneret minimè idoneum, ac magnoperè vereretur, ne re infecta, abirent Patres, hortari eos vehementer, vt durarent, ac ſimul non modicam pecuniarum ſūmam magnificè donauit, vt luſtrata perdiligenter ipſi Ciuitate, cōmodiorem deligerent locum, ac coëmerent. Dum veſtigant, probant maximè ſitum, non quidem ex ſe amplum, ſed qui laxari facilè poterat: inuitabatque viciniæ celebritas, atque vrbis meditullium. Publicum id erat tabularium, quod quia transferri aliò poterat, perſuaſum habuere, fore, vt ſi peterent, facili negotio à communibus ſuffragijs impetrarent. Rem cum Sylua, & Matthæo Corſo communicant, qui cū nullibi figi ſplendidiùs ſedem, ſtatim agnoſcerent, rati nihil differendum; vt quàm primùm Magiſtratum, Senatumque Vrbis interpellarent, hortantur: interim cauerent, ne quis rumor alienas aures afflaretsne, vbi non eadem ſtudia, paucorum ſenſus multorum beneuolentiam corrumperet. Poſtridie Senatus cogitur. Adeunt, excipiunturque honorificè, ac facta Hieronymo Stincę, qui ſenior, dicendi facultate, in hanc ille ſententiam perorauit. Nobiliſſimæ hujuſce veſtrę Ciuitatis inuitamento, acceſſimus, vt, conſtituta hìc ſede, vobis noſtræ vigiliç deſudarent. Aptus noſtris vitæ rationibus locus diù, ac fruſtrà quæſitus: vt iam nullum à tempore, ac mora conſilium. Abiecta omninò ſpe, abire, neſcio, an id fieri cum veſtrę Vrbis dignitate, ac laude poſſit. Neque enim decorum genti, ac pulchrum, acceptum percommodè in aliis Siciliæ veſtræ Vrbibus Ordinē, Siracuſas ita accerſitum, vt excluſum à loci anguſtia, faceſſere oportuerit. Porrò, quòd Vos, Clariſſimi Viri, in præſenti rogatos voluimus, veſtræ quidem magnificentiæ exiguum putamus: &, ſi annueritis, nacti iam veſtra benignitate opportunum noſtræ diſciplinæ locum ſumus. Veſtrum Archiuiū eſt, quod petimus. Si hac ſpe cadimus, reliquum eſt, vt miſſionem efflagitemus. Hæc Stinca. Qui primus ſententiam dixit, fuit Octauius Borca, Caſalis Dynaſta, vir

Siracuſæ probantur.

Io. Bernardinus Labella rem promouet.

Didacus à Sylua adeſt munificentia.

Stincę ad Senatum Siracuſanum verba.

gra-

Digitized by Google

grauis,& qui conſiliũ antea probauerat. Is inſigni cum noſtrę familiæ cõmendatione, poſtulationi ita fauit, vt parũ id eſſe affirmaret, ac prolixã ſubindè adpromitteret volũ

Cõceſſus, quẽ noſtri deſignauerant, ſitus,

tatẽ. Conſequuta prona omniũ ſuffragatio: ſcitũq. ac publicis mox tabulis cõſignatũ, vt Clericis Regularibus cęderet Ciuitatis tabulariũ. Quod cũ gratiſſimũ ferè omnibus fuerit, paucis accidit moleſtiſſimũ, qui nollent in pręcipua Vrbis parte Theatinã induſtriam. Hi quidem haud facile dictu eſt, quo ſtatim impetu interturbare poſſeſſionem

Sed non ſine lucta,

curauerint. Concitare viciniam, ac ſuarum partium homines: precati, conqueri: vt facile fuerit, litem intentari; veluti non ritè coactus Senatus; eòque nec ritè immiſſi in poſſeſſionem noſtri eſſent: qui quidem vocati in jus, habuere vnde ſingularem animi modeſtiam, grauitatemque Siracuſano Senatui probarent. Se quidem, aiunt, quod opportunum ſuæ familiæ eſſet, poſtulaſſe: conceſſiſſe eximia beneuolentia Magiſtratum. Eaque propter rem non eſſe ampliùs integram. Siquidem ne adeptam ſemel rei poſſeſſionem dimitterent, ac loco cederent, cauebant ſeuerè Pontificum decreta: atque adeò certum ſibi eſſe, vti beneficio, gratiaque munificæ Ciuitatis velle. Cæterùm ſi quid ſecùs æqui ratio, aut Principis ſententia ſtatuiſſet, nihil ſibi potius fu-

Panormũ controuerſia deſertur,

turum, quàm mandatis parere. Hæc illi, quorum dicta plerique viri nobiles, noſtri nominis ſtudioſi, magnoperè probarunt; nec ſine quadam indignatione, quòd reuocari in dubium cernerent, quod paulò ante cum plauſu conceſſerant: fuitque ex ijs, qui præferuido quodam in noſtros affectu eò rem adduxit, vt nihil propiùs fuerit, quàm vt peracri contentione, ac vi negotium decerneret. Eius verò tunc diſſidij exitus is fuit, vt litem Panormũ deferrent, quam ſupremo iure dirimerent regij Iudices. Interea gliſcentibus partium ſtudijs, non defuere nouæ Siracuſis machinæ. Etenim apud Epiſcopum, qui tùm Ioſeph Saladinus, vir prudens, ſed qui fauere nonnihil ad-

Lis etiã apud Epiſcopum a religioſorum conſenſu.

uerſarijs videbatur, reclamatum. Illud poriſſimùm confeciſſe negotium videbatur, quòd Religioſarum familiarum conſenſus, qui in eiuſmodi fundandis colonijs ex Pontificum decretis requirebatur, minimè acceſſiſſet. Epiſcopi partes eſſe, cauere, ne iniuria ſacris Ordinibus inferretur: expenderet proindè ipſe rem, ac ſententiam ritè ferret. Nec mora: inſtitutum iudicium fuit, in quo viſa profectò, communis Religioſorum hominum in Clericos Regulares beneuolentia triumphaſſe. Enimuerò perhonorifica noſtri Inſtituti, ac mor's teſtificatione profeſsi certatim ſunt, gratum

Fauent Religioſi viri omnes.

eſſe ſibi, procurandæ Ciuitati acceſſiſſe impigras eas operas. Carmelitæ præſertim Patres ea conceptiſſimis ad Antiſtitem verbis: ſe quidem, quod ad Clericos Regulares attinet, perindè eorum aduentum probare, vt ſi ijs excipiendis contubernium

Nouus coẽmitur ſitus,

deeſſet, ſuum cœnobium vltrò cederent. Quo quidem difflata illa à Religioſorum aſſenſu procella: ac ſtatim Patres, ne diutiùs vacarer Theatina ſedulitas, ſed ſuam tandem haberet iuuandæ multitudini aream; quandam propè tabularium, de quo lis erat, apothecam cùm opportunam adornandæ pro modo Eccleſiæ, ſacriſque conficiendis, reputarent, coëmunt, concinnant, expoliunt, Diuo Andreæ Apoſtolo nuncupant; tùm Epiſcopi nutu die Inuentæ Cruci ſacra, Clero, ſacriſque Ordinibus deducentibus, translata à principe templo ad eam ædem eſt ſolenni ſupplicatione, ac ritu diuina Euchariſtia. Celebritati affluxere certatim ciues, gratulati noſtratibus

Interim Panormi lis dirimitur.

templum, ac ſedem. Quæ mox lætitia cumulata magnoperè eſt, adiudicata noſtris Panormi lite; lata nimirùm ſententia, vt rata eſſet conceſſa ſemel donatio. Ac tùm quidem, parta victoria, erectique ſucceſſu Patres, in id curas intendere, vt excipiendę

Didacus à Sylua liberalitatem cumulat,

familiæ ſitus amplificaretur, coëmptis attiguis domibus, quarum pretium magnam partem repræſentauit Didacus à Sylua, qui ſanè in Siracuſana ea domo ſtatuenda nullam demerendi Ordinis occaſionem, quà præclaro in nos ſtudio, quà ſingulari munificentia prætermiſit. Fuere huiuſce poſtea domicilij lætiora omninò incrementa. Florent nanque pulchriùs cœpta, ſi luctentur aduerſa; ac rarò nimia felicitas felix fuit. Enimuerò adauctis ſubindè operis, cùm nulli in procurandis, expoliendiſque moribus, atque in ſacrorum tractatione officio deeſſent noſtri, viſa ciuium beneuolentia maximoperè intendi; & qui ſpiritualia impigrè ſibi miniſtrari cernerent, temporalia certatim ſufficere contendebant: ita vt, & liberaliter ſuſtentaretur aſſidua ope familia, & ad conſtruendum à fundamentis Diuo Apoſtolo Andreæ templum admotus ſtatim animus, & curæ fuerint. Quod vt fauſtè cœptum, ita perfectum deindè ad ſplendidam planè formam,

Panor-

Panormum tranſimus, vbi præclara hoc anno à noſtratum induſtria pietatis incrementa extitere. Diximus aliàs, excitatum à noſtris ſub hoc ſeculi initium in Deiparam Virginem obſeruantiæ genus quoddam, eo maximé nomine ſplendidiſſimũ, quòd appellationem ſeruitutis præſeferret. Exceptus cum plauſu perhonorificus ſeruorum hic titulus in pleriſque Italiæ Vrbibus: Panormi præſertim, vbi conteſtando communi in tantam Reginam, ac Dominam obſequio, dicatum illi in noſtra Diui Ioſephi Eccleſia ſacellum fuit. Hoc verò anno ita augeri hæc religio viſa eſt, vt inſtituto Seruorum magnæ Matris Sodalitio, nihil ad virtutem excitandam, formandoſque Panormitanorum mores excogitari opportuniùs potuerit. Sodalitij auctor Saluator Ferrarius ex noſtris, à Murciano in Salentinis, robuſtiſſimi vir ſpiritus, factuſque ad animorum eruditionem. Amandatus Panormum is fuerat, vt excitatum à noſtris nobilium coetum, regeret ipſe in ſpiritu, expoliretque ea, qua in eiuſmodi magiſterio valebat, facultate. Quam quidem prouinciam eo ardore animi, flammaque dictionis eſt aggreſſus, vt breui accendi vehementiùs omnium pectora, certare piorum exercitiorum vſu, ac diligentia ſodales, celebrari frequentia capitum locus, viſus fuerit; eamque præſertim ſui opinionem concitauit, vt abſolutiſſimæ virtutis virum reputarent, eiuſque ſe rectioni, ac clientelæ certatim committerent. At enimuerò proluſio hæc fuit magni cuiuſdam operis, ac veluti priuata quædam ſpiritus palæſtra, quę mox in latiorem campum inſigni cum animorum fructu, prouentuque vberiore euaſit. Reſtringi ad nobiles, ac paucos charitatem, indignum eius virtutis magnanimitate, exiſtimabat Ferrarius: proindèque extendi eius brachia, complectique præclata quadam indole omne mortalium genus, voluit. Itaque ſub Deiparæ tutela, eiuſque ſeruorum nomenclatione Sodalitium excogitauit, cui & ſagenæ nomen fecit, à multitudine videlicet, ac diuerſa hominum ſorte: gnarus, ſimile eſſe Regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Confluere confeſtim promiſcua gens cœpit: incitabatque pietatis nouitas; tùm viri probitas, ac dicendi quædam vis ardens: quibus incitamentis cùm gliſceret in dies numerus, mutare ſubindè locum oportebat; ac tandem, quòd nulla iam caperet area celebritatem, peramplum quoddam domus atrium, erecta ad ſacrorum vſum ara, oppanſiſque, ne ſol læderet, supernè velis, pro modo concinnatum. Feruebat hic multitudo, quà numero, quà æſtu charitatis. Nulla ibi dignitatis, aut generis ratio: nullum loci diſcrimen. Conſidere vnà viri proceres, ac plebæi videbantur: non pauperes, non luxati, cæcique, non Mauri ipſi excludebantur: in quibus incredibile profectò memoratu eſt, quos animi motus, affectuſque excitare Ferrarius videretur, cùm inſtituta oratione, aut à vitijs abſterrere, aut propellere ad virtutis laudem conabatur. Ardere vultu, geſtu, ſermone: lachrymis plerumque perorabat; quod illi dictionis genus familiariſſimum: vt ſæpè oborti fletus orationem intercriderent: cùm interim ſilentio, ac gemitu efficaciùs ageret, eaſdemque in auditoribus lacbrymas, ſenſuſque prouocaret. Sed nunquam illi flagrantior, atque è comploratione vberior oratio fluebat, quàm cùm ad communem, piamque verberationem multitudinem inflammaret. Hic ille aſpectu quidem ſupra hominem, arrepta Redemptoris è cruce pendentis imagine, eo ſpiritu, ac vehementia adhortari ad corporis afflictationem, ac verbera ſolitus erat, vt miſceri ſtatim theatrum clamoribus, vlulatibus, ſuſpirijs acerrimè ſe diuerberantium cerneretur. Narrat de ſe quidem Ambroſius Maggius, Panormitanus, vir patricius in breui rerum à Ferrario geſtarum commentario, quo primùm die hoc ipſe Sodalitium inijt, vſque adeò à loci religione, à ſanctiſſimi viri voce, ac lachrymis; tùm à circumfuſo piè ſæuientium ſtrepitu, gemituque admiratione defixum, atque à ſeipſo alienatum, vt quonã loco tunc eſſet, non ſatis cognoſceret. Illud hic etiam inter reliquas pietatis exercitationes ad documentũ vitæ, moreſque emendãdos longè fructuoſiſſimũ: quotidianos nẽpè defectus, atq. animi noxas, prauaſq. conſuetudines palã, atq. ingenuè ad remediũ aperire. Hic Ferrarius, attemperata rigori ſuauitate, increpare, docere, exẽplis, monitis medicinã ſingulis facere, appoſitè quidẽ ad cuiuſq. neceſſitatẽ, ac captũ: vt mirarentur hominis facultatem, prudentiam, eruditionem, ac paſſim appellaretur, Magiſter ſpiritus. Planè magnam Panormitanæ pietatis partem ab hoc magiſtro, atque ab hac ſchola Seruorum Deiparæ Virg. extitiſſe, ſi quis dixerit; à verò minimé aberrauerit.

Panormi Seruorum Deiparę Sodalitium inſtituitur.

Auctor Saluator Ferrarius.

Nomen illi à ſagena, vulgò, ſciabica, impoſitum.

Promiſcuũ in eo mortalium genus.

Ferrarij in ijs inſtituẽdis facultas.

Sodalium fructus.

Vt manauerit inde cõmunis pietas.

Eò nanque omnis hominum conditio, ac ſtatus cùm afflueret, erudiri in vno Sodalitio vniuerſa Vrbs potuit. Erudiri, inquam, non modò ad cõmunem præceptorum obſeruantiam; verùm etiam ad peculiarem quendam animi cultum, atque ad eas virtutes, quæ religioſorum hominum propriæ videntur. Et quidem, quæ profanis, ac principibus præſertim viris incognita eſt virtus, nempè animi demiſſio, ſiuè humilitas, cœpta hic demũ agnoſci, atque adamari. Vti nanque ſignificaui, præcipui ſanguinis, atque ordinis viri cũ infimæ ſortis hominibus vna ſede morari, colloqui, munera ſimul obire, non dedignabantur. Et pulcherrimum ſanè ſpectaculum erat, cùm diebus feſtis ab Oratorio ad eccleſiam, vt diuina myſteria vnà ſimul vſurparent, accedebant. Inſtituto agmine, bini ita ibant, vt æqua fronte, ac gradu cũ ſutore vir nobilis, cum pannoſo Princeps incederet; & ad leuam quidem magnates, ad dexteram mendiculi, interdùm etiam mancipia cernetentur. Hoc item ordine, quoties defunctum è ſodalibus quempiam efferri contingebat, per Vrbem ibant. Quo quidem triũphare ſplendidè de mundi ſuperbia humilitas, videbatur non ſine proximorum fructu, qui ab illa virorum principum modeſtia, ac pietate fieri non poterat, quin ad imitationem, ſuique deſpectum excitarentur, moreſque commutarent, ingenti cum Saluatoris laude, de quo luculentum planè illud grauiſſimi cuiuſdam Antiſtitis teſtimonium fuit. Nam cũ is Sodalitium aliquando adiiſſet, ac ſuiſmet oculis vſurpatet mirificos in eo motus; viros, ab illecebrarum ſinu diuulſos, ad frugem virtutis reuocatos; pendere ab vnius ore multitudinem penè infinitam; ad eius nutum inclamari, accidere ad eius pedes; manus, veſtes exoſculari, ingenuè pronunciauit, videri ſibi, id tùm Saluatori Ferrario contingere, quòd olim à Diuo Vincentio Ferrerio factũ narratur, qui cùm vitæ ſanctimonia, tũ dicendi vehementia eam ſibi famam concitauerat, vt Vrbes, populoſque integros pertraheret. Et quidem, vti conſtans omnium perſuaſio tunc fuit, niſi feſtinaſſet viri exitum mors, populum Panormitanæ Vrbis omnem, ac procerum ordinem ſibi ille aggregaſſet.

Quædam præſertim in proceribus humilitas.

Comparatur D. Vincentio Ferrerio Ferrarius.

Quæ porrò acceſſerit huic Sodalitio à Mariana quadam Imagine pietas, imus modò narratum. Scilicet, cùm ſub magnæ Matris tutela locus eſſet, ac præclaro Seruorum Deiparę titulo appellarentur Sodales; id in primis curabat Ferrarius, vt inſignis quædam Auguſtæ Reginæ effigies communem obſeruantiam exaugeret. Dum hæc ipſe cogitat, allata ex inſperato, ac cœleſti manu Icon fratri cuidam ex noſtris Laicis, viro inſigniter probo, cuius vitam, ac mores attigendos hic breui ducimus, vt noſcat lector, eiuſmodi fuiſſe hominem, qui meruerit diuina hac beneficentia, gratiaq. honeſtari. Vincentius Scarpatus, hoc illi nomen, in Vico Æquenſi natus, educatuſque à modicis, pijſque parentibus. Pudicitiæ præſertim à prima ipſa ætate adeò ſtudioſus fuit, vt eorum teſtimonio, qui eius diutiùs conſcientiam temperarunt, delibari pulcherrimam virtutem, nunquam permiſerit. Id illi in feruentiore æuo accidit. Nam cũ acriùs aliquando admorderet ſenſus, repellendam vim vi duxit: arreptoque ferro, ſecretiores ſui partes ita pręcidit, vt Beatiſſimæ Virgini adſcripſerit, quòd non illicò concidiſſet exanimis. Nempè rudis adhuc Chriſtiani officij, perſuaſum habuit, licitum eſſe, vel cum corporis, vitæque diſpendio virginitatis florem tueri: oſtenditq. nihilominùs errore illo præclarum quendam ad virtutis honeſtatem impetum. Religioſi deindè inſtituti mentem cũ concepiſſet, Neapoli in Paulina domo exceptus à Beato Andrea Auellino fuit, cui deſtinatus poſtea ſocius: & qui pronior ad omnem diſciplinam erat, ab aſſidua tanti viri conſuetudine nimiũ, quantùm expolire ſuæ vitæ rationes, atque inflammare eximia in Deum charitate pectus, viſus fuerit: planè vt cũ in re domeſtica, tùm in interna ſui exercitatione admirationi, exemploq. eſſet omnibus. Conſtituendæ Panormitanæ colonię cum primis deſtinatus Vincentius, agente præſertim Auellino, qui nouerat peridoneum præclaræ domus rudimentis virum. Is verò ita Panormum velificauit, vt incredibili quodam animi ſenſu auelli ab ſanctiſſimo Sene ſignificaret: quamuis ea ſpes triſtitiam leniret, qua in digreſſu animos fecerat Andreas, fore nempè, vt receptus olim cœlo, ac Deo propior, ipſius eſſet potiſſimũ memor. Nec feſellit promiſſum. Exutus nanque mortalitatem Auellinus, vt oſtenderet, non excidiſſe animo Vincentium, illi ſe ſe non ſemel obiecit inſpiciendum, ea quidem gloria, ac luce, vt ardere tergemino ſole vultus, videretur. Quibus ille oſten-

Inſignis Deiparæ Icon.

Vincentii Scarpati pudicitię ſtudium.

Exceptus in Ordinem à B. Andrea is fuit.

Eoq. agente Panormum amandatur.

Poſt Auellini mortem eius non ſemel aſpectu fruitur.

tis,

tis, atque amantiſſimi Patris illecebris admoueri ſibi peracres ad perfectionem ſtimulos ſentiebat. Quæ duo pugnare ſecum videnrut; nempè externus labor, atque interioris hominis, mentiſque recollectio, innexuit ipſe egregiè. Opſonatorem diù egit; quo quidem officio nihil operoſius: inuolabatque ſimul in alia domi opera incredibili quadam ſpiritus, ac virium alacritate: vt nullis vnquam fractum laboribus, ac nũquam feriari virum, mirarentur plerique omnes. Planè, cùm alioqui comis, vt vultu, ita & moribus eſſet, ſubiraſci nihilominùs, atque inflammari videbatur, quoties interquieſcere ex fratribus laicis aliquem, aut optare curarum intercapedinem aduerteret: ſcilicet, laborum tolerantiſſimos perindè, & amantiſſimos, hoc eſt, ſui ſimiles, ſodales cupiebat. Illud omninò ab Auellino expreſſum: nempè vel implicitum morbo occupationes, atque officij ſui munus pergere. Viſus non ſemel, cùm maximè ſæuiret malum, ſurgere, adeſſe coquo, domo egredi: veluti laxamẽtum aliquod, aut remediũ morbi eſſet labor. Accidit aliquando, vt laborioſum quoddam opus perfecturus cũ eſſet, fatiſceret à pręſenti valetudine corpus: nihil tùm illi moleſtius, quàm ea imbecillitas. Numen ex animo implorat. Mirum planè dictu; ita confeſtim vegetari, confirmarique vires ſenſit, vt perindè quaſi nulla diuexaret morbi vis, ad multas horas conficiendo operi deſudauerit: quo deindè expleto, rediјt imbecillitas, ac languor. Cùm hac verò externorum operum aſſiduitate affixa ſemper Deo mens erat. Quicquid à domeſticis miniſterijs ſupererat temporis, precibus dabat. Vnica illi, ac iucundior à corporis defatigatione quies, oratio. Nunquam deprehendere illum in cellula erat, niſi genibus nixum, orantemque. Noctu præſertim precibus prolixiùs incumbere: Compenſabatque diurnas curas nocturna mentis exercitatione. Nec ſine diuinorum ſenſu, ſuperniſque illuſtrationibus preces erant. Quas ipſe illuſtrationes, ac ſenſus referre quotidiè in commentaria accuratè ſolitus erat: vt alloquentis Dei monita, ac impulſus opere ſubindè exequeretur. Porrò ab orandi aſſiduitate callum genibus ea quidem magnitudine obduxerat, vt conſpici poſt eius mortem ſine ingenti omnium admiratione minimè potuerit. Ab actione verò ad contemplationem conuerti, facile erat illi, qui à Dei conſpectu nunquam aberat. Hoc ſiquidem illi propriũ, adeſſe ſemper Deo. Quo & componere mirificè actus ſuos omnes videbatur, & ſpargi latiùs, ac diffundi vel in medijs occupationibus minimè poterat. Hinc frequens, ac familiaris ſermo de Deo, quem ob oculos ſemper habebat. In foro, in officinis, cum omni mortalium genere adhortationes, ac monita ſalutis ſerere; vt iam in ſumma omnium veneratione, ac laude eſſet. Nec mediocris ſanè à forenſibus eiuſmodi alloquutionibus prouenire in dies fructus cernebatur; præſertim, quòd correctionibus, cùm zelo opus eſſet, non parceret. Fœminam ita irę obnoxiam, vt indigna Chriſtiano ore verba erumperent, monuit aliquando peracerbè; comminatus inſuper diuinam vindictam, ac forè, niſi blaſphemijs, furorique temperaret, vt mulctaret acriter linguam læſum Numen. Non paruit fœmina. Nec mora: vſque adeò illi intumuit lingua, vt horrendum in modum exerta, fœdum viſu ſpectaculum exhiberet. Adfuit Vincentius, qui pœnam denunciauerat; cùmque pœnituiſſe iam illam, eoque ſupplicio reuocatam ad frugem agnoſceret, fuſa ipſe ad Deum prece, linguæ incolumitatem, ac vſum impetrauit.

Multus in laboribus Scarpatus.

Multus item in contemplatione.

Familiaris illi Dei præſentia

Quam fructuoſus eius ad exteros ſermo.

Quæ primò commemorari in eo virtus debuit, ea eſt regina virtutum, charitas, quæ ſiuè Deum reſpiciat, ſiuè proximum, eximia in Vincentio fuit. Nihil in fratrum miniſterio accuratius, non quidem in ſpeciem, ſed intimo quodam ſtudio, affectuque charitatis. Hęc illi familiaris ad tyrones laicos adhortatio, vt Patribus, non ad oculum, ſed tanquam Deo ſeruirent. Quod ipſe exactè pręſtabat; & veluti qui Deo ſibi videbatur miniſtrare, nulli ſeſe labori ſubducere. Non viarum longinquitas, non temporum iniuria, non imber, ęſtuſque abſterrebat, quominùs fratrum commoda accuraret. Atque huic quidem charitati comprobandæ non defuere oſtenta, ac mira. Semel piſces communi menſæ fruſtra in foro quęſiuerat. Vellicabat proindè charitas, dolebatque vehementiùs, deeſſe annonam Patribus: cũ ecce tibi graui quodam aſpectu ſenex, qui, eum de nomine compellans: Ecquid, inquit, petis, Vincenti? tùm ex inſperato lectiſſimi piſcis ciſtam protulit; ac dum ſoluere Vincentius pretium parat, euanuit bonus Senex, quem fuiſſe Diuum Ioſephum, cui ipſe cum primis addictus, per-

Eius in fratres charitas.

Quæ oſtentis comprobatur.

Digitized by Google

ſuaſum habuit. Aliàs, domo, egredi prouecta iam nocte oportuit, ſæuiente hyeme, ac cœlo fœdis imbribus. Non hæc illum incomuoda morantur. It, redit, cadente nimirùm vberius pluuia: ſed dum putant, profundè immaduiſſe, aduertunt, intactum omninò imbribus: nempè ea eſt charitas, vt nec flumina obruant illam: çquauitque Vincentius Andream Auellinum, qui ruentes hybernas eiuſmodi pluuias ſicco penitùs pallio non ſemel luſit. Hæc verò generatim in omnes charitas ita in ſingulos ferebatur, vt æquè omnes diligeret, nihil affectui, naturæque propenſioni tribuens. Interrogatus à viro quodam graui ex noſtris: vtrum ipſum amaret? Reſpondit: Ita. Inſtitit ille: quantùm reuerà amaret? Cui Vincentius: non vltra coquum. Miratus reſponſionem vir ille prudens, plurimũ commendauit: gnarus, dilectionem, quæ per Deum, & ad Deum eſſe debet, vnam, eandemque in omnibus menſuram habere, nempè Deum. Quòd ſi intendi, aut minui amor debeat, id ex maiori, minorique ſingulorum virtute eſſe, oportet: ita vt non hominis conditio, aut gradus, ſed feruentior virtus dilectionem adaugeat.

In Deũ amor.

Porrò quæ proximorum charitatis menſura eſt, Dei charitas: non vulgaris in eo fuit: oſtendebatque prona quædam ſemper in res diuinas, ac fixa Deo mens: vt videretur reuerà ibi eſſe animus, vbi amaret. Præclaros in amando Deo Sanctorum virorum impetus inaudire minimè poterat ſine morſu inuidiæ, ac peracri ſui reprehenſione, quòd non ita arderet. An in gymnaſio amoris, vbi non ingenio, ſed affectu diſcitur, edoctus ad vnguem hanc amandi artem Vincentius fuerit, teſtatur de eodẽ

Scarpati de diuino amore ſermo.

Dei amore familiaris interdùm ſermo, quem non copioſiùs, non profundiùs doctiſſimi quique viri inſtituiſſent. Accidit præcipuè: vt illum, grauiter aliquando ægrotantem Carolus Thomaſius, Sacerdos ex noſtris ſpectatæ virtutis inuiſeret, piaque adhortatione conſolaretur. Quæ ille verba auidè excepit; Sed mox vultu quidem, quẽ egregius ardor animi accendere videbatur, ea ipſe vi, ac facultate dicendi de diuini amoris excellentia loqui cœpit, vt materiam hanc omnem, & quæ pręcipua in ea ſunt capita, inſigni quadam facultate, ac ſupra vulgarem hominis conditionem doctrina explicauerit, verſaueritque, admirante vehementiùs Thomaſio, qui à vultu, ac dictione flagrantiſſimum quendam è Seraphico Ordine ſpiritum intueri, atque audire, ſibi videbatur. At ſenſa hæc nullus planè expreſſerit, niſi qui intimè conceperit, vſuque priùs didicerit: probatque ſanè in Vincentio cordis flammam linguæ ardor. Hinc illi in Chriſti Dom. ſupplicia, quæ pręcipua quædam ipſi diuini amoris monumenta

Quem patientia comprobabat.

videbantur, peculiare quoddam ſtudium. Adhortari alios ſolitus erat, vt quotidiè patientis Dei amorem aliqua ærumnarum perpeſſione compenſarent. Quo ipſo in exercitio aſſiduus erat: ita vt perdidiſſe diem reputaret, quo non aliquid aſperi pro Deo toleraſſet. Hinc depoſcere, precarique ſibi pœnas, contra quàm plerique mortalium faciunt, conſueuerat: impetrabatque à Deo facilè, vti tunc potiſſimũ accidit. Nam cũ nocte ante cubitum preces de more in templo funderet, animũque, ac curſũ diei recognoſceret, aduertit, nihil duri ea die tuliſſe pro Domino. Quocirca, ne veluti ignauus, ac inglorius miles ſine præclara aliqua tolerantiæ laude tranſegiſſe diem, videretur; e veſtigiò ſe in Redemptoris è cruce pendentis ſacellum contulit; ibiq. certis precibus recitatis, id ex animo orauit, vt tũ quidem, antequã ſomno ſe daret, aliquo pœnarum genere dignaretur. Cellam deindè petijt: quo tempore Præpoſitus impetu quodam propelli ſe diuinitùs ſenſit ad Vincentij patientiam periclitandam. Itaque ex

Pręclarum hac de re exemplum.

improuiſo illum conuenit, adductoque ſupercilio, ac prætextu quodam adornato, ea verborum acerbitate. ac vehementia increpare illum cœpit, ac ſi grauiſſimã admiſiſſet noxam; factoque eo periculo, abijt. Verũ cũ, re ad examen reuocata, duriùs æquo egiſſe cũ illo, ſibi videretur, compenſare illicò intempeſtiuam, acerrimãq. verborum aſperitatem comitate, ac blanditijs voluit. Redijt: nec quidem ſubita ea procella perculſum, ac ſubtriſtem; ſed veluti à proſperiore quodam ſucceſſu lætum reperit: agnouitque lætitiæ cauſam; quòd, orata præſenti vexatione, voti compos in veſtigio temporis fuerit. Nempè vt diuinæ charitati par pari referret, nihil opportunius, ac iucundius reputabat, quàm pati fortia. Quò etiam reſpiciebant quotidianæ ſui corporis af-

In voluntarijs afflictationibus aſſiduus.

flictationes: adpreſſa nempè membris cilicia, repetitæ ſæpiùs diuerberationes, ſomni menſura infra naturæ neceſſitatem, ieiunia, ciborumque cũ parſimonia, tùm vilitas.

Nam

Nam & hoc etiam Andreæ Auellini documentis didicerat, vt menſæ reliquias, aliorumque reiectamenta delicias putaret. Vinum item proſcripſerat: vt libaſſe, piaculum duceret. Nam cùm aliquando id ſuaderent Patres, vt ſtomacho conſuleret modico vini potu, recuſabat ſtrenuè: id ſeriò affirmans, haud æquum eſſe, breuis æui, ac ſpiritus corpori, ac propè diem in cinerem abituro, eiuſmodi illecebris adblandiri.

Quæ quidem ſeuerior in ſeipſum agendi ratio, quæ à patiendi pro Deo deſiderio manabat, coniuncta cum incredibili quodam contemptu ſui erat. Humilitas in aſpectu ipſo, cultuque, ac geſtu omni elucebat. Adduci nunquam potuit, vt coram ſacerdotibus caput operiret. Inter fratres laicos vltimum ſe putare: quæ inter domus officia viliora erant, veluti ſibi vni deberentur, mira quadam alacritate obire. Quendam ex Sodalibus affectata quadam mundicie coquinæ inſtrumenta, ac vaſa attrectantem, veluti miniſterium dedignaretur, refugeretque fædare veſtes, ac manus, ſe contineri minimè potuit, quin peracri quodam zelo, ardoreque corriperet; Ecquid, inquit, metuis? ne iſthæc inquinent? an ignoras, idem eſſe, hic ſordeſcere, ac fulgere cœlo; noſtraſque maculas abire in ſtellas? Eapropter dicere ſolitus erat, ex Laicis eum quidem eſſe legitimam, veramque Religionis ſobolem, qui à puluere, à ſordibus ſqualeat: contra verò munditiæ ſtudioſos, adulterinos, ac ſpurios: ita vt non quidem ad lucem, nitoremque, ſed ad ſordes probet filios ſuos Religio. Hine vrgere ad viliſſima quæque fratres; & quos deſtinaros aut eccleſiæ, aut ſacrarij miniſterio nouerat, conuenire conſueuerat, ac monere: putarent, ſe ſpecioſo muneri commodatos; eòque ita ſe gererent, vt meminerint, repetituros poſtliminiò, quæ propria ſui ſtatus eſſent, nempe fullonicam, panificium. Illud ad eius maximè humilitatis guſtum; corripi nempè iniuriâ, ac obijci, quæ nunquam admiſerat. Enimuerò cùm Præpoſitus quidam, eximij vir ſpiritus, cui comperta Vincentij virtus, probare illum nihilominùs vellet; ſæpiùs priuatim, publicè increpare inſtituit; culpas comminiſci, quas deindè media in cœnatione mulctabat: demum nihil non aſperi, aut intentare, aut comminari. Tenuit hæc diutiùs exercitatio ſingulari quidem modeſtia; vt nunquam is, non modò obiectam noxam excuſaret, ſed ne leue quidem triſtitiæ ſpecimen, aut vultu, aut verbis ederet. Expoliuiſſe abundè eius virtutem, humilitatemque Præpoſitus cùm exiſtimaret, temperauit ipſe quidem ab inſtituta ſeueritate; ſed non abſtinuit à modeſtiæ exercitio Vincentius. Etenim præclaræ virtuti aſſuetus, edoctuſque vſu eius excellentiam, atque vtilitatem, continuare culparum publicè confeſſionem adeò frequenter cœpit, vt imperari modum oportuerit.

Eius animi demiſſio.

In correctionibus quàm humilis.

At enim cùm complexionem virtutum omnium, morumque ſanctitatem arguat humilitas, hinc illi mortalium fama, quam refugit. Et Vincentius quidem cùm apud noſtrates, tùm apud exteros in ſumma exiſtimatione erat. Panormitani illum hilari ſemper vultu, aut pia recitantem, aut monentem obuios quoſque officij, cùm offenderent, virum quendam ſanctum videre, ſibi videbantur, eiuſque ſe ſe certatim precibus commendabant. Piſcatores præſertim, cùm ad mare pergeret, vt cymbis, retibus, ac ſibi ipſis benè precaretur, rogabant: fore nanque largiorem à mari prædam ſperabant, ſi eius preces accederent. Semel quis pluſculas horas, ac patientiam ipſam infeliciter piſcando conſumpſerat; fortè illac pertranſijt Vincentius, quem vt ille inſpexit, prolixiùs rogare, vt fauſta prece hamum fortunaret; pollicitus, fore, vt ſi quid caperet prædæ, ex æquo vnà diuiderent. Comiter de more bonus Senex lineam benedicit: & dum abit, ecce tibi correptus hamo piſcis ea quidem magnitudine, vt laboraret vehementer à pondere, ac mole arundo. Compellare confeſtim ille Vincentium: accurreret, impetraretque precibus, ne longè maior, ac fortior tenui filo piſcis euaderet. Oratum. Nec mora: educta è mari ingens præda non minùs pondo triginta: planè vt excederet oculorum fidem, potuiſſe tantum piſcem exiguo hamo trahi. Ipſe in primis piſcator propiorem miraculo rem obſtupuit: ratuſque piaculum, partem eius rei ſibi arrogare, quam pijs Vincentij precibus cerneret diuinitùs tributã, integrum piſcem dono illi dedit: bona ſpe fretus, fore, vt reliquus dies, eiuſdem ſcilicet oratione, ac ope opportuna item ſuſtentandæ familiæ à mari commoda afferret. Hæc autem hominum opinio, ac paſſim honor moleſtiſſimus viro modeſtiſſimo erat; declinabatque, veluti excitatas à dæmone machinas; vt egregiam animi virtutem,

De eius ſanctitate vulgi opinio.

Quid illi cum piſcatore?

Aſſidua cum malo genio lucta.

ac humilitatem guſtu quodā inanis gloriç corrumperet. Nouerat quippè inferni veteratoris artes Vincentius, cui aſſidua, ac familiaris cum eo lucta. Impetere ſiquidem illum mali genij conſueuerant, vt à ſolidæ mentis ſtatu dimouerent, ac tranſuerſum agerent. Hinc formas longè turpiſſimas, vultuſque horrificos perſæpè induere, eoque aſpectu obijcere ſe ſe illi ad horrorem. Interdum quç res ob oculos erant, præſertim pecunias, quarum tunc vſu opſonator indigebat, ex improuiſo auferre, vt patientiam excuteret. Miſcere aliquando cellulam. Semel dum noctu quieſceret, ceu deſuncti cuiuſdam cadauer in lectum, perturbando viri animo, immittere: aliaque id genus plura cùm molirentur, præclaro quodam cùm animi, tùm oris habitu ille excipiebat, triumphabatque çquanimitate, ac precibus. Atque hoc quidem tenore vitç, hiſque virtutū exercitamentis ad ſummā vſq. ſenectutem peruenit Vincentius, emenſus ętatis annos octo ſupra octuaginta; æquauitque æuo, vti ſæpiùs pronunciauerat, Magiſtrum ſuum, nempè Andream Auellinum, quem caſtimoniç laude, laborum tolerantia, vitæ aſperitate, regularis obſeruantiæ zelo, precandi ſtudio, religioſaque paupertate fuerat imitatus; migrauitque in cœlum anno voluentis ſeculi ſexto, & quadrageſimo, exeunte Auguſto menſe cum excellentis virtutis opinione: vt ſint, qui impetraſſe ſe à Deo beneficia, inuocato eius nomine, ingenuè teſtentur.

Eadem cum Auellino ætate moritur.

Scarpati votum, pulcherrimæ Deiparę effigies.

Inter hæc verò, quæ de Vincentio Scarparo hactenus memoraui, illud præſtantius, cuius gratia maturare, atque anticipare eius vitæ deſcriptionem volui. Dixi, Saluatorem Ferrarium in eo totum eſſe, vt Mariano Seruorum Sodalitio, quod tanto cum populorum fructu inſtituerat, inſignis quædam magnæ Matris imago contingeret: ea nimirùm artis excellentia, vt inflāmarent Sodalium ſtudia pulcherrimi, ſpiranteſque ab accurato lineamentorum ductu vultus. Interea temporis hoc ipſum agitabat Vincentius. Nam qui beatiſſimæ Virginis clientelæ addictus intimè erat, in id curas, animumque adiecerat, vt eximius aliquis pictor inclytæ Reginç effigiem quanta maxima venuſtate, gratiaque poſſet, ſibi efformaret; curabatque præcipuè, vt illi omninò ſimilem exprimerent, quæ Nolano in agro propè Neapolim inſigni gentium concurſatione, ac pietate colitur, cui ab Arcu nomen. Imaginem non mediocri planè ſtudio plerique delinearunt: ſed cùm longiùs à pulcherrima, quam is ideam conceperat, diſtarent, gratificando bono Seni, aggredi opus celebrioris famæ pictor voluit: qui quidem, excitato ſupra cōmunem modum ingenio, cœleſtem quandam Marianæ pulchritudinis formam ſibi propoſuit; expreſſitque ad vnguem argutu scolorsplanè vt nihil effingi formoſius, ac concinnius potuiſſe, videretur. Verùm, vt cæterę, ita & hæc etiam effigies Vincentij votis minimè reſpondit. Ergo, quem peracre eius rei deſiderium vellicabat, periclitari & alterius artem in animum induxit ſuum. Dum iret ea mente, dat ſe ſe illi in conſpectum honeſtiſſimo vultu, ac præclara quadam ſpecie Senex. Quò pergeret? interrogat; cùmque conſilium, votumque aperuiſſet Vincentius, explicato ille pallio, hilari quadam fronte Deiparæ Imaginem, cuius in cōplexu diuinus Puer, ac ſimilem omninò Virgini ab Arcu, depromit: Et habe, inquit, hanc tibi effigiem, Vincenti. Ea eſt, quæ beneficia, nec quidem parcè, mortalibus depluet, excitabitque populorum venerationem, ac famā: proindèque præcipuo illam ſtudio cole, ac ſerua. Planè ea erat ab Deiparæ vultu tabula, vt nihil delineare pulchius quæſitiſſimæ artificū curæ potuiſſent, ſpirabatque à diuino quodam penicillo incredibilis Virginea in fronte maieſtas, ac dignitas; quam dum attentiùs contemplatur, ſibique intimè gratulatur Vincentius, euanuit, qui deprompſerat, Senex. Quo monitus eſt, non quempiam è mortalibus, ſed è Diuorum numero aliquem, Senem illum fuiſſe: ac perſuaſum habuit, ab oris ſpecie, à peculiari ſui patrocinio, ab alijs item ab ea manu beneficijs, Beatum Ioſephum, Auguſtæ Virginis Sponſum id muneris attuliſſe. Quo quidem, quæ eius erat humilitas, indignum ſe putans, ea ſtatim Centurionis verba intimo cordis affectu protulit: Domina, non ſum dignus, vt intres ſub tectū meum. Scilicet, ſupra ſui, ſuæque cellulæ conditionem excellentem, ac diuinam imaginem ratus, nobiliore quidē in loco, ac bono in lumine collocari oportere, exiſtimabat. Itaque, cùm probè ſciret, Saluatorem Ferrarium rùm quidem in id maximè intendere, vt initiatis Mariano Seruitio Sodalibus Dei Matris Icon quàm pulcherrima contingeret, optimum factu putauit, hanc illis cedere. Fore nanque,

Sed oblata illi diuinitùs.

vt

vt in conſertiſſima, pientiſſimaque eius Sodalitij celebritate ſua ſtaret Virgini obſeruantia, ac veneratio. Ferrario, vt illam arcano cœli, ac Diui Ioſephi munere accepiſſet, quo ſibi cõmendata ſtudio fuerit, quid ſubinde beneficiorum ſperandum ab ea eſſet, aperuit: tùm locum pretioſiore illo quauis gemma donario locupletauit, ingenti cùm Sodalitatis gratulatione, ſplendoreque, ac fructu. Neque vero facile dictu eſt, quantus illicò in præclaram effigiem pietatis ardor fuerit excitatus, & quo ſtatim gratiarum affluxu præſto fuerit opem implorantibus Virgo. Curata perſæpè pertinax morborum vis, ſedatæ pelagi minæ, explicati claudicantium greſſus, exturbati ab humanis corporibus rebelles genij, aliaque id genus propè infinita: vti beneficiorum teſtes, ac indices pro parietibus tabellæ teſtabantur, quarum deindè pars maior excidit, quo tempore transferri opportuniorem in locum Sodalitium contigit. Huiuſce verò Marianæ imaginis dignitatem, cœleſtemque originem non modo Saluatori Ferrario Vincentius, ſed prout augendæ in Virginem pietati opportunum ſibi videbatur, & alijs etiam cùm noſtratibus, tùm exteris ſignificauit, ea tamen conditione, vt quoad ipſe ſuperſtes eſſet, tacerent. Inter quos fuit Hieronymus Pilus, egregia virtute ſacerdos ex noſtris, qui dum ſupremo ſpiritu laboraret, afferri ſibi Diuæ Virginis effigiem voluit, expirauitque in eius conſpectu, poſtquàm eiuſdem Deiparæ præſentia, complexuque frui meruit. Ex his poſtea plerique, elato Vincentio, cùm Panormitanæ Ciuitatis Vicarij nutu de Icone ipſa, eiuſque admirabilitate ritè inquireretur, pro teſtimonio dixere; acceſſitque momentum planè ingens, ac firmitudinem communi pietati, ac famæ, quæ per aurium traduces propagabatur. Atque hæc de Sodalitio Seruorum Virginis, quod à rete nuncupant, à Saluatore Ferrario excitato, ac de ſacra ibi imagine non manufacta.

Imago in Mariano Seruorũ Sodalitio collocatur.

Adſuitque nõ vno miraculo Virgo.

E cœlo fluxiſſe effigiem teſtatus plerisq. eſt Scarpatus.

Iam verò cùm alio properet ſtylus, diuertere nihilominùs tantiſper Neapolim è re fuerit, inſpiciendæ raptim ornatiſſimæ baſilicæ Diuæ Mariæ Angelorum, quæ, præterito ſeculo exeunte, ſolenni ritu, vti aliàs ſignificaui, fundata, poſthuma deindè Cõſtantiæ Carettæ, Sulmonis Principis beneficentia eò perducta hoc anno eſt, vt cœperit ſacrorum vſu, ac publica pſalmodia celebrari. Nouum hoc, idemque pulcherrimum aperiri Neapolitanæ religioni templum, iucundiſſimum fuit. Reſpondit ſiquidem deſcriptę iam ideę ex amuſſim opus, ab omni parte perfectiſſimum: vt nihil omnino illi ab artis ſiuè peritia, ſiuè elegantia addi, aut demi poſſe, videretur: eſtque ipſemet aſpectus, atque animus iudex, quem area, laxitas, arcus, pilę, tholus, ac moles ipſa, ad vnguem facta, mirificè capit. Quare cùm accedat quidam ſacris ſplendor à loci magnificentia, ac cultu, eò transferri hoc anno diuinorum procurationem, ac tàm ſplendidè Deo litari, & cani, gratulati ſummoperè noſtrates ſunt. Auctam verò ſub hoc fermè tempus nouo quodam donario baſilicam, non diſſimulabimus; præſertim, quòd non ſine celebritate contigit. Inſtitutum id loci fuerat ſub Diui Caroli Borromęi auſpicijs, ac nomenclatione ſecularium Sacerdotum Sodalitium, quibus id maximè in votis, aliquo Tutelaris ſui pignore quod inibi venerarentur, potiri. Aderat commodùm Neapoli Carauagij Marchioniſſa, Marci Antonij Columnę filia, religioſa cum paucis fœmina, ac rei Theatinę ſtudioſiſſima, quę, quòd gratum id noſtris cerneret, ita polliceri operam ſuam viſa eſt, vt certum hominem Mediolanum allegauerit, rogatum Federicum Cardinalem Borromęum, vt quam oppignorauerat Theatinis Patribus fidem, ipſe Beatiſſimi Cardinalis reliquijs liberaret. Et annuit liberaliter Federicus; miſitque perfuſam Diui ſanguine ſpongiam, carnis etiam fruſtula, atque ex gypſo vultus, in ipſomet Diui Caroli ore effictos, eiuſque attactu ſacros. Hæc ſtatim Carauagij Heroina noſtris donauit: qui addicere ea quidem Sacerdotum, quod diximus, Sodalitio ſtatuerant; ſed oborta mox controuerſia, mutatoque opportunè conſilio, ornandum templum ipſum inſigni ea reliquiarum religione decreuere. Condi primùm thecis quàm ornatiſſimis, nitoremque accerſere ab externi operis cultu, curę fuit: tùm de ijs celebriore ſupplicatione, ac pompa transferendis cogitarunt. Honeſtandis ſolennijs templum ſuperbiſſimè inſtructum. Euocati è reliquis Neapolitanis domibus Patres, vt agmen frequentiùs inſtituerẽt; quod etiam grauitate, ac religione ſua impleuere Oratorij presbyteri, rogati à noſtris. Quęſitus illi à Canonicorum ordine ſplendor, ac dignitas. Poſtremò, ne maieſtas à purpuris deeſſet, adaugere celebrita-

NeapoliD. Mariæ Angelorũ templum colẽ cœptum.

A Carauagij Marchioniſſa D. Caroli lipſana,

Quæ ſolenni ritu transferuntur.

Digitized by Google

britatem Decius Cardinalis Carafa Archiepiſcopus, ac Cardinalis Sfortia voluere. Manauitque vix in vulgus rei fama, cùm incredibiles ad Marianam baſilicam cócurſus facti, ex omni videlicet mortalium ordine, accurritque præſertim flos ipſe nobiliū virorum, ac fœminarum. In ipſo procinctu rerum, cùm daret ſe ſe in viam agmen, enata à Canonicis mora. De cruce lis erat, contendebantque, velandam omninò noſtrā, ne principis Eccleſiæ dignitati detraheret in ea crucis geſtat one æqualitas. ſed, re ſtatim ad calculum reuocata, vt diſſidium præciderent, ea adhibita ratio, ac temperamentum eſt: Scilicet, vt vna duntaxat præiret crux, nempè noſtra, quam ſecularis è Seminario clericus ferret. Sic & ſua ſtetit Canonicis prærogatiua, & nihil iuri noſtro derogatum. Igitur, inſtructa ſupplicatione, crucem ſequebantur proximè noſtrates linteati, quibus immixti religioſiſſimi Oratorij Presbyteri, eodem nempè cultu, claudebatque agmen eorum Præpoſitus. Secundùm hos Seminarij pubes: tùm Canonicis poſtremo loci Præpoſitus Diui pignora ferebat, quæ excipiebat gemina, quam diximus, Purpura, Carafa, & Sfortia, atque ingens vis procerum, ac populorum. Procurata aulæis, floribus, lemniſcis vicinia, quam vbi ſupplicatio triumphalem planè in modum, atque inter quæſitiſſimos canentium choros obiuit, rediit ad Angelorum ædem. Inſigni poſthac venerationi hæ D. Caroli reliquiæ fuere, valuitque non ſemel propulſandis corporis incommodis in ipſas fiducia. Augendæ autem pietati quotannis die Sanctiſſimo Cardinali ſacra exponi publicè mos eſt. Sed hæc hactenus.

Nouum Cremonenſi cœnobio additamentum. Pergimus modò Cremonam, vbi addita hoc anno noſtratum curis noua eccleſia eſt. De Cremonenſi D. Abundij cœnobio dictum abundè in loco. Huic D. Antonij Viennenſis templum adiacebat; perantiquum id quidem ſacerdotium, militari Templariorum Equitum Ordini olim addictum. Templarij ſatis in hiſtorijs noti, promeriti nominis celebritatem à rebus præclarè geſtis, atq. ab inſigni eorum tutela, ductuq. qui pietatis ergo Hieroſolymitanam peregrinationem inſtituebant. Hos deindè, quæ ſunt rerum vices, transuerſos egit, cùm quidam vitæ luxus, tùm peregrinæ religionis *D. Antonij Templariorum olim Eccleſia.* ſtudium; ita vt quem tot priuilegijs, ac opibus Ordinem ſuperiores Pontifices, ac Chriſtianorum Principum liberalitas cumulauerant, abolendum Clemens Pontifex Quintus duxerit eorumq; e, vt vocant, Commendæ partim florentiſſimæ D. Ioannis Hieroſolymitani militiæ attributæ, partim in Eccleſiaſticorum hominum ſacerdotia ceſſere. Cuiuſmodi hæc D. Antonij fuit; regebatque tùm quidem Ioannes Baptiſta Stanga, vir nobilis; & quà animi, quà fortunæ opibus apprimè ſubnixus: Noſtri præſertim Inſtituti amantiſſimus erat, idque poriſſimùm curabat, ne quid incommodi afferret Patribus ſuarum ædium propinquitas, neue religioſam libertatem læderet, quæ imminere noſtro D. Abundij domicilio feneſtræ videbantur. At enimuerò, quòd non eadem omnibus indoles, ac beneuolentia, reputare apud animum ſuum cœpere Patres, id contingere facilè poſſe, vt qui ſuccederet Rector, non eiuſdem modeſtiæ, atque *I. Baptiſtæ Stangæ ſacerdotium,* in nos ſtudij fuiſſet: proindèque viſum, cauere in poſterum: maximè quòd nec eos fugeret, non deeſſe religioſos viros, qui oculos ad D. Antonij templum adiecerant; inuitabatque percommodū inibi tectum, tectoque attiguum viridarium, aliæque in loco, ſituque opportunitates. Quocirca optimum factu putarunt, in id accuratè incūbere, vt noſtro D. Abundij cœnobio accederēt ædes illæ D. Antonij, eo maximè tēpore, cū prolixa in noſtros Srangæ voluntas ſucceſſum pollicebatur. Igitur, vt impetrarēt, hoc potiſſimū perſuadere Patres, fore, vt Eccleſia quidem à ſacrorum miniſterio, ac munditia decentiùs, ac ſplendidiùs coleretur, tū cōmodius alibi domicilium Rectori exhibent, aliæque in medium propoſitæ honeſtiſſimæ conditiones, quas proniore quodā ſtudio, aſſenſuq. illicò probauit Stanga: &, ne occaſionem corrumperent moræ, Ludouicus Perſichellus Cremonenſis, qui noſtrā tū domum adminiſtrabat, negotium, *Honeſtis conditionibus noſtris conceditur.* conſignitatis publicis tabulis, maturauit, acceſſeruntque Apoſtolicæ ſtatim literæ, datæ à Paulo Pontifice Quinto die Ianuarij vndecima inſequentis anni. Quo quidem mirum quantùm Cremonenſi domui à laxiore ſitu, ac præcipuè ab hortis commodi acceſſerit: decreueruntque tùm quidem Patres, ſi Numinis beneficentia olim fauerit, aut peramplum eo in loco D. Abundio, atque Antonio templum ęxędificare, cùm vtraque ea eccleſia ſit Patrum induſtria, atque aduentantium celebritate anguſtior,

ſtior; aut ſaltem tyrocinium ibi conſtituere: remotior quippè locus, formandæque iuuenruti peridoneus. Et principiò quidem cœpta ibi pſalmodia, ac diebus ſanctioribus conciones. Capacior nanque ea D. Antonij ecceleſia cùm eſſet, viſa excolendæ communi pietati, ſacriſque peragendis opportunior. Verùm perſuaſit deindè tempus, reſtituenda priſtino loco diuina officia, ac reliquas ſacrorum functiones; relicto ibi quotidiano duntaxat ſacro, ac quibuſdam per annum celebritatibus. Porrò pleræque hic inſignes reliquiæ repertæ, quas, fama eſt attuliſſe Viennenſes olim Monachos, quos & excitaſſe Monaſterium, ac diù incoluiſſe, priſcis hiſtoriarũ monumentis conſtat. Harum verò nomina ſingillatim recenſere, puto ſuperuacaneum. Liceat eorũ præſtantiam, veluti ab vngue, ęſtimare à digiti parte D. Ioannis Baptiſtæ, qui inter Apoſtolorum, ac præcipuorum Martyrum lipſana ſumma hic veneratione aſſeruatur. Acceſſere poſtea & aliæ à Romana opulentia diuitię. Allata ſiquidem Roma fuere trium præcipuè martyrum corpora, ſcilicet; Benigni, Fructuoſi, & Cyriaci, quorum à noſtris ritu duplici quotannis memoria celebratur. Anno verò vertentis huius Seculi quinto, & quadrageſimo Lazarus Caraſinus Cremonenſis, Nouocomenſis Epiſcopus, vt gratificari Patriæ, ac noſtris hominibus, videretur, D. Abundij, Comenſis olim Epiſcopi coſtulæ partem, theca elegantiſſimè incluſam, templo huic noſtro, eiuſdem Diui nomini dicato, dono dedit: quo nihil ad loci ſiuè tutelam, ſiuè decus opportunius, ac pulchrius: viuetque optimi Antiſtitis munificentia, quoad pietas in ſacros eos cineres viuet. Quemadmodum & Stangæ, qui D. Antonij domicilium ceſſit, perennabit in memori poſteritate nomen, eò vel maximè, quòd quam viuens in noſtros exercuit beneficentiam, cumulauit moriens; relicta Cremonenſi Cœnobio bibliotheca, librorum quà numero, quà pretio planè ſplendida: vt & noſtratum commoda amplificauerit ſitu, & eruditionem adauxerit ingeniorum monumentis.

Caraſinus Epiſcopus D. Abũdij coſtulæ partẽ noſtris donat.

Iam verò eũ hac nouæ domus acceſſione, quid accidit noſtris Cremonę peracerbũ. Abdicauit nanque Cremonenſem hoc anno Infulam Paulus Sfondratus, S. Cæciliæ Cardinalis; Gregorii XIV. Pontificis nepos, Princeps à pietate, ab animi magnitudine, à munificentia longè incomparabilis. Patruum, vt cætera virtute, ita & affectu, ſtudioque in noſtrum Inſtitutum ad vnguem exprimebat; teſtatus omni humanitatis, atque officiorum genere beneuolentiam. Cremonæ, quo tempore Sacerdotium temperauit, ita ſuæ conſcientiæ noſtros admouit, vt in grauiſſimis etiam eccleſiæ curis valeſo illorum auctoritatem, ac doctrinam vellet. Si quando vacare negotiis, atque exercere internarum virtutum, atque orationis vſu animum decreuiſſet, in noſtrum ſe ſe cœnobium recipere ſolitus erat: vbi, duce Boniſacio Sfrondato, ſacerdote ex noſtris, omnium virtutum genere ornatiſſimo, qui illi à confeſſionibus, pluſculos dies in rerum diuinarum cõmentationibus, ac beato quodam otio tranſigebat. Illud etiam in more habuit; quod Epiſcopis; ac purpuris omninò inſolens: Feſtis nempè diebus noſtram eccleſiam conuenire, ac publica in ſede, veluti vnus eſſet è noſtris confeſſariis, patientiſſimas præbere contitentibus aures. Ad hęc, qui templum, qui domũ aſſidua ſui præſentia ornabat, ſubleuare inſigni liberalitate noſtram inopiam conſueuerat: vt ſanè ab ea ampliſſimi Cardinalis humanitate Cremonenſi domui par exiſteret dignitas, ac commodum: proindèque tanto carere hoc anno ornamento, ac præſidio; moleſtiſſimum illi fuit. Etſi, quæ erat Principis benignitas, nullibi non Congregationis commodo opportuniſſimus. Et Romę quidem, quò ſe contulit, ita, prout ſe ſe dedit occaſio, Inſtituto fauit, vt natus honeſtandæ, amplificandæque Ordinis dignitati videretur.

Pauli Card. Sfondrati in noſtros beneuolentia.

Genuam gradum facimus, vbi eſt, quod in commune pietatis Incrementum, atq; in auguſtiſſimę præſertim Euchariſtiæ cultum nauare noſtrates ſub id tempus cœperint, quod ſanè non omittendum. Auguſtinus Maynerius Genuenſis, inculpati vit moris, ſpectatæque virtutis ex noſtris ſacerdos, de quo ſuus erit dicendi locus, cùm nullam in amplificãda ſacrorum religione induſtriæ ſuæ partem negligeret, animum hoc anno, ac curas ſuas procurando, ornandoque Sacro Chriſti Corpori egregiè appulit. Sodalitium in D. Syri domo inſtituit, quòd à Sacramento nũcupauit, in cuius cenſum viſi illicò è primaria nobilitate cùm viri, tùm mulieres, qui tamen ſeorſim cõuentus ſuos celebrant, adſcribi; &, ne ſua operi merces, atque authoramentum deeſſet,

Auguſtinus Maynerius Sodalitium à Sacramento inſtituit.

ſet,

ſet, iis cœleſtium deliciorum copiam à Romano Pontifice impetrauit. Sodalitii partes: venerationem, obſeruantiam, cultum in diuinam Euchariſtiam adaugere. Supplicationibus, quas tertijs quibuſque per annum Dominicis diebus obiri in noſtra

Sepulchralis Chriſto Domino ab ea moles.

Eccleſia, mos eſt, intereſſe: Sanctiore in hebdomada monumentũ curare, ac põpam anniuerſarijs Chriſti Dom. Exequiis. In quo quidem cũ certare ſtudiis viri nobiles, ac matronæ ſoleant, ea quidem apparatus magnificentia, ac ſumptu adornari Mauſolæum, ac luctuoſa illa defuncti Numinis ſcena quotannis cernitur, vt palmam cœteris in ſplendidiſſima ea Vrbe facilè preripiant noſtri. Illud verò ab hoc Sodalitio opportuniſſimum, ac planè religioſum. Nam cùm aduerteret Maynerius, non eo quidem ſplendore, qui tanti Sacramenti maieſtatẽ deceret, deduci diuina ea myſteria ad ægrotos, id etiam inſtituit, vt è nobilium ordine, qui pueros aulicos domi haberent, il-

Et ſplendidior Euchariſtię cultus.

los, quoties ferri decumbentibus Euchariſticum Viaticum contingeret, cũ facibus mitterent, vt euntem Dominum proſequeretur. Quo ſanè factum, vt eo nunc funalium cereorum numero, ac mortalium celebritate adeat ad infirmos Sacroſanctum Altaris Sacramentum, vt diceres, ipſa Euchariſtici Corporis ſolennia celebrari; præſertim cũ ipſi etiã proceres id officii impendãt. Manauit à D. Syri Eccleſia in cœteras deindè Vrbis parœcias præclarum exemplum; valuitque pietatis ęmulandæ ſtudium, vt iam eodem paſſim cultu ab omnibus circumferatur Genuæ Euchariſticum epulum; debeturque ſplendida ea deductio noſtratibus, qui facem cœteris prætulere.

Conſignanda nunc literis venit egregia quorundam virtus, qui, exuta hoc anno mortalitate, vt ſuo funere non mediocrem triſtitiæ ſenſum excitarunt, ita exemplo, famaque virtutum celebres, abſterſere præmii, ac patrocinii perſuaſione lachrymas, Horum plerique Neapoli in Paulina domo ſpiritum poſuere, vbi à fœcundis tot veterum, ac religioſiſſimorum Patrum cineribus copioſior ſanctimoniæ ſeges. Ineunte

Franciſcus Balſamus Neapoli moritur.

ſtatim anno, hoc eſt, die Ianuarii tertia, Franciſcus Balſamus Neapolitanus vita fungitur. Humili is quidem loco. Quare cùm ad noſtrum præcipuè Ordinem vocari ſe interiore quodam impetu intelligeret; quòd ſciret, nobiles plerumque viros admitti, petere natalium conſcientia minimè audebat. Sed, explurata mox indole, peridoneum diſciplinæ putauit Matthæus Bencius, curauitque adoptandum; gnarus, gentis lucem compenſari abundè naturæ bonitate, ac moribus. Is verò, quam profeſſus eſt, antequàm Religioni ſe daret, virtutem, hoc eſt, humilitatem potiſſimùm deindè coluit, veluti cœterarum columen. Genus habitus mini-

Præcipua in eo humilitas.

mè contegebat, ſed vltrò, veluti cum pompa, obtrudere ſolitus erat. Dum Romæ ageret, conſanguineum bello, primùm authoratum, poſtea transfugam, atque ad vltimam poſtremò inopiam adductum, ac ſtipem quęritantem, ita complexus ex animo eſt, vt adire Rectorem domus, eleemoſynam ab eo petere, & quæ intercederet cum eo affinitas, euulgare, non erubeſceret. Ab hac modeſtia initiari ſacris ordinibus ita reſpuit, vt adigi pro ſanctiore imperio ad Sacerdotium capeſſendum, oportuerit.

Ad ſacros ordines pro imperio adigitur.

Pręcipuæ illi curæ, opes animi occultare. Ingenij præſtantia ſodales facilè ſuperabat; & quà volucri quodam rerum difficillimarum captu, quà peraçri in diſceptationibus vi, quà facilitate explicandi admirationi omnibus erat: ita vt perſuaſum plerique habuerint, afflari diuinitùs eius mentem. Siquidem cùm in eccleſiæ miniſterio, cultuque totus eſſet, libare vix prælectiones, ac ſcripta videbatur: tamen, vbi arena, ac tempus poſcerent, ea dicendi copia, atque acumine quæſtiones verſabat, veluti à profundiore quodam ſtudio, non ab externo opere in ſcholam ſe con-

Ingenium obtenta quadã ignauia occultat.

tuliſſet. Hanc verò ingenii lucem inumbrabat animi demiſſio. Rudem ſe literarum, ac mente obtuſum deprędicabat; ac nihil illi moleſtius, quàm à ſtudiis dilaudari. In ſacræ Theologiæ ſpatia ingreſſus, vt qui ſui deſpectum vehementer intenderat, quam præſetulerat in Philoſophia mentis aciem, omninò diſſimulauit: ac dedita opera, perindè imparem ſe diuinę facultati finxit, vt alius à Philoſopho Theologus fuerit. Id quod non ita bellè adornare valuit, quin naturalis illa ingenii bonitas ſe ſe aliquando proderet, oſtenderetque, perſonam, ac vultum alium, veluti in ſcena, Balſamum induiſſe. Quid ſi, vt aliorum contemptum pro-

Inſaniam aliquando ſimulat.

uocaret, inſaniam etiam aliquandiù ſimulauerit? Tuliſſe enimuerò punctum eius humilitas viſa tunc eſt. Quippè nihil ſupra excogitari ad ſui deſpectum poteſt,

quàm,

quàm, ſimulata inſipientia, ab eo culmine deſcendere, vbi collocatum à Deo diuinum animal, nempè homo, rationis, mentiſque dignitate cęteris animantibus pręſtat, Deoque ipſi propiùs accedit. Eiuſmodi ſapientiſſimè deſipientium plura in Eccleſię faſtis exempla occurrunt; quorum ideò celebratur inſania, quòd illam excellens quędã humilitas conſecrauerit. Coniectari hinc virtutum moles, facilè poteſt. Nam niſi excitandę ſummę perfectioni huiuſmodi fundamenta minimè iaciuntur. Et verò

Eximia in eo paupertas.

paupertatem vnicè adamauit: eaque pręcipuè ad ſui cultum, vſumque depoſcebat, quę alij recuſaſſent, aut iam detriuerant; contentus obſoletis, ac paucis. Obedien-

Et obedientia

tiam adeò coluit, vt nunquam, aut imperium detrectaſſe, aut excuſationem obtendiſſe, aut exquiſiuiſſe pręcepti rationem, viſus fuerit. Dixiſſe Prępoſitum, obtemperauiſſe illum fuit. In ſenſuum item afflictatione aſſiduus, in precibus prolixior, regularis potiſſimùm diſciplinę ſeruantiſſimus, ac quędam veluti noſtri moris forma. Quam quidem multiplicem in eo virtutem malorum dęmonum odium teſta-

Res illi cum inferis hoſtibus.

batur, quos ſcimus, nihil odiſſe magis, atque acriore pertinacia impetere, quàm piorum hominum in via Dei progreſſiones. Igitur, facta aſſidua impreſſione, conati impenſiùs communes humani generis aduerſarij, vt à cœptis Balſamum abſterrerent, aut eius animi tranquillitatem interturbarent, ne vela tàm ſecundis ventis faceret. Hinc horribiles quaſdam formas induere, ac teterrima ſpecię obijcere ſe ſe illi, metuque percellere: tùm prouocare ad pugnam, gradum facere, vrgere. Quos

Illorum impetus quo apparatu exciperet.

ille impetus ea mentis firmitudine excipiebat, vt nihil de contentione, ardoreque ſpiritus remitteret. Etſi perindè agendum ſibi in ea palęſtra ducebat, vt hoſtes longè pugnaciſſimos minimè contemneret. Quapropter vrgere acriùs virtutum exercitia: vtque ſe ſe armaret ad pugnam, ferream geſtare catenam, aſpero cilicio, veluti lorica, munire nudum corpus, impingere item ſibi verbera, & fuſtes, ſolitus erat: Nempè, ſubiicere ſe ſibi contendebat, ne fœderatum cum hoſtibus corpus, dominum proderet. Ad hæc, preces congeminare, quas nonniſi ſtratus humi concipere conſueuerat, vt humilitate, terræque attactu valeſceret ſpiritus, ac robur. Illud etiam illi familiare, eiuſmodi inſultus, ac pugnas cum expertiſſimo aliquo viro communicare: gnarus, eneruari dæmonũ impetus, ſi euulgentur: ac tùm quidem certiùs cuibrari in illum tela, ſi accedat, qui manum tegat, diſpenſetque ictus. Rector hic diu-

Vincebatque Iacobi Torni ope.

tiùs fuit Iacobus Tornus, vir, vti aliàs monui, poſſeſſione, vſuque virtutum ſummus, atque in hac potiſſimùm arena exercitatiſſimus, cuius ille ductu, ac ſubſidio profligare ſtrenuè inimicum, eiuſque conatus omnes frangere, ſolitus erat; à quo tandem

Qui & mortẽ illi prædixit.

& monitus ſuæ mortis fuit. Nam cùm ſupremo ſpiritu laboraret Tornus, iſque morienti aſſideret, hoc ab eo beneuolentiæ argumentum, ac præmium tulit; edoceri nempè, fore, vt poſt annum fato & ipſe concederet. Biduò verò poſtquàm Tornus expiraſſet, cùm is ante cubitum animũ de more recognoſceret, ac ſimul cogitaret, Andream Auellinum, & Iacobum Tornum, eximiũ nempè hominum ſanctiſſimorũ par, paruo inter ſe ſe interuallo eadem in domo extinctos, correptus confeſtim horrore quodam inſolito eſt, ſenſitque ſubſilire cor, motu quidem, qui ad pietatem, amoremque deflecteret. Tùm, veluti grandi quodam in conclaui, quod multa vndique fax irradiaret, ſiſti ſibi viſus eſt, ibique Andream Auellinum, & Tornum cernere, auguſta vtrumque ſpecie, ac ſplendoribus circumfuſum, qui blandè intuentes, bene ipſi precarentur. Quo ille viſu mirum eſt, quantùm in vtrumque obſeruantiam adauxerit, ac ſe ſe incitauerit ad virtutem; cui dum vehementer inſiſteret, interceptus morbo, die Ianuarij tertia, anno poſt Iacobi mortem, vti ille prænunciauerat, ſpiritum depoſuit; ea nimirùm pietatis teſtificatione, qua vixerat, ac certa ſpe gloriæ, ac triumphi poſt multiplicem cum communi hoſte luctam.

Eodem hoc menſe in eadem Paulina domo exceſſit è viuis vir item pietate, ac vitę moribus religioſiſſimus, quem vberior quædam propè mortem virtutum lux apprimè commendauit: extinctus, videlicet, morientis in morem facis, ſplendidiore quadam charitatis flãma inardeſcens. Fuit is Ludouicus Antinorus, qui anno exacti ſecu-

Ludouicus Antinorus vita fungitur.

li octuageſimo ſeptimo Ordinem inijt, ætate quidem perſacerbus, ac intra adoleſcentiam; ſed cuius animo, concepta rerum diuinarum æſtimatione, religioſique inſtituti mente, acceſſiſſe quædam iam maturitas, videbatur. Natus quidem Neapoli, oriun-

Eius genus.

a Flamin Rub. Thomas Gelbo. Sanſon. Francif de Petr. Summonte. Vict. Ferdinād e Zezzar in fam. Michael. Campanil. de inſign nobil. Lellans. Blanc. in Venet.

Et ſtudia.

Eius prudétiæ committitur Iulia de Marco.

dus verò Florentia, vbi inter præcipua familiarum nomina Gens Antinora; eiuſque vetuſtatem, ac ſplendorem præter ſcriptorum monumenta, teſtantur luculenta inibi ædificia, & non vno in templo ſacella, ac nuncupata potiſſimùm ab Antinoris vicinia [a]. Inuecta Neapolim familia ante annos circiter ducentos fuit, lucemque retinuit ſuam alieno hoc cœlo, claris ſubindè cum Neapolitana nobilitate affinitatibus, ac diuitiarum copia. Poſt generis claritudinem, ſiuè ingenij, ſiuè virtutum decora ſpectes, quà eruditionis opinione, quà ſingulari probitate, ac religione cum paucis floruit Ludouicus. Et à ſtudijs quidem non mediocri in pretio apud Neapolitanos fuit: vt ipſum in grauiſſimis Chriſtiani officij momentis, ac conſcientię dubijs perſæpè conſulerent. Adhibitus etiam orthodoxæ fidei negotijs. Aderat nanque Neapoli vnà cum plerìſque eximiæ doctrinæ viris Conſultoris nomine, ac munere ſacræ Inquiſitionis Præfecto. Et quo primùm tempore portentum illud perfidiæ, ac ſimulationis, Iulia de Marco, in ſuſpicionem libatæ religionis venit, ac truſa in monaſterium fuit, conſuetudine, vſuque mortalium prorsùs interdicto; vt probaretur fœminæ ſpiritus, cōmendata Antinori ſolertiæ, ac rectioni fuit. Quæ quidem, vt erat incomparabilis fingendi artifex, ac magiſtra, ita illi ſanctitatis quandam ſpeciem conſtanti ſimulatione obiecit, vt quod intus lateret monſtrum, nunquam vel ex parte detexerit. Scilicet, nondum improbitatem conſumauerat ſuam ſolenne hoc fœminarum propudium, expectandumque tempus fuit, quo tanta reuelaretur hypocriſis. Quod factum posteà; noſtratium nempé opera, ac zelo, expiata à peſtilentiſſima ea lue Neapolitana Ciuitate, vt in loco exponemus. Iam, Ludouicus inculpatam, ac præclaram quandam vitæ rationem in Ordine perindè inſtituit, vt nullas in eo abſolutiſſimi Religioſi partes deſiderares: vtrique par vitæ, actuoſæ nimirùm, ac contemplatrici, quà proximorum procuratione, quà ſui cultu, ac mentis exercitatione.

Sanctiorem vitam cōcipit.

At enim incitatiſſimus quidam in eo ardor, exactæque perfectionis ſtudium viſum mirificè excitari, antequam diem obiret ſuum, circiter ſeſquiannum. Etenim, qui arcanis identidem ſtimulis propelli ad magna ſentiebat; tùm quidem admota lateri fax quædam ardentior fuit: vt decreuerit ſecum ipſe, curis quidem ſanctioribus, ac ſeuerioribus intendere in perſequenda virtute neruos. Firmando huic propoſito adhibitæ aliorum preces, nec quidem perfunctoriæ; vt, quód ſemel conceperat, & alacriter auſpicari contingeret, & conſtanti quadam ratione pergeret.

Interna quadam luce admonitus.

Igitur, noctù dum quieſceret, viſus ſibi repentè excitari, ſimulque incredibili quodam ardore animi ad Deum ferri. Ad hæc, affuſa menti lux, qua peccati, quantacumque ea eſt, deformitas, veluti velo quodam amoto, apparuit. Diuelli, ac diſtrahi ea rerum diuerſitate animus cœpit. Hinc erectus Dei contemplatione, deflagrare à diuinæ charitatis flāma: hinc obiecta culpæ turpitudine, vehementer conſternatus, intimè dolere. Et quidem, vicit horror, ac conſternatio, quam conſequuta mox eſt vberrima vis lachrymarum, veluti acriùs excruciaret, ac diſcerperet pectus cogitatio læſi Numinis. Qua quidem pulſante animū cura, ac diuino eo lumine circumfuſus, exilire lecto, ac ſtratus humi, adorare demiſſiùs Deum, eiuſque ſe ſe nutui, ac voluntati committere. Viſa hinc illi incomparabilis quædam animi generoſitas, ac vis mentis infundi; vt abierit planè in virum alterum, concepto, videlicet, implacabili in peccatum odio, adauctoque ſui contemptu, atque ipſo in primis diuinorum ſenſuúquorum æſtimatione, ac vſu nimium quantùm ſordere humana omnia cœperint: idque potiſſimùm curæ fuit, vt ſi quid à rerū humanarum attactu adhæſerat labis, abſtergeret accurata quadam litura, ac ſpongia.

Hinc humanorum contemptus,

Famam ſuam, atque hominum iudicia ita nihil penſi habere, vt dicere ſolitus eſſet, fore iam, vt nullum ſui dedecus formidaret; etiamſi iuberetur, nudus obire Ciuitatis compita, ac fora, publicus puerorum ludus, ac fabula. Conſanguineorum affectionem, quæ mollior, ac robuſtior quædam humanitatis propenſio, extirpaſſe funditùs, viſus eſt; eraſitque eorum ex animo memoriā, veluti nunquam nouerit. Quòd ſi obuiam ſe ſe aliquando dediſſent, vt declinare conſpectum nequiret; poſtquàm illos de morum cultu, de fine hominis, de cœleſti beatitudine monuiſſet, nihil præterea officij, aut humanitaris cognationi, ac naturæ indulgebat.

Porrò, pro odio, quod, inſpecta propiùs peccati turpitudine, concepiſſe in ipſum diximus, vindicare ſeipſum acerrimè inſtituit. Nam etſi, vti ipſemet affirmabat, nul-

nullius lethalis culpæ erat ſibi conſcius; nihilo tamen minùs vel leuiſſimas animi labes peracri pœnitentia mulctandas, atque abſtergendas, putabat. Hinc vrgete vehementer, ac diuexare omni afflictationum genere corpus.

Et in atterendo corpore rigor.

Tunicam ſibi comparauerat, laminis ferreis horridè ſubſutam, quam adpreſſam arctiùs membris, interdiù, noctùque geſtabat. Singulis noctibus ad ſanguinem, ac penè ad animi deliquium ſeſe diuerberabat inſolito quodam flagri genere, catenulis, ac plurima, eaque peracuta cuſpide conſerti. Somni parciſſimus, vt ternas non ampliùs hotas ſtramentitio in lectulo quieti daret. Ieiunium, atterendæ ſenſuum ferociæ ſummè idoneum cùm ſciret; mirum, quantis abſtinentię rigoribus genium fraudaret: & prandium quidem vix libare conſueuerat, plerumque incoenatus. Alia item excogitabat, exercebatque naturę edomandę, ac indoli, quę quò illi ardentior, ac robuſtior, eò ſibi incumbendum generoſiùs reputabat, vt incōmodis, pœniſque acerbioribus profligaret. Quod planè ſui odium cùm nimiū pleriſq. videretur, ceu cōmunis tolerantię, ipſiuſq. humanitatis lineā tranſiliret, reſpondere ſolitus erat: innocentibus quidē exercitationes illas corporis videri grauiores poſſe: at ſibi, cui à quotidianis noxis nunquā deerat ſui caſtigandi cauſa, ſeueriùs agendū; ac nonniſi per cruentū ſui corporis ſacrificiū propitiādam diuina bonitas erat. Id quod ſūma quadā animi demiſſione cū pronūtiaret, implorare aliorū etiā ſubſidia, ac preces cōſueuerat: ſeriò profeſſus, in propugnāda mentis arce, curandaque ſui ſalute, indigere vel maximè piorum ope, ac oratione. In qua ipſe prolixior, ac longè flagrantiſſimus.

Et diuinorum contemplatio,

Enimuerò, qui telum conficiendis inferis hoſtibus omnium potentiſſimum, preces eſſe, non ignorabat: tùm diuinę clementię exorandæ, expoliendæque virtuti opportuniſſimas, huic ſe ſe potiſſimùm cōmentandi ſtudio addixit. Et quamquam dici iure poterat, ſemper orare; vt qui affixā Deo mentem nunquam à ſupernarum aſpectu rerum remoueret, excitaretque ad attentionem animū, breues identidem orationes, veluti iacula, intorquendo: attamen ſolida quædam huic exercitio tempora ſeponebat, diuiſis inter diem, noctemque octonis omninò horis.

Quo habitu corporis ora. rei.

Orandi modus hic erat. Humi ſe ſe quantus quantus erat, proſternere, extenſis, veluti in terræ amplexum, brachijs. Hoc habitu in diuinis commentationibus immobilis diù perdurabat, ſuſpirijs interim, ac lachrymis ardentes animi ſenſus conteſtantibus. Cuiuſmodi orandi forma frequentiſſima in templo erat in ipſo noctis conticinio ante Deiparæ Virginis aram, à qua ſuffici ſibi quandam in precibus, ac contemplatione flammā ſentiebat. Eadem hac abiecti, ſtratique corporis ſpecie ante Redemptoris è cruce pendentis effigiem orabat, quoties ad excipiendas aliorum confeſſiones vocabatur. Grauiſſimū, ac plenum aleæ id muneris reputabat, quando de animarum rectione, ac ſalute agebatur. Quocirca nihil impenſiùs cauere, quàm ne quid peccaret ignauia, aut imprudentia; eòque ſua culpa immortales perirent animę, quæ tanti Deo conſtant. Abdicare hoc aurium officium cogitauerat.

Quo fructu aliorum cōfeſſiones exciperet.

Sed quę vrgebat Chriſti charitas, tùm aliorum adhortamenta pergere laborioſum opus, iuſſere: exercuitque ea contentione, zeloque, ac mortalium fructu, vt nullus ab Antinori diſciplina non perfectionis ſtudio flagraret, concepto ſupra communem modum diuinorum guſtu. Ipſe porrò dum ſedulam in aliorum progreſſionibus operā ponit, metuere ſibi vehementer cœpit. Etenim, qui aſperum omninò iter, vitamque ad omnē ſui macerationem inſtituerat, illa præſertim cogitatio vellicabat; quid ſi opes corporis aliquando ſuccumberent: atque adeò temperari feruorem illū, ac cœptam duritiem oportuiſſet? Nihil profectò moleſtius illi, quàm hic metus: eaque propter aliorum ſeſe orationibus impensè cōmendare, atque orare ipſe Deum conſueuerat, ne ſineret remitti ardor ille; aut certè permitteret mori, antequàm langueſceret mentis vigor, atq. in perſequenda ſeueriore virtute alacritas. Quod viſus mox impetraſſe, exutus breui mortalitate, cùm maximè ad omnē pietatē incitatiſſimus, atque in perfectionis curſū effuſus, ſpiritu ferueret.

Supremū diē præuidet,

Neque verò interceptus ex improuiſo morte dici portuit, qui præuidiſſe illā ſuperiore quodā lumine viſus eſt. Siquidem nullus ante aliquot menſes familiarior illi ſermo, quàm de inſtantis fati neceſſitate; idque eo ſenſu, veluti iam monitus, expectaret. Nullos itē terere libentiùs libros cœpit, quàm qui mortis memoriā excitarēt, atq. animos in ſuprema ea lucta facerent. Teſtati ijdēmet aſcetici libelli sūt, quos non alibi adnotatos poſt eius obitū reperere Patres, quā vbi de morte loquerētur.

Præterea cumulare ſui corporis pœnas, ac ſeipſum acriore vi diuexare inſtituit; quod feſtinaſſe diem vltimum, medici affirmarunt. Scilicet, breue id vitæ ſpatium, quod nouerat ſupereſſe, compenſare grauitate, ſeueritateque ſuppliciorum contendebat. Illa certior, atque apertior mortis enuntiatio. Orabat de more, vti ſignificatum eſt, prouecta iam nocte ad aram Virginis; nec longiùs quidã etiam è noſtratibus preces ſuas lucubrabat: qui cum rumuſculum, neſcio quem, è Mariano eo Sacello inaudire, ſibi videretur, explorare rem decreuit. Accedit, ac prouolutum humi virum, iactis in modum crucis manibus, intuetur. Sed cùm non adeo is tacitus adijſſet, quin agnoſceret Ludouicus, deprehenſum ſe, eo corporis habitu iacentem; ſurgit illico, ac rectà ad fratrem illum; quem ex animo complexus: Scito, inquit, fore, vt breui abeam ad pauciores. Reſponditque prædictioni euentus. Siquidem correptus mox peracerbo laterum dolore, intra biduum exceſſit. Quæ vero in ea temporis anguſtia ediderit exempla virtutum, haud quidem facile dictu eſt. Monitus extremæ iam vitę, veluti quid ſibi optatiſſimum nuntiaretur, viſus magnoperè exhilarari: erectiſque vnà cum alacri quadam mente ad cœlum manibus, habere Numini gratias, quòd tùm quidem ad ſe euocaret, quo maximè tempore cupiuiſſet. Tolerantiam in eo morbi genere eximiam probauit. Cruciabat nempè non modò peracuta doloris vehementia; ſed quædam etiam ab egeſtis ex ore retrimentis fœditas: quod ea quidem vultus amœnitate ferre videbatur, vt ſodalium omninò commiſerationem, ac officia excluderet. Adijt peramicè, qui tùm Infirmorum Miniſtris ſupremo iure præerat, Blaſius Opertis: eique ſpem faceret, fore, vt remiſſa morbi violentia, conualeſceret: mirabili ipſe vigore animi, ac ſpiritu, Pater, inquit, ſi hinc mihi vitæ, hinc mortis optio fieret, ingenuè fateor, me nullam fore in partem declinaturum: quippè qui totum me diuinæ voluntati permiſerim. Ad hæc, in anteactæ vitæ accuſatione totus fuit. Humilitatem præcipuè commendauit, teſtatus ex animo, indignum ſe eo Patrum conuictu, ac vſu fuiſſe. Hinc præteritorum veniam demiſsè precari: idque magnoperè dolere, quod exoſculari ſingulorum pedes minimè liceret. In ſupremis ſacris ſuſcipiendis mirum, quæ in eo pietas, atque in Deum charitas exarſerit. Æſtuare intimè diuini amoris incendium, ardor quidam vultus demonſtrabat. Inter hæc exercitamenta virtutum vitæ metam attigit: expirauitque die tertia decima Ianuarij quàm religioſiſſimè, ac ſingulari quadam oris, animique tranquillitate, quæ viſa ſequuturæ mox gloriæ indicium. Reperta pretioſa in cellula ſupplex: nempè imbuta multo ſanguine flagella, aliaq. peraſpera edomandi corporis inſtrumenta, quæ ille vſu detriuerat. Etſi pretioſius quid reliquit poſteritati; nempè vitæ documenta, ac tantarum virtutum famam, qua viſus non totus interijſſe Ludouicus. Cuius etiã memoriã præclarè inſtaurauit alter Ludouicus Antinorus, pronepos, qui longè poſt eius mortem nomen Sodalitati dedit in Sanctorum Apoſtolorum domo: Vir ab eruditione, atque à ſacræ potiſſimùm eloquentiæ fama percelebris. Poſcerent hæ iunioris Ludouici partes paulò vberiùs ſcriptis conſignari, ſed, quæ ſuperſtites monet, parcè dilaudandos, ſtylum cohibet modeſtia.

Et prædicit.

Virtus in extrema ægritudine.

Diem claudit inſigni pietate.

Ludouicus Antinorus iunior.

Obijcit ſe ſe alia non mediocris planè virtus, viri nempè, quà diſciplinæ regularis ſtudio, quà ſolida probitate, ac ſolertia conſpicui. Obijt nanq. eodem hoc anno Neapoli item in D. Pauli aſceterio Petrus Antonius Garganus, nobili loco Auerſanus, in quem viſa ea omnia conſpiraſſe, quę Religioſum virum non tenùs nomine, ſed reipſa conſtituunt. Quę in virtutum exercitatione prora, & puppis eſt, pietas, ſingularis in eo fuit; vt in rerum diuinarum curſu egregiè velificauerit. Contemplationis ſtudio addictiſſimus. Certa noſtri Inſtituti orandi tempora nunquam viſus prætermittere; quę cùm viro flagrantiſſimo minimè ſufficerent, alia ſibi opportuniora, ac longè prolixiora ſeponebat. Nocte ſiquidem intempeſta, remotis arbitris, vacuoque à domeſticis curis animo, concilianteque cũ primis attentionem ſilentio, adire templum, ibique diutiùs hærere ſolitus erat; vt non raro ſolidam noctẽ commentando trãſigeret. Hinc illi peculiare quoddam in rebus agendis, dignoſcendaque aliorum indole perſpicacia, ac lumen. Nempè cùm vſu rerum expoliatur maximè iudicium, ac prudentia, tùm ab oratione, frequentique cum Numine cõmercio quędam menti lux adſpergitur, qua obſcuriora, & quæ humanã plerũque ſolertiam fugiunt, patent. Et verò, qui præcipuas

Petrus Antonius Garganus è viuis excedit.

Eius precum ratio.

in

in Ordine præfecturas diutiùs adminiſtrauit, eo quidem genere prudentiæ vti,viſus eſt, vt hauſtum potiùs è cœlo lumen, quàm humanæ ſapientiæ,ac iudicij facultas,ſolertia illa videri poſſet. Inerat illi præterea,cũ rei cõmuni præerat,peracris quidam noſtrę diſciplinæ zelus; vt nullus non ſtatim agnoſceret, adeſſe vindicem, ſi vel minimũ exorbitaret. Cui quidem zelo, auctoritatique ingens quoddam à ſui diſciplina, exactaque obſeruantia momentũ, ac pondus accedebat. Et ſi hanc ipſam auctoritatem, rigoremque cenſuræ quadam etiã comitate ſubditorum moribus attemperabat: ita vt quę duo ſunt in Rectore neceſſaria, eaque rarò vna in ſede morantur, ſeueritatem, facilitatemque præclarè innecteret. Idem ipſe, quamuis à diuturna iſtiuſmodi munerum tractatione exiſtimationem, dignitatemque non mediocrem acquiſiuerit: attamen, poſito magiſtratu,nihil exactæ prouinciæ in fronte,ac ſupercilio retinebat;eluſcebatque potiſſimũ in eo humilitas, cũ in domeſticis obeundis, tùm in eximia erga Prępoſitum, etiamſi ætate ſibi, ac meritis imparem,reuerentia. Nihil ſiquidem eo inconſulto, ac inſcio, dare, accipere, aggredi videbatur. Illud extra præfecturam apprimè retinuit: nẽpè, vbi res poſceret, ſecuritatẽ,libertatẽq. dicendi. Nunquã enim adeò in eo metus,aut reuerentia valuit, vt quæ ſentiret, non ſingulari quadam conſtantia, atque integritate cũ in priuatis, tùm in publicis conſultationibus pronuntiaret. At enim non diſſimulanda in eo virtus, quæ cùm propria noſtri Inſtituti ſit,viſa,in eo mirificè eminere. Ea fuit ſpes,ac fiducia in Deum, eiuſque prouidentiam, qua perindè niti, videbatur,ac ſi nullum præterea ab humana munificentia præſidium, ac opem ſibi polliceretur. Enimuerò quo tempore Præpoſitum agebat, ſine pecunia, ſine cenſu ea quidem liberalitate fratrum indigentias curabat, veluti prouentus è latifundiis ampliſſimi exiſterent. Neque commodis duntaxat familiæ, & quæ ad rationem victus ſpectant, proſpicere: verùm etiam ſubſtructiones aggredi ſumptuoſas: eccleſias præcipuè ad omnem elegantiam, quà picturis, quà auro exornare, hac ſola in Deũ ſpe non dubitabat. Et reſpondebat egregiæ viri generoſitati generoſiore quidem prouidentia Deus, eratq.cum liberali liberalis: vt nulli planè copioſiùs erogarentur eleemoſynę, quàm Gargano, qui in accuranda re domeſtica, atque eccleſiaſtica admirabili hac animi amplitudine nulli parcebat ſumptui. Scilicet, vti aliàs adnotaſſe me,memini, ac nos experimur in dies; attemperat ſe ſe noſtræ capacitati Deus. Si à puſillanimitate ſinum,ac pectus contrahas, modica implet. Quòd ſi fiducia laxes, adeſt vberiore affluxu; ac veluti à noſtra ſpe creſcunt in eo opes; atque erogandi ſtudium. Fuere & alia in Gargano virtutum præſidia, quibus in ſuprema valetudine, ac vita honeſtari inſigni quodam fauore Numinis meruit. Siquidem dum extremũ Chriſti Corporis Viaticum ſumeret,aperuit ſe ſe illi tota ea Diuinitatis ſcena; ac remoto veluti ſipario, præclara quadam ſpecie, ac luce ſpectandum ſe præbuit Numen. Id quod paulo poſt teſtatus eſt ipſemet. Beneficii nanque magnitudine occupatus, cõtinere illud intra ſui conſcientiam minimè potuit; ſed conuenientibus eò Patribus: ecquod,inquit,lumen,ſplendoremque attuliſtis? aliàs intra velum Deum ſumpſi: nunc verò diuina circumfuſus luce,ac maieſtate ſe mihi prębuit. Quę cũ incredibili ſenſu pronuntiaret,extra ſe rapi,quodammodò videbatur: quoad inter flagrantiſſimos animi affectus,diuinęq. charitatis argumenta animam efflauit Octobri menſe, æuo, ac meritis maturior.

Et regularis diſciplinę zelus.

Et humilitas.

Et in Deum fiducia.

Dignatur inſigni fauore Numinis ſub vitę finem.

Inſequutus poſt paulò Garganum, hoc eſt, die vigeſima octaua Nouembris in eodẽ domicilio Laurentius Scupulus, Hydruntinus,honeſto loco natus, qui ante annos circiter quadraginta receptus in Ordinem fuerat ab Andrea Auellino. Is ab inſigni expoliendæ alienæ pietatis peritia, ac diuinorum ſtudio egregiam ſibi conciliauerat opinionem, ac nomen. Sed dum ſecundè velificat, naufragium facit exiſtimatio. Nempè familiare eſt ſapientiſſimo Numini, caſus permittere,vt mortales erudiat, in lubrico rem eſſe, quoad viuimus. Interdùm verò & immunes etiam à culpa mulctat, vt probet. Tritum nanque illud: niſi aduerſis virilem indolem,ac virtutem minimè expoliri; idque eſſe ſtirpium genus robuſtiſſimum, quod venti maximè verberant, aſperantque. Igitur,qui alios in palæſtra virtutum exercebat, docebatque humanę tolerantiæ laudes; exemplo agere, ſuamque viciſſim periclitari patientiam, contigit. Enimuerò quę eſt ſanctioris diſciplinę ratio, vt non modò crimen, verùm

Laurentius Scupulus moritur.

etiam

etiam criminis ſpeciem vindicet, cùm in grauioris cuiuſdam culpæ ſuſpicionem veniſſet Scupulus, ſtatui de ipſo ſeueriùs oportuit: irrogatumque non leue quidem ſupplicium; vt lueret, aut noxam, ſi admiſiſſet; aut imprudentiam, quòd noxæ ſuſpicionem creaſſet: & ſimul moneret reliquos cenſura; caueretque aliorum valetudini propinatum vni pharmacum. Et verò, tulit ipſe incredibili tolerantia diutiùs pœnam: qua poſtea defunctus, quantum inde virtutum omniũ, humilitatis præſertim fructus extiterit, eximio quodam tenore diſciplinę luculenter commonſtrauit. Etenim incredibilis exindè ſolitudinis amor, ac ſtudium ſui. Humilitati exercendæ non communi cœteris Clericis capitis integumento, ſed quod laici ordinis fratres geſtant, vti voluit; nec niſi triennio antequàm è viuis excederet, exorari paſſus eſt, vt eiuſmodi capitis tegmen mutaret. Ad hæc, domeſtica obire munia, & quæ maximè laborioſa, ac vilia, nempè fullonicam, panificium, ſcopas: aderatque ſubſidiaria manu, ac ope Laicis. Paupertas in ſui cultu planè ingens: lectulus, ſcabellum, vulgaris in cella effigies, pręterea nihil. Contemplationi apprimè addictus: concepto ab ea mentis exercitatione mirifico rerum diuinarum ſenſu, quem & alijs, perquàm aptè inſtillare ſolitus erat. Plurimùm ſiquidem, vti paulò ante innuimus, in erudiendis mortalibus, tractandiſque animis valebat; inſtructus peculiari quadam arte, ac vi facundiæ, qua mores inſtituere, ſpiritum formare, amorem virtuti conciliare, adhortari, conſolari, fructu quidem incredibili, videbatur. In hac verò diuinorum eruditione, ac vſu quantùm eſſet verſatus, libellus ille aſceticus, cui titulus, Pugna Spiritualis, luculenter oſtendit. A Scupuli calamo, & vigilijs aurea illa lucubratio: Sed qui minùs ſimæ, humilitati multũ ſtudebat, ſupprimi auctoris nomen voluit, quod poſtea appoſitum; maiorum nempè iuſſu, qui commendatum paſſim fœtum illum egregiæ mentis, quòd incerto patre vagaretur, adoptari ab exteris, haud æquo animo tulere; iuſſeruntque inſcribi ſuo nomine. Libelli pretium abundè conſtat ab eius inter viros doctos, ac pios fama. Recudi ſæpiùs oportuit; &, vt non vni populo, ac genti prodeſſet; in alia, atque alia ſubindè idiomata transferri. Enimuerò ex Italico Anglus, mox Germanus, tũ Gallus; demũ à Iodoco Lorichio, viro in Friburgenſi Briſgoiæ Academia Theologiæ profeſſore, ac ſcriptis voluminibus percelebri, latinitate donatus. Qui quidem, affixa ad Nigræ Syluæ Abbatem epiſtola, nimiũ quantùm præclari operis dignitatem, vtilitatemque in ea laudet: conſignatque egregium planè teſtimonium ijs omninò verbis. [In tractatu hoc perbreui ordinatiſſimè, ac perſpicaciſſimè complexus auctor eſt omnia, ad ſpiritualis vitę optimam perfectionem parandam neceſſaria, quæ alij multis, ac magnis libris vix aſſequuti ſunt.] Tùm rationem docet, modumque legendi accuratè, & cum fructu librum, quem pretioſum optimarũ gemmatum theſaurum, & digniſſimum ſpiritualium pharmacorũ myropoliũ vocat. Inſigne hoc quidem Iodoci teſtimonium: cui alterum hìc addam à viro ſanctimoniæ fama longè per Galliam celebratiſſimo, nempè Franciſco Sales, Epiſcopo Geneuenſi, qui non probare vtcumq. libellum videri voluit; verùm etiam & ſuas appellare delicias, & alijs inculcare etiam, atque etiam, vt perlegerent, ſolitus erat. Quas illi laudes pijſſimus hic Antiſtites in ſuis epiſtolis tribuit, fuit, qui accuratè collegerit; &, vt à tanti viri iudicio, ac calamo accederet pondus, ac pretium, in ipſo eius opuſculi veſtibulo, in ea videlicet, quæ ex tot Gallicis verſionibus, atque editionibus fuit vltima, affixas voluit. Illas hic libaſſe ad lectoris guſtum non abs re, puto, fuerit. Igitur libro ſecundo epiſtola quarta, & trigeſima ad matronam quandam de piorum codicũ lectione ſcribens Sales; vbi libellos quoſdam perdifficiles, ac ſuamet caligine obuolutos pronuntiaſſet; Lege, inquit, ac relege Pugnam Spiritualem. Hic tibi perfamiliaris, ac cariſſimus liber eſto. Perſpicuus valde is eſt, totuſq. induci in morem poteſt. Epiſtola verò trigeſima nona alteram item nobilem fœminam ad virtutem dum inſtituit: Relege, inquit, Spiritualem Pugnam, cuius dum attentè perpendes documenta, nihil profectò eius erit ſtudio fructuoſius. Viduam libro quarto Epiſtola octuageſima dum ad cordis ſimplicitatem hortatur, monetque, ne tàm impensè à tentationibus liberari poſtulet: Filia, inquit, percurre caput vigeſimum octauum Pugnæ ſpiritualis. Hic mihi liber maximè ad cor, quem decem & octo annos mecum ſemper habeo; ac nunquam ſine fructu legi. Alteram itidem prænobilem viduam epiſtola ſeptuageſima

ma

Suſpicionem eluit graui ſupplicio.

Eximius inde virtutum prouentus.

Libelli, cui titulus, Pugna Spiritualis auctor Scupulus.

Eius pretium.

Iodoci de eo teſtimonium

Fr. Franciſci Sales.

A quo in libellum laudes enumerantur.

ma libri quinti ad tolerantiã in peracerba filii morte hortatur in ea verba: Perneceſſearium, ſemel in hebdomada in id potiſſimùm incumbere, vt Dei voluntatem velis. ac ames, non modò generoſiùs, ſed, vt quid maius dicam, molliùs etiã, quàm humana ſimul omnia; idque non in rebus tantùm leuioribus, ſed in perarduis etiam, & quæ natura vix ferat; vt in libro, quem tibi ſæpiùs commendaui, de Sprituali Pugna cognoſces. Sublimis quidem, filia, hic liber: ſed ſublimis etiam Deus, & ſublimis, ad quem tendimus, finis. Hæc Sales, aliaque, quibus ſuperſedeo, in ſuis epiſtolis. In libro autem, cui titulus. De ſpiritu venerabilis Franciſci Sales, hæc habes a Liber de imitatione Ieſu Chriſti verè aureus eſt, ac maior laude: Sed non is erat, quem legendum maximè propinaret Sales; ſed Pugnam ſpiritualem, quæ illi ſemper in manibus: &, vt ipſemet retulit, ac ſcripſit, annos duo de viginti, & eò ampliùs ſemper ſecum geſtauerat, vt ne diem quidem dilabi permiſerit, quin caput ex ea aliquod, aut paginam legeret. Et ſi quis attentè rem expenderit; cognoſcet, ſanctiſſimi huiuſce viri ſpiritum ſab eo libro extitiſſe. b Alibi hic idem auctor: Tres, inquit, præſtantiſſimo Antiſtiti in pretio libelli erant. Sed ante omnes Pugna ſpiritualis, quam probare clientibus vel maximè conabatur. Et alibi. Interrogatus Sales: quis eius ſpiritus moderator fuiſſet? Pugnam ſpiritualem, qua nunquam exarmatus, oſtendens: Ecce tibi inquit, meus ab adoleſcantia rector, ac ſpiritus magiſter. Patauii cùm agerem, quidam ex Clericis Regularibus, vt legerem, monuit: ſucceſſitque planè cum fructu monitum. Semel accidit, vt quidam librum de imitatione Chriſti ſummè dilaudaret, ac præferret longè Pugnæ ſpirituali. Ad hæc Sales; vtrumque, inquit, libellum viri duo, diuino quodam ſpiritu afflati videntur mihi, compoſuiſſe. Diuerſa ijs ab argumenti genere forma; ita tamen, vt de vtroque dici verè poſſit; Nõ eſt inuentus ſimilis illi. Excedunt ſe ſa mutuò; & in Pugna quidem ſpirituali ordo, & dicendi ratio, quæ materiam prorsùs exhaurit, magis commendatur. Ad extremum inſigni ea ſententia litem diremit. Ad vitæ ſpiritualis progreſſiones debere alterum legi, alterum non omitti. Sed commendandæ frugiferæ adeò ſcriptioni, eiuſque auctori, hactenùs hæc à Viro religioſiſſimo. & cui ab vſu virtutum eximia inerat diuinorum peritia. Quòd ſi imago quædam animi cuiuſque ſcriptio eſt, libeat ab ſpirituali hac Pugna virum laudatiſſimum, victoremque ſui Scupulum, veluti de vultu agnoſcere; ac ſtatuere, non potuiſſe, niſi optimè, atque ad interioris hominis regulam viuere, qui optimè de interiori homine ſcripſit.

Comparatur Pugna ſpiritualis cum libro de imitatione Chriſti.

a Part.3.ſect. 12.

b Part. 7. 7.

c Par.4.ſect. 6.

Contigit & in eadem Paulina domo Iuſtini Barnabæ, viri integerrimi mors, non quidem hoc anno, ſed conſequenti ineunte, die Februarii decima octaua. Sed recenſendam nunc ducimus, continuatis, videlicet, in eo domicilio exequiis. Planè nihil moleſtiùs Patribus, nihil Paulinæ rei inauſpicatius, quàm tanti viri iactura. Inerat illi, vti aliàs ſignificatum eſt, moderandis aliorum conſcientiis, fingendiſque moribus peculiaris quædam facultas. Loqui cum Barnaba, accendi ſtatim erat ad virtutis, ac diuinorum guſtum. Et cùm in aliis Italiæ Ciuitatibus; tùm maxime Neapoli, vbi commorari diutiùs contigit, eam ſui opinionem concitauit, vt è præcipua nobilitate primę notæ viri eius ſa ſe diſciplinæ permiſerint. Sodalitium in D. Pauli domo, cui à Chriſto in cruce ſuffixo nomen, incredibile dictu eſt. quo ſplendore, ac frequentia capitum, quo item fructu, ac commutatione animorum, eo Rectore, celebraretur. Meminimus ab eo cœtu in miſerabilium perſonarum commodum charitatis opera. A Barnabæ conſilio, ac nutu hæc; cui id primum, reuocare ad frugem mores, ac cœleſtium deſiderium ingenerare mortalibus: tùm externam pietatem, opemque à potentioribus in paupertatis, ac miſatiarum ſinum deriuare. Conciliabat hanc porrò ſibi communem omnium exiſtimationem non modò ea, quam dixi, tractandorum pectorũ ſcientia, ac flexanima vi dictionis, ſed ſolidæ etiam virtutis perſuaſione; cui reſpondere conſenſu quodam externus etiam habitus, ac ſpecies, videbatur: ita vt intueri illum æquè eſſet, ac modeſtiæ, grauitatis, ac ſanctimoniæ exemplar inſpicere. Ad hęc, percata illi virtus, & cui ſtudere maximè videretur, humilitas,

Iuſtini Barnabæ peracerbũ noſtris fatum.

qua

qua omnem honoris ſpeciem; omnemq. cùm domi, tùm foris præfecturam omni ope detrectabat. Et quod ad Religionis munera attinet, ne cogi aliquando ad ea capeſſenda poſſet, ius ferendi ſuffragium, ſcriptis ad Generale Capitulum literis, abdicauit.

Præfecturas deprecatur.

Legere profectò eſt in ea epiſtola, veluti in commentario, excellentem viri indolem, præcipuè humilitatem, qua ſibi, ſuæque tranquillitati ab ſpecioſis Ordinis officiis cauet. Vitam ab omni religioſi inſtituti parte laudatiſſimam clauſit præclaro fine: occurritque ſuo funeri inſigni fortitudine, atque ea quidem pietate, qua mori eximiè probi, ac religioſi viri ſolent.

Vincentius Pagellus Vicentiæ moritur.

Redeo nunc ad ſuperiorē annū, vocatq. Vicentia, contēplandæ abſolutiſſimæ tem virtuti Vincentii Pagelli, qui menſe Martio abiit ad pauciores. Nobili is loco natus, cultu animi nobilior fuit. Poſt emenſa Patauii, vti alias dixi, Cæſarei iuris ſpatia, vocatus ad ſanctiorem Academiā, adoptari in noſtrū Ordinem in eadē Patauina Ciuitate poſtulauit; exceptuſq. eſt in ſpem non vulgaris diſciplinæ: quippè qui ſpecimen eximiæ cuiuſdam probitatis daret, factuſq. ad religioſum inſtitutum videretur. Adauxit verò opinionem ſingulare in ipſo tyrocinio diuinorū, ac regularis obſeruantiæ ſtudium, quo tā inſignes progreſſus habuit, vt inſtituendis poſtea aliorū moribus, formādiſq. tyronibus nullus fuerit Pagello aptior.

Formandis tyronibus peridoneus.

Atq. in hoc quidē magiſterio quantū valeret, conſcriptæ ab eo de formanda tyronum indole, ac pietate, atque iſtiuſmodi aſcetici argumenti lucubrationes demonſtrant. In iis autem nihil præcipi, aut cōmendari aliis voluit, quod non ipſe moribus, ac ſui cultu exprimeret: vt diceres, exemplar quoddam, ideamq. ſcriptionis fuiſſe auctoris ipſius in omni genere virtutum exercitationem. Præcipuus in eo erat quidam externi habitus cum interna animi pietate concentus. Oris modeſtia, geſtus, inceſſus grauitas ſtatim oſtendebāt, quæ eſſet in adyto ſanctitas. In id maximè incūbebat, vt, & ſe Deo, & Deū ſibi pręſentem aſſiduò cogitaret. Quo quidem exercitio nihil ad intimæ, extimæq. virtutis poſſeſſionem, atque incrementum efficacius. Humilitatem, quæ ſpiritualis ædificii eſt fūdus, & alūnis ſuis disertè deprædicabat, & colebat ipſe impenſiùs.

Eius humilitas.

Indumenta, quæ vetuſtiora, ſibi depoſcebat; vehemēter mirari ſolitus, quòd qui religioſam diſciplinā profitentur nouas, quàm laceras, detritaſq. veſtes mallent. Nullam pręterea abiiciendi ſeſe occaſionem prętermittere: priuatim, publicè ſui contemptū prouocare: noxas in cōmuni cœnatione, aut in odèo fateri, familiare illi erat: dicebatq. in eo actu, non quidem cum ſuperbiæ, ſed cū inanis glorię ſtudio ſibi colluctandum. Conjuncta cum hac ſui deiectione charitas, qua omniū ſe ſe indoli accomodare, ac fieri omnia omnibus videbatur: tū conſolari, fouere, præſto eſſe.

Et charitas.

Si honeſta aliorum vota ex animi ſententia fluere, eorumque opes cū animi, tùm fortunæ excreſcere, inaudiuiſſet, quę eſt charitatis indoles, gratulari vehementer. Contrà, infortuniis, ærumniſq. illacrymari, ac tū priuata, tū publica hominum incommoda intimè dolere. Ab hac item charitate nihil illi accidere moleſtius poterat, quā aliorū factis vel minimū detrahi. Si quid in proximorū famā peccare licentiam, ac linguā ſe corā contigiſſet; aut illicò abſcedere, aut cœptū ſermonem cōmutare mira quadā dexteritate conabatur. Nēpè charitas, quæ nūquā nō inſigniter ſolets, inſtituta frugifera quadā collocutione, colloquentes ipſos pulchrè fallebat. Et inerat quidem Pagello conſtans quædam conſuetudo, vt in cōmuni animorū remiſſione nonniſi quæ iucūda, atq. vtilia viderentur, in mediū afferret; ferebatque nunquā ſine aliorum voluptate, ac fructu ſermones; quos non modò Sanctorū Patrum ſententiis, quæ in prōptu erant; verū vt eorum, qui aderant, aures, animoſq. arrigeret, profana etiam eruditione exornare ſolitus erat: eorum nempè auctorum dictis, qui ad morum cenſuram, ac documentum ſcripſere, Senecæ, Epicteti, aliorumque eiuſmodi frugis philoſophorum. Quæ non vltimū ſibi locū in eo virtus vendicabat, patientia in aduerſis fuit, cuius exercendæ nō vna illi, nec mediocris quidem occaſio.

Et in aduerſis patientia.

Quo tēpore interdici ſacris Venetorum Ditioni, contigit, probare eximiam tolerantiam Pagellum oportuit. Bergomi ſiquidem variis incommodis exagitatus, ſenium, valetudinem, minas, ſqualoremque teterrimæ cuſtodiæ vicit inſigni conſtantia. Morbi pręſertim,

qui-

quibus tùm quidem acertimè conflictabatur, viſi ab animi alacritate, qua calamitatem ferebat, nonnihil remitti: ac tantùm abeſt, vt temporum acerbitati cederet, langueretque animus, vt vigorem etiam adderet, ac robur corpori. Aſſueuerat nempè diutiùs virili, robuſtæque huic virtuti pectus. Secum nanque palæſtrã circumferebat, in qua ſtrenuè luctabatur, multiplices videlicet languores, in quibus curandis, frangendiſque non accuratam, ac molliorem victus rationem, non quæſita remedia adhibere: medicamentum id vnum illi ſaluberrimũ, ac præſens, ſuſtinere. Et veluti vulgare eſſet patientiæ documentũ, delicias proſcribere, licita etiam reſpuebat: & cibis quidem, qui ſenſum, guſtumque affictarent, interdum pridianis, incoctiſque in tertium etiam diem, vtebatur. Ab aſſidua hac morborum impreſſione animus illi, vti ſignificaui, fortior. Sed ſatiſcere demum corpus oportuit: ſtratuſque ſuprema valetudine, obijt Vicentiæ quàm piiſſimè. Mors illi adrepit quieti, ac ſomno non abſimilis. Scilicet, qui ad eius memoriam horrere vehementer ſolitus fuit, hoc illi viſus indulgere potiſſimùm Deus, vt compoſitus ad quendam veluti ſoporem, citra omnem metum, horroremque tranquilliſſimè expiraret. Quod genus mortis inuidendum. Nam, vt inquit [a] ille, optanda mors eſt, ſine metu mortis mori.

Precipuè in morbis tolerandis.

Ex quibus moritur tranquilliſſimè.

a Senec. in Troad. act. 4.

Libet nunc extra noſtram Sodalitatem, etſi non extra noſtrarum hiſtoriarum ſepta morari paulìſper ſtylo. Obijcit ſe ſe nanque principis, ac longè religioſiſſimæ fœminæ virtus denarranda, quæ inſigni primùm ſtudio, ac regia quadam munificentia noſtrum Ordinem demeruit; ac poſtea, cum rebus humanis remittere nuntium decreuiſſet, illi ſeſe Monialium Collegio Neapoli mancipauit, quod noſtri homines in ſpiritu temperant. Quocirca poſcere inſtitutum, ac prolixa eius in nos merita videntur, vt perennet in noſtris annalibus eius memoria. Fuit hæc Conſtantia Piccolominea Aragonia, Amalphis Duciſſa, quę hoc anno ſpiritum depoſuit in Mariano Sapientiæ Monaſterio, vbi faſtum olim omnem, opeſque exuerat, digna quidem ampliſſima fortuna, quam Chriſti obſequio, ac religioſo famulatu adeò nobilitanit. De eius pietate, religione, munificentia, antequàm votorum ſacramentum conciperet, diximus, cum Romanũ Diui Andreæ cœnobium, quod ipſa noſtro Ordini fundauit, expoſuimus. Recenſenda nunc eſt potior eius vitæ pars, quam inter ſacrarum Deo virginum clauſtra tranſegit, inſtituti obſeruantia, paupertatis cultu, contemptuque mortalium incredibili. Igitur magnitudinem, quam genere, opibus, titulis metimur, aſſequuta ad inuidiam Conſtantia fuerat; vt naſcentem, in ipſiuſmet felicitatis ſinu exceptam dixeris. Hanc verò magnæ domus fortunam longè ſplendidiſſimam coniugium corrupit: admiſſo in thalamum viro, eiuſdem quidem ſtirpis, ſed non indolis. Quod viſus diuino quodam conſilio Deus effeciſſe; vt quem ſibi, ſuoque obſequio delegerat, præfracta illa coniugis indole moneretur, eſſe ſponſum alium, diuinitate prænobilem, quem adoptaret. Quocirca diuturno quidem periculo, vſuque cùm mariti mores, à ſuis omninò abſonos, ac longè difficiliores, quàm vt vnanimis vitæ ratio poſceret, cognouiſſet, receptui canere decreuit: &, vt promptior eſſet noſtratum opera, quibus ſe, ſuaque omnia permiſerat, Diuæ Mariæ à Sapientia aſceterium delegit, quod ſciuerat Neapoli obſeruantiſſimum, Theatiniſque vigilijs cõmendatum. Neque verò, vt honeſtæ cuidam tranquillitati conſuleret, monaſterium ingreſſa Conſtantia eſt; ſed quæ, concepto iam diù diuinorum amore, mundi cõmoda, voluptatem, ac ſplendorem omnẽ faſtidierat, ita ſeculo cedere ſtatuit, vt exuta Principe, opibuſque omnibus abrenunciatis, perſonam omninò aliam indueret. Inſudandum diùſuit, vt religioſi habitus, votique compos fieret, viro adhuc ſuperſtite. Nullum non lapidem mouere: non precibus, non officijs parcere, vt annueret Pontifex. Inter ſanctimoniales ſanctiſſimè interim, ac veluti vna eſſet ex earum numero, agebat: attamen, quoad habitu, ac germanitate cum ijs coniungi, ac Deo Sponſo nuncupare vota, contingeret, peracti quodam ſupplicio, ac ſolicitudine diuexari ſibi videbatur: Eaque conſtantia petere inſtitit; vt quod impetrare à Sixto Pontifice Quinto minimè potuit, euicerit à Clemente, eius nominis Octauo, à quo illud etiam obtinuit, vt quæ iam decennium, & eo ampliùs ad monaſterij regulam vixerat, veluti poſito iam tyrocinio, ſimul habitum indueret, ſimul profeſſionem ſolenni ritu emitteret. Et verò nulla vnquam affulſiſſe illi lętior dies videri potuit, quàm quæ deſtinata coe-

Cõſtantia Piccolominea morte obit in monaſterio Sapientiæ.

Ab infelici cõnubio.

Conſiliũ ineũ de Religionis coeptum.

Quod, ſuperſtite adhuc viro, impetrat.

leſti connubio, ac publicis votis fuit; quibus incredibili quodam ſtudio, cultuque animi; tùm receſſu, contemplatione, ieiunijs ſe ſe comparauit: tantaque ſubinde alacritate patrimonium, titulos, externâque ſcenam abiecit, veluti hoc demum eſſet regnare, ac lautiſſimis opibus frui; nempè religioſæ paupertatis poſſeſſionem adire, ac vilibus ſe ſe cœnobij miniſterijs mancipare. A votis nulla ampliùs Mariæ Conſtantię, ſic enim poſtea audiuit, cum mundo commercia fuere; nulla cum conſanguineis, ac familiaribus conſuetudo, ac vſus: proſcriptæ exterorum conſalutationes, colloquia, officia: vt tota eſſet in Dei obſequio, vitæque ſanctimonia, quam ſibi propoſuit. Planè illuſtrem adeò fœminam ſplendidiſſimè, ac delicatiſſimè educatam, auſterum oppidò inſtitutum iniuiſſe, magnū quidem videri potuit; illud verò longè maius, & quod ſolidam in ea virtutem, mundique, ac ſui contemptum ſupra cōmunem modū probat; quòd ita Religioni dare nomen cogitauerit, vt aggregari ad Laicas ſorores peruellet. Extant eius ad Vincentiū Maſſum, virū ex noſtris prudentiſſimum, cuius opera in formando ſpiritu Romæ vtebatur, ea ſuper re literæ, quibus cùm regularis diſciplinæ votum, tùm infimi Laicarū ordinis capeſſendi conſilium exponit. Et probauit quidem Maſſus egregij ſpiritus impetum, gratulatus magnoperè, in id illam ardoris, ac modeſtiæ euaſiſſe. Attamen, quòd inſolens hoc eſſet, nec firmæ adeò vires prænobili fœminæ, vt quotidianis laboribus, ac miniſterijs, quæ obire Laicæ ſolent, par eſſet, in eam ſententiam reſpondit: Pergeret quidem cōmutandi habitus, ac Religionis ineundæ propoſitū: quod verò adſcribi ad ſorores Laicas cuperet, id eſſe ſupra ſui corporis imbecillitatem, atque habitudinem. Sumendam nempè ęquā humeris ſarcinam, atque æſtimandæ non quidem ardore animi, ſed prudentia vires; ne dum, inexplorata corporis facultate, ardua perſequimur, tùm demū conſilij pœniteat, cùm mutare non eſt integrum. Hæc ille; cuius ſententiæ ita acquieuit Piccolominea, vt quamquam præclaram, quam conceperat, mentē exequutioni minimè mandauit, laudem tamen operis promeruerit. Enimuerò ornatiſſimam Heroinam, hinc ſummorū Pontificum conſanguinitate, hinc regij ſanguinis amplitudine inclytam à ſumma fortuna ad infimū ſe ſe gradum, ac ſtatum demittere voluiſſe, neſcio, an edi præſtantius humilitatis documentum potuerit.

Aggregari ad Laicas conſilium fuerat.

Quod Vincētius Maſſus improbauit.

Et ſanè hæc illi præcipua virtus, humilitas. Quicquid adnaſci conditioni, ac generi ſolet, ita abraſit, vt nihil vnquam in ea præteriti ſplendoris, ac ſtatus apparuerit. Id illi potiſſimū ſtudium, abijcere ſe ſe, ac cunctis ſubdere. Honorem, ſi haberetur, omni ope deprecari. Haberi eius valetudinis rationem aliquando oportebat, certabantque officijs ſorores: verùm quòd ſibi viderentur, ita neceſſitati, affectoque corpori conſulere, vt nonnihil etiam exiſtimationi, honorique darent, mirū, quo ſpiritu, vigoreque animi obſequia reſpueret. Semel communicaturæ Chriſti Corpori moniales, ad ſacram Synaxim vnà ſimul conuenerant. Accidit verò, vt, aperta confeſſarius pyxide, nullas ibi particulas repererit, præter vnam: monitæque moniales cœleſtem dapem vni ſufficere, in eam omnes iuere ſententiam, vt Mariæ Conſtantię cederet. Quod illa muſſari via ſenſit, cùm, facto impetu, relictis etiam ſoleis, vt citiùs fugeret, ſe ſe indè proripuit: indignata vehementer cæteris anteferri, quæ ſe poſtremā omniū reputabat. Id enim vſurpare frequenter ſolita erat, non eam eſſe ſe, vt cōparari cęteris in eo contubernio poſſet; quando ipſa diutiùs ſeculo hæſerit, ac mortali ſponſo nuptam, non eo condecorari puritatis flore contingeret, qui reliquas virgines cohoneſtaret. Fuga hæc porrò à myſtica cœna eò laudabilior in ea fuit, quòd ſingulari in illam ſtudio, ac propenſione ferebatur: quippè cui nihil iucundius, quàm aut diuinā Euchariſtiam ſumere, aut preces ad illam prolixiùs fundere. Scilicet, tanto affectui, ac voluptati viſa propendere humilitas; vt dici profectò poſſit, ad ſupremā demiſſionis lineam deueniſſe illam, cui potior ſui deſpicatus, quàm Deo veſci. Id quod reſtatus non ſemel eſt confeſſarius, qui cùm intimè noſceret Mariam Conſtantiā, eiuſque ſenſus omnes, ac impetus, affirmare non dubitabat, ad ſummū illam humilitatis gradum perueniſſe: cui etiam cauit, impetrato à Clemente Pontifice diplomate, quo immunē ſe, exemptamque à præfecturis voluit; gnara nullum ſui deiectioni præſentius periculū creari, quàm dignitatem, honoremque à magiſtratibus. Eximiam hanc porrò in ea virtutem paupertatis apprimè ſtudium cōmendauit. Enimuerò ita ampliſſi-

Inſignis in ea humilitas.

Eiuſque præclarum ſpecimen.

Ne alijs præficeretur, Pōtificio diplomate cauit.

pliſſimos opes abdicauit, iuuitque lautiſſimo quidem cenſu monaſteriū, vt nihil proprio vſui reſeruarit. Et quod ad ſui cultum attinet, frugaliſſima omninò erat, vt neceſſitati vix conſuleret. Veſtem malè ſartam, ac nunquam nouam voluit: cætera ſuppellex non modò modica, ſed vilis, & abiectior; idque illi cum primis moleſtiſſimum, cogi interdum Antiſtitæ imperio, vt ſui rationem haberet. Addicta ſiquidem impensè paupertati, non cōmōdum, quod cœnobio attulerat, non Sodalium exēpla, honeſtamque victus, veſtituſque rationem æſtimabat; ſed quam ex animo vouerat inopiam, ad cuius amuſſim ſua omnia conformabat.

In regulari obſeruantia conſtantia.

Et in rerum diuinarū contemplatione.

Huic verò ſui cōmodi, rerumque omnium humanatū contemptui cætera etiam monaſterij diſciplina reſpondebat. Aliquid cōmunis obſeruantiæ, ac officij prętermiſiſſe Mariam Conſtantiam, portenti loco videri poterat: & nonniſi cùm diſtineri morbo contingeret, laboribus temperabat; nec ſanè peracri quodam morſu inuidiæ in lucubrantes Sodalos. Odēum inſigni quadam religione frequentabat; iſque eiuserat oris habitus, dum caneret, vt intuentes mirificè afficeret; veluti cernerent, quendam è cœleſti choro angelum pſallere. Nempè quæ mores ſimul, & ingeniū excoluerat, ſciebatque latinè, id enixè curabat, vt quæ recitaret, attentiſſimè meditaretur: atque adeò affixa contemplationi mens ſtatū etiam corporis, vultumque componebat. Sanè cùm in ijs, quæ voce concipiuntur, precibus multa eſſet; prolixior omninò erat in ea, quæ tacitè exercetur, diuinorū commentatione. Quicquid ab externo opere ſupererat temporis, in id otij impendere. Statio illi præcipua ante diuinam Euchariſtiā; ſufficiebatque orationi materiam à frequenti piorum librorum lectione, quos aſſidua terere manu conſueuerat. Cuiuſmodi orandi ſtudium ſine ingenti quodam pictio, cōpemdioque virtutum minimè fuit: adaucto nimirum per eam, myſteriorum, rerumque diuinarum contemplationē in Deum amore; quo adeò flagrabat Piccolominea, vt nihil præterea cogitare, cupere, loqui, niſi Deum vellet: eratque in ipſo vultu inſpicere, quem geſtabat animo, affectum, ac flammā. Nihil ſiquidem pronius, quàm accendi ipſam, atque ardere diuinam in eius ore charitatem, ſtatim ac de rebus diuinis agi contingeret. Cuius quidem charitatis illud etiam non vulgare argumentum; quamlibet Dei offenſam intimè odiſſe. Nihil enim acerbius eius animū, aureſque vulnerabat, quàm peccati nomen: adeò vt vel leuiſſima mortalium crimina non ſine animi deliquio inaudiret. Dicere nanque ſolita erat, nihil exiguum, ac leue, quod Deum læderet.

Charitas in Deum.

In ferēdis iniurijs æquanimitas.

Ad hæc, ingens quædam patientiæ ſeges exercendo, probandoque diuino amori Piccolomineæ non defuit, habuitque eius charitas, vnde vehementiùs creſceret, ęrūnarum nimirum perpeſſione, ſiuè animū afficerent, ſiuè corpus. Planè, moribus erat, vt inculpatis, ita periucundis, factiſque ad omnem vrbanitatem, aſpectu ipſo cōmunem beneuolentiam conciliante: attamen fuit, qui cum gratiſſima ea indole minùs conueniret: Dei, videlicet, inſtinctu, vt quædam quà in agendo, quà in verbis aſperitas præclaram Mariæ Conſtantiæ fortitudinem tentaret, expoliretque. Qua quidem in palæſtra mirum, qua mentis alacritate, externæque frontis, atque oris modeſtia viſa colluctari. Enimuerò ira inuehi in illam contigit, vt neque contumelijs, ac conuicijs temperatū interdum fuerit; quæ cùm nobilium animarum ſenſum irritare plùs nimio ſoleant, nihil dignius laude, quàm ad eiuſmodi impetum ſtare in ſuo gradu mentem: atque adeò, pulſante vehementiùs iniuriarum procella, nunquam vel modicè perturbatam Piccolomineam, neſcio, an ad eius patientiam cōmendandam dici quid maius poſſit. Quæ verò animi afflictationes ea indole, ac conſtantia tolerabat, ferre corporis incōmoda, ac morbos facilè potuit. Exercuit illam quidem aſſidua imbecillitas, ac valetudo, quam ſingulari quadam vi pectoris edomabat; nihilque moleſtius ducebat, quàm ita morbos aliquando recrudeſcere, vt ſuccumbere, non quidem tolerantiam, ſed humanitatem, ac vires, oporteret. Quam deindè patiendi materiam extremus cumulauit morbus, quo tandem confecta eſt; & quem prolixum perindè, & grauem ideò viſus cœleſtis ſponſus in lectiſſimā ſponſam immiſiſſe, vt eius patientiæ coronam gemmis longè pretioſiſſimis exornaret. Laborare ab aqua intercute cœpit decem omninò menſes, antequàm diem obiret ſuum. Morbi genus, & ſequuta mox febris peracri illam ſiti diuexabant. Ad hæc, vſque adeò enormiter intumuit,

Et in morbis.

 tumuit,

tumuit, vt lectuli ſui ſpondas penè excederet: Vni quidem loco affixam, ſi quando moueri aliquantiſper oporteret, inhærere linteis, corrupta vi morbi, eodemque ſemper ſitu pellis videbatur. Alia item viſu fœda moleſtiſſimę infirmitatis appendix erant. Quæ cùm cæteras ſorores intimè afficerent, ipſa, flexo ad hilaritatē vultu, ſingulari quadā æquanimitate tolerabat: ac tantùm abeſt, vt dolorem in lamenta effunderet, vt moneret interdū ſodales, non eam ſibi deberi cōmiſerationem, quando non admodùm affligeret morbi acerbitas. Scilicet, hoc eſt virilis patientiæ propriū, emollire ærūnas, ac pœnas aliquando vertere in delicias. Inter robuſtæ cuiuſdā virtutis exercitamenta vitæ metā attigit Piccolominea. Supremis ſacris tempeſtiuiùs expiata, triduū deindè, antequàm animam efflaret, quotidiè diuino Epulo frui meruit: quo præſidio ſummoperè confirmata, nullū non eximiæ pietatis, fidei, charitatis ſpecimen dedit.

Compoſita ad Numinis voluntatē piè moritur.

Interrogata in extremo eo vitæ actu, cuperet ne diſſolui, & eſſe cum Chriſto, an diutiùs viuere, vt pro Chriſto pati diutiùs poſſet? Reſpondit: ſe quidem mortem præoptare: attamen totā ſe diuinæ voluntati permittere, ad cuius ſe ſe nutū conformatam peruellet. Ergo morti propior, teſtata verbis, ac vultus alacritate intimam lætitiam, qua ad Sponſi thalamū adibat, ſpiritum die decima nona Octobris poſuit Maria Conſtantia, à diuitiarum contemptu, à pietate in pauperes, à regulari diſciplina, ab eximio in Deum amore laudatiſſima.

An Domini 1611. Eliſabetha Bōſia Capponia.

Huic verò præſigni, quà natalibus, quà ſanctitate fœminæ aliam annectimus, ſua etiam luce generis illuſtrem, indole etiam, ac morū laude ſpectatiſſimam: Eliſabetham nimirùm Bonſiam Capponiam, quæ ineunte ſtatim anno huius ſeculi vndecimo, hoc eſt, Kalendis ipſis Ianuarij, Florentiæ exceſſit è viuis. Erudita à noſtris hominibus ad vitæ ſanctioris ſtudiū, Theatinæ induſtriæ alumna, ac ſoboles lectiſſima videri potuit; hæſitque in Florentina æde noſtra Diui Michaelis, vt viuens, ita & defuncta: atque adeò par eſt, vt noſtris etiam hæreat cōmentarijs præclara eius virtus, ac nomē. Orta quidem Eliſabetha è Gēte Bonſia, ſed quæ connubij lege abijt in Capponios, nupta iuueni ornatiſſimo, ac inſigniter pio, qui cum, conſtans Florentiæ fama fuit, conſecrato caſtimonia thalamo, pudicitiam ſeruaſſe illibatam. Quæ forma, ætate, opibus florebat, non ijs ſe externi cultus munditijs, vitæque oblectamentis permiſit, quæ capere eiuſmodi fortunæ fœminas ſolent.

Eius in ætatis flore modeſtia.

Ac primò quidem cùm maximè conditio, ac æqualium exempla luxum honeſtarent, corporis ornatum intra modeſtiam, ac ſtatum cohibuit: ſed mox ad Euangeliſtæ Marcellini, viri è Franciſcana familia, quam ab Obſeruantia appellant, celeberrimi concionem, inſpecta propiùs rerum humanarū ſpecie, contemnere omninò ſui cultū, gemmarūque, ac auri vſum cœpit; inſtituta remotiore quadam vitæ ratione, quæ excellentis, quam poſtea coluit, pietatis rudimentū videri potuit. Iam, qui ſunt coniugis bonæ fructus, virum, quà exhortationibus, quà exemplis ad eandem frugem euocauit, docuitque diuinorum pretium, ac præclarum diuitiarum vſum, ſi pauperibus erogentur. Quæ ille documenta dum hauſit, probatque opere, ex humanis præmaturè, ac intra iuuentam eripitur.

Elato coniuge, regularē diſciplinam cogitat.

Funeri quidem illachrymauit Eliſabetha; ſed quæ expeditam ſe coniugij nexibus, ac liberiore quodam ſtudio effundere in virtutum curſum ſe poſſe, intelligebat; viſa mærorem abſorbere intima quædam lætitia. Ergo, agente intus Numine, Religioſum inſtitutū, & quæ inter monialium diſciplinas ſeuerior eſt, Diuæ Claræ regulam ingenti quidem animo concipit. Monaſterium vt fundaret, diſtracto patrimonio, aurum contrahit: ædes percommodo in ſitu deſignat, coëmitque. Sed dum res in examen reuocatur, vt maiorum nutus accederet, ineluctabiles obiecere ſe ſe difficultates, quibus cedere piiſſimam fœminā oportuit; eo tamen conſilio, vt quod, inſtituto ſororum agmine, peragere in monaſterio minùs poſſet, domi perficeret; eſſetque non quidem habitu, ſed exercitatione virtutis, receſſu, contemplatione monialis.

Succeſſu res caruit.

Ad hoc autem præſtantioris vitæ inſtitutū dum enititur, accidit cōmodùm, vt Marcellus Toloſa, quem aliàs memoraui, percelebris noſtri Ordinis eccleſiaſtes, Florentiā, in Æde maxima Quadrageſimæ ferijs declamaturus, euocaretur. Miſſum ſibi è cœlo angelum putauit Eliſabetha.

Marcelli Toloſę inſtructione proficit.

Enimuerò quà publica eius voce, quà priuatis alloquutionibus, aperta inſuper ſacris confeſſionibus conſcientia, ea breui robuſtioris cuiuſdam ſpiritus, arcanæque ſapientię monita ab eo hauſit, vt ſatis quidem & luminis ad cognoſcendā Dei volun-

ta-

Digitized by Google

tatem, & ardoris in proſequenda ſtrictiore diſciplina conceperit. A tanti viri clien-
tela,quæ extendi vltra Quadrageſimã minimè potuit, hæſit eius animo in noſtrũ Or-
dinem ſtudium : ita vt conſtituta mox Florentiæ noſtratũ ſede, illam frequentare illi-
cò cœperit : legitque vitæ ſuæ moderatorem Paulum Toloſam,qui primus domicilio
illi præfuit: vt,quæ virtutis exercendæ præcepta Marcellus frater dederat,excoleret ad
optimam quandam frugem Paulus. Delicias ſuas in æde noſtra reperiſſe, pronuntia- *Et Pauli fratris.*
re ſolita erat. Oblectari nanque ſummoperè videbatur accurata, ſimplicique pſalmo-
dia, diuini cultus ſplendore, ac munditia, diſertis perindè, ac fructuoſiſſimis con-
cionibus, diligenti ſacramentorum adminiſtratione: tùm inſtitutũ Theatinum nullis
opibus nixum, ac ſingularem citra mendicationem inopiam nimiùm quantùm
commendaret.

Hac loci, ſacrorumque religione vt frui opportuniùs poſſet, domũ propè Diui Mi- *Orat in noſtra eccleſia diutiùs,*
chaelis templũ conduxit : & interdiù quidem aſſidua in noſtra eccleſia aderat; à pri-
ma videlicet luce ad meridiem vſque: ac tùm quidem digreſſa reficiendis tantiſper
viribus, ſtationem mox repetebat ad veſpertinæ pſalmodiæ ſignum; abſcedebatque
nonniſi ſole abſcedente. Noctù verò, vt eo, quo poſſet modo, adeſſet, quo tempore
ad matutinas laudes ſurgunt noſtri, audito ipſa campano ære, idem in ijſdem ipſis an-
telucanis precibus tempus inſumebat; continuabatque, ijs expletis, meditationem
noſtratum ritu, ad quorum ſe normam conformabat. Cùm autem diuiniſſimam
Euchariſtiam exponi publicè contingeret, alia illi agendi, orandique ratio, conſtans
omninò, ac pertinax. Ab exortu ſiquidem ſolis ad occaſum ita in remotiore quodam *Et quandoque diem ſolidũ,*
eccleſiæ angulo perſtabat de genu immobilis, vt perpetuum illum orationis tractum,
diemque ſolidũ non prandium, non quies pomeridiana abrumperet, teneretque ea
contemplatio quatuordecim fermè horarũ ſpatium. Certè, quæ inter eas cõmenta-
tiones inundabant è cœlo deliciæ, corpus reficiebant, ne labori cederet: cùm alioqui
vix crederes, delicatioris habitudinis fœminam, nixam genu, perdurare orando tan-
diù potuiſſe. Et quidem cùm in cætera virtute, tùm in hoc potiſſimũ orandi ſtudio *Eius in orando aſſiduitas.*
multa, ac ferè tota fuit Eliſabetha. Etenim, ſi paucas curando corpori horas excipias,
reliquũ ſubindè tempus precibus, quà voce, quà mente conceptis, impendebat: ita
vt ſexdecim omninò horas, & eo ampliùs per diem, noctemque orationi daret. Lara-
rium ſibi in intima domus parte concinnauerat; & quæ omnem à ſuo contubernio
cultum, ornatũque ablegauerat, oratorium ſplendidiſſimũ voluit: elucebatque in eo
à ſacris imaginibus pietas, ab accurata, pretioſaque ſuppellectili nitor, à floribus, quos
ipſamet, vt locum inodoraret, pulcherrimũ in modum cõponebat, amænitas, & gra-
tia. Digreſſa ab eccleſia, huc ſe ſe ſtatim recipere: vt mutare quidem locũ, non ora-
tionem abrumpere videretur. Quotidie legitimas è Romano breuiario preces, atque
horarias Deiparæ laudes perſoluebat. Diuorum memorias quotidie item prolixè ce-
lebrabat. Idque de genu ſemper. Quem quidem corporis habitum, ac ſtatum vſque *De genu ſemper;*
adeò ſibi ab vſu familiarem reddidit, vt non modò defatigari nunquam contingeret,
ſed cõmodior, ac facilior is illi erat ſitus, qui cæteris moleſtiſſimus. Enimuerò, quæ
à nimia virium imbecillitate, nec ſtare, nec ſedere diutiùs abſque aliquo corporis, ani-
mique incõmodo poterat, perſtare ſubmiſſis genibus, quoad libuiſſet, vigore quodam
incredibili videbatur. Quem etiam morem, eodem nempè prętextu cõmodioris ſi- *Qui corporis habitus ab vſu commodior,*
tus, vel in curru retinebat; cùm, ſcilicet, nobilium fœminarum inuitamento templa
pietatis ergo inuiſeret. Semel iter ad ſacram Summani montis imaginem, ſeptem
circiter, & viginti ab Vrbe Florentia milliaribus inſtituit, neque alio quidem ſtatu cor-
poris, quàm poſitis genibus ire, redire in curru viſa eſt; triuitque longiorem viam
legendo, orando, ſerendoque pios identidem ſermones. Illud planè admiratione,
ac notatu dignum. Laborauerat à morbo, inſtaurandæque valetudini quendam
corporis motum imperauerant medici. Ergo quoties egredi contingebat in curru, ſi
quidem ſederet, illicò deliquium pati: vt afferre, quæ vitam reuocarent, præſentiſſi-
ma remedia, oporteret. Cæterùm prouolutam in genua nihil eiuſmodi defectus illam
afficiebat. Quod ipſum per id tempus accidere conſueuerat, ſi inſiſtere pauliſper ſuis
veſtigijs officij cauſa, neceſſe eſſet; cùm aliàs flexis genibus ad longum omninò tem-
pus perduraret. Scilicet, internæ mentis deuotioni, contemplationique ita aſſueue-
rat,

rat, vt corpus ad eam item religionem conformauerit, vſumque verterit in naturam. Quo etiam prætextu cõmodi contegere pietatem ſuã ſolita erat: monebatque ſępiùs inſpectantes, non religionem, ſed geniũ quendam, & quid naturæ magis conſentaneũ id eſſe, quod genibus ſemper niteretur.

In orãdo mẽtis exceſſus.

Porrò tàm aſſiduæ contemplationi, affixæque Deo menti non defuere identidem è cœlo blanditiæ. Etenim perindè affici Eliſabetham, non ſemel contigit, vt illapſum intimè diuinũ nectar totam à ſenſibus abalienaret, vacaretque profundæ meditationis quieti procul rerum humanarũ commercio. Principiò quidem corporis, naturęque imbecillioris deliquia ea eſſe, putabatur: augebatque ipſamet humilitate, & quadam obſcurioris dicti modeſtia mortaliũ perſuaſionem; vt ſacramentum regis abſconderet. At enimuerò, cùm nullus ſubindè mœror, aut languor, veluti affecti corporis reliquiæ remanerent; ac præterea quædam vernaret in fronte, vultuque hilaritas, poſtquàm ab eo exceſſu mentis vitæ officijs, ſibique rediјſſet; perſuaſum cùm medici, tùm domeſtici habuere, altiùs repetendas defectus illius cauſas, ac vehementioris contẽplationis, diuinæque charitatis vim eam eſſe. Id quod ex eo etiam apertè conſtabat, quòd à felici eo ſomno excitata, quædam proferret, quæ hauſta è cœlo videbantur: eaque tunc erat dictionis ſuauitas, vt occuparet mira quadam dulcedine adſtantium animos. Ad hæc, quæ nihil latere confeſſarium volebat, aperuit ipſamet, abſceſſum illum, exercitationem mentis eſſe, otiumque negotioſum. Cuius rei non mediocre item indicium erat, excellens quædam humilitas, qua poſt illas cœli illecebras, ac diuinorum participium ſui demiſſionem, ac deſpicatum affectabat. Iſtiuſmodi verò deliquia vt omnia literis conſignare, ſuperuacaneum eſſet, ita è re fore, puto, vnum, aut alterum denarrare.

Deliquiũ in peruigilio Natalis Domini.

Peruigilium Virginei partus erat, ægrotabatque Eliſabetha: cùm rapi contigit, eo quidem impetu, vt qui aderat, confeſſarius perſuaſerit ſibi, inſtare iam mortem. Nec mora: muniendam, veluti ad præſentem luctam ſupremis ſacris, duxit: Verùm, dum putat expiraturam, ecce tibi dulci quodam riſu, atque incredibili oris ſuauitate expergiſcitur pijſſima fœmina. Ad hæc, ſurgere aliquantiſper: Marianum deindè hymnum: Aue maris ſtella: quàm ſuauiſſimè canere: demùm ea quidem copia, ac ſenſu de diuinis rebus loqui, ceu tùm quidem ſuis oculis inſpexiſſet. Illud autem admirationi non minimùm deſeruijt, quòd non modò nihil detrimenti vires ab eo defectu ceperint; ſed, afflato vigore quodam, confirmari membra, ac faceſſere corporis incõmoda viſa fuerint; vt breui omninò conualuerit. Communis quidem perſuaſio tunc fuit, inſtantibus Natalitijs Chriſti Domini ferijs inſigni quodam fauore Numinis cumulatam Eliſabetham. Nec eos fefellit opinio. Enimuerò, vt confeſſarij fide euulgatum poſtmodùm fuit, obiecit ſeſe tunc illi Dei Mater, ea quidem forma, ac luce, vt opprimi ab oris maieſtate externos ſenſus omnes, contigerit: cùm interim abrepta ad pulcherrimæ Virginis conſpectum anima, cæleſtes eas delicias hauſtu beatiſſimo deguſtaret. Huic autem mentis exceſſui alterũ addimus.

Alterum inter diuina colloquia.

Sermones aliquando de diuinis rebus cum confeſſario ferebat, cui & eruditio non vulgaris inerat, & valebat facundia. Colloquium ad penitiora Diuinitatis adyta ſenſim euaſit; vt ceperit Eliſabetham cupido, illum de diuinarũ perſonarum Trinitate, atque vna, eademque in perſonis ſubſtantia differentem audiendi. Quod ille, attemperata ad fœminę captum dictione, abundè præſtitit. Verùm dum alia ex alijs peracutè interrogat Eliſabetha, ſublimiorem, inquit confeſſarius, materiam eam eſſe, quàm vt ipſa caperet: & quando nec ſatis explicarent, ac intelligerent Theologi, nec ipſam ea Diuinitatis myſteria percepturam. Ad hæc illa, auocata à ſenſibus, hærere immobilis, eo quidem ſeceſſu mentis, vt plurios excuſſa, nullo vel leui motu viuere, teſtaretur. Veteri confeſſarius, ne quid grauioris caſus accidiſſet. Dum abit, vt præſidium compararet, tenui quadam voce Eliſabetha, ne abſcederet, inquit: incolumẽ ſe, nec affliſſe aliquid incommodi corpus. Tunc ille: Ecquid, ait, rei fuit, cur vocanti minimè reſponderes? Scito, inquit Eliſabetha, ab eo rerum diuinarum colloquio, quod inſtitueras, raptam me impetu quodam ad longè ſublimiora, & quæ humanæ vim facultatis ſuperant: ſequi nempè oportuit, quò mentem impetus ſpiritus prouocabat. Hęc de Eliſabethæ deliquijs, quam inſtructam apprimè cæleſtibus doctrinis fuiſse, neceſſe eſt, quando ſic illam erudiebat in eximiæ contemplationis ſchola diuinum Numen,

In

Eius in ſacra Euchariſtia delicię.

In hac porrò diuinorum commentatione nunquam ſe ſe frequentiùs, ac ſuauiùs exercebat, quàm ante diuinam Euchariſtiam. Addi ab ea Auguſti Sacramenti præſentia quandam ſpiritus alacritatem, atque intimã dulcedinem ſentiebat. Mirari ſummoperè ſolita erat, quòd nobiles fœminæ ab hortorũ, ac fontium amœnitate animi laxamentum quærerent; quando amœnior ſibi videbatur ab cœleſti ea hoſtia ſpirare aura, ac longè vitalior inde exiſtere voluptas, quàm è villarum proſpectu, aquarumque ſalientium perennitate. Inuidere item ſe maximè religioſis hominibus ingenuè affirmabat, quòd ſe ſe, quoties vellent, Euchariſtico Sacramento ſiſterent. Et verò, religioſiſſima externi oris ſpecies, corporis ſitus, conſtantia, qua corã diuino Epulo perdurabat, liquidò commoſtrabant, inibi vnicas eſſe eius delicias. Cùm autem exponi populorum venerationi, pietatique contingeret, impranſam, inſomnem integrũ diem orando perſtabat; idque non in noſtra duntaxat eccleſia, quod modò dixi, ſed vbicumque locorũ ſpectandum ſe ſe publicè præberet: accurrebatque auidiùs profectò, quàm choræis, ac theatris cæteri mortales. Ab hoc in cœleſtem eam menſam ſtudio ingens in miſſæ ſacrum deuotio manabat. Quicquid ſacrificiorum antemeridianis horis celebrabatur, adeſſe ipſa attentiſſimè: nulli tùm aures ſuas cõmodare: nuſquam oculos ſpargere. Hinc etiam cultus, nitoriſque eccleſiarum deſiderium, & cura: & quò Euchariſtico Numini propior eſſet locus, eò decentiore, ac ſplendidiore ornatu vt niteret, operam pro viribus dabat. Quicquid ipſa per otium, ac famulæ acu lucubrarent, ſacræ Euchariſtię conſecratum volebat. Hinc picta auro, ac ſerico ad calices, ac pyxides contegendas vela, & conopœa: alia item deſudata ab ea manu ſuppellex, ſacrumque inſtrumentum. Flores item aris adornandis colligere, atque in faſciculos concinnare peculiari quodam ſtudio ſolita erat. Ad hęc, quę rem omnem domeſticam fouendis Chriſti pauperibus diſtraxerat, quędam curioſi operis aulęa eccleſiarum vſui, ac pręſertim ſacrę Euchariſtę cultui reſeruauerat, quę publica videri poterant, ac citra pretium ſarta tecta. Aduertit aliquando ſacroſanctũ Chriſti corpus, vili quodam ſtragulo intectum, ad infirmos deduci. Exarſit ipſa illicò tanti myſterij zelo, ac ſtudio: vmbellamque ex holoſerico raſo, interſtinctam auro, de ſuo faciendam curauit. Nec ſanè remiſſior erga ſacram Euchariſtiam pietas, ac deuotio eſſe in ea poterat, quę illam quotidiè ſumebat. Vſu nanque, vt humana quęque vileſcunt, ita diuinis rebus creſcit exiſtimatio, ac pretiũ. Planè ad ſacram Synaxim quotidiè accedere, ex ſe quidem laudabile, ſi pietatis ſtudium, moreſque accedant. Sed non ita paſſim quibuslibet concedendum, aut ſuadendum. Fuerit hoc in more poſitum florentis Eccleſię initijs, cùm in diuinorum exercitatione, vſuque Chriſtiani homines toti erant: vigebatque in vnanimi germanitate ſpiritus, & quidam ſanctę ęmulationis ardor. Nunc ſuis quiſque diſtracti commodis; vt perrarus ille ſit, qui ita procul negotijs viuat, vt feriata, vacuaque curis mente, vt addecet, accedere ad ſpiritualem hanc menſam poſſit. Eapropter tanti Sacramenti venerationi conſentaneum putant viri docti, ſi impliciti humanis rebus mortales, vt non rarò, ita nec quotidiè communicent. Hanc verò cum Eliſabetha diuinę annonę parſimoniam adhibendam minimè putarunt noſtri homines, quam cœleſtem in terris vitam ducere, nulli fluxarum rerum curę obnoxiam, contemplationis ſtudio addictam, cœloque affixam; animorum etiam zelo flagrantiſſimam, intuebantur. Igitur panem hunc quotidianum eo quidem apparatu, ardoreque animi ſumere ſingulis diebus videbatur, vt nihil illi acerbius, quam tanti epuli ieiunium. Semel accidit, vt ſubito quodam animi deliquio correptę, propinari quid pretioſi liquaminis oportuerit. Redijt mox ſibi: cumque audiuiſſet à confeſſario, abſtinendum ea die à cœleſti dapes, quando ſoluerat iam, ingeſto liquore, ieiunium; obortis confeſtim lachrymis, excitatiſque imo è pectore ſuſpirijs, vſque adeò excruciari viſa eſt, vt conſolationem omnem excluderet: tantique doloris vehementię temperandę id excogitatum, vt plerique religioſi viri, alieno quidẽ tempore, ijs myſterijs corã ipſa cõmunicarent. Æſtuãtibus ab acriore febri infirmis vſitatum hoc leuandæ aliquantiſper ſiti remedium: vt, quando guſtare ipſos frigidam morbus vetet, alios bibentes, ac toto ſe auro proluere, videant. Quod quidem neſcio, an intendat magis, quàm mitiget ſitis æſtum. Et Eliſabethæ quidem hæc aliorum refectio leuamini fuit. Quæ poſtea, quippè quam ſua-

Et in illam religio.

Et in religioſe externus cultus.

Chriſti Corpori quotidie communicat Eliſabetha.

Eius ab huius menſæ intermiſſione mœrore.

ſuamet mala cautam fecerant, id curare impenſiùs conſueuerat, ne corporis incommoda, ac remedia tanti beneficij gratiam occuparent. Suprema illi valetudo aqua fuit ſub cute fuſa, ex qua eum accrrima ſiti, noctu præſertim, laboraret, ſuſtinere, & abſtinere pia hydrops conabatur, ne quæ gutta, per imprudentiam traiecta, manè deliciarum ſibi oceanum præriperet.

Amor in Deũ.

Iam verò frequens hæc menſa alimentũ quoddam erat, vt virtutum omnium, ita diuinæ potiſſimùm charitatis, quæ nullibi vehementiùs inardeſcit, quàm in hoc diuini Corporis ſacramento, carbone vtique ignito, & quod perpetuum eſt amoris monumentũ, & pignus. Eliſabethæ quidem incitatiſſimus in Deum amor, cuius indiciũ ea, quæ modò narrauimus, in contemplatione deliquia. Nunquam enim, niſi à charitatis vulnere, eiuſmodi languor. Illud præcipuum in ea diuini amoris argumentũ: nempè ad mortalium peccata expalleſcere, conſternari, iraſci vehementer. Lædi diuinum Numen, eiuſque honorem, hoc enimuerò ſupremus illi mœror, ac vulnus.

Hinc hominũ culpas execrari.

Queri publicè, priuatimque: &, ſi quid humanis culpis prohibendis ſuum officium valeret, illicò impendere. Hinc ſummus in Diuos illos amor, qui honorem Dei egregiè, ac fortiter propugnaſſent, vindicaſſentque: quales fuere Ambroſius, Nicolaus Myrenſis, Thomas Cantuarienſis, Borromæus, alijque. Hos, cùm incitaret occaſio, frequenter appellare: horum cõmemoratione increpare vitia: flagrabatque in ea verba: Quid hic Ambroſius? quid Carolus? ſcilicet, creſcit odium in crimina, quantum ipſe in Deum amor creſcit. Qui quidem amor vſque adeò illam inflammauit, vt quod eſt in dilectione ſummũ, nempè ſpiritum, ac vitam pro Deo ponere, id ipſa, non quidem tralatitiò, ſed impensè concupiuerit. Ardens hoc martyrij votum

Martyrij in ea votum.

alebat ſimùl, ſedabatque quadam mortis imagine, ac vmbra. Enimuerò obijcere ſibi inter cõmentandum, atque animo peruolutare ſolita erat cum tyrannis, cum lictoribus, cum feris pugnas: tùm veluti in arena eſſet, conferre cominùs cum ijs pedem, diſceptare; ferrum, ignes, lanienam prouocare. Quo quidem in efficto ſuæ mentis theatro non minimũ incitatiſſimo deſiderio leuamentũ reperire ſe, affirmabat: quando in obiecta ea tormentorũ aſperitate exerceri, aut certè falli cum incremento amoris ardentior animus videbatur. Vtque cogitationem, ideamque excitaret longè viuaciorem, librum ſibi comparauerat, in quo atrox quæque tormentorum facies, ac martyriorum omne genus ad viuum repræſentabatur. Hinc illa formas, ac rerum terribilium ſpecies haurire, vt expoliret ad acerbiora vulnera mentem, atque ideis ſe ſe ſuis diriùs excruciaret. Planè, vt corpus iſthæc minimè afficerent; quidam nihilominùs inerat voluntatis ardor, qui eſſe ſine laurea minùs poterat. Opus nanque, & votum operis coronat Deus.

Charitas in proximos.

At de Eliſabethæ in Deum amore pauca hæc libaſſe ſat fuerit. Alteram nunc charitatis partem, quæ mortalium cõmoda, atque animorum ſalutem ſpectat, paucis expediam. Videtur profectò, quæ tota in ſupernarum rerum contemplatione erat, vti ſignificatum eſt, nihil illi reliquum temporis fuiſſe, vt in externas ſe ſe curas, ac rem proximorum diffunderet: nec planè idonea operi ea indoles eſt, quæ internæ quieti nimiùm ſtudet. Attamen ea erat Capponia, vt, cùm addicta ſummoperè orationi eſſet, nihil ipſa actuoſior videretur; miſcuitque vtramque vitam egregiè; adeò vt & ſemper affixa Deo eſſet, & ſemper vacaret proximis. Commune mœrentium perfugium, eorumque, quos mundi faſtidium cœperat, ipſa erat. Adire ad illam omnis ætatis, ac ſtatus homines, ac religioſi ipſi viri: Adhortari omnes, monere, confirmare Eliſabetha. Inerant nanque conſolandis, inſtruendiſque mortalibus præclara quędam inſtrumenta naturæ; nempè comitas, facundia, atque arcana quædam vis, qua conciliare, ac ſubijcere ſibi omnium animos videbatur. Præcipuè, ſi qui concepta regularis Inſtituti mente, trepidarent adhuc: & aut vitæ ſeueritatem horrerent, aut pigeret, cõmoda, atque illecebras mundi deſerere, robur non aliundè ſibi, quàm ab Eliſabethæ dictis quærebant, quæ dubia iſtiuſmodi pectora afflare vigore quodam incredibili ſolebat, ac propoſitum inflãmare: malorum deindè dæmonum artes, ac dolos detegere, non ſine ipſorum dæmonum fremitu, apertaque doloris, atque iræ ſignificatione. Semel, dum nobilis iuuenis profanis amoribus irretitus, de ſua illam ſalute, ac de ſeculo abdicando conſuluit, quòd ab ea conſultatione auelli à ſuis manibus

Ab hac de animorum ſalute ſolicitudo.

Non ſine malorum dæmonum ira.

præ-

prædam cerneret cõmunis hoſtis, terroribus agere ſtuduit. Itaque tùm quidem prægrandis cuiuſdam ad modum canis Eliſabethæ ſe ſe obiecit: Viſu quidem horribilis, expirabat ab oculis flãmas, terrebatque ingenti latratu, ac rictu. Quo vehementer turbata, parùm abfuit, quin abſterreret ipſa ab incœpto iuuenem, ſubitæ illius mutationis neſcium, putantemque Eliſabethæ aures delicatiores, quàm tùm poſceret occaſio, à fœdis ſuis criminibus abhorrere. Sed monitus doli, optimæ magiſtræ auſpicijs, ac ductu, cùm ipſe, tùm quæ pudicitiam proſtituerat, puella Religioni nomen dedit.

Iam verò quando fœminarũ honeſtatem, pudoremque memini, cùm in reliquis charitatis operibus multa eſſet Eliſabetha, tùm hoc ſibi potiſſimùm propoſuerat, reuocare ad ſuum decus Virgines lapſas, & impenſiùs curare, ne caderent. Hic enimuerò flagrare, audere, conatus ſuos omnes, fortunas impendere; aliorum fidem, ac præſidium implorare. Et valebat quidem plurimùm huic nauandæ charitati auctoritas, & gratia, qua apud omnes florebat. Commendatiſſima in primis Chriſtianæ Lotharingiæ, ornatiſſimæ Principi erat, cùm ob reliquam vitæ ſanctitatem, tùm quòd quædam illi futurorum ſcientia, ac lux ineſſe, nouerat. Quoties ad noſtrum Diui Michaelis templũ adiret Lotharingia, adibat verò pietatis ergò quàm ſæpiſſimè, colloqui diutiùs cum Eliſabetha de diuinis rebus ſolita erat. Quod illa captandæ auræ periculum declinare nihilominùs voluit; recipiebatque ſe ſe domũ, vbi aduentare piam Principem inaudiret. Sed fruſtra hæc modeſtia. Nam vbi illa, non adeſſe Eliſabetham, hoc eſt, ſolatium, ardoremque ſui ſpiritus cognoſceret, mittebat illicò, qui euocaret. Hac igitur cùm apud viros proceres, tùm apud magnam ipſam Duciſſam exiſtimatione cõmodùm tuendę Virginum pudicitiæ, vtebatur. Si vim, aut quid molestiæ parentum, aliorumque temeritas intuliſſet, vim vi, atque auctoritate repellere conabatur. Hinc imperium, nomenque Lotharingiæ aliquando adhibitum. ac ſemel dum transferri in domũ ſuam eiuſmodi Virginem oporteret, timeretque præpotentis cuiuſdam viri in itinere impreſſionem, ac impetum, currum è Prætorio adornandum curauit, vt moneret officij Principis ſpecies. Nihil profectò generoſiùs, quàm è ſinu matris abripuiſſe aliquando geminam ſobolem. Lectiſſimi quidem oris, ac formæ vtraque erat: ac tùm à laxiore quadam educatione, tùm à potentiorum inſidijs nil propiùs erat, quàm propè diem decuti florem. Intendere vehementer curas, ac neruos Eliſabetha; quòd intelligeret, certandum ſibi cum affectu matris, atque ineluctabili naturæ vi. Ergò, facto impetu, Magnæ Duciſſæ præſertim auctoritate vicit, retulitque domũ prædam, quæ poſt paulò dedicata Sponſo Chriſto eſt. Illud etiam fauſtè, nec ſine præſenti Numine. Virum quendam principem pulcherrimæ virginis amor ceperat: ac prætextu conuiuij allata iam domum erat. Conclamatus iam pudor videri poterat, captiua iam puella, nulla ſpe libertatis. Attamen quæ exacuere ad cotem difficultatis animos ſolita erat, tentare bono cum Deo opus, apud animũ ſuum ſtatuit, nullus licet eſſet ſibi ad eam domum aditus. Matronam prænobilem conuenit: quid facto opus eſſet, monet: auctoritatem iuuaret arte: adeſſe nempè pijs cœptis Numen: ſi domum attuliſſet, curaturam ſe reliqua. Nec ſegnior illa quidem: ſucceſſitque ex voto res inſigni planè cum admiratione. Nam qui aderant famuli, quorum fidei commendata puella fuerat, nihil attulere impedimenti, ac moræ. Planè cùm preces tùm funderet Eliſabetha ad euentus felicitatem, communis perſuaſio fuit, valuiſſe perficiendo operi eius ſupplicationes: quarum fructu lætata nimio quidem opere eſt; excepitque intimè Virginem, additam mox ſuis adhortamentis ſanctimonialium caſtris: acciditque, vt quem à principe viro torquem aureum non exigui quidem pretij dono acceperat, dotem magnam partẽ confecerit: ceſſitque dedicandæ virginitati aurum, quod deſtinatũ illi expugnandę fuerat. Proſperiores verò eiuſmodi ſucceſſus animos Eliſabethę faciebant; reportabatque alia ex alijs trophęa, nullo vnquam metu deterrita, nullis potentiorum minis, nulla etiam mortis imagine. Nam ſemel ob vindicatam ab accipitrum vnguibus, ſeruatamque elegantiſſimã Virginem, pretium illi contigit præſentiſſimũ venenum; quod ita, volente Deo, luſit, vt pergeret ſubindè generoſiùs inſtitutum opus. Quocirca raptæ ex hoſtibus iſtiuſmodi manubiæ nunquam domi ſuæ deerant: dabatque triumphalis fœmina operam,

Alienæ pudicitiæ tuendæ perſtudioſa,

Periclitantem virginitatem in portum reducit, ſemel,

Ac iterum,

Et tertiò,

Nulluſque abſterrebat ab incœpto metus.

vt non ampliùs raperet eas quiſquam de manu Dei. Siquidem omni humanitatis genere deuinctas, ea deindè dicendi ſuauitate, ac vi ad amorem diuini Numinis excitabat, vt, ſpretis ſeculi inuitamentis, Religioni ſe ſe darent. Dotem de ſuo repræſentabar, corrogata aliorum item pietate: nec ſine pompa, ac celebritate indui ab eiuſmodi *Virginibus* regularem habitum, aut publica emitti vota, volebat: vt, & alias alliceret honor, ac ſpecies, & ſuo cum apparatu, & cultu agerentur hi diuinæ gratię triumphi. Hæc quidem, ne fędari caſtimoniam, ac proijci ante aliorum intemperantiam virginitatis margaritam contingeret. Quòd ſi delibatus iam pudor proſtaret, non ſegnior profectò Eliſabethæ charitas erat, eademque ſedulitate reuocare ab infami nundinatione mulieres curabat: vt non vna planè Thais eius opera in Magdalenam euaſerit, relicta priore conſuetudine, atque inſtaurata inter pœnitentes fœminas pudicitiæ laude.

Moribundos iuuat Capponia.

In hæc autem animorum lucra cùm diligenter incumberet Eliſabetha, & alias etiã inire rationes videbatur, quibus benè de proximorum ſalute mereretur. Nam quod eſt plenum periculi tempus, nempè ſupremã mortalium agoniam iuuare ipſa precibus, atque exhortationibus ſolita erat. Aderat quippè moribundis, non modò conſanguineis, qui eius ſibi operam iure quodam depoſcebant; ſed alijs item cuiuſque conditionis, ac ſortis hominibus. Vigilare noctes integras, aſſidere, conſolari, precari admirabili quadam animi contentione, nec diſcedere, quoad animam efflaſſent. Aliorum inſuper opem in eo rerũ diſcrimine poſtulabat; adibatque anxiùs Religioſorum hominum, ac mulierũ monaſteria, vt à præſenti multorũ ſubſidio horribilis nimiùm lucta miteſceret.

Christianæ fidei capita rudes docet.

Ad charitatem verò cùm id maximè pertinere exiſtimaret, vt Chriſtianæ fidei præceptionibus, quæ neceſſariæ ad ſalutem ſunt, rudes imbuerentur, complecti hanc etiam pij muneris partem voluit. Quocirca inſtituere interdum ſcholas videbatur, edocebatque per ſe ipſa plebem ſacræ doctrinæ capita, ac rudimenta; ac propoſitis etiam præmijs; vt faciliùs incitamento diſcerent. Cuidam præſertim è rudioribus id feliciter ceſſit. Valde nanque illi exigua memoria, obtuſumque ingeniũ cùm eſſet, deſperabat, poſſe fidei ſymbolum diſcere. Excitare exolera hęc naturæ inſtrumenta ſpe præmij, cogitauit Eliſabetha, pollicita nummũ aureum, ſi diſceret. Ergo ad auri nomen, mutata ruſticus indole, excuſſaque memoriæ imbecillitate, arripuit illicò documenta fidei. Adauxit nempè naturæ opes pecunia, quæ nullum vnquam non rude ingenium expoliuit.

Humana etiã proximorum cómoda procurat.

Porrò cùm in ſalute animorũ præclariùs, ac fructuoſiùs verſetur charitas, haud ſegniùs tamen operã in ſubleuandis hominum indigentijs inſumit. Vtramque ſiquidẽ mortaliũ partem, animã, videlicet, curare, & corpus, ſuarum eſſe partium putat. Cernere hoc erat in Eliſabetha, animorũ quidem ſtudio flagrantiſſima; ſed quæ humana etiam cõmoda inſigni pietate ita accurabat, vt non intra pectoris anguſtias, ſterilemque animi affectum concludi charitatem ſuam pateretur, ſed profuſa quadam benignitate diſſipari vna cum auro vellet. Fortunas ſuas non ſibi, ſed alienæ inopiæ poſſidere, videbatur. Contenta victu, cætera pauperum vſibus addicta: in victu verò adeò tenuis fuit, ac modica, vt dici iure poſſet, ſua omnia indigentibus cedere. Commune inopum perfugiũ vulgò audiebat: aderat publicis cuſtodijs, ac noſocomijs, fouebatque opportuna ope miſeros; & quos pudor intra domũ continebat, illos munificentiore quidem manu iuuabat. Iam, opes tàm magnificæ pietati cùm minimè ſufficerent, decerpere aliorũ item ſubſtantias reficiendo pauperi conſueuerat: idque non modò ſtipem vtcumque quæritando, verùm etiam arte quadam, ingenioque pietatis.

Qua arte eleemoſynas corrogaret.

Enimuerò ſi quem luculentam adijſſe hæreditatem inaudiuiſſet, aderat ipſa, gratique animi teſtimoniũ erga Deum depoſcebat, in pauperum nempè prę ſidium, eleemoſynam. Cùm celebrari haſtiludia, contingeret; quem ſciuerat, præmium tuliſſe, conueniebat ipſa gratulabunda; atque in eo æſtu lætitiæ id euincebat, vt pauperibus cederet palma. Interdum principum fœminarum cœtus dedita opera adire, ſimulque, damnato nimio cultu veſtium, ac cõmendata in pauperes pietate, is erat dictionis fructus, vt pleræque ſua ſibi ornamenta fouendæ inopię detraherent. Ad hęc, pauperes ipſos, miſeria, ac ſqualore ſuo oblitos, in eiuſmodi nobilium cœtus non ſemel inducere; vt ſpecies, illuuies, lachrymę commiſerationem excitarent: quod

nun-

Digitized by Google

nunquam ſine compendio fuit. Hęc aliaque ſolertis induſtrię exempla ab Eliſabetha, quę, vt aliorum inopiā ſubleuaret, eò tandem inopię deuenit, vt cum bona, ac ſuppellectilem omnem pręclarū in hunc vſum diſtribuiſſet, nihil reliquum domi eſſet, quod vltrò impenderet. Quo loco illud non diſſimulandum. Nam cùm ſuprema valetudine decumberet, nec adire ad ſe pauperes, quos introduci iuſſerat, cerneret, ex noſtratibus quendam, qui aderat, interrogauit: Ecquid rei eſſet, cur illuc ampliùs non pateret pauperibus aditus? Scilicet, cùm aduerterent familiares, nihil iam, nec domeſticę quidem ſuppellectilis ſupereſſe, quod ipſa elargiretur, acceſſu pauperes prohibebant. Reſpondit ille: annon vides, nihil eſſe iuuandis inopum neceſſitatibus domi reliquū? nihil? inquit ipſa: at ſupereſt adhuc & conopœum hoc; & illud in menſula aulęum nonne erogari etiam poteſt? Planè, nonniſi ab inſigni charitate, atque amore in pauperes hęc: & neſcio, an expeditior quis in cœlum vnquam euolauerit, abiecta non modò ſuperflua opum lacinia, ſed ipſa etiam re domeſtica, tolerandę vitę neceſſaria.

Ad extremā ſe rerum inopiam conieci, vt pauperibus benè eſſet,

At enim quas hactenùs virtutes enumerauimus, nullus vnquam comparare, aut tueri ſine humilitate viſus eſt. Quę quidem animi demiſſio inſignis in Eliſabetha fuit; exercuitque eo ſtudio, perindè ac ſi huic vni inſiſtere, hoc demū eſſet vrgere perfectiſſimū animi cultum: cumque ſuis viribus diffideret, à Deo illam impetrare contendebat. Enimuerò id illi pręcipuum, ac ſanè pium inſtitutum: quotidiè vndecim omninò Chriſti Domini partes, dolore olim, pœniſque exhauſtas, ſingulari quodam affectu venerari; nempè confoſſum ſpinis caput, velatos oculos, aures contumelijs proſciſſas, nares Caluarij graueolentia diuexatas, laceras ferro manus, pedes clauis fixos, obducta callis genua, diſcerptos flagris humeros, traiectum lancea cor, diuulsā à corpore animam, conſepultum corpus. Hęc verò pia meditatione, ac prece cùm excurreret, id impensè petebat, vt pro tot à Saluatore perpeſſis pœnis humilitatem, ſuique deſpectionem ipſa impetraret. Nec ſanè putandum, hac diuinorum cruciatuū commemoratione tàm enixè poſtulantem, non cumulatè obtinuiſſe. Hinc intimus ille ſui contemptus, ac ſenſus, ceu nihil vnquam frugis nauaſſet, eſſetque flagitijs omnibus cooperta. Cōmendare ſeſe anxiè aliorum precibus conſueuerat, veluti multorum patrocinio indigerent admiſſę multiplices à ſe culpę. Memorari familię decora, hoc altiſſimum illi vulnus. Honorem, cultumque vulgi ea fronte excipiebat, qua quiſquis alius maledicta. Decumbentem inuiſit ſemel, ac iterum Chriſtiana Lotharingia. Hic enimuerò tentata acriùs eius modeſtia; affirmabatque ingenuè, nihil accidere ſibi moleſtiùs poſſe. Nullibi verò pulchriùs, quàm in noſocomijs eius dominabatur humilitas. Nihil inibi fœdi, abiectique, ac laborioſi, quod non alacriter obiret: tota in curandis ęgrotantium fœminarum languoribus, immixta ſordibus, implicita lectiſternijs, purgandis, eluendiſque lineis intenta. Quibus, ſi externum ſui cultum addas, nihil planè dixeris Eliſabetha humilius. Nam habitus illi citra honeſtatem oppidò detritus, proſcriptus à domo, ac ſuppellectili nitor, in menſa nihil non ruſticū: nec ſatis erat, fictili bibere, niſi & viliorem etiam teſtam adhiberet.

Eximia in ea animi deiectio.

Pium comparandæ humilitati exercitium,

Humilitatis eius theatra, noſocomia.

Quamquā hic ſui cultus, pręter humilitatis ſtudiū, eò etiam ſpectabat, vt ſeipſam ſeueriore quadam diſciplina exerceret. Propoſuerat nanque ſibi ad exactam ſui victoriā, corpus omni afflictationum genere, ac ſumma contentione macerare. Et verò, quam inſtituit, vitę aſperitas maior profectò videri poterat, quàm vt ferret imbecillior fœminę conditio. Abſtinentię rigor incredibilis penè erat. Olera, familiaris illi annona; quibus ſiquid olei accederet, tunc enimuerò lautiſſimè refici reputabat. Cū autē atteri plus nimio ab eo victu corpus cœpit; proindèque iuberi oportuit, vt quid ſucci melioris, reparandis viribus, adhiberet; adduci vix potuit, vt iurulentum panem deguſtaret: laxabatque arctiorem hanc viuendi rationem feſto Paſchatis die, cuius ſolennitatem ouo, nec quidem integro, excipiebat. Hęc ab ea, cui nihil moleſtius, quam hęc curandi, alendique corporis neceſſitas. Neque in alijs membrorū, ac ſenſuum cruciamentis remiſſior. Siquidem pro interula cilicium longè aſperrimū adhibebat, vrgebatque ferrea quadam catena latus: Lectus illi nudi aſſeres; interdum ſtramentitiam ad delicias inſterni culcitram patiebatur. Ferreis catenulis ter ſaltē in ſingulas hebdomadas corpus ſtrenuè inceſſere: tùm quicquid in oculos aſpe-

A cibis abſtinentia,

Et cętera mēbrorum afflictatio,

ri, durique incurrebat, in ſui pœnam deſignare. Prægrandem in ſuę domus atrio crucem ſtatuerat, vt eſſet in ipſo ſtatim aditu, quod acerbiſſimam Chriſti necem repręſentaret. Hanc ipſa à Dominicę Paſſionis die ad ſextam vſque ſanctioris hebdomadę feriam ſingulis diebus geſtare humeris, ac circumferre per domũ conſueuerat, adornata etiam, atque impoſita capiti ex ſpinis corona: quod ex ſe quidẽ graue, ſed fœminę grauiſſimum: Eliſabethę verò, cui nihil ſuauius, quàm ad Saluatoris exemplum pati, huiuſce geſtationis, ac pœnę imitamentum iucundiſſimũ omninò erat; ac tantùm abeſt, vt imminui vires contingeret, vt alacritatem indè, vigoremque reſumeret, atque alia ſubindè ex alijs meditaretur ſibi ſupplicia. Quas quidẽ voluntarias corporis vexationes etſi temperare confeſſarij conabantur, ne valetudinẽ penitùs exhaurirent: attamen cui ingens patiendi, ſuique macerandi ardor inerat, artes minimè deerant, quibus, & parere moderatoribus videretur, & mutato pœnarũ genere, alia, ſpecie quidem mitiora, re autem vera nihilo ſeueriora tormenta affictandę carni moliretur.

Mariæ Magdalenæ de Pactijs exemplo ad patiẽdu excitatur,

Planè incomparabilis hęc illi pœnarũ ſitis; quę tunc inardeſcere vehementiùs cœpit, cùm percurrere Marię Magdalenę de Pactijs, ſanctiſſimę Virginis vitam contigit. Vbi nanque aduertit, non aliud illam petere à Deo ſolitã, quàm ęrumnas, ac pœnas, accendi ad hanc ipſa laudem, viſa eſt: & quę nullam prętermittere videbatur patiendi materiã, id maximè poſtulare à Deo inſtitit, vt quę ſuſtinere in Purgatorio ſupplicia deberet, hic lueret. Id quod non modò orabat ipſa enixè, ſed & alios precabatur, vt ſibi impetrarent. Igitur, viſa exoraſſe. Et primò quidem animum peracutus quidã mœror exhauſit; ab ingenti, videlicet, ſpiritus ariditate, quę aſſuetis diuinis illuſtrationibus, cœlique blanditijs vſque adeò grauis eſſe ſolet, vt ijs diuexandis nullum omninò excogitari maius tormentũ poſſit. Scilicet, ſua culpa deſeri à Deo, cùm reputent, acriùs ea perſuaſio pectus vellicat: ac meritò mulctari ea Numinis abſentia, id omninò ſupremum eſſe malum, ac telũ longè grauiſſimum, exiſtimant. Ad hęc, ſubactum ieiunijs, atque omnigenis rigoribus corpus angi vehementiſſimis doloribus cœpit. Caput, latera, ſtomachus in orbem diſcruciabantur: interdum vnà ſimul ita exerceri, vt conſenſu quodam nullum non afficerent dirè membrum: eòque vis doloris aliquando excreſcebat, vt fœminã alioqui patientiſſimam, non modò loco, ſed mente etiam mouerent: atque adeò adeſſe oporteret, qui illam detinerent, ne vehemens agitatio, ac impetus abalienatam à ſenſibus læderent. Annos omninò vndeuiginti hę dolorum vices tenuere, ad quos, veluti ad ignem aurum, inſignis ea patientia explorata. Iucundiſſimum planè erat, in ea malorum Iliade nunquam obductam, aut mœrore inumbratã, ſed ſerenam, liberã, ac ſupra cruciatus omnes eius frontem cernere. Non pœnas magnificè denarrare, non conqueri. Seri de diuinis rebus ſermones, id vnicum illi ſolatium. Familiare verò pręſidium, Deiparę, Diuorumque opem implorare: idque non vt faceſſeret dolor, ſed vt tolerantiã impetrarent. Quod tunc maximè ſignificauit, cùm mitigandis morborũ moleſtijs oblatæ illi à noſtris fuere Beati Andreę Auellini reliquię, qui non ita pridẽ ſanctiſſimè deceſſerat, ac tùm quidem inclareſcere inſigni miraculorum fama cœperat. Venerata quidem eſt intimè viri memoriam, eiuſque lipſana Eliſabetha, ſed profeſſa interim diſertè eſt, velle ſe, non corpori, ſed animæ propitium Andream fore; vt excruciaret quidem dolor, ſed faceret à patientia dolori pretium.

In morborum pertinacia fortitudo;

Mortem pręuidet,

Iam verò, quæ tùm virtutũ exercitatione, tùm morborum tolerantia expoliuerat abundè ſpiritum, vocari ad præmium oportuit: & menſes quidem decem antequàm excederet, affligi corpus ſolito grauiùs cœpit: vt affixa lecto, non ampliùs inde exilierit. Defectæ iam vires non longè abeſſe exitum cõmonſtrarunt: ac monitam ſe inſtantis fati ipſamet indicauit. Audita nanque intimo quodam affectu eſt, agere diuino Numini gratias, quòd aduenisse ſupremã horam, cognoſceret. Igitur ſuæ morti gratanter occurrens, muniri extremis ſacris voluit. Aderat inſigni pietate, atque attentiore ſtudio ſuis ipſa officijs; ac præeunte verba ſacerdote, eadẽ ipſa intimo quodam vigore animi proſequebatur: tùm vultu quidem tranquilliſſimo, ac compoſitis in modum crucis manibus, animã exhalauit, die Dominicæ Circũciſioni ſacra, ineunte vertentis ſeculi anno vndecimo. Nulla præclari oris mutatione eadem ipſa, quæ in viuente erat ſpecies, viſa in extincta eſt; ſpirabatque in exanimi vultu ſanctimonia,

Quã obit placidiſſimè.

ac

ac pietas. Corpus flagellorum vndique veſtigijs conſignatum, ſuis Clericis Regularibus legauit, qui gratulari opulentam, lautamque hæreditatẽ eo loci contumulatam voluere, vbi viuens aſſiduo, immotoque corporis habitu conſueuerat preces fundere: quoad extructo ſacello, quod ipſa ſupremis tabulis faciendum iuſſit, eò transferretur. Curatũ incredibili populorum affluxu funus fuit. Etenim cùm manaſſet vox, innocentiſſimã, atque abſolutiſſimæ virtutis fœminam efferri, aduolare certatim omnes; vt quod ex illa magni, pretioſique remanſerat, nempè corporis exuuias, vſurparent oculis, ac venerarentur: excreuitque vſque adeò vis mortalium, vt cùm nonnihil incõmodi à confertiſſima multitudine metuerent Patres, differri ſepulturam oportuerit. Euulgata tùm quidem pleraque, eius olim prece impetrata beneficia, quæ gentium ſtudia magis, ac magis adaugebant. Nam Eleonora Albitia nobilis fœmina curatũ ab ea ſibi genu, enormiter tumidum, ſigno crucis affirmabat. Puellæ item perennem lachrymarum fluxum, morbi, videlicet, reliquias, eodem præſidio crucis abſterſum, narrabant. Atque alia alijs impertita, quæ ſufficiat innuiſſe ad excellentiſſimarum virtutũ corollarium. Hactenùs verò de vita Eliſabethæ Capponiæ, quæ noſtratibus cùm ſpiritus rudimenta, tùm progreſſiones omnes acceptas referebat; & quæ perpetuo noſtra eſſe voluit, legato pio cinere, ac manibus. Sepelitur in D. Michaelis æde. Quædam ab ea impetrata beneficia.

Celebrandum poſtremò, antequàm ſextum hunc librũ finio, & aliud prænobilis matronæ funus, quæ hoc item anno non ſine noſtratum mœrore, ac luctu Romæ exceſſit: nempè Flaminiæ Cæſis, Riani Marchionis Sororis, & genere, & pietate ſpectatiſſimæ. Addicta magnoperè noſtro Inſtituto, aſſidua quidem in eo ornando, ac pro viribus fouendo fuit. Studium, quo viuens noſtros complectebatur, teſtatum luculenter voluit moriens, ſcripto fortunarum hærede Romano Diui Andreæ Cœnobio; quod non modicũ ſanè paupertatis præſidium tunc fuit. Ad magnificentiorem verò eius baſilicæ cultum, legatum perpetua quidem liberalitate inſtituit, quo decem quotidiè ſacerdotes, vt pro ſe, ſuiſque inibi celebrarent, iuſſit, attributa ſingulis annua ſeptuaginta aureorum penſione, addictoque cenſu Clericis, qui ijs ſacris miniſtrarent. Horum autẽ ſacerdotum delectum, vt ſpectati moribus eſſent, & qui facere in noſtra eccleſia ad omnem Theatini ritus elegantiã poſſent, ſpectare ad noſtros voluit. Quo ſanè inſigni baſilicæ, quæ ſita in Vrbis meditullio eſt, nihil opportunius. Siquidem, præter noſtrates, cùm decem item alij inibi ſacrificent, ſpiſſior eſt ſacrorum numerus, durатque ad extremam vſque meridiem litatio. Quamobrem conueniunt eò libenter, ac frequentes Romani, vbi ſciant, prompta eſſe qualibet hora miſſatum ſacra: atque adeò augetur indè non minimùm eccleſiæ cum ſplendor, tùm celebritas. Interim ſummè dilaudanda Flaminia eſt, quæ & animæ ſuæ perenni ſuffragio tàm benè conſuluit, & Romanam ædem noſtram inſigni munificentia tàm ſplendidè honeſtauit. Noſtri autem officij partes eas eſſe, intelligimus, vt beneficentiſſimæ matronæ erga nos ſtudium in omnem poſteritatis memoriam viuat. Romæ Flaminia Cæſis moritur. Noſtros heredes dicit. Quotidiana ſacrificia Diui Andreæ templo legat.

LIBRI SEXTI FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER SEPTIMVS.

Aſſumitur ad Infulas Io. Antonius Angriſanus.

MODERABATVR inſigni prudentia Congregationem Ioannes Antonius Angriſanus: cùm vocatus ad Infulas, abdicare generalem Ordinis Præfecturam cogitur, antequàm alterum triennium abſolueret: ac maturata proindè ſucceſſori deligendo comitia. Dixi, non vulgarem illum iniſſe à Paulo Pontifice Quinto gratiam. Etenim qui præclara quadam animi ſolertia, præſentique conſilio valebat, quoties aut ipſe Religionis cōmoda Pontifici proponeret, aut grauiora rerum momenta cum eo Pontifex communicaret, probabat enimuerò inſtructum ad omnem prudentiæ laudem, vſumque ingenium: quippè qui mentis quadam, ſiuè facilitate, ſiuè fertilitate plures ſemper ineundis, explicandiſque negotijs rationes afferret: Id quod Pontifici pergratum: vt commendauerit non ſemel conceptis verbis paratiſſimam viri induſtriam, ac iudicij cùm pondus, tùm celeritatem. Igitur quem publicis Eccleſiæ curis longè idoneum reputabat, Ita honeſtare in præſentia dignitate aliqua cogitauit, vt muniret ad ſplendidiorem gradum viam; ac interim ſingularem in illum beneuolentiam teſtaretur. Accidit porrò commodùm, vt ineunte anno vertentis ſeculi duodecimo è viuis excederet Hieronymus Prouenzalis, Archiepiſcopus Surrentinus, eiuſdem Angriſani conſanguineus. Nec mora: deſtinatum illi Sacerdotium: monituſque Pontificis ſtatim nomine; ac ſimul iuſſus, vt celebrandum de more poſt vernum ieiunium generale Capitulum Patribus denunciaret. Quod factum; atque interim illud in commune Congregationis bonum vir ſuæ diſciplinæ ſtudioſiſſimus, vſus nempè ſingulari Pontificis beneuolentia, impetrauit, vt Ordinis priuilegia, quæ Superiores Pontifices confirmauerant, rata & ipſe haberet: quod annuit perbenignè beneuolentiſſimus Pontifex ampliſſimis planè verbis, ac proprio, vt aiunt, motu, obſignatis die Aprilis quarta huius anni literis, quæ in noſtrorum priuilegiorum cōpendio recitantur. Celebrandi verò Capituli tempus cùm adueniſſet, ſtata die paracta inchoando fauſtè operi ſacra. Tùm, coactis ritè Patribus, præfatus ad eos Angriſanus eſt in hæc verba: Sequidem, cum minùs id animo cogitaret, Pauli Quinti Maximi Pontificis benignitate Surrentinæ Cathedræ addictum. Parendum ſummæ auctoritati, quæ iuberet. Nam ſicuti meritò linguis omnium vapulant, qui affectare eiuſmodi gradus ambitioſiùs videntur; præcipuè Religioſi viri, quibus propoſita humilitas eſt: ita ſi vltrò deferantur, obſequium, non gloriæ cupiditas eſt, acceptare. Quòd, quamuis cum laude etiam recuſet, qui vocatur tanquam Aaron, neſcio ſe, an maiorem is cōmendationē mereatur, qui diuinæ ſe ſe voluntati ſubmittit, paretque Deo vocanti. Eo vel maximè, quòd non adeò ſpecioſum eſt Epiſcopi nomen, vt non acriores ſint, quæ intimè latent, ac vellicant, curæ: vt commoda quidem, ac dignitatem Infulæ in ſpeciem ferant; cęterùm laboris, ac vigiliarum Antiſtitem moueant. Hiſce rationibus adductum, obſequutum ſe Summo Patri. Interim vacare Congregationis magiſtratum; eòque coacta comitia, vt ſui locum alter impleret. In hoc verò conuentu nihil obſtare, quominùs ipſe intereſſet. Siquidem, cùm inauguratus ſui Sacerdotij inſignibus nondum eſſet, habitu, conſuetoque Clericus Regularis, ſuam adhuc retinere auctoritatem, atque officij partes, æquum erat. Iura diſertè decernere: eam itidem eſſe Pontificis mentem, vt cum alijs conueniret. At enimuerò id apud animum ſuum conſtituiſſe, vt quando munus, quod adhuc gerebat, perturbare ſubſellia, ac conſuetam agendi rationē aliquo modo poſſet, ſponte abſtineret: ac proſequerentur

Et celebratur Capitulū generale.

Priuilegia interim confirmantur.

Quid ad Capituli Patres Angriſanus.

Qui comitijs abſtinet.

ipſi

ipſi interim comitia, ea quidem ratione, ac ſerie, quam præciperent inſtituta Ordinis. Excepta cōmuni approbatione, ac plauſu Angriſani oratio, ac mens; quo ſoluti vehementi quadā ſolicitudine omnes viſi ſunt. Addubitari nanque cœperat de auctoritate, de loco, de Capituli ratione, ac rectione, alijſque non ita facili negotio explicandis. Habitæ propterea illi gratię, quòd id conſilij cepiſset: tùm in ſuffragium cùm veniſset Pręſes, penes quem Capituli, ac rerum ſumma, incubuere in Eliſęum Nardinū omnium vota. Lectus is fuerat ſuis ingratijs à Quirinali domo, vt comitijs intereſset. Nam, quamuis, quę eius erat deuexa iam ętas, ac priuatus ſui cultus, declinare publicas curas omnes pro viribus contenderet, deeſse tamen omninò ſuorum poſtulatis minimè poterat. Quare vt eligi tùm quidem ad generale Capitulum paſsus eſt, ita capeſſiuit mox precarios eos Pręſidis faſces, quos tùm ſingulari ſolertia, cōmunique cum Theatinę rei fructu adminiſtrauit. Pleriſque autem ad incrementum Ordinis, regulariſque obſeruantię conſtitutis, cùm de Prępoſito Generali agi oporteret, ea fuit Conſcriptorum Patrum mens, vt non antea ſucceſſor renunciaretur, quàm Angriſanus ritè, diſertèque abdicaſset. Nullus quippè in alterius locum iure ſuccedit, niſi, aut ille pręfecturam ſponte exuat, aut abſolutum pręfecturę tempus fuerit. Quod quidem ſolenni ritu factum, ac mox implorato Numinis, ac Diuorum pręſidio, inſtituta ſuffragatio eſt, dictuſque Prępoſitus Generalis Marcellinus Oda, Neapolitanus, vir, qui inter communes Religionis curas expoliuerat iam vſu prudentiam, acceſseratque cùm à virtutis opinione, tùm à canicie auctoritas.

Renunciatur Pręſes Eliſęus Nardinus.

Et Præpoſitus Generalis Marcellinus Oda.

Decreuerant ſapienter in hoc Capitulo Patres, vt Prępoſitus Generalis non antea ſui muneris poſseſſionem ineat, quàm Sacramento ſe obſtringat, minimè ſibi honores, ac Inſulas neque clàm, neque palàm, neque per ſe, neque per alios quæſiturum: oblatas verò, niſi pro ſanctiore Summi Patris imperio, minimè acceptaturum: idque non tantū intra triennij ſpatiū, quo prouinciam adminiſtraret, verùm ab exacto etiam magiſtratu, per annum. Factum id quidem religioſæ diſciplinæ, ac modeſtiæ oppidò congruenter: ne ſi paſſim cernerentur euehi ad Inſulas moderatores, incenderentur vehementer exemplo ſubditi, ac gliſceret ab eo, capitum documento ambitio: tùm ne perturbari inſtitutū ordinem contingeret, abrupto cœpti regiminis curſu, ac mutato ſæpiùs ſtatu rerum, quo nihil cōmuni rei pernicioſius. Ergo, vbi ſe Præpoſitum Generalem appellatum, intellexit Marcellinus, latam paulò ante legē ſanciuit obſeruantia; addiditque erudiendæ poſteritati præclarū religioſæ indolis corollariū. Enimuerò non modò perſanctè iurauit, Capituli conſultū ad annum poſt abſolutam prouinciam ſeruaturū; verùm etiā, repetito iureiurando, conceptoque publicè voto, quoad ſuppeteret vita, nunquam fore, vt acceptaret, promiſit. Vtque excuſſam omninò honorū appetentiam ſignificaret, id etiam ijſdem voti legibus pollicitus eſt, quod ad Sodalitatis gradus attinet, nunquam ſe daturū operam, vt, aut ipſe in eo munere confirmaretur, aut alter ſibi ſuccederet. Excepta hæc omniū plauſu; indicauitque Marcellinus, qua mente, ſtudioque diſciplinæ delatum ſibi munus auſpicaretur. Planè, cùm eximiæ, nec ſanè paucæ ineſſent illi animi partes; tùm zelus cōmunis obſeruantiæ, atque ardor quidam tuendi Inſtituti potiſſimùm eminebat. Illud aliquando laudatiſſimum, ac planè ſtrenuum. Præerat Neapolitano Diuæ Mariæ Angelorum cœnobio, quod non ita pridem fundatum: &, vt ſunt rudimenta rerum difficillima, anguſta nimis domi res erat. Quarè Xaraua, Regis à conſilijs, vir grauiſſimus, ac Theatini præſertim nominis ſtudioſiſſimus, vt arctæ nimiùm rei pro modo conſuleret, quæritare ipſe clàm Præpoſito, ac noſtratibus à pijs viris ſtipem conſtituit; & quæ eius erat auctoritas, reſpondit labori, curæque pretiū, corrogata non mediocri pietate, quę ſubleuandæ præſenti inopiæ opportuniſſima videri potuit. Suboluit Marcellino precatiū id viri ſtudium: tùm, re explorata, quòd emendicatæ huiuſmodi largitiones noſtris legibus prohibeantur, quicquid inuectum cùm pecuniarū, tùm ſuppellectilis iam domū fuerat, Xarauæ eueſtigiò remiſit. Quod ille inſolens in anguſtia ſumma rerū exemplū magnoperè obſtupuit, cōmendauitque Præpoſiti tenacē Inſtituti mentem, omni inopia maiorem, ac generoſiorem. Id quod & ab alio quodam, eiuſdem ſpiritus viro noſtro, Lieij item factum, memini cum nobiliſſimis fœminis, quæ cauſa Irenianæ domus iuuandæ, præter ſuam liberalitatem, quam effusè impenderant, aliorum etiam

Qui votum de non acceptandis honoribus nūcupat.

Eius tuendæ obſeruantiæ ſtudium.

opem

ſpem ingenti cum operæ fructu implorauerant. Porro Marcellino, vt inerat flagrantiſſimum tuendæ diſciplinæ ſtudium, ita vi quadam dicendi valebat, qua illam maximè inculcabat. Etenim tàm appoſitè, tàm aptè, ac copioſè in priuatis ad ſuos colloquijs, atque adhortationibus perorare ſolitus erat, vt nemo melius: ac fama eſt inter noſtrates, in hac domeſtica, familiarique eloquentia tuliſſe punctum Marcellinum. Quod ſanè in rerum publicarũ Rectoribus apprimè cõmendatum: præſertim, ſi expedito huic linguæ officio, ac vſui reſpondeat cætera deindè virtus. Eiuſmodi verò ſpectati moris, atque integritatis Præpoſito Generali renunciato, proſequuti cum eo comitia Patres ſunt: collatiſque ſententijs, ad examen reuocata, quæ aut promouere Ordinem præſidia, aut labefactare incõmoda poſſent, vt his quidem cauerent, illa accurarent. Sancita quidem pleraque opportuniſſimè, ac præcipuè præſcripta nouitiorum recipiendorum ratio. Qua de re alia item ſcita ſuperioribus comitijs fuere. Sed de grauiſſimo longè negotio conſulere ſæpiùs in medium, atque ea addere, quæ deſiderari viderentur, optimũ factu, reputarunt Patres. Enimuerò quicquid adultæ virtutis, ingenij, doctrinarum, ac ſanctimoniæ in religioſis Ordinibus eſt, à tenera nouitiorum indole exiſtit. Reſpondet ſiquidem matura ſubindè fruges ſuo flori. Quædam in iiſdem comitijs agitatæ Ordinis coloniæ. Venitque in conſultationem iterum Narum in Sicilia, poſtulantibus quæſitiſſimis precibus ciuibus. Verùm, cùm exploratum iam eſſet, minùs opportunum id loci contubernium futurum, perhumaniter reſponſum, cõmunia ea vota, ac beneuolentiam obſtrinxiſſe quidem magnoperè Congregationem; ſed tantundem dolere Patres, quòd iuſtis de cauſis prohiberentur, quominùs adirent. In eandem ſententiam Catanenſibus, qui familiã enixè poſtularunt, habitæ grates fuere, negato interim acceſſu. Quod & cum Fano fortunæ, quæ ornatiſſima Vrbs eſt in Vmbria, actum; neque enim ita amplificandi Inſtituti conſilium erat, vt non Inſtituto ipſi conſulerent; quod quidem niſi loci vbertas, atque amplitudo accedat, prouenire lætiùs, ac florere legum noſtrarum obſeruantia, præcipuè paupertas minùs poteſt. Commendata deindè domorum procuratio optimorum Patrũ fidei, ac ſolertiæ; dimiſſumque Capitulum.

Et vis dicendi

De nouitijs in Capitulo ſtatuitur.

Plèræque domorum poſtulationes reiectæ.

Interim Angriſanus Surrentinas Infulas induit, ac ſolenni ritu inauguratus, ſuamſe in Cathedram aſſeruit, quam poſtea diù tenuit inſigni cum laude prudentiæ, commendatus à cultu ſacrorum, à diſciplinæ zelo, præcipuè à ſuauitate, ac facilitate morum, qua omniũ ſtatim animos ſibi adiunxit. Neque is tantùm petitus hoc anno à noſtro Ordine Antiſtes fuit. Quippè cùm profundè iam ſenuiſſet Iacobus Diedus, Cremæ, quæ Vrbs eſt in Ditione Veneta, Epiſcopus; atque adeò timeri iure poſſet, ne publica ſacra, moreſque in ea Ciuitate vitium à Præſulis ſenio facerent, admouendus illi fuit, qui ſacerdotij curas iuuaret. Quarè nominatus à Venetis Patribus Petrus Emus ex noſtris fuit, vir patricius, Ioannis Emi, Bergomenſis Epiſcopi germanus frater, qui, ſuperſtite quidem Cremenſi Antiſtite, munus adminiſtraret; ſuccederet deindè Infulæ, illo elato. Atque interim, vt ritè Eccleſiam procuraret, conciliaretque externis inſignibus populorum obſequium, ac venerationem, dictus Epiſcopus Lariſſæ. Nec poſt multò ſucceſſit ſuæ Sedi, impleuitque adamuſſim optimi Pręſulis partes: vt, qua vitæ integritate, ac modeſtia, quà diuini cultus nitore oſtenderet, à religioſo Ordine, ac præcipuè è Clericorum Regularium diſciplina ad eam prouinciam traductũ. Tertius, quem hoc anno inſigniri ſacerdotio contigit, fuit Nicolaus Antonius Spinellus, Neapolitanus, ex Aquari Ducibus, qui Religionis vota ante annos duodecim ſuſceperat; Iulio menſe à Paulo Pontifice Quinto Alexani Eccleſiæ in Salentinis imponitur. Et cui à florenti cùm indole, tùm ætate, corporis, animique opes conſtabant, regere eas curas cum laude potuit. Hos autem præiuerant non longo quidem interuallo & alij ex noſtris, qui aut in Epiſcopos euaſere, aut ſedem commutarunt. Nam ſuperiore anno Aloyſius de Franchis, quem aliàs meminimus, tranſlatus è Vico Æquenſi ad Eccleſiã Neritonenſem fuit: Æquenſes verò Infulæ collatæ Hieronymo Sarriano Neapolitano, ex noſtris item fuere. Gregorius de Sanctis Salaminæ Epiſcopus, qui Aſcanij Cardinalis Columnæ vices in Præneſtina Cathedra adminiſtrabat, cohoneſtatus eodem hoc anno eſt ſacerdotio Belicaſtrenſi, quod Petrus Matta, Clericus item Regularis, Ferdinandi de Haro Conſilij, vt vocant, Collateralis Neapoli

Angriſani in Infulis mores.

Petrus Emus ad Epiſcopatum vocatus,

Et Nicolaus Antonius Spinellus,

Aloyſius de Franchis ſedẽ mutat.

Et Gregorius de Sanctis.

Et Petrus Matta.

Regen-

Digitized by Google

Regentis nepos, tùm quidem abdicauerat, traductus ipſe ad Eccleſiam Caputaquenſem, quæ vacauerat Ioannis Vitellij, Theatini etiam nominis viri morte. Sub id tempus Ioannes Franciſcus Morta, Hieronymi Axeretæ, Genuenſis Reip. olim Ducis nepos, Aletiæ, quæ Vrbs eſt in Corſica, Epiſcopus renunciatur; nec diù tenuit Sedem, breui defunctus vita, & munere. Eodemque anno Philippus Bilis Eugubinus dictus eſt Epiſcopus Calienſis; vir quidem à ſacris concionibus, à doctrinarum adiumentis, à prudentia, qua pleraque Ordinis munera adminiſtrauerat, apprimè commendatus. *Io. Franciſcus Morta, Philippus Bilis Epiſcopi.*

Recenſendum inter has Inſulas viri nomen, qui hoc anno menſe Iulio vota Romę in Diui Andreę templo ſuſcepit, qui poſtea geminam ſucceſſiuè Eccleſiam in vtraque Sicilia adminiſtrauit. Fuit is Simeon Caraſa Neapolitanus, è Roccellæ Principibus prænobilis, cuius etiam natales mater Tagliauia Aragonia è Terranouæ Ducibus nobilitat: lucemque adauget ſua purpura Cardinalis Aragonius auunculus. Studia is in Ordine emenſus non mediocri cum laude ingenij, prudentiam deindè in pleriſque Congregationis muneribus, in tyrocinijs præſertim temperandis, atque in domorum rectione probauit ſuam. Dum regulari diſciplinæ ſtrenuè inſiſtit, Philippi Quarti nutu deſtinatur Eccleſiæ Acheruntinę, & Materanę, ritèque inauguratus Chriſti anno trigeſimo ſeptimo, Archiepiſcopales eas Inſulas ſingulari animi moderatione, integritate vitæ, grauitate morum, ſedulitate, zelo procurauit ad annum vertentis ſeculi quartum, & quadrageſimum; cùm Meſſanam, ſplendidiſſimum nempè inſacerdotium translatus, alteras eas curas alacriore ſpiritu inijt, quas hodieque cōmuni Meſſanenſium approbatione adminiſtrat; ac noſtra hæc hiſtoria opportuniùs, ac fuſiùs literis conſignabit. *Simeon Caraſa. Archiepiſcopus Materanus, & Meſſanenſis.*

Anno verò ſuperiore Neapoli in Diui Pauli domo profeſſus publicè Religionis vota eſt Bernardus Pinellus Genuenſis, genere, atque animi indole æquè nobilis, euectus poſtea ab Innocentio Pontifice Decimo ad Auenionenſem Eccleſiam. Vir fuit Pinellus ſuauitate quadam morum, ac religioſa obſeruantia apprimè ſpectatus: à ſcientiis item inſigniter inſtructus, quas & profeſſus in Ordine eſt. Quòd olim inter eius conſanguineos, ac Innocentium Pontificem, quo tempore Apoſtolicum Neapoli Nuncium ageret, neceſſitudo interceſſerat, appellatus is poſtea ſummus ſacrorū Princeps, gratificari Pinellis voluit: ſtatimque accerſitum Romam Bernardum, quem nouerat præclaro muneri parem, Auenionenſi Cathedræ egregia quadam voluntate impoſuit. Qui quidem ſuam in Sedem illicò inuolauit; nec tàm honore illo auctus, quàm actus peracri animorum zelo, laborioſas vigilias eo ardore ſpiritus eſt aggreſſus, vt ſtatim agnouerint Auenionenſes in Archiepiſcopo ſuo ſupra communem modum virtutem, ſolicitudinē, charitatem. Excubare perdiligenter cōmuni omnium cōmodo; procurare inſigni religione ſacra; fouere incredibili pietate pauperes: adire ipſe vel ex infima ſorte ægrotos, conſolari, ſubleuare munifica manu; morientibus item adeſſe, & quà adhortamentis, quà delictorum venia, atque indulgentia iuuare. Planè diutiùs eius Eccleſiæ bono viuere optimus Antiſtes debuit; ſed, quæ ſunt diuini Numinis conſilia, vbi fulguris in morem illuxit, deſijt eſſe inter homines ineunte ſtatim anno quadrageſimo ſexto. Quod quàm contigerit Clero, ac ciuibus moleſtum, Senatus Auenionenſis literæ ad Camillum Cardinalem Pamphilium, Innocentij Pontificis nepotem declarant, quas ne viri memoriam egregio præclaræ Vrbis teſtimonio, ac laude fraudem, debere hic nolui, atque in latinum translatas, ſic habes. *Bernardus Pinellus. Creatur Archiepiſcopus Auenionenſis, Breui moritur. Senatus Auenionenſis de eius virtute teſtimonium.*

Bernardi Pinelli boni Paſtoris, atque Archiepiſcopi noſtri adeò inopinata mors accidit die huiuſce menſis Ianuarij vigeſima ſecunda, vt conſternauerit vehementer vnumquemque noſtrum, ingentique dolore merſerit: nec liberum ſanè cuique eſt de eo, eiuſque feſtinato adeò exitu loqui, quin vberrimis ſe ſe proluat lacrymis, pulſante nimirùm intimè animum tantæ virtutis deſiderio, ac memoria; innocentiſſimæ præſertim eius vitæ, quæ admirationi omnibus erat; paternæ erga ſuum populum beneuolentiæ, excellentiſque charitatis, qua ægrotantes horis omnibus, nullam vnquam cauſatus temporis iniuriam, adire ſolitus erat: vt ab ipſa interdum menſa ſurgeret, vt Pontificiam indulgentiam ſupremò laborantibus elargiret; eximiæ inſuper manſuetudinis, & comitatis, qua non vulgaris vir conditionis, ſed lapſus veluti è cœlo Diuus

aliquis videbatur. Et verò teſtata ſenſum peracerbum Vrbs vniuerſa, amantiſſimi Antiſtitis funus mœrore incomparabili, ingentique fletu eſt proſequuta: vt numeraret quiſque in feliciſſimis, aliquid impetraſſe, quod ſacrum eius corpus tetigiſſet: quod ſanè luculentum indicium, potitam iam cœlo felicem animam: nam vox populi, vox Dei. Porrò ſicuti, quoad inter mortales egit, viſus flagrantiſſimo quodam genere charitatis nos diligere, ita profectò ſperamus, fore, vt aſſertus cœlo, ſuam in nos beneuolentiam patrocinio, ac tutela apud Deum proſequatur. Te verò, Princeps Em. enixè precamur, cures apud Sanctiſſimum Pontificem, vt par extincto ſuccedat Paſtor, qui hanc Eccleſiam ad maiorem Dei gloriam, ſalutemque animarum regat: quo quidem nos in ære tuo ſemper habebis. Deus te incolumem diù ſeruet. Auemone die 31. Ianuarij 1646.

Honorificæ planè literæ, quæ preſſiùs quidem, ſed abundè Pinelli virtutem deſcribunt. Pontificem verò, quòd cerneret, tam breui, tanto cum eius Vrbis incommodo ereptum idoneum, paremque præclaro Sacerdotio virum, affecit non mediocriter caſus: vtque beneuolentiæ argumenta in Pinellos inſtauraret, alterum mox germanum fratrem, itidem ex noſtris, honeſtare Inſulis cogitauit; nempè Ioannem Thomam Pinellum, virum à ſtudijs, à vitæ rationibus, à ſui inſtituti cultu, à morum, quà integritate, quà ſuauitate oppidò commendatum. Ergo inſequenti mox anno cùm vacare Sedem Molfectanam contigiſſet, adiecit illicò alteri Pinello animum Pontifex, eiuſque Cathedræ Epiſcopum appellauit. Non ignobilis planè Ciuitas in Regno

Io. Thomas Pinellus Epiſcopus Molfectanus.

Neapolitano Molfectum ad oram ſuperi maris, quam & ſitus, & cœli, ſolique bonitas, & gentis mores, & ciuium frequentia apprimè cōmendant. Eò illicò poſtquàm ritè inauguratus Romæ eſt, atque aulæ officia perſoluit, contendit nouus Antiſtes, cœpitque ea quidem ſolertia, pietate, manſuetudine eas curas adminiſtrare, vt oſtenderit ſtatim, ſe Bernardi fratrem, eodemque cōmunis pietatis ſtudio, ac prudentiæ laude ſuarum ouium bono incumbere. Sed præſtantem viri virtutem, atque in temperanda religione ſedulitatem teſtantur abundè ciuium iudicia, beneuolentia, ac paſſim laudes.

B. Andreæ Sāctitas celebratur.

Vocat modò narrationem Andreas Auellinus, qui anno huius ſeculi octauo defunctus, cùm ſtatim populorum ſibi pietatem conciliare collatis beneficijs, patratiſque miraculis cœperit, hoc quidem anno rudimentum quoddam publicæ lucis, ac deuotionis poſuit, confectis nempè de eius vitæ ſanctitate actis, atque expoſita communi religioni, veluti idoneo, bonoque in lumine eius imagine. Planè ſua quædam infantia inter domeſticos parietes Andreæ deuotioni primùm fuit, quæ poſtmodùm, creſcente, adultaque hominum fama, contineri intra ſuos lares, priuatumque noſtratium cultum minimè potuit: trahique in conſpectum omnium eius facta, ac virtutem,

Eius rei ſeries

oportuit. Fuit autem hæc fermè rei ſeries, ac ordo. Statim à morte expreſſam à ſuperſtite, ac ſpiranti adhuc Andrea effigiem in domeſtico quodam ſacello collocauerant noſtri. Tacitæ, priuatæque hic preces, ac vota. Nec deſuere ab exteris etiam beneficiorum monumenta. Nam, vti aliàs ſignificatum eſt, Bernardus à Summa Ordinis Minorum, vt vocant, ab Obſeruantia, quòd ad Andreæ nomen iratas maris vndas compoſuiſſet, tabellam inibi, quæ prima omnium fuit, noſtris licet obluctantibus, dedicauit; ſequutæque mox aliæ ex alijs beneficiorum indices, tabulæ. Anno verò conſequenti, hoc eſt, ſeculi decimo, eum Ordinis inſpectionem Neapoli obiret Ioannes Antonius Angriſanus Præpoſitus Generalis, id in primis Octobri menſe curauit, vt decentiùs Serui Dei corpus iaceret. Noctu ſiquidem, vt fugeret à luce mortalium celebritatem, adijt ipſe cum aliquot è noſtratibus ad cœmeterium, vbi conditum quàm modeſtiſſimè fuerat, effodi pios manes iuſſit, qui præter membra aliqua, quę in liquorem quendam abierant, cæterùm integri reperti, nulluſque è colliquatis partibus grauis odor; ſed quædam etiam fragrantia efflabatur: tùm nouo in loculo cōpoſiti, trāslati in ſacellum fuere, vbi facere ad aram bonus Senex conſueuerat, & vbi correptus ſuprema apoplexia nobilitauerat iam ſuo caſu locum. Hic citra omnem cultū, ac pompam, inducto ſimplici, niueoque marmore conſepultus: ac interim excitata inter noſtrates flagrantior quędam pietas. Eodem nanque anno, recurrente anniuerſaria Andreę obitus die, pio quodam affectu, ac impetu abrepta noſtra Iuuentus,

tus, quandam intrã cœnobium celebritatem excitarunt, inſtructo ſplendidè, quod diximus, domeſtico ſacello, concinnata ſolenni cultu ara, accenſa plurima face, imagine præſertim Beati Senis, floribus, ac lemniſcis quàm elegantiſſimè inumbrata: adauxitque diei lætitiam efferueſcens, ac veluti geſtiens eius cruor. Diximus, collectum, ſeruatumque in vitreis vrnulis manantem ab extincti Andreæ cranio, ac aure ſanguinem, qui deindè intra octiduum viſus ebullire, rei nouitatem admirante in primis Petro Vecchiono, medicæ artis conſultiſſimo. Hic modò ſanguis cumulandæ ſolennitati allatus ad aram, roſeus quidem, viuacique purpuræ non abſimilis; qui inſtaurare miraculum, atque iterum viſus efferueſcere: ita vt adhæreſcerent vitro ſpumæ.

Andreæ ſanguis efferueſcit.

Gratulati pij Iuuenes, quòd ſuam ipſorum obſeruantiam, ac religionem oſtentis Andreas comprobaret: vocatique in pietatis, ac voluptatis partem grauiores ſubindè Patres: &, quæ garrula eſt lætitia, manare vulgò tùm cultus, tùm miraculum, ac viuus cruor cœpit; vt prohiberi plerique proceres, viri Dei ſanctimoniæ impensè addicti, minimè potuerint, quominùs adirent, vſurparentque oculis ſuperſtitem adhuc in ſanguine Andream. Ex noſtris autem fuit tùm, qui eximium in illum conceperit ſtudium.

Studia in B. Senem ab eo miraculo.

Nam qui ſciebat, creſcere ex facili rumorem vulgi, haud ita proniore aure, quæ de eo ferebantur miracula, admittebat; ac dubius animi, vt non omninò improbabat, ita ſeueriore quodam ſupercilio agendum in recenti ſanctitate, reputabat. At enim, vbi oculorum fide purpuraſcere, atque ebullire cruorem aduertit, aurem ſibi velli, intellexit: cœpitque efferueſcere ipſe præclaro quodam impetu in Beati viri nomen: adeò vt nullus eius poſtea gloriam ardentiùs quæſiuerit. Fuit is Thomas Gueuara, vir grauiſſimus, quem aliàs nominaui, qui non ita poſt multò ſedulam Romæ operam poſuit, vt meritis honoribus, ac ſacris comperta eius ſanctitas celebraretur.

Præcipuè Thomæ Gueuaræ.

Quæ quidem ſanctitas dum cõmuni plauſu, ac ſtudio excipitur, gliſcitque in dies miraculorum fama, ea fuit omnium ſententia, vt quæ quotidiè mira euulgabantur, Antiſtitis nutu, atque auctoritate in acta referentur, ſignatiſque conſtarent tabulis. Procurabat tùm Neapolitanã Eccleſiã Octauius Cardinalis Aquauiua, qui quod noſtratũ precibus virorum etiam principum poſtulata, ac publica etiam mortalium vota accederent, facilè annuit: ſtatimque vrgeri opus cœptum: ac confluentibus certatim, qui accepta à ſe beneficia conſignari vellent, breui confecta res eſt: idemque, conceſſa etiam ab Antiſtite facultate, Surrenti factum, vbi genio quodam incredibilem exercere beneficentiam Andreas videbatur.

Cœpta Neapoli de Andreæ Sanctitate acta.

Quod autem eximia viri virtus ſciri, niſi à noſtratibus non poterat, id etiam curauit Angtiſanus, vt adhibitis idoneis, atque integra fide teſtibus, quanta maxima poſſet diligentia commentarij de eius vitæ ſanctitate, ac moribus conficerentur. Acta traslata Romam fuere, vt de re grauiſſima ſtatuerent Romana iudicia, viamque ad publicam hominum venerationem, & cultum Seruo Dei munirent.

Quę Romam tranſmiſſa.

In quo quidem mirùm qua contentione hoc anno ſeculi duodecimo deſudauit Gueuara, nulli induſtriæ, laborique parcens; vt, & Romanorum Antiſtitum animis opinionem excellentiſſimæ Andreæ virtutis ingeneraret, & rationem iniret, qua eius Apotheoſim, gloriamque feſtinaret. Interim, quòd nulla prohiberet lex, quominùs excitandæ communi pietati votiuæ ad ſepulcrum tabellæ exponerentur, monuit Paulini cœnobij Præpoſitum (erat is Andreas Piſcara Caſtaldus) vt quando ex ſe liceret, & ſuaderent etiam Romæ exempla, quæ hactenùs ob accepta beneficia dedicata Auellino vota fuerant, priuatimque ſeruabantur, appendi pro parietibus curaret, vt hiſce veluti linguis docerentur mortales, quem potiſſimùm colerent, ac ſuis in neceſſitatibus implorarent.

Dedicatæ ad tumulum votiuæ tabulæ.

Ad hæc, accendi in eo ſacello, vbi pij Cineres iacebant, lampadem iuſſit; vt quando præclara iam luce fulgeret eius ſanctitas, ſuus item eſſet ab eo lumine ſacro pignori cultus. Quo loco illud non prætermittendum; probaſſe, videlicet, Andream hunc ſibi honorem impendi.

Et accenſæ lampades.

Etenim vbi concinnandam ad ſepulcrum lampadem, duo è Paulina pube iuuenes intellexere, vt qui inflammati ad eius gloriam inter paucos erant, id ſummis precibus à Præpoſito impetrarunt, vt eo ipſi munere alternis hebdomadis fungerentur. Accidit porrò, vt ipſorum alter, dum noctu quieſceret, inaudire vocem ſibi viſus ſit, quæ moneret, extinctam in ſacello lampadem. Expergefactus, non facilè id ſibi perſuaſit, ac ludi ſe inſomnio putauit; concinnauerat ſiquidem de more externo veſpere. Dum iterum

Digitized by Google

Quarum cultum Andreas probat. dormit, ecce tibi iterum, ac tertiò vox eadem. Quare explorare rem decreuit. Surgit, ſacellum adit, ac reperto non citra admirationem extincto lumine, monitum ſe ab Andrea intellexit; comprehenditque, magni illum facere honorem hunc tumuli.

Exponitur populorum ſtudijs Icon. Iam verò Præpoſitus, vbi Gueuaræ monitis, ac romani etiam exemplo ritus ad concitandam in Auellinū obſeruantiam inoffenſo, vt aiunt, pede peragi hæc poſſe, agnouit, gratulatus magnoperè eſt; & quòd inſtaret dies, qua cœlum is petijt, commodùm ſanctiſſimi Viri memoriam aliquo intra modeſtiam cultu honeſtandam putauit. Igitur è domeſtica ędicula producta in publicum populorum conſpectū, ac lucem Andreę Icon; excepitque quàm decentiſsimè ſacellum idem, quod ſacrum eius pignus continebat. Conueſtiri aulæis parietes, ſuperuacaneum fuit. Nam quæ patrauerat ipſemet miracula, expreſſa tabulis, ac votis, non pauca ea quidem, ac ſuo ordine collocata, ornamento quidem non mediocri fuere. Ara ad omnem dignitatem auro, argentoque culta, inductuſque nitor, ac pompa, quæ conciliare popularium ſtudia, ac pietatem poſſet. Hæc in anniuerſariæ lucis peruigilio: manauitque vix rumor, proſtare eius effigiem, ac veluti ad cōmune præſidium rediſſe Andream, cùm viſum celebrari omnium ordinum accurſu templum. Lætari effuſè omnes: commendare certatim ſanctimoniam: vſurpata in eius honorem ſacramenta: impetrata beneficia: allata plurimorum vota: demum producta ad multam noctem pietas ſenſu, plauſuque Neapolitanorum non vulgari. Quæ mortalium ſtudia nec abrupere noſtri, nec prouocarunt: niſi quòd cùm feſtos ignes excitandæ communi religioni adornari à pleriſque, Andreæ nomini addictis, intelligerent; viſum ijs, vt intra modeſtiam cultum continerent, cohiberi debuiſſe. Quod factum. Verùm compenſatus mox puriore quodam igne, ac lumine hic honor fuit. Sed primùm Andreas ipſe Sacerdotem illum, qui Præpoſiti iuſſu ardorem mortalium, ac ſolennes ignes preſſerat, viſus increpare. Etenim dum is in eo peruigilio ad aram faceret, videre ſibi viſus Auellinum, flexo ad ſeueritatem vultu, in ea verba increpantem: Siccine beneficiorum memoriā excidit, vt populorum animos vltroneè, ac ſpontaneè deuotos, comprimatis? Erit, qui protegat; erit, qui defendat. Hæc ille. Et verò adfuit honeſtandæ eius memorię publica lætitiæ teſtificatione cœlum. Siquidem ſub primam noctem viſa ab aquilone ignea quædam lux, pyramidis in morem, cuius in Paulinam Eccleſiam, ac domum ſpectare cuſpis videbatur. Huic verò altera, ac tertia cùm ſucceſſiſſet, dilatari vſque adeò ignis, ac lumen cœpit, vt exteri quidem conflagrare noſtrum domicilium, crederent: noſtri verò, colluſtrata nimiùm vicinia, temperare ſibi Beati Senis ſtudioſos minimè potuiſſe, quominùs feſta face eius ſanctitatem celebrarent, exiſtimauerint. Re autem ab editiore loco attentiùs explorata, compertum, ſublimiore quadam origine è cœlo ignem eſſe: atque adeò itum in eam ab omnibus ſententiam, ſplendorem, ac flāmam diuinitùs accendi; & quando interdicti noſtrarum opera læti ignes fuerant, voluiſſe Deum, vt ſupplerent vices cœleſtia lumina. Atque hæc Auellini in terris exordia publicæ celebritatis, quæ anno ſeculi quarto decimo ſplendidiùs quidē peracta. Nam obſtricta aſſidua Andreæ beneficentia Neapolitana Ciuitas, teſtari publico munere grati animi affectum voluit; adfuitque in tempore Vrbis Septemuiratus, qui argenteum calicem, ac ſinguli ſingulas cereas faces obtulere; continuauitque ſubindè munificentia inſigni cum incremento communis pietatis, gloriæque Beati Senis. Etſi, quæ eſt rerum præſtantiſſimarum conditio, vt impugnentur; in hoc annuæ ſolennitatis curſu aliquid procellæ accidit inſequenti mox anno quinto decimo. Siquidem ſurgentem Viri exiſtimationem, ſplendoremque cùm non omnes ſatis beneuolè aſpicerent, ſignificatum Romæ eſt, in ea celebritate, & cultu excedere noſtros modum, atque in recentiſſima hominis memoria nimiùm audere: Effigiem præſertim, radijs illuſtrem extare; atque inſtructum votiuis donarijs ſacellum cerni, perindè ac ſi Beatus Romano oraculo renunciatus iam eſſet. Viſum proindè ſummo ſacrorum Principi, cuius eſt pietatem ipſam, ac ſacra temperare, religionis dignitati conſulere: iuſſitque imaginem, ac tabellas iterum condi; quoad legitimis religionibus coli Virum ſanctum contigiſſet. Quod refrigerare ſtudia multitudinis, ac publicam obſeruantiam poſſe, videbatur, mirificè adauxit: creſcente de-

Inſtituitur cū plauſu feſtus dies.

Publici ignes à noſtris prohibentur.

Supplentque vicem cœlum

Neapolitanæ Ciuitatis donaria.

Inumbrata nonnihil cœpta veneratio

more

more ab oppoſitis impetu. Enimuerò eodem hoc anno, appetente ſolenni luce, quanquam in celebrando Andrea remiſſior erat Patrum ardor, viſa nihilominùs ſolennitas ſtudijs acrioribus peragi. Nunquam gens Neapolitana, præcipuè nobilitas frequentior ad Diui Pauli: acclamatum certatim Viri ſanctitati: accenſi per Vrbem feſtiui ignes: allata ſepulcro dona, ac multiplex ex argento votum: perſolutum multò quàm antea flagrantiore affectu à Ciuitatis Septemuiris obſequium. Quæ ſanè in cauſa fuere, cur ardentiùs inſtarent, adornarentque criminationes ſuas Romæ æmuli: veluti noſtratum artibus, nullo romani iudicij reſpectu, quæſita, atque extorta ea pietas fuerit. Quod quidem excitare aliquid acrioris zeli potuit, quaſi ſpreta auctoritas eſſet. Verùm aliud omninò accidit, quàm quod intendere aduerſarij videbantur. Quippè dum res Pontificis nutu apud Auguſtos, qui ſacræ Inquiſitioni præſunt, Patres ad examen reuocatur, ita feliciter ceſſit, vt commendata abundè noſtratum modeſtia, decreuerint, haud impedienda deinceps populorum ſtudia; ac proindè continuandam conſtituta die annuam de more celebritatem, faciendum ſolenne ſacrum, habendam de Andreæ laudibus concionem, ac promouendum in tanta ſanctimoniæ fama pium cultum. Cui decreto Paulus Pontifex Quintus ſingulari voluntate adſtipulatus: vt factum omninò diuinitùs putandum ſit, quòd oppugnari ſanctiſſimi Senis gloriam, contigiſſet: vt, ſcilicet, accedente mox ſumma auctoritate, atque Apoſtolico nutu, legitimè celebrari, propagarique eximia eius ſanctitas poſſet. Et verò nouo hoc Romanæ Sedis indicio incredibile dictu eſt, quanta cum populorũ concurſatione, aſſenſuque peracta conſequenti mox anno ea ſolennia fuerint. Anguſta confertiſſimæ multitudini Diui Pauli baſilica videbatur, confluente æſtu quodam populo, ac ordine. Antonius Cardinalis Zapata, qui tùm Neapoli aderat, deueneratus pios Cineres eſt, admiratuſque celebritatem, ac votorum præcipuè cùm pretiũ, tùm numerum. Adijt & Cardinalis Sfortia; tùm Decius Cardinalis Caraſa, Neapolitanus Archiepiſcopus; ſequutique inclytas purpuras plerique Antiſtites, ac religioſi viri ex omni quidem cenſu. Hunc autem accurſum, ſplendoremque frequentiæ vt vidit Aloyſius Caraſa, Hoſtiliani Princeps, qui vti iam Andreæ opera in expianda conſcientia conſueuerat, illud ad eius gloriam euulgauit. Semel cùm honeſtare ſuum in ſpiritu Patrem vellet, recuſaſſe illum, ac monuiſſe, ne viuenti honorem haberet, ſed ſeruaret mortuo. Fore nanque, vt exhiberetur olim Cineri veneratio. Hęc poſtea flagrantiſſimę Ciuitatis obſeruantia, ac fauor, tùm ſucceſſiua miraculorum ſeries, atque impertita implorantibus beneficia effecere, vt Andreæ gloria auſpicatiſſimè velificaret: quoad, comperta ritè vitæ ſanctimonia, relatus in Beatorum numerum eſt, quod in loco exponam.

Quod vulgi pietatem excuit.

Et expenſa re Romæ,

Facta amplior facultas.

Andreæ prædictio de honore ſibi olim habendo.

Interim, quòd longiùs fortaſſe prouecta oratio eſt, referendus ad ordinem temporum gradus. Hoc anno in Neapolitana Sanctorum Apoſtolorum domo inchoata nouendialis celebritas eſt expectationis Virginei partus. Quod ideò imus commemoratum, quòd Neapoli inuexere primùm noſtri. Percelebres ij ſunt in Hiſpania dies non ſine inſigni pietatis fructu. Originem ſic narrant rerum Hiſpanicarum ſcriptores a. Hæreſim, quæ ſuperioribus ſeculis debacchata in Eccleſia fuerat contra illibatam Deiparæ virginitatem, inuexerant in Hiſpaniam anno circiter ſexageſimo ſupra ſexcenteſimum ex Gallia Gotica par hominum ſceleſtiſſimorum, Pelagius, & Helladius; ac planè candorem Virginis gemina illa religionis ſax nonnihil inumbrauerat. Propugnata ſtrenuè Mariana integritas, præcipuè à Diuo Ildephonſo, quà dictione, quà calamo; qui ob rem benè geſtam præclaro habitu Diuæ Virginis manibus indui meruit. Profligandæ verò penitùs impietati acceſſit mox Concilium Toletanum, vbi Eugenius Tertius Toletanus Antiſtes, & cum eo ſexdecim omninò Epiſcopi, proſcripta nouatorum audacia, integerrimæ Virgini non modò magnificè acclamarunt; verùm, vt affigi altiùs fidelium mentibus magnæ Matris virginitatem contingeret, id etiam decreuerunt, vt quotannis nouem ante Infantis Dei cunabula diebus fœcunda Virginis puritas ſolenni ritu celebraretur. Quod inſtitutum, elato mox Eugenio, Diuus ipſe Ildephonſus auſpicatus fauſtè eſt, renunciatus Archiepiſcopus Toletanus: continuauitque ad hæc vſque tempora celebritas, ac propagata alibi gentium eſt non mediocri cum obſeruantia, ſtudioque mortalium. Et quidem, vt

Nouendiales in SS. Apoſtolorum templo feriæ.

a *Iulian. Pomer. Roderic. Epiſcopus Tolet. Io Marian l. 5. de reb Hiſp c. 10* Harum in Hiſpania origo.

nihil

nihil auguſtius, atque admirabilius, quàm conceptum in ſinu Virginis Numen, ita conſentaneum rei admirabilitati eſt, vt quot menſibus plena Deo Virgo fuit, totidem diebus tanti myſterij, ac Virginei vteri prærogatiua coleretur. Nec ſanè præſtari obſequium Deiparæ gratius poteſt, quàm eius puerperio proludere virginitatis memoria, ac florem integritatis commendari, antequàm fructum ventris exponat. Hanc portò Mariani cultus partem viderant noſtrates eximio cum aſſenſu, fructuque populorum in Sicilia peragi; & qui in omnigenam pietatem intenti, nihil æquè propoſitū haberent, quàm amplificari ſacra, & commoda animorum, omnium primi Neapoli in Sanctorum Apoſtolorum templo celebrare Expectationem diuini partus, & Mariæ virginitatem nouendiali eo cultu occœpere. Recentem pietatem tùm ſacra Euchariſtia, cœpta per eos dies exponi, tùm procuratus ad omnem elegantiam, ſplendoremque eccleſiæ apparatus, tùm denique lectiſſimarum vocum ſymphonia mirificè conciliarunt; valuitque ipſa nouitas, vt mirum in modum procederet inſtituta religio. Quæ mox Neapoli item in Diuæ Mariæ Angelorum, noſtram videlicet baſilicam inuecta. Nam quæ frequentari ab gente Hiſpana eccleſia ſolet, pateat, vt celebritatem, quæ inſtitutione, ac ritu hiſpana eſt, ſuis popularibus exhiberet. Et quidem inſignis hìc item hominum accurſus, & vocum modulatio, & concionum ſplendor; templi præſertim ornatus, ſed citra ſcenam. Tranſlata ſiquidem è Sicilia pietas, non theatrum, ac machinæ; quæ licet concitandis populorum animis vim habeant non mediocrem, erudiatque efficaciùs mentem traducta per oculos viua rerum imago; attamen, nonniſi quod eſt grauiſſimum, templa poſcunt; ac profeſtibi ab his Diuinitatis ſacrarijs iſthæc oculorum illicia, & quicquid caueam, ac Roſcium ſapit, ęquum eſt.

Ex Sicilia inuecta Neapolim ſolennitas

Quo cultu.

Panormum modò euocamur, fundandę ſumptuoſiſſimę eccleſię, quę incipere ab acri quadam controuerſia debuit, vt ad ſuum poſtea faſtigium, ac decus euaderet. Diximus, in Vrbis meditullio, ſituque longè nobiliſſimo contigiſſe noſtris locum. Templum confluentium multitudini peranguſtum, amplificandum, atque à fundo conſtruendum cùm eſſet, coëmerant circùm domos, ac parem iam ideę aream. Igitur, ineunte hoc anno initium pręclari operis decretum. Sed cœpta vix fundamenta, cùm intentata à religioſis viris lis eſt. Situs partem, cui noſtri manum iam admouerant, ſuam eſſe, ac ſuis ſcholis deſtinaſſe. Ad hęc, attiguam inibi domum eſſe, quam magno ipſi coëmerant: ſi templum ſurgeret, fore, vt illi cœlum, lucemque eriperet: aliaque obijcere. quę negotium noſtris cùm faceſſerent, implorati à Petro Caracciolo, eius domus Pręposito Petri Gironij, Offunenſium Ducis opem, qui tùm in Sicilia pręerat, oportuit. Viſa profectò digna Principe cauſa, qui ad locum accedere, formamque iudicij inſtituere, ac controuerſiam palàm dirimere cogitauit. Nec mora: adijt conſtituta die. Situs partem, quam ſuam illi aſſerebant, donatam antea à Panormitana Ciuitate Clericis Regularibus, comperit. Ædes attiguas vt coëmerent noſtri, iuſſit; pretiumque intra biduum repręſentarent: cętera, quę nihil addere firmamenti cauſę, ſed comperendinare videbantur, pręclara vi iudicij, ac ſumma cum ęquitatis laude illicò pręcidit. Sic breui, Ordine, ac populo acclamante, reclamantibus fruſtra aduerſarijs, perorata cauſa eſt. Noſtratum modeſtię, incredibile dictu eſt, quantum apud ciues attulit plauſus ea quęſtio: vt nihil frequentiùs vſurparum omnium ſermonibus tùm fuerit, quàm adiudicata Clericis Regularibus lis, ac parta indè victoria. Templi verò fundamenta, quæ iaci ſolenni ritu debuerant, celebrata maiore cum populi gratulatione fuere, creuitque ab eo diſſidio, ac palma celebritas. Itaque dies Ianuarij menſis ſextus, Dominicæ Epiphaniæ ſacer, iaciendo primario lapidi deſtinatus. Cardinalis Doria Archiepiſcopus obire id functionis voluit. Adfuit Dux Offunenſium, adiecitque operi manum. Nobilitas, vulgus, matronæ item viſæ inardeſcere vehementer Diui Ioſephi ſtudio, cui templum ponebatur. Plauſere ſuo tonitru ænea tormenta; demum abſoluta feſtiuis ignibus ſolennitas, qui primam noctem, atque intuentium animos exhilararunt. Hoc poſtea templum ad eam magnificentiam, atque amplitudinem deductum, vt inter ſumptuoſiſſimas Italiæ baſilicas, quà deſcriptione, ac idea operis, quà areæ capacitate numerari iure poſſit. Quod in eo potiſſimùm admirere, ea eſt è laudatiſſimo, varioque marmore columnarum hinc,

In fundanda Panormitana baſilica lis.

Quam diremit Petrus Gironius Prorex

Iactuſque primus eius lapis ſolenni ritu.

Eius templi magnificentia.

hinc, atque hinc ſeries, prælatæ illæ quidem, vt quadragenos pedes earum ſcapus ex-
cedat: augetque admirationem, ac elegantiam altera ſub templi hemiſpherio, ex
eodem nempè marmore columnatio, quæ neſcio, tholum ne firmiùs ſuſtentet, an
molem omnē ornet magnificentiùs? Dum hæc Panormi baſilica inchoatur, abſolui-
tur Placentiæ Diui Vincentij templum: eòque, inſtituta ſolenni pompa, immigrant
hoc anno Patres; quod ſat fuerit, hic innuiſſe. Nam denarraſſe aliàs, memini.

Interim ad annum inſequentem gradum facimus, in quo occurrit ſtatim opus, pla-
nè laudatiſſimum, noſtratum conſilio, ac opera Neapoli excitatum. Cùm nullum — An. Domini 1613.
non accurare pietatis munus noſtri ſtudeant, tùm illud ab ipſo penè Congregationis — Noſtratum
exordio ijs inſitum: inſtaurare, videlicet, in lapſis fœminis pudicitiam. Pœnitentium — cura in tuen-
Neapoli gynecæum in ipſo Inſanabilium noſocomio, frequentiſſimum id quidem, ac — da fœminarũ pudicitia.
ſingulari diſciplina inſtructum, Mariæ quidem Ayerbæ, Termulenſium Duciſſæ ope, — Neapoli.
ac opibus fundatum: at Caietano Thienæo, & Ioanni Marinonio tribuendum, qui
Mariæ eam mentem indidere, atque erudiere ipſi poſtmodùm cœtum illum ad om-
nem virtutum exercitationem. Patauij Bernardinus Schottus eiuſmodi etiam Mo-
naſterium, ſcriptis ipſemet legibus, ordinatiſque vitæ rationibus, inſtituit: vigetque — Patauij.
hodièque hæc diſciplina, ac loci ſanctitas. Venetijs, cùm nullibi adhuc eſſet in am- — Venetijs.
pliſſima Vrbe proſtitutis mulieribus perfugium, factum Theatina induſtria, ac ſtudio
eſt, vt percommodũ ijs collegium excitaretur, in quo breui ad quingentas excreuit
familia: aderantque noſtri homines, præcipuè Hieremias Salodienſis, voce, ac auribus;
ita vt floreret inter corruptiſſimas olim fœminas pietas, atque omnigena virtus; cer-
tarentque cum religioſiſſimis virginibus, regularum ſanctitate, ac obſeruantia. Id
ipſum Placentiæ inter primas curas egregiè nauauit Paulus Aretius Epiſcopus, erecto
inſigni monaſterio; cõmendauitque noſtratum fidei, ac diligentiæ, præcipuè Andreę
Auellini, loci progreſſiones, ac regimen. Procurata & alibi locorum hæc eadem à
noſtris in libatæ pudicitiæ mulieres pietas. Hoc autem anno, amplificato iſtiuſmodi — Neapoli am-
in Vrbe Neapoli gynecæo, inſtitutum præterea eſt alterum tuendæ pudicitiæ opus, — pliatum hoc
quod deſiderari inibi videbatur. Cùm Ioſeph Caracciolus, & Iſabella item Carac- — ipſum opus,
ciola, pijſſimi coniuges, ſeculum, ac opes abdicarunt, hæc ad Diui Andreæ monia-
les, vti ſignificatum eſt, ille ad noſtros aggregatus; iuuere quidem Conuertititiarum
fœminarum cœnobium, ab Ayerba conditum. Nam Ioſeph, legatis quindecim au-
reorum millibus, inſtitutoque ex ijs cenſu annuo, alendas ibi mulieres omninò qua-
draginta conſtituit; Iſabella verò coоſtruendæ fabricæ, quæ illas exciperet, ſex au-
reorum nummũ millia dono dedit: auctore, videlicet, Iuſtino Barnaba, qui eorum con- — Simili etiam
ſcientias cùm regeret, beneficentiam etiam, ipſorumque conſilia ad vnum omnia ſuo — collegio inſti-
nutu moderabatur. At enimuerò cùm in eo monaſterio illæ duntaxat exciperentur, — tuto, Barnabę
quæ in impudicitiæ caſtris ſtipendium publicè fecerant; cæteræ, quas clandeſtina ve- — opera.
nus cõmaculauerat, aut lapſu quodam peccauerant, excluderentur; offerri ſibi præ-
claram occaſionem, putauit Barnaba, qua & huic etiam mulierum conditioni conſu-
leret; hortatuſque Iſabellam eſt, vt, quando dicare Deo fortunas ſuas conſtituiſſet,
complecteretur hanc pietatis partem, quam nulla adh[illegible] piorum munificentia oc-
cupauerat. Ergò antequàm ſolennia nuncuparet vota, cùm è ſuis bonis alia alijs pijs
vſibus diſtribuiſſet Iſabella, in hoc maximè collegium animũ intendit; legauitque per-
ficiendo operi pecuniarum ſummam planè non modicam: qua deindè aucta, hoc de-
mum anno erectum contubernium eſt, conſtitutis ordinationibus, ad quas familia
viueret; lectiſque è præcipua nobilitate rectoribus omninò quinque, qui ita rei com-
muni præeſſent, vt illorum vnus ſingulis ſemeſtribus mutaretur. Et viſus quidem
aſpirare cœptis Deus. Nam cùm perutilem, ac longè laudatiſſimam pietatem de- — Quod iuuit
prædicarent noſtri homines, id effecere cum Iſabella Gonzaga, Hoſtiliani Principe, — Iſabella Gon-
vt & ipſa decem aureorum millia monaſterio addiceret; quod non mediocre addi- — zaga ſuo ære.
tamentum fuit. Principio, quoad ſitu percommodo ædes ſubſtruerentur, conductæ
ad Nili ſedile domus: eodemque ſimul die decem, & octo mulieres, quæ pridem re-
uocatę ad frugem, vitæque decus fuerant, coloniam inibi fixere, addicta loco pia, ac
longæua quadam fœmina, quæ familiam, eiuſque commoda regeret: noſtris inte-
rim ſingulari contentione adnitentibus, vt præclaris initijs, ac morum forma finge-

retur

retur ad omnẽ pietatem, ſanctitatemque domicilium, Et quidem, ex ijs pleræque receſſu quodam, piaque vitæ inſtitutione bonam illicò mentem concepiſſe, atque induiſſe, teſtatæ ſunt: nonnullas verò, quæ eſt conſuetudinis vis, ſtrictioris diſciplinæ, modeſtiæque, ac honeſtatis ſtatim piguit; vt non minimùm quidem laboris inſumendum in eiuſmodi præfracti ingenij fœminis emolliendis fuerit: eiectis omninò morbidis, ne cæteras corrumperent; quas diuina vltio paupertate, morbis, inflictis etiam vulneribus mox corripuit. Illud hic, memoratu dignum, paucis exponam. Ex ijs puella quædam, vt forma præſtantior, ita pertinaci quodam mentis propoſito cæteris obſtinatior, libertati, ac ſolutiori vitæ reſtitui omninò contendebat. Rectores nullam non rationem inire, qua illam à conſilio reuocarent; vt qui ab inſignioris elegantia plurimorum exitium præuiderent, ſi educiẽ clatris blandam eam feram, contigiſſet. Tandem quòd ad inſaniam clamaret, decretum, vt morem gererent. Verùm, cùm è noſtra Paulina domo, vbi Rectorum conuentus cogi ſolitus erat, ad monaſterium accederent, neſcio quonam fręno detineri ſibi videbantur, ne inde illam emitterent. Id quod non ſemel ingenti cum ſui ipſorum admiratione accidit. Interim affulſit diuina bonitas. Nam cùm aliquando vim dicendi omnem in ea adhortanda confeſſarius fruſtra conſumpſiſſet; vt vehementiùs terreret, ijs illam verbis dimiſit: Deum precor, vt viuam te ad infernas domos deduci ſinat, indignam prorſus huiuſce loci ſanctitate. Igitur, inſequente mox nocte videri ſibi viſa eſt puella, non quidem in ſomnis, ſed vigil ad Inferos aſportari. Obiectę illi ęterno igne vexatę, innumerę ibi animę: quaſdam de vultu agnouit: tùm monita ſeriò, caueret ſibi, ne ſi ab eo conuictu, in quo morabatur, diſcederet, ad ea poſtmodùm incendia dilaberetur. Exterrita quidem illa vehementer oſtento eſt; ſed non adeò, vt propoſitum omninò mutaret. Quare erudienda nouis terroribus, ac monſtris ſubindẽ fuit. Lebetem longè capaciſſimum, ſubiectoque igne horridè efferueſcentem vidit. Innatare, ac incoqui in ea animas dum cerneret, ecce tibiearum vna ab eo lacu emerſit, ſpecie planè miſerabili. Iuuenis is olim fuerat, puellę amore perditè captus, qui vbi illam compellauit, hęc paucis: Damnatum ſe ęternis ſupplicijs ob culpas, quas vnà ſecum admiſerat. Conſuleret ſibi, ne ſerò ſaperet. Exceſſiſſe è viuis amaſium ignorabat puella, nec fidem ijs dictis omninò adhibebat: cùm rei certior facta à matre, quę eò cõmodùm acceſſit, vſque adeò caſu, ac viſu perculſa eſt, vt inter ſingultus, ac lachrymas execrari exactę vitę diſpendia, ac noxas cœperit: tùm ſorores compellare, ac veniam pertinacię petere: capillos, in quorum cultu tota erat, ſtatim pręcidere: pœnitentię habitum pro loci inſtituto induere: confeſſarium potiſſimùm euocare, in cuius aures venenum, quod animę morbum faciebat, continuò per ſacram totius vitę confeſſionem euomuit. Cùm primùm ingredi contubernium Rectoribus contigit, habitu, ac moribus alia, proceſſit ijs obuiam, eorumque pedibus allapſa, obſtinatę diù mentis veniam ingenti vi lachrymatum, atque intimo quodam animi ſenſu exorauit. Quę quidem dexterę Excelſi mutatio admirationi incredibili ijs fuit, ac ſummoperè gratulati fœminę ſanitatem ſunt: eò vel maximè, quod extortam ex inferni hoſtis manibus fortiſſimum telum cernerent, quod plurimos perdidiſſet. Hoc exemplo

Transfertur alio gynecæū.

creuit operi fama; quod non diù poſt ſua in ſede collocatum. Enimuerò anno huius ſęculi decimo ſeptimo in ſuburbio, quod à Virginibus appellant, coëmptę domus fuere, propè Diuæ Marię à Miſericordia templum, vbi excepti olim noſtri homines, cùm primùm Venetijs Neapolim appulere. Locus ad monaſterij formam inſigni piorum

Eccleſia à Cardin. Burgheſio conceditur.

hominum voluntate, ac beneficentia breui concinnatus. Adiacebat Diui Antonij eccleſia, quę Scipionis Cardinalis Burgheſij Sacerdotium cùm eſſet, ſupplicatum Cardinali à noſtris fuit, vt eius vſum pijs mulieribus concederet. Quod vbi impetratum, inſtructa pro modo ſacra ędes, adornatuſque pręſertim exercendę pſalmodię chorus; ac dicatum Monaſterium fuit Diuę Marię Succurre miſeris. quò ſe cœtus ille, qui iam quinquaginta fœminarum numero conſtabat, Maio menſe tranſtulit. Inſtructum ſingulari modeſtia agmen, adductoque omnes velo, ita incedebant, vt nec aſpicere quemquam, nec aſpici à quoquam poſſent. Proſequebantur è præcipua nobilitate matronæ Neapolitanæ; ac concurſus vſque adeò frequentes fuere, vt impediret Ciuitatis itinera multitudo, cui ſubmouendę adhibitus miles Prætorianus. Re-

ceptæ

ceptę ſua Sede, vacare Numini, ac diſciplinæ eximia quadam animi contentione occœpere: idque in ijs ſummæ admirationi fuit, quòd rudes, addictæque illecebris mundi fœminę tàm breui, tàm benè pſallere didiciſſent. Adeſt earum commodis Rectorum diligentia, & charitas: noſtratum verò cura ea eſt in præſenti, vt loci obſeruantię, ac religioni benè ſit, nulliſque laboribus parcitur, vt cultu morum, ac pietate contubernium floreat.

Hæc Neapoli, vbi hoc anno Iuuenis œuo, ac opibus florentiſſimus, in agone vltimo ſpectaculum edidit, planè formidandum, cui Benedictus noſter Mandina adfuit, ac propulſare ſtrenuè quà monitis, quà precibus malorum dœmonum impetum, ac vim ſtuduit. Libeat hic ex ipſius Mandinę ad Ioannem Baptiſtam Caſtaldum, excuſa Neapolitanis typis epiſtola, quæ circumfertur, ſucceſſum excerpere, ne prætermitti videatur, quod in omnium ſermonibus Neapoli tùm fuit: eritque ſanè pretium adnotaſſe. Igitur, qui difficillimam palęſtram ſubijt, Ioannes Lopez à Cueua fuit, Catharinæ Ortiziæ, nobilis matronę filius, qui ætatis annum vndeuigeſimum vix exceſſerat. Laxauerat is ſtatim primæ iuuentæ, qua nihil incitatius, habenas; ijſque ſe præſertim voluptatibus permiſerat, quæ florenti illi œuo perſamiliares. Eiuſmodi verò deliciarum poculum ita biberat, vt pietatem non omninò extinxerit. Quędam remanſerat in Chriſti Domini cruciatus deuotio, ex qua ſextis identidem ferijs ieiuniū pane, ac frigida tolerabat. Magnam Dei Matrem intimè etiam colebat; ac poſtremò quæ potiſſimùm eſt diuinæ potentiæ conciliatrix, inerat in pauperes miſericordia. Quæ ſanè mox effecerē, vt merſum illecebris iuuenē, concitatus ab infernis hoſtibus turbo non mergeret. Itaque, ne altior, ac diuturnior lues ſuprema cum animi ruina Ioannem inficeret, præcidi inſtitutum vitæ curſum in ipſo rerum initio, Deus voluit. Interceptus ſubito quodam morbo is eſt. Nec mora: muſſare medicos, atque inſuſurrari in aures periculum ſenſit: vt perſuaſerit facilè ſibi, inſtare vltima; ac proindè conſcientiæ, æternæque ſaluti conſulendum. Vocatur Benedictus Mandina, cuius nota apprimè Neapoli cùm pietas, tùm curandorum animorum peritia. Totius anteactę vitæ confeſſione expiatur: cumque ingraueſceret malum, Euchariſtico diuini Corporis viatico reficitur: nec poſt multò ritè inungitur: ac tùm quidē, veluti ad luctam ex vetere inſtituto, ſacro eſſet oleo delibutus, prouocari ad pugnam planè moleſtiſſimā, ac longè acerrimam, aduertit. Viſi rebelles genij artes, ſtudia, conatus ſuos omnes exeruiſſe; vt quem ipſi primo veluti lacte aluerant, ſibi, ceu iam ſuum, aſſererent. Nihil hic tacitè, aut ab inſidijs: palam, apertoque pugnatum marte; vt inſpiceret ægrotus ipſe ſuis oculis, hoſtes, tela, machinas, atque adornatas omni inferorum ope impreſſiones. Primùm quidem incubare lecto dæmonem vidit perhorrida quadam vituli forma; diſceptabatque is de fide, vt ab Chriſtiana religione abduceret: tùm fulgura, ac ſulphureas faces iacere, ex quibus incredibilis ardor, ac odor omninò teterrimus. Rudimenta iſthæc pugnæ, ac velitatio. Adaucta ſiquidem mox dæmonū phalange, factoque impetu, peccatorum genus omne iuueni obijcere: atque ad ea vehementiùs propellere: cùm interim, vt mentem perturbarent, conſternarentque, ſpectris agerent, ſupra terrorem, metumque omnem horridis. Repugnare ille, quanta maxima vi poſſet, trepidare, quati, miſerabilem in modum inclamare. Aderat Mandina præſenti voce, atque adhortamentis, qui id in primis iuſſerat; vt quicquid truculentiſſimi hoſtes conarentur, euulgaret illicò, vt propugnarent ipſi pro viribus, ac vim vi repellerent. Iam, vt collato veluti pede, acriùs arderet pugna, vim auri, & quas Auunculus tùm quidem opes legauerat, lautiſſimas eas quidem, afferre nefarij ſpiritus, atque in eius conſpectum dare: nempè vt in deſperationem inducerent, quòd relinqueret. Sed dum hæc ille fauore Numinis tentamenta abijcit, ecce tibi periculoſior omninò Iuueni machina. Mulieres illi æquè pulcherrimas, ac motu geſtuque impudiciſſimas oſtendunt: inter quas elegantiſſimi oris puella, qua cum olim familiaritas interceſſerat, & cum ea mater, quæ offerret. Nihil hac à fœminarum ſpectris aggreſſione valentius: ſed repellere ſtrenuè, obiectaque Crucifixi Domini imagine, eius ſe ſe præſidio cōmendare, ac fugare hoſtes: qui ludi conatus ſuos cùm cernerent, fœdus cum ipſa natura ineunt. Matrem quippè, quam Ioannes vnicè amabat, merſam lachrymis, atque à vicino eius funere penè exanimem, repræſentant. Exulce-

Ioannis Lopez ſuprema cum malis genijs lucta.

Dæmonum impetus.

Spectra.

Ab omni tentationum genere machinę

rare vehementiùs pectus telum hoc potuit. Sed hoc ipſum ſumma vi declinauit: ac ſe quidem adoptaſſe in matrem ipſam Dei Genitricem, reſpondit: abirent proindè, ac faceſſerent. Laborantem, luctantemque ingenti corporis, animique contentione ægrotum, iuuare interim adſtantes, ac Mandina præeunte, recitatis Diuorum nominibus, eorum opem implorare: ac tùm quidem praui genij euocare & ipſi auxiliares copias: viditque mox Infirmus è proxima feneſtra horribiles viſu dæmones circiter ſeptuaginta ſe ſe impetu, ac certatim in cubiculum effundere, ac miſcere omnia: quorum ille aſpectu, ac numero perterrefactus, vociferari, auxilium poſcere, Crucifixi effigiem prenſare. Inſperſa piacularis vnda, ad quam cadere quidem hoſtes, ac ſterni videbantur, ſed reſumptis mox viribus, pugnam inſtaurabant. Allata item Sanctorum Lipſana, frangendis Inferorum conatibus opportuniſſima. Id illi ſolatio potiſſimùm fuit. Quendam, videlicet, præclaro quidem vultu, habituque iuuenem cernere, qui mira quadam alacritate, exertoque enſe in hoſtes pugnaciſſimè inſiliret, ac funderet; quem Tutelarem angelum fuiſſe, non dubitarunt. Sed neque profligata pugna eſt. Tentata iterum fides; diuinæ Trinitatis, aliaque Chriſtianæ religionis myſteria impugnare nequiſſimi veteratores: & quòd cernerent, ſatis illi præſidij eſſe à Crucifixi Redemptoris imagine, hanc ipſam, veluti ex Herculis manu clauam, extorquere conantur: maledicta in illam iacere; ſtipitem, truncum, non Dei effigiem eam eſſe: exprobrare, quòd adoraret, ac oſcula figeret: &, vt omninò auferrent, facto gradu, inijcere violentas manus cœpere. Hic ille adſtantium fidem, ac potentiſſimæ Virginis patrocinium vehementiùs implorare; opem à luſtrali aqua poſcere, recitare preces, ac pſalmos: nihil denique intentatum relinquere: ita vt dentibus etiã, ac mordicùs ſalutare ſignum, ne excuterent, retineret. Secundum hæc ventum iterum ad ignem, ac flammas; atque iniici ſe ægrotus in ſartaginem, ac piſcis in morem frigi ſenſit, cruciatu planè incredibili. Quo tempore lamentari miſerandum in modum, adeòque flebilem vocem edere auditus, vt temperare lachrymis, qui aderant minùs poſſent. Sed cumulata hæc etiam palæſtra noua animi conſternatione. Noxas ſiquidem vitæ omnes ob oculos ponere, ac vehementer dæmones inculcare: veluti actum iam eſſet de eius anima, quam tot crimina ad diuinæ iuſtitiæ, ſuæque conſcientiæ tribunal accuſarent. Percelli quidem triſti ea memoria ægrotus cœpit: ſed, recepto mox ſpiritu, ad ſingula reſpondere: & has quidem culpas lachrymis, ieiunijs illas, alijſque corporis afflictationibus, omneſque ſacramentali confeſſione expiaſſe ſe; ac proindè Chriſti ſanguinem merſiſſe perenni quadam alluuione ſua crimina, audacter affirmabat; quibus irritati vehementiùs truculentiſſimi dæmones, viſi telis alijs, atque alijs inſurgere, ac nouas excogitare nocendi artes, vt acceſſerint tandem propiùs, ſpirantes minarum, & cœdis, frementeſque, veluti euellere ipſi animam è corpore, atque aſportare ſecum vellent. Hic moribundi eiulatus, queſtus, lachrymę ſupra modum. Horrere domeſtici, & qui ad ſpectaculum confluxerant. Mandina in omnem Chriſtiani officij partem intendere; adhortari ad tolerantiam, excitare pios animi motus, polliceri à Diuorum præſidio præſentem opem, oſtentare Chriſti vulnera, nullis religionibus parcere. Sed obſtinatior aduerſariorum truculentia vrgere, inſiſtere, moliri vltima. Quinque omninò horas longè periculoſiſſimum certamen nouo ſemper tentationum genere tenuit: ac tandem Dei nutu, qui non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, dum Euangelium Ioannis legeretur, ad ea verba: Et Verbum caro factum eſt: viſi dæmones, veluti exhauſto iam impetu, ac conſumatis omninò viribus faceſſere; ac reſtituta ſua tranquillitas, ac pax Iuueni, quem hymnis, pſalmis, precibus, conſociatis etiam multorum ſtudijs, epinicium canere, iuſſit Mandina, ac Chriſti ſanguini, Marianæ tutelæ, aliorumque Diuorum patrocinio palmam tribuere. Conſequenti verò die inter pia adſtantium officia, atque in ipſo Crucifixi Domini complexu animam tranquilliſſimè efflauit, certa cum ſalutis ſpe; quippè quem legitimè certare, atque acerrima exerceri pugna, voluerit Deus, antequàm coronaret. Porrò hæſit atrox ea rerum facies omnium animis, ac cogitare ſeriò cœpere, quàm plena aleæ ſuprema palæſtra ſit à malis dæmonum artibus, ac inſidijs: ac plerique, quòd ſcirent, felices eſſe, quos cautos faciunt aliena pericula, commutandæ vitæ rationis occaſio, ac ſtimulus euentus hic fuit. Et Mandina quidem,

Adeſt ſtrenue Benedictus Mandina.

Cuſtodis angeli tutela.

Quo mortalibus documento hæc acciderint.

dem, qui ſuis oculis, ac tanta cum animi perturbatione ſcenam omnem vſurpauerat, hac potiſſimùm ratione Neapolitanis typis rem accuratè excepit; nempè vt latiùs manaret fructus, ac condiſcerent mortales ſapere, ac nouiſſima prouidere. Qua item de cauſa extare hæc ipſa in noſtris hiſtoriarum monumentis voluimus: ſcilicet, vt perennaret hortor, ac documentum.

Florentiæ externa Sodalitia noſtri regunt.

Sed pergimus, & breui quidem excurſu Florentiam calamũ apellimus, vbi eſt profectò nonnihil, quod adnotemus. Hoc ſiquidem anno ab externo quodam Sodalitio, cui à Diuo Nicolao, Myrenſi Epiſcopo nomen, ſummis precibus expetuntur noſtri homines, vt rem inibi animorum accurarent. Solennes Florentiæ iſtiuſmodi cœtus ſunt, in quibus ſingulis fermè diebus feſtis, manè quidem, expiata ritè conſcientia, Euchariſtico Chriſti Domini Corpore Sodales reficiuntur; veſpere verò per hyemem duntaxat, intendentibus ſe ſe tenebris, appoſito, videlicet, ad quandam attentionem, ac ſilentium tempore, pijs ſermonibus, nunquam ſine morum, ac pietatis compendio aures, animumque accõmodant. Et accepere quidem in clientelam hanc Diui Nicolai Sodalitatem Patres, deſtinato Rectore, qui conuentus illos ſuo nutu regeret, ac tùm manè ſacramenta, tùm veſpertinis horis Dei verbum adminiſtraret. Quod fructuosè quidem ſucceſsit. Atque hoc ipſum poſtea alterũ in eadem Vrbe Diui Archangeli Michaelis Sodalitium à noſtris petijt; ſubijtque prouinciam Vincentius Vguccionus, vir quidem nauus, ac impiger, qui non modò reſpondere ſuo muneri cum laude, prouentuque cœpit: verùm etiam, quòd nullis adhuc legibus viuerent, in id potiſſimùm curas intendit, vt certas ordinationes, atque inſtituta, quibus regi cõmunis pietas, ac diſciplina optimè poſſet, figeret. Quæ quidem eo omnium conſenſu, plauſuque excepta, vt ad eius deindè Sodalitij exemplar, ac normam plerique ſe ſe finxerint cœtus; creuitque mox à capitum numero exiſtimatio, ac ſplendor; cùm nullus ferè è nobilitate ſit, qui non adſcribi in eius cenſum voluerit. Sed hæc ſtrictim innuiſſe, ſat fuerit. Imus modò narratum cõmendatum noſtratum fidei ſub id tempus honeſtiſsimã legationem, negotio, videlicet, peragendo, quod nonnihil ad Italiæ ſtatum, tranquillitatemque momenti afferret. Exceſsit hoc anno é viuis Franciſcus Gonzaga, Dux Mantuæ, cui Ferdinandus, germanus frater ſucceſſit. Cœptus ab armorum ſtrepitu, atque incõmodis Principatus. Belli cauſæ plures fuere; præcipuè Monferratenſis Marchionatus: de quo vetus controuerſia cùm eſſet inter Mantuanos, & Sabaudos Principes, excitata nunc eſt à Carolo Emmanuele, ardentiore quidem ſpiritu, ac bellica omninò indole, Duce Sabaudię. Decertantibus mutua contentione Italis, acceſſere Hiſpani, & Galli: fauebantque hi quidem Sabaudis, illi verò Mantuanis: vt nulla profectò timeri luctuoſior Italię clades poſſet, vbi potentiſſimi Regum patrocinandę acriter cauſæ arma expediuerant. Hiſpanis id primùm, bellorum cùm motus, tùm occaſionem abrumpere: viſumque ijs opportuniſſimum, oblata Mantuæ Duci Cremonenſi Ditione, Monſerratum ſibi vendicare. Enimuerò vbi, mutato Marchionatus ille domino, regij aliquando iuris fuiſſet, præciſa eius potiundi ſpes omnis Sabaudo videri poterat: atque adeò, quòd fruſtra eſſent bellorum conſilia, ac impetus, miſcere Italiam abſtinuiſſet. Et videbatur quidem Mantuanę domui perutilis permutatio. Nam, longè diſſito Monferrato, quæ diuulſa, ac diſtracta Ditio eſt, Cremonenſi ea acceſſione vniri, ac necti eius inter ſe ſe partes, contingebat. Igitur qui ſummo tùm iure Inſubriam moderabatur, Enoxoſę Marchio, penes quem eius belli ſumma; vt publicam Italiæ cladem, aut anteuerteret, aut in ipſo ſtatim initio ſiſteret, id maturè tranſigendum curauit. Morabatur tùm Mediolani Placidus Filingerius, Neapolitanus, quem aliàs nominaui, vir ex noſtris, doctrinarum præſidijs, ſingulari potiſſimùm eloquentia inſtructus: valebatque præterea inſigni apud Mantuæ Ducem gratia. Is, ſi prouinciam ſuſciperet, ſperabat, fore Enoxoſa, vt nullus feliciore euentu conficeret. Nec abnuit Filingerius, complexus ingenti fiducia legationem; gnarus, id fauſtis auſpicijs ſuſcipi peragendum, quod cõmune cõmodum ſpectaret, ac præferret: tribuebatque non minimùm Ferdinandi beneuolentiæ, qui certè, ſe perorante, attentas, pronaſque tribuiſſet negotio aures. Et quidem agendi, dicendique ſolertia eò adducta res eſt, vt nil propiùs fuerit, quàm vt Mantuani Ducis approbatione ſanciretur. Tractationem Cremonenſes interturbarunt.

Vincentij Vguccioni nauitas.

Dux Mantuæ moritur.

Inde bella.

Hiſpanorum conſilium de permutando Monſerrato.

Negotio peragendo deligitur Placidus Filingerius.

Rem præcidunt Cremonenſes.

Mutare habenas, atque à regia poteſtate in ius Mantnani Principis abire, grauiſſimũ ijs erat. Eapropter ſuam cauſam pro virili tueri, afferro pro ſe momenta rationum, fauore Principum, precibus agere: demum nullũ non lapidem mouere, quo negotiũ abrumperent. Acceſſit, quòd Regij Piſleonum, quod citra Adduæ flumen eſt oppidum, retinere ſibi vellent: quòd inibi captum Ticinenſi prælio Galliarum Regem Franciſcum detineri contigerit. Quæ res in cauſa etiam fuit, cur ſucceſſu legatio caruerit, non ſine grauiore Italicæ rei damno, continuato pertinaci inter Principes bello. Filingerius vero citra euentum non mediocrem ſibi in ea rerum tractatione laudem peperit: adauxitque Mantuanorum Principum gratiam, quorum antea voluntatem vſque adeò demeruerat, vt in eum peculiari quodam ſtudio incumbere inclyta ea domus videretur.

Apud Margaritam Gonzagam gratioſus Filingerius.

Apud Margaritam præcipuè Gonzagam, Ferrariæ Ducis olim coniugẽ, ſummo loco erat, quam priuatis alloquutionibus ad omnem virtutem erudire, eiuſque identidem confeſſiones excipere ſolitus erat. Quo etiam obſequij genere aderat Iſabellæ Gonzagæ Auguſtæ, Ferdinandi Cæſaris poſtea Coniugi. Et Margarita quidem eò tandem beneuolentiæ deuenit, vt, ne abire aliquando Filingerium contingeret, de illo Mantuanis Inſulis ornando cogitauerit. Et confecta quidem res

Qui Mantuano Sacerdotio deſtinatur, recuſatque.

erat, abdicante Franciſco Gonzaga Antiſtite, Viro ſanctiſſimo, qui ſupremos olim vniuerſi Diui Franciſci Ordinis, quem ab obſeruantia appellant, temperauerat faſces. Sed ille, ne in ea inclytæ Heroinæ, ac Mantuani Ducis gratia honori ſuo velificaſſe, videri poſſet, inſigni cum religioſæ diſciplinæ documento, gradum recuſauit: oſtenditque geſtare ſe mentem, quæ aſpirante licet Principum aura, Inſtituti ſui ſtationem, ac portum nunquam deſereret. Id quod & aliàs contigit, probata non ſemel ad ho-

Taurini honores reſpuit Filingerius.

norum impetus religioſi pectoris conſtantia. Siquidem Taurinum poſtea amandatus, vt recentis coloniæ initia adminiſtraret, comperta Sabaudis Principibus præclara eius morum indole, inſignique literatura, eorum ſibi ſtudia egregiè conciliauit, ac mox Inſulis deſtinatus. Præcipuè Aſtenſe illi Sacerdotium oblatum: tùm Aneſia-

Semel, & iterum,

cum, in quod Antiſtitis Geneuenſis auctoritas, ac ſedes translata. Eaque erat Sabaudiæ Ducis Victorij de Filingerij eruditione, ac eloquentia opinio, vt diceret, ſi eas ille Inſulas capeſſeret, ſperare ſe, fore, vt facultate, ac vi dicendi ad orthodoxæ religionis frugem Geneuates, hoc eſt, gentem longè pertinaciſſimam adduceret, ſuamque ſibi Ditionem vindicaret. Sed non cepit dignitatis fulgor hominem, recuſauitque beneficentiſſimi Principis ſemel, ac iterum munificentiam. Cuiuſmodi & aliud eluctatus non ita pridem periculum fuerat. Etenim qui tùm Taurinenſi legatione Pontificis nomine fungebatur, Caſtracanus, ratus, non mediocrem initurum ſe ab ijs Principibus gratiam, ſi Policaſtrenſem Eccleſiam abdicaret, Romæque tranſigeret, vt Filingerio Epiſcopalis ea dignitas cederet; id impensè conficiendum Romæ, cura-

Et tertiò,

uerat. Sed ſtrenuè tunc ille renuit: tùm quia ſtatuerat iam ſecum ipſe hærere Inſtituto, ac diſciplinæ: tùm verò quòd is tunc erat Principum ſenſus, ac beneuolentia, vt ægrè auelli à ſe illum paterentur: præcipuè pijſſima Princeps, ac Victorij Soror, Maria, quæ à familiari viri præſtantiſſimi eruditione, ac dictione nimiùm quantùm in rerum diuinarum vſu, ac cætera virtute ſe proficere, affirmaret.

Sed à tempore, in quo verſamur, paulò longiùs prouecta narratio eſt: redimus ad

Saluator Ferrarius moritur

lineam. Saluator Ferrarius, quem ſupra meminimus, vir in concitandis animi motibus, promouendaque mortalium ſalute cum paucis comparandus, hoc anno Platiæ moritur Octobri menſe, cuius virtus in omni pietatis genere exercitatiſſima, vt non fusè, ita neque ſtrictim, ac ieiunè enarranda. Et verò, cernere Ferrarium, agno-

Externa eius modeſtia.

ſcere veluti de vultu quandam pietatis, ac innocentiæ imaginem erat. Ita nanque compoſita ad modeſtiam, ac ſanctimoniam externa ſpecies videbatur, vt ſolidæ ſtatim virtutis opinionem in intuentium animis ingeneraret. Nec fallebat ea frontis indoles, ac probitas. Præcipuus illi animorum zelus, de quo abundè ſignificatum eſt, cùm de inſtitutis ab eo Panormi Sodalitijs, ac de incitatiſſimo eius ſtudio in excolenda communi religione diximus. Planè, cùm nullum non hominum genus complecterentur ij cœtus, mirum, quàm varia, quàm multiplex inde ſeges pro ſingulorum

Animorũ ſtudium.

ingenio, ac ſtatu. Viſi ad Chriſtianæ pietatis legem, ac modeſtiam perditiſſimi viri, agente intus Numine, foris Ferrario, redire. Augebantur ſacri Ordines ab his, quos

ſuaden-

Digitized by Google

ſuadente eodem Apoſtolici ſpititus viro, terum humanarum faſtidium ceperat. Excitatus vel in rudi plebe diuinorum ſenſus: commutati vulgò mores: eruditi ad humilitatis normam, atque ad omnigena charitatis opera viri principes; denique viſus ab ijs, quæ Saluator Ferrarius moribus, ac voce Sodalitia temperabat, omnis Panormitanæ pietatis ardor manaſſe: cuius id erat proprium, adhortatione, ac vi dicendi flectere auditores ſuos, atque eò, quò vellet, propellere. Nempè eloquentiam, ac reliqua naturæ inſtrumenta animabat charitas, quę in proximorum ſalute procuranda nunquam non in eo flagrantiſſima: ita vt nullum non ſubiret corporis incommodum, voraretque difficillima quæque, ac dura, vbi ſpes aliqua animorum affulgeret. In excipiendis mortalium noxis totus erat. In linguæ officio vſque adeò aſſiduus, vt non raro quater in die, mutata exedra, ad concionem dixerit, mirantibus, qui aderant, quòd valetudine alioqui imbecillis, robur afferret iſtiuſmodi exercitijs adeò firmum, atque habitudinem, vireſque penè athleticas. Præcipuus illi ardor in moribundos.

In moribūdos charitas.

Nouerat quippè in eo vitæ articulo à communi hoſte, à defectis viribus, ab inſtantis fati motu periculum; proindèque nulla vnquam temporis, loci, ſuique ratione viſus detineri, quominùs luctantibus ſupremo anhelitu mortalibus inſigni quodam zelo, ardoreque animi adeſſet. Et Panormi quidem tantam in eo charitatis genere opinionem ſibi conciliauerat, vt nullus iam penè eſſet, ex omni ordine, cenſuque homo, qui, vbi adeſſe extremum diem agnoſceret, non ſibi à ſanctiſſimi viri ope præſidium compararet: accurrebatque Ferrarius conſtanti quodam ſpiritu, ac penè ferreus, laborioſa, aſſiduaque ab ea pietate nunquam attritus. Aberant interdum longiùs morientes: leuandoque itineri mittebantur à pleriſque currus. Sed recuſabat illecebram charitas: pedes ibat, redibatque. Contigit aliquando, vt viribus omninò deſtitutus, conficere longum iter deſperaret; ac tùm quidem ex improuiſo, ac veluti è cœlo, currus: quo ille vſus, dilaudare poſtea ſolitus erat opportunas Numinis blanditias, ac prouidentiam: idque ea animi firmitudine, ac fide, vt perſuaſerint ſibi audientes, non ſemel in iſtiuſmodi neceſſitatibus adfuiſſe Ferrario Deum, ac ſuis illum circumueniſſe beneficijs.

Laboranti adest opportunè Deus.

Porrò hunc animarum zelum vel moriens ipſe comprobauit. Agebat ſiquidem penè animam, cùm vnum quempiam inter adſtantes conſpicatus, accerſitum, monuit, vt conſcientiam accuratè recognoſceret: tùm, quam prætermiſerat in generali totius anteactæ vitæ confeſſione, culpam maturè expiaret. Charitas nempè, quæ ſub ipſum vitæ finem flagraro vehementiùs videbatur, quodam etiam lumine illum perfudit, quo latentem penitùs noxam vidit, ac euulgauit.

Animorum ſalutem vel moriens curat.

Proxima charitati humilitas, & inſignis quædam animi modeſtia in eo erat, quæ inter omnium laudes, ac plauſus vel maximè elucebat. Planè, qui tàm frugiferam Panormi operam ponebat in concionibus, in Sodalitijs, in conſcientiarum tractatione, mirum, qua vulgò floreret fama, & qui illi ab omni hominum genere cultus.

Eius humilitas

Sed materia hæc erant viro modeſtiſſimo eximiæ cuiuſdam animi demiſſionis: & vt alij probra, ac contumelias, ita ipſe honores auerſabatur. Nihil facilius erat, quàm in eius laudes coram etiam abire. Præcidere ipſe, illato mox alio ſermonum argumento: ſi pergerent, vultu triſtitiam ſignificabat, aut abibat. Semel à publica quadam cōmendatione viſus vehementiùs conſternari. Panormitanam domum luſtrabat de more Ioannes Antonius Angriſanus, Præpoſitus Generalis; & quòd nobilium cœtum florere pietatis ſtudio in ea domo, Rectore Ferrario, cerneret, addere ipſe ſtimulos ſamiliari colloquio voluit. Inter dicendum in moderatoris laudes deflexit; eò nimirùm impetu quodam, ac ſua ſponte eunte oratione. Ille, vbi ſe peti improuiſa ea laude, ac telo vidit, cùm neque abire, neque alia ratione euitare ictum poſſet, manu primùm vultui adducta, verecundiæ, atque humilitati ſuæ cauit: tùm obortis lachrymis vbertim flere, ac tremere: veluti oſtenderet, nullum ſibi tormentū maius, quàm palam appellari, ac dilaudari.

Quo ſenſu laudes excipit.

Quo quidem animi ſenſu peracerbo dicere ſolitus erat: proh quantùm in me honeſtando mortalium iudicia decipiuntur: honorem habent, ceu virtus inſit: mihi verò abeſſe à ſolida virtutis laude quàm longiſſimè videor. Remouere proindè à ſe conabatur, quæ præclara videbantur, referebatque ſtatim aliò, quicquid in animorum potiſſimùm ſtudio ipſe nauauerat.

Solu-

Solutis oppidò moribus vir fœminæ cuidam contigerat: non pietas, non domeſtica illi curæ. Qui mox mutatus, vt lætitiam vxori, ita admirationem ingenerauit. Cauſam illa dum quærit, audit Saluatori cuidam Ferrario, qui in Diui Ioſephi cœnobio in eiuſmodi farinæ hominibus Deo adiungendis totus erat, bonam mariti frugem acceptam eſſe referendam. Nec mora: habendas Ferrario gratias, ducit fœmina, eiuſque pedes exoſculatura, ſtatim ad Diui Ioſephi adit. Virum egregium poſcit, ac fortè in eundem ipſum, quem de vultu nunquam aliàs nouerat, incidit. Ille, ecquid à Saluatore peteret? interrogat: tunc mulier: quæ olim deplorata mariti indoles, ac perditi mores fuerint: quæ tùm eſſet vitæ forma, ac pietatis cultus, aperuit: eòque acceſſiſſe ſe, vt Saluatori Ferrario, quem tantæ mutationis auctorem audiuerat, grates perſolueret; oraretque, vt in eo vitæ inſtituto coniugem confirmaret. Diſſimulata Saluator perſona, ac nomine, rem audijt, gratulatus nempè in ſinu clientis ſui progreſſiones: tùm monita fœmina, vt cõmutatas viri vitæ rationes Deo referret, abijt: cauitque ſilentio honori, quem illa habuiſſet.

Ne ob ijs ſibi cauet.

Quod ipſum non ſemel cum alijs præcipui ſanguinis matronis Panormi accidit, quæ cùm ab eius ſchola expolitos ad omnem religionẽ, ac modeſtiam filios, fratres, coniuges cernerent, magiſtrũ ſtatim adibant, obſtrictaſque ſe fatebantur, quòd cognatos ſuos, qui abiecto Dei timore, nullo virtutis, ac pietatis ſenſu diù vixerant, remitteret domum probos. Quæ ipſe non ſine quadam animi perturbatione audire ſolitus erat: veritus, ne quid vitij faceret humilitas. Capi nanque dulciùs mortales nouerat guſtu laudis, gloriæque. Ab hac etiam humilitate illa auerſari Dei Seruus contendebat, quæ ſplendorem aliquem, atque exiſtimationem præſeferrent. Hinc rara cum principibus, ac ſummæ notæ viris conſuetudo.

Virorum principum conſuetudine m auerſatur.

Si quando accerſiri ab ijs contingeret, demiſſiore quodam vultu, qui animi triſtitiam exprimeret, adibat: cæterùm cum infimæ ſortis hominibus verſari illi periucundum: fouere, iuuare præſenti ope, ac manu. Si pietatis ergò euocarent, non hyems, non æſtus, nullumque itineris incõmodum impedimento erat, quominùs accederet, eorumque conſuleret neceſſitatibus. Tuendæ verò, augendæque pulcherrimę huic virtuti cùm nullam dilabi occaſionem permitteret, quoddam præcipuè illi excolendæ, ac conſeruandæ gymnaſium inſtituit. Hominum nempè cœtum, qui numero Chriſti annos adæquaret, nec excederet.

Oratoriũ exercendæ humilitati excitat.

Qualibet die Veneris habebatur. Sanctior hic virtus ac flos Panormitanę pietatis: ſecretiora item ſpiritus exercitamenta: potiſſimùm autem ſtudium, ſui contemptus, ac intima deiectio. Facem in hac humilitatis palæſtra præferebat is ipſe, qui Sodalitium moderabatur, Ferrarius. Humi ſe ſe proſternere, fœdari puluere, ad Sodalium pedes accidere, ſuas publicè fateri animi labes, familiaria hæc eius erant Chriſtianæ modeſtiæ documenta; ſed non planè pulchriora. Eò ſiquidem peruenit, vt vapulauerit interdum, velut in ſchola puer; exceperit vultu alapas, aut quid turpius; infligi ſibi contumelias; calcari pedibus, iuſſerit. Quæ quidem niſi eius virtutis amantiſſimus, atque in ea exercitatiſſimus, obire minimè potuiſſet.

In cõtumelijs æquanimitas.

Eandem porrò, quam in iniuriarum tolerantia humilitatem ſecretò exercebat, palam deinde comprobabat. Nam laceſſitus perſæpè iniurijs, eo quidem animo, ac vultu excipere videbatur, ceu gratiſſima narrarentur. Semel à præfracto quodam viro veneficus confidentiſſimè eſt appellatus, planè non ſine inſigni modeſtiæ laude, explicata ad inſolitam quandam hilaritatem fronte: tùm adſtantibus, veluti prædicens: Hic enimuerò mei percupidus, atque amiciſſimus olim erit: quod accidit.

Eximia eius paupertas.

Iam, quæ humilitatem comitantur virtutes, eximiè coluit. Paupertatis amantiſſimus. Nihil in cellula ſuperflui cultus. Veſtes ipſe ſibi ſarciebat. Vir quidam nobilis de ineunda Sodalitate cum Ferrario agebat, quem inter præclara documenta illud etiam monuit: diſceret tractare acum: ea nimirùm eſſe paupertatis arma, quæ aliquando indumenta conſuendo, otium, aut ſuperbiam conficerent.

Et obedientia.

Obedientiæ addictiſſimus; pendebatque à moderatorum nutu. Illud luculentum planè teſtimonium. Panormi, vti ſignificatum eſt, in omnium oculis erat, à fructu nempè pietatis, quem priuatim, publicè demetebat. Viſum rectoribus, vt relicta vberrima ea ſegete, aliò concederet. Nihil Ciuitati acerbius, quàm abire communem veluti Patrem, ac Magiſtrum. Sed Ferrario nihil potiùs, quàm exuto in ciues illos affectu, parere. Officijs, ac literis cum Præpoſito Generali actum, ne is diſcederet:

pre-

precari contra Panormitanos Ferrarius, ne obedientiam interturbarent. At vicere ſtudia ciuium; iuſſuſque ille Panormi ſubſiſtere, docuit, modò accederet maiorum nutus, idem eſſe ſibi, abire, ac remanere. In corpore diuexando, affligandoque quidam illi vigor animi ſupra vires. Atterere nanque pijs diuerberationibus, atque abſtinentia ſeipſum acriter videbatur, imbecillior licet, ac tenui valetudine. Curare interdum medicorū conſilio, ac ope corpus oportebat; quod illi longè moleſtiſſimū: ac ſemel quidem cùm ad Sodales in ſecretiore Sodalitio diceret, vſque adeò in ſui odium exarſit, vt arrepta Chriſti Domini in cruce pendentis imagine, ac plurima manante lachryma, corporis ſtudium, ac medicæ artis præceptiones prorsùs abdicauerit, diſertè pollicitus, non aliud ſibi poſthac confirmandis viribus præſidium fore, quā Chriſti vulnera, ac ſanguinem.

Et odium ſui:

Præcipua verò eius in exercendo corpore intentio fuit, caſtimoniam, mentiſque puritatem tueri: quo quidem in ſtudio diligentiſſimus cùm eſſet, ea omnium erat opinio, inter præclaras animi, ac corporis dotes Virginitatis in eo florem vernare: acceſſitque poſtea confeſſarij teſtimonium, qui cùm anteactæ eius vitæ confeſſionem excepiſſet, nunquam vel minimùm delibatam in eo pudicitiam, affirmauit. Hinc illi peculiare in Auguſtiſſimā Virginem, ac Diuum Ioſephum ſtudium; ad quorū imagines ſolidas interdum noctes conſtanti quodā ſtatu corporis orare conſueuerat. Et ſanè à caſtiſſimo viro preces nimiùm quantùm viſæ magnæ Matri, ac Sponſo placuiſſe, quorum patrocinio pro comperto habemus, impetraſſe non ſemel à Deo beneficia, ærumnaſque, ac morbos, orata cælitus ope, faceſſiuiſſe. Teſtes Ioſeph Marcheſius, vir Panormi ſpectatus, Ioſeph Leontius, optimi nominis ſacerdos, Vincentius Landolinus, Ioſeph Colnagus, patricij ſanguinis viri, alijque, quos febris ſtrauerat, acceptamque eius orationi ſanitatem ſuam retulere. A quo item orationis ſtudio lumen quoddam manabat, quo Ferrarius peruadere mortalium pectora, ſolitus erat. Nihil in expendenda, dignoſcendaque virtute, ac indole perſpicacius: ac ſiuè quædam vis prudentiæ, ſiuè ſuperna lux ea erat, in diſcretione ſpirituum à ſcopo nunquā aberrabat.

Et caſtimoniæ ſtudium,

Et orationis efficacitas.

Iam, dolendum in viro præſtantiſsimo maturius fatum: & qui adeò in animorum ſtudio deſudabat, amplificandæ pietati viuere prolixiùs debuerat. Eius itaque mortem breuiter denarrabimus. Percrebuerat in Sicilia Andreæ Auellini fama. Deliæ præcipuè, quod oppidum eſt eius Inſulæ, innumera penè miracula patrabantur, lipſanis nempè, quæ Hieronyma Homodèa, ornatiſſima fœmina, quam ſupra memoraui, illuc attulerat. Collata Beati Viri merito beneficia, conſignanda publicis tabulis erant, ac conficienda ritè de eius ſanctitate acta. Allegandus proindè ex noſtris vir compertæ virtutis, qui negotium expediret. Ergo deſignatur Ferrarius, cui gratiſsimum munus fuit; tùm quia ſingulari quodam in Andream ſtudio ferebatur, quocum, conſcriptis vltrò, citròque literis, communicatiſque intimis animi ſenſibus, coniunctiſſimus olim fuerat: tùm verò, quòd excurrere Drepanum poſſet, ac ſiſtere ſe Dei Matri, quæ principe ibi religione colitur: quod perantiquum, ac flagrantiſsimum fuerat eius votum, ac ſæpiùs efflagitauerat. Inſtituto itinere Drepanum appulit, tùm Deliam; vbi ab longi itineris labore, autummali præſertim tempore, quod eo anno inſalubre admodùm ab nimio æſtu fuit, decubuit. Quòd gliſceret à remedijs pertinax malum, agnouit ſtatim Ferrarius feſtinare ad exitum vitam. Nec terruit ſuprema neceſsitas hominem, cui familiaris mortis cogitatio, addebantque animos tranſacti per ſummā innocentiam dies. Illa coquebat anxiùs cura, ne mori extra ſuos contingeret: precatuſque Deum eſt, vt ſineret in ſinu, complexuque Religionis ſpiritum ponere: quod impetrauit; Platiam, quæ propior Vrbs eſt, & vbi noſtrates degunt, traductus. Iter, defectis licet viribus, orando, pſallendoque confecit. Platiam vbi peruenit, deferri ad eccleſiam voluit: vbi ſtratus humi, prolixè, ac ſupra corporis imbecillitatem orans, grates Deo retulit, quod eo loci eſſet, vbi ſupremum inter ſuos diem clauderet. Spem noſtri facere: ſed qui interno quodam monitu vocabatur ad pauciores, propiorem ſe fato ſuo diſertè, ac citra dubitationem omnem, affirmabat. Et verò, ſunt, qui teſtantur perſpectæ fidei viri, ipſum, cùm Panormo diſcederet, breui ſe moriturum, non obſcurè pronun-

Ferrarij mortis occaſio.

Platiam ægrotus defertur.

pronuntiaſſe. Et Michael Pontellus ex noſtris, vbi allatum eſt, Ferrarium Platiæ oc-
cubuiſſe, palàm edixit, tùm quidem cuiuſdam eius dicti ſignificationem ſe percepiſſe.
Vbi ſe moriturum prædixerat. Scilicet, cùm aliquando vnà ſecum ille loqueretur, incidiſſetque de Platia ſermo, fle-
xo ad quandam hilaritatem vultu, ea verba bis protuliſſe: Platiæ morieris. Quæ
quidem non ſine ſuperno quodam lumine ab eo pronuntiata, effectus commonſtra-
uit. Ergò, deſperata medicorum iudicio ſalus fuit: munituſque ſupremis ſacris, non
Cum communi hoſte confligit. antea cœlo potitur, quàm acri quadã pugna manus cum inferno hoſte conſeruiſſet.
Planè à tot animorum trophæis infenſiſſimus communi aduerſario Ferrarius. In
contumaces mortalium mentes, ac ſcelera nullus arma tàm ſtrenuè expediuerat: vin-
dicare hominis zelum in extrema ea vita mali dæmones voluere. Terrere aſpectu,
ac minis: tùm alapas impingere eo quidem impetu, vt & perſonarent longiùs ictus,
& intumeſcerent à vulneribus genæ. Precibus, conſtantia, fide, luſtralique aqua cer-
tabat in eo agone miles fortiſſimus. Horrere interim, qui aderant; & ſocius quidem
narrare hæc poſtea non ſine motu metuque quodam animi ſolitus erat: quippè cuius
menti imago quædam pugnæ, quam ſuis penè oculis vſurpauerat, obuerſabatur. At
Diuorum aſpectu recreatur. enimuerò egregiè dimicanti adfuit oppurtunè diuina quædam lux, ac Numinis illece-
bra. Obiecit nanque ſe ſe illi inter eas extremi ſpiritus anguſtias Diuorum manus.
Triceni ijerant, liquidiſſimo quodam lumine, ac gloria circumfuſi: quorum aſpectu
immè recreatus, inclamate Patribus: Aſpicitis? proh cœleſtem pulchritudinem:
quàm iucundum cum Deo eſſe, & incircumſcriptum lumen videre. Interrogatus: ec-
Inter quos Auellinus. quid cerneret? Cœlitum, inquit phalangem, è quorum numero trigeſimus eſt An-
dreas noſter Auellinus. Inſigni hac conſolatione cœlitùs delibutus, nihil ſubindè au-
ditus frequentiùs pronuntiare, quàm, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto: cuius voti
compos, non diù poſt animam expirauit ſingulari pietate, ac tranquillitate, dormien-
Moritur cum ſanctimoniæ fama. ti, quàm morienti propior. Euulgata religioſiſſimi viri morte, viſi certatim ciues ad
ædes noſtras confluere, vt eius exuuias cernerent, quem adeò innocentiæ, ac ſancti-
moniæ fama cõmendabat. Si quam eius veſtiũ laciniam, aut quid eiuſmodi reliquiarũ
quis impetraſſet, comparaſſe ſibi quid pretioſiſſimũ reputabat. Quarè hæc auidè pe-
tebantur, atque in ſpem præſentis ſubſidij ſeruabantur. Ductum eximia celebritate
funus inter publicas acclamationes, ac virtutum elogia; vt planè mirum fuerit, virum
Panormitanorum ſenſus. nunquam antea Platiæ notum, tanta ſtatim ſanctitatis opinione, atque omnium or-
dinum laudibus celebratum. Panormi, vbi extinctum Saluatorem Ferrarium, ſama
attulit, haud facilè dictu eſt, quis omnium ſenſus, ac mœror fuerit. Parentem, magi-
ſtrum, rectorem animorũ, virum ſanctum flebant: idque diſcruciare vehementiùs vi-
debatur, quòd defungi vita extra ſuam Vrbem contigerit, nec parentare amantiſſimo
Patri, atque exanime corpus exoſculari, ac complecti daretur. Eorum porrò ſtudia
adauxit allata quædam lipſanotheca, quam ille geſtare ſumma religione è collo con-
ſueuerat. Erat in ea inter pleraſque Diuorum reliquias Dominicæ crucis fruſtulum:
tùm ſchedulæ duæ autographæ, pulcherrimo quidẽ charactere, ac pereleganter con-
ſcriptæ: valebat ſiquidem & hac peritia ſcribendi. Altera religioſorum hominum,
amiciorumque ſacerdotum nomina habebat: altera ſecularium, quos ad frugem re-
uocauerat, erudiebatque ipſe ad pietatem, aut præcipuo quodam charitatis affectu
complectebatur. Quod ſanè non potuit, non ingentem excitare apud conſcriptos
illos viros in Dei ſeruum amorem: quando ſua nomina inter Diuorũ reliquias, ac res
pretioſiſſimas ſeruari ab eo cernerent: nec alio ſanè conſilio, niſi vt ab eo diuinarum
Impetrata per eius obitũ beneficia. rerum cõmercio aliquid ſanctimoniæ, ac præſidij accederet pijs amicis, quos, parum
erat, in oculis ferre, niſi etiam inter ſacra geſtaret lipſana. Porrò eius vitæ innocen-
tiam, inſignemque virtutem teſtatã Deus voluit collatis in pleroſque beneficijs, quæ
carptim narrat Caſtaldus noſter, ac fuſiùs Ambroſius Maja, Panormitanus, vir à iu-
ris prudentia, ac pietate cõmendatus, qui Ferrarij vitam conſcripſit, & nos hic, ne
quid deſit narrationi, ſtrictim ea explicabimus. Quidam ex Diui Auguſtini familia
quartana diù laborauerat Ferrarij fama excitatus, medicinam à nocturno eius ca-
pitis integumento facere moleſtiſſimo morbo, ſtatuit. Nec mora: illo ſibi impoſito,
conualuit. Eodem præſidio, quod eſt in mortalibus præſtantiſſimũ nempè oculorum
aciem inſtaurarunt ſanctimoniales duæ in Platienſi Diui Ioannis monaſterio. Ve-

ſpere

ſpere ſiquidem affectis periculoſè oculis id capitis tegumentum dum admouent, mane reſtitutam omninò ſalutem, lucemque aduertunt. Marianum eius ſertum non vno claruit beneficio. Præcipuè Berribaidæ Domino experiri opem contigit. Infans illi, cui, quòd à vi morbi nutricis vbera reſpuerat, deſperata penè ſalus: ſed precarios eius globulos vix ori applicuit Pater, cùm papillas viſus puer arripere: nec poſt multò defunctus morbo eſt. A libellis item nonnullis incolumitas. Mariani Carpenterij coniux inteſtinis, iiſque peracerbis doloribus intercepta, deſtituta ſenſibus, ac penè vita erat. Sed liberata libelli cuiuſdam attactu eſt, mirantibus, qui aderant, ſubitariam eam opem. Libellum item, qui vſui Ferrario fuerat. narrat Maia, quem modò nominaui, inſectori cuidam, grauiter decumbenti applicuiſſe ſe, ſanitatemque reſtituiſſe ſemel, ac iterum. Ioannes Baptiſtæ Calicis vxor à difficillimo partu vitæ ſuæ metuebat. Subijt, eſſe domi Ferrarij veſtis laciniam, qua admota, puerperium fudit, conuolutum id quidem, implicatumque, matri nempè periculoſiſſimum, quæ tamen à partu omninò incolumis. Hæc hactenus, & delineaſſe breuiter Ferrarium, ſat fuerit, quem diutiùs vixiſſe communi pietati, boni omnes voluiſſent.

Franciſci Frāchi virtus.

Sub hoc fermè tempus, quo excedere ab humanis illum contigit, exuit Bononiæ mortalitatem vir ab eadem Neapolitani Regni Prouincia Salentinus, quà domeſticę diſciplinæ ſtudio, quà eximia in formando aliorum ſpiritu facultate Saluatori quàm ſimillimus: nempè Franciſcus Franchus Meſſapienſis, qui, inita Licij Sodalitate, vota inibi nuncupauit. Bononiam ſub ipſa eius domicilij initia amandatus, ſingulari adiumento domi, foriſque cōmuni rei fuit. Admotus fingendæ tyronum diſciplinæ, id muneris eximia cōtentione annos omninò tredecim in ea domo tenuit: difficillimæ prouinciæ cum paucis idoneus, charitate, prudentia, vitæ ſanctimonia, quæ longè efficacior, quam adhortamenta, ac viua magiſterij vox. Sacris item confeſſionibus operam dabat: ac breui, euulgata viri probitate, atque in eo charitatis genere ſolertia, viſi ex omni cenſu mortales ad illum confluere: prænobiles in primis matronæ: quas miro quodam ſtudio, ingentique cum fruge virtutis ad pietatem, moreſque ſanctiores cùm erudiret, eo ipſum in honore, atque exiſtimatione illæ habebant, vt non alio, quàm viri ſancti nomine appellarent: ſuſpiciebantque ſingularem in eo modeſtiam, ſilentium, paupertatem, ac diuinorum potiſſimùm ſenſum. Excepta eius deindè mors cōmuni luctu, ac parentatum inſigni procerum, vulgique celebritate. Exoſculari certatim manus, ac pedes: ac ſumere ſibi quiſque pietatis ergo, quicquid veſtium poſſent: vt extimum indumentum penè totum in partes, ac fruſta abierit. Argumentum profectò, & eius innocentiæ, & aliorum de eius vitæ ſanctimonia opinionis.

Et pia mors.

Iacobus Fornarius Genuæ obit.

Iam, quando inter noſtratum funera verſamur, haud omninò diſſimulanda Iacobi Fornarij Genuenſis mors, quæ ſuperiore anno Genuæ contigit die Auguſti menſis quinta decima, receptæ cœlo Virgini ſacra, in quam ille ſingulari quodam ſtudio ferebatur. Vir fuit Iacobus, dignus planè, cuius indolem, ac virtutem breui ſaltem ductu calamus exprimat. Nobili domo natus, educatuſque liberaliter, quę pronā caſibus eſt ætas, cum laude modeſtiæ, ac pietatis tranſmiſit; eorum duntaxat vſus conſuetudine, quibus mens eadem, recti, ac probi tenax. Cùm quiduis aliud de florentiſſimo Iuuene cogitare quis poſſet, hoc eſt, ętatis anno ſeptimo, & vigeſimo, remittere rebus humanis nuntiū ſtatuit; & qui à Ioanne Paulo germano fratre, Viro, quèm alias appellaui, doctrinarū, ac virtutum adiumentis cum paucis inſtructo, noſtri Inſtituti rationes, ac leges didicerat, aggregari ad illud petijt. Qua mente Ordinem iniuerit, ipſum ſtatim diſciplinę rudimentum oſtendit. Humilitati primas dabat. Reputare ſe omnium minimum: viliora quęque exercitia ſibi depoſcere: ſodalibus inſeruire: ex veſtibus ijs vti libentiùs, quas concinnaſſe ſua manu paupertas ipſa videri poſſet. Externa ipſa oris ſpecies eximiam quandam ſui deiectionem intuentibus probabat; demiſſo, ſcilicet, vultu, oculiſque humi ſemper defixis. Corpori item affligendo ſtrenuè vacabat. Id frequenter à magiſtro petere, vt flagris ſecum agere, cilicio vti, ieiunia extra ordinem ſeruare, carnibus abſtinere, aliaque iſtiuſmodi corporis detrimenta liceret adhibere, quorum potiſſimùm vſu ad ſanctiores ſe ſe anni celebritates comparabat. Admirationi profectò rectori ipſi erat, exemploque ſocijs; viſus illicò, vt ętate, ita & virtute prouectior. Ab ijs deindè tyrocinij, veluti carceri-

Congregationi mācipatur.

Eius in tyrocinio virtus.

bus, emiſſus, votiſque authoratus, curſum inſtituit religioſę obſeruantię planè laudatiſſimum. Nihil in eius vnquam ſermone, geſtu, aſpectuque abſonum. Inerat

Modeſtia.

eximia quædam comitas, atque, in agendo ſuauitas, quam nullus vnquam caſus, aut præpoſterus rerũ euentus perturbauit, delibauitque. Procurare grauiſſimas, atque acerrimas Genuenſis noſtræ domus cum religioſis quibuſdam viris controuerſias aliquando oportuit, ac diſceptandum coram, collato cominùs pede, interdum fuit. Planè, cùm in aduerſa parte à nimio quodam, flagrantique animi æſtu deſiderari nonnihil modeſtiæ, religioſæque vrbanitatis poſſet, Iacobo eadem ſemper in ipſo ardore

Charitas.

pugnatoris grauitas, ac beneuolentiæ conciliatrix affabilitas fuit. Hac autem comitate nihil ad charitatis ingenium opportunius; quippè charitas patiens eſt, benigna eſt: Et verò, factus ad proximorum cõmoda Fornarius videbatur. Patientiſſimas ſacris confeſſionibus aures præbere; reliquis deindè mortalium neceſſitatibus impigrè adeſſe. Nulla ab eius curis excluſa hominum conditio: complecti, adhortari, iuuare paſſim omnes. In orationis ſtudio multus, vt præter cõmunes ſtatis horis preces,

Sacrorum rituum peritia.

priuatis etiam cõmentationibus exerceret prolixiùs mentem. Eccleſiaſtici ritus apprimè ſciens, mirùm qua dignitate, ac elegantia obiret ſacra. Dederat olim rei muſicæ operã, & cui canora quædam vox inerat, propellebatque ad illam genius, in quandam eius artis excellentiam euaſerat. Mutatis deindè vitæ rationibus, & ſi negatum noſtris ad modos canere; erudita nihilominùs ea vox non omninò conticuit. Nam quæ cani Theatino more, ſiuè in odèo, ſiuè ad ſolenne ſacrum ſolent, ea quidem Fornarius concinnitate, ſuauitateque concinebat, vt ſuſpenderet mirificè audientium aures ac animos: cùm interim in Eccleſiaſticis ijs functionibus obeundis eximiam in eo modeſtiam, grauitatem, ac ſacrorum peritiam cõmendarent. Eminebat præterea quædam in illo à caſtimonia morum mundicies. Paupertatem quo ſtudio adamaret, ipſe ſui cultus, planè ad religioſam normam, cõmonſtrabat. Paupertati comes erat fiducia in Deum eximia. Maiores nimiùm quantùm coleret. Iuſſiſſe Præpoſitum, paruiſſe Fornarium erat. Dum ab hac virtutum poſſeſſione, ac reliquo regularis diſciplinæ cultu in omnium oculis eſſet, concedere immaturo ſatis fato oportuit. Alieno ſiquidem anni tempore Roma Genuam diſcedens, dum ſibi, ſuæque incolumitati minùs cauet, vt cõmunia accuraret Religionis cõmoda, ita iter abſoluit, vt gra-

Communi luctu moritur.

uiſſimo ſubindè interceptum morbo, ingredi viam vniuerſæ carnis, oportuerit. Adminiſtrabat tùm Diui Syri domum Ioannes Paulus frater, in cuius complexu efflauiſſe illum animam, non mediocre quidem ſolatium fuit. Is verò ita defuncto germano fratri parentauit, vt in peracerba doloris ſignificatione nullus profectò illi è familia concederet: vſque adeò æquo omnes ſenſu, hoc eſt, grauiſſimo affecit præſtantis viri mors, quæ accidere ſine communis rei incommodo minimè potuit.

Conuertimus modò ſtylum ad religioſiſſimam fœminam, quæ in præclara domo Neapoli nata, atque educata, inter principes primùm matronas perſonam egit, ſuo generi conſentaneam: mutatoque deindè cultu, alteram induit in Sapientiæ monaſterio, vbi exceſſit hoc anno ab humanis, honeſtauitque præclara morte vitam, in multiplici ſtatu rerum cum laude traductam. Ea eſt Maria Magdalena Carafa,

Maria Magd. Carafa olim Dux Andriæ, moritur.

Andriæ olim Dux, à contemptu mundi, atque eximia vitæ ſanctitate longè cõmendatiſſima. In eius moribus, atque intima virtute deſcribenda accuratam olim ope-

Cuius vitam deſcripſit Io. Baptiſta Caſtaldus.

ram poſuit noſter Ioannes Baptiſta Caſtaldus; & vrgente Antonio Carafa, Andriæ Duce, Mariæ Magdalenæ filio, perduxit ad vmbilicum opus, quod mox ab auctoris ſinu diuulſum, numquam redijt: verendumque maximè, ne ſcriptionis huius laudem alter præripiat. Decerpam ipſe de ſingulari fœminæ pietate aliqua, quę hic adnotare, par eſt. Ex eo nanque ſanctimonialium cœtu ea fuit, qui noſtris vigilijs, curiſque cõmendatus cùm ſit, poſcit, vt ſua etiam exempla virtutum, excellentiora nempè, & quæ mediocritatem, communeſque vitæ rationes excedunt, noſtris literis conſi-

Eius parentes.

gnemus. Parentes habuit Maria Aloyſium Hoſtiliani Principem, & Lucretiam à Tuſo, forma, ac indole ornatiſſimam, quæ poſtea Cæſari de Aualos ſecundò nupta, Piſcariæ Marchiones dedit. Aloyſius ad cæteras egregij Principis partes ſingularem addidit prudentiam; adauxitque adeò opibus, ac titulis domum, vt eius cum paucis ſplendor ſit comparandus. Hoſtiliani Chriſti anno quarto, & ſexageſimo exacti iam

ſeculi

ſeculi nata, Maria ad luſtralem ſontem audijt. Ac viſa nomenclationem promeruiſſe eximia, videlicet, pietate, qua in ipſo ſtatim ætatis initio repræſentare Mariæ Deiparæ infantiam cœpit. Siquidem vbi primùm facultas, ac vigor aliquis acceſſit puellæ membris, adornare cuidam Marianæ Imagini aram; faceſque, ac flores inibi concinnare ſua manu ſolita erat, ad quam orabat quotidiè quodam ſupra annos ſtudio; vt admirationi domeſticis eſſet. Mutare interdum ſedem, atque inuiſete ſuæ Ditionis oppida Principem vnà cum familia contingebat. Maria, vbi ventum ad locum eſſet, id ſtatim peruestigabat, an commodus eſſet ſtatuendæ aræ ſitus; & ſicubi ad votum occurreret, gratulari vehementer: admouebatque teneras, atque accuratas operi manus. Precea verò, vt aſſiduæ, ita cum ſeuetiore quodam corporis habitu coniunctæ. Etenim non modò genibus nixa; verùm etiam expanſis in crucis modũ manibus orabat, perdurabatque in ea precandi forma diutiùs: ita vt mater, quę pręmaturam quidem filiæ pietatem ſibi gratulabatur, vereri maximè cœperit, ne delicatiori, atque immaturæ eiuſmodi ſtudijs officeret ea corporis afflictatio. Quocirca, quòd perſuadere ſibi minimè poſſet, id œui puellulam concipere tantum cœleſtium rerum ſenſum, atque ea ſibi exercitamenta proponere potuiſſe; fœminę, cuius fidei, educationique commiſerat, tribuebat: increpauitque non ſemel, quòd plus nimio diuexari in ea orationis aſſiduitate, ſituque corporis filiam ſineret. Atenim affirmabat illa ſeriò, non externis quidem monitis, ductuque illam orandi conſuetudinem Mariam arripuiſſe; ſed quę erat in ea naturę bonitas, atque inſita pietatis indoles, magiſtram ſibimet, ſuos ipſam mores informare, ac ſponte ſua eas ſibi precandi leges pręſcripſiſſe. Quo ſanè viſa, non modò vim iudicij naturam occupaſſe, ſed feſtinaſſe virtutes gratiam: pręſertim cùm in eo vitę rudimento reliqua huic religioni virtus adamuſſim reſponderet. Quippè in egenos charitas ita illi ad cor, vt diceres, creuiſſe cum ea commiſerationem. Cùm eroganda pauperibus eleemoſyna eſſet, ferre ipſa aliquid ſua manu, ſiouque geſtiebat, nobiliſſima pietatis adminiſtra, quæ ipſius eleemoſynę gratiam, deuſque adaugebat innocentia, facilique in hęc pręſidia pauperum dextera. Quam etiam laudem mirificè interdum cumulabat. Nam fouiſſe vtcumque pauperes, non ſatis puellę erat; ſed aliquid ſuo perſępè vſui, voluptatique detrahebat, ne videretur aliena ea pietas, ſed ſua: cum qua coniuncta quędam etiam humilitas erat, quod rarum in puellari ętate decus. Modeſtia item vultum, inceſſumque componebat; tùm obedientia, atque obſeruantia in parentes planè ſingularis, aliaque illi inerant virtutum ornamenta, quę mox in ſanctimonialibus ipſis, quę diuinorum ſtudijs intentę, ſanctiorem ſui cultum, ac diſciplinam curant, excitare admirationem potuere. Enimuerò, elato Patre, ſuperſtes, florente adhuc œuo, mater conſulere ſuę honeſtati, ac lectiſſimę formę, optimũ ſactu exiſtimauit: iniitque Neapolitanum Diui Marcellini collegium; quò etiam Mariam, quę nondum decennium expleuerat, duxit; vt augeret pręclaras animi partes eo monialium vſu; & ſanctiùs, ac pulchiùs in pręſigni Virginum contubernio ipſa oris gratia, ac venuſtas effloreſceret. Et verò, vt incredibili quadam alacritate monaſterium ingreſſa puella eſt, ita ſacrarum Virginũ diſciplinam, mores, preces, pſalmodiam conſpicata, componere ad earum ſe ſe formã illicò ſtuduit: ac viſa periodè atque ſi ętas adoleuiſſet, ac vna eſſet è monialium numero, complecti ſingulari quadam diligentia, & contentione Aſceterij munia. Aderat oanque choro, orationi, pijs afflictationibus, valetudinario, ac vilioribus etiam domus miniſterijs. Illud impensè optauit, vt quando è monialibus, pręter communia ſtatis horis opera, ſuo quęque officio addicta ex Antiſtitę nutu erat, obiret ipſa etiam ſuum munus; vt habitu quidem, non regulari obſeruantia differre à cęteris videretur. Quod impetrauit. Diſtributis nanque de more officijs, deſtinata procurandis infirmis Marię ſedulitas, ac pietas fuit. Quas illa vigilias, laborioſas eas quidem, ne quid deeſſe in ea œui, ac virium imbecillitate videretur, ſtrenuè exercuit; ſupra decumbentium vota earum neceſſitatibus opportuna, ac promptior: ita vt ęquaret prouectiores, ac interdum in certamine charitatis longè ſuperaret.

Puellæ pietas.

Et in pauperes charitas.

Monaſterium vnà cum matre ingreditur

Eius inibi exercitia.

At enim abrumpi mox pręclaras has vitę rationes oportuit. Nam vix matura viro, tradita nuptui eſt Fabritio Caraſę, Andrię Duci, ornatiſſimo, ac pari nobilitate iuueni: quippè cuius origo eodem ab ſtipite, ac Hoſtiliani Principum: nempè à Mali-

Nuptui traditur Andriæ Duci.

tia Caraſa, à quo multa, ac ſtrenua ſoboles cùm extitiſſet, abijt in ſplendidiſsimas domos, ac multiplices veluti in ramos aureus familiæ truncus: & à filijs quidem ſecundo loco genitis propagati Hoſtiliani Principes, & Nuceriæ, ac Mataluni Duces; à primogenito verò Ruborum Comites, ſiuè Andriæ Duces genus deriuarunt ſuum: vt Caraſarum, quos à Statera appellant, princeps ſurculus is ſit, qui Andriæ dominatur, illuſtrium virorum fama, ac numero, opum affluentia, affinitatum ſplendore ampliſſimus: inuexitque ſummum in eam domũ decus Oliuerius Cardinalis Caraſa, ſupra cõmunem fortunam, ac virtutem Heros, à literarum patrocinio, ab animi magnitudine, à togata, ſagataque prudentia abundè in hiſtoriarum monumentis notus: de quo & nos in prima horum cõmentariorum parte elogium aliquantò fuſiùs deſcripſimus. Pactis ampliſſimis nuptijs, tradi Viro Mariam oportuit, ac monaſterij ſeptis vale dicere. Quod non ſine peracri doloris ſenſu contigit, vellicante nimirùm intimè eius pectus Sodalium amore, vitæque religioſæ, cui aſſueuerat, deſiderio: cùm interim moniales acerbè tantæ indolis puellæ abſceſſum ferrent, nec lachrymis temperarent. Illud in ipſis ſtatim nuptiarum auſpicijs eximiæ virtutis indicium, ac rarum profectò à prænobili ſponſa honeſtatis documentum. Mater, cui curæ potiſſimùm erat, adaugere filiæ formã; in id maximè intendit, vt niterent etiam à cultu naturæ ornamenta. Igitur, acceſſita fœmina eſt, eiuſmodi elegantiarum peritiſſima, quæ comã, ac reliquam lectiſſimæ Virginis ſpeciem accuratè, ac de more componeret. Quæ quidem, poſtquàm veſtes, ac capillum ſcitè concinnaſſet, aggredi vultum voluit; vt quam abſorbuerat monaſterij diſciplina, ac rigor naturæ purpuram, ars reponeret, rediretque ab aſcititio minio oris gratia, ac venuſtas. Quod vbi agnouit Maria, dicto citiùs ab eius ſe ſe manibus proripuit, ac ſingulari quodam animi ſenſu: Apage, inquit, iſtam naturæ contumeliam: ſat ingenuo vultui ſuus color, quem vbi inficimus, cõmaculare potiùs honeſtatem, ac pudicitiam, quàm conciliare elegantiam videmur: nec ſine iniuria Numinis, inducto genarum fuco, mortales fallimus. Hęc illa: oſtenditque, quo deindè cultu vitam inſtitueret; quando ipſa nuptiarum rudimenta, hoc eſt, cùm nullus non formæ ornatus, ſiuè faſtus licet, tantæ modeſtiæ laude cohoneſtauit.

Eius domus ſplendor.

Monaſterium cum ſui, ac monialium ſenſu deſerit.

Externam vultus purpuram auerſatur.

Iam, quæ fuerit in coniugio Maria, quæ fulſerit in ea caſtimoniæ ſanctitas, quę pietas, quæ prudentia, breui hic, atque vno calami ductu exponemus: dabimuſque pręclarum nobilibus matronis exemplar, cui ſe, moreſque ſuos in eo rerum ſtatu conforment. Et verò, in ampliſſimam domum, vti diximus, nupta, id loci erat, vt propagatus per manus ſplendor nihil deſiderari ad principis fœminę cultum ſineret. At illa, quæ animi, quàm corporis bona pluris æſtimabat, magnificentiam ſuæ virtuti accõmodauit: vſa perindè opibus, ac famulitio, vt neſcias, contempſerit, an vſurpauerit? Quo ſanè viſa nunquam fulſiſſe pulchriùs, ac luculentiùs modeſtia. Illecebras, quibus eiuſdem conditionis fœminę oblectantur, nullas omninò admittere. Choréas, theatra nimiùm quantùm auerſaretur. Adire interdum coniugis iuſſu cogebatur: quid tùm modeſtiæ, ac ſolidæ virtutis ingenium? Marianum ſertum ita ſibi incidendum curauerat, vt Redemptoris cruciatus, eorumque inſtrumenta eleganter exprimerent globuli. Hoc illa dum ſaltationibus aderat, manu de more terere, intenta interim inſpiciendis, contemplandiſque diſſimulanter pijs imaginibus, quę oculos, animumque ab ijs illecebris auocabant: fallebatque hac arte mortales: vt abeſſet longiùs, dum quiſque crederet, adeſſe celebritati Mariam. Huic modeſtiæ comes erat incomparabilis pietas. In precibus, quà voce, quà mente concipiendis multa erat. A toro ſtatim ad lararium gradus: orabatque de genu prolixiùs: & hyberno quidem tempore, cùm ſummo mane ſurgeret, ſæuiretque maximè frigus, ita inardeſcere cõmentando videbatur, vt externum ignem reſpueret: frangebatque ardore illo ſpiritus hyemem. Ab oratione miſſæ ſacro aderat, incredibili quadam animi attentione, eoque corporis habitu, vt non triſtia, non læta, quæ tunc nuntiarentur, de ſtatu dimouerent. Peracto ſacrificio, ſtationem, preceſque continuabat ad prandiũ: ac tùm quidem niſi ſemel, ac iterum, & tertiò vocata, diuelli à rerum diuinarum meditatione minimè poterat. In ipſo verò prandio nihil illa frugalius. Semel, cùm primò biberet, vino vtebatur: cæterùm, frigida ſitim leuabat. Cum geſtare vterum contin.

Eius in coniugio mores.

Memoranda inter ipſas choreas pietas.

Aſſiduæ eius preces.

Frugalitas.

Digitized by Google

contingeret, veſci carnibus quadrageſimæ tempore medicorum iuſſu, oportebat: ac tùm quidem, ne videretur in cōmuni mortalium abſtinentia lenocinari gulæ, paucas, eaſque obuias, ac ſale etiam parcè conditas, apponi ſibi epulas iubebat. A prandio breuis quies: tùm inter lucubrantes ancillas tempus aeu terere, non ſine compendio pietatis: in ſacra quippè ſuppellectili concinnanda, adornandaque labor erat: variabatque opere plerumque Phrygio ſacra indumenta, aræ amictus, vela; vt niterent magnificè ab ea manu templa. Diem inter hæc externa tranſigebat: at veſpere, intendentibus deindè ſe ſe tenebris, iterum ad lararium; vbi precibus operabatur, quoad cœna euocaſſet, quæ parcior omninò, quàm prandium. Somnus deindè breuior, ac precibus etiam abruptus. Singulis Sabbati noctibus ſe ſe dirè diuerberabat: ac teſtabantur ſtatam hanc corporis afflictationem reperta à domeſticis flagra, ferreis catenulis conſerta, recenti perſæpè ſanguine imbuta: addebatque, caſtigandæ acriùs carni, cilicium, quod frequens, ac ferè quotidianum. Singulis Dominicis diebus, atque intercurrentibus per annum ſolennioribus feriis ad ſacram ſynaxim accedebat: Inſignis in eo diuinitatis cōmercio mentis deuotio: vtque myſterium puritas exçquaret, impetrauerat à Coniuge, vt triduum cùm ante, tùm poſt Euchariſtici epuli ſumptionem caſtimoniæ litaret. Sanè in tanta thalami ſanctitate videri potiùs cęlebs, quàm coniux poterat: nempè vt eo, quo poſſet, modo Deiparam Virginem, cuius geſtabat nomen, in eo coniugij ſtatu imitaretur: quam ſanè colebat impenſiùs, ac conteſtandæ ſingulari in ipſam obſeruantiæ, horarias eius preces quotidiè recitabat vnà cum Roſario ſerto, alijſque Mariani nominis laudibus; quę quidem non ita abundè pijſſimę fœminę erant, quin ſolennes etiam ex romani breuiarij forma preces quotidiè percurreret, continuato orandi, pſallendique ritu, quem inter ſanctimoniales olim hauſerat.

Dicatus Dei cultui manuũ labor.

Nocturna diuerberatio.

Quo cultu myſteria frequentabat.

Decennium ſumma inter Coniuges charitas, ac nexus animorum fuit, ac nulla vtrinque acerbitas. Sed probari Mariæ virtutem, oportuit; vt exemplo eſſet in hac etiam tolerantiæ laude fœminis. Aduerſa eò fuere moleſtiora, quòd ab amantiſſimo viro extitere. Neapoli ſiquidem Fabritius, æuo, opibus, forma longè florentiſſimus, implicitus non vulgari quidem compede fuit: & quæ eſt mortalium curta affectio, detrahi legitimo amori oportuit, quantùm flagrantioris animæ ſtudium recentibus curis tribuebat. Nihil fœminis, præſertim nobilibus moleſtius, quàm abalienari viros, animumque externæ cuipiam formæ appellere. Eſt enimuerò illatum pleriſque in perferendis aduerſis maris animi virtus, ac tolerare ſciunt magna: quæ poſtea, ſi quando violati thalami zelus tangat, excuſſo patientiæ fræno, ſeipſas continere in poteſtate ſua minùs poſſunt. Indignari impotenter, conqueri, miſcere omnia. At Mariæ, vt excellens quædam indoles, ita in iſtiuſmodi coniugis abalienatione nunquam abripi ſe à muliebri conditione paſſa eſt. Excuſare occaſionem, ac iuuentam: & quamuis peracri quodam ſenſu admorderet intimè dolor, nullum vnquam in vultu triſtitiæ, ac mœroris ſpecimen: idque illi duntaxat curæ erat, quomodò amantiſſimum virum ad bonam mentem, ac priſtinam connubij fidem reuocaret. Sed vulgaria iſthæc in egregia fœmina patientiæ documenta: quando ideò diuinum Numen permiſiſſe hæc in Andriæ Duce videri voluit, vt demum luctuoſum aperiri theatrum contingeret, vbi Maria Chriſtianæ fortitudinis, animique longè generoſiſſimi præclarum exemplum ederet. Igitur in ipſo æui flore, hoc eſt, ætatis anno quinto, & vigeſimo percuſſa ingenti quodam ictu eſt: ſublato peracerbè Coniuge, cuius mortem parcimus diligenter recenſere, ac veluti in ſcenam trahere, ne exulceret vehementiùs animos nobiliſſimi viri caſus, quem nullus non mortalium ordo in Ciuitate Neapolitana commiſeratus tunc eſt. Iam, quando excuſſit communes omnium lachrymas calamitas, quos animi motus excitaſſe in amantiſſimæ vxoris pectore, putandum eſt? Id eſt ſupremum in mulieribus malum, ac vulnus planè immedicabile, occidiſſe virum: quid cùm violento quodam fati genere immatura, ac peracerba mors ſæuit? Attamen, vbi nuntium accepit Maria, tantùm abeſt, vt doloris ſe ſe vehementię permiſerit, atque in lachrymas, querelaſque præter modum ſe dederit, vt nec frontem, vultumque mutauerit. Preſſa nanque exulcerati intimè animi triſtitia, tota confeſtim fuit in reddendis Deo gratijs, adorandaque eius manu, quæ vulnus fecerat; ve-

Exercetur aduerſis Maria.

Zelotypię vis in fœminis.

Andriæ Ducis caſus.

Mariæ tolerantia.

luti

luti beneficium accepiſſet. Quamquam non alio quidem oris habitu excipere atrox factum potuit, quæ ſuperiore quodam lumine monita eius rei tùm fuit. Ferunt nanque, vt Caſtaldus noſter teſtatur, quo temporis momento interceptus fato Dux fuit, affixam de more orationi Mariam, ac volente id Numine, obiectam illi luctuoſam eam tragœdiam fuiſſe. Diuerberauerit quidem amantiſſimę coniugis pectus violento quodam impetu ea rerũ facies; ſed quæ contemplationi intenta, coniuncta tùm maximè cum Deo erat, diuinæ ſe ſe voluntati conformaſſe, animumque, ac vultũ compoſuiſſe, facile fuit; quo poſtea accipere à ſuis adeò luculentæ calamitatis nuntium ſingulari modeſtia, ac generoſiùs potuit. At enim quòd obiectam illi mariti necẽ Deus voluerit, non alio id conſilio feciſſe, cenſendum eſt, quàm vt quæ aſſiduis quidem precibus pro eius ſalute interpellauerat; tùm maximè vota, ac lachrymas in diſcrimine ſummo rerũ effunderet; ac perorata eloquentiùs viri cauſa, pœnitendi ſpatium impetraret. Vt oraſſe illam, ita & exoraſſe, multi mortales, & quidẽ de meliori nota, exiſtimarunt.

Quæ fatum diuinitus prœuiderat.

Et viri pœnitentiam impetrauit.

Planè, quod repentino ictu, atque in eo præſertim conſcientiæ ſtatu, Vir princeps occiderit, addubitatum vehementer de eius animæ ſalute Neapoli fuit. Difficile nanque factu putabant, auerſum tùm quidem à Deo virum, momentò ad illum conuerti. Rara ſiquidem auis, qui iuſtorum morte occumbat, cùm iuſtorum vitam minimè vixerit. Conſtans hæc inter viros doctos opinio, ac nihil in ſacris concionibus frequentius. Verùm, cùm prona ex ſe ſit ſaluandis hominibus Dei bonitas; tùm ad infinitæ pietatis documentum ex ipſis interdum inferni leonis vnguibus mortales eripit: vt non adeò mirum ſit, affulſiſſe hanc Andriæ Duci miſericordiam, à precibus præſertim, ac lachrymis pijſſimæ coniugis. Quod ſi in ipſo corruptiſſimæ vitæ curſu ſiſti Auguſtinus potuit, atque ad ſanctiorem viuendi formam reuocari, ne tantarum lachrymarum filius periret; conſentaneum profectò diuinæ bonitati fuerit, Marię vota, ac gemitus minimè fruſtrari. Adſunt verò grauiſſimæ rei confirmandæ argumenta, ac quædam etiam piorum hominum viſa, quæ imus hic narratum ſumma fide; ſed intra ſimplicis hiſtoriæ fines, ne quis putet hiſce viſionibus aliquid ponderis acceſſiſſe à noſtro calamo.

Ducis Andriæ Matris de filij ſalute teſtimonium.

Itaque ſcimus, nobiliſſimam perindè, ac religioſiſſimam fœminã, Adrianam Carafam, Fabririj Matrem, poſtea Turris Maioris Ducem, teſtatam ſæpiùs, filium non ita ſtatim occubuiſſe; ſed aliquantiſper ſuperſtitem, ſupremo anhelitu ſacerdotem poſtulaſſe, cui pectus aperiret ſuum: quod quamquam in ea temporis anguſtia minimè impetrauit; ſpem tamen fecit pœnitudinis non mediocrem. Id quod Dux ipſa ſignificatum Clementi Pontifici Octauo voluit, petijtque, vt extincto filio, qui id doloris ſpecimen dederat, pro sũma auctoritate benè precaretur: quod annuit benignè Clemens.

Et Vrſulæ Benincaſæ.

Suadet hoc etiam Vrſulæ Benincaſæ, cõpertæ apud Neapolitanos famæ, ac ſanctimoniæ Virginis teſtimonium. Narrare ſiquidem hæc ipſa Turris Maioris Dux ſolita erat, ſub ipſum tempus, quo funeſta res accidit, ad Benincaſam ſe contuliſſe, facturam vulneri medicinam eius monitis, ac pijs alloquutionibus: ac nihil prius habuiſſe, quàm de filij nece cum ea loqui; & quod potiſſimùm hæreret pectori, telum aperire: nempè de eius ſalute ſolicitudinem, ac metum. Ad hæc illam ſubita quadam extaſi mente exceſſiſſe, ac redditam mox ſenſibus, ea ter pronuntiaſſe: Vis intimi doloris, ac pœnitentiæ fuit, quæ illum diuinæ gratiæ reſtituit.

Et Adriani diſcalceati.

Annectimus & aliud, quod eadem Ducis mater denarrabat. Scilicet, Adrianum, quem Caſtri Ioannis diſcalceatum appellabant, virum eum paucis pium, cuius cineres non ſine ciuium religione Melitæ iacent, qua nocte Andriæ Dux concidit, exceſſu quodam mentis tres omninò volucres inſpexiſſe, vnam coruo perſimilem, alteram deplumẽ, tertiam pictam ad omnem elegantiam, pennis pulcherrimè verſicolorem. Nec mora; deuolaſſe pulchrã auem, arripuiſſe deplumem peramanter, fruſtratumque prę̨da coruum, illicò faceſſiuiſſe. Dum hæc ille cerneret, adfuiſſe, qui viſum explicaret. Formoſam nempè pennis volucrem Angelorũ Principẽ Michaelem eſſe, qui coruo, hoc eſt, malo dæmone abacto, deplumatã auem, hoc eſt, Andriæ Ducis animam ſecum tulerat.

Et Pacifici Capuccini.

Faciunt hæc quidem pro modo fidem. Quod autem Vxoris orationi, pietatique accepta hæc referri debeant, extat cuiuſdam è Capuccinorum Ordine teſtimonium, viri quidem ſupra cõmunem virtutem, cui nomen Pacificus, Salernitanus. Huic, vt ipſemet iuſſus, literis conſignauit, & nos in loco ſignificabimus, defun-

cta

Digitized by Google

ęta poſtea in Sapientriæ monaſterio Maria, obiecit ſe ſe inſpiciendam, atque ea potiſſimùm, ac diſertè aperuit: nempè viuentē ſe aſſiduò pro viro ſuo oraſſe, ac tandē æterna eius ſalute impetrata, monitam ſupernè fuiſſe, eius animam luſtral.bus flāmis ad diuturnum tempus addictam. Porrò quæ in impetranda viri ſalute, dum is viueret, aſſidua fuerat; poſtquàm vixit, mirùm quàm anxiè defuncti animam procurauerit. Non enim parentare viro tenùs lachrymis voluit, ſed quæ erat intima eius charitas, opem piacularibus ſacris, pijs erogationibus, precibus, corporis afflictationibus tulit: idque ea contentione, ac ſtudio, vt nullum deindè in ea pietate exercenda finem fecerit.

Ita amorem probauit ſuū, impleuitque optimæ coniugis partes Maria, quæ ſoluta deindè matrimonij legibus, mutatoque ſtatu, viduam ea quidem morū, viræque laude repręſentauit, vt pręclarū item nobilibus matronis exemplū exhibuerit, quod imitarentur. Egit verò non priuatam modò perſonam in ſui cultu, filiorumque educatione, ſed publicam etiam in populorum adminiſtratione, quos regere, tenera adhuc ſobole, contigit. Annos circiter tredecim vitam in matrimonio egit, editis quinque omninò lectiſſimæ indolis filijs, in quorum deindè curam cùm præcipuo quodam ſtudio incumbendum ſibi, duceret, viſa profectò in formandis eorum moribus affectu, ac diligentia certaſſe. Pietatem in primis inſerendam teneris pectoribus, exiſtimabat, vt creſcentibus ſubindè annis fræno eſſet adoleſcentiæ, ac iuuentuti, quæ à generis nobilitate, ab opibus ab æqualium exemplo erudiri ad omnē vitę ſuperbiam, ac licentism ſolet. Et verò, inſtillato virtutis, ac diuinorum guſtu, ea religione adoleuit ſoboles, vt ex ijs deindè duo, triumphata rerū humanarū ſpecie, regulari ſeſe diſciplinę mancipauerint. Et alter quidem, cui nomen Aloyſius adoptatus Caſſinenſi Congregationi eſt; alter, cui Vincentio nomen, Societati Ieſu: vterque à morum innocentia, ſuique inſtituti obſeruantia cum paucis cōmendatus: & poſtremus hic ad vniuerſū ſui Ordinis præfecturam prouocatus, egregias animi opes ab editiore eo loco ſuis inſigniter approbauit, obijtque in eo munere eximia cùm virtutum ſama. Conſilium vero capeſſendi ſacri inſtituti non modò probauit mater, ſed quæ filios ſingulari beneficio, ac honore dignatos, Intelligebat, nimiùm quantùm viſa gratulari: teſtata vultu etiam, ac natantibus præ gaudio oculis hilaritatem: tantùm abeſt, vt matrum vulgus ſequuta, diuelli à ſuo illos ſinu, doleret. Familiam deindè reliquam cùm animi cultu, tùm externa etiam ſpecie compoſitam ad omnem pietatem, ac modeſtiā voluit. Ad frequentem Sacramentorum vſum, peccatorum præſertim confeſſionem ſuo illam exemplo cogebat. Miſſę ſacro aderant quotidiè omnes; vt non domeſticis curis, non alijs quibuſuis occupationibus excuſatū quemquam vellet. Semel accidit, vt ſacrificatū domi minimè fuerit: & quòd ſibi videretur, fuiſſe ipſamet, & ſi per imprudentiam, rei cauſa; ea vi doloris intercepta illicò eſt, vt ad ſacram quandam imaginem genibus nixa, collachrymari vbertim cœperit: ceu grande quoddam piaculum admiſiſſet. Eidem autem familiæ, quam diuinis rebus intentam volebat, corporis cōmoda ſingulari quodam affectu curabat. Aderat municiè ſingulis, ne indigere domi ſuę quiſpiā, videretur. Si qui morbo laborarent, mittebat, qui ſuo nomine inuiſeret; adibatque ipſa ſæpiùs, non ſine aliqua muneris illecebra; ac diligentem operam dabat, ne quid officij, curęque infirmis deeſſet. At enim ſciuerit fœmina familiam, ac domeſticos regere; certè viſum pleriſque, haud idoneum temperandis publicis negotijs, ac populis ingeniū illi eſſe. Quod quidem neſcio, an verum omninò ſit. Illud exploratum habemus, in Maria eiuſmodi in regenda multitudine ſolertiam minimè deſideratā. Inerant illi quidem procurandis aliorū commodis adiumenta naturę, ac indoles, negotiorum capax. Sed quę nouerat, humanam prudentiam aberrare à ſcopo ſępiùs, religionem verò nunquam, in ſubditorū cura ita vi iudicij, ac conſuetis regendi artibus vtebatur, vt pręiret pietas, atque in Deum fiducia. Nihil itaque inconſulto Numine, non magna, non parua aggredi. Summo mane, ne quid inopes, ac reliqui expectarent, aures eorum neceſſitatibus cōmodabat; ſed non antequā miſſę ſacro interfuiſſet, ac prolixè oraſſet. Sine ſupercilio, faſtuque audire: benignè reſpondere, ceu mater, non domina: differre grauiora, vt res cum Deo maturiùs conſuleret; leuiora illicò, elata prius ad Deum mente, expedire: ardua, nonniſi implorata aliorū

Viduam quā laude egit Maria.

Eius in educāda ſobole ſedulitas.

Vincentius, & Aloyſius filij religioſum inſtitutum capeſſunt.

Familiam ſanctè inſtituit.

In regēdis populis prudētia

Quam religio erudiebat.

Digitized by Google

etiam prece, iuſſiſque miſſarum ſacrificijs, deliberare: adhibebatque confeſſarij pręſertim ſuffragium; auditis etiam ea ſuper re compertę probitatis viris. Ita, fluere à Deo conſilia videbantur, atque excipi incredibili plauſu contingebat: probabantque paſſim prudentiam ſubditi, ſingulari cum pietatis laude coniunctam.

Viduæ cultus, & mores.

Hactenus eius cum alijs agendi ratio. Inſpiciendus modò ſuimet in viduitate cultus, ac vitę modus. Viduam egit, qualem Apoſtolus dixit, verè viduam, ea quidem honeſtatis, ac verecundiæ laude, vt innupta potiùs virgo videri potuerit, quàm vidua. Ab exceſſu coniugis nullum vnquam virũ alloqui viſa eſt, fuerit is cuiuſuis ordinis, niſi maturioris œui matrona adeſſet, veluti pudicitię comes. Alloquentem ita diſtare ab ea oportebat; vt ſi quando acceſſiſſe propiùs quemquã per imprudentiam contigiſſet, gradũ ipſa, ceu colubrum inſpexiſſet, facto quodã impetu, referret. Inter loquendum adductum ad oculos velum modeſtiã apprimè cõmendabat: tùm corporis habitum, ac ſtatum quàm honeſtiſſimè conformabat; vt nullus ſine cõpendio virtutis externam eam ſpeciem cerneret. Diſtinebatur quidem publicis occupationibus; vt quę domũ, Ditionemque procuraret: at non ita ijs ſe ſe curis permittebat, quin virtutem, ac ſpiritũ ſingulari quadam animi attentione exerceret. Quotidiè quidem, vti erat in votis, cõmunicare Chriſti Corpori, eo cultu, ac pietate, qua par erat,

Quo ſe ſtudio ad Euchariſtiã compararet Maria.

cùm ob eam, quam dixi, populorũ adminiſtrationẽ nequiret; id omninò ſingulis Dominicis, feſtiſque diebus peragebat: ac tùm quidem, ceu cõpenſare quotidianam refectionem inſolito quodã ardore ſpiritus vellet; mirùm, quo ſe ſtudio ad illam appararet. Pręibat Euchariſticum epulum ieiunium: idque ſtrictius. Mane ſiquidem parciſſima illi cœna; ſerò ientaculum nullum: ſed diluto duntaxat ore ſimplici aqua, quod etiam tanti myſterij munditię dabat, cubitũ poſt prolixam orationem ibat. Somnus illi nonniſi ſupra lecti aſſerem, nec vltra tres horas producebat. Noctis reliquum fundendis Deo precibus, legendiſque ſpiritualibus libellis terebat. Corpus pręcipuè flagris acerrimè exercebat: apparebatque deindè ab ea diuerberatione inſolitus vultu pallor: ac paſſim quo die acceſſura ad ſacram ſynaxim Maria eſſet, mutata à nocturnis vigiliis, ac flagellis ora indicabant. Exercitia hæc accurata conſcientię recognitio, ac ſacramentalis confeſſio excipiebat: tùm cœleſtium rerum, eiuſque pręſertim myſterii cõmentatione excitato ardore, guſtuque animi, diuinę menſæ accumbebat; quam deindè, in remotiorem templi partem digreſſa, diutiùs meditando reguſtabat. Ea die faceſſere negotia prorsùs omnia iubebat: Roſaria, pioſque libros percurrere intra velum, ac ſeipſam: atque ita nullum prorsùs admittere, vt neque filii inferre intra matris conclaue gradum auderent. Sciuerant nanque, nihil non eſſe illi modeſtiæ, quo die tota erat in diuinorum, atque internę pietatis exercitatione.

Flos in eandẽ Euchariſtiam deuotio.

Et verò ſingulari in auguſtiſſimum hoc Sacramentum religione ferebatur. Quàm ſæpiſſimè de eo loqui; ac tùm quidem præ gaudij magnitudine ſubſilire quodãmodo in eius pectore cor videbatur. Cùm nonniſi ornandis eccleſijs deſudare ſuã acum, manumque vellet; tùm quæ præſertim diuinæ Euchariſtiæ cultui dedicabat, illa, vt accuratiore quodam ſtudio, ſumptuque, ac magnificentia ſplendidiùs niterent, curabat. Hinc etiam exquiſita in ſacrificio miſſæ attentio: flagrabat tùm maximè diuino quodam æſtu, cùm confici Euchariſtiam, atque accendi carbonem illum ignitum, contingebat. Atque hoc quidem diuini amoris monumentũ ea item de cauſa intimè venerabatur, quod Chriſti Domini cruciatus ad vnguem repręſentaret. Addicta nempè Dominicæ Paſſioni impensè erat. Id quod inciſi cruentis myſterijs piaculares globuli, quos ſupra memoraui, luculenter demonſtrant. Sæpè ad quandam Chriſti è

Et in Dominicam Paſſione.

cruce pendentis imaginem ſubſiſtere ſolita erat, illamque affectu quoda peculiari, atque immota omninò oculorum acie intueri: tùm veluti è ſomno excitata, inclamare: ò Chriſtum Crucifixum. Singulis ſextis ferijs, niſi aliud poſceret temporis ratio, celebrari ſibi de Domini pœnis miſſam iuſſerat, aderatque incredibili attentione, ac ſtudio. In ſalutare crucis ſignũ mira item pietas, ac fiducia. Communire eo frequenter pectus: idque admota clàm manu, ne admirationi eſſet, aut ſingularis in eo genere pietatis videretur. Iam, Diuos, & quæ Diuorum omniũ Regina eſt Dei Mater, eximio quidem ſtudio proſequebatur. Andriæ, quæ Ducũ ſedes, Deiparæ imago, quam

Et in Dei Matrem.

à mi-

à miraculis vocant, ptincipe teligione colitur. Nomen fecere mira collata mortalibus beneficia: vt non modò quæ propiota ſunt eius Prouinciæ oppida, ac Vrbes eò voti cauſa conueniant; ſed peruagara latiùs religione, è longinquis etiam Neapolitani Regni finibus vis hominum accurſum, ac celebritatem adauget. Excitauit hic cōmunis pietas templū prænobile, quod ſpiſſa è parietibus donatia, ac tabellæ, beneficiorum indices, apprimè ornant. Cultus verò ſacrorū à Caſinenſibus Monachis, qui Marianam ædem procurant, mirificè nitet. Igitur, quæ in magnam Matrem intimo quodā affectu à primis iam annis ferebatur, nihil contigiſſe ſibi optabilius, reputabat, quàm ibi degere, ac dominari, vbi & populorū in Virginem obſeruantia, & eius viciſſim in mortales pietas florere ſplendidè videbatur. Abeſt à Ciuitate templū ad millo circiter paſſus; nec viæ incōmodum Mariam detinebat, quo minùs eò ſæpiſſimè feſtis, profeſtiſque diebus conueniret. Preces inibi prolixiùs fundete, ſacramenta vſurpare, diutiùs, veluti inter ſuas delicias immorari: ita vt videretur nonnunquam oblita redire domū. Neapoli verò cùm moraretur, ſingulis tettijs ferijs dicatum Conſtantipolitanę Virgini templū, quod inſigni ea pręſettim die Neapolitanorum pietate celebratur, adibat: quo die, ac Sabbato Mariano ſacrificio aderat, aliaque virtutū exercitia, teſtando in cœli Reginam obſequio, obibat. Occaſionem deindè nullam præterire inuiſendæ alicuius celebriotis nominis, famæque Auguſtæ Virginis eccleſiæ. Andria Neapolim petebat. Montis Virginis cœnobium Deiparæ ſacrum, ac longè celeberrimū, quod viæ imminet, non adire, teligioni duxit. Adijt. Monachi hoſpitium magnificè pro nobiliſſimæ mattonę conditione inſtruxerant. Sed quæ corporis præſertim afflictatione teſtari obſequium Virgini ſolita erat, cultum omnem recuſauit. Ex honeſtiſſimo cubili culcitrā vnam detractā, ſterni humi iuſſit, vbi breui ſe ſomno dedit, tranſmiſſo reliquo noctis tempore inter preces. Quo deindè mentis apparatu mane ſe ſe Virgini ſtitit, ac refecta Euchariſtico epulo, viſa cœleſtibus gaudijs in eo Deiparæ ſacrario inundari. Neque verò ſine fructu, præſentique ope Virginis hæc eius fuit obſernantia. Semel tumor quidam ita vbera corripuerat, vt nil propiùs eſſet, quàm ſerpere malū, ac corrumpi fædè pectus. Quod etſi grauiſſimū: à remedio nihilominùs laborabat magis honeſtiſſima fœmina. Pudor ſiquidem maximoperè excruciabat: quòd, ſcilicet, aperiendum externis oculis, contrectandumque medicorū manibus pectus eſſet. Rem itaque cum Dei Matre tranſigendam putauit. Orat: Mirum dictu: redire illicò ſuæ incolumitati vbera, nullo attis præſidio, ac nullo neque obtutu medicorū libata. Iterum ad Diui Michaelis, qui in Gargano monte celebri mortalium ſtudio colitur, iter intenderat. Tranſmittendum flumen fuit, in quod lapſa caſu quodā famula, cui nomen Syluia, merſa propemodùm videri potuit. Inire anxiè quiſque pro viribus ſaluandæ fœminæ conſiliū. Sed Domina certius præſidium accerſendū è cœlo dum putat, Andrianæ Virginis nomen implorat. Nec mora: uiſa enatare *Syluia*, ac ripam tenere, collata nimirùm à Deipara ope. Nam, vt ipſamet teſtata poſtea eſt, admoueri auxiliatem quandam manū ſenſit, quæ ſupremo eo periculo eriperet. Iam, quòd in pijſſimæ matronæ erga cœlites obſeruantia verſamur, & Garganum montē meminimus, erit profectò curæ pretium, eius etiam in Diuum Archangelū Michaelem religionem explicare. Percelebris ea eſt in Apulia Gargani montis pietas, quem tanti Principis nomen, ac tutela nobilitat. Inuiſendæ, adorandæque Archangeli baſilicæ acti quodam deſiderio flagrabat Maria. Ergo nacta Neapolitani itineris oceaſione, deflectere aliquantiſper via voluit. Iter orando, atque inter pios animi affectus confecit; abſtinentia incredibili, ac nulla præſertim cœna. Noctu non lecto cubare; ſed aut ſella, aut nudum ſupra aſſerem breui ſomno geniū fraudare: cæterùm preces ad multam noctem lucubrare. Quem morem pridiè quàm eò perueniret, ſtrictiùs tenuit, ſeuetiore ſe ſe corporis maceratione exercens, vt dignam ſe loco, ac tutelaris Diui cliētela redderet. Templum poſtea, ac magnū Templi Genium, expiata conſcientia, ſumptoque Chriſti Corpore, eo quidem ſenſu deuenerata eſt, vt ab ipſo aſpectu cognoſceret quis intimū religioſiſſimæ Ducis ſtudium. Planè inſerre ſibi vim debuit, vt inde diſcederet; inuitauitque Pullanenſe monaſterium, magnę Virgini dedicatum, quod non longè aberat, ac ſumma etiā celebritate ab accolis colitur; vt, ſicuti paulò ante ſignificatum eſt, nullā conſalutandæ inclytę Patronæ pręterlabi opportunitatem ſineret.

Andrianę Virginis celebritas.

Et Mariæ Caraſæ in illam obſeruantia.

Marianū Montis Virginis cœnobium inuiſit.

Orata Virginis ope beneficia non ſemel impetrat.

Qua religione Garganū montem adit.

neret. Par item in reliquos Diuos obſeruantia, quorum neminem ſuo cultu fraudabat; ac ſingulorũ memoriam peculiari ſtudio proſequebatur, carnis præſertim afflictatione, quam paulò ante perſtrinximus, ac denarranda aliquantò fuſiùs nunc eſt.

Mariæ in afflictando corpore contentio.

Planè in exercendo omnigena mortificatione corpore ea fuit Maria, vt ſi educationem, ac genus ſpectes, ſi publica negotia, quæ animũ, vireſque exhauriunt, illam inter aſperioris vitæ fœminas numerabis. Sciuerat, ab Apoſtolo adſtricti moris viduas cōmendari: improbari, quæ genio ſuo indulgent: eaque propter circumſcribendas ſuæ vitæ rationes duxit: idque apud animũ ſuum ſtatuit, vt non modò honeſtis ſibi animi remiſſionibus interdiceret, ſed rigoribus etiam ageret, ſubijceretque duriore quodam fræno ſenſus. Abſtinentiam mirè coluit: quod aſſuetę ciborum lautitijs, difficillimũ.

Ieiunia.

Principiò ter in hebdomada ita ieiunare inſtituit, vt Sabbato pane ſolo cum gelida veſceretur: quam ipſam ieiunij ſeueritatem in Marianis etiam peruigilijs vſurpabat. Ad hæc, præter Eccleſiaſtica per annum ieiunia, & alia pietatis ergo tolerabat. Pręcipuè quam vocant Sanctorum omnium quadrageſimam, hoc eſt, ab ea Diuorum celebritate vſque ad Chriſti Domini incunabula, auſteriore quadam abſtinentiæ, ac ieiunij lege ſeruabat. Nam meridianam cœnam vnico ferculo abſoluebat: eoque ſanè delicatiore; nempè herbis, vix ſale conditis, proſcripto prorſùs oleo. Ad ſerotinum verò ientaculum paucę vuę paſſę, numeratis accuratè acinis, apponebantur. Qua quidem ieiuniorum obſeruantia, & atteri corpus, & creſcere in ipſam abſtinentiã eius ſtudium contingebat: cùmque noua ſubindè in dies, atque ex alijs alia tentaret ieiunia, eò tandem peruenit, vt ſingulis fermè diebus ieiunaret; aqua plerumque, ac pane contenta. Rara quidem inter principes matronas victus ratio, quibus ſatis eſſet à quęſitis eduliorum illecebris aliquando abſtinere: quid pane ſolummodò, ac plerumque veſci? Mariæ Caraſę exemplo, quę, ceu non magnam rem faceret, ſi cōmuni more eſuriret, panem arctum, & aquam breuem ſibi pręſcripſit. Id quod ad Chriſtianę, ſeuerioriſque diſciplinę normã a Philoſophus ille ad Lucillium ſcribens, monuit: Non magnam, inquit, rem facis, quòd viuere ſine regio apparatu potes, quòd non deſideres miliarios apros, nec linguas phœnicopterorum, nec alia portenta luxurię: tunc te admirabor, ſi non contempſeris etiam ſordidum panem. Hęc ille.

a Senec. Epiſt.

Verbera.

Aliam modò religioſiſſimę viduę carnis macerationem pergimus. Ferreis ſe ſe catenulis die Martis, ac Sabbato inceſſebat: idque non lenta quidem manu: quippe madere à pia verberatione flagra, ac pauimentum cernebatur: quod in cauſa fuit, vt quæ id pænitentiæ obire clàm omnibus vellet, cuidam poſtea è famulis rem crediderit, quę ſolum abſtergeret, ne nocturnam eam corporis vindicationem domeſticis proderet fuſus cruor. Aduertit præterea famula hæc, numerare interdum Dominam, quæ ſibi incutiebat, verbera, quæ ſæpè ad mille pertingebant. Inſumebat verò in ea carnis laniena circiter horam: ac tùm quidem ſuſpiria, ac gemitus reſonare, aliaſque pias precationes, ac pſalmos inter lachrymas ipſa concipere. Quæ autem noctu macerabat flagris membra, die cilicio diuexabat. Somnus illi, vt dixi, parciſſimus, ac ſæpè humi: dedita verò opera lectum, ac culcitras ſubigebat, ne ſuſpicari quis chameuniam poſſet. Demum continua quædam corporis afflictatio dici eius vita poterat. Pectus à manu, pœnitentiæ adminiſtra, nunquam non liuidum: obducta ſemper callis genua: vultus ab inedia, à vigilijs ſemper pallidus: cùm interim eiuſmodi ſeuerioris diſciplinæ inſtitutum nunquam remitteret, omnemque animi relaxationem, quam admittere interdum etiã cum laude poterat, omninò reſpueret. Contingebat nanque aliquando, vt Dux filius iucundam aliquam, honeſtamque fabulam, aut ludum exhilarandæ familiæ daret; nec abnuebat mater: ſed quo tempore cæteri theatro aderant, hærere ipſa la rario, ac pia mente diuiniore ſpectaculo frui. Nempè, quæ cœli delicijs aſſueuerat, nullam ineſſe humanis rebus voluptatem putabat, quæ animus delibaret.

Vigiliæ.

Proſcripta quæuis animi remiſsio.

Corporis afflictationi charitatem, quæ pretium reliquę virtuti facit, annectam. Veriſſimum nanque, quod Apoſtolus ait: ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Atque hæc quidem in piiſſima vidua admiranda ſanè virtus fuit, quæ in fouendis potiſſimùm alendiſque pauperibus nituit. Nullus ab ea inops indonatus vnquam abijt: nec obuijs duntaxat, aut aduentātibus prona manu aderat, ſed in ipſa inopiæ cubilia penetrare ſolita erat, eaſque præſertim

In egenos charitas.

ſertim familias inſigni liberalitate ſubleuabat, quæ ſumma paupertate cùm premerentur, prodire in publicum, ac mortalium aures, animoſque ſolicitare, pudor prohibebat. In has quidem eò beneficentior, quò honeſtior ſtatus, atque opulentior fuerat; commiſerata humanitatis caſus, & vices. Proxima erat Xenodochiorum cura. Conueniebat eò ipſamet, & quà verbis, quà eduliorum illecebris, quà linteis etiam, alijſque eiuſmodi ſolatijs reficiebat. Cum religioſis deindè viris nihil munificentius. Nulli ſingularem eius pietatem teſtari luculentiùs poſſunt, quàm Capuccini Patres, quibus cõmunis erat cum pijſſimæ Ducis domo penus: prompta ſemper in eorum inopiam annona, ac beneficentia. Et ægroti quidẽ affectu matrẽ, manu valetudinariam nactos ſe in Maria reputabant. Siquidem non modò pharmaca, & quæ morbis propulſandis neceſſaria videbantur, ſed delicias etiam: nempè bellaria, ac ſecundas affatim menſas ſubmittebat. Eadem cum ſenibus prouidentia, & charitas. Nam cùm quidã ſenectæ nimium ætatis Patres in Andrienſi conuentu dentibus deſtitutos, inaudiuiſſet, id ipſa curauit, vt lectiſſimi, ac teneriores pro ijs panes conficerentur, recenteſque quotidie afferrentur. In eroganda porrò pietate vſque adeò impigra; ac ardens erat, vt ſæpè nocte intempeſta, dum oraret, interpellata precatione, famulam excitaret, moneretque eleemoſynæ, quam impendi mane vellet. Abripi nempẽ ſe à pauperum ſtudio patiebatur, in preces alioqui intentiſſima: oſtendebatque, qua vi vrgeret pectus charitas, quæ ſermonem cum Deo abrumperet. Habuit verò aliquando eximia hæc pijſſimæ matronæ charitas, vbi præter cõmunem ſe ſe modum exerceret. Occaſio, ac theatrum publica calamitas fuit. Anno ſiquidem voluentis ſeculi ſexto cùm in Neapolitano Regno, ſudo diù aere, ingens graſſata fames fuerit, tùm Apuliã, cui à ſoli, cœlique genio maior ſiccitas, vehementiùs exercuit. Et quando opulentiſſimas quaſque domos corripuerat communis ea clades, reputare quiſpiã apud animum ſuum poterit, quantùm diuexauerit pauperes, quibus nulla, aut à piorum manibus ſubſidia, aut à diutum menſis analecta. In Andriæ Ducum ditione dominari Mariam, ingens profectò Numinis beneficium fuit. Compenſare ſiquidem temporum iniuriam magnam partem, affectu, commiſeratione, ac quotidiana liberalitate viſa eſt. Non auro, non annonæ parcere: aperta communi inopiæ horrea: modò egeſtati conſuleret, nun ſui, non ſuorum rationem habere. Illud ingenio charitatis dignum. Eò nanque res deuenerat, vt hordeaceus panis inter delicias, vel ab honeſtiſſimis ciuibus haberetur. Ergo confici ſibi ex hordeo panem iuſſit: hoc ipſa quotidiè veſci. Scilicet, vt mitiorem redderet popularibus ſuis calamitatem, quam & ipſa toleraret: ſubleuaretque non modò aſſidua erogatione famem, verùm etiam exemplo ſui. Nullus ſiquidem non æquo animo aduerſa tulit, ſi præiuerit Princeps. Verùm cùm fames perindè, ac ſitis, ab æneo nempè cœlo, Apuliam diuexaret, & hanc etiam egregiè propulſauit Maria, non ſine præſenti, atque admirabili quadam ope Numinis. Enimuerò exhauſta publica aquarum conceptacula cùm eſſent, cõmune perfugium Ducum domus erat: nulluſque è domeſticis ſubmouere confluentium multitudinem audebat; quòd ſcirent, id eſſe fixum Dominæ, vt haurirent paſſim omnes. At enim, quòd maior eſſet haurientium numerus, quàm vt domi, foriſque aqua ſufficeret; adſtrepere, conqueri familiares, ac profiteri, equos potiſſimùm, qui, & pretio nobiles, & numero plerique erant, confectum iri ſiti, niſi maturè Domina conſuleret: quæ tandem, veluti explorare rem vellet, quantum adhuc aquæ ſupereſſet? interrogauit: cumque bipalmarem, aut ad ſummũ tripalmarem eam eſſe, affirmaſſent; iuſſit illicò, vt metirentur. Nec multis: duplo copioſior reperta. Quod cùm ſupra fidem peritis videretur; immiſſi, qui accuratè, ac propiùs rem cognoſcerent: qui aquæ molem ad ſeptem fermè palmos pertingere, retulere. Igitur, irrigari cõmunem vbertim ſitim, iuſſit Maria, publici iuris aquam fieri, arceri neminem: copioſam eam eſſe; & quando cœli inclementia perduraſſet, poſſe etiam occultis Euripis, ac venis inſtaurari, quod hauſiſſet quotidiè populus. Id quod omninò accidit. Etenim cùm per menſem continuatus copioſior is hauſtus fuerit, explorata iterum aqua, nulla ex parte imminutam; ſed paulò infra ſeptem palmos, quæ ſuperior fuerat menſura, reperere. Habet nempè Nilos ſuos, & canaliculos charitas, per quos conſeruandis mortalibus aquarum vim inferat. Hac autem indeficienti aquæ abundantia honeſtare,

In ægrotos.

In religioſos viros.

Annonæ charitati munificè conſulit.

Et publicæ ſiti

Non ſine admirabili aquæ incremento.

Collocandis honeſte virginibus dat operam.

aut remunerari fortaſſe Deus voluit Mariæ pietatem, ac fidem; quæ inſuper cùm
omnes charitatis partes pro virili cóplecteretur, tùm quæ inopes puellas tangit, egre-
giè impleuit. Siquidem, vt, antequàm ad egeſtatis ſcopulum naufragium faceret ho-
neſtas, in matrimoniũ collocarentur, nec ſuo ipſa auro parcebat, neque citra dignita-
tem ſuam eſſe reputabat, aliorum etiam opem, ac opes in id laudatiſſimi operis im-
plorare. Sicuti & in illos oppido liberalis, qui in cuſtodijs diſtinebantur, quos officijs,
ac beneficentia iuuabat, dabatque ſedulam operam, vt, illibato æquitatis iure, miſe-
ricordia cauſam peroraret, ac præcideret.

Religioſũ Inſtitutũ cogitat.

Atque hæc quidem frequentiora erant Mariæ exercitia, quoad, remiſſo rebus hu-
manis nuntio, ac ſoluta curis omnibus, religioſæ ſe ſe diſciplinæ mancipauit, Qui po-
ſtremus fuit eius vitæ actus, peracta egregiè velut in theatro, Virginis, coniugis, ma-
tris familias, viduæ, ac religioſæ mulieris perſona; ac deerat quidem, vt quæ omni iam
fœminarum conditioni exemplo fuerat, ad extremũ ſua etiam virtute ſanctimonia-
les erudiret. Perantiquum hoc in Maria fuit ineundæ regularis vitæ conſilium; vt vel
conſtante matrimonio, id ſecum ipſa agitaret, ſi deliberari de ſtatu aliquando conti-
giſſet. Elato autem viro, quòd tenera nimiùm ſoboles matris potiſſimùm cura, tu-
telaque nitebatur, differri, quam conceperat, mentem oportuit. At vix ab adole-
ſcentia Dux enatauit; idque æui attigit, quo adminiſtrare rem ſuam poſſet, cùm
receptum cogitauit: adiecitque ad Capuccinas animũ, quæ Neapoli inſigni cum ſan-
ctimoniæ, atque auſterioris vitæ laude florent. Rem grauiſſimam ſuis, aliorumque

Teneræ filiorũ ætas conſilium diſtulit.

precibus tranſigere cum Deo voluit: tùm prudentes, ac probos viros conſuluit, qui
quod viuidæ nimiùm indolis Ducem filium cernerent; ac facile erat, amota reueren-
tia, ac fræno matris exorbitare flagrantiſſimum iuuenem, ea fuit illorum mens, vt ſuę
domus, ac filiorum commodo conſilium differret. Sed neque ſatis laudabant, vt Ca-
puccinarum iniret inſtitutum, quando attrito iam plus nimio vigilijs, ac ieiunijs cor-
pore, quod reliquum erat vigoris, ac ſucci, ſeuerior ea diſciplina exhauſiſſet. Itaque
veluti ad Dei vocem, viſa Maria obtemperare; ita tamen, vt cùm non poſt multò fer-
re diutiùs peracre deſiderium minùs poſſet, Neapolim iter intenderit, vt quod ſemel
animo conceperat, exequutioni tandem mandaret. Et iam quod inter Neapolitana

Reſumpta iterum Religionis cogitatio.

aſceteria nobiliſſimum perindè, ac religioſiſſimum Diui Andreæ monaſterium eſt, in-
ſigni cùm eius familiæ approbatione, plauſuque cogitabat. Verùm, quæ ſunt magno-
rum conſiliorũ paſſim impedimenta, nec tùm quidem voti compos fuit: valuitque
in primis auctoritas Vincentij Caraſæ, è Hieroſolymitano Ordine, Capuæ, vt vocant,
Prioris, extincti Ducis Patrui, ac viri quidem, quà ciuili, quà militari ingenio inter

Iterum abrupta.

paucos ſpectati. Is cùm intelligeret, quantum detrimenti Andriæ Ducis res caperent,
ſi tantæ matris prudentia deſtituerentur; ac quantum viciſſim momenti ijs accede-
ret ab eius vmbra, adhortari illam ſumma vi cœpit, vt accurare rem domeſticam,
ac formare filiorum indolem pergeret; euicitque, vt Andriam rediret: ægrè quidẽ,
quippè quam vehementiore quodam morſu deſiderium vitæ ſanctioris vellicaret.

Tandem cõpoſita re domeſtica.

Sed Dei profectò conſilium id fuit. Nam interim quæſita Duci vxor; ac matura vi-
ro filia nuptui tradita: duo item filij, quos ſupra nominaui, religioſo inſtituto ſe man-
ciparunt; quibus illa curis ſoluta, quæ retardare præclarum opus videbantur, nihil
habuit priùs, quàm receſſum meditari, ac exequi. Neapolim ſine mora contendit.
Gynecœum, cui ſe dedicaret, iterum in conſultationem: cumque plura ſe ſe Virginũ
contubernia obijcerent, explorata propiùs ſingulorum diſciplina, inſtitutis, moribus,
cultu, monaſterium Sapientiæ præ alijs placuit, quod antea de nomine duntaxat no-
uerat; cæterùm, nulla cum ijs monialibus neceſſitudo, ac familiaritas; quod illi vehe-
menter ad cor, ne officia, aut priuata in quampiam ſtudia omnimodã cum Deo con-
ſuetudinem, tacitamque prorsùs vitam, quam cogitabat, impedirent. Tranſigi ma-

Sapientiæ monaſterium ingreditur.

turè, ac ſecretò rem voluit cum Virginibus Maria, quibus nihil optabilius, quàm eius
famæ, ac ſanctimoniæ mulierem ad ſuam diſciplinam aggregari. Conſtituta verò
die clàm ſuis conſanguineis, inconſulta videlicet carne, ac ſanguine, ac nonniſi cum
pauciſſimis communicata præclara ea mente, ad Dei caſtra inuolauit.

Peraeris in ipſo aditu lucta.

At enim in ipſo quidem monaſterij aditu id illi accidit, quod neſcio, an alicui vn-
quam, Religionem ineunti acciderit. Cum maximè peruenisse ad animi, locique
tran-

Relig. 90.

tranquillitatem videri poſſet, luctari cum vehementiſſima tempeſtate oportuit: vt nihil propiùs fuerit, quàm reſtante ventorum vi, portu excludi. Enitendum ſcilicet cōmuni hoſti omni conatu fuit, ne tantum in magna fortuna exemplum præcipuæ nobilitati ederet Maria; & ne in tutum nobiliſſima ſe ſe fœmina reciperet, quæ quoad in rerum humanarū pelago fluctuaſſet, haud magnos ad vitæ perfectionem facere progreſſus poſſe, reputabat. Præterea tentari Mariæ virtus debuit, ac per aduerſa ſtatim erudiri; vt interim diſcerent religioſi inſtituti profeſſores, familiares eſſe in ipſo tyrocinij veſtibulo dæmonum impetus, quibus ſtrenuè obluctandum, ac cedendum nunquam; etiamſi deſpondere animū, ac dare iam manus videantur tyrones ipſi. Ergo quæ tanto cum ardore animi regulari ſe ſe inſtituto dare diutiùs optanerat; & cui nullus frequentior, quàm de religioſæ diſciplinæ laude, ac de ea ineunda ſermo; quo tempore, ac momento inferre in monaſterium pedem contigit, non refrigerari modò præclarum ſtudiū ſenſit, ſed mutato omninò ſenſu animi, abhorrere ab eo ſtatu viſa eſt. Enimuerò vix cœnobij limen tetigit, cùm recurſare in animum viua quadam ſpecie filios; & quæ affectum eorum omnem abdicauerat, redire matrem, eiuſque indolem ſenſit: tùm peracres quædam vrgere, atque increpare animum voces ſibi videbantur, veluti citra naturæ, ac ſanguinis charitatem filios in eo ætatis lubrico reliquiſſet. Hinc vehementior quædam mentis caligo, ac infuſcatio, qua videri ſibi videbatur, inſtitutum, quod complectebatur, non quidem ſaluti, ſed æternæ damnationi ſibi fore. Ad hæc, quem antea facillimum, ac longè iucundiſſimū viuendi morem ſibi finxerat, arduus omninò repræſentari, ac durus cœpit; eòque impoſſibilis prorsùs fœminæ, quæ diutiùs ſeculo aſſueuerat. Occuparunt moleſtiſſimæ hæ cogitationes animū, illumque reciprocantium in morem fluctuum diuerberabant: vt non ratio, non conſilium, ac virtus ſatis eſſent. Suſpenſa cum animo ipſa veſtigia; veluti quid horridum, ac formidandum pes refugeret. Et quidem, vt gradum faceret, adhibere ſibi non ſemel ingentem vim quandā oportuit, vt à prima ad alteram monaſterij ianuam, quod modicum quidem ſpatium eſt, non modicum ſanè temporis inſumpſerit. Tandem per ſummam animi contentionem, ac luctam ad alteram hanc, quam modò dixi, ianuā peruenit, vbi loci Antiſtita, ac lectiſſima ſororū manus exceptura cum omni beneuolentiæ ſignificatione Mariam aderant. Hic enimuerò non modò non diſſipari mœror, atque exhilarari quoquo pacto ab ijs nobiliſſimarum virginum officijs animus viſus eſt, ſed cumulari mentis caligo, ac horror. Nempè qui dolum, impreſſionemque adornauerat malus dæmon, vt mulieris propoſitum expugnaret, rerum etiam formas mutauerat. Nam quæ peramæna eſt, ac laxior eius loci facies, ita ſe ſe illi obiecit, veluti obſcurus quidā, ac teterrimus carcer eſſet. Præterea non modò nihil ingenui, aut elegantiæ, ſed nihil non deſpicatiſsimum videre ſibi videbatur in monialibus, quæ tamen Neapolitani ſanguinis floruerant. Coniuraſſe externæ hæ ſpecies cum interna animi perturbatione viſæ ſunt: & quæ credebatur ſingulari quadam vultus hilaritate ad contubernium, quod tandiù optauerat acceſſura, ita inijt, ac ſi vi quadam, atque omninò inuita coniecta in id loci fuiſſet. Nempè quamuis faceret ipſa animos, atque implorato auxilio Numinis, vim vi repellere conaretur, eiuſmodi tamen erat ea cogitationum contentio, vt remiſſior planè ijs propulſandis quilibet animi motus videri poſſet. Ducta de more ad odēum, fuſaque tantiſper prece, viſa nonnihil reſpiraſſe; ac quid exigui luminis ita mentem colluſtrauit, vt in eaſdem mox tenebras reciderit. Hæc fuere religioſi ſtatus optimæ fœminæ initia: hæc in toto ſubindè tyrocinio lucta, atque exercitatio; tentari acrioribus in dies ſtimulis, veluti verum iter gloriæ minimè teneret; vellicari amore filiorum; omni diuinorum guſtu deſtitui, ad quamlibet Inſtituti obſeruantiam hærere; nihil non aſperum experiri, ac durum. Diuturnum ſanè, ac peracre virtutis periculum, in quo quidem, quòd inſtitutam ſemel vitæ rationem non deſeruerit Maria Magdalena, ſic enim audijt, cùm Religionis habitum induit, præclara generoſi pectoris indoles fecit, quam occultæ etiam ope diuina bonitas iuuit: ac ſicuti nunquam ſine eius nutu animorum hi fluctus; ita adeſt ipſa ſemper, vt explorata tandem virtute, diſiectiſque, quæ procellā conflauerant, cogitationibus, redeat animo tranquillitas, ac ſua pax. Accidit hoc pijſſimæ fœminę. Enimuerò extremo tyrocinio ſerenari ſenſim

Quæ tùm cogitationes animū occupauerint.

Perdurauitq. integrum annum pugna,

obuo-

Rediit tandē animo quies.

obuoluta tenebris mens cœpit; quoad ſubſidente curarum æſtu, Inſtaurata prorsùs eſt animi quies; emiſitque ritè vota incredibili cum ſenſu lætitiæ, dicata Præſentatæ in templo Virgini die; quæ eſt prima, & vigeſima Nouembris anno huius ſeculi ſexto; ac tùm quidem mutata veluti ſcena, perſonā longè aliam induiſſe viſa eſt. Nullum ſiquidem à cognati ſanguinis ſtudio bellum; nihil in cœnobio arduum; inſigni alacritate probare, vorare omnia.

Regularum in monaſterio obſeruantia.

Attingenda nunc raptim eſt multiplex eius in religioſa diſciplina virtus. Ac primò quidem in legum ſuarum obſeruantiam omni ope incumbendum ſibi, duxit; vt cum Diui Dominici habitu cultus, ac mores conſentirent. Eapropter regulas manu terere, atque aſſiduò percurrere, ne quid peccaret memoria, aut ignoratio. Paupertatem; quam votis ſanciuerat, externa etiam ſpecie ſtrictiùs coluit. Cellæ vix neceſ-

Paupertas.

ſaria ſuppellex inerat; tantùm abeſt, vt aliquid pretioſi, ac ſuperflui cultus vellet. Pijs libellis ſpiritum alere conſueuerat, iiſque maximo ſanè opere oblectabatur: ac ne hi quidem paupertatem læderent, non vltra vnum, aut alterum penes ſe eſſe, patiebatur, cōmodatos nempè, non ſuos: nec diſpar in indumentis ſtudium, contenta viliore amictu, quem vſurpare paupertas ipſa non erubeſceret. Laneum induſium ex regula, vel cùm temperandus rigor erat morbi cauſa, Antiſtitæ cęteroqui obſequentiſſima, exoratin nunquam paſſa eſt, vt dimitteret. Ieiunia item, quę leges imperarent, ad vnguē obſeruare. Prolixior quidem ieiuniorum obſeruantia in Dominicanis Inſtitutis ea

Ieiunia.

eſt, quę ab Exaltatę crucis feſto ad Dominicam vſque Reſurrectionem recurrit. Ab hac ſemel exemptam Mariam Magdalenam voluere; quòd imbecilli tùm quidem vteretur corporis valetudine. At, nihil illi ea indulgentia moleſtius. Conuenire Antiſtitam, precari enixè, vt permitteret cōmuni ieiunio inſiſtere; eſse, vt animo, ita & corpori vires; tùm noxis expiandis indigere ſe quidem pœnitentia, quę diù ſeculo adhęſerat. Sed cùm fruſtra preces eſsent, id demum impetrauit, vt explorari valetudinem octiduum placeret: & ſi quidem haberi meliùs contigiſset, fineret, vt ſtata cum alijs ieiunia obiret. Interea vacare nauiter orationi: valuitque adeò pia precatio, ac deſiderium, vt confirmatis mirè viribus, curſum ſumma alacritate, vigoreque ſpiritus cō-

Silentium.

fecerit. Silentii ſtatis horis ſeruantiſſima: & quę pauca, ac nonniſi fructuoſiſſima loqui conſueuerat, dato vix ſilentii ſigno, ne verbulum quidem excidere ſibi, patiebatur, abrupto interdum ſenſu ſermonis, quem inſtituerat. Eadem in obeundis monaſterii muneribus taciturnitas; ac ſtrictior planè in ſacrario, & choro; in quo quidem aſſidua interdiù, noctùque; ſtudebatque in primis, vt omnium prima adeſset: id quod ſuadere verbis, exemploque ſodalibus contendebat; vt, ſcilicet, anteuerterent ſe inuicem, certarentque in occupanda ambitioſiùs pſalmodia. Pręcipua in eo Sapientiæ monaſterio obſeruantia eſt, vt, ne aut mortales videant, aut ab ijs videantur, quoties alloqui eos contingit, faciem velent. Quod à Maria Carafa, Pauli Quarti Sorore, quæ diſciplinam illam fundauit, inductū, propagatumque ad alia Neapoli aſce-

Veli obtegendo vultui quā tenax.

teria fuit, vti aliàs fusè memoratum. Hoc autem religioſæ pudicitiæ inuentum vel in extremo ipſo ſpiritu cōmendauit Maria Magdalena. Supremo ſiquidem morbo cùm animā penè agetet, cognoſcere etiam de vultu decumbentis ſtatum medicū, oportuit: abſtulit proindè velum confeſſarius, qui aderat. Id quàm acerbè tulerit moribunda (nam conſequenti mox nocte animam efflauit) diſſimulare minimè potuit. Collecto nanque morientis vitæ ſpiritu, profeſſa tunc eſt, nunquam antea in toto vitæ ſuæ curſu eiuſmodi moleſtiam tuliſſe, quæ illam exæquaret. Illud item non ſanè parum eius in præclarum hunc morem ſtudiū probat. Neptim circiter ſeptennem in ſui clientelam, fidemque in monaſterio acceperat, quam, & ſeculari habitu, & intra infantiā, ita tamen inſtitutam voluit, vt quoties alloqui homines contingeret, velum ipſa etiā

Eius pudicitia.

obduceret. Oportere ſe nanque, aiebat, vt nec puellam homines noſcerent. Nempè ab inſigni quodam in caſtimoniam affectu hæc; cui quidem virtuti vſque adeò addicta, vt mirarentur Sodales, innexā diutiùs connubio fœminam, tantam verecundiā vultu, pudicitiam geſtu, honeſtatem verbis, candorē in omni vitæ actu præſeferre. Hominum colloquia, etſi poſcebant identidem negotia, euitabat; neminem vnquam alloquuta, niſi Andriæ Ducem filiū, ac fratrem: reliquos domeſticos, ſi quid negotij afferrent,

Et Virginitatis æſtimatio.

iuſſit per interpretes moniales, quas Rotarias vocant, agere. Quanti verò virginitatis

decus,

decus, ac dignitatem faceret, illud in primis declarauit. Ægrotabat graui morbo; ac perſcribenda ad Ducem filiũ epiſtola erat, cui eùm minimè ſufficere vires viderentur, exhibuit ſe ſe illi ex ijs virginibus, quæ manũ cõmodaret, ac literas componeret: cui Maria Magdalena gratias quidem habuit quàm maximas: cæterùm officium recuſauit eo nomine, quòd omninò indecorum ſibi videretur, exaratã ſacræ Virginis manu epiſtolã per manus hominũ circumferri; atque adeò non ſine graui incõmodo ſcripſit ipſamet. Planè quæ tàm egregiè de Virginitate, eiuſque pretio ſentiebat, perueniſſe ad inſignem quandã animi puritatem, neceſſe eſt: & quæ virgineis characteribus ab afflatu hominũ metuebat, an ſibi ab eorũ alloquio, ac conſuetudine caueret, facilè quiſque perſpiciet.

Hæc animi puritas nimiùm quantũ contemplationi, cuius ſummoperè ſtudio tenebatur, deſeruiret. Statis monaſterij cõmentationibus nunquam viſa deſiderari. Extra verò communes preces orare fermè ſemper, videri poterat: idque de genu: quo corporis habitu dies interdũ integros perdurabat. Ita autem huic ſe ſe precandi exercitio aſſueuerat, vt ab externis operibus facili ſe negotio ad internam quietem reuocaret, ac in ipſamet actione vacaret Deo mens. Flagrantiſſimam, conſtantemque orationem non ſine ſuperno lumine fuiſſe, perſuaſum habemus. Semel, dum orat, affulſit illi quædam lux menti, quã vidit, fore, vt, ſi Neapolim accederet Dux filius, in graue aliquod diſcrimen adduceretur. Vrgere ipſa tunc preces; & quod erat matris ſtudium, ſodaliũ etiam opem implorare. Ac opportuniſſimum ſanè præſidiũ fuit. Siquidem in id ſubindè periculi Dux incidit, quod propulſari manu, conatuque mortalium minimè potuiſſet. Euulgare hoc ipſa coacta eſt amoris vi quadam ineluctabili, vt ſcilicet caueret filio ſororum precibus. Cæterùm obſtinatum illi in eiuſmodi Dei illecebris, ac beneficijs ſilentium ab inſigni quadam animi demiſſione, qua celebritatem, famamque auerſabatur.

Orationi addictiſſima.

Planè cùm in omnibus excellens hæc virtus, ac parens virtutum, humilitas laudabilis ſit, tùm illos maximè condecorat, quos olim opes, ac tituli honeſtarunt: trahitque à ſplendore generis, ac diuitiarũ non minimum exiſtimationis, ac pretij modeſtia. Ac Maria quidem id in primis propoſitũ habuit, vt quicquid ab inclyta domo lucis exiſteret, religionis habitu contegeret, tereretque faſtum omnẽ contemptu ſui. Quicquid abiectiſſimi operis in cœnobio erat, id ſibi, ceu propriũ depoſcebat; vt in eo miniſterio vel ſororibus ipſis laicis præiret. Adeſſe alijs, atque inſeruire ſua manu contendebat; tantùm abeſt, vt aliquid ſibi officij impendi pateretur. Addicta ſemel valetudinario fuit: ac viſa tunc in ea certare cum humilitate charitas. Laborabat tùm aqua intercute ſoror quædam laica; cui & ea erat morbi appendix, peſtilentiſſima, videlicet, in affectis tibijs vlcera. Hanc ſibi præcipuè curandam ſuſcepit Maria Magdalena. Adſtare diù, noctùque: ſupra delicatioris naturæ vim tractare, mederi ſua manu vlcera: de genu quidem, neque ad breue tempus, ſed per annũ, ſingulari quadam charitatis contentione, qua & inſignem ſui deſpectionem probauit. Idem in reliquas ægrotantes ſtudium: obire ipſa, quod ſorores laicæ efficere, ſolitæ erant. Vt autem vilibus paſſim, ac laborioſis officijs vacaret, manus indicabant, quæ ab aſſidua exercitatione rudem quandam cutem, coloremque obduxerant. Argumenta porrò non vulgaria humilitatis ea item erant: omnium ſe ſe, non Antiſtitæ modò, ſed cæterarum etiã Sodalium imperio ſubijcere: nullum, quod iniungerent opus, detrectare: omniũ ſe precibus, veluti flagitijs coopertam cõmendare: obiurgationes, ac interdũ iniurias priuatim, publicè æqua fronte excipere. Quod poſtremum cùm ad animi demiſſionem pertinere maximè videatur, ad tolerantiam potiſſimùm ſpectat; in qua ſanè laude excelluit Maria Magdalena: fuitque eò maior eius patientia, quòd non tàm corporis incommoda, quàm peracres animi moleſtias diù pertulit. Et verò non mediocre ſpiritus cruciamentum illud fuit, quocũ conflictari in ipſo tyrocinio oportuit, vti ſignificatum eſt. Probari nanque vehementiùs fœminę generoſitas minimè potuit. Moleſtiſſimam hanc animi ſolicitudinem excepere mox acerrimi conſcientiæ morſus, ac ſcrupuli, quibus diuexari quidem ſemper contigit; ſed nunquam diriùs, quàm cùm, nuncupatis ritè votis, Dei ſe obſequio mancipauit. Explicata tunc illi ad aſſiduum certamen palæſtra, in qua nullam non animi triſtitiam, ſolicitudinem,

Mariæ humilitas.

Et charitas.

Et patientia.

Scrupulis angitur.

æſtum-

Digitized by Google

RediJt tandē animo quies.

obuoluta tenebris mens cœpit; quoad ſubſidente curarum æſtu, inſtaurata prorsùs eſt animi quies; emiſitque ritè vota incredibili cum ſenſu lætitiæ, dicata Præſentatæ in templo Virgini die; quæ eſt prima, & vigeſima Nouembris anno huius ſeculi ſexto; ac tùm quidem mutata veluti ſcena, perſonā longè aliam induiſſe viſa eſt. Nullum ſiquidem à cognati ſanguinis ſtudio bellum; nihil in cœnobio arduum; inſigni alacritate probare, vorare omnia.

Regularum in monaſterio obſeruantia.

Attingenda nunc raptim eſt multiplex eius in religioſa diſciplina virtus. Ac primò quidem in legum ſuarum obſeruantiam omni ope incumbendum ſibi, duxit; vt cum Diui Dominici habitu cultus, ac mores conſentirent. Eapropter regulas manu terere, atque aſſiduò percurrere, ne quid peccaret memoria, aut ignoratio. Paupertatem, quam votis ſanciuerat, externa etiam ſpecie ſtrictiùs coluit.

Paupertas.

Cellæ vix neceſſaria ſuppellex inerat; tantùm abeſt, vt aliquid pretioſi, ac ſuperflui cultus vellet. Pijs libellis ſpiritum alere conſueuerat, iiſque maximo ſanè opere oblectabatur: ac ne hi quidem paupertatem læderent, non vltra vnum, aut alterum penes ſe eſſe, patiebatur, cōmodatos nempè, non ſuos: nec diſpar in indumentis ſtudium, contenta viliore amictu, quem vſurpare paupertas ipſa non erubeſceret. Laneum induſium ex regula, vel cùm temperandus rigor erat morbi cauſa, Antiſtitæ cęteroqui obſequentiſſima, exorari nunquam paſſa eſt, vt dimitteret. Ieiunia item, quę leges imperarent, ad vnguē obſeruare. Prolixior quidem ieiuniorum obſeruantia in Dominicanis Inſtitutis ea eſt, quę ab Exaltatę crucis feſto ad Dominicam vſque Reſurrectionem recurrit.

Ieiunia.

Ab hac ſemel exemptam Mariam Magdalenam voluere; quòd imbecilli tùm quidem vteretur corporis valetudine. At, nihil illi ea indulgentia moleſtius. Conuenire Antiſtitam, precari enixè, vt permitteret cōmuni ieiunio inſiſtere; eſſe, vt animo, ita & corpori vires; tùm noxis expiandis indigere ſe quidem pœnitentia, quę diù ſeculo adhęſerat. Sed cùm fruſtra preces eſſent, id demum impetrauit, vt explorari valetudinem octiduum placeret: & ſi quidem haberi meliùs contigiſſet, ſineret, vt ſtata cum alijs ieiunia obiret. Interea vacare nauiter orationi: valuitque adeò pia precatio, ac deſiderium, vt confirmatis mirè viribus, curſum ſumma alacritate, vigoreque ſpiritus cōfecerit.

Silentium.

Silentii ſtatis horis ſeruantiſſima: & quę pauca, ac nonniſi fructuoſiſſima loqui conſueuerat, dato vix ſilentii ſigno, ne verbulum quidem excidere ſibi, patiebatur, abrupto interdum ſenſu ſermonis, quem inſtituerat. Eadem in obeundis monaſterii muneribus taciturnitas; ac ſtrictior planè in ſacrario, & choro; in quo quidem aſſidua interdiù, noctùque; ſtudebatque in primis, vt omnium prima adeſſet: id quod ſuadere verbis, exemploque ſodalibus contendebat; vt, ſcilicet, anteuerterent ſe inuicem, certarentque in occupanda ambitioſiùs pſalmodia. Pręcipua in eo Sapientiæ monaſterio obſeruantia eſt, vt, ne aut mortales videant, aut ab ijs videantur, quoties alloqui eos contingit, faciem velent. Quod à Maria Caraſa, Pauli Quarti Sorore, quæ diſciplinam illam fundauit, inductū, propagatumque ad alia Neapoli aſceteria fuit, vti aliàs fusè memoratum.

Veli obtegendo voluit quā tenax.

Hoc autem religioſæ pudicitiæ inuentum vel in extremo ipſo ſpiritu cōmendauit Maria Magdalena. Supremo ſiquidem morbo cùm animā penè ageret, cognoſcere etiam de vultu decumbentis ſtatum medicū, oportuit: abſtulit proindè velum confeſſarius, qui aderat. Id quàm acerbè tulerit moribunda (nam conſequenti mox nocte animam efflauit) diſſimulare minimè potuit. Collecto nanque morientis vitæ ſpiritu, profeſſa tunc eſt, nunquam antea in toto vitæ ſuæ curſu eiuſmodi moleſtiam tuliſſe, quæ illam exæquaret. Illud item non ſanè parum eius in præclarum hunc morem ſtudiū probat. Neptim circiter ſeptennem in ſui clientelam, fidemque in monaſterio acceperat, quam, & ſeculari habitu, & intra infantiā, ita tamen inſtitutam voluit, vt quoties alloqui homines contingeret, velum ipſa etiā obduceret.

Eius pudicitia.

Oportere ſe nanque, aiebat, vt nec puellam homines noſcerent. Nempè ab inſigni quodam in caſtimoniam affectu hæc; cui quidem virtuti vſque adeò addicta, vt mirarentur Sodales, innexā diutiùs connubio fœminam, tantam verecundiā vultu, pudicitiam geſtu, honeſtatem verbis, candorē in omni vitæ actu præferre. Hominum colloquia, etſi poſcebant identidem negotia, euitabat; neminem vnquam alloquuta, niſi Andriæ Ducem filiū, ac fratrem; reliquos domeſticos, ſi quid negotij afferrent, iuſſit per interpretes moniales, quas Rotarias vocant, agere.

Et Virginitatis æſtimatio.

Quanti verò virginitatis

decus,

decus, ac dignitatem faceret, illud in primis declarauit. Ægrotabat graui morbo; ac perſcribenda ad Ducem filiũ epiſtola erat, cui cùm minimè ſufficere vires viderentur, exhibuit ſe ſe illi ex ijs virginibus, quæ manũ cõmodaret, ac literas componeret: cui Maria Magdalena gratias quidem habuit quàm maximas: cæterùm officium recuſauit eo nomine, quòd omninò indecorum ſibi videretur, exaratã ſacræ Virginis manu epiſtolã per manus hominũ circumferri; atque adeò non ſine graui incõmodo ſcripſit ipſamet. Planè quæ tàm egregiè de Virginitate, eiuſque pretio ſentiebat, perueniſſe ad inſignem quandã animi puritatem, neceſſe eſt: & quæ virgineis characteribus ab afflatu hominũ metuebat, an ſibi ab eorũ alloquio, ac conſuetudine caueret, facilè quiſque perſpiciet.

Hæc animi puritas nimiùm quantũ contemplationi, cuius ſummoperè ſtudio tenebatur, deſeruiret. Statis monaſterij cõmentationibus nunquam viſa deſiderati. Extra verò communes preces orare fermé ſemper, videri poterat: idque de genu: quo corporis habitu dies interdũ integros perdurabat. Ita autem huic ſe ſe precandi exercitio aſſueuerat, vt ab externis operibus facili ſe negotio ad internam quietem reuocaret, ac in ipſamet actione vacaret Deo mens. Flagrantiſſimam, conſtantemque orationem non ſine superno lumine fuiſſe, perſuaſum habemus. Semel, dum orat, affulſit illi quædam lux menti, qua vidit, fore, vt, ſi Neapolim accederet Dux filius, in graue aliquod diſcrimen adduceretur. Vrgere ipſa tunc preces; & quod erat matris ſtudium, ſodaliũ etiam opem implorare. Ac opportuniſſimum ſanè præſidiũ fuit. Siquidem in id ſubindè periculi Dux incidit, quod propulſari manu, conatuque mortalium minimè potuiſſet. Euulgare hoc ipſa coacta eſt amoris vi quadam ineluctabili, vt ſcilicet caueret filio ſororum precibus. Cæterùm obſtinatum illi in eiuſmodi Dei illecebris, ac beneficijs ſilentium ab inſigni quadam animi demiſſione, qua celebritatem, famamque auerſabatur. *Orationi addictiſſima.*

Planè cùm in omnibus excellens hæc virtus, ac parens virtutum, humilitas laudabilis ſit, tùm illos maximè condecorat, quos olim opes, ac tituli honeſtarunt: trahitque à ſpleodore generis, ac diuitiarũ non minimum exiſtimationis, ac pretij modeſtia. Ac Maria quidem id in primis propoſitũ habuit, vt quicquid ab inclyta domo lucis exiſteret, religionis habitu contegeret, tereretque faſtum omnẽ contemptu ſui. Quicquid abiectiſſimi operis in cœnobio erat, id ſibi, ceu propriũ depoſcebat; vt in eo miniſterio vel ſororibus ipſis laicis præiret. Adeſſe alijs, atque inſeruire ſua manu contendebat; tantùm abeſt, vt aliquid ſibi officij impendi pateretur. Addicta ſemel valetudinario fuit: ac viſa tunc in ea certare cum humilitate charitas. Laborabat tùm aqua intercute ſoror quædam laica: cui & ea erat morbi appendix, peſtilentiſſima, videlicet, in affectis tibijs vlcera. Hanc ſibi præcipuè curandam ſuſcepit Maria Magdalena. Adſtare diù, noctùque: ſupra delicatioris naturæ vim tractare, mederi ſua manu vlcera: de genu quidem, neque ad breue tempus, ſed per annũ, ſingulari quadam charitatis contentione, qua & inſignem ſui deſpectionem probauit. Idem in reliquas ægrotantes ſtudium: obire ipſa, quod ſorores laicæ efficere, ſolitæ erant. Vt autem vilibus paſſim, ac laborioſis officijs vacaret, manus indicabant, quæ ab aſſidua exercitatione rudem quandam cutem, coloremque obduxerant. Argumenta porrò non vulgaria humilitatis ea item erant: omnium ſe ſe, non Antiſtitæ modò, ſed cæterarum etiã Sodalium imperio ſubijcere: nullum, quod iniungerent opus, detrectare: omniũ ſe precibus, veluti flagitijs coopertam cõmendare: obiurgationes, ac interdũ iniurias priuatim, publicè æqua fronte excipere. Quod poſtremum cùm ad animi demiſſionem pertinere maximè videatur, ad tolerantiam potiſſimùm ſpectat; in qua ſanè laude excelluit Maria Magdalena: fuitque eò maior eius patientia, quòd non tàm corporis incommoda, quàm peracres animi moleſtias diù pertulit. Et verò non mediocre ſpiritus cruciamentum illud fuit, quocũ confictari in ipſo tyrocinio oportuit, vti ſignificatum eſt. Probari nanque vehementiùs fœminę generoſitas minimè potuit. Moleſtiſſimam hanc animi ſolicitudinem excepere mox acerrimi conſcientiæ morſus, ac ſcrupuli, quibus diuexari quidem ſemper contigit; ſed nunquam diriùs, quàm cùm, nuncupatis ritè votis, Dei ſe obſequio mancipauit. Explicata tunc illi ad aſſiduum certamen palæſtra, in qua nullam non animi triſtitiam, ſolicitudinem,

Mariæ humilitas. *Et charitas.* *Et patientia.* *Scrupulis angitur.*

æſtum-

Digitized by Google

æſtumque experta eſt. Exactæ vitæ noxas, veluti non dum ritè expiatas, peracri re-
cordatione in ſeipſam prouocabat: atque adeò, ceu ſuper ceruice diſtrictus enſis irati
Numinis penderet, formidare, æſtuare, angi. Accedebatque metus quidam, ne quid
grauioris culpæ in præſentia admitteret. Ita nanque timor ipſe mentem affecerat,
vt, cùm fallente rerum imagine, omnia in maius excreſcerent, veteri ſemper anxiè vi-
debatur, ne labi in mortiferam culpã contingeret. Hinc vellicantibus eiuſmodi acu-
leis animũ, nulla, aut ſincera quies oculis, aut menti tranquillitas erat; oſtendebatque
pallor, ac macies vultus quàm graue hæreret lateri, ac medullis telum. In hoc verò
curarum æſtu illud planè moleſtiſſimũ, quòd nulla in tanta virtutis exercitatione, at-
que in tot piorũ operum vſu cœleſtis conſolatio animũ irrigaret. Quod ſi modica
quàm rariſſimè voluptas, ac lux animũ reficeret, relabi in maiores mox tenebras, ac
terrores videbatur. Confeſſarius, cùm Dei quidem conſilio præcluſum cerneret con-
ſolationibus animũ, in id ſedulò incumbere, vt æquo animo ferret, quod immitti ab
amantiſſimo Numine, non dubitaret. Rationes, viaſque periclitandæ mortalium
virtutis varias quidem eſſe: cùmque alios alijs modis exerceat diuina bonitas, ipſa
contenta ſuis ſtimulis, ijs ſe agitari perturbationibus ſineret. Satis compertum,
ad conſcientiæ pacẽ immitti à Deo bellum: perſuaderet item ſibi, hoc eſſe ſuis in ſpi-
ritu progreſſionibus magis conſentaneum: pleroſque inter procellas tutiùs enauigaſ-
Vt animum componeret,
ſe: & quos turbo diligentiores fecit, merſiſſe tranquillitatem. His monitis eluctari
difficultates, ac fluctus conabatur Maria; ac non minimùm profectò quietis ea cogi-
tatio afferebat: nimirùm ijs ſe cruciamentis diuinæ iuſtitiæ debitum diſſoluere: ęquũ
nempè eſſe, intelligebat, læſo Numini ſatisfacere. Hinc ardens quoddam ſtudium
pro Deo patiendi; ac nihil illi magis ad cor, quàm eiuſmodi argumenti ſermonem
Patiendi pro Deo ſtudium.
inſtitui. Dicere ingenuè confeſſario ſolita erat, ſe quidem, vt pro Deo pateretur, prom-
ptam eſſe, infernas etiam pœnas ſubire: eòque feruentioris charitatis peruenerat, vt
familiaris hæc eius eſſet oratio: vt, ſi capillo quidem maior Dei gloria eſſet, in infernũ
detrudi ſe, quàm ſaluari; addiceret æterno illi carceri Deus. Planè ab animo, vt in diui-
nũ amorem incitatiſſimo, ita ſitientiſſimo pœnarum pro Deo hæc erant; quò peruc-
nerat quotidiano vſu patiendi, ea quidem tolerantiæ laude, vt in ipſa etiam externa
ſpecie fortitudo, ac patientia eluceret. Teſtatæ ſiquidem ſodales ſunt, quibus ipſa
familiariter vtebatur, etſi conflictari peracerbis animi, ac corporis incõmodis Mariam
Magdalenam paſſim contingeret, nec deeſſent ab exteris moleſtiæ, nunquam viſam
vultum, aç frontem mutaſſe: & pallebant quidem ab ærumnis ora, ſed vernans quę-
dam immixta pallori ſerenitas videbatur.

Atque hic fuit religioſiſſimę fœminę vitę curſus, in quo nullam non exercuit egre-
giè virtutem: vt quę abdicato rerum humanarũ ſtudio prorsùs omni, tota ſe regulari
diſciplinę excolendę, comparandę religioſę perfectioni, diuinę charitati amplifican-
Mortis in ea deſiderium,
dę dederat. Nec planè ſegnior in ſupremo vitę actu fuit, quem inſigniter peregit,
cumulatis in eo mortis confinio virtutũ documentis. Ac charitatem quidem, patien-
tiam, conformatam diuinę voluntati mentem cùm mirificè probaſſet, tùm quodam
pręcipuè deſiderio moriendi viſa exarſiſſe. Hoc autem mortis deſiderium, qui eius
tunc erat à confeſſionibus, atque intima quęque eius pectoris nouerat, inde, ait, deri-
uaſſe. Tres nanque circiter ante obitum menſes interno quodam lumine circumfu-
Et vnde.
ſa, mentis oculos ad inſigne rerum diuinarũ ſpectaculum aperuit, quę cœca ad eiuſ-
modi lucem ſemper fuerat, nunquam, aut perquàm raro, vti dictum eſt, diuinis deli-
cijs dignata. Igitur his radijs colluſtrata, immenſam diuinitatis pulchritudinem,
ac formam videre ſibi viſa eſt, ac ſimul confirmari animum ſenſit ingenti ſpe, fore
vt ea ęternùm frueretur. Occupauit perindè mentem diuina ea lux, vt exindè aba-
lienari perſæpè à ſenſibus contigerit; atque inflammata deſiderio potiundi, quod con-
templata ſemel fuerat, impar omninò cordis affectui videbatur. Hinc ſuſpirijs teſta-
ri amoris impetum: interdum etiam vociferari, vt abſtinere plus ſolito à ſororum con-
Adauctum ſuprem. morbo mortis deſiderium.
ſuetudine oporteret. Trimeſtre tenuit inſolitus hic ardor; qui deindè viſus vehemen-
ter excreſcere, cùm correpta ſupremo morbo eſt. Nam cùm diuinitùs intelligeret,
fore, vt quàm primùm voti compos fieret, accendi acriùs cœpit: eaque fuit charita-
tis flamma, vt putauerit confeſſarius, à quo hæc habemus, non tàm febrim, quàm
diui-

Digitized by Google

diuinum hunc ignem medullas, ac viſcera inflammaſse; adeò, vt fruſtra eſsent quæſita à remedijs refrigeria. Dum ægrotaret nihil accidere ad eius aures gratius poterat, quàm de patientiæ laude, fructuque mortis ſermo. Si ingraueſceret morbus, lætari; ſi ſalutis ſpes aliqua affulſiſſet, triſtari. Ad ſuprema ſacra viſa mirificè exhilarari, veluti eius iam poſſeſſionem iniret, quod diù, ac ſummoperè optauerat. Dulciſſimos in extrema vita animi ſenſus, amoris deliquia, nouiſſima, ac plena Deo verba nullus planè explicauerit; inter quæ animã efflauit die Decembris vigeſima octaua, ſuauiſſimè quidem, veluti quieſceret. Vultus, ac relicta in eo pietas, ac ſanctimonia omniũ in ſe oculos conuertebat, gratiſſima quadam ſpecie, quę intuentes exhilararet. Quædam etiam mẽbris facilitas inerat: cumque condi corpus nonniſi poſt pluſculos dies contigiſſet, nullus inde grauis odor efflatus. Non defuere è monialibus, quę eius ſe ſe precibus cõmendarunt non ſine præſenti ope. Quibuſdam, implorato eius nomine, impetrata etiam ſanitas. Ferunt, obiectam ſe pleriſque innocentiſſimã fœminam vultu ſupra mortalẽ, ac gloria circumfuſam. Quæ recenſere prætermittimus: vnũque hic pro cunctis erit fratris cuiuſdam Laici è Capuccino Ordine teſtimonium, viri, quẽ ſupra memoraui, in omni virtutum genere exercitatiſſimi, cui nomen Pacificus. Non ſemel hic videre ſibi viſus eſt pulcherrima ſpecie Mariam Magdalenam; iuſſuſque, vt euulgaret ſumma fide, quæ viderat, hæc ingenuè ſcripſit, quæ nos hic in latinum conuerſa, verbo ad verbũ exſcripſimus. Sic igitur inquit. Ego Fr. Pacificus pauper Laicus Capuccinus à Fr. Franciſco Caiacenſi Prouinciali meo iuſſus, vt, quæ de Andriæ Duciſſa, appellata deindè Maria Magdalena in Sapientiæ Monaſterio, vbi vota nuncupauerat, noueram, ex fide ſcriptis conſignarem: aio, pluries, hoc eſt, octonis circiter vicibus, inter orandum, cum maximè eius mortem contemplarer, vidiſſe me illam inſtar Reginæ, corona inſignem, torque, armilliſque ſplendidam; amictu quidem nunc purpureo, nunc albo, vultu fulgentiſſimo, qui animũ vehementer afficeret. Alloquuta verò me eſt in hæc verba: Haud facile dictu eſt, qua munificentia rependat Deus, quicquid vel minimũ pro eius amore quis nauauerit. Ego Virginum, viduarum, coniugum præmium accepi. Ipſi, maieſtatique eius gloria. Addiditque mox: paucas horas luſtrali igne perpurgatam, ſtatimque in cœlum euolaſſe. Quas ego rerum ſpecies cùm obliterari ab animo peruellem, impetrare minimè potui, vt abirent. Quin imò heri die Aprilis nona huius anni quarti decimi voluentis ſeculi inter preces inſpiciendam ſe ſe mihi dedit ad eundem ferè modum; nempè ad inſtar Reginæ, baſilicè ornatæ, ſplendore incredibili, amictu niueo: atque hæc mihi paucis: Abi in cellam: quæ vidiſti, ſcribe Dei iuſſu, vt in tempore memineris. Et verò memoria deficior. Quare parui; ſtatimque cõmentariolum inſtitui rerum, quas nunc refero. Nec diſſimulauerim, quod ipſamet in ipſo harum viſionũ initio me docuit: nempè ideo ea ſe dignatam gloria, quòd ſtrenuè charitatis, ac miſericordiæ operibus inſudauerit. Hæc Pacificus. Quæ pergit de Fabritio, Andriæ Duce, aliàs recenſuimus; ac finem deindè in eam ſententiam facit: Vereri nimirùm ſe, ne, non quidem à Deo, ſed inſtinctu dæmonis hę colluſtrationes, viſioneſque extiterint: attamen perſuaſum habere à Deo eſſe: maiorum verò imperio, ac nutu ea literis commendaſſe.

Ex quo piè moritur.

De eius gloria Pacifici Capuccini teſtimonium.

Atque hæc de Maria Magdalena Carafa, quæ non ſola hoc anno è Sapientiæ aſceterio cœlum petijt. Martio ſiquidem menſe diem extremum clauſit Columba Gualanda ſenecta admodùm ætate, ſed pietate maturior. Quem religioſæ vitæ curſum, conceptis inter feruentiſſimæ charitatis actus votis, inſigni ardore animi inchoauit, proſequuta eodem ſpiritu eſt, abſoluitque ſumma cum innocentiæ, ac virtutum omnium laude. Religioſi, ac ſui præſertim Inſtituti tenax. Nullum vnquam ſine fructu verbũ paſſa eſt, ſibi excidiſſe: cæterùm addicta mirificè ſilentio, ac ſolitudini erat. Aſſiduam in Odèo eſſe, cõmune fortaſſe cum alijs erat: illud Columbę peculiare; eo ſenſu, atque attentione canere, vt rapi exceſſu quodam mentis videretur; ardebatque in pſallendo vultus, vt angelum diceres. Abſoluto choro, preces quà voce, quà mente continuabat: ac breui quicquid ab externis monaſterij exercitijs ſupererat temporis, orationi impendebat: vt admirationi planè eſſet, nunquam defatigari in hoc precandi ſtudio fœminã. Pleroſque è Diuis in patronos ſibi delegerat, conſeceratque longam ex ijs ſyllabum: quotidiè conſalutare illos, ac venerari ſtatis precibus conſueuerat.

Columba Gualanda in Sapiẽtiæ monaſterio moritur.

Multiplex eius virtus.

uerat. Deiparæ præſertim addictiſſima; nihil in eius ore frequentius, quàm magnæ Matris nomen, ac laudes; nihil iucundius, quàm Mariani dies, quos ſumma religione celebrabat. Chriſti Domini cruciatus intimo quodam animi ſenſu proſequebatur. Hilaris ſemper, ac ſerena illi frons: contrahi, ac triſtari duntaxat videbatur, cùm ingredi meditatione in Redemptoris pœnas, crucemque contingebat: tunc enimuerò męſtitia vultum occupare, ac pluere vbertim oculi. Paupertas illi comes indiuidua. Mentis puritate viſa Columbæ nomen promeruiſſe. Peculiare illi exercitium, coram Deo ambulare: vt non mirũ, ſi ad omnem modeſtiam, ac diſciplinam motus animi,

Tentata oculorũ tenebrit.

geſtus, verba, nutus conformaret. Tandem periclitari de more, atque expolire inſignem hanc virtutem Deo placuit ærumna, qua nihil fortaſſe moleſtius. Nam quid reliquum vitę, ac lucis eſt mortalibus, poſtquàm geminum ſydus oculorũ occiderit? Igitur principem, ac potiſſimã eam corporis partem morbus inuaſit, ac breui orbata omninò luce eſt. Computare inter inſignia beneficia cœcitatem Columba; ac tantùm abeſt, vt affuſę oculis tenebrę animũ peruaderent, vt vernaret ſupra omnẽ caliginem, atque externi luminis iacturam mens ſerenior. Gratulari; gratias Numini habere; cladem, ſiuè beneficium magni facere. Et verò viſa exindè flagrantiſſimo quo-

Aerumnã com lętitia tolerat.

dam ſpiritu rebus duntaxat cœleſtibus operam dare. Siquidem cùm non ampliùs externis vacare miniſterijs poſſet, totam ſe diuinorũ contẽplationi dedit. Orare, ac meditari ſemper conſtanti quadam ſtatione ante ſacrã Euchariſtiam cernebatur. Odèo ſibi minimè interdictum voluit. Aderat pſalmodię, ac noctu quidem binas omninò

Atque indè ſanctior,

horas ante preces antelucanas lecto ſurgere; & quoad chorus euocaſſet, ad domeſticã Deiparę aram preces fundere. Nihil illi iucundius, quàm de Deo ſermones audire. Sicubi loqui inter ſe ſe moniales inaudiuiſſet, dum pertranſiret, arrigere illicò aures; &, ſi quidem de diuinis rebus erat ſermo, ſubſiſtere; ſecus, ſuum iter pergere. Id erat in ea planè admirandũ, quòd nulla in ſui miniſterio alterius ope, manuque indigeret. Ire, redire: cœnationi, choro, ac pleriſque domeſticis functionibus ſola adeſſe: vt videretur ſanè tutelaris angelus clientem ſuã ducere, quò vellet. Semel vidit ipſa, capta

Quid in ſodalis morte cœca viderit,

licet oculis, quod nulla è ſodalibus vidit. Animam quædam non mediocri virtute monialis agebat: datoque ſigno, vt ad morientis cellam de more omnes conuenirent, deeſſe huic charitatis officio Columba minimè voluit. Vbi ad valetudinarium peruenit, quod quidem peramplũ, veluti ingens quędam Virginũ multitudo locũ occuparet, petere, vt aditũ ſibi permitterent. Mirari omnes, quòd nulla inibi vis monialiũ, quę locum anguſtarent. At intellexere mox Columba, ac reliquę, Diuam Vrſulam eam eſſe, quę vnà cum confertiſſimo ſuarũ Virginũ agmine eò venerat, vt puriſſimam decumbentis animã in cœlũ ea celebritate deduceret. Porrò cùm diuturnã per omnes virtutũ gradus vitam tranſegiſset Gualanda, exuit mortalitatem. Tentari febri, ac deſperari defectę Virginis ſalutem, ſimul fuit. Complecti ſingulari ęquanimitate, ac ſpiritu mortẽ viſa eſt. Deiparę præſertim clientelæ, quam intimè dilexerat, in eo rerum articulo ſe cõmiſit: imploratoque eius, ac Ieſu nomine, pijſſimè expirauit die quinta Martij huius anni.

An. Domini 1614.

Satis in Sapientiæ monaſterio morati, reſumimus modò res noſtras; ac inſequenti

Oratorium à Peccatorum Conuerſione Neapoli inſtituitur. Origo à Sacerdotibus Secularibus.

mox anno huius ſeculi quarto decimo obijcit ſe ſe Oratorium à Cõuerſione peccatorũ dictũ, quod Neapoli in Paulina domo fundatur: fructuoſiſſimũ planè opus, ac multa animorũ, ac perditorũ hominum fruge inſigne. Principium quidem à ſecularibus quibuſdam Sacerdotibus, qui diuino quodam conſilio afflati, cùm in Neapolitana Vrbe innumeros penè è vulgo deprauati, ac deplorati omninò moris, fœdiſque implicitos conſuetudinibus ſcirent, dignũ Chriſtiana pietate, zeloque exiſtimarunt, ſi inſtituto ipſi opere, diebus feſtis Ciuitatẽ obirent, haberentque per compita conciones, eoſque publica voce adhortarentur, abſterrerent, inſtruerent. Scilicet, vt quando ſua ipſos deſidia, ac flagitia delectarent, atque adire templa, ſacraſque in ijs conciones contem-

Noſtratũ cliẽtelam poſtulant, ſemel,

nerent, eſſent, qui vltrò ſe ſe ijs offerrent, atque improuiſo quodam tonitru altè conſopitos excitarent. Qui præclarum hanc mentem conceperant, vt haberent ipſi in re non exigui quidem momenti moderatores, & qui negotium prudenter regerent, ac ſuo ductu amplificarent, noſtrates interpellarunt, vt in ſui clientelam deſtinatũ tàm frugiferæ operæ cœtum acciperent. Qui egregium inſtitutum, ac Reipublicæ vtiliſ-

ſimum,

ſimum,probarunt quidem: attamen adhibendum in conſilium tempus duxere; vt rem
interim accuratè expenderent,ac ſingulorum vitæ rationē,exercitia,mores diſcerent.
Accidit nanque non rarò, vt quæ ſpecie quidem optima videntur, non eandem in
receſſu ſiuè dignitatem, ſiuè vtilitatem habeant: cauendūque maximè eſt,ne rei ſacies
decipiat. Igitur, cùm moras noſtri necterent,ne vaneſcerent concepti ſemel impetus,
impetrata à Neapolitano Antiſtite facultate,curare ſacerdotes illi bono cū Deo opus;
inſtructoque Dominicis,ac feſtis diebus agmine, aggredi publica vitia in ſuiſmet ca-
ſtris, nempè in foro,in triuijs,locíſque Ciuitatis frequentioribus occœpere. Et proce-
dere quidem nauitas cum pietatis incremento,ac ſcelerum clade videbatur. Vſu ta-
men cōpertum,fore,vt niſi externa quædam auctoritas,ac diſciplina accederet, labo-
raret vehementer inſtitutum: cùmque & certo loco cœtum conſiſtere,ac certis etiam
legibus, ac moribus informari ſacerdotes,ac ſuo præſertim ordine peragi omnia opor-
teret,id omninò neceſſarium putarunt. vt negotiū religioſi homines ſua peritia tem-
perarent: duraturum,videlicet,ijs auſpicijs; ſecùs,veluti incōpactam molē,ac nullius
imperio,nutuque cohærentem, ruituram Sodalitatem. Quocirca repetitis precibus,
tentare iterum,atque iterum noſtros. Patrocinium nempè,ductumque Regularium

Ac iterum;

Clericorū eflagitare iure quodam ſeculares Clericos: regerent ipſi,formarentque ar-
bitratu ſuo cœtum: præceptionibus, inſtitutíſque obtemperaturos ad vnguem: cœp-
tos tanto cū fructu animorū labores,ne ſinerent langueſcere,ac ſubinde penitùs abo-
leri: perſuaſum habere,fore,vt progreſſus poſtea non mediocres illæ ſacerdotum curæ
facerent: atque adeò quicquid ipſi demeterent bonæ frugis, acceptū referendum eſſe
Patrum diſciplinæ,ac ſtudio. Qui rem maximè vrgebant,duo ſacerdotes erant,nem-
pè Robertus de Robertis, & Vincentius Niger, ſolida virtute viri, zeloque diuini ho-
noris, atque animorū præſertim ſtudio in omnē pietatis partem oppidò incitati; qui
quidem in eo Sodalitio excitando principes partes egerant; & quòd ſuas conſcientias
noſtris permiſerant,addictique noſtro Inſtituto erant; id impensè optabant,vt in Diui

Vrgētibus præcipuè rē Roberto de Robertis, & Vincentio Nigro,

Pauli cœnobio conſiſterent,haberentque à noſtratū induſtria continuandi, augendi-
que operis formam. Præerat illi tùm domui Andreas Piſcara Caſtaldus, qui,explora-
ta abundè iam piorū hominū religione,atque in animarum re curanda ſtudio, quòd
& ipſe eſſet dilatandæ pietatis cupidiſſimus, atque acri vir zelo, accōmodare eorum
precibus aures cœpit: ac re cum ſuis cōmunicata,monitoque Patre Generali ſpiritua-
lis cōmodi, quod inde exiſteret,eius præcipuè aſſenſu,ac nutu in ſuæ tandem domus
fidem,tutelamque impigros ſacerdotes excepit,die Februarij menſis ſecunda, in quā
dies Dominicus Septuageſimæ incidit. Locum illis tribuit opportuniſſimū: nempè
cœmeterium, quod aliàs diximus, ſub ipſa eccleſia concameratū, atque opere tecto-
rio expolitū: vbi cœpta ſtatim congregari flagrantiſſima ea manus,cui à Conuerſio-
ne peccatorū nomen: atque ordinata rerum agendarum ſerie, ſcriptis quibuſdam ad

Acceptantur à noſtris; & locus ijs tribuitur

Sodalitij regimen legibus,impetrata iterū maiorum facultate, vt publicas obire fun-
ctiones ritè poſſent, breui adauctus operarū numerus eſt, conflatūque etiam ex omni
artificum genere Oratorium. Dominica poſtea Quinquageſimæ, inſtructo agmine,
præeunte quodā Chriſti Domini, è cruce pendentis ſimulacro, terribilis,vt caſtrorum
acies ordinata,inambulare Vrbē Sodalitas illa primùm cœpit. Planè vſurpari de ijs po-
terat, quod in ſacro Epithalamio dicitur: Quid videbis in Sulamitate,niſi choros ca-
ſtrorum. Nam ſacræ quædam alliciendis mortalibus cantiones inter eundum pſalle-

Sodalitij exercitia.

bantur, vt canentium chori viderentur: verùm vbi à celebritate opportunior locus
videbatur,vnus è ſacerdotibus è ſuperiore loco ad multitudinem dicere inſtituebat,
intorquebatque ardentia quædam expugnandis pectoribus tela: vt intelligeret ſanè
quiſque,caſtra ea eſſe, quæ bellū inferis inferrent. Declamantium ſcopus is erat; in
peccatum nullis verborum phaleris,ac quæſita eloquentia; ſed vehementi quodam,
inflāmatoque dicendi genere inuehi: eius turpitudinem,ſordes,clades exaggerare:
tùm diuinæ iuſtitię lances,ac ferrum,æterni ſupplicij acerbitatem,certū,incertumque
mortis diem,aliaque eiuſmodi argumenti,quæ oblitam ſuę ſalutis,indormientemque
ſuis malis gentem quarerent, ac caperent. Et verò nunquam ſine ingenti præda hæ
voces. Extremis præſertim bacchanalibus, cùm ſuo quiſque genio indulget, ac fer-
uent vulgi clamoribus viæ,ac fora,accendi plus ſolito ſacti ij operarij videbantur: tan-

Et fructus:

toſque fieri animorum motus contingebat, vt attoniti ijs interminationibus homines, ſe ſe cæteris aggregarent: creſcebatque paſſim ad quatuor hominum millia, vel eo ampliùs numerus, qui turmatim deindè ad Diui Pauli eccleſiam ducebantur, vbi vnus è noſtris flagrantiſſima item oratione illos excipiebat, atque ad ſacrã cõfeſſionẽ, veluti ad ſacram anchoram in eo animarũ naufragio adhortabatur: ac incredibile dictu eſt, quo ſtatim ſenſu, metuque, ac lachrymis confeſſarios, qui ijs audiendis proſtabant, adirent. Illud hic ſtatim non diſſimulandum, quod eodem hoc anno accidit, ac terruit vehementer vulgi animos, pioque huic operi nimiùm quantùm conciliauerit reuerentiæ, atque exiſtimationis. Extrema ipſa bacchanalium die luſtrabat de more Ciuitatem inſtructum hoc agmen: accidit, vt eà pertranſirent, vbi Iuuenis quidam omniũ, quotquot aderant, petulantiſſimus, fræros linguæ, ac modeſtię laxauerat. Hunc ſtatim ex eo cœtu ſacerdos, facto gradu, monere ſemel, ac iterum, vt Chriſtum ſequeretur: qui non modò non paruit, ſed irridere, ac contumelijs etiã monentem accipere. Nec multis. Abierat vix ſacerdos, cùm iurgari cum altero Iuuenis; ſtrictiſque mox enſibus, lethali vulnere traiectus, cecidit, ac momento expirauit. Nẽpè non irridetur Deus; agnouitque eo documento vulgus, non irritandam Numinis benignitatem, quæ tot vijs mortaliũ ſalutem curat. Atque hæc fuere huiuſce Sodalitij Conuerſionis peccatorum initia; quod etiam à rete apellatum, mutuata à Panormitana Sodalitate, quam aliàs dixi, nomenclatione; quòd, ſcilicet, retis inſtar confertim homines capiat, trabatque.

Quid extremis bacchanalibus acciderit

Verùm, quòd commoda indè, non ſanè parua caperet cõmunis pietas, interturbare opus humani generis hoſtis contendit: excitato nempè à religioſis viris turbine, qui vſurpari ſuam prouinciam, quam licet abrupiſſent, reſumpſere tùm quidem, affirmabant: quaſi verò reſtringendum in ampliſſima Ciuitate Euangelium eſſet, nec aliorũ induſtriæ pateret locus, vbi latiſſima ſe ſe offerret piorum hominũ laboribus, ac vigilijs area: aut officeret glebæ fertilitati, quòd quatuor omninò è Paradiſo flumina ad irrigandam terræ faciem exirent. Nihilo tamen minùs indictum operi bellum, ac penè profligatum; niſi tueri impigrè ſuas partes ipſum animorũ zelũ contigiſſet cùm Neapoli, tùm Romæ: vbi Paulus Pontifex Quintus cùm poni ab eo Sodalitio inſignem operam, ac repurgari, expiarique Neapolitanã plebem, eiuſque paſſim flagitia emendari, intellexiſſet; non modò continuare iuſſit, ſed ſuum vltrò patrocinium, tutelamque eſt pollicitus. Quod Marcus noſter Paleſcandalus, qui rem cum Pontifice tranſegerat, agente Petro Cardinali Aldobrandino, conſcriptis Neapolim literis, Vincentio Nigro, ac noſtris ſignificauit. Quæ quidem Pontificis beneuolentia, atque optimorum omniũ auraingentes animos Sodalitati, ac noſtris fecit; vt ardentiore deindè impetu in id operis incumberent. Teri proindè inoffenſo pede celebriores Vrbis partes, ſtudia capiendis animis conduplicari, ſacra ad numerum carmina altiùs reſonare, terrere vehementiùs conciones, explicari accuratiùs Chriſtianæ diſciplinæ rudimẽta; demum, quæ iam exercitia inſtituerant, peragi diligentiùs. Sed neque in his duntaxat operibus viſa hæc hominum ſedulitas, ac pietas ſiſtere; noſtris ad vlteriora, ac fructuoſiſſima ſemper proximorum cõmoda illos impellentibus. Enimuerò, ceu vilis obuia quæque præda eſſet, inquiri occulta etiam crimina, eorumque cubilia cœpere, vt latiùs remedia pertingerent, quàm eſſet forenſis ea excurſio. Inueſtigare proindè ſimultates, & antequàm mutuis odijs conſeneſcerent, dabant operam, vt in gratiam inuicem redirent hoſtes. Quos fœdis, diuturniſque amoribus implicitos ſcirent, id ſtatim omni ope curabant, vt conſuetudinem abrumperent; & aut abijcerent omninò meretriculas, aut matrimonio ſibi copularent. Sicubi paupertas impedimento erat, ne contraherent; corrogata ipſi ſtipe, opus iuuabant. Ad hęc, quòd romana interdum facultate aut ineunda matrimonia eſſent, aut contra ius, faſque inita, inſtauranda, ſuſcipere ipſi in ſe negotium; ac ſuo ſumptu, curaque literę impetrabantur. Hinc pleręque in dies ab eo cœno tradi nuptui, ac mutata fruge, honeſtati, pietatique reſtitui cernebantur: cùm interim non paucę ad ſanctioris vitę rationes vocatę, abdicato omni mortalium vſu, gynecœis ſe ſe manciparent. Homines verò ijs vitijs innutriti, qui diù ſacramenta, ſalutemque ſuam contempſerant, viſi turmatim in pœnitentię piſcinam mergi, ac ſanari; & quos noxarum enormitas pręgrauabat, ſoluti

Oppugnatur eximiũ opus.

Sed non expugnatur.

Maior in dies ab eo vtilitas.

Pœni-

Pœnitentiariæ literis, quę Romę à noſtris petebantur. Et ne vllis mortalium cōmodis deeſſent; præter iſthæc, quæ numeraui, ſi quid inſolitæ cladis incidiſſet, inuolabat confeſtim propulſandæ calamitati impigra ea hominum manus. Et verò non mediocrem ſibi hoc anno à Neapolitanis ciuibus gratiam conciliarunt inſigni quodam charitatis documento. Conſequente Diui Ioannis Baptiſtę peruigilium nocte, in ea vicinia, quæ à portu nuncupatur, ignem in quadā officina puluis tormentarius concepit. Nihil improuiſa, ac nocturna ea conflagratione terribilius. Eo ſiquidem tonitru, ac ruina incendium exatſit, vt neſcias, maior ne fuerit abſentium metus, an præſentium clades. Diſiectæ pleræque à fundo domus, vbi conſertiſſimæ artificum familiæ, quas vnus, idemque impetus inuoluit, oppreſſitque momentò caſus. Monuere quidem rei longè poſitos volantia ſaxa, ac fragor; quo excitati Conuerſionis peccatorum ſodales, quippè qui ſe proximis vocerant, ſuas duxere partes, eò ſtatim accurrere; vt in ea ſtrage familiarū, quicquid ipſi auxilij, ac opis poſſent, præſtarent. Ergò dum cæteri ſcenam ſpectant, concepto ipſi ab eo incendio ardore quodam, aggredi iunctis viribus, ac animis, præclarum opus. Amouere ſaxa, ligna; aſportare ſuis humeris. Quatuor adhuc ſuperſtites, defunctis propiores, reperti; conficiendi procul dubio tùm quidem, niſi tempeſtiuè charitas adfuiſſet. Oppreſſi verò clade ad quinquaginta fuere, quos contumulauerat quidem ruina, ſed indè extracti, iterum pietas ſepeliuit. Quicquid domeſticæ ſuppellectilis, aut opificij repertum, ſuis dominis ex fide reſtitutum. Denique nulli officio, ac labori viſi parcere: quo ſanè probauit egregiè Neapolitanis ſuam operam Sodalitium; docuitque ita animorum negotium curare, vt in humana etiam commoda inſiliret, cùm occaſio poſceret. Sodalitij à viciniȩ conflagratione charitas.

Qui propiùs inſignia piorum ſacerdotum, ac Sodalitatis opera inſpiciebat, Decius Cardinalis Carafa, Archiepiſcopus, gratulari ſummoperè, quòd formandis, iuuandiſque mortalibus tàm opportunus in Neapolitana Ciuitate excitatus ardor eſſet: & qui ſuatum ouium cōmodis, ſaluti que apprimè ſtudebat, non modò fauere eximia voluntate, ac patrocinio operi, verùm etiam iuuare munificentia: vt ſi quando perficiendę pietati ſumptibus opus eſſet, haberet, vnde aurum ſufficeret charitas: iuſſitque, vt quoties luctandarum animarum occaſio poſceret, adirent ipſum, nulli officio, ac præſidio defuturum. Porrò, quòd populoſiſſimæ Neapoli ſuburbia, neque ſatis auxilij, atque induſtriæ ad pietatem excolendam in ijs eſſet, facturum ſe non exiguū quidem operę pretium Cardinalis exiſtimauit, ſi impigras illas operas eò allegaret. Amplificari vigilias ſuas gratum viris incitatiſſimis fuit: ac nulla mora, in eam ſtatim oram maritimā inſilire, quæ ad Cocceianam cryptam tendit, vbi meſſis quidem multa, operarij tùm quidem pauci. Nam cùm duodecim circiter capitum millibus cenſeretur ſuburbium, pauci tùm religioſi viri, qui gentem, eorumque mores inſtituerent. Phalangem, & numero, & virtute parem operi vt conficerent, cum ſecularibus iunxere manus noſtri homines ex Diui Pauli, Sanctorum Apoſtolorum, ac Diuæ Mariæ Angelorū cœnobijs. Ex his verò, qui maximè dicendi facultate, ac impetu valebant, publicas conciones, cùm in Mariana parœciali Eccleſia, quæ à niuibus nuncupatur, tùm in compitis, ac triuijs habere; ad quas mirum dictu, quos fieri animorum motus contingebat. Quati, miſceri, conſecrari ſuburbium viſum. Turmatim fœminæ, viri, iuuenes, ſenes accurrere ad confeſſarios, qui indefeſſo quodam ſpiritu à prima ſtatim luce ad primas vſque faces patientiſſimas, recenteſque ſemper aures confitentibus præbebant. Illud hic accidit, memoratu dignum. Dum declamaret quis publicè in patentiore quodam loco ad confertiſſimam multitudinē, vrgeretque eorum acriter piaculum, qui noxas ſpontè omitterent; percuſſus quidam veluti telo quodam intimè, nihil prius habuit, quàm ad confeſſarij pedes accidere, ac conſcientiam plurium annorū, ac peccatorum mole, quæ volens omiſerat, prægrauatam, exonerare. Ergò, ſoluta non dum concione, feſtigiò ad eccleſiam, quæ à mari quinquaginta circiter paſſibus diſtat: dum ingreditur, ecce tibi terribilis viſu vir, aſpectuque truci: abſterrere primùm ab eo aditu: tùm facto impetu, à templo repellere; eaque retrorſùm vi impulit, vt ad littus vſque perduxerit; vbi alliſum cuidam lembo, non ſemel, ac grauiter hominem, formidandū in modum monuit, fore, vt ſi eccleſiam illam cogitaret, lueret non mediocri ſupplicio audaciam. Dum ſic ille interminatur, & alter ingenti clamo-

Probat inſtitutū opus Card. Carafa.

Suburbijs deſtinat viros ſodalitatem.

Quanto cum animorum cōpendio;

Dæmonis in eiuſmodi ſtudia conatus.

te

re opem poſcit, quendam fortè è noſtratibus ab illo egredi templo contigit: accurrit; conſternatum metu virũ, quid ſibi rei acciderit? interrogat: cognita dęmonis fraude, ac vi, blandè illum conſolatus, animos, ac fiduciam erexit; prenſaque manu ad eccleſiam deduxit, expiauitque totius anteactæ vitæ confeſſione, ſumma quidem communis hoſtis indignatione, qui impedire ſuis artibus, ac terroribus opus curauerat. Cuius rei ſama euulgata, & alacriùs adminiſtri in eam operam incumbere, vt dęmones frangerent, ac triumpharent; & vehementiùs accendi ad ſuam quiſque ſalutem eius oræ viri cœpere, ne circumueniri inferorum hoſtium inſidijs miſerè contingeret. Impoſitus præclaro operi finis generali Dominici Corporis vſurpatione: compertumque, ad ſacram eam ſynaxim pluſquàm quinquies mille, ac ſexcentos homines vna die acceſſiſſe, quibus vix ſuffecere ſacerdotes bini, qui certatim ſex integras horas ſine interſpiratione ſacrum Epulum miniſtrarunt. Planè, erudita ad omnem pietatem multitudine, correctis moribus, emendatis inceſtis nuptijs, diuturnis impudicitijs abraſis, reſtinctis odijs, reſtitutum Chriſtianæ diſciplinæ, ac religioni ſuburbium videri potuit. Quo fructu lætus ſummo quidem opere Cardinalis, in omnem ſuarum ouiũ profectum intentus, egregiam, flagrantemque eam ſacerdotum manum ad aliud mox ſuburbium, quod à Diuo Antonio appellant, allegauit. Duplò quidem maior, ac frequentior hic capitum cenſus: & vt labor diuturnior, ac intentior, ita vberior ſeges fuit. Sacrorum inſcitia, mores improbi, ſimultates, turpes thalami, aliaque id genus vitia altas hic radices egerant: quæ omnia aggreſſi Apoſtolici ſpiritus viri, euellere, extirpare, amputare; incultamque diù terram, ac ſpinis obſitam, ita excolere, vt refloruerit mox pietas, ac ſacramentorum vſus. Hæc autem perindè acta, vt cùm inſolens illis eſſet hic hominum ardor, ac vehemens declamatio, mirum quantùm diuinæ iuſtitiæ commemoratione, ac fulmine ſint perterriti: eoque tandem ſenſu pœnitentiam ſunt amplexati, veluti ſupremus iudicij dies, aut ingens quædam calamitas inſtaret, lachrymis, ac vocibus intimum animi dolorem teſtantibus.

Neque verò concludi intra ſuburbanos hoſce terminos, veluti infantiam ſuam exerceret, Sodalitas viſa eſt: ſed pertinere latiùs eas curas cùm vellet, oppida etiam intra Neapolitanam Diecœſim, ac extra luſtrare, ac perpurgare aggreſſa eſt. Quod ſanè tunc accidit, cùm addi, augerique cenſus cœpere, vnde alendis extra ſuos lares operis ſuppeditari ſumptus poſſent. Quo loco dilaudanda meritò venit Chriſoſtoma Caraceiola, Tarſiæ Princeps, prænobilis, vt ſtirpe, ita & pietate fœmina; cuius memoriæ & obſtricta magnoperè communis pietas eſt, & nos etiam Regulares Clerici plurimùm debemus. Theatino ſiquidem nomini addicta, non affectu modò noſtra intimè proſequebatur, ſed inſigni etiam liberalitate, ac digna Principe munificentia fouebat. Antesignana in hoc Conuerſionis peccatorum Sodalitio augendo ea fuit. Quippè cùm id maximè cuperet, vt ſuis è ſẽtinis, ac ſordibus praui homines extraherentur; quæ dum viueret, id operis aſſiduo auro iuuerat, continuare moriens voluit, legatis duodecim aureorum millibus, quorum prouentus annuos nonniſi in animorum negotium, ſacris, videlicet, expeditionibus, ac miſſionibus adornandis, collocandis meretricibus, peccatiſque quoquo modo diſſoluendis, impendi iuſſit. Quorum quidem adminiſtrationem, vſumque in iſtiuſmodi, videlicet, opera liberum Georgio de Afflicto, ſupremis ijſdem tabulis contulit, quoad viueret: eo verò elato, cederent Sodalitio. Sacerdos is erat luce generis ac ſpectata morum integritate, ac religione inter Neapolitanos conſpicuus. Dux olim Barreræ, ſed, abdicata rerum humanarum ſcena, induere perſonam aliam voluit; ac ſacris initiatus, totum ſe Dei obſequio, ac nauandæ charitati mancipauit. Incitari à cognomento videbatur, vt præſenti officio, lingua, manu afflictis adeſſet: nihilque profectò miſeriarum, ſiuè animi, ſiuè corporis Neapoli erat, quod non eius pietas ſubleuaret: adeò vt dici iure poſſit, à triumphata mortalium afflictione Afflicti nomen inueniſſe. Inter noſtros verò aſſiduus, quorum opera in expianda conſcientia vtebatur; pendebatque ab eorum nutu, & conſilio. Is igitur, vbi animarum ſalus poſceret, adeſſe inſigni ſedulitate; legatumque à Chriſoſtoma Caracciola aurum fundere: ac videbantur ſanè multi eius opera, ac ope in dies ad honeſtos mores, Chriſtianæque vitæ rationes redire. Poſtquàm autem exceſſit ab humanis Afflictus, eius vices ſacerdotum Sodalitium capeſſiuit;

Accedunt Sodalitio cenſus à Chriſoſtoma Caracciola.

Quos adminiſtrat Georgius Afflictus.

Quo defuncto, ceſſit Sodalitio adminiſtratio.

quod

quod tùm quidem, aggregatis pleriſque, quà nobilitate, quà doctrinarum laude ſpectatis viris, ad exactam quandam formam eſt inſtitutum. Scitum ſiquidem, vt certum quendam numerũ non excederent; ex quibus hi quidem pecuniæ adminiſtrandæ, hi verò animarum procurationi incumberent. Præfecti item maiores, minoreſque præſcripti: definita ijs auctoritas: ſancitæ leges, ad quarum normam res communis regeretur: decreta præcipué in his animarũ lucris agendi ratio, ac modus. Quibus prudenter conſtitutis, cenſuque itidem amplificato, creuit operi dignitas, ac fructus. Nam præter excurſiones ſingulis diebus feſtis Neapoli, ac identidem in locis ſuburbanis obiri ſolitas, vti ſignificatum eſt, inſtitutæ etiam ad vicina etiam oppida expeditiones. Hic enimuerò vigiliæ, curæque laborioſiores: quippè cum alta rerum caligine, ac inſcitia colluctandum. Rara in eiuſmodi oppidis pietas: tati etiam, qui doceant, moneantque: proindèque facile eſt, mores ſylueſcere, & quæ ſemel patrata ſunt, inueteraſcere. Opus poſtea, ac labor ingens eſt, prauas eas conſuetudines, earumque fibras, ne tenaſcantur, conuellere: ſuo cœno firmiùs cohærentes, iniecta manu, extrahere: dedocere imbutas ſemel erroribus mentes: futuris ſupplicijs terrere, quæ vix norunt, aut credunt: virtutum denique ſtudium, ac diſciplinam excitare. In hanc igitur prouinciam inſilire impigri ſacerdotes, quorum ſtudia noſtri regebant, iungebãtque Apoſtolico quidem ritu, zeloque animarum flagrantiſſimo ſuas manus, ac operas. Et quidem nunquam ſine ingenti morũ fruge, inſignique pietatis incremento hæ bis ſaltem in anno ad exteros velitationes. Frequens eſt eiuſmodi oppidis, ac vicis Campania. Ad illos cùm pergerent, non vno quidem in loco ſtrenui viri conſiſtere: ſed poſita in eorum aliquo, qui eſſet cæteris cõmodior, ſede, ſpargi deindè per alios, Dei verbum diſſeminantes, conſueuerant. Captam declamationibus prædam eò deducebant, vbi nouis terroribus excipiebatur: adeò, vt vellent nollent, peccatorũ molem deponerent praui homines. Planè iucundiſſimum viſu erat, integros interdum pagos peregrinari, ac ſequi, quò vocabantur: ac multò deindè iucundius, cùm traditis fidei rudimentis, conſopitis odijs, ablegatis propudijs, conſcientijs expurgatis, opus generali ad Chriſti Domini menſam incitamento concludebatur. Confluebant ſparſi per eam regionem populares, vnumque è multis conflare oppidũ videbantur. Feruebant pietate, ac numero, confertimque ad Dominicum Epulum accedebant: vt verè ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ Domini dici poſſent. Viget hodièque hic ardor, ac vſus, adornanturque ſtatæ expeditiones non impari quidem prouentu: quem vbi Puteolis, ac in ſua Puteolana Diœceſi cognouit Martinus de Cardenas, Epiſcopus, poſcere quotannis fructuoſiſſimas eas operas, inſtituendis, expiandiſque ſuis ouibus conſueuit: excipiebatque Apoſtolicos eos viros, præcipuè noſtrates, quos vnicè proſequebatur, perindè ac ſi formandis moribus Apoſtoli ipſi acceſſiſſent. Præſtantiſſimi Antiſtitis virtuti, ac ſtudio nimiùm, quantùm Puteoli debeant. Communis omnium Parens, non Epiſcopus videri potuit. Munificentia effecerat, vt Eccleſiæ vectigalia non ſua duceret: opibus, qua ſubleuandæ inopię, quà virtuti honeſtandæ, quà pudicitiæ tuendæ, exornandæque religioni erogatis. Tranſlatus is nupet eſt ad Panormitanas Inſulas; nactus quidem parem indoli aream; ac teſtata egregij Antiſtitis promerita, ſuamque iacturam vberrimis lachrymis Puteolani voluere. Redeo ad Conuerſionis peccatorum Sodalitium, de quo non antea finiã, quàm ſuam Bernardo Saraceno laudem attexam, viro ex noſtris non mediocri doctrinarum eruditione, quas non ſemel profeſſus cum laude eſt; ſed in iſtiuſmodi charitatis officijs incitato admodùm ſpiritu. Cœtum hunc diù is rexit Præfecti nomine; & quod ad miſſiones, vt vocant, attinet, ſuo illas nutu moderabatur: Vrbanas, ſuburbanas, oppidanas ipſe imperare; implebatque Ducis, ac gregarij militis partes. Notus Neapolitanis foris, quæ cum egregia illa ſacerdotum manu, aliorumque pſallentium Sodalium claſſe feſtis diebus terebat. Notus lupanaribus, ab aſſiduo meretricum transfugio. Notus gynecœis, in quibus periclitantium puellarum pudicitiam, veluti in tutiſſimis honeſtatis arcibus collocabat. Magiſtratibus, ac ſummis viris notiſſimus, quorum ſæpè interpellare opem ad charitatis opera ſolitus erat. Cardinali Caraſæ Archiepiſcopo inter paucos carus. Nouerat ille doctrinarum præſidia, integritatem, zelum; iuuabatque præclaros eius conatus non ſterili quadam approbatione,

Augeturque operis ardor,

Inſtitutis ad vicina etiã oppida excurſionibus.

Epiſcopi Puteolani in ſuas oues ſtudium.

Bernardus Saracenus Conuerſionis Peccatorũ Sodalitij diù Rector

Eius in charitatis operibus ardor,

bation e, ſed perquàm liberaliter. Aditum præterea ad ſanctimoniales pro libito illi conceſſit, cuius aurium, ac linguæ officium perſuaſerat ſibi, non mediocri emolumento ſuis aſceterijs futurum. Cùm hac fructuoſæ ſedulitatis opinione diutiùs Neapoli deſudauit Saracenus, conciliauitque exiſtimationem non vulgarem noſtro Conuerſionis peccatorum Sodalitio, de quo hactenus.

Fœda Neapoli hæreſis a noſtris detegitur

Moramur adhuc Neapoli, vbi è Paulina item domo Patres optimè de Chriſtiana religione mereri hoc anno contigit, clandeſtinis quibuſdam conuentibus detectis, in quibus, ſoluta per ſummã impudentiam modeſtia, noua quædam hæreſis Neapolitanæ pietatis, ac pudicitiæ ruinam meditabatur. Quid aliàs nauauerint noſtri in huiuſmodi hæreſum lue profliganda, abundè alibi ſignificatum. Viſi nempè ſucceſſiuo quodam zelo conficiendis peſtilentiſſimis Neapoli monſtris deſtinati. Dicendum modò, qua contentione hoc anno adlatrauerint ſceleri, quod niſi magna ex parte ſilentium obuolueret, non ſuppeterent profectò verba, quæ modeſtè narrarent. Principium à paucis quidem obſcuro loco, ac nomine. Anteſignana muliercula, cui Iu-

Dux fœmina facti.

lia à Marco nomen: vt veriſſimum planè ſit, quòd ait Hieronymus ad Cteſiphontem, rarò, aut nunquam, niſi fœmina aurigante, inductas in orbem hæreſes: quod exemplis eruditè proſequitur. Huius ſi genus quæras, in maternam ſtatim auiam offen-

Eius ſpecies, ac mores.

des, Turcam gente, ac fide, quam poſtea eierauit. Non elegans illi forma, ac vultus; reſpondebatque inconcinna reliqui corporis ſpecies. At ingenium acre, & mirè callidum. Improbam mentem inſignis verſutia tegebat; adornabatque ſcenam frons, ac geſtus; qui adeò ad omnem partem faciles, ac tralatitij, vt monſtrum quoddam ſimulationis iure dixeris. Vitæ ſanctimoniam flagitioſiſſima fraudum magiſtra, ac artifex ſimulabat: cùmque non in communi quodam pietatis gradu ſiſtere, ſed ad altiſſimum perueniſſe faſtigium, magnificè affirmaret; id in primis venditabat, indiuiſibili ſe quodam cum Deo nexu coniunctam ſemper eſſe; nec ab eo vnquam ſepa-

Alter ſectę anteſignanus.

rari, quicquid humanorum actuum perageret. Cæterùm impuriſſima quædam erat libidinis ſentina, cõtaminabatq; attactu alios; impulſore potiſſimùm Agnello Arcerio, qui alter fuit ſcelerum, ac ſectæ auctor. Vir quidem religioſi nominis, & Iuliæ à confeſſionibus, cui & propinabat ipſe peſtilens venenum, & hauriebat viciſſim à nequiſſi-

Tertius ſcelerũ architectus

ma fœmina, inquinandæ altiùs menti, ſordes. Aggregatus ad hos Ioſeph Vicarius, fœdiſſimæ hæreſis triumuir: conſultus quidem iure, ſed cui minùs doctrinæ, plùs inerat in dicendo vrbanitatis, & copiæ: vt caperet facilè eloquentiæ illecebra audientium animos. Præterea, ſiuè natura, ſiuè ſtudio quodam, fingendi, fallendique articulos omnes nouerat: ſumma vir dexteritate, ac inſigniter doctus ſeruire tempori, ac ſcenę.

Luis initia.

Iunxit hos ſimul par genius, ac morum ſimilitudo: ac poſtquàm, communicatis vnà conſilijs, initiati mutuo ſcelere, atque amicitia ſunt; cœtus inſtituere, ac centuriatam debellandæ communi honeſtati, pudorique militiam, decreuere. Cœpti igitur promiſcui hominum, ac fœminarum è mediocri quidem conditione conuentus, quibus famam ſparſa in vulgus Iuliæ ſanctitas conciliabat, commendabatque diſerta Vicarij lingua; qui ſanè facilitate incredibili, ac quadam etiam dictionis venuſtate de Chriſtianæ perfectionis laude, vſuque, ac pretio diuinorum quædam non vulgaris quidem ſaporis in medium afferebat; inaurabatque ſic calicem, vt fæcem deindè, ac noxiam propinaret; in quæ tandem ſermones, ac larua illa ſpiritualis vitæ collimabant. Ru-

Abrumpuntur Romano ſtatim iudicio.

dimenta iſthæc fuere celebrioris ſcholæ, quæ tùm quidem abrupta. Moniti ſiquidem ſupremi Romæ Quęſitores, ac ſubodorati in ea perſonarum mixtura quid profanę conſuetudinis, diſſolui eiuſmodi commercia, ac rumpi pręſertim funiculum hunc

Truſa in monaſterium Iulia.

triplicem oportere, exiſtimarunt. Arcerium aliò amandant. Iuliam trudi in monaſterium, interdicto penitùs mortalium acceſſu, iubent: deſtinato interim prudenti viro, qui ſenſa eius omnia, mores, indolem diligentiſſimè exploraret: delatumque munus, vti aliàs explicatum eſt, noſtro Ludouico Antinoro: Viro quidem pijſſimo perindè, ac ſolertiſſimo; ſed qui pertingere ad intimos eius animi receſſus minimè potuit: vt quę nequitiam in fundo, atque altiùs premeret; ac ſanctimonię oſtentandę mentirentur egregiè vultus, verba, mores; quibus etiam quotquot in eo aſceterio ſanctimoniales degebant, ita cepit, decepitque, vt haberent, veluti ſanctiſſimam quandam fœminam in pretio. Interim, vt pertinax ſcelus, atque improbitas eſt,

quędam

quædam hic ſecreta literarum commercia intercedere cum Vicario, & aſſoclis Romani Cenſores cognouerunt; cauendumque cùm ducerent, tranſferri aliò Iuliam, mutarique extra Neapolim non ſemel locum, ac ſtationem oportuit. Quoquò autem iret, cum ſeipſam, ac ſuas ſecum artes ferret verſipellis fœmina, mirum, quam ſtatim ſui opinionem, vbique concitaret, frequenti confeſtim extaſi, atque intima cum Deo cõiunctione euulgata. Quę quidem apud exteros famæ celebritas cùm allata Neapolim eſſet, atque in maius è longinquo excreſceret, peracri quodam deſiderio afficere Neapolitanos cœpit: præſertim quòd eius farinæ homines, ac Iuliani, quà priuatim, quà publicè diſſeminarent, paucorum inuidia inumbratam fœminæ ſanctitatem: ſed eam eſſe veritatis vim, vt clariùs ab iniuria luceat; & Romæ quidem, inſtituta de eius vitæ rationibus quæſtione, nihil non ad eximiã probitatis, atque innocentiæ amuſſim repertum; conficiebantque, omni ope enitendum, vt rediret poſtliminiò in Patriam; nec fas eſſe, fraudata eo virtutum exemplo Neapolitana Ciuitate, peregrinari diutiùs laudatiſſimos mores.

Aliò mox trãſfertur.

Gliſcente interim Neapoli eius fama,

Hæc cùm paſſim effunderent viri corruptiſſimi, eò adduxere primarios quoſdam proceres, vt Romanos Iudices interpellarent; valuitq. adeò auctoritas, ac preces, vt quodam valetudinis prætextu, reuerſionem impetrauerint, Nuceriæ tunc morabatur Iulia, quam ita ſui admiratione occupauerat; vt nihil moleſtius populares tulerint, quàm ipſam abire. Facto ciues agmine, deducere illam in triumphi ſpeciem, viſi ſunt: pulſatum ęs campanũ; abijcere ſe quiſque in genua, vt benè illa precaretur; manus exoſculari; veſtes venerationis ergò certatim rãgere. Neapolim verò haud facile dictu eſt, quo plauſu, faſtuque inierit. Omnium linguis celebrari, amplificarique reportatam ab inuidia palmam, contigit. Diſcuſſis Romę calumnijs, abſolutam Patrum ſuffragio Iuliam, disertè affirmabant: nihil non dignum laude in ea repertum: compertam pręcipuè admirabilem illam, atque aſſiduam cum Deo coniunctionem: conatos nempè fruſtra ęmulos, deturbare ab ſuo culmine excellentem illam ſanctitatem: id effeciſſe, vt poſt nubila purior appareret ea lux. Scilicet, nihil facilius, quàm plebem obtentu religionis concitare: ſequitur mox procerum ordo, & ſumma capita; vt impiũ videatur, communi pietati minùs fauiſſe. Excepta ſplendidè eſt Neapoli Iulia à primæ notæ viro, deſtinatis certis domi ſuæ conclauibus, quę incoleret. Statim congratulationibus, ac conſalutantium affluxu domus efferbuit: & quòd eximiam vitę perfectionem oſtentaret, verba nonniſi de Deo, ac plena ſanctitatis fereret; virtutum monitis adeuntes inſtrueret, adaucta mirũ in modum eius exiſtimatio eſt. Quarè turmatim omnium ordinum viri, fœminæque eò accurrere; adeò vt non omnibus expeditus aditus eſſet, ab incredibili nimirum aduentantium frequentia, ac celebritate. Magiſtra morum, ac Mater vulgò audiebat: quas honoris appellationes tueri, accerſita quadam in vultu maieſtate, ac grauitate in agendo conabatur: filios quoſcumque blandè nominare: manus religioſis etiam hominibus exoſculandas porrigere: nutus, verba, prenſationes ex arte partiri. Aderat Ioſeph Vicarius, aſtu, atque improbitate non inferior, cui nihil antiquius, quã inſtaurari priſtinos congreſſus, quos adumbrauerant quidem olim primis lineis, ſed perficere ad vnguem minimè potuere: nunc verò fauſtè ſucceſſuros, ſibi perſuaſerant, ac longè quidem ſplendidiùs, ac tutiùs in tanta videlicet ſanctimoniæ fama, quam conceperat vulgus. Excitati igitur non vni quidem cœtus, ſed pro perſonarum conditione plures. Primos, patentiores eos quidem, recti, ſanctique ſpecies commendabat. Cœteri ſecretiores, ac nonniſi in ſordium colluuiem, ac conceptaculum degenerabant. Ponebatur nempè perſanctè tyrocinium, vt confirmatis conſtanti quadam ſolidæ virtutis opinione animis, inſtillata dein ſenſim prauæ mentis impuritate; veluti per gradus in omnigenam turpitudinem mergerentur. Dum præclaris hiſce ſtudijs hæc portenta impudicitiæ, atque impietatis vacarẽt, abhorrere à noſtratibus, præcipuè à Paulinis Patribus, videbantur: ſiuè præſagio quodam animi prædiuinantes ſcelerum ſuorum vindices; ſiuè quòd malus ipſe dæmon, cuius auſpicijs rem gerebant, moneret, vt ab ijs cauerent: ſiuè, quòd iam inaudiuerãt, Andream Auellinum, virum ſanctum, de clandeſtinis ijs conuentibus muſſitare. Et verò, vt mira paſſim de Iulia Neapolitani deprædicarent, ac cerneret Andreas, neminem non in eo theatro plaudere, ipſe nihilominùs, quem prouectior quædam prudẽtia,

Eò reuertitur.

Inſtaurati corruptiſſimi cœtus.

Abhorret à noſtris Iulia.

Suboluit Andreæ Auellino impuritas.

tia, ac diuina lux mentis inſtruebat, adduci nunquam potuit, vt congreſſus probaret, ac mulierculę ſanctitati adſtipularetur. Quinimo hortari ſuos, vt cauerent ſibi, ne ſerò ſaperent; atque in id diligenter incumbere, vt traheret in lucem occultum malũ, ne incautos corrumperet, ac proſtitueret prauorum capitum verſutia. Exuere mortalitatem contigit, dum hæc ſecum volueret flagrantiſſimus Senex, in cuius deindè famam bellum implacabile Iulia, ac Iuliani conflarunt; vt & eius opinionem, gliſcentemque in ipſum populorum obſeruantiam opprimere niterentur, & Paulinos Patres, veluti ficta in vulgus miracula iactarent, ornarentque precarijs tabellis cineres, proſcinderent. Allatrabant impuriſſimi canes lunę, ſed efficere minimè potuere, ne creſceret. Quod verò ad arcana eorum facinora pertinet, quod nequijt ipſe, dum viueret, impetrauit poſtmodũ ſuis Andreas ſex poſt annis: qui potitus cœlo, ac Deo propior, efficacioribus precibus Neapolitanæ Ciuitatis incolumitatem curauit. Siquidem non ſine conſilio Numinis, atque Beati Viri potiſſimũ ope factum putamus, vt ſacerdotes duo bonæ quidem mentis; ſed qui per imprudentiam pedem in eam ſcholam intulerant, gradum inde hoc anno referrent, ea diſciplina exauthorati, ac frequentare D. Pauli Eccleſiam cœperint. Hi quidem Benedicto Mandinæ, Viro, quem aliàs nominaui, literarum prę̨ſidijs, ac peracri quodam iudicio inter paucos Neapoli ſpectato, dare operam, eiuſque in expianda conſcientia vti auribus, ac ſolertia decreuere; & qui pleraque eius Congregationis nouerant, morſu quodam conſcij pectoris incitati, inſuſurrare, atq. innuere neſcio quid Mandinæ cœpere: raptim id quidem; addubitabant ſiquidem, ne ſi rerum ſeriem clariùs explicarent, atque ad cenſuram deindè negotium reuocaretur, excitatis Neapoli turbis, remedium, pluſquàm malum ipſum noceret: gnari, pleroſque iam non infimæ notæ viros ad ſecretiores eos cœtus adoptatos; ſatis multos, abreptos communi voce, atque opinione, fauere mordicùs fœminę; ac ferè omnes commendare ſanctimoniam, & plaudere. Verũ adumbrata licet carptim hæc, non tamen ſurdo narrata: præſertim quòd quædam etiam è Iuliano contubernio famula, cui nomen Franciſca Iencaria, conſcia quidem, non conſors ſcelerum, quibuſdam dicendi præludijs ſuſpicionem Mandinæ non mediocrem fecerat: qui diuini honoris zelo inflammatus, cùm accuratè rem perueſtigaſſet, partim ab hac, partim ab illis abundè edoctus, ſua veluti per veſtigia ad ipſa improbitatis cubilia peruenit. Rem grauiſſimam, corrupteque religionis iudicio obnoxiam eſſe, cùm intellexiſſet, communicare illicò voluit cũ Andrea Piſcara Caſtaldo, qui D. Pauli tũ cœnobium adminiſtrabat, eratque Neapolitani Quæſitoris à Conſultationibus, & Marco Paleſcandalo, quem ſæpè aliàs meminimus, rerum vſu, doctrinaque conſpicuo. Occurrendum hi ſtatim malo decreuere: monendoſque conſcios, vt nomina quàm primũ deferrent. Popularem, ac fœdiſſimam luem eſſe; proindèque nihil cunctandum; ne pulcherrima, atque honeſtiſſima queque corriperet, ac depaſceret. Satis impuriſſimos veteratores graſſatos: poſcere Chriſtianæ rei dignitatem, vt tandem grande nefas vindicaretur. Neque potentiorum, aut multitudinis iudicia, atque inuidiam pertimeſcendam: de moribus, de cõmuni religione, de Deo agi. Quid hac cauſa honeſtius, ac ſanctius? Si quid procellæ, ærumnæque adportaſſet ea quæſtio; fore, vt ſatis deindè incommodũ compenſaret pręclari operis gloria, expiatæque Ciuitatis decus. Ergò, noſtris rem adgubernantibus, Neapoli primùm, tùm Romæ ad ſummos fidei Quæſitores conuentus delati. Nec mora: cœptum anquiri; captique mox, nec poſt multò aſportati Romam fuere auctores ſcelerum. Quos hæc animorum motus Neapoli excitauerint, haud facilè narratio exæquauerit. Publica quędam indignatio viſa illicò exarſiſſe. Summi, infimi, quos opinio ſanctimoniæ afflauerat, ſtare pro Iulia, ac fœdiſſima hominum colluuie: pręſertim, quòd volitantes hinc indè emiſſarij, odiorum nempè faces, incitata abundè mortalium pectora, dictis ſuis vehementiùs accenderent. In Theatinos, quos operis auctores fama ſtatim euulgauit, inuecta communis inuidia. Carpi paſſim, proſcindi, exagitari. Criminationis cauſam, fœminæ celebritatem, ac famam fuiſſe; æmulationem verò texiſſe zelo: commentos proindè falſa, quę faciendæ fidei ad veri faciem pinxerant. Sed diſſipanda breui mendacia; ac fore; vt in auctores ipſos calumniæ reciderent. Atque hęc à vulgo quidem contumelijs, à potentioribus verò minis cumulabantur: adeò vt qui ſtudioſi Theatini nomi-

Dum remedio conſuliſt, moritur.

Benedicto Mandinæ res innotuit.

Qui in rei cõſcientiam aſſumit Andreã Caſtaldum, & Marcum Paleſcandalum.

Delata Romã lues.

In Theatinos criminationes.

minis eſſent, nonnihil ab ijs turbis noſtræ exiſtimationi, & commodis timerent: ac veluti intempeſtiuum, ac neutiquam profuturum, damnantes & ipſi zelum, hortarentur peramicè noſtros, vt cœptis abſtinerent, ſibique conſulerent; antequàm quæ tonaret, ac veluti moneret tempeſtas, multa ſe ſe in noſtros Ordinem grandine, ac ruina effunderet. Fuere ex his, qui pro ſingulari in nos ſtudio interpellandum Marcellinum Odam, Præpoſitum Generalem, duxerint; vt rei Neapolitanę in ſummo eo diſcrimine conſilio, ac poteſtate adeſſet. Studia nimirùm omnium in Iuliam; odia in Theatinos ardere actiùs, ac niſi maturè ipſe occurreret, nihil propiùs eſſe, quàm vt, flagrante vehementer inuidia, diuerberaret Patres inſignis aliqua calamitas. Cauere malo, ſuarum partium putauit Marcellinus, quem latebat facti atrocitas: iuſſitque e veſtigiò, compoſitis ad Neapolitanos Patres literis, vt quando, niſi cum ingenti Ordinis incōmodo peragi res minimè poſſet, ac præterea nulla affulgeret ſpes frugis, retraherent prudenter manum, ac cederent tempori, ac multitudini. Qui quidem, quòd abolendam omninò, ac veluti à fibris conuellendam perditorum capitum improbitatem, ducerent; ac probè nouerant, quanto enim Ciuitatis bono, atque honore diuini Numinis cœptam ſemel quæſtionem vrgerent; obfirmauerāt animum, pergere ſtrenuè; ac nulla potentiorum interminatione, ac vi territos, aut rem efficere, aut deficere. Imperara quidem maiorum citra Dei cauſam valere: cœterùm, vbi communis ſalus, ac religio ageretur, ea tantū iuſſa facienda, quæ abradendam impietatem, ac diſſoluenda vincula iniquitatis præciperent. Interea temporis expendi Romæ negotium; & quod viſū principiò grauiſſimū, ac præſenti remedio indigere; feſtinatum. Igitur, compertum palmare ſcelus: breui multorum annorū hypocriſis, atque impietas deprenſa: patuere clandeſtina libidinum adyta: exacta ad trutinam peſtilentiſſimæ ſcholæ inſtituta, præceptiones, dictata. Ipſi verò magiſtri, ac ſectæ principes, quę diù ad aliorum perniciem latuit ſanies, corrupto è pectore euomuere, ac faſſi proprio ore ſunt arcana illa impudicitiæ monſtra, inceſtoſque thalamos, ac mixta profanis, atque obſcœnis ſacra, quibus ea diſciplina authoratos initiabant, ac inquinabant. Quæ dum rumor, & conſtans mox fama Neapoli euulgat, mutata repentè ſcena, viſi in religioſiſſima Ciuitate ſenſus alij. Ingemuit, mirata tantū propè ſe nefas, ac luem. Execrari proindè ſummum pietatis pudoris, naturę dedecus; deprecarique corruptores morum, atque immanis piaculi Antiſtites. Noſtratū verò, qui reſpirare ab eo conceptę inuidiæ turbine cœpere, prout quiſque beneficij momentum expenderet, commendare effusè zelum, fidem, conſtantiam. Sumptum deindè de impijs nebulonibus ſupplicium perpetuò carcere, alijſque pro ſcelerum grauitate pœnis. Sed euulgata primū Romæ de more crimina, ductuſque ſolenni abiuratione in Diuę Mariæ ad Mineruam templo de inſigni impietate triumphus, apparatu quidem ſolito maiore. Productum in theatrū triceps monſtrum: Vicarius, Arcerius, Iulia, qui adſtante non modò ſupremo ſacræ Inquiſitionis Magiſtratu, ſed Pontificis nutu, reliquo etiam Auguſtorum Patrum Senatu; ſpectante item Antiſtitum, ac procerum omnium corona; tū reliquo Romano populo, lectis ipſorum actis, palinodiam publicè cecinere. Hæc poſtmodùm acta Neapolim tranſmiſsa, ſolenni item pompa; atrato nimirùm ad terrorem quendam pariete, recitata in principe Eccleſia ad confertiſſimam multitudinem fuere. Ac tū quidem vnà cū orthodoxa religione viſus profectò triumphaſſe flagrantiſſimus Clericorum Regularium zelus cū Neapoli, tū Romæ: vbi ſummus ipſe religionis, ac ſacrorum vindex Paulus Pontifex Quintus conceptiſſimis ſæpè verbis Andreæ Piſcaræ Caſtaldo, & Marco Paleſcandalo profeſſus eſt, non minimū cùm Ordini, tùm ipſis ſanctam eam Sedem debere. Id quod & in ipſo ſacrorum Quæſitorum Conuentu, non ſemel eſt ingenuè teſtatus; proſequutus non mediocri planè elogio noſtrarium prudentiam, ardoremque animi, ac præcipuè vigorem intrepidi pectoris, quo excitatam in Theatinū nomen procerum, ac vulgi indignationem ſtrenuè propulſarunt. Atque hæc de Iuliana impuritate, deprenſa hoc anno Neapoli à Paulinis Patribus; quorum in eccleſia aucta eodem hoc anno religio eſt à plurimorum Sanctorum Martyrum reliquijs, quæ ſanè præmium dici potuere eius zeli, quem tùm quidem in profliganda inſigni hæreſi præſeferebant. Vt autem pretioſa hæc Diuorum pignora impetrauerint, modò exponam.

Sed comperto Romæ crimine.

Commendatus noſtratum zelus.

Ducitur de hæreſi triumphus Romæ.

Mox Neapoli.

Quid Paulus Quintus ad noſtros, & de noſtris.

Extracta hæc à Romanis cœmeterijs fuere, de quibus primo loco ad notitiam, vo-
Priſca Romæ Cœmeteria. luptatemque legentium pauca hic adnotare, pretium ſane erit. Furente Cœſarum in
Chriſti fideles rabie, vt quibus aqua, & igne interdictum, nec vſquã tuta ijs ſedes; ſub-
terranea quędam ſtruere conclauia coacti ſunt, in quibus, & viuentes degerent, & de-
functos etiam conſepelirent Areæ, vt ait Cœſar Baronius, appellabantur, tumbæ etiã,
catatumbæ, cryptęque arenariæ; & à dormientium monumentis cœmeteria; quę ad
tres, & quadraginta enumerantur. Structura, miraculo proxima; non quidem ſump-
tuoſi operis ſplendore, ac magnificentia, ſed quadam ſitus amplitudine, ac viarum
multiplici occurſu, recurſuque, labyrinti in morem, aut certè inſtar ingentis cuiuſdam
Ciuitatis. Ita ſiquidem varijs hinc indè ſe ſe decuſſantibus itineribus permeatur lo-
Forum ſtru-ctura. cus, vt citra ædificiorum moles, apertumque aerem, Vrbem diceres, in ipſo terræ ſinu
fundatam, ſuas in vicinias, regionsſque diſtributam. Communicantur verò inuicẽ
ſubterranea hęc oppida; vt non plura, ſed vnum dici cœmeterium poſſint. Etenim te-
ſtati plerique ſunt, quibus nullum ex mendacio pretium: ſe quidem è Calepodiano in
Calliſti, Ciriacę, Priſcillę, ac Bibianę cœmeterium pertranſiſſe: atque adeò D. Sebaſtia-
ni, ac D. Laurentij baſilicam ingreſſos, euaſiſſe indè in D. Pancratij eccleſiam. Quod
ſi ita eſt, fatendum omninò, ſubtus Tyberim, qui eccleſias haſce interfluit, extare iter,
ac cœmeteria: quæ quidem dum ſic continuantur, occupato immani quodam ter-
ratum tractu, videtur profectò, ſubterranea hęc Roma haud minor ſitu eſſe, quàm
ipſa, quam cernimus. Ad hæc, cœmeteria cœmeterijs ita alicubi impoſita, vt tres, aut
quatuor veluti contignationes efficiant; quorum quod eſt infimum, profundiſſimum
eſſe, neceſſe eſt: eòque per sũmam contentionem, & nonniſi à peritiſſimis itur. Lumen
autem hic nullum, neque exiguum aliquod ſpiramentum, quod vel dubium, incertũ-
que diem faciat. Porrò, viæ, quas inflexas, ac multiplices dixi, quinos non ampliùs pe-
des patent. Vtrinque verò quędam in pariete loculamenta, quę aut marmor, aut ar-
Conſepulti in iis Chriſti martyres. gilla claudit. Defunctorum monumenta hæc erant, quorum quibus, aut crucem, aut
palmam, aut columbam appingi voluere, aut ea inſcribi verba: Pro Chriſto paſſus; ſi-
uè, pro Chriſto vita functus: nulli dubium, quin athletas Chriſti, ac Martyres conti-
nerent: probantque luculentiùs Martyres eos eſſe, quædam inibi conſepultæ, repertę-
que vitteæ vrnulę, plenę concreto ſanguine, quem in ipſo agone fortiter dederant.
Acceſſit vetuſtatis ac ſuccedentium temporum perſuaſio, ac vſus: Sũmorum deindè
Pontificum iudicijs comperta res eſt. Et a Paſchalis quidem Pontifex Primus, qui
ſub initium Chriſti ſeculi noni vixit, pleraque ex obſcuris ijs monumentis Martyrum
a Martyrol. Rom die 14. May corpora in lucem vindicauit; ac per Romanas baſilicas diſtributis, honores illis publi-
cos, venerationemq., pulchra morte promeritam, conciliauit. Idemque ab alijs facti-
tatum legimus. Quò deindè cũ & profani quique viri, ac cuiuſque Ordinis homines in-
ferre paſſim manus non dubitarent, cautum ſeuerè eſt Pontificijs legibus, ac mulctis,
ne quis, non modò quid ſacrarum reliquiarum inde ſumeret; ſed ne eo accedere, in-
conſulto Pontifice, auderet. Vetuit hoc præſertim graui interminatione Clemens Põ-
tifex Octauus, qui pręter paucos quoſdam aditus, quos nihilominùs obfirmari vecti-
bus voluit, fores pręterea omnes iuſſit occludi. Hinc maior locis illis veneratio, ac
vehementius à prohibitione ſacrorum pignorum deſiderium. Hęc paucis de cœ-
meterijs, vnde extracta Paulina Martyrum corpora, quę loquimur. Occaſio ve-
rò, & quęnam illa fuerint, denarranda nunc breuiter. Ferdinandus Pacecus, Vi-
glienę Marchio, Hiſpaniarum Regis oratorem apud Paulum Quintum agebat huius
ſeculi anno ſexto; & qui in Romano eo contubernio nullum pręſtantius, ac re-
ligioſius facere operæ pretium poſſe, exiſtimauit, quàm Sanctorum Martyrum cor-
Quorum corpora extrahẽdi facultatem imperrat Viglienæ Marchio. pora, pretioſiorem, videlicet, gemmis, omnique auro theſaurum comparare: eiuſ-
modi opes in cryptis ijs arenarijs quærere, in animum induxit ſuum; impetrauitque
mox Pontificijs literis aditum, ſacroſque eos Manes extrahẽdi facultatem. Verùm fa-
cilem rem factu dum putat Vigliena, comperit, negotium eſſe operoſius, atq. innume-
ris penè difficultatibus implicitum. Conficiendo quippe operi plurimorũ manus, cõ-
ſilia, peritiã, ac publicã pręſertim non vnius adminiſtri, ac tabellionis auctoritatem vnà
adeſſe, neceſſe erat: quę eodẽ ſimul tempore cogi, difficillimũ. Loca pręterea adeunda
omninò imperuia; & quæ pertinax, atq. improbus quidã labor vix ſuperaret: mora de-

indè

indè conatus omnes frangi. Prolixior quippè res erat, quàm vt peragi breui poſſet. Hæc, aliaque ſatis multa ſe ſe impedimenta obiecere, quæ, refrigerato non minimùm Viglienæ ardore, illum à conſilio retardarunt. Interim Aurelius Tullianus è Patricio Romanorum ordine, quem non publica negotia à pietate auocabant; & cui quædam inerat in ijs Diuorum lipſanis conquirendis experientia, ſignificandū illi curat; vt quādo vacare ijs ipſe curis minimè poſſet, cederet ſibi Pontificis facultatem. Laborem ac ſumptus ſuffecturum ſe; ea tamen conditione, vt accepta ipſe certa ſacrorum pignorum parte, reliqua ſua eſſe ſineret, quæ poſtea pijs amicis, atque Eccleſijs largiretur. Probauit rem Vigliena, ac negotio publicis tabulis, ritéque tranſacto, Tullianus exquiſita quadam diligentia, nec minore ſumptu verſatus in eo opere eſt. Qui diù iacuerant Chriſti athletæ aſpexere tùm lucem, veluti rediuiui, effoſſis eorum Manibus, quorum opulenta ſanè pars pijſſimo Oratori ceſſit; ſed præcipua, ac longè amplior Tulliano. Aderat hoc anno Romæ Ioannes Baptiſta Caſtaldus; & qui in amplificanda noſtrarum Eccleſiarum religione totus erat, in tanta ſacrorum Cinerū annona, prouentuque decerpere & ipſe fructum aliquem cogitauit: ornandis, videlicet, cùm alijs noſtri Ordinis Eccleſijs, tùm Neapolitanæ præſertim Diui Pauli baſilicę, in qua Andreas Piſcara Caſtaldus, germanus frater præerat. Igitur quà magnatum officijs, quà ſua ipſe precum vi vſque adeò Tulliani pectus pulſauit Caſtaldus, vt munus ſupra communem liberalitatem impetrauerit: nempè martyrum corpora ſupra ſexaginta: quæ ritè exhibita, conſignatis publicè tabulis ab eodem ipſo tabellione, qui aderat, cùm extracta ſuis è cœmeterijs fuere, cui nomen Perinellus de Perinellis, qui ſingulorum nomina recenſuit, ac in ſyllabum retulit vnà cùm inſcriptionibus, ad eorum monumenta repertis, ſigniſque ad martyrij, ac virginitatis documentum inſculpi ſolitis, nempè cruce, palma, columba. Ex his duo, & quinquaginta Neapolim deſtinata: eòque amandata, ingenti lætitia Patres complexere, præcipuè Præpoſitum Piſcaram Caſtaldum, qui gratulatus ſuæ baſilicæ, ac ſibi martyrum exuuias, illas, veluti grande eius templi, ac cœnobij præſidium, ac decus excepit; gnarus, quantum firmamenti, ac tutelæ accederet à Diuorum oſſibus. Tutari ſiquidem, ac propugnare magnas animas ea loca decet, vbi ſua corpora conquieſcunt; ac nunquam ſanè à charitatis flamma non calent pij Cineres. Illud conciliandæ ſtatim ſacris reliquijs populorum venerationi opportunum. Inſtabat Dominicus ſeptuageſimæ dies, quo mos eſt in Paulino templo, expoſito ſolenni ritu Euchariſtico Chriſti Corpore, orationem quadraginta horarum inſtitui; &, vti aliàs ſignificatum eſt, ab inſigni quodam theatro, ac pompa, frequentiſſimo per quinque continentes dies concurſu, eccleſia celebratur. Ergò cùm de apparatu ageretur, ita adornare ſolennem eam ſcenam cogitarunt Patres, vt collocatæ hinc indè pulcherrima quadam ſerie, & cultu reliquiæ, magnificam quandam, ac ſplendidiſſimam operis faciem conficerent. Noua ſpectaculi pietas, atque exhibitus ſanctis martyribus honor adauxit mirificè celebritatem. Planè, cùm Soli Euchariſtico præcipuam deberi venerationem, quiſque intelligeret; ſuſpicere nihilominùs, & colere noua ea ſydera, quæ veluti Solem ſuum nouerant, inſigni quodam ſtudio videbantur: quando ſtare & minora etiam aſtra ad mundi excubias, iuuarique eorum aſpectu mortales, probè ſcirent. Porrò cùm dici ad concionem per eos dies, mos ſit; amplificandæ in martyres pietati, præclarum dicendi argumentum propoſitum declamatoribus fuit; nempè ſacrarum reliquiarum tutela, ac ornamentum: & appoſitè quidem, aptèque ad rem vir quidam eloquentiſſimus ea tunc Canticorum verba vſurpauit: En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, omnes tenentes gladium, & ad bella doctiſſimi: perorauitque ingenti cum fructu, ac plauſu. Perſtitit id loci ordinata militum acies integram eam hebdomadam: tùm ſingulos ſingulis ſcriniolis, ſerico, auroque magnificè conueſtitis conditos, in ſacello, Deiparæ, atque Apoſtolorum Principibus Petro, & Paulo dicato, collocarunt: aſſeruanturque quàm decentiſſimè, atque inſigni cùm noſtratum, tùm exterorum religione. Cœptus poſtea quotannis ſecunda poſt Septuageſimæ Dominicam feria anniuerſarius eorum dies celebrari. Neque hic diſſimulandum, excreuiſſe non poſt multò hanc martyrum phalangem pretioſo item duorum corporum auctario, quæ Ioannes Baptiſta Morcaldus, vir pius, Caſtaldo item noſtro dono dedit.

Et Aurelio Tulliano cedit.

Effoſſa innumera penè martyrum pignora.

Ex quibus pleraque Caſtaldo dono data.

Quæ Neapolim amandantur.

Exponūtur ſolenni ritu.

Poſtea in Deiparæ ſacello magnificè cō. duntur.

dit. Effoderat nanque & ipſe eiuſmodi theſauros è cryptis arenarijs, ornabatque ijs opibus Eccleſias, ac ſui ſtudioſos. Fuere hæc Diui Apollonij, & Diuæ Felicitatis pignora. Et cum Apollonio quidem in eodem nempè loculo repertus in vitrea ampulla eius cruor, ceu viueret adhuc martyr, irrigatus perenni ſanguine. Atque hæc de lipſanis, quæ hoc anno templo noſtro Diui Pauli contigere: vbi & alia longè pretioſiſſima ad quandam veluti ſatietatem veneramur, quod aliàs expoſui.

Acceſſere & alia item martyrũ lipſana.

Addicta & Genuenſi Eccleſiæ Martyrum lipſana.

Iam verò, ex ingenti hac ſacratum reliquiarum copia, ac vi, quam ab Aurelio Tulliano Ioanni Baptiſtæ Caſtaldo donatam, modò dixi, contigit & ſua etiam, nec modica ſanè pars Genuenſi noſtræ Eccleſiæ Diui Syri, ab eodem Caſtaldo dono data: corpora videlicet Sanctorum Martyrum Maximi, Calepodij, Zenonis, Porphyrij, Valeriani, Marini, & Sanctarum Virginum, & martyrum Feliculæ, & Candidæ; quæ non ante inſequentem annum aſportata Genuam fuere. Vt autem eo, quo deceret cultu, ac populorum religione in magnifico eo templo pretioſa Diuorum pignora conderentur, qui cœnobio tùm præerat Ioannes Paulus Fornarius, illorum obire ſolenni ritu traslationem ſtatuit. Igitur ornandæ celebritati inſtructa baſilicè eccleſia: conueſtiti attalico ſyrmate, aulæiſque longè ſuperbiſſimis parietes: pictæ vbique tabulæ, emblemata, elogia. Præcipuus ad aram maximam ornatus, cui regia quædam à ſacris indumentis maieſtas, ac ſuppellex argentea planè lauta; adaugebantque venuſtatem flores, ingenioſiſſimè æquè, ac elegantiſſimè in figuras, formaſque multiplices intexti. Pignora ſingulis in loculamentis, iiſque ornatiſſimis collocata, quibus circumferendis thenſæ aureæ pulcherrimo opere fabrefactæ. Dicta ſupplicationi, ac pompæ dies Aprilis menſis vigeſima quarta; qua die incredibiles ad Diui Syri concurſus facti è nobilium ordine, ac populo, effuſa è vicinis etiam pagis mortalium gente: adeò, vt coercendæ, ſubmouendæque conſertiſſimæ multitudini adhiberi Prætorianus miles oportuerit. Celebratæ exquiſito concentu vocum veſpertinæ preces: deindè ad concionem de laudibus martyrum luculenter dictum: tùm, inſtructo agmine, cœpta eo quidem ordine, ac ritu ſupplicatio, vt nihil in eo rerum æſtu præpoſterum, aut inconcinnum acciderit. Adaucta noſtratum numero ſolennitas. Eo quippè commodùm conuenerant è Gallia Ciſalpina ſatis multi, Romam ad comitia generalia tranſmiſſuri; qui quidem amiculis, aureo textu quàm magnificentiſſimis, atque ad omnem modeſtiam, grauitatemque compoſiti, bini incedebant. Ex ijs quatuor ſacris veſtibus, quas Dalmaticas vocant, induti, ſingulis ſacrorum pignorum ferculis, quæ quatuor omninò erant, ſuos humeros commodabant: cùm interim quatuor item alij ſacerdotali amictu conſpicui, manus, veluti & ipſi ſuſtentarent, extenderent. Ipſa verò fercula textili, criſpantique ex auro vmbellæ integebant, quas viri ſummi, ac plerique è Senatorio ordine geſtabant; ſuccedebantque alij alijs pulchra vice. Nam qui non longiùs extendi pompam Patres decreuerant; poſtea, gliſcente populorum religione, ac ſtudijs, circumferri latiùs, ac celebriores obiri Vrbis vias, voluere. Deducti triumphi planè in modum pij Cineres; excitato, ornatoque ſplendidè non vno quidem arcu. Vela paſſim, ac lemniſci ad auram abeuntes; ſparſa perpetuo quidem vere, ac feſtâ fronde compita; inſcriptæ vbique literæ; idque etiam viri quidam nobiles curauerant, vt aërem pretioſa amœnarent odoramenta. Inter hæc argumenta lætitiæ, ac plauſus, concentuſque vniuerſi campani æris rediere ad Diui Syri triumphales martyrum exuuiæ, quorum patrocinium probauere tùm quidem aliqui præſenti ope. Etenim qui thecas, thenſaſque ornauerant flores, certatim petentibus diſtributi, admotique mox ægrotantibus, impertita pleriſque incolumitate, fuere oppidò ſalutares. Condita ea deindè pignora perhonorificè fuere: ad aram principem quatuor: cęteris ad alias per eccleſiam aras collocatis: ſuntque profectò robora, ac firmamenta ornatiſſimæ baſilicæ pii Manes.

Quæ ſolenni ritu transferũtur.

Deſcribitur pompa.

Celſitas martyrum patrocinio beneficia.

Mutinæ de mutando ſitu conſilium.

Genua Mutinam tranſimus, vbi anno huius ſeculi quarto in Mariano cœnobio, cui à Paradiſo nomen, noſtrates reliquimus; qui poſtquàm ibi commorati decennium ſunt, mutato hoc anno ſede, aliò immigrant. Scilicet, didicere vſu, ac ſuis periculis Patres, inſalubrem admodùm eam eſſe Vrbis regionem, tentata, atque imminuta intra id ſpatium ſingulorum valetudine. Præterea adacti ad Ciuitatis mœnia, aberant à frequentia; atque adeò non is colligi ab eorum vigiliis fructus poterat, quem

ſibi

ſibi propoſuerant. Demùm honeſtiſſimi quique viri, quos Theatini Inſtituti ratio, ac mores cœperant, accedere propiùs noſtros, eorumque ſtudiis foueri vitaliores Vrbis partes, peroptabant. Igitur, conſultatione, delectuque habito, in eccleſiam, cui ab inclyto martyre Vincentio nomen, collineant: modicam eam quidem, & vetuſtate laborantem ſua: ſed ſitu, ipſoque Vrbis meditullio, ac populorum concurſatione percelebrem: quam, ſi impetraſſent, perſuaſum habuere, nihil fore, & ſuæ diſciplinæ rationibus, & ciuium vſui opportunius; quæ in eo ſplendore viciniæ ad omnem etiam magnificentiam aliquando conſurgeret. Parœcia ea erat; ac difficultas ſtatim à Rectore, qui adduci nunquam potuit, vt vel honeſtiſſimis illam conditionibus Patribus cederet; ſummiſque amicorum precibus eò tandem deuenit, vt eccleſiam duntaxat commodaret. Vterentur nempè, ſi liberet: exciperent inibi confeſſiones, concionarentur, pſallerent. Cæterùm ius omne penes ipſum eſſet; vt ſtarent, abſcederentque ſuo nutu. Quod quidem haud eſſe è re noſtra probè nouerant Patres. Nihil quippè facilius, quàm precariam ſedem, & quæ alterius nutu pendet, mutari: proindèque nihil moliri in ea commodi, ac præcipui cultus potuiſſent, ſi non ſuo in ſitu, ac templo agerent. At enimuerò, quod vehementer alliceret locus, inire Parœciam placuit, certa ſpe fore, vt emolliret tempus difficultates; & quòd ardua non niſi per gradus, ac ſenſim aggredimur, ab eo vſu facilè in poſſeſſionem euaſuros, ſibi perſuaſere; impulitque ea etiam opinio, quòd Parochus, vbi excellenti quodam diuini cultus nitore procurari à noſtris, atque explendeſcere eccleſiam ſuam vidiſſet, addixiſſet illam vtique perpetuo iure illorum curis. Vrgebat rem maximè Vincentius Gilibertus, Vir à dicendi facultate, ſcriptiſque voluminibus per Italiam celebris, qui tùm Eccleſiæ Deiparæ à Paradiſo præerat, tegebatque lectiſſimæ Principis Iſabellæ Sabaudæ conſcientiam, ac pietatem. Gnarus quippè, præcipitem eſſe occaſionem, maturandum negotium ducebat. Quarè extremis bacchanalibus eò ſe vnà cum Patribus tranſtulit ſingulari cum omnium approbatione; Mutinenſium præſertim Principum, qui acceſſiſſe conſentaneum noſtro Inſtituto locum, gratulati vehementer ſunt. Inſequenti proximè Quadrageſima perſonuit ea ædes Dionyſij Dentices declamationibus, qui magnificè quidem noſtræ diſciplinæ in eo templo initia concinnum ſplendore, plauſuque dedicauit; nec ſanè momentum attulit exiguum Theatinæ rei, Diui Vincentij eccleſiam eo ſtatim theatro cohoneſtaſſe. Enimuerò, exactis vix cineralibus ijs ferijs, ita cum Curione tranſacta res eſt, vt ceſſerit is omninò Patribus commodis quidem vtrinque conditionibus eccleſiam, conſignatis Aprili menſe publicis tabulis. Valuit potiſſimùm negotio perficiendo Alexandri Cardinalis Eſtenſis auctoritas, qui, vt in ornando Ordine totus erat, ita collocari ſplendida in ſtatione noſtros, & optauerat impenſiùs, & curabat ſtrenuè: commodauitque auxiliares manus Iſabella Sabauda, quæ totam ſe noſtratum clientelæ cùm permiſiſſet, gaudebat, in ſua Ciuitate Theatinis ſuis benè eſſe. Templum hoc, vt religioſæ Patrum induſtriæ par eſſet, conceſſa Principum munificentia communi via, ſtatim amplificatum, concinnatumque præſenti piorum ope, qui cùm in inſtauranda, ornandaque æde ſacra, tùm in reliquo eius inſtrumento procurando liberalitatem probarunt ſuam. Quo loco appellanda cũ laude venit Maria Rangonia, Comitiſſa cum paucis ornatiſſima, quæ complexa mirabili quodam ſtudio Ordinem, non modò rem noſtram familiarẽ, ſed externam etiam diuini cultus ſpeciem perenni erogatione iuuit. Sacellum in noſtra eccleſia extruxit, inſtruxitque ſplendidè pretioſiore ſuppellectili, factoque argento. Sacram item in ea turrim ſuo ſumptu exædificandam curauit: vt accederet nempè nobiliſſimæ fœminæ virtuti ſuus à campano ære ſonus. Denique ſi affectum, atque in rem noſtram Theatinam impetum, ſi largitiones, ac prouidentiam ſpectes, communis Mutinenſis familiæ noſtræ Mater videri profectò potuit. Ab hac in noſtrates ſtudio nihil illi iucundius vnquam accidit, quàm dediſſe Sodalitati nomen Carolum Rangonium, ex fratre nepotem, magnæ quidem ſpei, ac indolis iuuenem, immaturiùs poſtea in ipſo æui flore decerptum. Emenſus nanque vix ſtudiorum ſpatia, cùm iam publicæ eloquentiæ rudimentum Patauij poneret, interceptus morte eſt peracerbo noſtrum omnium luctu; quippè qui in ijs dicendi initijs præclarum iam oratorem agnoſcebant.

In D. Vincẽtij Parœciam noſtri collimant.

In quam immigrant.

Alexãdri Cardin. Eſtẽſis beneuolentia.

Et Iſabellæ Sabaudæ.

Et Mariæ Rãgoniæ.

Carolus Rangonius immaturè moritur.

At

Sanctiores in Mutinensi ecclesia coetus. At enim quod Mutinenſe hoc collegium maximoperè commendat,ea eſt publica, ac quotidiana quædam morum ſchola, quæ non expoliendæ vtcumque pietati, ſed frangendę perditiſſimorum hominũ indoli, ac contumaciæ ſub id maximè tempus in Diui Vincentij Eccleſia aperitur,ac continuata poſtea eſt ſingulari quadam noſtratum contentione,prouentuque animorum incredibili. Initium Hippolyto Galantino, Florentino referendum, Viro quidem ſi cunabula, ac locum ſpectes,exiguę fortis; ſed à virtutum predicatione, vitæque ſanctimonia planè illuſtri. Quæ is Florentiæ, inſtitutis hominum cœtibus, morũ, ac voluntariæ afflictationis ſtudia agitabat, quòd tanta cum vitiorum clade, cõmuniſque pietatis incremento procederent, euulgante rem ſama, deduci per Italiam oportuit. Ibat Galantinus Deo plenus; ac non tàm fundare,quàm miſcere cœtus, atque inflammare, quà exemplorum,quà verborum efficacia ad omnem vitæ aſperioris ſanctitatem mortalium pectora videbatur. Nullibi vehementiùs exarſit flãma,quàm Mutinæ: vbi, adnitente Paulo Boſchetto, viro nobili, ac inſigniter pio, cœpta dudum, ad Galantini nempè ideam,ac formam à noſtro Vincentio Giliberto iſthæc ſpiritus exercitamenta in Diui Ioannis eccleſia, mirũ, quo deindè animorum impetu glifcere viſa ſint. Atenim, quod mutata poſtea à noſtris ſede, vti modò ſignificatum eſt, celebrari hoc idem Sodalitium in Diui Vincentij cœnobio percommodè, maiorique cum fructu poterat ,fundatum hic etiam eſt: ac relicta Boſchetto Diui Ioannis palæſtra, cœpti, continuatique noſtratium auſpicijs, ac ductu noui cœtus,ea quidem diuini ſpiritus ope,ardoreque,vt nullibi certiora profligandæ improbitati fulmina cudantur, ac euibrentur. Quotidiè habentur ſcholæ, idemque, veluti ad incudem ferrum tunditur. At ſingulis ſextis ferijs intendi ſtudiis acrioribus, ac ſanctioribus nerui videntur. Exercitia à diſciplina appellantur, in quibus ea quidem vi, motuque agitur; vt nihil ad animorum, atque affectuum triumphum videri efficacius poſſit. Planè velitationes, ac libamenta quædam pugnæ reliquos dies quis dixerit: ſextis verò feriis, veluti de rerum ſumma decerni, iuſtòque bello peti vitia. Cominùs pugnatur: qui regit, declamatque ad cœtum, exuere phaleras, induere ſacrum quendam Ægeſiam, atque Apoſtolico ritu dicere videtur. Nihil ex arte; ſed nihil non meditatè conatur afferre; indiligenter cultus, expolitis nempè ad ſeuerioris facundiæ limam verbis. Fruges, metus, pœnitudo mortalium intenditur, quibus peccati lues, æternitas,ruina animorũ,diuini iudicii timor,cruenta Dominicæ Paſſionis facies,ac ſcena ardore quodam dictionis obtruditur; iuuatque eloquentiam ipſe loci horror,ac tenebræ. Ad hæc,occupatis odio quodam ſui animis, inter adhortamenta, ac verborum faculas ardent piæ verberationes; armantur corpori excruciando etiam ferro manus,vt vulnera vulnus ſanet. Complorationes,ſuſpiria, clamores cœlum feriunt. Atque hæc quidem, niſi qui theatro præſens adfuit, complecti animo nullus poterit: exceditque fidem, ac ſtylum incitatiſſimus ille in circumſuſa ea multitudine diuinorum ſenſus. Virum quendam Hiſpanum religioſi nominis, tranſeuntem fortè Mutina, inire exercitia hæc contigit, eo quidem animi motu, vt faſſus poſtea fuerit, imparem ſe explicandæ rei admirabilitati eſſe. Alphonſus Dux Mutinenſium, poſtea Capuccinus, de quo mox dicemus, affirmare ſolitus erat, fieri minimè poſſe, quin vir quiſpiam, etſi flagitiis omnibus coopertus, ac deploratæ omninò indolis,ſi ſemel, ac iterum Diui Vincentii diſciplinæ aderit,bonæ menti, frugique redeat;qui quidẽ communis erat,eius aulę,atque aliorum ſenſus.Et verò publica quædam morum cenſura, aut deſtinata diuinæ gratiæ triumphis area, videri locus hic potuit. Conuenere huc quæda m interdum notiſſima ſcelerum portenta, ac libidinum monſtra; ac nihil faciliuſfuit, quàm ſterni quadam veluti Herculis claua; defixis admiratione, qui corruptos eorum mores,atque indormientia malis ſuis capita nouerant. Illod ſemel prænobilis quidam Veronenſis iuuenis ſui ſpectaculum edidit. Implicitus grauiſſimis Veronæ inimicitiis,amandatus à ſuis in Eſtenſium Principum clientelam Mutinam fuit: qui quidem ſuarum eſſe partium reputarunt,flagrãtem implacabili odio,reconciliare hoſti, ac Deo. Adhortari proindè, atque auctoritate aggredi: ſed qui præfracti omninò ingenii erat, atque altiùs oderat, quàm vt frangi humana vi poſſet, impreſſionem omnem luſit. Ergo efficaciores expugnando pectori adhibendę machinę fuere. Illum diſſimulanter ſtata Veneris die ad

Orto ab Hippolyto Galantino.

Animorum ab iis coetibus fruges.

Præfracti ingenij Iuuenis conuerſio.

Diui

Diui Vincentij adducunt; ac monendum interim concionatorem curant, refractarium, ac quouis adamante duriorem adeſſe iuuenem. Contenderet vires, ac duceret ipſe de inſigni pertinacia palmam, quando iuſiſſent ipſi operam. Qui tùm diceret ad concionem, Stephanus Pepe erat, vir ab ſacra eloquentia cum primis commendatus, atque in extemporaneo, ardentique iſtiuſmodi genere dicendi planè ſingularis: qui poſtea palæſtram hanc Mutinenſem in præcipuas Italiæ Ciuitates importauit, bellumque intulit vitijs, fallente nunquam eloquentia, ac nunquam ſine præclaris animarum exuuijs. Is itaque, vt venaticus ad conſpectum prædę canis, adlatrare; flagrare, perſequi. Nec multis: poſtquàm ſemel, ac iterum eò conuenit Veronenſis, cùm dicentis vi, tùm complorantium vocibus circumuentus, dedit manus, ac nihil prius habuit, quam tenaciſſimam vltionis, ac mali mentem exuere.

Stephani Pepe in dicendo vis.

Sed paſſim hæc in ea pœnitentię ſchola, æſtuque rerum miracula, inter quę rectè quis & Alphonſum ipſum Mutinenſium Ducem numerauerit. Admiranda planè fuit in inclyto Principe mutatio dexteræ Excelſi, erepta è viuis pijſſima coniuge Iſabella Sabauda, quæ cœlo recepta, viſa illicò Viri cauſam apud Deum peroraſſe; impetrato ſuperiore quodam lumine, quo is ad omne virtutis ſtudium eruditus, quicquid eſt humani faſtus, ac ſupercilij depoſuit. At enim, quam arripuit cœlitùs mentem, aſſidua hac lima, atque exercitatione in D. Vincentij cœtibus expoliuit. Abhorruerat is olim ab eo præſertim pietatis ſtudio, cùm alius omninò erat moribus, indole, ac quadam ſuperbiſſimi ſpiritus altitudine. Rogantibus impensè Iſabella ac germanis fratribus, vt pulcherrimo aliquando operi adeſſet, reſpondere ſolitus erat, indignum Principe, eiuſmodi virtutis ſimulationibus, ac beatulorum otijs operam dare. Admiſſa verò ſanctiore ea luce, manantibus adhuc ab acerbiſſimo Coniugis caſu oculis, ad hoc ipſum diuinæ eruditionis gymnaſium, quod pridem faſtu quodam improbauerat, conuenire, ſecretò quidem, ac veluti ſubuerecundus voluit. Non latuit Principis acceſſum noſtros. Thomas Carpineus (is tùm exercitiorum rectioni præerat; vir ſanè in ea animorum palęſtra multarum palmarum) ita dicere apud animum ſuum ſtatuit, vt nihil certi argumenti eò afferret, ſed permitteret Deo linguam, ſineretque facundiam ire, quò ipſe duceret. Nempè, vt qui Alphonſum mutauerat, expediret tùm verba, ac tela, quæ medullas, ac animum rectà peterent. Itaq. dictante Numine, nunquam ita ad rem diſertè, ac tanto cum ardore linguæ dixit Carpineus. Viſus vberiorem quandam lucem, ac diuini ſpiritus ignem auſiſſe Princeps: deplorare vehementer exacti œui diſpendia: teſtari lachrymis horrorem culpæ; ac vindicare pręſertim tùm quidem errata vitę. Enimuerò cùm inſtituta mox communi verberatione, reſonaret ictibus locus, quod non erat in promptu flagrum, ingenium ſuppedirauit. Arrepto ſiquidem ſuomet cinctu, cui præfixum vtrinque ferrum erat, egregius ſui lictor, inſligere pia quadam inclementia nudo corpori verbera ad ſanguinem vſque inſtitit; obtulitque tùm primùm gratiſſimam Deo ſui victimam. Opus autem ad morum formationem, ad vitæ regulam, ad prauarum mentium expugnationem, ad omne Chriſtiani inſtituti decus excogitatum, nimium quantùm domi commendauerit. Agendi item in eo modũ, ordinem, Patrum ſedulitatem, concitatum, ac pugnax dicendi genus, flagra, ſuſpiria, vociferationes ipſas inter loci tenebras impenſiùs probauit: & quod caput eſt, incredibilem ab eo vſu rerum vtilitatem ſuo potiſſimũ fructu cõmonſtranit. Viſus nanque exinde in ſui, ac virtutum cultũ propiore quodam ſtudio incũbere: quod ſemel libauerat, incenſus eo guſtu, continuare: opus ipſum promouere, amplificare, ac totus in eo eſſe. Et quidẽ ita diſciplinę addictus poſtea pijſſimus Princeps fuit, vt nullus aut exercuerit ardentiùs ea ſtudia, aut diligentiùs procurauerit. Horam ipſe præfinire, ac anteuertere: regulas ſeruandas, aut ſi quid vitij feciſſent, inſtaurandas curare; ſtruere pias peccantibus inſidias; Sodalium apud ſe ſyllabũ habere; ſingulorum vitæ rationes perueſtigare; qui reſipuerint, mutauerintque in dies mores, probè ſcire: de ſalute animorum, de proſcriptione ſcelerum ſermones, conſultationeſque ſedulò habere. Ad hæc, vt pateret latiùs area, atque eſſet, vbi ſumptuoſiùs de mortalium peruicacia triumpharet pietas, peramplum ſitu, ac ſplendore locum exædificandũ ſuo ſumptu, ac magnificentiſſimè curauit; quem ad oculorum etiam ille-

Alphonſi Principis mutatio.

Thomæ Carpinei in Mutinenſibus cœtibus dicendi ardor.

In ſeipſum pię ſæuit Alphonſus.

Qui opus cõmendat.

Et vrget.

cebrã, atque ad omnem optices regulã, ac venuſtatem excellentium artificum manu exornatum voluit. Dignum profecto Principe opus, quod neſcio, an exæquari elegãtia, ac maieſtate poſsit. Addidit trahendis mortalibus & auriũ illicium: quæſitiſſimas nempè voces, quæ noua ſemper piorum carminum ſuauitate mulcerent animos, ac veluti conſopirent, vt diuini amoris vulnera gratanter acciperent. Quibus ſanè delicijs nullus omninò erat, cui non acceſſiſſe iã propiùs ad Empyreũ, videretur. Ad extremũ, vt quædam etiã accederet ab inſigni aliqua tutela dignitas, Antonium Scappinellum, virum omni laudum genere ſpectatum, ac principem aulæ adminiſtrum, præeſſe operi voluit; vt quod noſtri in ſpiritu adminiſtrabãt, eius ille ordinem, externumque regimen procuraret; eſſetque alijs incitamento viri auctoritas, ac ſedulitas. Atque hic quidem inſtitui ad omnem vitę perfectionẽ Alphonſum diù contigit, quoad exutus Principem, contemptu potentiæ ſupra mortalium morem, nuntium rebus humanis remiſit; aggregatuſque eſt ad Capuccinos: principatu quidem, ac faſcibus par Atauis, religioſa verò paupertate, ſacco, cinere longè maior. Sed de Principe tanto cũ omnium plauſu abdicante, redibit ſermo. Eſt enim, quod in pręclaro eo conſilio de noſtratibus adnotemus.

Antonius Scappinellus p[r]eeſt operi.

Imus modò recenſitum, qui ſub id maximè tempus ex noſtris celebrioris quidem virtutis, aut eruditionis abiere ad meliores. Ineunte ſtatim anno, hoc eſt, Ianuarij die ſextadecima, Matthæum Cudnerum fungi vita contigit Neapoli in D. Pauli cœnobio. Patriam, natales, ſtudia, ingenij præſertim amœnitatem, ac florem memini, me alibi libaſſe. Plura quidem ad Ouidianę Cytharę numeros cecinit elegantiſſimè, quæ ad ingeniorum limam facerent, ſi lucem aſpicerent. Quod verò maximè illum cõmendat, ea eſt fidei confeſſio. Primus ſiquidem Angliæ turbo, furente Eliſabetha, in nobilem Cudneri domum detonuit, expertuſque ipſe eſt Reginæ, ac temporũ malignitatem, arctiſſimæ cuſtodiæ mancipatus: & quidem intra pueritiam, cùm impar ærumnis, ac ſqualori carcerum tenerum illud ętatis rudimentum videri poſſet. Eximia poſtea in eo fuit in Patriam charitas; aderatque quà conſilio, quà auxilio Anglis ſuis. Quo religionis zelo comperto, conſignato Pontificio diplomate, facultatem impetrauit reconciliandi Romanę fidei populares ſuos: quòd ſanè inſolens, & nonniſi orthodoxę fidei Quęſitoribus concedi ſolitum. Religioſam autem vitam ita coluit, vt ſui Inſtituti partes ad vnguem impleuerit; quoad mortalitatem exuit, quod hoc anno piè contigit.

Matthæus Cudnerus fungitur vita.

Eius ſtudia, & fidei confeſſio

Quo ipſo anno in eadem Paulina domo die vigeſima prima Septembris exceſſit Vbaldus Pellizzarius, Laici ordinis frater, Foroliuienſis, Beati Andreæ olim ſocius, eiuſque etiam moris tenax, ac virtutum imitator: qui cùm profundè iam conſenuiſſet, viſus mortem, ſomno perſimilem obiuiſſe; de qua Andreas Piſcara Caſtaldus, qui domũ adminiſtrabat, cõpoſitis ad reliquas noſtri Ordinis domos literis, hæc habet: [De Vbaldi tranſitu non alia quidem vſurpare verba poſsumus, quàm quę de vtroq. Tobia ſuis in hiſtorijs legimus. De ſeniore quidem: Cũ bono profectu timoris perrexit in pace. De Iuniore verò: Cum gaudio ſepelierunt eum. Enimuerò viſa nobis fratris huius mors rectũ quoddã ad cœlũ iter in pace: ita nulla vis morbi, nulluſque, aut horror, aut timor bonũ ſenem pulſauit; ſed veluti laboris, ac vitæ metã attigiſſet, poſito corpore, ſingulari quadam tranquillitate compoſitus ad perennem quietem eſt. Gaudium verò excitauit non mediocre populorum celebritas, quæ vſq. adeò creuit, vt in amouenda multitudine non minimũ è noſtris laicis plerique laborauerint: idque in primis curandũ fuit, ne flagrans nimiũ pietas manus in veſtes injiceret: nec impediri omninò potuit; quominùs ardentiores quidam lacinias ſibi pręciderint: cùmque delatũ mox corpus ad cœmeterium eſt, eo in illud impetu vulgus inuolauit, vt multùm licet obniterẽtur noſtri, quod reliquum erat veſtium certatim abſtulerint; & niſi maturiùs ſepulturæ cõmendaſſent, nil propiùs fuiſſet, quàm cadauer ipſum diſcerpi. Conciliauerat hanc maximè Vbaldo opinionem, quòd ſcirent, ſocium olim Beati Andreæ fuiſſe, ac perſuaſerant ſibi, eo Beati Viri vſu, ac diſciplina fieri vix poſſe, quin eadem ipſe expreſſerit lineamenta virtutum, ac vitæ ſanctimoniã.] Hæc de eius morte Caſtaldus. Et verò exactum religioſi viri exemplar videri Vbaldus potuit. Indoles illi concipiendæ pietati accõmodata vel à puero fuit; euaſitque in ſolidam virtutem illa naturæ

Vbaldus Pellizzarius moritur,

Quæ de eius obitu Piſcara Caſtaldus,

bo-

Digitized by Google

bonitas,poſtquam adſcitus in Ordinem eſt. Paupertatis ſtudioſiſſimus. Cùm nihil Vbaldi, paupertas.
perindè refugeret,ac ſuperfluum,ſiuè in veſtibus,ſiuè in cellula cultum; tùm quę ne-
ceſſaria viderentur,decerpere,atque ad votę paupertatis guſtum minuere,conabatur.
Patientiam bellè,ac lepidè exercebat. Nā qui hilari ſemper vultu erat,ac quadam etiā
linguæ feſtiuitate, ac prōptitudine valebat,quicquid aſperi accideret, non æquo mo- Et petientia.
dò animo,ſed verborum etiam vrbanitate, ac ſalibus excipiebat. Semel Prępoſitus
quidam ad tolerantiæ exercitium illum acriter increpauit,exercuitque, minatus in
poſterum grauiora: qui quidem Prępoſitus cùm ſub ipſum ſui muneris finem tunc eſ-
ſet,id illi ſtatim ſerena fronte Vbaldus: Quæſo te,Pater, vt in id ſtrenuè incumbas, pa-
rū ſiquidem temporis ſupereſt. Abſtinentiæ in primis, ac cœteræ corporis afflictatio-
ni addictus. Interrogatus aliquando à Sulmonis Principe,quid ea die ad prandium Et corporis
edulij adhibuiſſet,reſpondit: Hypocrita profectò videar,ſi verū fatear: mentiri autem maceratio.
neſcio. Sic Viri principis curioſitatem luſit; oſtenditque ſui victus parſimoniam. Par
victui ſomnus. Nā cū ad multā noctem orando vigilaret, ad antelucanas deindè pre-
ces ſingulis quibuſq. noctibus ſurgebat:perſiſtebatque in templo,de genu orans,quoad
exercendi ſui muneris tempus aduentaret. In hoc verò orandi ſtudio multus profec-
tò fuit. Nā cū ſtatas noſtri Inſtituti precandi horas nunquam prætermitteret: ita dein- Et precandi ſtudium.
dè orationem continuabat,vt nullum à precatione tempus vacuum illi eſſet. Ianitoris
pleroſque annos munus exercuit. In eo præter oris modeſtiam, ac verba charitatis,
atque officij pleniſſima aduentantibus, collegerat ſui venerationem ab aſſidua præ-
ſertim prece. Nam ſemper, vel in ipſo ſui officij vſu admurmurare aliquid ex Maria-
no ſerto,quod nunquā de manu interdiù,noctùque dimittebat; aut ex pio aliquo li-
bello,ſolitus erat. Sed ad prolixiùs,atque attentiùs orandū noctis potiſſimū horas, ac
ſilentium ſibi ſepoſuerat. Etenim, vti modò monui, ad multam noctem in templo re-
rum diuinarum contemplationi excubabat; quo verò ſtudio, atque attentione, illud
pręcipuè declarauit. Nocte quadam intempeſta vehemens, vt cū maximè, tempeſtas
oborta, viſa pręcipuè in noſtrum D.Pauli cœnobium collimaſſe. Enimuerò, poſtquā
diù horrendum in modum tonuiſſet cœlum, veluti minas intentaret, tandem excuſ-
ſum fulmen in eccleſiā fragore quodā inſolito impegit: vt intendente præſertim hor-
rorem nocte,conſternati metu Patres,ad præſidium Cœlitū ad vnum omnes confuge-
rint. Vbaldum, qui in Eccleſia tunc erat,vbi procella detonabat, nullus ab aſſiduo
tonitru,nullus à fulmine,ruinaque timor inceſſit,vt ipſe teſtatus ingenuè eſt. Nempè.
qui orationi vacabat,quæ penetrat nubes,ſupra hunc aerem meditatione tunc erat,
videbatque infra ſe nimbum; ac dici de eo tunc potuit: ſi fractus illabatur Orbis, im-
pauidum ferient ruinæ. Extrema autem ſenectute,defectis omninò viribus, cùm nulli
iam domeſtico muneri ſufficeret corporis imbecillitas, orationi tantummodò con-
tinuandæ robur inerat. Et noctu quidem conſueta commentandi ſpatia eodem vi-
gore animi percurrere; die verò nunquā ab eccleſia diſcedere: miſſis aderat,quotquot
celebrari mane contingebat: reliquas horas inter precarios globulos indefeſſo quodā Et cœtera
ſpiritu tranſmittebat. Orationem abrumpebat,cùm concio habebatur,quā ſtans ſem- virtus.
per Andreæ Auellini exemplo auſcultabat: eratque vt frequens auditor,ita & prudēs
concionatorum æſtimator. Nam quæ partes eminere,quæ deſiderari in ijs videbārur,
inſigni quodam iudicio enunciabat; prænunciabatque illicò celebritatem,ac fructū
ſucceſſu nunquam fallente. Inerat & cœtera illi virtus. *Z*elo animorum caluit. Cū
vocandi confeſſarij eſſent, vt adeuntes expiarent, dicto citiùs ire, redire. Si quid ſortè
moræ necterent Patres, mirum,quo ardore vrgere, & aliquando increpare videretur:
quippè libertate quadam vti,vbi proximorum, ac Dei res agebatur, non dubitabat.
Obedientia verò in maiores fuit inſignis; vt nunquam imperium, iniunctumque offi-
cium detrectauerit, Eximia item in fratres,in exteros charitas: amabatque præcipuè
pauperes, quos fouere peramanter,ſi facultas aderat; ſecùs, dimittere perquā blan-
dè,ſolitus erat. Qui in omni pietatis,atque innocentiæ laude vixit, mortuus deindè
eſt pijſſimè. Inſtare iam tranſitum, ea quidem conſtantia affirmabat,veluti ſuperio- Morti ſe piè comparat.
re quadam luce colluſtratus, ſciuiſſet. Adiie omnes, petere, veluti mox abiturus,
demiſsè veniam: eaque potiſſimū pronunciabat: Venit hora mea. Adire hac item
viciniores fati perſuaſione ædem Deiparæ ab Arcu, ſex circiter mille ab Vrbe Neapoli

 paſſus.

Digitized by Google

paſſus, voluit ; idque pedes profundi vir ſenij ; nempè, vt dimiſſionem à Deipara impetraret. Quibus peractis, decubuit. Redemptoris è cruce pendentis imaginem eius viæ comitem poſtulauit; tùm ad dæmones abigendos luſtralis aquę vas apponi iuſſit; ac librum afferri ad laborantis animæ ſubſidium. Nec mora: expiatus ritè ſacris, ea, qua diximus, animi ſecuritate, ac quiete ſpiritum poſuit. Quædam eius vitæ innocentiam teſtata mox ſunt conſequuta beneficia. Affirmat ſumma fide, conſcriptis ad noſtrum Benedictum Mandinam literis, Penelope Caracciola, nobilis matrona, ſe quidem deuotionis ergò, cùm proſtaret Vbaldi cadauer, aliquot ex eius barbæ pilos vulſiſſe. Expertam verò non poſt multò ſalutarem eius vim. Siquidem cùm peracri dolore capitis laboraret, vix illos affectæ parti adpreſſit, cùm faceſſiuiſſe dolorem, ſenſit. Huiusſamula, Iſabella Perna adfuit & ipſa boni Senis exequijs; cùmque à circumfuſa eą multitudine piè diripi eius veſtes inſpiceret, ſuam & ipſa laciniam abſtulit. Hęc poſtea domeſticum eius amuletum fuit. Nam tùm quidem capitis dolorem, quo vehementer afflictabatur, cohibuit; ac ſæpè aliàs cùm ſibi, tùm alijs præſenti eo remedio eiuſmodi incommoda propulſauit. Dorothea Caluenſis timebat grande item malum à capite, quod tumor quidam ingens, in totius corporis perniciem mox erupturus, diuexabat. Sed cùm veſpere de eius veſte laciniam admouet, manè omninò incolumis, de accepto beneficio gratias Deo habuit. Innuiſſe hæc ad hiſtoriæ duntaxat fidem, volui, vt nihil de pijſſimi Senis virtute, ac meritis lateret.

Quædam ab eius interceſſione poſt obitum beneficia.

Moramur adhuc Neapoli, vbi anno exeunte, hoc eſt die Decembris ſexta decima, Vir, què ingenij, quà pietatis laude conſpicuus in Sanctorum Apoſtolorum domo, quam moderabatur, è viuis exceſſit. Is eſt Clemens Alonſus, Argentij, quod non longè Neapoli oppidum eſt, honeſto loco natus. Marcellus Toloſa, vir, quem aliàs nominaui, prudentia, doctrinaque ſingulari, præclaram Iuuenis indolem, opeſque animi conſpicatus, vt in Ordinem adoptaretur, curauit: reſponditque is conceptæ de ſe ſpei moribus, ac eruditione. Qui eius vitæ actus adnotauit, Franciſcus Boluitus, ſe familiariter cum eo egiſſe, affirmat: & quod ad eruditionem attinet, neminem agnouiſſe, qui vi, ac facultate ingenij Alonſum exæquaret. Præter cæteram eruditionem, Mathematicis addictus impenſiùs fuit, in quorum ſtudio pleraque aſſequutus eſt ſuo marte. In herbarum naturam genio quodam ingreſſus; breui, atque admirabili quadam facilitate rem omnem herbariam ita didicit, vt conſultiſſimus in ea arte videretur. Sed doctrinarum præſidijs potior in eo vitæ probitas, ac ſanctitas. Paupertatem eximiè coluit. Orationem, ac contemplationem vltra Inſtituti ſpatia longiùs producebat. Diuinas preces cùm recitare priuatim contingeret extra chorũ, aperto ſemper capite, ac demiſſus in genua, recitabat. In Diuos inſigniter pius, præcipuè in Dei Matrem. De eo id ſemel narrauit Franciſcus Olympius, vti Michael Muſcus, vir ex noſtris religioſiſſimus, ſuis literis teſtatur: ſomniaſſe videlicet aliquando Alonſum, ſcripta quædam, quæ in pretio haberet, amiſiſſe: ſolicitum proindè, ac diſcruciari vehementer per ſomnium cœpiſſe. Adſtitiſſe verò Deiparam, excuſſoque brachio, excitaſſe ijs verbis: Quid angeris? non quidem amiſſæ lucubrationes, ſed ſomnium id eſt: abrupitque ille ſolicitudinem, ac ſomnum. Narrabat hæc Olympius, vt eiuſmodi exemplo doceret, adeò propenſam, benignamque in ſuos Auguſtã Virginem eſſę; vt non vera duntaxat incommoda, ſed etiam, quæ ſomniamus, depellat. Liceat hinc autem nobis conijctari, quæ in Alonſum vigilem, orantemque beneficia conferret Deipara, quando dormienti præſto fuit, auertitque ſomniorum incommoda. Humilitatis præterea ſtudium illi familiare: eaque complecti, ac ſectari libenter conſuerat, quæ modeſtiam, animique demiſſionem exercerent. Semel cum pijſſimo, ſuique ſimili ex noſtratibus Sacerdote, paciſci placuit, vt qui prior ex ipſis diem obiret ſuum, ſis cœlo receptus, alteri, quam habuiſſet in votis gratiam, impetraret. Ergò Alonſus, quod ſibi impertiri maximè vellet, illicò ſcripſit, obſignauitque; vt ſi fortè alter præiuiſſet, ſuum extemplò de ſcripto votum ſignificaret. Accidit verò, vt anteuerteret ipſe ſocium; ac reſignata poſt obitum ſchedula, id in ea repertum: poſtulare nempè ſe, vt deſpicatui, quoad viueret, ac nullius omninò frugis haberetur. Certè, nullus id vnquam poſtulauerit, niſi qui eximiam iam humilitatem poſſideret,

Clemens Alõſus piè obit.

Præclaro vir ingenio.

Sed vitæ ſanctitate præſtantior.

Pius in Deiparam pietas.

Humilitas.

cuius

cuius præclara iſthæc vota ſunt. Charitate item in proximos flagrantiſſimus, præcipuè in ærumnoſos, quos conſolari, ac iuuare omni ope nitebatur. Sacris confeſſionibus excipiendis frequentem, ſedulamque operam dabat, inſtructus mira quadam facultate erudiendi, expoliendique hominum mores. Qua quidem arte pleroſque ad ſanctioris vitæ rationem perduxit; inter quos & principes matronæ fuere, quarum vnam annis, ac opibus longè florentiſſimam, ita diuinorum amore inflammauit, vt breui cum omnium admiratione ad ſacras Deo Virgines aggregauerit. Id illi ſemel peracerbum. Virginem in ſui clientelem acceperat; ſed quæ erat forma, aſpectuque elegantiſſima, oppugnare eius pudicitiam vir quidam princeps cœpit. Cum arce quadam munitiſſima videbatur principiò res eſſe. Pollicitationes, preces, impetus omnes fruſtra erant. Sed vicit tandem pertinax improbitas; nec pudorem Virginis libaſſe, ſatis fuit Principi: diuturnam quippè conſtantiam vt vlciſceretur, euulgari facinus voluit. Triſtari ſummoperè Alonſus; & cui faciebat animos zelus, Principem

Et charitas.

conuenit, increpauitque acriter; atque ea potiſſimum verba conſtanti quodam oris habitu pronuntiauit: Tu feciſti in occulto; ego autem faciam in conſpectu ſolis. Certa quędam prædictio videri hęc potuit, quæ ſucceſſum habuit. Per eadem ſiquidem pudicitiæ veſtigia ſplendidiſſimam alioqui domum publica labe mulctauit humanorum actuum vindex Deus. Quę quidem mentis prædiuinatione valere nonnihil videbatur; proſpiciebatque luce quadam longè poſita. Dum ageret Surrenti Prępoſitum, adhortari Laurentium Galanum, virum eius Vrbis, ſui ſtudioſum, ac fortunis inſtructum, cœpit, vt è filijs aliquem noſtræ Sodalitati addiceret. Dictis cùm non ille aures accommodaret: Ergò, inquit Alonſus, dabis non dum natum. Quod

Quid Principi cuidam prędixerit.

Et Laurentio Galano.

accidit: aggregato ad Ordinem Ioſepho Galano, qui poſtea excitandæ Clementis Alonſi memoriæ, Clemens audijt: Vir à zelo fidei, cuius cauſa diſſeminandæ expeditionem ad Iberos Orientales ſuſcepit: tùm à ſtudijs, ab Orientalium pręſertim linguarum peritia apprimè commendatus. Præuidiſſe & ſibimet fati diem Alonſum, illud oſtendit. Nam cùm apud Mariam Caracciolam, Vici Marchioniſſam moraretur, reuerti ex improuiſo Neapolim voluit; nec detineri vllâ vi potuit, vt puerperium expectaret, cuius gratia vocatus à pijſſima, ac prænobili fœmina fuerat. Vbi domum

Clementis Galani ex noſtris Patri.

Suę mortis diē prœuidet.

peruenit, decubuit, quo ex morbo paulò poſt deſijt eſſe inter homines. In hac verò ſuprema infirmitate eximia eius virtus, ac pietas mirificè enituit. Antequàm expiraret, & ſuſtinuiſſe à communi hoſte impetum, & eximiam promeruiſſe à Dei Matre illecebram, retulit poſtea Gabriel Maria Honrat, homo Gallus, Laici Ordinis frater ex noſtris, qui decumbenti aderat. Et dæmonem quidem ſtrenuè propulſauit, voce, geſtu, precibus. Fauorem verò Virginis, quę pulcherrimo ſeſe illi aſpectu obiecit, gratulatione, ac vigore quodam incredibili viſus excepiſſe. Surgere nanque lecto conatus, manus extendere, inclamare, atque ea potiſſimùm verba pronuntiare: proh quàm pulchra es, mea Domina: cęterùm perculſum ſubito timore ſe, affirmauit Gabriel Maria, videns, exhauſtum viribus, agentemque animam virum ea vi aſſurgere, ac ſe moliri. In hoc item mortis confinio Beati Andreę Auellini opem ſenſit: vti in eiuſdem Auellini vita Franciſcus Boluitus narrat. Vt nanque morbi, atque inſuperabili quodam veterno correptus, ita ſenſum omnem amiſerat, vt nouiſſima Patrum verba, atque adhortamenta fruſtra eſſent. Quęſitum ab Andrea ſubſidium cuius pium quoddam opuſculum autographum vbi eius capiti impoſuere, illicò eſt reſtitutus rationi, ac ſenſibus: vt inter pias preces, ac Diuorum laudes, quod vitę reliquum erat, tranſegerit; efflauitque mox animam non exigua cum ſanctimonię fama. Illud planè ad-

Quid in ea acciderit.

miratione dignum. Qui moriens teterrimum quendam odorem, à peſtilenti nimirum morbo, ab ore inhalabat, defunctus redoluit ſuauiſſimè violas, perdurauitque peramœnus hic odor vnà cum facilitate quadam membrorum incredibili ad ſeptimum diem. Tandiù ſiquidem fuit expectandum, quoad decens quidam loculus, cadaueri ſeorſim ſepeliendo, conficeretur, vt virorum principum poſtulationi fieret ſatis. Sepultus verò noctu, ne viri fama, affluxuque populorum turbę excitarentur. Dum autem in eccleſiam efferetur, aliquid etiam mirum accidit. Etenim cùm per anguſta quędam domus ſpatia eſſet pertranſeundum, ac ſępiùs non ſine ingenti labore, ac mora cum ea locorum anguſtia luctandum; quoties dicerent: Tranſi Clemens; expli-

Odor ab eius ore poſt mortem.

Effertur non ſine vectantiū ſtupore.

cari,

cari, ac patere aditus videbatur. Adſuit pio huic officio inter alios Thomas Pelliccionus, vir ex noſtris grauiſſimus, qui hæc poſtea ex fide narrauit: datiſque ad Patrē Generalem literis, quædam etiam inſequuta ab eius tunc patrocinio beneficia teſtatus eſt. Illud hic non diſſimulandum: conſequenti mox anno Vincentio Odæ, ſupremo decumbenti Clementem apparuiſſe. Quieti hic ſe dederat, prolixiori proludens ſomno: cùm viſus ſibi è cubiculi feneſtra Clemens ingredi, quem tamen haud ita probè agnoſceret. Interrogat; quis eſſet? ſum, inquit, Clemens: age, eamus. Sequar, Oda ait, ſi opportunum in locum duces. Ita, inquit ille, opportuniſſimus locus eſt, quò tendimus: reliquum eſt, vt te viæ compares: hiſque dictis, euanuit. Expergefactus Oda, denarrauit pleriſque, quod viderat; nec poſt multò ſingulari pietate, atque ad vltimum vſque ſpiritum ſui compos, abijt, quò fuerat vocatus. Atque hæc de Clemente Alonſo, cuius cum anno præterito transferri aliò oſſa oportuerit, reperta argenteis veluti ſquamulis intermicantia: idque non in extima duntaxat ſuperficie, ſed intimè etiam: adeò, vt compacta è translucidis quibuſdam ramentis viderentur: quod & ipſe non ſine voluptate oculis vſurpaui: ac omnium, quibus intueri contigit, admirationi deſeruijt immixtum pio Cineri argentum, ac vibrans ex eo ſplendor.

Vincentio Odæ apparet. *Eius oſſa longo poſt interuallo intermicant.*

Excellentis item virtutis, ac ſpiritus ſacerdos obijt hoc anno Genuæ in Diui Syri domo; nempè Franciſcus Rauenna Genuenſis, de cuius vitæ actibus decerpenda, atque apponenda hic pauca. Præcipua eius virtus, orationis ſtudium, cui vt vacaret attentiùs, quietem à ſeceſſu, ac ſolitudine, cui addictiſſimus, ſibi comparabat. Nactus eandem in Hieronymo Spinola, etiam ex noſtris, indolem, ac propenſionem, initoque quodam animorũ fœdere, alternis ante diuiniſſimũ altaris Sacramentum in rerum cœleſtium contemplatione excubabant; partiti per vices nocturnas vigilias: & interdum quidem Rauenna ſolidam in periucunda ea mentis exercitatione noctē traducebat. Quod verò cum corporis afflictatione orationi optimè conuenire, non ignorabat: alacriùs nanque erigit ſe ſe ad diuina ſpiritus, cùm atteritur caro; id illi primum, indicto peracri ſenſibus bello, profligare corpus, eiuſque opes, ac vires minuere. Hinc illi ieiunia, ferarum aſperitas, atque aſſidua in manibus arma, nempè flagra, à quibus niſi multo ſanguine maderent membra, haud ſibi videbatur, ſtrenuè pugnaſſe. Ad eiuſmodi autem vitæ duritiem veterum ex noſtratibus Patrum exempla illum inflammabant; in quos inſigni quadam obſeruantia ferebatur, eorumque pietatem, diſciplinam, mores, recenti ſemper memoria verſabat. Cumque Euangelicam illos paupertatem egregiè excoluiſſe, atque inſigni potiſſimùm in Deũ fiducia nixos, probè ſciret; has maximè ab ijs virtutes expreſſiſſe, videri voluit; religioſæ inopiæ perſtudioſus, affixuſque ſingulari quadam ſpe cœlo. Cùm præclara hac vitæ inſtitutione coniuncta prudentia. Admotus formandis tyronibus, auſterioris virtutis ſtudia, quæ ipſe exerceret, ita ijs ingenerare nitebatur, vt, quæ ſunt prudentiæ leges, attemperare ſe ætati, eorumque viribus videretur. Planè, cùm nihil eo eſſet in ſui cultu auſterius, diceres deindè, cùm ætas, indoles, tempus poſcerent, mutaſſe mores. Iam, cùm pleræque omnes in eo virtutes elucerent, tùm exactæ cuiuſdam obedientiæ ſpecimen hoc edidit. Iniunctum illi, vt tyronem quendam Neapolim deduceret, ac Genuam illicò rediret: & videbatur tùm quidem, fore opportunum reuerſioni tempus: ſed quæ ſunt inopinatæ interdum moræ, res ita accidit, vt adulta iam æſtate, periculoſum omninò eſſet, reuerti. Planè, etſi perſuadere ſibi Rauenna facilè poterat, hanc eſſe maiorum mentem, vt ſiſteret; quando calente iam nimiùm æſtiuo ſydere, ſeuerè medici pronunciarent, ſi abiret; parendum nihilominùs duxit, ingreſſuſque iter, vitam poſt obedientiam habuit. Nec ſanè pepercit viro cœli intemperies. Genuam ſiquidem cùm perueniſſet, ſupremò decubuit. In quo quidem illud non diſſimulandum. Nam qui Neapoli Franciſcum Olympium, abſolutiſſimæ virtutis virum, Rauenna agnouerat, atque in eiuſe ſe familiaritatem intimè inſinuauerat, id in primis curauit, vt monerent illum grauioris morbi, eiuſque pro ſe preces efflagitarent. Et Olympius quidem, cui à ſuperiore quadam luce afflata mens, ita reſpondit, vt cùm nullam vitæ ſpem faceret, moneretque, vt ad diuinæ ſe ſe voluntatis nutum conformaret, conicctauerit is non obſcurè, propiorem exitum eſſe. Quocirca compoſitus

Franciſcus Rauenna Genuæ moritur. *Eius orationis ſtudium.* *Vitæ aſperitas.* *Prudentia.* *Obedientia.* *Ex qua mori.*

ad

ad pietatem, morti ſe comparauit : ac duos omninò, & quadraginta dies grauiſſimo conflictatus morbo, inſigni cùm tolerantiæ laude, ſacriſque ritè procuratus, exceſſit è viuis ſeptembri menſe, non mediocri plane cum noſtratum ſenſu, quibus perſpecta viri innocentia, probitas, ac frugifera communi rei virtus.

Funeribus veluti natales annectimus, finemque ſeptimo huic libro imponit nobiliſſimus Iuuenis, Theatinæ diſciplinæ hoc anno adnatus; cuius & generis, & opum ſplendor facit, vt eius ſtatim ineundæ Sodalitatis conſilium denarremus. Fuit is Thomas Caracciolus, cui tùm nomen Martius, Bellæ Marchio, Camilli Caraccioli, Abellinenſium Principis, viri bellica laude, aliarumque principalium virtutum poſſeſſione percelebris, filius. Admirationi profectò, exemploque non vulgari Neapoli fuit, religioſæ paupertati lautas adeò fortunas poſthabuiſſe eius ævi adoleſcentem, qui ſextũdecimum annum vix excederet, ex opulentiſſima, ac principe domo, ſuiſ etiam titulis, ac opibus longè florentiſſimum; quippè qui dictus à Patruo hæres, Bellæ iam Marchionatu potiebatur, annuis nempè prouentibus, qui ad duodecim aureorum nummum millia pertingerent, quibus & luculenta poſtea appendix à Patre acceſſiſſet. Et Camillus quidem etſi non minimùm affectus, atque ipſa naturæ iura animum pulſabant; attamen, cui ſumma inerat à prudentia, ac pietate moderatio, conceptam ſemel filij mentem minimè improbauit. Periclitandum ſolummodò propoſitum duxit; ne, qui ſunt adoleſcentiæ impetus, peccaſſet in re grauiſſima extemporaneus quidam animi ardor. Igitur, ne inferre vim aliquam Patris auctoritas, ac præſentia videretur, apud Oratorij Patres commorari aliquandiù iuſſus; atque ibi explorata religioſæ diſciplinæ candidati mens, eo quidem euentu, vt agnouerit ſtatim Princeps præclaram filij indolem; ac ſuſceptum diuinitùs conſilium fuiſſe: probauitque eò vel maximè, quòd noſtrum Ordinem delegiſſet; cui & ipſe, tradita per manus hæreditario veluti iure à maioribus beneuolentia, addictiſſimus erat. Hoc examine perfunctus egregius adoleſcens, flagratiore quodam ſpiritu in optatiſſimam ſtationem inuolauit, faſtuque mortalium abdicato, die Nouembris menſis ſeptima huius anni dedit Religioni nomen in Diui Pauli domo, cui tùm Andreas Piſcara Caſtaldus præerat. Huic autem alacritati reſpondit mox in tyrocinio, ac in reliqua deindè vita morum ratio: commendauitque præſertim ſui demiſſionem, ac humilitatem: à qua cùm nihil odiſſe magis videretur, quàm dignitatum inſignia, ac pompam; attamen zelo quodam, atque in inclytam domum charitate coactus deindè fuit, dare Cyrenenſibus Infulis manus: nempè, vt, elato Marino Principe, germano fratre, poſthumi nepotis infantiam propiùs regeret, temperaretque ſummo iure Principatum, cuius vacuæ habenę rectorem poſcerent. Cyrene non ita poſt multò Tarentum tranſijt; ſuſcepitque opulentum oppidò Sacerdotium, quod modò prudentię laude, atque inſigni cum diuini cultus, Chriſtianęque diſciplinę incremento adminiſtrat; vti in epiſtola ſua nuncupatoria in vita venerabilis Pauli Cardinalis de Aretio Clerici Regularis pro dignitate quidem explicauit noſter Ioannes Antonius Cagianus, & nos etiam in tempore fusè exponemus.

Thomas Caracciolus Bellę olim Marchio.

Explorato prius conſilio.

Init cum laude Inſtitutum

Poſtea Infulatus.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

HISTO-

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER OCTAVVS:

Celebratur Capitulum generale.

Præeſt Comitiis Io. Scurcouillus.

INITO ſeculi anno quinto decimo, antequàm in reliquas Religionis curas, ac Patrum vigilias ingrediatur narratio, occupanda, quę regendæ, tuendæque diſciplinę ingens, ac princeps momentum habent, Generalia comitia. Itaque peracto triennij curſu, conuenere Romam, quibus adeundi Capitulum ius erat: nec priùs cœprum opus, itumque in communes conſultationes, quàm propitiatum ritè diuinũ Numen, ac moniti de more officij grauiſſima oratione Patres fuerint. Inſtirutis deindè fauſtè cœtibus, datus de more Comitijs Pręſes, qui Interregnum ſuo nutu regeret, ordinaretque eas curas. Fuit is Ioannes Scurcouillus, qui Ordinem nõ vno iam triennio adminiſtrauerat. Abdicare verò Magiſtratum cùm ſtatim omnes oporteret, Marcellinus Oda, qui generali defunctus Præfectura fuerat, alacriore profectò vultu, quàm capeſſiuerat, munus publicè depoſuit; veniamque petijt, ac pœnam, ſi quid in officio peccaſſet. Nec depoſuiſſe abundè fuit viro optimo. Enimuerò, cùm veniſſet mox in ſuffragium Præpoſitus Generalis, ipſe ſincera quidem oratione, ſinceriore animo, faſſus ſe ſuſcipendæ

Qua modeſtia abdicat Marcellinus.

prouinciæ imparem, obteſtatus enixè eſt Patres, ne de ſe iterũ renũciando cogitarent: addiditq., perſuaſum habere ſe, futurum voti compotem: quòd ſi fortè eligi contigiſſet, quadam abdicationis anticipatione recuſare ſe tũ quidem diſertè munus. Excepta Viri modeſtia communi plauſu: & qui intactum, vacuumque ambitione omni animum olim probauerat, proſcripta votorum Sacramento non modò externa quacũque Infula, ſed omni etiam domeſtici muneris ambitu; inſignem modò illã mentem; animique moderationem egregiè cumulauit: vt qui non modò conciliare ſuffragia minimè viſus ſit, ſed vltrò abnuere, atque anteuertere Patrum propenſionem voluerit. Igitur officium religiosè iniit, religioſiùs poſuit: & quod ad eius regiminis rationem attinet, in eo totus fuit Marcellinus, vt exacta diſciplinę, legumqu nostrarum

Eius adminiſtrandæ Congregationis ratio.

obſeruatio vigeret; curauitque inſtaurandum, ſi quid vitij curſu temporis feciſſet primœua morum institutio. Paupertati potiſſimũ cauit: & vt communia in communi cœtu, & eſſent, & viderentur omnia, pleraque præcidit, quæ dominii rudimentũ quoddam, aut ſpeciem præſeferrent. Quocirca iure omni ſuum illi ſtare elogium, ac decus debet: præſertim quòd quæ iuberet, ſuis ipſe moribus priùs exprimeret, inculcaretque exemplo ordinationes, quę vt efficaciùs obligent, adiiciat manum, qui imperat, Rector, neceſſe eſt.

Iam præfecturis abdicatis, cœptę, continuatæque in commune conſultationes. Quę verò ſcita à Patribus in Religionis commodũ fuerint, breui mox referam. Interim dicendus, qui in Ordinis vniuerſi habenis moderandis ſucceſſerit. Planè cũ multi in ijs eſſent ſubſelliis, ætate, prudentia, geſtiſque muneribus ſpectati, ac ſupremo magiſtratui pares, eminere Andreas Piſcara Caſtaldus viſus eſt, in quem ſingulari quadam

Renunciatur Generalis Andreas Caſtaldus.

animorum conſpiratione incubuere mox Patres, ac Præpoſitum Generalem pronunciarunt. Perſæpè incidit in hac noſtra ſcriptione de Caſtaldo mentio: vnde intelligere quiſpiam poteſt, indolem planè idoneam attuliſſe illum muneri. Et verò, quæ partes requiri, optimo Sacri Ordinis moderatori conſtituendo, videntur, œui maturitas, morum grauitas, atque integritas, humanarum, diuinarumque rerum eruditio, elimata vſu prudentia, Religionis, atque obſeruantiæ zelus, communis exiſtimatio, ac fama virtutum, ſpecies denique ipſa, atque oris dignitas, confluxiſſe in Caſtaldũ omnes, affirmare citra fucum poſſumus. Probauitque Viri mores, ac facultatem officiũ, quòd

ſubindè inſigni cũ æquitatis, ac ſolertiæ laude, ſummaque domi, foriſque cũ omnium approbatione adminiſtrauit. Inerat pręſertim impigra quædam, atque ignea in agendo nauitas. Aggredi, expedire ſingulari ſelicitate, ac recenti ſemper ſpiritu negocia aderatque perindè magnis, vt parua minimè contemneret. Literæ ad noſtrates rarò ex alterius ſtylo: ſcribere ipſemet; earumque exemplar ipſemet exſcribere volucri manu: vt mirũ planè eſſet, ſufficere dexteram poſſe tot epiſtolis exarandis. Res verò publica non adeò illum diſtinebat, quin priuatæ etiam inſiſteret diſciplinę, obiretque veluti è cœterorum numero domeſtica munia. Odèi pręſertim horas, neque interdiù labi, neque noctu ſinebat, quominùs cũ aliis interreſſet. Quo tempore luſtrare Ordinem contingebat, quod obire in equo ſolitus erat, nullam à continenti itineris fatigatione interſpirationem corpori, ac viribus indulgere. Nam cùm veſpere perueniret ſeſſus domum, conſequenti deindè nocte ſiſtebat ſe choro, continuabatque in ipſa inſpectione cœteram diei pſalmodiam, niſi externa officia prohiberent. Quod autem familiarum rectoribus adeò eſt neceſſarium; nempè quædam cum morum ſuauitate coniuncta in tempore auctoritas, atque acrimonia, has ipſe partes tàm bellè miſcuit, attemperauitque, vt cùm naturalis quædam manſuetudo, ac facilitas hominem apprimè commendarent, vbi tempus, ac res poſcerent, appareret illicò acer in vultu, ac verbis zeli ardor, ac rigor. Iam, quòd nuper graſſantem Neapoli Iulianam luem, quam ſuperiore libro deſcripſimus, opprimendam ſumma ope, ac contentione curauerat, notum iam Romana in aula eius nomen: proindèque excepta cum plauſu comitia fuere. Ipſe potiſſimùm Pontifex Paulus Quintus, quem maximè tangit cura ſactorum, atque illibatæ religionis, cùm non ignoraret Caſtaldi in pręclaro eo opere ſtudium, ac inſignem conſtantiam, lectionem magnoperè probauit; prouolutumque mox ad pedum oſcula, alloquutus perhumaniter eſt, teſtatus conceptiſſimis verbis nauatam egregiè in commune Chriſtianæ rei bonum ab eo operam, obſtrictamque ipſi ob ſingularem repurgatæ pietatis zelum ſanctam eam Sedem eſſe. Quo tanti Principis teſtimonio gratulati vehementer Capituli Patres ſunt, erectique in ſpem, fore, vt, qui ſummo Patri, ac aulæ gratiſſimus acciderat Præpoſitus Generalis, opportuniſſimus etiam Theatinæ ſamiliæ, eiuſque incrementis eſſet. Sed pauca hæc dę Caſtaldi indole lineamenta ſuſpenſo calamo duxiſſe, ſit ſatis. Reuertimur ad Comitia.

Probat electionem Paulus V.

Sancita primo loco lex eſt, vt nullã deinceps fundari noſtri Ordinis domũ permitterent, niſi quæ vicenos alere Patres poſſet. Nihil in cõmunem diſciplinam opportunius: atque vtinam inducta in morem inſtitutio fuiſſet: nec ſubindè occaſio, Vrbium preces, poſtulata Principum abrogaſſent. Planè, vt confuſionem multitudo, ita diſciplinæ remiſſionem paucitas in familias inducit. Etenim cũ non obiri præſcripta domi, ac foris munia à paucis poſſint; aut ſingula remiſsè, ineptèque peragi, aut prætermitti pleraque, oportet: vtrumque religioſis inſtitutis oppidò perniciosum; ac neſcio, quid magis reprehenſibile, perperam tractare opus, an omninò dimittere? Accedit ab hoc obſeruantiæ, diuinique cultus neglectu externæ exiſtimationis iactura: qua quidem vulgi opinione cùm religioſorum decus, ac paupertas nitatur; ea imminuta, ſimul & labeſactari ſtatus dignitatem, & humana imminui cõmoda, neceſſe eſt. Et hoc quidẽ tolerabile videri poſſet, ſi intra anguſtos eos parietes contineretur malum. Nam cùm mutua, ac frequens ſit in religioſis familijs loci mutatio, atque hìnc inde aditus; vt importari in domunculas nequit exacta inſtituti diſciplina, ita quædam ex his laxitas in frequentiora cœnobia inſilit: &, quę eſt mali conditio, adhæreſcit, ac radices agit. Quæ quidem in cauſa fuere, cur præclari Ordines, cùm in exiguis hiſce monaſterijs decreſcere obſeruantiam, ſplendoremque ſuum cernerent, abolere identidem ſtuduerint. Id quod & ſummis etiam Pontificibus curæ ſuit; gnaris, non amplificandis, ſed euertendis regularibus inſtitutis Colonias illas excitari. Et nobis quidem, quorum fundus eſt ciuium beneuolentia, in id maximè incumbendum, vt ſuus conſtet domibus numerus, qui ſufficere domeſtico cultui, & proximorum vtilitati poſſit: atque adeò vigilijs ac curis noſtris ali eorum ſtudia contingat, qui nos alunt. Benè igitur, ac ſapienter decreuere frequentiam in cœnobiis Patres. Ac tùm quidem, cũ ſummis precibus à pleriſque Vrbibus expetirentur noſtri homines; quòd ſibi non ea eſſe domicilia viderentur,

Fundandis Ordinis coloniis modus ſtatuitur.

Hinc excluſę pleræque per Italiam domus

quæ conſtituto iam numero ſatis eſſent, acceſſum excuſarunt. Senas proindè, quamquã clariſſimã alioqui Vrbem, & vbi inchoatum penè domicilium, legatis nempè peramplis à Conſtantia Piccolominea ędibus, viſum excludi: vnà cum Fortunæ Fano, quæ Vrbs eſt ornatiſſima, ac tentaſſe aliàs coloniam, ſignificaui. Rhegini item, quæ ſemel ſuæ Ciuitatis vota attulerant, iterum Conſcriptis Patribus inculcarunt. Sed, excuſſa iam re, caruere iterũ ſucceſſu preces. Peruſinis, qui Ordinem etiam honeſtiſſimis conditionibus efflagitarunt, ita viſi Patres annuiſſe, vt negotium ad Patrem Generalẽ referrent, qui, re ad Capituli cõſultũ expenſa, ſtatueret deindè ipſe, quid eſſet Ordini opportunum: recuſatumque mox celebri in Vrbe domicilium, quod ad noſtri Inſtituti rationem minimè faceret. Brixianam item domũ, quæ à Magiſtratu Vrbis, ac ſingulari ciuium propenſione expetebatur, & in quam Patres incumbere vehementer videbantur, inſpecta re propiùs, viſum, differri; quoad figendi in prænobili Ciuitate Cœnobij opportunior ſe ſe offerret occaſio. Reuocata deindè ad examen quædam Capuanæ domus appendix, in oppido, videlicet, Ciuitati proximo, cui à Diua Maria nomen, non infrequenti eo quidem; in quo commoda olim ſedes cùm contigiſſet, detinebantur inibi Patres popularium precibus, ac loci amœnitate, fructu pręſertim, quem inibi ſua inſtitutione, vſuque Sacramentorum demetebant. Ea de re Superioribus comitijs ſæpè aliàs addubitatum, cũque non deeſſent à zelo quodam rationes, quæ patrocinari contubernio viderentur, ſteterat Patrum neque nutu, neque renutu. Nunc verò cũ anteferri omninò vnius oppidi bono cõmmunem diſciplinam debere, Patres intelligerent, deſerendam eã ſtationem duxere: quod contigit ingenti cũ eius viciniæ ſenſu. Ex ijs verò, quæ agitatæ in commune Ordinis coloniæ fuere, quaſdam inſequenti mox anno ſucceſſum habuiſſe, dicam in loco. Alia item pro tuendis inſtitutis de eccleſiarum cultu, de ſtudiorum ratione, de lectione Magiſtratuum, de ſtrictiore præſertim Theatinæ paupertatis diſciplina retinenda, vt modò exponam, præclarè cauta ab ijs comitijs fuere, quibus addidere vim quandam Patris Generalis adhortamenta. Præfatus nanque opportuniſſimè de re communi Caſtaldus, cùm generatim inſtitutiones, moreſque noſtros, tùm eius præcipuè Capituli conſulta inſigni oratione commendauit: dimiſitque mox Patres, ſoluto conuentu.

Contuberniũ S. Marię Capuæ dimittitur.

Illud hic porrò ſtatim enarrandum, quod polliciti modò ſumus: nempè quo ſtudio prouiſum, vt primœua noſtri Ordinis paupertas ſarta, ac tecta haberetur: quiſue is fuerit, qui metu quodam, ne remitti priſcus rigor, aut infuſcari dignitas videretur, ſtrenuè pro ea ſteterit, ac dimicauerit. Igitur cũ alibi locorum, tùm Panormi detrahendum religioſæ inopiæ externum quoddam diuitiarum ſpolium fuit, ne falleret opum ſpecies; & quod iuberet neceſſitas, voluntariò cuidam cõmodo tribueret vulgus, ingenti cum Congregationis, famæque communis fraude. Philippus Doria, Genuenſis, à genere prænobilis, atque à fortunis abundè inſtructus, Panormi ante aliquot annos depoſitus, teſtatus luculenta quadam hæreditate in noſtrates, ac D. Ioſephi cœnobium beneuolentiam fuerat, legato prædio, octo circiter paſſuum millibus Panormo, cui Figarazzæ nomen: peramplo eo quidem ſitu, ſoli vbertate, prouentuque fructuoſiſſimo, ac facto à cœli amœnitate, proſpectuq. pelagi ad delicias. Longitudo ad tria milliaria extenditur: latitudo paſſus mille fermè, & quingentos patet: ſecatque, ac perenni vena locum fœcundat pellucidus quidam interfluens riuus: Alterum latus mare cingit, in quod prædii domino integrum, perfectumque ius eſt: adeò vt nullus, eo inconſulto, aut piſcatum exercere, aut exſcenſionem in maritimam eam oram moliri queat. Vineis culta ea regio, à quibus vina quàm optima, ac primæ notæ inter Panormitana. Pomaria item ad omnem fructuum autumnitatem, & copiam. Denique nulli non ſationi idoneum ſoli ingenium, & modò accedat induſtria, ac labor, colono quamuis auido, reſpondet gleba. Ad hæc non operarum tantùm hoſpitio, ſed honeſtę etiam ruſticationi opportuna quædam, atque inſtructa inibi conclauia; conficiendoque diebus feſtis miſſæ ſacrificio ſacra etiam ędicula. Latifundii huiuſce poſſeſſionem iniere ſtatim noſtri ea tamen mente, vt quã primũ ex noſtrę inſtitutionis, ac paupertatis præſcripto, diuenderent. Intelligebant verò, non quidem feſtinatò, ſed lentè, ac mora quadam agendum, vt ſuum eſſet fundo pretium; ne-

Paupertati cauent.

Philippus Doria hæredes noſtros dicit Panormi.

Luculentum ab eo prędiũ.

dum

dũ præceps conſilium rem nimiũ maturaret, cogerentur cũ eccleſiaſticæ rei damno minoris diuendere. Petrus Caracciolus, qui Panormitanã eã domũ elapſum proximè triennium procurauerat; & cui ſatis erat cùm experientiæ, tũ iudicij, egregiam, prolixamque in eo negotio expediendo operam poſuerat: nempè, quod is eſſet cõmunis noſtratium ſenſus; ne quæ à vulgi opinione adhæreſceret Theatinæ paupertati labes, audirentque opulenti religioſi illi viri, quibus ne verba quidem ſuppetunt, vt ſubſidium ſuæ inopiæ quærant. Nihilò tamen minùs, quòd non tã facilè emptorem inuenit, quod magno conſtat; & quòd obortæ ſubindè controuerſiæ, ac lites, eorum, qui coëmendi ſpem fecerant, ſtudia refrigerarunt, explicari res minimè potuit. Atque interim, ne peſſum iret ab otio prędium, ac negligere ſua cõmoda viderentur Patres, agere colonos, ac contra quã noſtra inſtituta præcipiant, expectare, ac demerere anni vberratem oportuit. Quod ſanè cũ optimi quique, ac flagratioris zeli ex noſtris improbarent, muſſarentque; tũ Marcus Paleſcandalus, noſtri moris tenaciſſimus, nimium quantũ ſuccenſuerit morę: gnarus, quantum detrimenti noſtrę diſciplinæ, atque exiſtimationi in celebri ea Ciuitate afferret, procurari à noſtris latifundia, ac proſcindi terram Theatino vomere. Itaque, veritus, ne dilatio frangeret noſtratum conatus, & quædam etiam ab eius loci amœnitate, & cõmodo ſubiret animos inſtituti obliuio, aut negligentia, cũ inſtarent huius anni comitia, etſi prouiſuros Patres, non dubitabat; attamen in re magni momenti acriores addi ſtimulos, ac ſuperiore quadã vi vti, optimũ factu putauit. Paulum Quintum Pontificem adijt, apud quem abundè ipſe gratioſus, & cui ſciuerat, cõmunis rei noſtræ rationes cordi eſſe. Illibarum noſtræ paupertatis decus: poſſeſſum hæreditatis iure fundum: detrimentum à mora expoſuit: tũ enixè precatus, vt Sodalitati, cui ſplendidum patrimoniũ, ac copia inopia ipſa eſt, conſuleret; iuberetq. pro poteſtate Patribus, vt certam aliquã rationem inirent, qua cenſus, prouentuſque omnes, more, inſtitutoque majorũ ſtatim abdicarent, vindicarentque à vulgi obloquutionibus Congregationem. Principijs nempè obſtandũ, curandumque, ne ſerperet exemplo malum. Pontificem Paleſcandali zelus, ac peculiare in noſtram familiã ſtudiũ vehementer incitauit, vtque oſtenderet, quanti faceret noſtri Inſtituti obſeruantiam, ac decus; & quàm cuperet, nulla ex parte libari præcipuũ hoc Eccleſiæ ornamentum; cœptis mox comitijs, non quẽlibet è cenſu Antiſtitum, ſed pręcipui nominis Purpuratum, hoc eſt, Garſiã Cardinalem Mellinum coactis vnà Patribus ſuę mentis interpretem miſit. Qui poſtquã prolixè quidem ſũmi Patris in Ordinem charitatem, ac præclaram animi propenſionem explicauit, quorſũ aduentus ille ſuus tenderet, quidue in noſtræ diſciplinæ tutelam, atque incrementum afferret, expoſuit. Perueniſſe, videlicet, ad Sanctitatis ſuæ aures, legatas noſtris domibus facultates, ac Panormitanum præſertim cœnobium opulenta hæreditate auctũ. In ijs ad regularem formã, præceptionemque diſtrahendis aliquam necti moram non ſine auitæ paupertatis fraude: monere proindè pro ſua beneuolentia Pontificem, vt quicquid certorum cenſuum, bonorumque ſtabilium inuectum in Ordinem eſſet, quã primũ abiiciant, pręcidantque. Gauiſi Patres, non aliud ſibi pręcipi, quàm quod ipſi percuperẽt. Addi nihilominùs ardẽtiſſimas planè faces ab ea iubẽtis, legatæq. purpuræ auctoritate viſę ſunt. Niſi quod plerique non poſtremi ſanè nominis ex eo cœtu non hæc afferri ad Pontificem voluiſſent. Religionis nempè, cõmuniſque rei cauſam agis animatoſque pręterea in remedium omnes: quid impleri querimonijs, ac ſuſpicionibus Pontificis aures? quaſi probarent opes, aut conniuerent noſtri; aut certè non ea vi, ac zelo adſcititias eas diuitias moderatores profligarent. Quo loco Paleſcandalus auctorem operis intrepidè prodidit: ac ſe quidem ita, inquit, ea ſuper re Pontificem appellaſſe, vt niſi maturè certa illa inſtituti peſtis faceſſeret, perſuaderent ſibi, fore, vt iterũ, ac tertiò interpellaret. Nam, quid, ait, à Clericorum diſciplina magis alienum, quã Siculos campos excolere ac ſpe prouentuum ſuſpendi viros illos, qui ſola diuinę prouidentiæ ſpe nituntur. Scirent porrò, nihil à ſe de zelo Patrum dubitatum, ſed timuiſſe opum, quæ lappæ in morem facilè adhęreſcunt, conditionem: ac putaſſe, ſalua Pontificis in Ordinem beneuolentia, multum ardoris, momentique habitura eius monita. Hęc ille. Atque interim accuratè cautum, vt quàm poſſet citiſſimè eiuſmodi piorum legata, ac prædia fierent alieni iuris. Renunciatus Panormita-

Sed caruere ſucceſſu curę.

Inuehitur in latitundium Marcus Paleſcandalus.

Paulum Quintũ interpellat.

Qui legato ad Comitia Cardin. Mellino,

Patres monet, vt cenſus abiiciant,

Quo zelo rem vrgeret Paleſcandalus.

mitanæ domus Præpoſitus Ioannes Paulus Fornarius, vir, vti aliàs memoratum, præ-
ter ſacrarum, humanarumque rerum eruditionem, cũ paucis prudens, reique negotiũ
etiam, atque etiam cõmendatum. Qui quidem adiecit vix animũ rei conficiendæ,
cùm abrumpere eius cœnobij procurationem oportuit. Enimuero Iſabella Sabauda,
Princeps Mutinenſium ornatiſſima, ac noſtri Ordinis perſtudioſa, concedi illum ſibi
à confeſſionibus cũ enixè poſtulaſſet, gerendus mos fuit Heroinæ, quæ ſatis iam affe-
ctu, ac beneficentia noſtrum Ordinem demeruerat. Quocirca, relictis Panormita-
nis curis, Mutinam tranſijt Fornatius. Paleſcandalus verò, qui ſpem conceperat, fo-

Qui iterum ad Pontificẽ.

re, vt ſuus rediret paupertati cultus, ac ſplendor, cũ differri cœpta cerneret, Pontifi-
cem denuò conuenit, certioremque moræ fecit; qui conqueſtus acriter, quòd lento
admodùm gradu procederet, quod ſeriò ipſe præcepiſſet, eo iterùm ſenſu Caſtaldo
Præpoſito Generali rem cõmendauit, vt is intelligeret, non perfunctoriè quidem; ſed
omni ope, conatuque in id negotij incũbendum: ac re cũ Conſultoribus communi-

Deſtinatur Panormum ipſemet Paleſcandalus.

cata, illud fore opportuniſſimum, exiſtimarunt, ſi Paleſcandalum ipſum Panormita-
ni domicilij Præpoſitum legerent, eòque amandarent; vt rem difficultatibus circũ-
ſeptam, ſolertia, ſtudioque ſuo profligaret. Explorata illicò voluntas. Nam præter-
quàm quòd profundè conſenuerat, Petri Cardinalis Aldobrandini conſcientiam iam
diù regebat, quem tanta integritate, ac prudentia virum auelli à ſe, nouerant, non
æquo animo ferre. Orandi aliquantiſper ſpatium popoſcit Paleſcandalus, vt negotiũ
cũ Deo priùs tranſigeret; idque deindè apud animum ſuum ſtatueret, quod afflaſſet
Numen. Fuſis precibus, reſpondit, ſuſcepturum ſe non grauatè prouinciam, atque
itineris incommoda; facturum præterea, vt Aldobrandinus annueret. Illud verò cum
primis expetere, vt ſuprema eò auctoritate accederet, nulla ex parte Panormitanorũ
Patrum arbitrio, nutuique obnoxius. Varias nempè eſſe variorum capitum ſenten-
tias; ac ſæpiùs, vbi in medio conſulitur, ac teritur diſceptando tempus, corrumpi oc-
caſiones, ac momenta rerum dilabi. Ad hæc, pernecеſſarium ducere, Pontificias af-
ferre ſecum literas, firmandæ nimirũ venditioni, etiamſi in aliquod eccleſiaſticę rei de-
trimentum fieret. Conſentaneum quippè rationi, ac regulari diſciplinæ eſſe, aliquid
de fundi potiùs, quàm de paupertatis pretio detrahi. Poſtremò permitterent, vt re

Qui negotio nauiter incumbit.

peracta, munus abdicaret, ac rediret eueſtigiò Romam. His conditionibus Panor-
mum contendit; Patre Generali, ac Conſultoribus erectis in ſpem, fore, vt res fauſtè
cederet: quando ſcirent, ipſummet pridem, cùm Neapolitanæ Prouinciæ Viſitatorem
ageret; prædium item fructuoſiſſimum, D. Pauli cœnobio legatum, eadem zeli con-
tentione, ac conſtantia vendidiſſe. Itaque, vbi Præfecturam adijt, ac rem propiùs in-
ſpexit Paleſcandalus, obfirmaſſe vehementer in eo conſilio animum viſus eſt; matu-
rauitque præclarum opus. Enimuerò non adeò opulentum à prædio cõmmodum
reperit; cũq. non ea eſſet Patribus præſens pecuniarum ſumma, quæ excolendę in-
genti poſſeſſioni ſatis eſſet, non ſuus indè prouentus exiſtebat; ac pręterea, cultura
imminuta, imminui in dies agri pretiũ contingebat. Illud verò diuino quodã nutu, ac
veluti in poſſeſſarum opũ pœnã: deſtitui, videlicet, piorũ ope, atq. eleemoſynis domũ.
Siquidem cũ perſuaſum haberent ciues, tanti patrimonij dominos minimè indigere,
erogare abſtinebant; veluti erubeſcerent, quid minuti ęris elargiri diuitibus; aut reli-
gioni ducerent, iuuare vltronea ſtipe, quibus iam à ſuo fundo opes prouenirent. Eapro-

Panormitanæ domus ab eo prædio inopia.

pter cũ nec populorũ ſubſidia egeſtati adeſſent, nec ea eſſent vectigalia, quæ familiæ
ſufficerent, nil propiùs erat, quàm ſuprema inopia premi Patres: vrgente pręſertim
ære alieno, cui diſſoluendo cùm vix ipſe fundi prouentus ſatis eſſet, anguſtior quoti-
diè domi res erat. Accidit, vt me aliàs adnotaſſe cõmemini, alibi noſtratum domo-
rum hæc etiam rei domeſticæ difficultas, quoties dare humanis cenſibus locum con-
tigit: vt miraculo penè fuerit, eguiſſe Patres, quandiù facultates, ac bona penès illos
eſſent; ijs abiectis, rediſſe illicò honeſta Clericorum cõmoda, atque oppignoratas pau-
pertati opes. Ergò neruos intendere, atque aggredi ſumma vi opus Paleſcandalus.

Principiũ haud beneuolus Paleſcandalo Prorex.

Sed eluctandi in ipſo ſtatim velificationis initio ſcopuli fuere. Regni tùm faſces Pe-
trus Gironius, Dux Oſſunenſium temperabat, addictus alioquin Ordini; ſed tùm qui-
dem remiſiſſe nonnihil beneuolentiam videbatur. In ſuſpicionem quippè venerat,
quiduis aliud cogitare noſtros, quàm prædium diuendere. Excitaſſe ex arte rei famã,

vt

Relig. 92.

vt ea ſpe fallerent, ac detinerent, qui lites ſubindè intentauerant. Hac perſuaſione non admodùm beneuolè Paleſcandalum excepit Gironius, cuius in eo negotio peragendo momentum ſanè maximum habebat poteſtas, ac nutus. Ad hæc, præerat regio patrimonio (Supremus hic Panormi Magiſtratus) Ioannes Baptiſta Blaſcus, vir quà ſingulari doctrina, quà grauitate, auctoritateque præſignis.

Nec Patrimonij Preſes.

Perſuaſerat hic ſibi, ea mente acceſſiſſe Panormum Præpoſitum, vt latifundium, quod magno conſtabat, vili omninò venderet; & qui noſtrum Diui Ioſephi cœnobium intimè proſequebatur, zelo quodam ſuccenſere illi vehementer viſus eſt, quòd eius domus vtilitati, ac commodis aduerſum omninò conſilium attuliſſet, ac præcipiti quadam exequutione contra omne ius, faſque ſucceſſum feſtinaret. Huiuſce negotij prora, & puppis, Prorex Oſſunenſis, ac Præſes Patrimonij Blaſcus erant. Quando hi minùs fauiſſent, planè actum de eo erat. At enimuerò eximia quadam animi conſtantia, dexteritateque in agendo, ipſa veri fide, ac Theatini præſertim inſtituti, ac moris commendatione ita vtrumque emollijt Paleſcãdalus, vt cùm illi præclaram eius mentem, ſuæ quidem diſciplinæ, rectique tenaciſſimam probè intellexiſſent, auerſum principiò animũ, egregijs in illum ſtudijs incenderint; complexi ſingulari voluntate hominem, ac negotium.

Sed vtrumque mox ſibi illeadiunxit.

Hac ille aura velificare feliciùs cœpit; laborauitque ſtrenuè, vt ſupremam rei manum imponeret. Æſtimandus locus fuit, ne pretij enormitas, quam in vulgus iactauerant, emptores terreret: dirimendæ obortæ lites, quæ exitum morabantur: vindicanda pleraque prædij iura, quæ exteri occupauerant; euulganda ritè per Siciliæ Regnum nundinatio, vt nullus excludi ab actione, ac ſuo iure videretur. Hæc, aliaque non expediri tàm citò potuere; defuitque cauſæ tempus, non animus, nec labor, aut viri contentio.

Ac negotio inſiſtit.

Nam poſtquàm annum cum dimidio in ea cura inſudauiſſet, mutato interim domus regimine, abſcedere, re infecta, oportuit. Quo tempore illud inibi non exiguum ſanè operæ pretium fecit Paleſcandalus, quòd ingentem templi molem, atque inter cæteras noſtræ Congregationis baſilicas longè ſumptuoſiſſimam, Mariano Sponſo dicatam, inchoauit.

Sed re infecta

Prædium verò, cum hinc moderatores nullum non moueant lapidem, vt dimittant; hinc aliæ alias excipiant difficultates; neſcio, quonam fato, & ſemper reijcitur, & ſemper retinetur. Semel, ac iterum alieni omninò iuris factum, diſtractumque; ſed quòd ita poſceret æqui ratio, reſciſſæ mox tabulæ. Vrgere ſubindè generalia Comitia: adſtrepere optimi quique; ſed fruſtra: vt ſanè in rem ipſam ſatis ex ſe implicitam, atque inuolutam, reijcienda moræ cauſa ſit.

Cõmunis noſtratum conatus in dimittẽdo latifundio.

Id quod ideò æquo fortaſſe longiùs narratum iuimus, flagrantiſſimum Paleſcandali zelum, ſtudiumque moderatorum in ea fundi poſſeſſione abdicanda diligenter explicantes, vt ineptam omninò noſtri carpendi inſtituti occaſionem æmulos arripuiſſe, intelligat lector. Scimus nanque, non defuiſſe, qui neſcio quonam abrepti ſtudio, noſtræ paupertatis dignitatem obterere ſtylo, non dubitauerint, eloquentiùs profectò, quàm veriùs, aut religioſiùs: præcipuam quidem in prædio illo Panormitano nacti ſuæ loquutioni, ſiue obloquutioni ſegetem. Planè an æquam cauſam orauerint, tralatitium hoc dominium, ac precarium abundè docet: cur autem tandiù retinuimus, ſatis, ſuperque puto explicatum.

Immeritò Theatina paupertas carpitur.

Iam verò Caſtaldus, ſuſcepto Generalatu, nil habuit antiquius, quàm commendatum ſibi Ordinem inſpicere; vt pleraque eius commoda coram accuraret; ac præſertim ſingulorum mores, ac facultates, opeſque animi cognoſceret. Perneceſſarium id quidem Præſidi, vt ſciat poſtea, quæ cuique muneri idonea ſit ſubditorum indoles: vtque veluti in ædificiorum ſubſtructione, ſuo quæque in ſitu locentur ad operis, ſiuè munimentum, ſiuè decus.

Congregationẽ luſtrat Caſtaldus.

Eiuſmodi nimirum rerum inſcientia facit, vt peccent in ſua procuratione plerique Antiſtitum; dum exigua perſæpè virtus admouetur, nullo quidem delectu, magnis: cùm interim præpoſtero quodam ordine, ingentique cum rei communis detrimento magna ingenia in verſanda re tenui marceſcant. Et Caſtaldus quidem, cùm cætera illi boni Præſidis indoles ſuppeteret; tùm in hac morum diſquiſitione, ac ſcientia fuit accuratiſſimus; & ne peccaret memoria, codicem ſibi confecerat, in quem ſingillatim referre, quæ ad ſuorum mores ſpectant, conſueuerat. Iuuenum præcipuè, qui in ſpem Ordinis ad omnem diſciplinam, doctrinamque educantur, mirum, quàm accuratè ingenium, ſtudia, pietatemque adnotaret. Publicis,

In cognoſcenda ſingulorum indole accuratus.

priua-

priuatiſque in ſchola concertationibus, quæ haberi coram Patre Generali in ipſa inſpectione ſolent; tùm ſacris in communi cœnatione concionibus ad cuiuſque exercitium, ac periculum, vehementer oblectabatur. Qui præſtare cæteris dicendi facultate, ac vi ingenij videbantur, commendare; eorumque diligentiùs in ſuo commentario conſignare nomina: vt nullus deindè falleret officioſa, aut detorta rerum narratione. Ciſalpinam igitur inſpectionem ſtatim ac æſtiuus ſe ſe remiſit calor, inſtituit Caſtaldus, inſigni profectò cum domeſticæ diſciplinæ fructu. Quod ad exteros attinet, commemorare Principum officia, ac præcipuas beneuolentiæ, honoriſque ſignificationes illi exhibitas, puto ſuperuacaneum. Mutinæ vt aliquantiſper immoremur, monet Iſabellæ Sabaudæ, Mutinenſium Principis munificentia, ac pietas. Ampliſſimam Heroinam paulò ſuperiùs memini, eiuſque virtutem explicare aliàs continget. Addictiſſima hæc noſtratibus, quorum opera in formando ſpiritu, expiandaque conſcientia vtebatur; aderantque tantæ Principis inſtitutioni non pœnitendæ virtutis viri. Atque hoc quidem anno cùm Vincentium Gilibertum, qui eius erat à ſacris confeſſionibus, Romæ Conſultoris munere ſubſiſtere oportuerit, iuſſus, vti monui, Panormitanæ domus procurationem abdicare Ioannes Paulus Fornarius, vt Mutinam concederet, quò vocauerat Iſabella. Hæc igitur, cùm inſpiceret Mutinenſem domum Caſtaldus, honeſtatum ſingulari, ac pio ſanè munere illum voluit: quod ita modò recenſendum; vt aliquam etiam à narratione, atque ipſius notitia muneris voluptatem capiat lector. Sabaudiæ domum priſcus quidem Cæſarum ſanguis inclytam facit; ſed nobilitat illam ſanctiùs ſacra ea Sindon, in qua Chriſti imago, ac ſanguis. Nihil profectò hac tela pretioſius, ac mirabilius, quam non Timantes, non Parrhaſius, ſed ſummus ille rerum Artifex delineauit; pictura, pictor, color, omnia. Et videtur planè inter Dominicæ paſſionis inſignia principem habere locum Sindon; quòd non quouis diuini Corporis attactu pretium induit; ſed complexa vndique Saluatorem, implicuit, inuoluitque totum: ac demum, impreſſa ad viuum defuncti Numinis effigie, viſa, quod ſemel tenuit, nunquam dimiſiſſe. Aſſeruatum prænobile linteum Hieroſolymis diù fuit; ſed occupata à Saladino, Ægypti Rege, Palęſtina, Guido Luſinianus, Hieroſolymorum Rex, in Cyprum tranſtulit; hęſitque in ea Inſula ſupra trecentum annos, veluti opulenta quædam, tranſmiſſa per ſuccedentium Regum manus, hęreditas. Demùm Margaritę Carmę, Hectoris Luſiniani, regij ſanguinis, coniugi ceſſit, quę anno deindè ſeculi quinti decimi ſeptimo, & quinquageſimo, cùm cruentus ille bellorum turbo, Mahometes Secundus, Turcarum Princeps, Aſiam, ac Gręciam igne, ferroque deuaſtaret; abſcedere Cypro ſtatuit, atque in Galliam apud Carolum, Francorum Regem Septimum, ſe ſe recipere. Opes ſuas, & quod ſibi inter opes longè cariſſimum, diuinum nempè linteum, vnà ſecum aſportauit; enauigauitque in Europam ſecundiſſimè quidem eo velo. Iam, in Galliam antequàm tenderet, Annam Luſinianam, Sabaudię Ducem, Ioannis Iacobi, poſtremi Cypri Regis filiam, ſobrinam ſuam, Camberij inuiſere, officij duxit. Morata apud conſanguineam aliquandiù eſt Margarita; quo tempore deuenerandam populorum pietati Sindonem expoſuit ingenti quidem cum animorum motu; adſtipulantibus pręſertim telę diuinitati miraculis: quę cùm popularium religionem, tùm ipſius Annę ſtudium, ac flagrantiſſimum quoddam deſiderium excitarunt. Quocirca, addente animos pietate, petere ſummis precibus pręclaras exuuias non dubitauit: quas, cùm Margarita ſupremum ęrumnarum ſuarum ſolatium duceret, ac ſupra omnem auri, ac gemmarum vim ęſtimaret, haud paſſa eſt exorari, vt concederet. Atenim, pijſſimę Principis votis, quæ Soror non audijt, cœlum annuit; ornauitque miraculo munus. Siquidem ſub ipſum in Galliam diſceſſum, quæ vehebat pretioſum ſpolium mula, Camberij ita ſuis inſiſtere veſtigijs viſa eſt, vt multo licet fuſte intentato, nulla vi dimoueri loco potuerit. Quod diuinitùs factum Margarita intellexit; ſibique perſuaſit, id eſſe Numinis conſilium, vt quod Galliæ deſtinauerat, id loci conſiſteret; eſſetque perpetua quędam Sabaudiæ domus tutela, ac dignitas. Iaque cœlo monita, pijſſimorum Principum iuris præſigne linteum fecit: qui gratulati vehementer munus, eo, quo decuit lætitiæ irritamento, ſolenni ſupplicatione inſtituta, plaudente populo, non tàm in Camberienſis arcis ſacello, quàm in ipſo deuoti pectoris ſacrario repoſuerunt. Creuit

Iſabella Sabauda addicta Q. dini.

Chriſti Domini Sindon.

Margaritæ Carmæ hęreditas.

Sabaudis Principibus ceſſit.

uit ſubindè tantis lipſanis ſama ; vt accurreret Ciſalpina, ac Tranſalpina certatim pietas. Et Franciſcus ipſe Gallorum Rex, expertus præſenti miraculo eorum virtutem, voti cauſa pedes eò ſemel acceſſit. Mouenda verò loco fuere. Flagrante ſiquidem inter Gallos, ac Sabaudos bello, aſſerendus tutiorem in locum theſaurus hic fuit; tranſmiſſuſque Vercellas; vbi admirandum in modum probatus ad ignem, luculentiùs inter flammarum globos claruit. Die ſiquidem Decembris ſexta decima anni trigeſimi ſecundi ſupra ſeſquimilleſimum nocte intempeſta ſubita quadam conflagratione arſit ſacellum, in quo ſeruabatur: graſſatuſque eſt eo impetu ignis, vt abierint in cineres marmora. Adire nulli impunè licebat. Reperti nihilominùs, qui præſenti animo in medias ſe ſe flammas iniecerint. Conſilium erat, non ſacrum ipſum linteum, ſed lintei cineres raptim colligere; ne incendij voracitas cineres etiam ipſos abſumeret. Ergò thecam argenteam liquatam vident, ac Sindonem argento innatantem: arripiunt, reportantque, veluti ex hoſte trophœum. Mirum dictu: intactum deprehendunt; niſi quod ad extremam eius oram luſiſſe potiùs, quàm læſiſſe ignis, videri voluit. Certè ad triumphi monumentum id accidit, quem tenuiſſima carbaſus de efficaciſſima ignis virtute reportauit. Quod diuinitùs etiam permiſſum, ne ſi nulla ex parte libaſſet telam incendium, ex asbeſtino lino, quod ignibus non abſumitur, confectam, exiſtimaſſent. Illud itidem ſupra fidem. Nam ſtrenui illi viri, qui inſigne id facinus patrarunt; ſe quidem non modò vim nullam ignis, ardoremque ſenſiſſe; verùm etiam amœniſſima afflatos aura, affirmarunt: repetito, videlicet, Babylonicæ fornacis miraculo: quòd hìc etiam ſpecies eſſet, ſimilis filio Dei: nempè Chriſti Domini impreſſa velo effigies. Alia item publica eiuſmodi mirabilia Sabaudam hanc Sindonem commendarunt: quę, mutata iterum ſede, ac Camberio reſtituta, tandem Auguſtę Taurinorum conſedit: eò Caroli Emmanuelis, Sabaudię Ducis nutu ſolemni ritu Antiſtitum humeris tranſlata; vbi hodièque inſigni fidelium pietate celebratur. Principes præſertim eius domus domeſticum hoc diuinæ in ipſos beneuolentiæ pignus præcipuo quodam affectu colunt: cuius præclarum edidit ſpecimen è Caroli Emmanuelis filijs Iſabella; quę nupta anno voluentis ſeculi nono Alphonſo, Mutinenſiū Principi, cùm non tàm à paterna domo, conſpectuque Patris abſcedere, quàm exercendæ in ſanctā Sindonem pietatis occaſione deſtitui, intimè doleret, immigrare in Eſtenſem domum noluit, niſi eo modo, quo poſſet, ſecum illam transferret. Ergò, quod ſummis Principibus negatum antea fuerat, impetrauit à Patre filia: Effigiem, videlicet, ab eo linteo ad vnguem, & quàm diligentiſſimè expreſſam, eadem nempè magnitudine, ac forma, iiſdemque demortui, traiectique Seruatoris lineamentis: vt ſanè perſpicaciſſimus quiſque ab accurata ea ſimilitudine nullum inter vtramque Sindonem diſcrimen agnoſceret. Ea tamen conditione expingi pulcherrimam Imaginem, ac veluti delibari theſaurum hunc indulſit Pater; modo ne vlli deindè facultas deſumendi exempli fieret: ſed ſeruaret ipſa quàm decentiſſimè intra Lararium ſumma fide, ac religione. Hoc porrò anno, in quo narratio verſatur, cùm Mutinenſem domum inſpiceret Piſcara Caſtaldus, Præpoſitus Generalis, id pręcipuum in ea inſpectione facere operę pretium, in animum induxit ſuum: impetrare, ſcilicet, excitandę in celeberrimam, ſanctiſſimamque Chriſti Sindonem obſeruantię, eius à munificentiſſima Principe exemplum. Arduum id quidem: valere namque plurimùm apud abſolutiſſimę virtutis fœminam Patris monita, probè nouerat. Quę tamen noſtri nominis perſtudioſa, vt pia Patris Generalis vota, ſuamque beneficentiam cumularet, ſingulari quadam alacritate, facilitateque conceſſit. Et, ne fregiſſe Patri fidem videretur, addidit id petere ſe, ne in mortalium conſpectum, lucemque producerent, quoad Pater ipſe annuiſſet. Petituram ſe interim facultatem; & ſi negaſſet, expectarent eius mortem, aut ſuam. Ergo demandata excellenti cuidam pingendi artifici res eſt, qui aſſequutus adamuſſim exemplar, opus ad omnem ſimilitudinem perfecit; ac Romam, quò iam Caſtaldus, Congregationis inſpectionem proſequutus, peruenerat, compoſitis humaniſſimis ad illum literis, miſit Iſabella; monuitque pręſertim, meminerit datę fidei; vt, ſcilicet, clàm omnibus haberet, quoad Patris accederet nutus, aut mors. Deſtinauerat has porrò exuuias ſuę domui, hoc eſt, Diui Pauli cœnobio Caſtaldus; & inſequenti mox anno, inſtituta altera in Nea-

Communis in illam pietas.

Seruatur mirè ab igne.

Sindoni impéſe addicta Iſabella Sabauda,

Quę eius exēplar à Patre impetrat.

Et ſimili deinde Caſtaldū donat,

Qui Neapolitanę D. Pauli eccleſię deſtinat,

politano

politano Regno viſitatione, ferre ſecum ſplendidiſſimum perindè, ac potiſſimū donarium voluit. Quod ea ſtatim cautione repræſentauit, vt adhibitis in rei conſcientiam quàm fidiſſimis, conſignatæ inter paucos publicæ tabulæ fuerint. Diù pretioſum pignus latuit; ſimile quidem theſauro abſcondito. Sed depoſita Iſabella, illicò ſuam lucem aſpexit: hoc etiam nomine luctuoſum, quod euulgari, niſi cū tantæ Principis fato minimè potuerit. Eius venerationi dedicatæ ſingulæ menſis Martij ſextæ feriæ fuere. Opportuniſſimè quidem, quo tempore ob ampliſſimā delictorum indulgentiam inſigni populorum frequentia, ac deuotione Paulina eccleſia celebratur: ac ipſa temporis ratio peculiaris cuiuſdam pietatis, ac cultus in Chriſti Domini cruciatus mortales monet. Et verò noua ea pietatis ſpecies, ducta graphicè cruenti Saluatoris lineamenta, expreſſa clauorum, ac vulnerum loca, tàm luculenta noſtræ redemptionis veſtigia; denique poſita ob oculos illa pœnarum ſcena mirū in modum intuentiū affectus excitauit; cœpitque inſigne linteum ſanctiore quodam accurrentium ſtudio ijs ferijs coli. Planè cùm ſacrarum reliquiarum monumentis abundet D. Pauli baſilica, vti non vno in loco meminimus; tùm in hoc potiſſimū velo neſcio quid explicat præcipuæ ſanctitatis, & cultus. Hactenus de Paulina Sindone, cui ampliores narrando lacinias fecimus; & de qua illud poſtremò adnotandum; cauiſſe etiam Iſabellam, quæ dono dederat, ne ſinerent, conceſſis exemplaribus propagari: ea nimirùm lege, qua acceperat ipſa à Patre.

Cœpitque ſextis Martii ferijs exponi.

Atenimuerò Neapoli in eadē hac D. Pauli domo aliquid accidit de Beatorum cultu non diſſimulandum. Et quidem excitatam in Beatum Andream Auellinum procellam, dixi perturbato quidem ordine, cùm de ſurgente apud Neapolitanos eius nominis celebritate, famæque initijs narrationem inſtituimus. Qui turbinē illū conflarunt, viſi etiam in B. Caietani exiſtimationē, venerationemq. euertendam collimaſſe. Sed euaſere in Viri ſancti gloriam conatus: ceu voluerit diuinum Numen per hanc potiſſimū æmulorū iniuriam publicam Thienæi opinionem adaugere. Ergò, quodā religionis zelo allatum Romā, Caietani effigiē contra quā Pontificiæ ſanctiones cauerēt, proſtare in eccleſia populorū pietati. Ad hęc, marmoreā erectā ad publicā domus ianuā eius ſtatuā è regione Pauli Quarti Maximi Pontificis, inſcriptiſq. ad documentū auro literis, ac Beati appellatione disertè appoſita, clarū miraculis ipſū dici. Quo quidem viſum infringi Romanas ordinationes, cenſurāq. adhibendam. Negotium Apoſtolico Neapoli Nuntio demandatum: adiret ad D. Pauli, ac re propiùs inſpecta, amoueri imaginem, atque inſcriptionem iuberet. Quod moleſtiſſimum ſanè Patribus. Sed qui modū non exceſſiſſe, perſuaſum habebant; vt imperata facere minimè detrectarūt, ita nihil antiquiùs habuere, quā ſūmum Patrem per idoneos interpretes appellare. Perorandam cauſam ſuſcepit Venetę Reipublicę Orator, ad quem Viri è Veneta Dominatione tueri famam, ac ſanctitatem ſpectabat. Acceſſere & pluriū Auguſtorum Patrum ſtudia, qui fauere Ordini, ac ęquitati ſingulari voluntate viſi ſunt. Itaque interpellatus tantorū Capitum auctoritate, ac officijs Pontifex. Moueri loco Thienęi effigiem, ac literas ab eius ſimulacro expungi, nimis quidem ſeuerè iuſſum, conqueruntur. Virum, pręclari Ordinis Conditorem, excellentique ſubnixum virtute, ſanctitatis fama non modò in Veneta regione ſed alibi etiam locorum annis ab hinc omninò ſeptuaginta, hoc eſt, ab ipſius ſtatim exceſſu floruiſſe: miraculis iam tùm claruiſſe: Beati nuncupationem hęſiſſe vulgò ab eius item exitu, atque in ſcriptis etiam monumentis, illiuſq. imaginibus legi, affirmant. Antiquitatē, merita, publicam famam ſatis habere ponderis, vt virū ſanctiſſimum communi lege ſoluant. Præciperet proindè ſummus religionis Antiſtes; retineri in ſua poſſeſſione Caietanum. Explorari rem diligenter Paulus Pontifex voluit, ac demandatum Petro Cardinali Aldobrandino negotium; qui non perſunctoriè quidem, ſed tabulis, iuratiſque ad veri fidem teſtibus adhibitis, mox ad Auguſtorum Patrum cœtum, qui rebus fidei ſupremo iure præſunt, detulit. Peruetuſtā de Thienęo opinionem, ac famam nominis, Beatique appellationem eſſe: adſtipulari item miracula; idque in pleriſque Italię regionibus. Aderat Pontifex, qui teſtatus disertè eſt: ſuas de Beatorum cultu ordinationes ita ratas velle, vt adultę iā, veterique populorum pietati minimè detraherent. Nempè reprimendę vulgi facilitati, nouiſq. religionibus temperandis factas: cœterùm ſuam ſtare vetuſtati ve-

Excitatur in Thienæi celebritatem procella.

Sed Pontifex appellatur.

venerationem,ac cultũ, pat eſſe.Quocirca moneri Neapolitanum Nuntium,iuſsit, nihil in Paulina Clericorum Regularium baſilica de Thienço nouandum: atque adeò ſtare loco eius imaginem, atque inſcriptionem,ſineret. Quo ſanè nullus reportari illuſtrior ttiumphus potuit, ipſo ſacrorum Rege adiudicante Thienço litem; ſecitque is turbo,vt radices firmiùs ageret communis de Dei ſetuo exiſtimatio, cùm maximè conuelli ſtirpitùs cultum omnem putarent.

Idem hic Maximus Pontifex inſigne etiam hoc anno de noſtri Ordinis diſciplina iudicium tulit: deſtinata,videlicet, noſtratum induſtria, ac opera, expoliendæ, ornãdęque nouis quibuſdam vitę rationibus Ieſuatorum Congregationi, quam à D. Hieronymo appellant. Conditus hic Ordo iam inde ab anno inſtaurati Orbis ſexageſimo ſeptimo ſupra milleſiumum trecenteſimum à Beato Ioanne Columbino Senenſi: viro Sanctiſſimo, Vrbano Pontifice Quinto, qui & illi, & pletiſque è ſocijs, dum è Gallia Romam Pontificiam Sedem, aulamque transferret, habitum ſua manu Viterbij dedit; honeſtauitque ſingulari beneuolentia tudimenta Ordinis, quem & ſuccedentes ſubindè Romani Pontifices proſequuti abundè ſunt beneficijs, ac facultatibus. Ieſuatorum appellationem inuenere planè diuinitùs à pueris, qui quos de nomine non antea nouerant, velutiſupernè edocti, Ieſuatos appellarunt: adhęſitque nomenclatio ex ore infantium,& lactentium. Dicti verò à Diuo Hironymo, quod eius ſe ſe tutelæ,ac patrocinio ab ipſis ſuæ Congregationis cunabulis commiſerint. Mores illis, leges,inſtituta,viſa potiſſimũ dictaſſe humilitas. Splendidis muneribus minimè vacare: ad aram non facere: ſacra alijs non miniſtrare. Odèo, ac publicæ pſalmodiæ abſtinere: ſcholas non terere. Diuerſa ſcilicet ijs, ac propiora ſolitudini ſtudia: nempè frequens rerum diuinarum contemplatio, piorum librorum in cõmune lectio, diſtributæ certæ quædam intra diei, noctiſque horas Dominicæ orationes, ac ſalutationes angelicæ: ad hęc, externa quædam ſallendo tempori opera ad veterum omninò Patrum formam,exercere; ac ſtillatitijs præſertim aquis inſudare; quo & otio, & domeſticæ etiam inopiæ conſulebant. Dignus planè laude inter religioſas diſciplinas, quæ ſua etiam varietate Chriſti Eccleſiam exornant,videri hic Ordo poterat. Sed,quę eſt temporum conditio,vt noua ſemper adpotret,mutetque priſca; inducta annis labẽtibus alia inſtituti ratio, à diuino cultu ſanctior,atque ab vſu, vtilitateque proximorũ fructuoſior. Et quidem, Sixto Quinto Pontifice, cœpta hęc agitari; erectique zelo, quodam nonnulli ex ea Congregatione Patres,id apud animum ſuũ decteuere, vt pro ſacrorum ordinum ſuſceptione sũmo Patri ſupplicarent: cauſamq. ijs potiſſimũ argumentis perorabant: videlicet, quòd exteros adhibere, qui diuina adminiſtrarent, nonnihil incommodi afferret; nec ſine pietatis fraude aliquando accideret,in ipſa ſacramentorum vſurpatione peregrinari extra ſuos. Decentiùs deindè religioſi viri, Deoque mancipati, circa aras,ac templa, quàm exſtillandis floribus, ac herbis profanum in modum occuparentur. Sic etiam à cœteris religioſis familijs, quos habitu imitabantur, cultu diuinorum minimè diſſentirent; habitarentque vnius moris in Dei domo. Priſcis Patribus, quos longè à mortalium conſuetudine traducere vitam contigit, nihil opportunius, quàm ſportularum textus, atque iſtiuſmodi externus labor. Sed qui in ipſa Vrbium celebritate degunt, id potiſſimùm curent, neceſſe eſt, vt communi religioni, ac fidelium commodis inſtitutum, vitamque ſuam attempetent. Quæ cùm vera videri poſſent, attamen quòd plerique in ea Congregatione eſſent veteris diſciplinæ, ac priſci moris, quem per manus acceperant, tenaciſſimi, obniti recentibus conſilijs ea vicœpere; vt adduci Pontifex nunquàm potuerit, vt maiorum inſtituta, ac leges infringeret. Eadem deindè, ac ſeueriore quidem mente ſtetere à primœuis inſtitutionibus Gregorius Quartus Decimus, & Clemens Octauus; qui & graui etiam fulmine in eos inſurrexere, qui ex eo Ordine, aut ſacris ordinibus initiarentur, aut iam initiati, exercerent. Atenimuetò, vt ardua plerumque emollit conſtantia, ac mora; potito deindè rerum Paulo Pontifice Quinto, repetita Patres poſtulatione, tandem impetrarunt. Exacta ſiquidem ad calculos re Pontifex, adnitente potiſſimùm Perro Cardinali Aldobrandino, qui eius Ordinis patrocinium ſuſceperat, occupatam in tenui, ac veluti ſerpentem humi Congregationem, erigere, atque admouere atis conſtituit. Scilicet,

Ieſuatorum Ordinis origo

Et mores.

Sacrorum ordinum vſum poſtulant.

Sed renuentibus pleriſque Pontificibus.

Impetrant à Paulo V.

cet, haud fore abrogandum Ieſuatorum nomen, ac diſciplinam putabat, ſi amplificata religione, adauctoque Dei cultu, nobilitari ea ſacrorum adminiſtratione contigiſſet. Poſſe nimirùm religioſos homines, mutato munere, ac manente eadẽ mentis demiſſione, litare ſimul humilitati, & Deo. Itaque abrogatis Superiorum Pontificum conſtitutionibus, ſuoque diplomate obſignato, id perbenignè indulſit Paulus Pontifex, vt cæterarũ ſacrarum familiarũ ritu, inaugurari ex ea Congregatione Sacerdotes poſſent, vacarentque propiùs Deo homines, ac ſua templa ſuis ipſi ſacrificijs, ac diuinis laudibus celebrarent. Quod quidem cum plauſu, cõmunique approbatione exceptum: tùm quod res eſſet dignitati, atque ornamento Ordini: tùm verò, quòd nonnihil planè cõmodi afferre publicæ pietati viri poſſent, ſi literis deindè, ac cætera diſciplina imbuerentur.

Qui illos nouis ornari legibus optat.

Et quidem eò ſtatim animũ aduertit Pontifex, vt quando ſacris aſſueſcere, ac munia longè nobiliora obire Ieſuati occœpiſſent, excuſſa vetuſtate, ad perfectam quandam regularis obſeruantiæ normã, ideamque conformarentur. Rem cum Aldobrandino cõmunicat: ac ſe quidem, inquit, putare, vt ſucceſſum rem haberet, nihil fore opportunius, quàm ſi religioſi cuiuſpiam viri ductu, ac prudentia regi, atque ordinari eã diſciplinã, contigiſſet; ita quidem, vt & laudabiles eius Congregationis mores retineret, expoliretque, & alios item induceret diuino cultui, proximorũ cõmodis, doctrinarum ſtudijs, ac politiori demũ ſeculo attemperatos. Conſilium nimiùm

Dat negotium Theatinis.

quanrùm probauerit Aldobrandinus, cui nihil priùs, quàm cõmendatos ſuę fidei aſcetas ad quandam inſtituri elegantiam, ac fructuoſa cõmuni rei ſtudia traducere: cùmque de eiuſmodi moderatore deliberant, in eam itum ſententiam, vt Theatinum hominem præclaro operi adhiberent. Nec mora: Andream Piſcaram Caſtaldum Præpoſitum Generalẽ, quid Pontifex ſtatuerit, Aldobrandinus monet. Virum poſtulari, parem muneri; & qui ea religioſorum hominũ formatione optimi Pontificis zelo, ac ſuis etiam votis ad vnguem reſponderet. Verti id maximè in Clericorum Regularium laudem, ac decus: tùm fore, vt quicquid cõmunis pietas demeteret inde emolumenti, id ſibi magnam partem Theatina nauitas vindicaret. Honeſtari tantoperè eo Pontificis iudicio noſtram diſciplinam, gratulatus Caſtaldus, haud ſibi quærendum diutiùs duxit, quem grauiſſimæ prouinciæ deſtinaret. Aderat Romæ Vincentius Ric-

Precipuè Vincentio Riccardo.

cardus Neapolitanus, vir quidem ab omni ſtudiorum genere cum paucis inſtructus: diuinarũ præſertim literarũ, tùm ſacrę antiquitatis, ac linguarum etiam ſcientiſſimus. Ad hæc, vitæ innocentia, morum grauitas, diſciplinæ zelus, prudentiæ vſus apprimè cõmendabant. Notus abundè Cardinali Aldobrandino, ac Pontifici ipſi Riccardus. Quocirca nihil ijs gratius, quàm earum partium virum admoueri muneri: vt iam ſibi certo mentis augurio ab optimo rectore fauſta, ac magna pollicerentur. Nec ille ſuſcepit grauatè munus, quando maximi mortaliũ imperiũ accederet, poſtularetq. benemerentiſſimus Cardinalis, ac certò ſperaret, fore, vt in Dei gloriã, religioſæque

Initur rei perficiendę ratio.

obſeruantiæ incrementũ induſtria, ac labor cederet. Iam verò, vt à quodam veluti capite manaret deindè in totum Congregationis corpus diſciplinæ vigor, ac ratio; id à Pontifice decretum, vt Romæ generale quoddã totius Ordinis tyrociniũ inſtitueretur, quod Vincentius Riccardus ſuo nutu regeret, fingeretque adoleſcentũ indolẽ ad vnam, eandemque regularis obſeruantiæ formã, diuinique cultus miniſterium; qui deindè ſic inſtructi, ac liberalibus item diſciplinis, ac ſcientijs imbuti, per reliqua Congregationis cœnobia, veluti per mẽbra ſanguis, ac ſuccus, diſtribuerentur: atque inducto tẽporis tractu nouo ſtatu rerũ, legibus, moribus, ſanctimonia effloreſceret Ieſuatorũ Ordo, idẽ penè, & alter eſſetq. illi nõ vltimus inter religioſas familias locus. Manarunt in vulgus ea ſuper re Pauli Pontificis breues literæ: & Riccardus, qui ſuis vigilijs, ac laboribus hanc niti molem, ac ſummi Patris mentẽ intelligebat, reſpondere

Generale tyrocinium inſtituitur.

pro viribus, conatuque omni conceptæ eiuſmodi ſpei ſtatuit. Ergo in Sanctorum Ioannis, & Pauli perantiquo Vrbis cœnobio in Monte Cœlio poſita hæc renaſcentis Ordinis rudimenta; inſtituto, quod diximus, generali tyrocinio, ad quod è reliquis Italiæ Vrbibus bonæ indolis iuuenes mittebantur, Eius Congregationis regulas, quæ cum nouis ijs vitæ rationibus conuenirent, obſeruare ad vnguem Riccardus, veluti ſuper ſolida veteris ædificij fundamenta recentem conſtrueret molem: cætera deindè

èpro-

Digitized by Google

è probatiſſimorum Ordinum, noſtrique potiſſimùm Inſtituti legibus inducere. Quicquid ad diuini cultus elegantiam, nitoremque pertineret, id omninò expreſſum ex noſtris voluit. Diurnã, nocturnamque pſalmodiã, ſimplici quidem cantu Theatinũ in morem inſtituit. Princeps illi cura, interioris hominis ſanctitas; externã dein faciem, totũq. oris habitũ cultu modeſtiæ, atq. oculorũ præſertim fræno perindè conformabat, vt admirationi Romanis eſſet ea tyronũ diſciplina. Paulus ipſe Pontifex, ſi quando publicæ ſupplicationes Vrbem obirent, tranſirentque per Pontificias domos, moneri volebat, cùm ornatiſſima Sanctorũ Ioannis, & Pauli pubes appeteret; accurrebatque, vt inſpiceret, oblectatus magnoperè ſtrictiore adoleſcentũ modeſtia, externaq. diſciplinę ſeueritate. Cùm verò & ipsũ pertranſire per eorũ cœnobiũ contingeret, contingebat autẽ nõrarò, cùm ad D. Ioannis Lateranenſis pergeret, ſubſiſtere ſolitus erat; accerſitũq. ad ſe Riccardũ, de tyronũ numero, ac indole, de rerum ſtatu, de cõmunis diſciplinæ progreſſionibus, totiuſq. incremento Ordinis perbenignè interrogabat; ac cœpta succedere, ex animo gratulabatur. Eò autem frequentiùs adibat Cardinalis Aldobrandinus, atque vſurpare ſuis oculis refloreſcentem in eo aſceterio Congregationem nimiùm quantùm gauderet; addebatque præſentia, atque adhortamentis animos cùm religioſæ iuuentuti; tùm ſoleſtiſſimo Rectori, qui educabat. Cui quidem Rectori, poſitis ad exactam quandam regulã ſpiritus, morumque regulariũ rudimentis, id deindè curæ erat, vt literis humanioribus expolirentur; nauabatque ipſemet his etiam vigilijs operam; atque ita latinis præceptionibus imbuebat, vt græca etiã lingua initiaret; vti dictæ identidem ab ipſis ad Antiſtitum, virorumque procerũ coronam græcè, latinèque orationes, quæ lucem aſpexerunt, teſtantur. In ipſa præterea Philoſophiæ, ſacręque Theologiæ ſpatia ingreſſus, inſigni profectò cum ingeniorum prouentu grauiſſima ea doctrinarũ ſtudia in Ordinem inuexit: planè, vt nihil ad abſolutiſſimæ Religionis laudem deſiderari in Ieſuatis poſſet. Ex hoc poſtea, veluti ſeminario tot virtutũ, ac literarum præſidijs inſtructi, in reliquũ per Galliam Ciſalpinam Ordinem amandati alumni fuere; qui tyrocinia & ipſi ad Romanã nempè normam, ac Vincentij Riccardi præceptiones, fundarunt; atque adminiſtrare ad eandem amuſſim cœnobia occœpere: nec deerant auxiliares noſtratum manus; præcipuè in ſcholis, in quibus, quoad Ieſuata eruditio adoleſceret, ac docendo eſſet, noſtri deſudabant. Et in Bononienſi quidem eorũ collegio prima ſui magiſterij ſtipendia Auguſtinus de Bellis, vir cum paucis doctus, fecit; moratuſque in erudito eo puluere diù eſt, tradendis diſciplinis occupatus. Iam verò, quod maximè ad cuiuſque Ordinis conſeruationem, atque incrementũ facit: optima, videlicet, regiminis forma, atque idoneo magiſtratu publicam rem adminiſtrari; hanc etiã partem cõplexus Riccardus eſt; ac poſtquàm, & capita, & capitum virtus abundè excreuiſſet, id ſibi conficiendum duxit, vt certa quædam regiminis ratio, ac ſpecies Congregationi conſtaret; ac magiſtratus cùm auctoritas, tùm tempus præſcriberetur. Ergò, eo agente, ab Hippolyto Cardinali Aldobrandino, qui Ordinis patrocinio ſucceſſerat, delata res eſt ad Gregorium Quintum decimũ Pontificem, qui præclarè etiam in rem Ieſuatorum animatus, datis ad diem ſeptimum, & vigeſimum Aprilis menſis Apoſtolicis literis, id ſtatuit, vt quę duabus tantùm prouincijs conſtabat Religio, in quatuor diuideretur: deindè, abrogato Duumuiratu, à quo procurata res cõmunis hactenus fuerat, eligi generalem Viſitatorem ad ſexenniũ iuſſit, cui & quatuor Definitores, vt vocant, rebus grauioribus conſultandis, expediendiſque adeſſent. Ac tùm quidem renunciatus ab ipſo Pontifice eiuſmodi moderator eſt, nempè Anſelmus Mediolanenſis, vir è Riccardi ſchola, prudentia, integritate, atque ipſo in primis cõmunis obſeruantiæ zelo inter paucos ſpectatus: qui quidem ita vniuerſæ familiæ procurationem, ac faſces capeſſiuit, vt pergeret ſuam prouinciam Riccardus. Quamquam, quæ eſt rerum mortalium conditio, dum præclara hæc Ordinis cõmoda tanta cum laboris contentione, ac laude nauaret, luctandum illi ſtrenuè cum eiuſdem Ordinis viris fuit. Enimuerò, vt ſupra innuimus, cùm plerique ex ijs, inueteratis œuo moribus addicti, ægrè nouas eas leges, ac mores, ſtudio quodã vetuſtatis ferrent; adſtrepere, conqueri, atque in ipſum potiſſimũ Riccardũ, quem auctorem putabant, adlatrare. Vti vi pectoris, atque inſigni conſtantia oportuit, qua ipſe Inuidiam, conatuſque eorum omnes fregit: continuauitque prouinciam

Tyronum modeſtia.

Pauli V. in ipſos ſtudium.

Ei Card. Aldobrandini.

Literis vacat.

Per reliquum Ordinẽ amandantur.

Altera in Cõgregatione regiminis forma.

In Riccardum obloquutio.

totos annos tres, & viginti, emenſus Protectores Ordinis Petrum Cardinalem Aldobrandinum, Scipionem Cardinalem Cobellutium, & Hippolytum Cardinalem item Aldobrandinum, cui cùm Cardinalis Franciſcus Barberinus ſubindè ſucceſſiſſet, rogaſſetque, vt ſubſiſteret vir egregius expoliendæ ſuæ Spartha, excuſauit is ſenium; & quòd abundè iam floreret inibi diſciplina morũ, ac ſanctitas; redijtque ad ſuos, optimè de ea Congregatione meritus, cui noua quædam facies ab inſtitutione, à literis, à regimine, atque ab omni obſeruantiæ regularis laude acceſſerat.

Hieronymi Pignatelli cum matre pugna.

Quid de eo Pontifex.

Vocant modò ſtylum, qui è Clericis Regularibus in Epiſcopales Infulas hoc anno euaſere. Hieronymum Pignatellum, è Cerchiaræ Marchionibus nobiliſſimũ, excellenti virum prudentia, noſtrique moris tenaciſſimũ, aliàs memoraui; quem in primis egregia cum affectu matris pugna, ac victoria in ipſo ætatis, ac Religionis tyrocinio nobilitanit. Teſtis incomparabilis conſtantiç, ac flagrantiſſimi eius ſpiritus fuit Gregorius Tertius decimus Pontifex, qui accerſito Romã Pignatello, vti in loco ſignificatũ eſt, præclarã eius in complectenda religioſa diſciplina mentem explorare ipſe voluit: admiratuſque adoleſcentis in tuenda ſua cauſa vim, ardoremque animi, ac linguæ, profeſſus poſtea eſt quibuſdam ex Auguſtis Patribus, adeò illũ in ſuſcepto conſilio firmũ; vt ab eius eloquentia ſe quoque in regulare inſtitutũ ſenſerit nonnihil inflãmatum. Is poſtea ea virtutum, ac morum laude floruit, vt inter præclara Clericorum Regularium nomina numeretur. Adhibitus tyronũ inſtitutioni, nihil illo in formanda eorũ diſciplina, ac indole accuratius. Domorum rectioni admotus, qua prudentia, ac grauitate eas adminiſtrauerit, illud edocet: nunquam, videlicet, magiſtratu vacaſſe; ac per omnes honorũ gradus peruenerat iam ad ſummũ Ordinis faſtigiũ. Enimuerò niſi Roſſanenſes Infulæ locum occupaſſent, in huius anni comitijs generali Congregationis Præfecturæ Hieronymum Pignatellũ Patrum iudicia deſtinauerant. Ergò

Roſſanenſi Sacerdotio admouetur.

dum Neapoli Sanctorum Apoſtolorũ Præpoſitum ſecundò ageret, renunciatus à Paulo Pontifice Quinto eſt Roſſani Archiepiſcopus, agente Hectore Pignatello, Montiſleonis Duce; Viro, qui raro inter principes nexu ſummã fortunam ſingulari cum animi innocentia miſcuit. Ferebat is in oculis Hieronymũ, babebatque in pretio; ac ſtudium adauxerat Hieronyma Pignatella, eius filia, collocata in matrimonium Fabritio Pignatello, Cerchiaræ Marchionis filio, Hieronymi nepoti; in cuius poſtea domũ ampliſſimæ Hectoris opes, ac tituli confluxere. Conſilium verò ornandi Archiepiſcopatus inſignibus virum egregium, quid altius, ac ſplendidius ſpectabat, quàm eſſet Roſſanenſis ea Cathedra.

Quo conſilio.

Nam qui ſumma apud Philippum Tertium Hiſpaniarum Regem gratia florebat Montisleonis Dux, ac tùm quidem honeſtiſſimæ in Galliã Legationi, ac deducendæ ad Ludouicum Francorum Regẽ Auſtriacæ coniugi deſtinatus fuerat; perſuaſerat ſibi, fore, vt tantorum conſpiratione, ac fauore Regum impetraret Gentili ſuo purpuram, ad quam munire viam Archiepiſcopalis dignitas videbatur. Faciliùs nanque Antiſtitem iam, quàm religioſo adhuc in habitu virum ampliſſimis Inſulis Pontifex honeſtaſſet. Et verò niſi maturiùs ceſſiſſet faro Hieronymus, peracta res erat. Nihilò tamen minùs non ſtatim præſtantiſſimi viri animũ ſpes purpuræ, ac ſplendor cepit. Etenim, vbi allatus illi nuntius, ſe ad Roſſanenſem Eccleſiam

Recuſat primo Cathedrã Hieronymus.

deſtinatũ, obluctari ſtrenuè, ac detrectare honorem viſus eſt. Se quidem, ait, religioſæ paupertatis cauſa hæreditarias opulentiſſimæ domus diuitias deſeruiſſe: quid nunc relictis votæ paupertatis opibus, Eccleſiaſticos prouentus, affectaret; curiſque ſe animorum implicari ſineret? Habere quidem Montisleonis Duci gratias: interim inſiſtere ſuo Inſtituto velle. Id quod moleſtiſſimũ Hectori: cùmque obfirmatum viri animum expugnare ſolus deſperaret, idoneum, qui vnà ſecum emolliret, ac flecteret, exiſtimauit Lucium Sanſeuerinum, Archiepiſcopum Salernitanum, inſigni Virum probitate, ac literatura, qui Roſſani ſedem dimiſerat, Hieronymi conſobrinum, virum planè ſupra cõmunem virtutem, ac purpuram, qua poſtea fuit inſignitus. Is auctoritate, qua valebat, iniectaque potiſſimùm religione, adhortari, atque vrgere vigore quodam Hieronymum: Scilicet, quando dignitatem ipſe non affectauerat, perſuaderet ſibi, vocatũ ſe à Deo: proindèque non obtemperare, ac refugere laborioſum, ac longe diuiniſſimum opus, haud conſentaneum religioſo viro eſſe: neque adeò cõtemnẽdas Chriſti oues, pro quibus Deus ipſe, non religioſæ vitæ tranquillitatẽ, ſed cœlũ deſeruit.

Poſte-

Poſtremò caueret, ne rationem redderet animarum, quarum tùm procurationem recuſabat. Proſequutus fusè argumentum Sanſeuerinus; cui dedit tandem manus Hieronymus: ſubijtque onus, ac vigilias Roſſanenſes incredibili cum approbatione Romanæ aulæ. Qua verò prudentia, zeloque, ac vitæ integritate curas illas adminiſtrauerit, dicam in tempore.

Alter, qui eodem hoc anno, eodemque Maio menſe inſignia Epiſcopatus induit, fuit Paulus Palumbus, Neapolitanus, non mediocri vir literatura: vt qui erudito in puluere aliquandiù verſatus, Philoſophica, ac Theologica profeſſus cum laude eſt; valuitque etiam ſacra eloquentia. Neapoli ſummo loco erat; & quem doctiſſimũ perindè, atque eximia inſtructum prudentia nouerant, illum paſſim cùm in priuatis, tùm in publicis negotijs conſulebant viri proceres. Eius potiſſimùm opera, doctrinaque vtebatur Lemenſium Comes, qui Neapolitanum Regnum pro Rege moderabatur; vt non modò quæ ad Eccleſiæ iura, aut conſcientiæ tranquillitatem ſpectarent, ſed præcipua etiam momenta rerum cum eo communicaret; vendicabatque ſibi non mediocrem curarũ publicarum partem Palumbus. Honeſtandum meritis Inſulis Viri eruditionem, ac probitatem duxit Lemenſis Prorex: valueruntque mox eius apud Paulum Quintum officia; vt ſumma cum ipſius voluntate Veſtanæ Vrbis in Sipõtina Diœceſi, cuius vacabat tùm ſedes, appellatus Epiſcopus fuerit. Hęſitque huic ſponſæ inſigni quidem cũ laude ſolertiæ, ſed non diù. Etenim in Hiſpaniam grauiſſimi cauſa negotij ea in aula tranſigendi amandatus anno huius ſeculi decimo ſeptimo, ita excellentis eùm doctrinæ, tùm virtutis adiumenta regijs adminiſtris, Regique adprobauit; vt ſummorum capitum iudicia ſplendidiore dignum Cathedra exiſtimauerint; ornatuſque eſt Caſſanenſibus Inſulis, quæ & cenſibus, & diœceſis amplitudine non poſtremæ in Regno Neapolitano ſunt. Immigrauit ad eam ſtatim vigiliam; quã cùm ſingulari quadam ſolertia, zeloque indigere intelligeret, viſus ipſe, nullam optimi Antiſtitis partẽ prætermiſiſſe. Rexitque diutiùs eam ſedem; quoad confectus ſenio, cùm ingentibus ijs curis minùs ſufficerent æui vires; æquam humeris, ac longè mitiorem prouinciã ſubijt, nempè Ariani Sedem huius ſeculi anno ſeptimo, & quadrageſimo; quò antequàm ſe transferret, in Caſſanenſi diœceſi ſpiritum poſuit.

Paulus Palumbus vir doctus.

Lemenſium Comiti percarus.

Veſtanus Epiſcopus dictus.

Mox Caſſanenſis.

Poſtremò Arianenſis.

His addendus Thomas Sãfelicius è patricio Neapolitanorum ordine, vir doctus, qui dũ non vulgari cũ laude ingenij Theologiam Neapoli in D. Mariæ Angelorum cœnobio hoc anno profitetur, Decembri Menſe vocatus Romam eſt à Paulo Quinto, ac Montis Peluſii [in Lucania ſita ea Ciuitas eſt] Epiſcopatu cohoneſtatus. Qua quidẽ dignitate initiatus, nihil Romæ, parum Neapoli moratus, nihil prius habuit, quàm in demandatæ ſibi Eccleſiæ munus inuolare: gnarus, non ſuis, ſed ſuarum ouium commodis illa non tàm honoris, quàm laboris inſignia induiſſe. Quo ſtudio eam procurationem ſuſceperit, alia ſtatim Eccleſiæ facies, alius ſacrorum cultus, emendati itidem, alijque Cleri mores indicarunt. Deceſſit in ea Sede peracerbo ciuium luctu, eò vel maximè, quod immaturius videri fatum potuit Viro, qui ab æuo, robuſtaque corporis habitudine ſpes poterat inchoare longas.

Thomas Sanfelicius, Mõtis Peluſii Eccleſiæ imponitur.

In hoc autẽ Epiſcoporũ cenſu nõ diſſimulandus Paulus Toloſa, ſepè memoratus, qui Bouinenſi Eccleſiæ ab anno huius ſeculi primo cũ præfuiſſet, in Theatinam Archiepiſcopalem Cathedram hoc etiam anno Decembri menſe immigrauit. Vocatus eò fuit, vt vigiliarum, atque eloquentiæ fructum vberiorem ibi colligeret. Latior ſiquidem campus, ac ſuę culturæ opportunior. Quanto verò cùm Bouinenſium mœrore, ac deſiderio id acciderit, coniectari facilè is poterit, qui Toloſæ in eos ciues affectum ſupra patrem nouit. Planè nullis non officiis, ac laboribus gentem illam longo eo temporis curſu demeruerat; à manu, à lingua æquè munificus. Conciones indefeſſo quodã ſpiritu, contentioneque dicendi, nunquã omiſerat. Illud in magno illo Eccleſiaſte planè admirandum; quòd cùm ad ruſticos, plerumque dicere oporteret, ita peregrinę dictionis facultatem ijs attemperabat: vt & ad colonos, eorumque opera, ac mores illibata eloquentiæ maieſtate deſcenderet; & altiſſima quęque religionis myſteria planiore quadam facundia ad eorum captum deduceret. Id quod viri, quibus audire interdùm illum, Bouini ad multitudinem perorantem, contigit, admirari nunquam ſatis poterant. Porrò Toloſæ, quando diuino quodam inſtinctu mutanda ſedes

Paulus Toloſa ad Theatinũ Archiepiſcopatũ tranſit.

Quo Bouinenſium ſenſu.

fuit

fuit, placuit ea Theatini Præſulis nomenclatio, inſtaurata, videlicet, Sanctiſſimi Pontificis Pauli Quarti Conditoris noſtri memoria, qui eam appellationem diù geſſit; gratulatuſque eſt optimus Antiſtes, eſſe tùm quidem profeſsione, ac dignitate Theatinum.

Poſt hæc Antiſtitum nomina duo hic etiam recenſendi, qui ſub id tempus publica ſuſcepere Religionis vota, ac poſtea in Epiſcopos & ipſi euaſere, dabitque pauca dũtaxat eorum lineamenta ſtylus, daturus integram in tempore effigiem. [Clemens Pectius dat ſe Religioni.] Clemens Pectius Neapolitanus, nobili genere, Mediolani hoc anno ritè vouit. Humanis deindè, diuiniſque literis eruditus, in dicendi facultate progreſſus habuit, planè non mediocres. [Eius eloquentia.] Teſtantur ſolidam, ac frugiferam viri eloquentiam præcipuæ Italiæ Vrbes, in quibus per annum, atque in ipſis præſertim magni ieiunij ferijs declamauit, nunquã ſine mortalium approbatione, pietatiſque compendio. Prudentiam verò, atque in agendo dexteritatem ardua ſanè, quæ adminiſtrare feliciter contigit, negotia cõmonſtrarunt. [Legatur in Germaniam ſemel.] Apud Aulicum Ferdinandi Cœſaris Cõſilium Chriſti anno octauo, & trigeſimo intentata Annæ Caraſæ, Hoſtiliani Principi, Ramiri Guſmani, Medinæ à Turribus Ducis, Neapolitani Proregis Coniugi de Sabionetæ ditione lis fuit. Allegandus in Germaniam cũ eſſet vir ſtrenuus, qui cauſam vi iudicij, ac ſolertia propugnaret, Pectium, à ſedulitate, à fide, à facundia abundè ſibi notum deſtinat Medina. Agendum cũ aduerſario, viro principe, qui gratia, atque auctoritate apud Cœſarem cùm valeret plurimũ, vt qui affinitate etiam coniunctus cũ eo eſſet, deſperauerant prudentes quique viri negotio: [Ac iterum.] quòd ille nihilominùs ea induſtriæ laude, vigoreque adminiſtrauit, vt palmam non ſine eius aulæ admiratione, ac plauſu Neapolim retulerit. Profligata verò ſemel controuerſia, ardere iterùm veluti è buſto cœpit. Ergo iterũ in Germaniã [Et tertiò.] Pectius, vt iiſdem artibus rem conficeret: quod fauſtè accidit, reuexitque æqua laude alterum mox triumphũ. Sed nec bona fide conſopita tũ quidem lis. Nam quæ erat aduerſæ partis potentia, ac efficacia, vſque adeò pulſare Cœſaris animum inſtitit, vt id tandem impetrauerit, vt cognitam, atque adiudicatam non ſemel cauſam, recognoſceret aulicum Conſilium. Quocirca aggredi notum iter, ac tertiò Germaniam petere Pectium oportuit, non impare planè ſucceſſu. Re nanque peracti examine excuſſa, obſignatum decretum fuit, Annam Hoſtiliani Principem, Iſabellæ Gonzagæ [Renunciatur Epiſcopus.] filiam, Sabioneti iure dominam. Quo tandem perorata omninò cauſa. His quàm feliciſſimè peractis, non modò Neapolitani Proregis, atque ornatiſſimæ Coniugis, ſed Catholici ipſius Regis gratiam promeruit Pectius. E re ſiquidem Hiſpanæ potentiæ erat, muntiſſimam opportuno in Italiæ ſitu arcem penes ſubditos ſuos eſſe. Eapropter ob rẽ benè geſtã decreuit Philippus Rex, vt quæ primò vacaret in Regno Neapolitano Epiſcopalis ſedes, Pectio tribuerent. Interim vt eo, quo poſſent modo Hoſtiliani Principes vices viro benemerentiſſimo rependerent: Porphyrienſes, nempè titulo tenus Infulas, attributo ipſi cenſu annuo, ab Innocentio Pontifice Decimo impetrarunt; [Eius in Germanica legatione modeſtia.] quoad Aquilanus ſubindè Epiſcopus eſt renunciatus: vndè, quòd frigidiſsimus ibi aer, ac cœli intemperies læderet affectum corpus; ad Stabienſem mox Eccleſiam tranſlatus. Porrò quoties adire Germaniam Pectium, contigit, diuertere ad Barnabitas Patres voluit, quibuſcum Viennæ atque alibi cõmoratus, ſingularis modeſtię, religioſæque diſciplinæ in tot negotiorum, aulæque auocamentis ſpecimen dedit. vti Damaſus Cardoſus vir è Barnabitis integerrimus, compoſitis ad noſtros literis diſertè teſtatur. Quod ipſum fusè, ac candidè Gregorio Caraſæ Præpoſito Generali ſignificauit Apoſtolicus ad Cœſarem Nuncius Baglionus, qui ſumma illum beneuolentia complexus, ſuis etiam à concionibus renunciauit; dixitque is Cœſareo in Sacello non ſemel in orbem, vti mos eſt in Germania. [Sacellum B. Caietano dedicat.] Regit nunc eximia integritate, prudentia, zeloque animorũ Stabienſem Eccleſiam: nec ſtudium in rem Theatinam abrupit. Neapoli ſiquidem in Mariana noſtra Eccleſia à Victoria ſacellum Sanctiſſimo Parenti Caietano Thienæo Pario, varioque marmore, ſumptu quidem non exiguo nuper exornauit, dedicauitq. in quo ſuperſtes non tàm eius nomen, quàm præclara in Thienæum religio, atque in noſtrum, ſuumque Ordinem beneuolentia ſemper erit.

[Franciſcus Surgẽtius Archiepiſc. Brũduſinus, & Epiſc. Monopolitanus.] Superiore verò anno Romæ in D. Andreæ templo ſolenni ritu vouerat Franciſcus Surgentius, Patricij Ordinis Neapolitanus. Is procurante ſummo iure rem Neapolita-

nam Duce Alcalenſi, ita eius gratiam præclaris animi partibus occupauit, vt eo agente, honeſtatus Philippi Quarti iudicijs egregiè fuerit, admotus ad Brunduſinam primū Eccleſiam, mox ad Monopolitanam. Et Brunduſinam quidem, quę nonniſi Hiſpanis concedi ſolita, mirū ſanè videri potuit, commendatam viro Italo: vt argumento fuerit, deſtinatum peculiari quodā inſtinctu Numinis ad Eccleſiarum rectionem Sutgentium. Et verò vtramque eā Inſulam ſucceſſiuè ita adminiſtrauit, vt & præclara ſuæ vitæ conſuetudine, & modeſtiæ laude, & ſingulari in pauperes charitate, & cōmunis pietatis ſtudio, & tuendi Eccleſiaſtici iuris zelo impleuerit profectò Epiſcopi partes omnes peregregiè. Nihil illi potius, quā illibati Eccleſiaſticorum mores; mulctare, emendare ſtrenuè, ſi quid vitij faceret diſciplina. In Eccleſiæ cultu planè magnificus. In egenos profuſior. Sui ſacerdotij prouentus non ſuos, ſed pauperum putabat, quibus præſenti erogatione ita aderat, vt nunquam aliquid congeſtæ pecuniæ domi eſſet, audiebatque Monopoli Pauperum Pater.

Fius in Epiſcopatu partes.

Deriuare hanc munificentiam & in ſuum Ordinem voluit. Nam præterquamquòd excipere noſtros hoſpites perquā liberaliter, ac retinere diutiùs domi ſolitus erat, fouere etiam pecunia, atque annona quædam etiam ex noſtris domicilijs conſueuerat: ac non ita multò antequā fato concederet, Bituntinis quidem Patribus exornando templo icones ſuas omnes, quæ non paucæ, nec exigui pretij; Barolitanis verò bibliothecam, conſignatis publicis tabulis, donauerat. Quæ quidem ſucceſſu donationes caruere, inopinato videlicet eius obitu, aliquot duntaxat libris Barolū translatis.

In noſtros beneficentia.

In tuenda verò Eccleſiaſtica libertate acerrimus. Monopoli ne quid acciperet detrimenti res Eccleſiæ, obijcere vim pectoris incomparabilem, luctari, implorare Romanam opem, ac fidem; non auro parcere, non iram, virorumque principum inuidiam pertimeſcere. Commendatus non ſemel Romæ ampliſſimis verbis is eius zelus. Eandem ſanè infractæ indolis conſtantiam, perturbata inteſtinis ſeditionibus re Neapolitana obiecit. Cùm alibi, tū Monopoli acriùs, excuſſa obedientia, ſæuijt multitudo. Adire Antiſtes ad factionis capita, adhortari, comminari intrepidè, propugnare ſumma fide Regis partes: planè vt perhonorificum ab regijs adminiſtris encomium tulerit. Sed hæc in loco fuſiùs.

Et eccleſiaſticæ libertatis zelus.

Dum ſuas oueſtanta cū ſolertiæ, ac munificentiæ laude procurat Præſul optimus, exeunte ſuperiore anno quinquageſimo primo; correptus præcipiti quodam morbo, breui moritur: quo luctu, ſenſuque ſuę Vrbis, coniectari is facilè poterit, qui ciuium in ipſum beneuolentiam, ac ſtudium nouerat. Viſus planè momento ereptus publicus Parens, ac commune perfugium: debentque profectò noſtri homines ad memoris animi ſpecimen viro benemerentiſſimo perenni elogio parentare.

Peracerbaviri mors.

Hi quidem ex Ordine, aucti Inſulis migrarunt; è vita verò, atque è rebus humanis non pauci; & ex ijs egregia virtute, ac fama plerique hoc anno exceſſere. Syluius Brunus, Salentinus, ineunte ſtatim anno, Ianuario menſe, mortalitatem exuit, à ſingulari diſciplinæ obſeruantia, à vitæ quadam auſteritate, à peculiari in inſtituendis mortalibus facultate, à zelo animorū cōmendatiſſimus. Bononiæ, vbi in fundando cœnobio egregiam operam poſuit, cōmuni etiā pietati eximia cū laude, fructuque ſtuduit, vt opinionem virtutū non exiguam collegerit. Mantuæ cū omniū ordinum beneuolentiam eximijs vigiliis, zeloque pietatis demeruit, tùm in primis Margaritę Gonzagæ, Ferrariæ Ducis; cuius conſcientiæ admotus, qua deindè apud ipsā exiſtimatione, atq. auctoritate valuerit, fusè aliàs docuimus. Inclyti item eius domus Principes, præcipuè Vincentius, qui tùm rerū potiebatur, inſigni voluntate, ac ſtudio Syluium cohoneſtarunt; qui in eà Ciuitate piiſſimè occubuit, tanta cū illarum gentium opinione, vt eius certatim effigiem pingendam ſibi curarent, veluti integerrimi, atque in omni virtutū genere abſolutiſſimi viri exemplar.

Syluius Brunus excedit è viuis.

Huius mortem excepit Laurentij Felini, Cremonenſis fatum. Aprili ſiquidem menſe dū Bergomi in principe eccleſia ſingulari cum omnium approbatione conciones haberet, æterno ſilentio conticuit; cōmutauitque cum tumulo pulpitum. Factus is videbatur ad publicam eloquentiam concentu quodam partium, quæ abſolutum ſuis numeris Oratorem faciunt. Nihil in eius dictione remiſſum, ac fractum: nihil ad aurium illecebrā; virile, ac neruoſum illi declamandi genus; ac nullum profectò in ſcelerum cladem certius telū, quā quod grandi quadā voce, ac firmitate laterum incredibili eiubrabat è ſuperiore loco Felinus. Teſtes

Fr. Laurentius Felinus.

Verbi Dei præcо eximius.

Italiæ populi, ad quos nunquam ſine fruge, ac compendio pietatis dixit. Accedebant viro eloquentiſſimo & doctrinarum præſidia, vt qui in ſcholis diù verſatus, ſedulam tradendis ſcientijs operam nauauerat. Planè robuſtiore adhuc ſpiritu, ac æuo ſublatus, non mediocri cum noſtro Ordini, tũ cõmuni religioni incõmodo, ac mœrori fuit. Sed geminatum eiuſmodi hoc anno vulnus: defuncto ſimilis quidem literaturæ, ac facundiæ viro, ſed cui longè ſplendidius theatrum contigit. Fuit hic Ludouicus Thomaſius, qui poſtquàm præcipuas Italiæ Vrbes victrici quadam eloquentia peragrauit, viſus tandem Romæ triumphaſſe. Enimuerò cùm deligendus Eccleſiaſtes eſſet, qui ad Summum Pontificem, Auguſtumque Senatum ſtatis ferijs de more peroraret; in excellentium, ac primæ notæ Oratorum certamine palmam Thomaſius præripuit; lectuſque præclaro muneri eſt à Paulo Pontifice Quinto. An loci maieſtatem, aureſque ſummi gentium omnium Principis, atque ampliſſimi Senatus ſua facultate, ac voce æquauerit vir diſertiſſimus, acerrima Romanæ aulæ iudicia, ac ſumma ipſa hominum capita, quæ pendere à dicentis ore videbantur, teſtata abundè ſunt. Procul à viri oratione phaleræ, ac pompa. Grandius detonabat pondere quodam ſententiarum, ac ſolidis priſcorum Patrum ſenſibus: ineratque præſertim idonea ſubeundis, tractandiſque animis popularitas: nerui deindè in dicendo, robur, ac vis ardens audientium pectora miro quodam impetu commouebat: vt nihil facilius eſſet, quàm flecti in quamcumque ipſe partem vellet. Dilaudanda hic etiam in tanto muneris ſplendore, ac Quiritium plauſu Viri modeſtia. Nullum indè ſibi commodum, aut diſciplinæ laxamentum deriuaſſe, voluit. Nihil ſibi, nihil ſuis, pluries licet à Pontifice ipſo interpellatus, petere: aula, conſpectuque Principis abſtinere: vt monendus ab eo fuerit, adiret identidem; ſciretque, audiri ſe publicè, ac priuatim pronis auribus. Quæ quidem præclara inuitamenta cùm nihil de inſigni humilitate decerperent, ſolidæ cuiuſdam virtutis argumento erant. Dum Patris Generalis Conſultorem in Quirinali domo ageret, extremo Septembri correptus morbo eſt: &, vt rarò Autumni dies decumbentibus ſalutares, die Octobris ſecunda, procuratis ritè ſacris, peracerbo cum noſtratum, ac Romanæ etiam aulæ ſenſu è rebus humanis exceſſit. Quem præiuerat in eodem cœnobio non ita multò ante, hoc eſt, Auguſto menſe, non vulgaris quidem virtutis, ac nominis frater Laicus; nempè Blaſius Bottus, Piſtorienſis. Valebat hic potiſſimùm pingendi arte, ex ſchola olim Danielis Volaterrani, qui Michaeli Angelo Bonarotæ operam dederat; ſamamque ſibi excellentis artificis comparauerat. Et Blaſius quidem magiſtrum ad vnguem expreſſit, ac penè vicit; eratque Romæ in omnium exiſtimatione: vt Ioſeph ipſe Arpinas, & Pomarantius, prima, videlicet, pictorum nomina, eius & ſuſpicerent tabulas, & artis documenta plurimi facerent. Extant in noſtro Quirinali cœnobio pleraque eius operum monumenta, in quibus eſt profectò, quod primarij ipſi artifices imitentur. Sed non hæc præcipua viri pijſſimi ſtudia, cui non tàm animare arte, ac coloribus telas, quàm lineamentis, formiſque virtutum pulcherrimarum ornare animum, curæ erat. Elucebat in externa ipſa fronte, ac geſtu pietas. Cùm cœlites omnes, tùm maximè Auguſtam ipſam Virginem peculiari quodam ſtudio, affectuque venerabatur: adeò vt nullam non eius effigiem, pingui licet ſchemate, manuque conformatam, intimè coleret. Emendare ſuis illas lineamentis ſolitus erat: ac tùm quidem non tàm ab artis elegantia, quàm à ſingulari quodam ardore animi ea appingi pietas figuris videbatur, vt afflaret ſtatim, caperetque intuentium animos deuotio. Quas autem ipſe Deiparæ imagines pingeret, aut minio expoliret: (nam & hac etiam miniandi facultate ad miraculum valuit) arcanam vim quandam, animorum dominatricem, præferebant: vt nihil eſſet Marianis ijs lineamentis conciliandæ in tantam Virginem religioni efficacius. Expetebantur proindè iſtiuſmodi certatim tabulæ, erantque æquè pijs viris ab ſenſu deuotionis, ac eius artis cupidiſſimis à venuſtate operis in pretio. Otio nihil Blaſio infenſius. Ad ignem, vel cùm maximè ſæuiret hybernum cœlum, calefieri, deſidis, otioſique id eſſe animi reputabat: ac tùm quidem laborioſa quæque obire exercitia, atque aſportare onera ſolitus erat: ſic hyemem labore frangi, atque optimè propulſari, aiebat. Externa domus miniſteria ea quidem contentione, alacritateque aggredi, ac vorare; vt in Sociorum etiam curas inuolaret; nũnquam viſus defatigari,

Fr. Ludouicus Thomaſius.

Pauli Quinti à ſacris concionibus.

Eius eloquẽtia

Et modeſtia.

Moritur item Blaſius Bottus.

Pingendi arte conſpicuus.

Eius in Virginem pietas.

Otij fuga.

vel

vel in ſuprema ipſa ſenectute Illud planè admirandum. A quodam morbo, atque
ab aſſiduis etiam laboribus ita affici dextrum illi brachiũ contigerat, vt iam vſu, mo-
tuque omni prorsùs careret. Moleſtiſſimus viro impigro morbus, cui tamen dare
manus noluit: Communes ſiquidem labores, fullonicam præſertim mira quadam
ſedulitate exercebat; vt dum alij dextera, ſiniſtra ipſe in opus incumberet. Romano
illi viro perſimilis, cui dextrum item brachium ita obtruncatum in bello fuit, vt ſini-
ſtro deindè quater cum hoſte conflixerit. Ab externis verò eiuſmodi laboribus quic- Orationis ſtudium,
quid otij ſupereſſet; etſi fragmenta, ac minuta quædam temporis ramenta videban-
tur, precibus dedicabat: quarum ſtudio vehementer addictus; ijſque nocturnas præ-
ſertim horas, vt attentiùs oraret, ſeponebat. Inerat præterea peculiaris quædam in
maiores, æqualeſque reuerentia, quæ ſummã illi omnium beneuolentiam, amorem-
que conciliabant. Eximia item illi in fratres charitas. Adeſſe nullo delectu, atque Et charitas.
inſeruire omnibus: Ad hæc, diſciplinæ, ac priſci moris retinentiſſimus: quod eoprę-
ſertim documento declarauit. Integumentum capitis laicis noſtris rotundũ quidẽ, Veteris diſciplinæ tenax.
ſed planum à primo fuit; quod poſtea tractu temporis, veluti quid obſoletum, cõmu-
nique conſuetudini minùs conſentaneum, mutari oportuit. Blaſius, cui antiqui mo-
res, externuſque etiam habitus cordi erat, id à maioribus impetrauit, vt pileum reti-
neret: quamuis probè cognoſceret, fore, vt mutata in cæteris teſſera, inſolens illud pi-
lei genus, riſum omnibus moueret. In quo quidem & eximiã quandam animi demiſ-
ſionem adprobauit: viſus profectò tanti facere humilitatem, vt, velnti coronamentũ
aliquod, geſtaret illam capite. Vixit ad profundam vſque ſenectutem vegeta ſemper
corporis habitudine: ac ſeptnagenario maior depoſuiſſe potiùs vitæ pondus, quàm
mori, viſus eſt. Adfuit expiranti Eliſæus Nardinus, vir ſapientiſſimus, qui eius obitum Nardini de eo teſtimonium.
vberrimo fletu, atque ijs præſertim verbis excepit: Iacturam non ſanè mediocrem
feciſſe tùm quidem Ordinem, erepto Blaſio, quocũ pauci omninò eſſent in Congre-
gatione humilitate, pietatis ſtudio, diſciplinæ zelo comparandi. Illud à religioſiſſi-
mis viris luculentum etiam de eo teſtimonium. Alumnus ſanctiſſimi Philippi Nerij Et Oratorij Patrum.
Blaſius fuerat, ac familiaritatem deindè cum Oratorij Patribus continuauerat: vt, &
inuiſeret ipſos ſæpè, & ab ijs viciſſim peculiari voluntatis ſignificatione ornaretur.
Ergò, eo defuncto, proſequuti Patres intimo quodã animi ſenſu mortem ſunt, quam
inſigni cum virtutis elogio in publica ipſa cœnatione Præpoſitus ipſe euulgauit; ac
perindè quaſi vnus quiſpiam è ſua Congregatione obijſſet, ijſdem omninò ſacrificijs
cohoneſtarunt. Sed neque hic diſſimulandũ inſigne optimi viri ex noſtris de Blaſij
virtute, adhuc ſuperſtitis, iudicium. Fuit is Thomas Gueuara, notiſſimum à ſolida Et Thomæ Gueuaræ,
virtute nomen, qui ſub ipſis Panormitani cœnobij, cui præerat, initijs, cùm ad Reli-
gionis habitum fratrem quendã laicũ admitteret, mutandumque de more nomen
eſſet, Blaſium appellandũ, iuſſit: monuitque ea illum nomenclatione affeciſſe, vt ad
abſolutiſſimi cuiuſdam Viri, qui Romæ degeret, imitationem prouocaret: tùm Blaſiũ
Bottum, quo de loquebatur, à ſui contẽptu, à modeſtia, à religioſæ obſeruantiæ zelo,
atque ab eximia pietate cõmendare fusè, ac disertè inſtituit. Quod ſanè ad viri lau-
dem non mediocriter facit. Illud poſtremò loco apponimus, quod Angelus Maria
Adimarius, laudatiſſimus ex noſtris ſacerdos, ſibi accidiſſe, teſtatus ex fide eſt. De- Et Angeli Mariæ Adimarij.
cumbebat is peracuta ex febri; cùm fungi vita Blaſiũ contigit: & qui addictus magno-
perè boni Senis virtuti erat, inflammari acri quodã deſiderio ſenſit, conſpiciendi, antę-
quàm ſepulturæ mandaretur, exanime corpus. Neque adeò valuit mali vis, vt ipſum
detineret, quominùs accederet. Ergò duobus ex noſtris innixus, adijt; ac pijſſimi
fratris pedes complexus, atque inter lachrymas exoſculatus, id etiam ab eo poſtula-
uit, vt quando pro cõperto haberet, frui iam Deo, ſalutem ſibi impetraret. Neque
fruſtra preces fuere. Nam qui paulò ante aliena ope aduenerat, ita incolumis redijt,
ac ſi nunquam ægrotaſſet: ac poſtridie manè fecit pro amantiſſimo fratre ad aram;
planè non ſine cõmuni admiratione; cùm non is eſſet morbus, qui ſolui momento,
niſi diuinitùs, poſſet.

Atque hæc huius anni inſignium virorum funera, quibus quidem, quod gradum An. Dom 1616.
ad conſequentem annum facimus, annectenda & ea ſunt, quæ hoc ſubindè tempore
acciderunt. In Neapolitana Sanctorum Apoſtolorum domo obijt ſexta, & vigeſima

Io. Franciſcus de Ponte diē obit ſuum.

Iunij menſis die Ioannes Franciſcus de Ponte, Neapolitanus, vir Senatorius, primiquē ſubſellij, & quà ingenij laude, quà ſcriptis monumentis, quà geſtis in vtraque Heſperia magiſtratibus, quà ciuili prudentia longè ornatiſſimus. Perſonam quidem egit in theatro multiplicem, nunquam ſine plauſu; ac nunquam ſanè laudabilius, quàm in extremo actu, cùm poſito faſtu, religioſum virū egit. Ipſa ſtatim doctrinæ ru-

Eius doctrina,

dimenta quantus in Neapolitanis iudicijs futurus is eſſet, cōmonſtrarunt. Emenſus nanque ciuiliū ſtudiorū ſpatia, ac patrocinando mox iuri addictus, vt ſingulari eruditione, ac vi mentis, ita facultate eloquentiæ in tractandis controuerſijs præſtare alijs, videbatur. Forenſi in hac arena exiſtimationem, famāque nominis collegit non vulgarem; dignuſque mox habitus, qui publica obiret munera. Ac primò quidē Regię,

Et magiſtratus

vt aiunt, Cameræ Præſes, quæ honeſtiſſima Neapoli eſt magiſtratus appellatio, renunciatur: probauitque in eo gradu ſedulitatem, ſolertiā, mentemque rerum capaciſſimā. Quarè vocatus in Hiſpaniam à Philippo Secundo Rege, admotus ſupremo Italię conſilio eſt. Quo in munere cùm nullis conſultiſſimi adminiſtri partibus deeſſet, & aulæ iudicia, & Regis gratiam breui ſibi deuinxit. Defunctuſque ijs curis, auctus fama, ac titulis, primarū partium ſenator Neapolim redijt; renunciatus nempè Collateralis, vt aiunt, Conſilij Regens, cuius poſtea decanus fuit: eaque auctoritate, ac potentia ab eo munere valuit, vt cuncta propè Neapolitani Regni conſilia adminiſtraret Mutconis Marchio; nam & hanc etiā ex Hiſpania appellationem retulit. Hoc illi in hac

Et in ijs obeūdis ſedulitas.

officiorū procuratione planè admirandū: conſtanti quodam ſpiritu, ac aure ita publicæ rei adeſſe, vt nulla vnquam negotiorum mole obrui, aut aliquod præſeferre vultu, geſtuque faſtidiū, videretur. Vegetari laborioſa rerum tractatione mentem, ac vires corporis, putabat: tantùm abeſt, vt factum ad aliorum cōmoda, virum præſtantiſſimū detereret, aut afficeret aliqua ex parte labor. Externis verò dum vacat, ſtudiorum contentionem, quæ ſedatū alioqui animū poſcunt, nunquam remiſit. Nam de feudis in publico gymnaſio prælectiones identidem habere; quæ princeps Cathedra, & nonniſi iuris Antiſtites, ac primæ togæ materiā interpretantur. Ad hæc, cōmentarijs

Et ſcriptorum monumenta.

publicæ vtilitati lucubrandis inſiſtere: ac percelebrè ſanè eſt ab eruditiſſimis ſcriptorū monumentis inter legū interpretes, ac iure conſultos Ioannis Franciſci de Ponte nomen. Edidit, antequàm noſtræ Congregationi ſe daret, hæc, comprehenſa ſingulis voluminibus, opera: nempè, Conſiliorū Centuriam. Deciſiones Supremi Conſilij Italiæ. Repetitiones Feudales. Iuris Reſponſum ſuper Pauli Quinti cenſura contra Venetos. De Poteſtate Proregis Neapolitani, & Collateralis Conſilij, ac de Regni Regimine. Poſtquàm verò cooptatus in Ordinem eſt, ſtudiorū veluti reliquias, ne videretur vel in ſuprema ſenectute vacaſſe, typis, ac luci dedit: hoc eſt, Conſiliorum

Conſiliū abdicandi forenſes curas.

volumen alterum, centū, & ſexaginta conſilijs conſtans. At enimuerò qui non aliorum duntaxat curis, ſed ſibi etiam, ſuiſque natum ſe cōmodis nouerat vir prudentiſſimus, recognoſcere vitæ ſuæ rationes cœpit; & qui non ita ſecundis ventis enauigauerat, quin pelagi interdum minas, vndarumque impetus expertus fuerit, contrahere vela, antequàm diuerberarent acrius noui fluctus, optimum factu duxit. Dum

Quod voto firmat,

hæc animo peruolutaret, correptus cōmodùm graui morbo eſt, ac penè cōclamatus: & quod nihil efficacius mouet, quàm inſtantis fati metus, quod de cōmutanda vitæ ratione agitauerat, voti ſacramento firmauit: ſtatuitque ſi conualeſceret, abdicatis ſummi magiſtratus inſignibus, receptui canere. Reſtituta dein ſalus: idque potiſſimùm deliberationem, votumque maturauit, quod ipſemet in Cōmentario de auctoritate Proregis epiſtola ad Lectorem narrat. Appellatum nempè ſub id tempus Maximū Pontificem Alexandrum Cardinalem Mediceum, qui, vt Chriſtiano Orbi ſumma indole fauſta pollicebatur, ita affinitate, quam Horatius de Ponte, Padulæ Marchio, eius filius cum Cardinali contraxerat, nonnihil in cognatam eam domum ſplendoris, opumque deriuaſſet. At nihil Suprema hac Medicei Inſula breuius. Enimuerò, explicata vix tanti Principatus ſcena, raro quodam fluxæ mortalitatis documento, quam ſuſceperat repræſentandam ſummi Patris perſonam, dies intra ſeptem, & viginti ſtatim exuit. Quo quidem præpropero rerum exitu, obiecta Ioanni Franciſco humanæ fabulæ inconſtantia, & vmbra eſt; & qui ſecum ipſe conſtituerat, quicquid eſt publicæ dignitatis abijcere, feſtinauit contemptu quodam, & quàm potuit citiùs per-

ficere conſilium. Itaque petere à Philippo Rege dimiſſionem; quam, arduum licet eſſet, à prudentiſſimo Principe impetrare; qui nouerat excellentium adminiſtrorum vbique inopiam, & caritatem: attamen cùm iterum, ac ſæpè, ac precibus infimis poſtulata inſtauraſſet, poſt annum tandem obtinuit. Interim initiari ſacris voluerat, vt ſuis ipſe litationibus placaret ad aram Numen: quo viſus proximè quidem ad ſtationem, portumque acceſſiſſe; non autem ſubduxiſſe omninò ſe pelago, ac fluctibus. Itaque cedere ſeculo, ac diuino ſe ſe obſequio mancipare, nuncupatis religioſæ diſciplinæ votis, apud animum ſuum ſtatuit. Profundæ quidem ætatis iam erat; quippè qui ſecundum ſupra ſeptuageſimum annum ageret: proindèque non eas afferre vires nouerat, quæ ſtrictiori vitæ, regularique obſeruantiæ ſufficerent. Attamen quòd ſuppleret œuum alacritas, atque ardens Deo ſeruiendi ſtudium; non ſenium, non corporis incõmoda, ac diſciplinæ rigor animatum egregiè virum terruit. E ſacris Ordinibus noſtrum delegit, quem Petrus Antonius de Ponte, eius filius, Troię deindè Epiſcopus, doctrina, eloquentia, moribus ornauerat. Habitum flagrantiſſimo quodam ardore animi in Sanctorum Apoſtolorum domicilio poſtulauit; viſumque Patribus, eius exiſtimationis, ac nominis virum ex animo complecti; vt qui tantum in ſuprema ætate ſolidę virtutis ſpecimen daret: putaruntque, fore, vt adderet noſtræ iuuentuti ſtimulos demiſſa ad Theatini Inſtituti mores, cultumque modeſtiæ præclara ea canicies, ac perſonæ dignitas. Admiſſus, peculiari Maximi Pontificis facultate tyrocinium ſemeſtri abſoluit; nuncupauitque publicè vota in eadem domo, plaudente ad ſummi Viri conſilium, ac præclaram mentem Neapolitana nobilitate, quæ admirari maximoperè videbatur, innutritum faſcibus, ac dominationi virum, non modò vtcumque abdicaſſe, ſed ſeueriorem viuendi formam religioſo in habitu deuexæ id ætatis, quæ maximè humana ope, ac præſidio indigebat, delegiſſe. In eo porrò religioſę diſciplinę ſtatu nactus animi quietem, reſpirare poſt exantlatas Regnorum curas cœpit, veluti in ſinu perfectiſſimę tranquillitatis. Obſeruantias ætati attemperatas, nunquam viſus pręterire. Humilitatis ſtudioſus, nihil exactę olim dignitatis, aut faſti retinuit. Prępoſitos ita reuerebatur, vt proximè ad timorem quendam accederet reuerentia, Quod ſanè admirandum: vt qui pro muneris auctoritate timorem alijs ſupercilio, vultuque incuſſerat, metueret ipſe poſtea ad religioſi viri aſpectum, ac nutum. Triennium in Congregatione cum laude pietatis vixit: obijtque die vigeſima ſexta Iunij menſis, maturus œuo, nec imparatus; quando, vt affirmat ipſemet in loco, quem modò laudauimus, ea potiſſimùm mente in religioſorum ſe ſe cœtum collegerat, vt poſt longum vitę, ac rerum curſum colligeret vaſa, atque appararet ſe morti.

Defecto ſeni adoleſcentem ſummi generis, ac ſummę ſpei adnectimus, qui hoc anno Genuę ingenti cum vniuerſi Ordinis ſenſu ſupremũ diem immaturo nimiùm œuo clauſit. Diximus, geminam ornatiſſimi Principis Ferdinandi Gonzagæ, Guaſtallæ Ducis, ſobolem dediſſe noſtræ diſciplinæ nomen in Sanctorum Apoſtolorum domo, vbi ad omnem virtutis laudem educati diutiùs adoleſcentes fuere, quoad adulta iam indole, ac ingenio, admoueri literarum ſtudijs, oportuit. Natu maior Philippus, minor Ioannes: vterque Genuam, vt Philoſophię operam darent, deſtinatus. Sed Philippus ad alterum mox lycæum vocatus: & qui Genuam Iunio menſe peruenerat, extremo Auguſto decubuit, ac die Septembris duodecima deceſſit. Vota, quæ concipere publicè minimè potuit, ſupremo ſpiritu priuatim, ac ritè nuncupauit. Nam, legitimum licet profitendi tempus expleſſet, germanum fratrem, vt vnà ſimul vnanimi charitate, ac religione Deo ſe ſe dicarent, expectabat. Affecit vehementer noſtros lectiſſimi adoleſcentis caſus; ſed vehementiùs Parentes, peracerbo quodam naturæ vulnere. Ipſa in primis Victoria Doria Mater, robuſtiſſimi licet ſpiritus fœmina, ad animæ deliquium doluit; veluti è gemina oculorum luce, altera erepta ſibi tunc eſſet. Promiſerat quidem Philippus ab ipſo œui mane meridiem quandã excellentis virtutis. Inerat moribus grauitas, quam vultu etiam, atq. habitu corporis præſeferebat: vt factus ad omnem prudentiã videri poſſet, ſi maturuiſſet indoles. Cõciliabat verò maximè aliorũ beneuolentiã quędã in agendo ſuauitas, ac parca quidẽ, ſed comis ad omnes facundia. Nihil autem in eo laudabilius, quã in pręclara natalium luce humilitas. Non maiorũ,

Et impetrata facultate, executioni mãdat.

Sacris initiatur,

Vota Religionis concipit.

Piè moritur.

Philippus Gõzaga moritur.

Deſcribitur eius indoles.

Digitized by Google

non ſuæ domus decora loquendo vnquam vſurpare: nihil abiecti operis recuſare; Si quę fratrum opportunitas officium, ac operam poſtularet, nemo promptior. Cumulabat has animi partes peculiare quoddam in ſuam Congregationem ſtudium, quam quia complexus intra pueritiam fuerat, videbatur ſibi, non aliam agnouiſſe matrem; ac natus penè Clericus Regularis. Ornabant florentiſſimum Iuuenem & aliæ eiuſmodi laudes, quibus annos feſtinauerat, ac maturus cœlo videri poterat.

Ioannes Gonzaga vot. Guaſtallæ nũcupat.

Expleuerat interim præſcriptam ſolennibus religionis votis ætatem Ioannes, germanus frater, eoque ſacramento authorandus, id in primis Parentes poſtularunt, vt leniendo ex alterius filij morte vulneri, Guaſtallæ, vbi hoc ipſo anno noſtros euocauerant, vt mox dicam, publicę id functionis obiret. Gerere beneuolentiſſimis Principibus morem, oportuit. Eò igitur Ioannes vouendæ Religioni tranſlatus. Qui vota exciperet, eò etiam vnà ſe contulit Ioannes Scurcouillus, qui Genuenſem tùm domum temperabat. Cumulandæ verò celebritati adfuere Ioannes Baptiſta Caſtaldus, & Ioannes Spinula, Ciſalpinæ eius Prouinciæ Viſitatores; euocatis item è Mantuana domo Præpoſito, ac pleriſque Patrum. Religioſis hiſce natalibus, veluti iterum Chriſto generarent, adfuere inclyti Parentes; ac mutato ſenſu, quas dederant dolori lacrymas ob vnius ſobolis fatum, lætitiæ nunc fudere ob alterius natalem diem.

Guaſtallã euocantur noſtri.

Iam verò, quoniam Guaſtallæ iam ſumus, explicanda eius contubernij initia opportunè veniunt. Oppidum id eſt in Gallia Ciſalpina ad Padi flumen, cuius & beneficentia à perenni fluxu, atque irrigatione fruitur, & iram timet, ſi nimiùm fluuiorum Rex ſuperbiat, ac intumeſcat. Æquè ſoli, ac populorum bonitas locum commendat; quamquã præcipua eius laus eſt, quòd nobiliſſimorum Principum ſedes cũ ſit, magnificentiam, ſplendoremque inclytę domus, veluti ſuum complectatur; nec exigua ſanè dignitas, tanti nominis, famæque Gonzagas inibi dominari. Conceperant quidem Ferdinandus & Victoria, loci Principes, ſingularem in noſtrum Ordinem voluntatem, cùm à filiorum educatione, ac habitu, tùm ſuopte ingenio, atque ipſius Congregationis exiſtimatione: idque præcipuo quodam ſtudio optare videbantur, vt Guaſtallæ noſtri homines conſiſterent, fundarentque Inſtituto domum. Compoſitæ ſuperiore anno ad Generale Capitulum à Ferdinando litteræ fuere. Commune, ac flagrantiſſimum deſiderium aperuit: præclaram familiam ſibi quidem ſolatio, ac fructui; Oppido ſuo non mediocri ornamento; populis eruditioni futuram. Deſignatam iam illi excipiendæ ſedem: pietatem, quę aleret, præſto eſſe: ac ſe quidẽ ſua beneficentia nec quotidiana annona, nec templi, tectique exędificationi defuturum; ac paucis, modò accõmodarent poſtulationi aures, ac animum, eſſe, qui iſthęc opportunè curaret cõmoda. Legem in ijs Comitijs ſanciuerant Patres, vti monuimus, qua domicilia excludebantur, in quibus ali viceni religioſi homines nequirent: eaque propter cùm non eam eſſe Guaſtallam ſcirent, vbi ſuſtentari piorum ſtipe is numerus poſſet, præcluſiſſe ipſi ſibi viam nouæ huic coloniæ conſtituendæ viſi ſunt. At enimuerò, quòd multum ſe optimo Principi debere Patres intelligerent, ac ſatis haberent efficacię, ac ponderis poſtulata; ita emollire Capituli conſultum decreuere, vt nec legem infringerent, & aliquid poſtulantis beneuolentię, ac dignitati darent. Quare ſcitum, vt ſi ſexdecim omninò ex noſtris, nullo quidem vectigali annuo ſed ad inſtituti formã, degere ibi poſsẽt, Pater Generalis vnà cũ ſuis Cõſultoribus, inſpectis deindè cœteris in cõmune cœnobij cõmodum, ac vſum, de re tota pro libito decerneret. Qui quidem, explorata re propiùs, cum loci ſitum peropportunum dari, ac cœtera ad legum noſtrarum normam conſtare, comperiſſent, vrgente pręſertim deliberationem, Patrumque aduentũ Gonzaga, mittendam eò familiam decreuere. Deſtinata impigra noſtratum manus, qui, ducente agmen Ludouico Perſichello, Cremonenſi, inſigni prudentia, ac religione viro, die menſis Iunij vigeſima ſecunda Guaſtallam iniere ingenti cũ illorum Principũ, ac popularium gratulatione, veluti quid auſpicatiſſimum, communique bono opportuniſſimum ea die ſibi contigiſſet. Excepti in Eccleſia Diuæ Marię Sacra, quã ab Arce veteri nuncupant: ędeſque attiguæ, quas coëmerant, attributæ, in quibus conformata illicò ad Theatinum morem conclauia fuere. Quo pijſſimi Principes ſtudio eò Ordi-

Fundantque inibi domicilium.

Digitized by Google

dinem inuitauerint, quo deindè ſenſu animi exceperint, aſſiduã quædam cũ noſtratibus conſuetudo, atque in diſciplinam deuotio; tùm regia quadam indole liberalitas, ac munificentia cõmonſtrauit; quorum ad exemplar ciues complecti ex animo nouos hoſpites, iuuare, fouere pro modo viſi ſunt. Et reſpondere quidem inſigni conatui illorum opinioni, tùm beneuolentiæ, pietatique noſtri cœpere. Inſtructa ſiquidem eccleſia, quæ eſt Theatini prouentus fundus, vigilias ſuas à diuini Numinis cultu cœptas, voluere. Inſtituta die, noctùque pſalmodia: concinnatæ ad omnẽ elegantiam aræ: vbique, in ſacro inſtrumento, in parietibus nitor. Quę quidem diuinorum mundicies, & cura nimiũ quantũ gentis animos ceperit; quę adeò accuratè, ac ſplendidè tractari ſacra magnoperè oblectabatur.

In quo ſtrenuè operam ponunt.

Ad hæc, ſpargi ad aliorum cõmoda; expolire publicè, ac priuatim mores; habere ad multitudinem conciones; peccata condonare; ad Chriſtiani officij amuſſim conſcientias conformare, adire moribundos, aliaque eiuſmodi opera nauare; quibus adiungere ſibi mirificè vulgi ſtudia potuere. Addita verò ijs ſtatim eſt princeps quędam religio, quæ & populi frequentiam adauxit, & incitamento ipſorum ſedulitati fuit. Colebatur in Diui Bartholomæi templo præcipua quædam, ac celebris Deiparę imago, quã D. Lucæ Euangeliſtæ opera, manuque inſculptam, vetus fama eſt: fecerantque ſimulacro pretium patrata ab eo mira: in quibus illud planè admirandum, quod mota aliquando ſua ſede Virgo, ad eandem nulla mortalium opera mox redierit.

Imago Virginis ab Arce in noſtram eccleſiam trãsfertur.

Hęc itaque Auguſtę Virginis effigies, impetrata à Romano Pontifice facultate, tranſlata hoc anno eſt in noſtram eccleſiam die Auguſti menſis quarta decima fuit. Excipiendę magnæ Matri inſtructa magnificè ſacra ædes, atq. accerſiti è vicinis domibus conficiendo frequentiori agmini noſtri homines. Adfuere Ferdinandus, & Victoria, ac lectiſſimi filij, tùm conſertiſſima virorum, ac fœminarum celebritas; vt deducta, veluti in triumphum, admirandæ Deiparæ effigies fuerit. Cuius anniuerſaria ſubindè ſolennitas quotannis die Maij ſexta decima incredibili populorum accurſu, ac ſolenni põpa, rituque agitur. Siquidem non ciuium modò pietas confluit, ſed è vicinis etiam pagis ęſtu quodam certatim adeunt: augentque accurrentium religionem ſolennia ſacra, quæſitæque in ijs voces, ac ſymphonię, tormentorum diſploſiones, nocturni, feſtique ignes, aliaque ad lętitiæ incitamentum: idque ære publico. Venerantur quippè ſingulari quodam ſtudio Dei Matrem, cui ab Arce nomen, Ciues, veluti certiſſimum munimentum, arcemque ad mortalium tutelam longè inſtructiſſimam.

Certũ nempè Guaſtallæ præſidium.

Et verò, pręter antiqua tanti patrocinij documenta, non obſcura ope Marianæ Arcis pręſidia experti ſub hoc maximè tempus ſunt. Anno præſertim huius ſeculi duo de vigeſimo, Octobri menſe ineunte, ab aſſiduis imbribus, ac ventorum vi vſque adeò Padus intumuit, vt nihil propiùs eſſet, quàm vt per diſiectos aggeres effunderet ſe ſe latè, ac Guaſtallam miſerabili eluuione mergeret; iamque minas ſuas ad mœnia horrendum in modum admurmurabat. Fusæ publicæ ad Deiparam preces. Nec mora: aquarum moles, quæ petere Guaſtallam videbatur, Gualterium, quod Mutinenſis Ditionis oppidum eſt: incubuit: reflante nimirũ fauore Virginis, quæ aliò flumen, eiuſque impreſſionem flexit.

A quo Padus detumet.

Perſolutę interim magnæ Tutelari gratiæ; & quòd aquarum impetum propulſauerit, fusæ vberiùs lætitiæ indices, lachrymæ. Planè conſuluit quàm opportuniſſimæ illarum gentium incolumitati diuinum Numen: vt quando tàm propè eſt hoſtis, propè etiam eſſet, ac pręſens frangendo hoſti Marianum præſidium. Quod etiam annis conſequentibus, dum tanta cum ſtrage mortalium graſſaretur popularis lues, viſum, imminuta non minimùm clade, adfuiſſe.

Huic porrò Virgini ab Arce cùm magnoperè addictus Ferdinandus Princeps eſſet: optaretque vehementer ſibi, ac ſuis populis propitiam; eius obligare certiùs fidem, tutelamque conſtituit, excitato in eius honorem templo, quod poſtea Clericis Regularibus attribueret, quos in procuranda animorũ ſalute impigros, ac nauos, indigere ſuis induſtrijs ſplendidiorem, maioremq. areã, nouerat.

Fuudatur nouum Deiparæ ab Arce templum.

Itaq. deſcripto ſitu, ac idea operis, conſequenti mox anno Dominica, quæ in vigeſimã ſecundã Octobris diẽ incidit, fundatũ templũ eſt, iactuſque à Ludouico Gonzaga, D. Andreæ Mantuæ Primicerio, primarius lapis, ſolenni quidem ritu, plaudente ad ſurgentis baſilicæ magnificentiam populo, qui auxiliarem exædificationi operã adhibebat, ac ipſo in primis Ferdinando cùm filijs pompam implente. Lapidi inciſa eiuſmodi inſcriptio fuit.

Sub

Primarii lapidis inſcriptio.

In Dei gloriam Patris, & filij,& Spiritus Sancti. Amen.
Sub inuocatione Sanctæ Mariæ de Caſtello veteri Ferdinandus Secundus Molfictæ Princeps,& Comes Guaſtallæ, eiuſque Populus, vt ipſa Beata Virgo legem ponat aquis Padi, ne tranſeant fines ſuos, Sacram hanc ædem magnificè extruendam curarunt; primariumque lapidem fundarunt per Ludouicum Gonzagam ex Marchionibus Mantuæ Primicerium Sancti Andreæ. die 22. Octobris 1617. Sedente Paulo Quinto Pontifice Maximo, Clericis Regularibus ad eam anno præterito ab eodem Principe vocatis.

Ferraria Vrbs florentiſſima.

Opus à Principis, ac populi ſumptu nobile, abſolutum deindè eſt anno huius ſeculi primo, & quadrageſimo, ac die Maij quinta decima, translato è veteri eccleſia inſigni quadam ciuium celebritate Deiparæ ab Arce ſimulacro, cœpta Theatino ritu celebrari noua, quæ adaugendæ communi pietati, conformandiſq. vulgi motibus, noſtrarum à concionibus, ac pſalmodijs aſſiduò reſonat.

Vbi figere ſedem noſtri optent.

Petrus Caracciolus Ferrariæ declamat.

Et Paulus Maria Ardizzonus.

Ferrariam nunc euocamur, vbi eodem hoc anno coloniam noſtri homines condidere. Vrbs eſt Ferraria in circumpadana regione percelebris, nobilitate, ac ſplendore procerum, opum affluentia, ſitus, tectorumque amplitudine, rerum copia, genio ſoli, quod Padus, nullibi opportunior, interfluit, fœcundatque, cum paucis inter Italicas Ciuitates comparanda. Sedem hic figere, iam diù optarunt Patres; vt qui nobiliſſimum explicari ſuis curis campum intelligerent; ac eam eſſe loci vbertatem, ac popularium opes, ac beneficentiam, vt degere ad inſtituti, notæque paupertatis leges poſſent. Tùm quia permeandæ vltrò, citròque magnam partem Italiæ nihil hac Vrbe opportunius. Et accenderat vehementer cõmune deſiderium Petrus Caracciolus, qui cùm anno huius ſeculi octauo Quadrageſimæ ferijs ſingulari cũ omnium approbatione Ferrariæ in primario eius templo declamaſſet, ac propiùs gentis mores, atque egregiam in noſtrum Inſtitutum propenſionem inſpexiſſet, nihil commendare impenſiùs viſus eſt, quàm conſtitui in præclara Vrbe domicilium. Quod ipſum etiam, atq. etiam inculcauit, qui poſt Caracciolum eodem in principe templo, ijſdemque magni Ieiunij ferijs perorauit Paulus Maria Ardizzonus, vir à doctrinarum, ac eloquentiæ ſplendore æquè, ac ab oculorum tenebris per Italiam clariſſimus. Suſpenderat his admiratione, ac vi facundię Ferrarienſium animos, eorumque in noſtram diſciplinam affectus magnoperè inflammauerat. Quocirca, qui animati in eam coloniam noſtri erant, vrgeri maximè eiuſmodi ſtimulis videbantur. Agitata in noſtris comitijs res eſt; ſcitumque, in id ſedulo incumbendum, vt negotium conficeretur. Quod anno quidem huius ſeculi decimo demandatum Placidi Filingerij Senioris fidei, ac ſtudio fuit: ingreſſuſq. is eſt ſtrenuè in opus; poſtquam ex eodem & ipſe primariæ eccleſię ſuggeſtu ad concionem ea quadrageſima dixiſſet, famamque ſibi non vulgaris eloquentię, doctrinæque comparaſſet. Aderat conatibus eximia voluntate Fontana, eius Ciuitatis Epiſcopus, vir è D. Caroli Borromæi contubernio, ac ſchola omni laudum genere cumulatiſſimus. Fauebant primæ item nobilitatis, famæq. viri. Præcipuis verò officijs, datis ad Magiſtratus literis, animos concitauerat Margarita Gonzaga, Ferrariæ olim Dux, Filingerio, vniuerſoque Ordini, vt aliàs ſignificatum, cum paucis addictiſſima. Verùm cùm plurima deſignarentur ſtationi loca, nullus ſeſe obtulit, qui non eſſet vt noſtro, ita aliorũ inſtitutis parum conſentaneus. Abruptæ proindè ſpes, quę quarto adhinc anno reſũptæ, cùm eius Vrbis Legationem, ac faſces inijt Horatius Cardinalis Spinula Theatini nominis perſtudioſus. Quo auſpice, cœpta quidem res; ſed hac ipſa ſitus, locique difficultate perduci ad exitum minimè potuit: cũ interim excreſceret ciuiũ in nos ardor, ac ſtudium; qui Theatina potiſſimũ eloquentia vſq. adeò viſi oblectari, & capi, vt petierint impensè a noſtris, vt quoad domũ fundarent, ſanctioribus anni feriis dicerent in maiori templo ad multitudinem. Quod cũ probaret, qui in ijs Infulis Fõtanæ ſucceſſerat, Cardinalis Lenius, incredibile dictu eſt, qua celebritate, quo plauſu declamare inibi cœperint. Dixere pulchra quidem vice è propinquis domibus adeũtes, nõ quidem minorum gentium in ea facultate viri, ſed ſumma inter noſtros concionatorum capita.

Ferrarienſis domicilii rem auitat Placidus Filingerius.

Fauente Vrbis Antiſtite.

Et Margarita Gonzaga.

Difficulter res à ſtu'rem diſſe. runt.

Interim concionatores capiunt de noſtris.

Digitized by Google

ta. Auditus nanque Fulgentius Gemma, Licienſis, Margaritæ Gonzagæ, Ferrariæ Ducis, quam modò nominaui, à ſacris confeſſionibus, cui virilis, atque admiranda quędam inerat linguæ efficacitas. Acceſſitus item Mutina Ioannes Paulus Fornarius, Genuenſis, qui non minus elocutionis concinnitate, ac gratia, quàm frugifero quodã valebat dicendi charactere. Dixit Iſidorus Macedonius Neapolitanus, cui nullum à verborum delectu, ac fuco lenocinium, plurima ab ingenua quadam, facilique facundia acceſſerat dicendi vbertas, ac copia. His additus Laurentius Berna, etiam Neapolitanus, qui explicare horis pomeridianis vetus teſtamentum inſtituit, in eiuſmodi dicendi genere planè egregius. Temperare is argumenti grauitatem ea ſermonis vrbanitate, feſtiuitateque ſolitus erat, vt nunquam ſine plauſu diceret. Qui verò prolixiore quidem temporis ſpatio ad omnem Ferrarienſium guſtum declamauit, fuit Dionyſius Dentice, Neapoli euocatus, vt pergeret ipſe eloquentiæ flumine irrigare, quod alij proſeminauerant. Qui quidem, vt in dicendo cæteris non inferior videri potuit, ita in fundandæ coloniæ conſilio, ac opera felicior ijs fuit. Scilicet, veluti non tàm ad virtutem, quàm ad Sedem Theatino Inſtituto conſtituendam auditorum animos inflammaret, viſus auſpicatiſſimè in eo negotio velificaſſe, inſigni nimirùm beneuolentia, ac aura, quam ab omni hominũ gradu, cenſuque captauit. Igitur certatim ordo, ac populus pro ſingulari, quod in noſtram familiam conceperant, ſtudio, in id maximè incumbere: fauebantque eximia voluntate magni nominis Purpuræ omninò quatuor, quæ tùm Ferrariæ morabantur; nempè Iacobus Cardinalis Serra, Pontificis Legatus, qui Spinulæ ſucceſſerat, Io. Baptiſta Cardinalis Lenius, Ciuitatis Antiſtes, Bonifacius Cardinalis Beuilaqua, & Carolus Emmanuel Cardinalis Pius de Sabaudia. Qui omnes cùm nullam ornandæ diſciplinæ, nouique cœnobij vrgendi occaſionem prætermitterent, tùm ipſe in primis Cardinalis Pius flagrantiore quodam ſtudio, eaque contentione negotium peragendum ſuſcepit, vt res noſtra Ferrarienſis tota ferè Auguſto huic Principi debeatur. De ſitu, quem ſibi maximè opportunum contingere, noſtri peroptabant, inſpecta accuratè Ciuitate, deliberandum primò illi fuit: delegitque nobiliſſima, ac frequentiore in Vrbis regione locũ, à foro quidem non longè poſitum, arci proximum, ac in ipſo medio, ſinuque nobilitatis; quo quidem nihil ad Pattum induſtriam, ac votum accõmodatius. Verùm res erat ſuis obſeſſa difficultatibus. Nam qui cõmune populorum cõmodum ſpectabant, ad alterum Ciuitatis latus nouas haſce vigilias, ac operas voluiſſent, vbi vacuus à religioſis familijs campus; ac nullibi melius, ac fructuoſius noſtri deſudaſſent. Maior autem à religioſis quibuſdam viris oppugnatio. Eſſe intra legitimum ſpatium diſtantiam, negabant: proindèque ſi agendum iure eſſet, conſiſtere inibi minimè poſſe. Non deeſſe in ampliſſima Vrbe loca, quæ citra aliorum incõmodum Thearinam diſciplinam exciperent. Æquam cauſam Romæ etiam perorabant, ac acerbè conquerebantur: ita vt monitus Legatus fuerit, curaret diligenter, ne mutuis inter ſe diſſidijs ſacri Ordines diſceptarent. Quæ quidem id effecere, vt cautiùs noſtri agerent: eaque dexteritate temperare negotium occœpere, vt neque Legati monita, atque aduerſariorum conatus contemnere viderentur, nec à cœptis deſiſterent; adnitente in primis, qui auctor loci fuerat, Cardinali Pio, non affectu modò, ac ſtudio, ſed ſingulari etiam munificentia. Domos nanque eo loci duas noſtratum vſui, eccleſiæ præſertim conſtruendæ, coëmit; conduxitque, vt latiùs habitarent, & aliàs, ijs proximas. Quibus expeditis, & ſi non ita clàm omnibus fieri poterant, quin manaret in vulgus rumor, atque adeò non leue ab ijs, quos diximus religioſis hominibus, timeretur bellum; nihilò tamen minùs, qui rem adgubernabat Dionyſius Dentice, eximia quadam in Deum fiducia, cùm aliò flexiſſe curas ſuas videri poſſet, ex inopinato ſimul inſignia noſtri Ordinis, hoc eſt, Sanctæ Crucis labarum in ijs explicauit, ſimul demoliri tectum, ac delineare templum cœpit: idque profectò ingenti admirationi fuit, quòd qui obniti mordicùs, ac nunquam laturi videbantur, vt hæreret ibi Clericorum Regularium Inſtitutum; præſertim quòd plurima ijs inerat auctoritas, valebantque ſuorum ſtudijs, ac clientela: vbi cœpta operis molitio eſt, iniecta quadam veluti reuerentia, viſi obmutuiſſe, ac nullus omninò fuit, qui conſilium interpellaret, intentaretque actionem, ac bellum. Nempè qui Dei opus curant, etſi prudenter etiam metiri momenta

rerum

Dionyſius Dentice rem conficit.

Adnitẽte præſertim Card. Pio.

Qui locum deſignat.

Mortæ à religioſis viris,

Sed res nihilominùs conficitur.

totos annos tres, & viginti, emenſus Protectores Ordinis Petrum Cardinalem Aldo-
brandinum, Scipionem Cardinalem Cobellutium, & Hippolytum Cardinalem item
Aldobrandinum, cui cùm Cardinalis Franciſcus Barberinus ſubindè ſucceſſiſſet, ro-
gaſſetque, vt ſubſiſteret vir egregius expoliendæ ſuæ Sparthæ, excuſauit is ſenium; &
quòd abundè iam floreret inibi diſciplina morū, ac ſanctitas; rediјtque ad ſuos, opti-
mè de ea Congregatione meritus, cui noua quædam facies ab inſtitutione, à literis,
à regimine, atque ab omni obſeruantiæ regularis laude acceſſerat.

Hieronymi Pignatelli cum matre pugna.

Quid de eo Pontifex.

Vocant modò ſtylum, qui è Clericis Regularibus in Epiſcopales Inſulas hoc anno
euaſere. Hieronymum Pignatellum, è Cerchiaræ Marchionibus nobiliſſimū, excel-
lenti virum prudentia, noſtrique moris tenaciſſimū, aliàs memoraui; quem in primis
egregia cum affectu matris pugna, ac victoria in ipſo ætatis, ac Religionis tyrocinio
nobilitauit. Teſtis incomparabilis conſtantię, ac flagrantiſſimi eius ſpiritus fuit Grego-
rius Tertius decimus Pontifex, qui accerſito Romā Pignatello, vti in loco ſignificatū
eſt, præclarā eius in complectenda religioſa diſciplina mentem explorare ipſe voluit:
admiratuſque adoleſcentis in tuenda ſua cauſa vim, ardoremque animi, ac linguæ,
profeſſus poſtea eſt quibuſdam ex Auguſtis Patribus, adeò illū in ſuſcepto conſilio fir-
mū; vt ab eius eloquentia ſe quoque in regulare inſtitutū ſenſerit nonnihil inflāma-
tum. Is poſtea ea virtutum, ac morum laude floruit, vt inter præclara Clericorum
Regularium nomina numeretur. Adhibitus tyronū inſtitutioni, nihil illo in forman-
da eorū diſciplina, ac indole accuratius. Domorum tectioni admotus, qua prudentia,
ac grauitate eas adminiſtrauerit, illud edocet: nunquam, videlicet, magiſtratu vacaſ-
ſe, ac per omnes honorū gradus peruenerat iam ad ſummū Ordinis faſtigiū. Enimue-
rò niſi Roſſanenſes Inſulæ locum occupaſſent, in huius anni comitijs generali Con-
gregationis Præfecturæ Hieronymum Pignatellū Patrum iudicia deſtinauerant. Ergò

Roſſanenſi Sacerdotio admouetur.

dum Neapoli Sanctorum Apoſtolorū Præpoſitum ſecundò ageret, renunciatus à Pau-
lo Pontifice Quinto eſt Roſſani Archiepiſcopus, agente Hectore Pignatello, Montiſ-
leonis Duce; Viro, qui raro inter principes nexu ſummā fortunam ſingulari cum ani-
mi innocentia miſcuit. Ferebat is in oculis Hieronymū, habebatque in pretio; ac ſtu-
dium adauxerat Hieronyma Pignatella, eius filia, collocata in matrimonium Fabri-
tio Pignatello, Cerchiaræ Marchionis filio, Hieronymi nepoti; in cuius poſtea domū
ampliſſimæ Hectoris opes, ac tituli confluxere. Conſilium vero ornandi Archiepi-
ſcopatus inſignibus virum egregium, quid altius, ac ſplendidius ſpectabat, quàm eſ-

Quo conſilio.

ſet Roſſanenſis ea Cathedra. Nam qui ſumma apud Philippum Tertium Hiſpania-
rum Regem gratia florebat Montisleonis Dux, ac tùm quidem honeſtiſſimæ in Galliā
Legationi, ac deducendæ ad Ludouicum Francorum Regē Auſtriacæ coniugi deſti-
natus fuerat; perſuaſerat ſibi, fore, vt tantorum conſpiratione, ac fauore Regum impe-
traret Gentili ſuo purpuram, ad quam munire viam Archiepiſcopalis dignitas videba-
tur. Faciliùs nanque Antiſtitem iam, quàm religioſo adhuc in habitu virum ampliſ-
ſimis Inſulis Pontifex honeſtaſſet. Et verò niſi maturiùs ceſſiſſet fato Hieronymus,
peracta res erat. Nihilò tamen minùs non ſtatim præſtantiſſimi viri animū ſpes pur-
puræ, ac ſplendor cepit. Etenim, vbi allatus illi nuntius, ſe ad Roſſanenſem Eccleſiam

Recuſat primo Cathedrā Hieronymus.

deſtinatū, obluctari ſtrenuè, ac detrectare honorem viſus eſt. Se quidem, ait, religio-
ſæ paupertatis cauſa hæreditarias opulentiſſimæ domus diuitias deſeruiſſe: quid nunc
relictis votæ paupertatis opibus, Eccleſiaſticos prouentus, affectaret; curiſque ſe ani-
morum implicari ſineret? Habere quidem Monrisleonis Duci grarias: interim inſi-
ſtere ſuo Inſtituto velle. Id quod moleſtiſſimū Hectori: cùmque obfirmatum viri ani-
mum expugnare ſolus deſperaret, idoneum, qui vnà ſecum emolliret, ac flecteret, exi-
ſtimauit Lucium Sanſeuerinum, Archiepiſcopum Salernitanum, inſigni Virum probi-
tate, ac literatura, qui Roſſani ſedem dimiſerat, Hieronymi conſobrinum, virum
planè ſupra cōmunem virtutem, ac purpuram, qua poſtea fuit inſignitus. Is auctorita-
te, qua valebat, iniectaque potiſſimùm religione, adhortari, atque vrgere vigore quo-
dam Hieronymum: Scilicet, quando dignitatem ipſe non affectauerat, perſuaderet
ſibi, vocatū ſe à Deo: proindèque non obtemperare, ac refugere laborioſum, ac longè
diuiniſſimum opus, haud conſentaneum religioſo viro eſſe: neque adeò cotemnēdas
Chriſti oues, pro quibus Deus ipſe, non religioſæ vitæ tranquillitatē, ſed cœlū deſeruit.

Poſtre-

Digitized by Google

Poſtremò caueret, ne rationem redderet animarum, quarum tùm procurationem recuſabat. Proſequutus fusè argumentum Sanſeuerinus; cui dedit tandem manus Hieronymus: ſubijtque onus, ac vigilias Roſſanenſes incredibili cum approbatione Romanæ aulæ. Qua verò prudentia, zeloque, ac vitæ integritate curas illas adminiſtrauerit, dicam in tempore.

Alter, qui eodem hoc anno, eodemque Maio menſe inſignia Epiſcopatus induit, fuit Paulus Palumbus, Neapolitanus, non mediocri vir literatura: vt qui erudito in puluere aliquandiù verſatus, Philoſophica, ac Theologica profeſſus cum laude eſt; valuitque etiam ſacra eloquentia. Neapoli ſummo loco erat; & quem doctiſſimũ perindè, atque eximia inſtructum prudentia nouerant, illum paſſim cùm in priuatis, tùm in publicis negotijs conſulebant viri proceres. Eius potiſſimùm opera, doctrinaque vtebatur Lemenſium Comes, qui Neapolitanum Regnum pro Rege moderabatur; vt non modò quæ ad Eccleſiæ iura, aut conſcientiæ tranquillitatem ſpectarent, ſed præcipua etiam momenta rerum cum eo communicaret; vendicabatque ſibi non mediocrem curarũ publicarum partem Palumbus. Honeſtandum meritis Inſulis Viri eruditionem, ac probitatem duxit Lemenſis Prorex: valueruntque mox eius apud Paulum Quintum officia; vt ſumma cum ipſius voluntate Veſtanæ Vrbis in Sipõtina Diœceſi, cuius vacabat tùm ſedes, appellatus Epiſcopus fuerit. Hęſitque huic ſponſæ inſigni quidem cũ laude ſolertiæ, ſed non diù. Etenim in Hiſpaniam grauiſſimi cauſa negotij ea in aula tranſigendi amandatus anno huius ſeculi decimo ſeptimo, ita excellentis cùm doctrinæ, tùm virtutis adiumenta regijs adminiſtris, Regique adprobauit; vt ſummorum capitum iudicia ſplendidiore dignum Cathedra exiſtimauerint; ornatuſque eſt Caſſanenſibus Inſulis, quæ & cenſibus, & diœceſis amplitudine non poſtremæ in Regno Neapolitano ſunt. Immigrauit ad eam ſtatim vigiliam; quã cùm ſingulari quadam ſolertia, zeloque indigere intelligeret, viſus ipſe, nullam optimi Antiſtitis partẽ prætermiſiſſe. Rexitque diutiùs eam ſedem; quoad confectus ſenio, cùm ingentibus ijs curis minùs ſufficerent æui vires; æquam humeris, ac longè mitiorem prouinciã ſubijt, nempè Ariani Sedem huius ſeculi anno ſeptimo, & quadrageſimo; quò antequàm ſe transferret, in Caſſanenſi diœceſi ſpiritum poſuit.

Paulus Palumbus vir doctus.

Lemenſium Comiti percarus.

Veſtanus Epiſcopus dictus.

Mox Caſſanenſis.

Poſtremò Arianenſis.

His addendus Thomas Sãfelicius è patricio Neapolitanorum ordine, vir doctus, qui dũ non vulgari cũ laude ingenij Theologiam Neapoli in D. Mariæ Angelorum cœnobio hoc anno profitetur, Decembri Menſe vocatus Romam eſt à Paulo Quinto, ac Montis Peluſii [in Lucania ſita ea Ciuitas eſt] Epiſcopatu cohoneſtatus. Qua quidẽ dignitate initiatus, nihil Romæ, parum Neapoli moratus, nihil prius habuit, quàm in demandatæ ſibi Eccleſiæ munus inuolare: gnarus, non ſuis, ſed ſuarum ouium commodis illa non tàm honoris, quàm laboris inſignia induiſſe. Quo ſtudio eam procurationem ſuſceperit, alia ſtatim Eccleſiæ facies, alius ſacrorum cultus, emendati itidem, alijque Cleri mores indicarunt. Deceſſit in ea Sede peracerbo ciuium luctu, eò vel maximè, quod immaturius videri fatum potuit Viro, qui ab æuo, robuſtaque corporis habitudine ſpes poterat inchoare longas.

Thomas Santelicius, Mõtis Peluſii Eccleſiæ imponitur.

In hoc autẽ Epiſcoporũ cenſu nõ diſſimulandus Paulus Toloſa, ſæpè memoratus, qui Bouinenſi Eccleſiæ ab anno huius ſeculi primo cũ præfuiſſet, in Theatinam Archiepiſcopalem Cathedram hoc etiam anno Decembri menſe immigrauit. Vocatus eò fuit, vt vigiliarum, atque eloquentiæ fructum vberiorem ibi colligeret. Latior ſiquidem campus, ac ſuę culturæ opportunior. Quanto verò cùm Bouinenſium mœrore, ac deſiderio id acciderit, coniectari facilè is poterit, qui Toloſæ in eos ciues affectum ſupra patrem nouit. Planè nullis non officiis, ac laboribus gentem illam longo eo temporis curſu demeruerat; à manu, à lingua æquè munificus. Conciones indefeſſo quodã ſpiritu, contentioneque dicendi, nunquã omiſerat. Illud in magno illo Eccleſiaſte planè admirandum; quòd cùm ad ruſticos, plerumque dicere oporteret, ita peregrinę dictionis facultatem ijs attemperabat: vt & ad colonos, eorumque opera, ac mores illibata eloquentiæ maieſtate deſcenderet; & altiſſima quęque religionis myſteria planiore quadam facundia ad eorum captum deduceret. Id quod viri, quibus audire interdùm illum, Bouini ad multitudinem perorantem, contigit, admirari nunquam ſatis poterant. Porrò Toloſæ, quando diuino quodam inſtinctu mutanda ſedes

Paulus Toloſa ad Theatinũ Archiepiſcopatũ tranſit.

Quo Bouinenſium ſenſu.

fuit

fuit, placuit ea Theatini Præſulis nomenclatio, inſtaurata, videlicet, Sanctiſſimi Pon-
tificis Pauli Quarti Conditoris noſtri memoria, qui eam appellationem diù geſſit;
gratulatuſque eſt optimus Antiſtes, eſſe tùm quidem profeſsione, ac dignitate
Theatinum.

Poſt hæc Antiſtitum nomina duo hic etiam recenſendi, qui ſub id tempus publica
ſuſcepere Religionis vota, ac poſtea in Epiſcopos & ipſi euaſere, dabitque pauca dū-
Clemens Pectius dat ſe Religioni. taxat eorum lineamenta ſtylus, daturus integram in tempore effigiem. Clemens Pe-
ctius Neapolitanus, nobili genere, Mediolani hoc anno ritè vouit. Humanis deindè,
diuiniſque literis eruditus, in dicendi facultate progreſſus habuit, planè non medio-
Eius eloquentia. cres. Teſtantur ſolidam, ac frugiferam viri eloquentiam præcipuæ Italiæ Vrbes, in
quibus per annum, atque in ipſis præſertim magni ieiunij ferijs declamauit, nunquā
Legatus in Germaniam ſemel. ſine mortalium approbatione, pietatiſque compendio. Prudentiam verò, atque in
agendo dexteritatem ardua ſanè, quæ adminiſtrare feliciter contigit, negotia cōmon-
ſtrarunt. Apud Aulicum Ferdinandi Cœſaris Cōſilium Chriſti anno octauo, & trigeſi-
mo intentata Annæ Carafæ, Hoſtiliani Principi, Ramiri Guſmani, Medinæ à Turri-
bus Ducis, Neapolitani Proregis Coniugi de Sabionetæ ditione lis fuit. Allegandus
in Germaniam cū eſſet vir ſtrenuus, qui cauſam vi iudicij, ac ſolertia propugnaret, Pec-
tium, à ſedulitate, à fide, à facundia abundè ſibi notum deſtinat Medina. Agendum
cū aduerſario, viro principe, qui gratia, atque auctoritate apud Cœſarem cùm valeret
plurimū, vt qui affinitate etiam coniunctus cū eo eſſet, deſperauerant prudentes qui-
Ac iterum. que viri negotio: quòd ille nihilominùs ea induſtriæ laude, vigoreque adminiſtrauit,
vt palmam non ſine eius aulæ admiratione, ac plauſu Neapolim retulerit. Profligata
verò ſemel controuerſia, ardere iterùm veluti è buſto cœpit. Ergo iterū in Germaniā
Et tertiò. Pectius, vt iiſdem artibus rem conficeret: quod fauſtè accidit, reuexitque æqua laude
alterum mox triumphū. Sed nec bona fide conſopita tū quidem lis. Nam quæ erat
aduerſæ partis potentia, ac efficacia, vſque adeò pulſare Cœſaris animum inſtitit, vt
id tandem impetrauerit, vt cognitam, atque adiudicatam non ſemel cauſam, reco-
gnoſceret aulicum Conſilium. Quocirca aggredi notum iter, ac tertiò Germaniam
petere Pectium oportuit, non impare planè ſucceſſu. Re nanque peracti examine
excuſſa, obſignatum decretum fuit, Annam Hoſtiliani Principem, Iſabellæ Gonzagæ
Renunciatur Epiſcopus filiam, Sabioneti iure dominam. Quo tandem perorata omninò cauſa. His quàm
feliciſſimè peractis, non modò Neapolitani Proregis, atque ornatiſſimæ Coniugis, ſed
Catholici ipſius Regis gratiam promeruit Pectius. E re ſiquidem Hiſpanæ potentiæ
erat, muntiſſimam opportuno in Italiæ ſitu arcem penes ſubditos ſuos eſſe. Eaprop-
ter ob rē benè geſtā decreuit Philippus Rex, vt quæ primò vacaret in Regno Neapoli-
tano Epiſcopalis ſedes, Pectio tribuerent. Interim vt eo, quo poſſent modo Hoſtiliani
Principes vices viro benemerentiſſimo rependerent; Porphyrienſes, nempè titulo te-
nus Infulas, attributo ipſi cenſu annuo, ab Innocentio Pontifice Decimo impetrarunt;
Eius in Germanica legatione modeſtia. quoad Aquilanus ſubindè Epiſcopus eſt renunciatus; vndè, quòd frigidiſsimus ibi aer,
ac cœli intemperies læderet affectum corpus; ad Stabienſem mox Eccleſiam transla-
tus. Porrò quoties adire Germaniam Pectium, contigit, diuertere ad Barnabitas Pa-
tres voluit, quibuſcum Viennæ atque alibi cōmoratus, ſingularis modeſtię, religioſæ-
que diſciplinæ in tot negotiorum, aulæque auocamentis ſpecimen dedit. vti Damaſus
Cardoſus. vir è Barnabitis integerrimus, compoſitis ad noſtros literis diſertè teſtatur.
Quod ipſum fusè, ac candidè Gregorio Carafæ Præpoſito Generali ſignificauit Apo-
ſtolicus ad Cœſarem Nuncius Baglionus, qui ſumma illum beneuolentia complexus,
ſuis etiam à concionibus renunciauit; dixitque is Cœſareo in Sacello non ſemel in
Sacellum B. Caietano dedicat. orbem, vti mos eſt in Germania. Regit nunc eximia integritate, prudentia, zeloque
animorū Stabienſem Eccleſiam; nec ſtudium in rem Theatinam abrupit. Neapoli ſi-
quidem in Mariana noſtra Eccleſia à Victoria ſacellum Sanctiſſimo Parenti Caietano
Thienæo Pario, varioque marmore, ſumptu quidem non exiguo nuper exornauit, de-
Franciſcus Surgētius Archiepiſc. Brūduſinus, & Epiſc. Monopolitanus. dicauitq. in quo ſuperſtes non tàm eius nomen, quàm præclara in Thienæum religio,
atque in noſtrum, ſuumque Ordinem beneuolentia ſemper erit.

Superiore verò anno Romæ in D. Andreæ templo ſolenni ritu vouerat Franciſcus
Surgentius, Patricij Ordinis Neapolitanus. Is procurante ſummo iure rem Neapolita-

nam

nam Duce Alcalenſi,ita eius gratiam præclaris animi partibus occupauit,vt eo agente, honeſtatus Philippi Quarti iudicijs egregiè fuerit, admotus ad Brunduſinam primũ Eccleſiam,mox ad Monopolitanam. Et Brunduſinam quidem, quę nonniſi Hiſpanis concedi ſolita,mirũ ſanè videri potuit,commendatam viro Italo: vt argumento fuerit, deſtinatum peculiari quodã inſtinctu Numinis ad Eccleſiarum rectionem Sutgentium. Et verò vtramque eã Inſulam ſucceſſiuè ita adminiſtrauit, vt & præclara ſuæ vitæ conſuetudine, & modeſtiæ laude, & ſingulari in pauperes charitate, & cõmunis pietatis ſtudio, & tuendi Eccleſiaſtici iuris zelo impleuerit profectò Epiſcopi partes omnes peregregiè. Nihil illi potius, quã illibati Eccleſiaſticorum mores; mulctare, emendare ſtrenuè, ſi quid vitij faceret diſciplina. In Eccleſiæ cultu planè magnificus. In egenos profuſior. Sui ſacerdotij prouentus non ſuos, ſed pauperum putabat, quibus præſenti erogatione ita aderat, vt nunquam aliquid congeſtæ pecuniæ domi eſſet, audiebatque Monopoli Pauperum Pater. Deriuare hanc munificentiam & in ſuum Ordinem voluit. Nam præterquamquòd excipere noſtros hoſpites perquã liberaliter, ac retinere diutiùs domi ſolitus erat, fouere etiam pecunia, atque annona quædam etiam ex noſtris domicilijs conſueuerat; ac non ita multò antequã fato concederet, Bituntinis quidem Patribus exornando templo icones ſuas omnes, quæ non paucæ, nec exigui pretij; Barolitanis verò bibliothecam, conſignatis publicis tabulis, donauerat. Quæ quidem ſucceſſu donationes caruere, inopinato videlicet eius abitu, aliquot duntaxat libris Barolũ tranſlatis. In tuenda verò Eccleſiaſtica libertate acerrimus. Monopoli ne quid acciperet detrimenti res Eccleſiæ, obijcere vim pectoris incomparabilem, luctari, implorare Romanam opem, ac fidem; non auro parcere, non iram, virorumque principum inuidiam pertimeſcere. Commendatus non ſemel Romæ ampliſſimis verbis is eius zelus. Eandem ſanè infractæ indolis conſtantiam, perturbata inteſtinis ſeditionibus re Neapolitana obiecit. Cùm alibi, tũ Monopoli acriùs, excuſſa obedientia, ſæuijt multitudo. Adire Antiſtes ad factionis capita, adhortari, comminari intrepidè, propugnare ſumma fide Regis partes: planè vt perhonorificum ab regijs adminiſtris encomium tulerit. Sed hæc in loco fuſiùs. Dum ſuas oueſtanta cũ ſolertiæ, ac munificentiæ laude procurat Præſul optimus, exeunte ſuperiore anno quinquageſimo primo; correptus præcipiti quodam morbo, breui moritur: quo luctu, ſenſuque ſuę Vrbis, coniectari is facilè poterit, qui ciuium in ipſum beneuolentiam, ac ſtudium nouerat. Viſus planè momento ereptus publicus Parens, ac commune perfugium: debentque profectò noſtri homines ad memoris animi ſpecimen viro benemerentiſſimo perenni elogio parentare.

Fines in Epiſcopatu partes.

In noſtros beneficentia.

Et eccleſiaſticæ libertatis zelus.

Peracerba viri mors.

Hi quidem ex Ordine, aucti Inſulis migrarunt; è vita verò, atque è rebus humanis non pauci, & ex ijs egregia virtute, ac fama plerique hoc anno exceſſere. Sylius Brunus, Salentinus, ineunte ſtatim anno, Ianuario menſe, mortalitatem exuit, à ſingulari diſciplinæ obſeruantia, à vitæ quadam auſteritate, à peculiari in inſtituendis mortaliſus facultate, à zelo animorũ cõmendatiſſimus. Bononiæ, vbi in fundando cœnobio egregiam operam poſuit, cõmuni etiã pietati eximia cũ laude, fructuque ſtuduit, vt opinionem virtutũ non exiguam collegerit. Mantuæ cũ omniũ ordinum beneuolentiam eximijs vigilijs, zeloque pietatis demeruit, tùm in primis Margaritę Gonzagæ, Ferrariæ Ducis; cuius conſcientiæ ad motus, qua deindè apud ipsã exiſtimatione, atq. auctoritate valuerit, fusè aliàs docuimus. Inclyti item eius domus Principes, præcipuè Vincentius, qui tùm rerũ potiebatur, inſigni voluntate, ac ſtudio Sylvium cohoneſtarunt: qui in eã Ciuitate piiſſimè occubuit, tanta cũ illarum gentium opinione, vt eius certatim effigiem pingendam ſibi curarent, veluti integerrimi, atque in omni virtutũ genere abſolutiſſimi viri exemplar. Huius mortem excepit Laurentij Felini, Cremonenſis fatum. Aprili ſiquidem menſe dũ Bergomi in principe eccleſia ſingulari cum omnium approbatione conciones haberet, æterno ſilentio conticuit; cõmutauitque cum tumulo pulpitum. Factus is videbatur ad publicam eloquentiam concentu quodam partium, quæ abſolutum ſuis numeris Oratorem faciunt. Nihil in eius dictione remiſſum, ac fractum: nihil ad aurium illecebrã: virile, ac neruoſum illi declamandi genus; ac nullum profectò in ſcelerum cladem certius telũ, quã quod grandi quadã voce, ac firmitate laterum incredibili eiubrabat è ſuperiore loco Felinus. Teſtes

Sylvius Brunus excedit è viuis.

Fr. Laurentius Felinus.

Verbi Dei preco eximius.

Ita-

Italiæ populi, ad quos nunquam ſine fruge, ac compendio pietatis dixit. Accedebant
viro eloquentiſſimo & doctrinarum præſidia, vt qui in ſcholis diù verſatus, ſedulam
tradendis ſcientijs operam nauauerat. Planè robuſtiore adhuc ſpiritu, ac æuo ſubla-
tus, non mediocri cum noſtro Ordini, tū cōmuni religioni incōmodo, ac mœrori fuit.
Sed geminatum eiuſmodi hoc anno vulnus: deſuncto ſimilis quidem literaturæ, ac

Et Ludouicus Thomaſius.

facundiæ viro, ſed cui longè ſplendidius theatrum contigit. Fuit hic Ludouicus Tho-
maſius, qui poſtquàm præcipuas Italiæ Vrbes victrici quadam eloquentia peragrauit,

Pauli Quinti à ſacris concionibus.

viſus tandem Romæ triumphaſſe. Enimuerò cùm deligendus Eccleſiaſtes eſſet, qui
ad Summum Pontificem, Auguſtumque Senatum ſtatis ferijs de more perotaret; in
excellentium, ac primæ notæ Oratorum certamine palmam Thomaſius præripuit;
lectuſque præclaro muneri eſt à Paulo Pontifice Quinto. An loci maieſtatem, aureſ-
que ſummi gentium omnium Principis, atque ampliſſimi Senatus ſua facultate, ac
voce æquauerit vir diſertiſſimus, acerrima Romanæ aulæ iudicia, ac ſumma ipſa ho-
minum capita, quæ pendere à dicentis ore videbantur, teſtata abundè ſunt. Procul
à viri oratione phaleræ, ac pompa. Grandius detonabat pondere quodam ſententia-

Vius eloquētia

tum, ac ſolidis priſcorum Patrum ſenſibus: ineratque præſertim idonea ſubeundis,
tractandiſque animis popularitas: nerui deindè in dicendo, robur, ac vis ardens au-
dientium pectora miro quodam impetu commouebat: vt nihil facilius eſſet, quàm

Et modeſtia.

flecti in quamcumque ipſe partem vellet. Dilaudanda hic etiam in tanto muneris
ſplendore, ac Quiritium plauſu Viri modeſtia. Nullum indè ſibi commodum, aut
diſciplinæ laxamentum deriuaſſe, voluit. Nihil ſibi, nihil ſuis, pluries licet à Pontifice
ipſo interpellatus, petere: aula, conſpectuque Principis abſtinere: vt monendus ab
eo fuerit, adiret identidem; ſciretque, audiri ſe publicè, ac priuatim pronis auribus.
Quæ quidem præclara inuitamenta cùm nihil de inſigni humilitate decerperent, ſo-
lidæ cuiuſdam virtutis argumento erant. Dum Patris Generalis Conſultorem in Qui-
rinali domo ageret, extremo Septembri correptus morbo eſt: &, vt raro Autumni
dies decumbentibus ſalutares, die Octobris ſecunda, procuratis ritè ſacris, peracerbo
cum noſtratum, ac Romanæ etiam aulæ ſenſu è rebus humanis exceſſit. Quem

Moritur item Blaſius Bottus

præiuerat in eodem cœnobio non ita multò ante, hoc eſt, Auguſto menſe, non vul-
garis quidem virtutis, ac nominis frater Laicus; nempè Blaſius Bottus, Piſtorienſis.
Valebat hic potiſſimùm pingendi arte, ex ſchola olim Danielis Volaterrani, qui Mi-
chaeli Angelo Bonarotæ operam dederat; famamque ſibi excellentis artificis com-

Pingendi arte conſpicuus.

parauerat. Et Blaſius quidem magiſtrum ad vnguem expreſſit, ac penè vicit; erat-
que Romæ in omnium exiſtimatione: vt Ioſeph ipſe Arpinas, & Pomarantius, prima,
videlicet, pictorum nomina, eius & ſuſpicerent tabulas, & artis documenta plurimi
facerent. Extant in noſtro Quirinali cœnobio pleraque eius operum monumenta,
in quibus eſt profectò, quod primarij ipſi artifices imitentur. Sed non hæc præcipua
viri piiſſimi ſtudia, cui non tàm animare arte, ac coloribus telas, quàm lineamentis,
formiſque virtutum pulcherrimarum ornare animum, curæ erat. Elucebat in exter-

Eius in Virginem pietas.

na ipſa fronte, ac geſtu pietas. Cùm cœlites omnes, tùm maximè Auguſtam ipſam
Virginem peculiari quodam ſtudio, affectuque venerabatur: adeò vt nullam non
eius effigiem, pingui licet ſchemate, manuque conformatam, intimè coleret. Emen-
dare ſuis illas lineamentis ſolitus erat: ac tùm quidem non tàm ab artis elegantia,
quàm à ſingulari quodam ardore animi ea appingi pietas figuris, videbatur, vt affla-
ret ſtatim, caperetque intuentium animos deuotio. Quas autem ipſe Deiparæ ima-
gines pingeret, aut minio expoliret: (nam & hac etiam miniandi facultate ad mi-
raculum valuit) arcanam vim quandam, animorum dominatricem, præferebant:
vt nihil eſſet Marianis ijs lineamentis conciliandæ in tantam Virginem religioni effi-
cacius. Expetebantur proindè iſtiuſmodi certatim tabulæ, erantque æquè pijs viris

Otij fuga.

ab ſenſu deuotionis, ac eius artis cupidiſſimis à venuſtate operis in pretio. Otio nihil
Blaſio infenſius. Ad ignem, vel cùm maximè ſeuiret hybernum cœlum, calefieri, de-
ſidis, otioſique id eſſe animi reputabat: ac tùm quidem laborioſa quæque obire exer-
citia, atque aſportare onera ſolitus erat: ſic hyemem labore frangi, atque optimè pro-
pulſari, aiebat. Externa domus miniſteria ea quidem contentione, alacritateque ag-
gredi, ac vorare; vt in Sociorum etiam curas inuolaret; nūnquam viſus defatigari,
vel

Digitized by Google

vel in ſuprema ipſa ſenectute Illud planè admirandum. A quodam morbo, atque abaſſiduis etiam laboribus ita affici dextrum illi brachiũ contigerat, vt iam vſu, motuque omni prorsùs careret. Moleſtiſſimus viro impigro morbus, cui tamen dare manus noluit. Communes ſiquidem labores, fullonicam præſertim mira quadam ſedulitate exercebat; vt dum alij dextera, ſiniſtra ipſe in opus incumberet. Romano illi viro perſimilis, cui dextrum item brachium ita obtruncatum in bello fuit, vt ſiniſtro deindè quater cum hoſte conflixerit. Ab externis verò eiuſmodi laboribus quicquid otij ſupereſſet; etſi fragmenta, ac minuta quædam temporis ramenta videbantur, precibus dedicabat, quarum ſtudio vehementer addictus; iiſque nocturnas præſertim horas, vt attentiùs oraret, ſeponebat. Inerat præterea peculiaris quædam in maiores, æqualeſque reuerentia, quæ ſummã illi omnium beneuolentiam, amoremque conciliabant. Eximia item illi in fratres charitas. Adeſſe nullo delectu, atque inſeruire omnibus. Ad hæc, diſciplinæ, ac priſci moris retinentiſſimus: quod eopręſertim documento declarauit. Integumentum capitis laicis noſtris rotundũ quidẽ ſed planum à primo fuit; quod poſtea tractu temporis, veluti quid obſoletum, cõmunique conſuetudini minùs conſentaneum, mutari oportuit. Blaſius, cui antiqui mores, externuſque etiam habitus cordi erat, id à maioribus impetrauit, vt pileum retineret: quamuis probè cognoſceret, fore, vt mutata in cæteris teſſera, inſolens illud pilei genus, riſum omnibus moueret. In quo quidem & eximiã quandam animi demiſſionem adprobauit: viſus profectò tanti facere humilitatem, vt, veluti corona mentũ aliquod, geſtaret illam capite. Vixit ad profundam vſque ſenectutem vegeta ſemper corporis habitudine: ac ſeptuagenario maior depoſuiſſe potiùs vitæ pondus, quàm mori, viſus eſt. Adfuit expiranti Eliſæus Nardinus, vir ſapientiſſimus, qui eius obitum vberrimo fletu, atque iis præſertim verbis excepit: Iacturam non ſanè mediocrem feciſſe tùm quidem Ordinem, erepto Blaſio, quocũ pauci omninò eſſent in Congregatione humilitate, pietatis ſtudio, diſciplinæ zelo comparandi. Illud à religioſiſſimis viris luculentum etiam de eo teſtimonium. Alumnus ſanctiſſimi Philippi Nerij Blaſius fuerat, ac familiaritatem deindè cum Oratorij Patribus continuauerat: vt, & inuiſeret ipſos ſæpè, & ab ijs viciſſim peculiari voluntatis ſignificatione ornaretur. Ergò, eo defuncto, proſequuti Patres intimo quodã animi ſenſu mortem ſunt, quam inſigni cum virtutis elogio in publica ipſa cœnatione Præpoſitus ipſe euulgauit; ac perindè quaſi vnus quiſpiam è ſua Congregatione obijſſet, iiſdem omninò ſacrificijs cohoneſtarunt. Sed neque hic diſſimulandũ inſigne optimi viri ex noſtris de Blaſij virtute, adhuc ſuperſtitis, iudicium. Fuit is Thomas Gueuara, notiſſimum à ſolida virtute nomen, qui ſub ipſis Panormitani cœnobij, cui præerat, initijs, cùm ad Religionis habitum fratrem quendã laicũ admitteret, mutandumque de more nomen eſſet, Blaſium appellandũ, iuſſit: monuitque ea illum nomenclatione affeciſſe, vt ad abſolutiſſimi cuiuſdam Viri, qui Romæ degeret, imitationem prouocaret: tùm Blaſiũ Bottum, quo de loquebatur, à ſui contẽptu, à modeſtia, à religioſæ obſeruantiæ zelo, atque ab eximia pietate cõmendare ſuſè, ac diſertè inſtituit. Quod ſanè ad viri laudem non mediocriter facit. Illud poſtremò loco apponimus, quod Angelus Maria Adimarius, laudatiſſimus ex noſtris ſacerdos, ſibi accidiſſe, teſtatus ex fide eſt. Decumbebat is peracuta ex febri, cũm fungi vita Blaſiũ contigit: & qui addictus magnoperè boni Senis virtuti erat, inflammari acri quodã deſiderio ſenſit, conſpiciendi, antequàm ſepulturæ mandaretur, exanime corpus. Neque adeò valuit mali vis, vt ipſum detineret, quominùs accederet. Ergò duobus ex noſtris innixus, adijt; ac pijſſimi fratris pedes complexus, atque inter lachrymas exoſculatus, id etiam ab eo poſtulauit, vt quando pro cõperto haberet, frui iam Deo, ſalutem ſibi impetraret. Neque fruſtra preces fuere. Nam qui paulò ante aliena ope aduenerat, ita incolumis rediit, ac ſi nunquam ægrotaſſet: ac poſtridie mane fecit pro amantiſſimo fratre ad aram; planè non ſine cõmuni admiratione; cùm non is eſſet morbus, qui ſolui momento, niſi diuinitùs, poſſet.

Orationis ſtudium,

Et charitas.

Veteris diſciplinæ tenax.

Nardini de eo teſtimonium.

Et Oratorij Patrum.

Et Thomæ Gueuaræ.

Et Angeli Mariæ Adimarij.

Atque hæc huius anni inſignium virorum funera, quibus quidem, quod gradum ad conſequentem annum facimus, annectenda & ea ſunt, quæ hoc ſubindè tempore acciderunt. In Neapolitana Sanctorum Apoſtolorum domo obijt ſexta, & vigeſima

An. Dom. 1616.

Io. Franciſcus de Ponte diē obit ſuum.

Iunij menſis die Ioannes Franciſcus de Ponte, Neapolitanus, vir Senatorius, primique ſubſellij, & quà ingenij laude, quà ſcriptis monumentis, quà geſtis in vtraque Heſperia magiſtratibus, quà ciuili prudentia longè ornatiſſimus. Perſonam quidem egit in theatro multiplicem, nunquam ſine plauſu; ac nunquam ſanè laudabiliùs, quàm in extremo actu, cùm poſito faſtu, religioſum virũ egit. Ipſa ſtatim doctrinæ rudimenta quantus in Neapolitanis iudicijs futurus is eſſet, cōmonſtrarunt.

Eius doctrina.

Emenſus nanque ciuiliũ ſtudiorũ ſpatia, ac patrocinando mox iuri addictus, vt ſingulari eruditione, ac vi mentis, ita facultate eloquentiæ in tractandis controuerſijs præſtare alijs, videbatur. Forenſi in hac arena exiſtimationem, famãque nominis collegit non vulgarem; dignuſque mox habitus, qui publica obiret munera. Ac primò quidē Regiæ, vt aiunt, Cameræ Præſes, quæ honeſtiſſima Neapoli eſt magiſtratus appellatio, renunciatur: probauitque in eo gradu ſedulitatem, ſolertiã, mentemque rerum capaciſſimã.

Et magiſtratus

Quarè vocatus in Hiſpaniam à Philippo Secundo Rege, admotus ſupremo Italiæ conſilio eſt. Quo in munere cùm nullis conſultiſſimi adminiſtri partibus deeſſet, & aulæ iudicia, & Regis gratiam breui ſibi deuinxit. Defunctuſque ijs curis, auctus fama, ac titulis, primarũ partium ſenator Neapolim redijt; renunciatus nempè Collateralis, vt aiunt, Conſilij Regens, cuius poſtea decanus fuit: eaque auctoritate, ac potentia ab eo munere valuit, vt cuncta propè Neapolitani Regni conſilia adminiſtraret Murconis Marchio; nam & hanc etiã ex Hiſpania appellationem retulit. Hoc illi in hac officiorũ procuratione planè admirandũ: conſtanti quodam ſpiritu, ac aure ita publicæ rei adeſſe, vt nulla vnquam negotiorum mole obrui, aut aliquod præſeferre vultu, geſtuque faſtidiũ, videretur.

Et in ijs obeũdis ſedulitas.

Vegetari laborioſa rerum tractatione mentem, ac vires corporis, putabat: tantùm abeſt, vt factum ad aliorum cōmoda, virum præſtantiſſimũ detereret, aut afficeret aliqua ex parte labor. Externis verò dum vacat, ſtudiorum contentionem, quæ ſedatũ alioqui animũ poſcunt, nunquam remiſit. Nam de feudis in publico gymnaſio prælectiones identidem habere; quæ princeps Cathedra, & nonniſi iuris Antiſtites, ac primæ togæ materiã interpretantur. Ad hæc, cōmentarijs publicæ vtilitati lucubrandis inſiſtere: ac percelebrè ſanè eſt ab eruditiſſimis ſcriptorũ monumentis inter legũ interpretes, ac iure conſultos Ioannis Franciſci de Ponte nomen.

Et ſcriptorum monumenta.

Edidit, antequàm noſtræ Congregationi ſe daret, hæc, comprehenſa ſingulis voluminibus, opera: nempè, Conſiliorũ Centuriam. Deciſiones Supremi Conſilij Italiæ. Repetitiones Feudales. Iuris Reſponſum ſuper Pauli Quinti cenſura contra Venetos. De Poteſtate Proregis Neapolitani, & Collateralis Conſilij, ac de Regni Regimine. Poſtquàm verò cooptatus in Ordinem eſt, ſtudiorũ veluti reliquias, ne videretur vel in ſuprema ſenectute vacaſſe, typis, ac luci dedit: hoc eſt, Conſiliorum volumen alterum, centũ, & ſexaginta conſilijs conſtans.

Conſiliũ abdicandi forenſes curas.

At enimuerò qui non aliorum duntaxat curis, ſed ſibi etiam, ſuiſque natum ſe cōmodis nouerat vir prudentiſſimus, recognoſcere vitæ ſuæ rationes cœpit; & qui non ita ſecundis ventis enauigauerat, quin pelagi interdum minas, vndarumque impetus expertus fuerit, contrahere vela, antequàm diuerberarent acrius noui fluctus, optimum factu duxit.

Quod voto firmat,

Dum hæc animo peruolutaret, correptus cōmodùm graui morbo eſt, ac penè cōclamatus: & quod nihil efficacius mouet, quàm inſtantis fati metus, quod de cōmutanda vitæ ratione agitauerat, vnti ſacramento firmauit: ſtatuitque ſi conualeſceret, abdicatis ſummi magiſtratus inſignibus, receptui canere. Reſtituta dein ſalus: idque potiſſimùm deliberationem, votumque maturauit, quod ipſemet in Cōmentario de auctoritate Proregis epiſtola ad Lectorem narrat. Appellatum nempè ſub id tempus Maximũ Pontificem Alexandrum Cardinalem Mediceum, qui, vt Chriſtiano Orbi ſumma indole fauſta pollicebatur, ita affinitate, quam Horatius de Ponte, Padulæ Marchio, eius filius cum Cardinali contraxerat, nonnihil in cognatam eam domum ſplendoris, opumque deriuaſſet. At nihil Suprema hac Medicēi Infula breuius. Enimuerò, explicata vix tanti Principatus ſcena, rato quodam fluxæ mortalitatis documento, quam ſuſceperat repræſentandam ſummi Patris perſonam, dies intra ſeptem, & viginti ſtatim exuit. Quo quidem præpropero rerum exitu, obiecta Ioanni Franciſco humanæ fabulæ inconſtantia, & vmbra eſt; & qui ſecum ipſe conſtituerat, quicquid eſt publicæ dignitatis abijcere, feſtinauit contemptu quodam, & quàm potuit citiùs perficere

ficere conſilium. Itaque petere à Philippo Rege dimiſſionem; quam, arduum licet eſſet, à prudentiſſimo Principe impetrare; qui nouerat excellentium adminiſtrorum vbique inopiam, & caritatem: attamen cùm iterum, ac ſæpè, ac precibus infimis poſtulata inſtauraſſet, poſt annum tandem obtinuit. Interim initiari ſacris voluerat, vt ſuis ipſe litationibus placaret ad aram Numen: quo viſus proximè quidem ad ſtationem, portumque acceſſiſſe; non autem ſubduxiſſe omninò ſe pelago, ac fluctibus. Itaque cedere ſeculo, ac diuino ſe ſe obſequio mancipare, nuncupatis religioſæ diſciplinæ votis, apud animum ſuum ſtatuit. Profundæ quidem ætatis iam erat; quippè qui ſecundum ſupra ſeptuageſimum annum ageret: proindèque non eas afferre vires nouerat, quæ ſtrictiori vitæ, regularique obſeruantiæ ſufficerent. Attamen quòd ſuppleret æuum alacritas, atque ardens Deo ſeruiendi ſtudium; non ſenium, non corporis incõmoda, ac diſciplinæ rigor animatum egregiè virum terruit. E ſacris Ordinibus noſtrum delegit, quem Petrus Antonius de Ponte, eius filius, Troię deindè Epiſcopus, doctrina, eloquentia, moribus ornauerat. Habitum flagrantiſſimo quodam ardore animi in Sanctorum Apoſtolorum domicilio poſtulauit: viſumque Patribus, eius exiſtimationis, ac nominis virum ex animo complecti; vt qui tantum in ſuprema ætate ſolidę virtutis ſpecimen daret: putaruntque, fore, vt adderet noſtræ iuuentuti ſtimulos demiſſa ad Theatini Inſtituti mores, cultumque modeſtiæ præclara ea canicies, ac perſonæ dignitas. Admiſſus, peculiari Maximi Pontificis facultate tyrocinium ſemeſtri abſoluit; nuncupauitque publicè vota in eadem domo, plaudente ad ſummi Viri conſilium, ac præclaram mentem Neapolitana nobilitate, quæ admirari maximoperè videbatur, innutritum faſcibus, ac dominationi virum, non modò vtcumque abdicaſſe, ſed ſeueriorem viuendi formam religioſo in habitu deuexæ id ætatis, quæ maximè humana ope, ac præſidio indigebat, delegiſſe. In eo porrò religioſę diſciplinę ſtatu nactus animi quietem, reſpirare poſt exantlatas Regnorum curas cœpit, veluti in ſinu perfectiſſimę tranquillitatis. Obſeruantias ætati attemperatas, nunquam viſus prętерire. Humilitatis ſtudioſus, nihil exactę olim dignitatis, aut faſti retinuit. Prępoſitos ita reuerebatur, vt proximè ad timorem quendam accederet reuerentia, Quod ſanè admirandum: vt qui pro muneris auctoritate timorem alijs ſupercilio, vultuque incuſſerat, metueret ipſe poſtea ad religioſi viri aſpectum, ac nutum. Triennium in Congregatione cum laude pietatis vixit: obijtque die vigeſima ſexta Iunij menſis, maturus æuo, nec imparatus: quando, vt affirmat ipſemet in loco, quem modò laudauimus, ea potiſſimùm mente in religioſorum ſe ſe cœtum collegerat, vt poſt longum vitę, ac rerum curſum colligeret vaſa, atque appararet ſe morri.

Et impetrata facultate, exequutioni mãdat.

Sacris initiatur.

Vota Religionis concipit.

Piè moritur.

Defecto ſeni adoleſcentem ſummi generis, ac ſummę ſpei adnectimus, qui hoc anno Genuę ingenti cum vniuerſi Ordinis ſenſu ſupremũ diem immaturo nimiùm æuo clauſit. Diximus, geminam ornatiſſimi Principis Ferdinandi Gonzagæ, Guaſtallæ Ducis, ſobolem dediſſe noſtræ diſciplinæ nomen in Sanctorum Apoſtolorum domo, vbi ad omnem virtutis laudem educati diutiùs adoleſcentes fuere, quoad adulta iam indole, ac ingenio, admoueri literarum ſtudijs, oportuit. Natu maior Philippus, minor Ioannes: vterque Genuam, vt Philoſophię operam darent, deſtinatus. Sed Philippus ad alterum mox lycæum vocatus: & qui Genuam Iunio menſe peruenerat, extremo Auguſto decubuit, ac die Septembris duodecima deceſſit. Vota, quæ concipere publicè minimè potuit, ſupremo ſpiritu priuatim, ac ritè nuncupauit. Nam, legitimum licet profitendi tempus expleſſet, germanum fratrem, vt vnà ſimul vnanimi charitate, ac religione Deo ſe ſe dicarent, expectabat. Affecit vehementer noſtros lectiſſimi adoleſcentis caſus; ſed vehementiùs Parentes, peracerbo quodam naturæ vulnere. Ipſa in primis Victoria Doria Mater, robuſtiſſimi licet ſpiritus fœmina, ad animæ deliquium doluit; veluti è gemina oculorum luce, altera erepta ſibi tunc eſſet. Promiſerat quidem Philippus ab ipſo æui mane meridiem quandã excellentis virtutis. Inerat moribus grauitas, quam vultu etiam, atq. habitu corporis præſeferebat: vt factus ad omnem prudentiã videri poſſet, ſi maturuiſſet indoles. Cõciliabat verò maximè aliorũ beneuolentiã quędã in agendo ſuauitas, ac parca quidẽ, ſed comis ad omnes facundia. Nihil autem in eo laudabilius, quã in prę̨clara nataliũ luce humilitas. Non maiorũ,

Philippus Gõzaga moritur.

Deſcribitur eius indoles.

Digitized by Google

non ſuæ domus decora loquendo vnquam vſurpare: nihil abiecti operis recuſare, Si quę fratrum opportunitas officium, ac operam poſtularet, nemo promptior. Cumulabat has animi partes peculiare quoddam in ſuam Congregationem ſtudium, quam quia complexus intra pueritiam fuerat, videbatur ſibi, non aliam agnouiſſe matrem; ac natus penè Clericus Regularis. Ornabant florentiſſimum Iuuenem & aliæ eiuſmodi laudes, quibus annos feſtinauerat, ac maturus cœlo videri poterat.

Expleuerat interim præſcriptam ſolennibus religionis votis ætatem Ioannes, germanus frater, eoque ſacramento authorandus, id in primis Parentes poſtularunt, vt leniendo ex alterius filij morte vulneri, Guaſtallæ, vbi hoc ipſo anno noſtros euocauerant, vt mox dicam, publicę id functionis obiret. Gerere beneuolentiſſimis Principibus morem, oportuit. Eò igitur Ioannes vouendæ Religioni translatus. Qui vota exciperet, eò etiam vnà ſe contulit Ioannes Scurcouillus, qui Genuenſem tùm domum temperabat. Cumulandæ verò celebritati adfuere Ioannes Baptiſta Caſtaldus, & Ioannes Spinula, Ciſalpinæ eius Prouinciæ Viſitatores; euocatis item è Mantuana domo Præpoſito, ac pleriſque Patrum. Religioſis hiſce natalibus, veluti iterum Chriſto generarent, adfuere inclyti Parentes; ac mutato ſenſu, quas dederant dolori lacrymas ob vnius ſobolis fatum, lætitiæ nunc fudere ob alterius natalem diem.

Ioannes Gonzaga vot. Guaſtallæ nũcupat.

Iam verò, quoniam Guaſtallæ iam ſumus, explicanda eius contubernij initia opportunè veniunt. Oppidum id eſt in Gallia Ciſalpina ad Padi flumen, cuius & beneficentia à perenni fluxu, atque irrigatione fruitur, & iram timet, ſi nimiùm fluuiorum Rex ſuperbiat, ac intumeſcat. Æquè ſoli, ac populorum bonitas locum commendat; quamquã præcipua eius laus eſt, quòd nobiliſſimorum Principum ſedes cũ ſit, magnificentiam, ſplendoremque inclytę domus, veluti ſuum complectatur: nec exigua ſanè dignitas, tanti nominis, famæque Gonzagas inibi dominari. Conceperant quidem Ferdinandus & Victoria, loci Principes, ſingularem in noſtrum Ordinem voluntatem, cùm à filiorum educatione, ac habitu, tùm ſuopte ingenio, atque ipſius Congregationis exiſtimatione: idque præcipuo quodam ſtudio optare videbantur, vt Guaſtallæ noſtri homines conſiſterent, fundarentque Inſtituto domum. Compoſitæ ſuperiore anno ad Generale Capitulum à Ferdinando litteræ fuere. Commune, ac flagrantiſſimum deſiderium aperuit: præclaram familiam ſibiquidem ſolatio, ac fructui; Oppido ſuo non mediocri ornamento; populis eruditioni futuram. Deſignatam iam illi excipiendæ ſedem: pietatem, quę aleret, præſto eſſe: ac ſe quidẽ ſua beneficentia nec quotidiana annona, nec templi, tectique exędificationi defuturum; ac paucis, modò accõmodarent poſtulationi aures, ac animum, eſſe, qui iſthęc opportunè curaret cõmoda. Legem in ijs Comitijs ſanciuerant Patres, vti monuimus, qua domicilia excludebantur, in quibus ali viceni religioſi homines nequirent: eaque propter cùm non eam eſſe Guaſtallam ſcirent, vbi ſuſtentari piorum ſtipe is numerus poſſet, præcluſiſſe ipſi ſibi viam nouæ huic coloniæ conſtituendæ viſi ſunt. At enimuerò, quòd multum ſe optimo Principi debere Patres intelligerent, ac ſatis haberent efficacię, ac ponderis poſtulata; ita emollire Capituli conſultum decreuere, vt nec legem infringerent, & aliquid poſtulantis beneuolentię, ac dignitati darent. Quare ſcitum, vt ſi ſexdecim omninò ex noſtris, nullo quidem vectigali annuo ſed ad inſtituti formã, degere ibi poſſẽt, Pater Generalis vnà cũ ſuis Cõſultoribus, inſpectis deindè cœteris in cõmune cœnobij cõmodum, ac vſum, de re tota pro libito decerneret. Qui quidem, explorata re propiùs, cum loci ſitum peropportunum dari, ac cœtera ad legum noſtrarum normam conſtare, comperiſſent, vrgente pręſertim deliberationem, Patrumque aduentũ Gonzaga, mittendam eò familiam decreuere. Deſtinata impigra noſtratum manus, qui, ducente agmen Ludouico Perſichello, Cremonenſi, inſigni prudentia, ac religione viro, die menſis Iunij vigeſima ſecunda Guaſtallam iniere ingenti cũ illorum Principũ, ac popularium gratulatione, veluti quid auſpicatiſſimum, communique bono opportuniſſimum ea die ſibi contigiſſet. Excepti in Eccleſia Diuæ Marię Sacra, quã ab Arce veteri nuncupant: ędeſque attiguæ, quas coëmerant, attributæ, in quibus conformata illicò ad Theatinum morem conclauia fuere. Quo pijſſimi Principes ſtudio eò Ordi-

Guaſtallã euocantur noſtri.

Fundantque inibi domicilium.

di.

Digitized by Google

dinem inuitauerint, quo deindè ſenſu animi exceperint, aſſiduā quædam cū noſtratibus conſuetudo, atque in diſciplinam deuotio; tùm regia quadam indole liberalitas, ac munificentia cōmonſtrauit; quorum ad exemplar ciues complecti ex animo nouos hoſpites, iuuare, fouere pio modo viſi ſunt. Et reſpondere quidem inſigni conatu illorum opinioni, tùm beneuolentiæ, pietatique noſtri cœpere. Inſtructa ſiquidem eccleſia, quæ eſt Theatini prouentus fundus, vigilias ſuas à diuini Numinis cultu cœptas, voluere. Inſtituta die, noctùque pſalmodia concinnatæ ad omnē elegantiam aræ: vbique, in ſacro inſtrumento, in parietibus nitor. Quę quidem diuinorum mundicies, & cura nimiū quantū gentis animos ceperit; quę adeò accuratè, ac ſplendidè tractari ſacra magnopetè oblectabatur. Ad hæc, ſpargi ad aliorum cōmoda; expolire publicè, ac priuatim mores; habere ad multitudinem conciones; peccata condonare; ad Chriſtiani officij amuſſim conſcientias conformare, adire moribundos, aliaque eiuſmodi opera nauare; quibus adiungere ſibi mirificè vulgi ſtudia potuere. Addita verò ijs ſtatim eſt princeps quędam religio, quæ & populi frequentiam adauxit, & incitamento ipſorum ſedulitati fuit. Colebatur in Diui Bartholomæi templo præcipua quædam, ac celebris Deiparę imago, quā D. Lucæ Euangeliſtæ opera, manuque inſculptam, vetus fama eſt: feceran͏tque ſimulacro pretium patrata ab eo mira: in quibus illud planè admirandum, quod mota aliquando ſua ſede Virgo, ad eandem nulla mortalium opera mox redierit. Hęc itaque Auguſtę Virginis effigies, impetrata à Romano Pontifice facultate, tranſlata hoc anno eſt in noſtram eccleſiam die Auguſti menſis quarta decima fuit. Excipiendę magnæ Matri inſtructa magnificè ſacra ædes, atq. accerſiti è vicinis domibus conficiendo frequentiori agmini noſtri homines. Adfuere Ferdinandus, & Victoria, ac lectiſſimi filij, tùm conſertiſſima virorum, ac fœminarum celebritas; vt deducta, veluti in triumphum, admirandæ Deiparæ effigies fuerit. Cuius anniuerſaria ſubindè ſolennitas quotannis die Maij ſexta decima incredibili populorum accurſu, ac ſolenni pōpa, rituque agitur. Siquidem non ciuium modò pietas confluit, ſed è vicinis etiam pagis ęſtu quodam certatim adeunt: augentque accurrentium religionem ſolennia ſacra, quæſitæque in ijs voces, ac ſymphoniæ, tormentorum diſploſiones, nocturni, feſtique ignes, aliaque ad lętitiæ incitamentum: idque ære publico. Venerantur quippè ſingulari quodam ſtudio Dei Matrem, cui ab Arce nomen, Ciues, veluti certiſſimum munimentum, arcemque ad mortalium tutelam longè inſtructiſſimam. Et verò, pręter antiqua tanti parrocinij documenta, non obſcura ope Marianæ Arcis pręſidia experti ſub hoc maximè tempus ſunt. Anno præſertim huius ſeculi duo de vigeſimo, Octobri menſe ineunte, ab aſſiduis imbribus, ac ventorum vi vſque adeò Padus intumuit, vt nihil propiùs eſſet, quàm vt per diſſectos aggeres effunderet ſe ſe latè, ac Guaſtallam miſerabili eluuione mergeret; iamque minas ſuas ad mœnia horrendum in modum admurmurabat. Fusæ publicæ ad Deiparam preces. Nec mora: aquarum moles, quæ petere Guaſtallam videbatur, Gualterium, quod Mutinenſis Ditionis oppidum eſt: incubuit: reſtante nimirū fauore Virginis, quæ aliò flumen, eiuſque impreſſionem flexit. Perſolutę interim magnæ Tutelari gratiæ; & quòd aquarum impetum propulſauerit, fusæ vberiùs lætitiæ indices, lachrymæ. Planè conſuluit quàm opportuniſſimæ illarum gentium incolumitati diuinum Numen: vt quando tàm propè eſt hoſtis, propè etiam eſſet, ac pręſens frangendo hoſti Marianum præſidium. Quod etiam annis conſequentibus, dum tanta cum ſtrage mortalium graſſaretur popularis lues, viſum, imminuta non minimùm clade, adfuiſſe.

In quo ſtrenuè operam ponunt.

Imago Virginis ab Arce in noſtram eccleſiam tráſfertur.

Certū nempè Guaſtallæ præſidium.

A quo Padus detumet.

Huic porrò Virgini ab Arce cùm magnoperè addictus Ferdinandus Princeps eſſet: optaretque vehementer ſibi, ac ſuis populis propitiam; eius obligare certiùs fidem, tutelamque conſtituit, excitato in eius honorem templo, quod poſtea Clericis Regularibus attribueret, quos in procuranda animorū ſalute impigros, ac nauos, indigere ſuis induſtrijs ſplendidiorem, maioremq. areā, nouerat. Itaq. deſcripto ſitu, ac idea operis, conſequenti mox anno Dominica, quæ in vigeſimā ſecundā Octobris diē incidit, fundatū templū eſt, iactuſque à Ludouico Gonzaga, D. Andreæ Mantuæ Primicerlo, primarius lapis, ſolenni quidem ritu, plaudente ad ſurgentis baſilicæ magnificentiam populo, qui auxiliatem exædificationi operā adhibebat, ac ipſo in primis Ferdinando cùm filijs pompam implente. Lapidi inciſa eiuſmodi inſcriptio fuit.

Fundatur nouum Deiparæ ab Arce templum.

Sub

ta . Auditus nanque Fulgentius Gemma, Licienſis, Margaritæ Gonzagæ, Ferrariæ Du-
cis, quam modò nominaui, à ſacris confeſſionibus, cui virilis, atque admiranda quę-
dam inerat linguæ efficacitas. Accerſitus item Mutina Ioannes Paulus Fornarius,
Genuenſis, qui non minùs elocutionis concinnitate, ac gratia, quàm frugifero quodã
valebat dicendi charactere. Dixit Iſidorus Macedonius Neapolitanus, cui nullum
à verborum delectu, ac fuco lenocinium, plurima ab ingenua quadam, facilique fa-
cundia acceſſerat dicendi vbertas, ac copia. His additus Laurentius Berna, etiam
Neapolitanus, qui explicare horis pomeridianis vetus teſtamentum inſtituit, in eiuſ-
modi dicendi genere planè egregius. Temperare is argumenti grauitatem ea ſermo-
nis vrbanitate, feſtiuitateque ſolitus erat, vt nunquam ſine plauſu diceret. Qui verò
prolixiore quidem temporis ſpatio ad omnem Ferrarienſium guſtum declamauit, fuit
Dionyſius Dentice, Neapoli euocatus, vt pergeret ipſe eloquentiæ flumine irrigare,
quod alij proſeminauerant. Qui quidem, vt in dicendo cæteris non inferior videri
potuit, ita in fundandæ coloniæ conſilio, ac opera felicior ijs fuit. Scilicet, veluti — *Dionyſius Dẽtice rem conficit.*
non tàm ad virtutem, quàm ad Sedem Theatino Inſtituto conſtituendam audi-
torum animos inflammaret, viſus auſpicatiſſimè in eo negotio velificaſſe, inſigni
nimirùm beneuolentia, ac aura, quam ab omni hominũ gradu, cenſuque captauit.
Igitur certatim ordo, ac populus pro ſingulari, quod in noſtram familiam concepe-
rant, ſtudio, in id maximè incumbere: fauebantque eximia voluntate magni nomi-
nis Purpuræ omninò quatuor, quæ tùm Ferrariæ morabantur; nempè Iacobus Car-
dinalis Serra, Pontificis Legatus, qui Spinulæ ſucceſſerat, Io. Baptiſta Cardinalis Le-
nius, Ciuitatis Antiſtes, Bonifacius Cardinalis Beuilaqua, & Carolus Emmanuel Cardi-
nalis Pius de Sabaudia. Qui omnes cùm nullam ornandæ diſciplinæ, nouique cœno-
bij vrgendi occaſionem prætermitterent, tùm ipſe in primis Cardinalis Pius flagran- — *Adnitẽte præſertim Card. Pio.*
tiore quadam ſtudio, eaque contentione negotium peragendum ſuſcepit, vt res no-
ſtra Ferrarienſis tota ferè Auguſto huic Principi debeatur. De ſitu, quem ſibi maxi-
mè opportunum contingere, noſtri peroptabant, inſpecta accuratè Ciuitate, delibe- — *Qui locum deſignat.*
randum primò illi fuit: delegitque nobiliſſima, ac frequentiore in Vrbis regione locũ,
à foro quidem non longè poſitum, arci proximum, ac in ipſo medio, ſinuque nobili-
tatis: quo quidem nihil ad Patrum induſtriam, ac votum accõmodatius. Verùm
res erat ſuis obſeſſa difficultatibus. Nam qui cõmune populorum cõmodum ſpecta-
bant, ad alterum Ciuitatis latus nouas haſce vigilias, ac operas voluiſſent, vbi vacuus
à religioſis familijs campus; ac nullibi melius, ac fructuoſius noſtri deſudaſſent. Maior
autem à religioſis quibuſdam viris oppugnatio. Eſſe intra legitimum ſpatium diſtan- — *Mora à religioſis viris.*
tiam, negabant: proindèque ſi agendum iure eſſet, conſiſtere inibi minimè poſſe.
Non deeſſe in ampliſſima Vrbe loca, quæ citra aliorum incõmodum Theatinam
diſciplinam exciperent. Æquam cauſam Romæ etiam perorabant, ac acerbè con-
querebantur: ita vt monitus Legatus fuerit, curaret diligenter, ne mutuis inter ſe ſe
diſſidijs ſacri Ordines diſceptarent. Quæ quidem id effecere, vt cautiùs noſtri agerent:
eaque dexteritate temperare negotium occœpere, vt neque Legati monita, atque ad-
uerſariorum conatus contemnere viderentur, nec à cœptis deſiſterent; adnitente in
primis, qui auctor loci fuerat, Cardinali Pio, non affectu modò, ac ſtudio, ſed ſingu-
lari etiam munificentia. Domos nanque eo loci duas noſtratum vſui, eccleſiæ præ-
ſertim conſtruendæ, coëmit, conduxitque, vt latiùs habitarent, & aliàs, ijs proximas.
Quibus expeditis, & ſi non ita clàm omnibus fieri poterant, quin manaret in vulgus — *Sed res nihilominùs conficitur.*
rumor, atque adeò non leue ab ijs, quos diximus religioſis hominibus, timeretur bel-
lum; nihilò tamen minùs, qui rem adgubernabat Dionyſius Dentice, eximia quadam
in Deum fiducia, cùm aliò flexiſſe curas ſuas videri poſſet, ex inopinato ſimul inſignia
noſtri Ordinis, hoc eſt, Sanctæ Crucis labarum in ijs explicauit, ſimul demoliri tectum,
ac delineare templum cœpit: idque profectò ingenti admirationi fuit, quòd qui obni-
xi mordicùs, ac nunquam laturi videbantur, vt hæreret ibi Clericorum Regularium
Inſtitutum, præſertim quòd plurima ijs inerat auctoritas, valebantque ſuorum ſtu-
dijs, ac clientela: vbi cœpta operis molitio eſt, iniecta quadam veluti reuerentia, viſi
obmutuiſſe, ac nullus omninò fuit, qui conſilium interpellaret, intentaretque actio-
nem, ac bellum. Nempè qui Dei opus curant, etſi prudenter etiam metiri momenta

rerum

rerum debent, quadam nihilominùs animi magnitudine valeant, neceſſe eſt: vt non ſtatim præpoſterus ab exigui ſpiritus imbecillitate timor det manus. Contigere hęc eccleſiæ rudimenta inſequenti mox anno ſeculi decimo ſeptimo: verùm labores, curas, totiuſque ideam operis hic annus habuit, in quo ea literis conſignamus. Et quamquam non tàm operoſa, ac duratura in conſequentes annos ea erat ſubſtructio; aliam nanque, vti monebimus, inter Ferrarienſes baſilicas ampliſſimam, ac longè ſplendidiſſimam excitarunt deindè Patres; cōmoda nihilominùs pro modo, ac tempore videri poterat; ac cœptam ſubitario quodam impetu, mira ſubindè diuini Numinis prouidentia continuari, atque abſolui intra annum contigit. Siquidem, vt nihil eſſet domi pecuniæ, ea tamen erat quotidiana Ferrarienſium pietas, vt continenti labore, ac ſumptu opus pergeret. Adfuit mirificè Iulius Thienes, Scandiani Marchio, Beati Caietani, noſtri Ordinis Conditoris, gentilis, elargitus præſertim calcem omnem, quam aduehi ſecundo flumine è ſuis oppidis, iuſſit. Ligna, trabes ad eccleſię contignationem Entius Bentiuolus Marchio, opibus, & quæ opes ornat, magnificentia inclytus, dono dedit. Nam cùm eo anno placando Numini, pacandęque Italiæ Iubilæum euulgaſſet Pontifex, eòque lucrandæ cœleſtium delitiorum affluentię eroganda pietas eſſet, accerſito is Dentice: decreuiſſe, inquit, eleemoſynam ſuam, nempè quicquid materiæ, ac ligni poſceret ædificium. Quocirca peramplam, ac pulcherrimam, quam publicæ hilaritati ſcenam fabricandam curauerat, deſtrui extemplò iuſſit: ac neſcias, maiore animi celſitudine, an religione, quod profanæ mortalium oblectationi, theatriſque addixerat, diuino cultui dedicauit. Valuere hæc virorum principum exempla ad æmulationem; auſæque viris concurrere matronæ; è quibus quę liberaliore quodam fluxu aurum fudit, Marchioniſſa Beatrix Rangonia fuit, cui & ingens animus, & pares animo opes erant. Hiſce adiumentis producta ad ſupremam manum Eccleſia: & quidem, vti ſignificaui, intra annum, ac cogitatione citiùs. Nam cœpta Decembri menſe, die Septembris octaua, Marianis cunabulis ſacra, auſpicatiſſimè quidem ab eo fauſti ſyderis exortu, mortalibus patuit. Qua die Cardinalis Serra Legatus legitimis illam religionibus expiauit; ſacriſque operatus, diuina myſteria populis diſtribuit: eaque nobilium, vulgique celebritate templum efferbuit, vt exundaret extra aream, ac alueum multitudo. Nomen illi Diua Virgo à Pietate indidit: placuitque ea poriſſimùm Pietatis nomenclatio, vt Cardinalis Pij, qui ſtudio, & opera fundauerat, vnà cum Templo ipſo perennaret memoria. Deipara verò ideò locum ſibi vendicauit, quod eius pulcherrima effigies in aditu domus, quę empta ad templi opificium fuit, vetere quadam religione ſub Ferrarię Ducibus colebatur, continuata ſubindè ad hęc vſque tempora obſeruantia; vt nullus illà pertranſiret, quin aperto capite veneraretur. De qua illud etiam memoratu dignum ferebatur. Scilicet, longè ante noſtrorum memoriam Patrum deſcriptum nouum quoddam ędificium id loci cùm eſſet, ac deleri hanc Deiparę imaginem oporteret; virum quendam morum fama, ac ſanctitate inſignem, qui propè habitabat, iniecta religione, vetuiſſe; ac diuinitatis inſtinctu quodam pronuntiaſſe; effigiem nullo pacto delendam. Monumentum nempè, ac teſſeram magnæ Matris eſſe, qua ſignificaret, ſuum eſſe loci ſitum, in quo Auguſto ſuo nomini ſurgeret olim templum. Ab hac antiquæ imaginis veneratione placuit Patribus Marianum ſuæ eccleſiæ nomen. Ipſam autem effigiem, qua primùm die celebrari ſacris, ac cætero diuini Numinis cultu noua cœpit baſilica, intra eius ſepta tranſtulere, plaudente populo, quòd ſuus iam contingeret ſanctiſſimę Virgini locus; impleretque Numine, ac nomine ædem ſuam communis Regina. Quę mox, vt oſtenderet, gratiſſimam ſibi eam ſedem accidiſſe, adeuntibus voti cauſa mortalibus, conferre non parca quidem manu beneficia inſtituit; quorum indices votiuæ tabulæ ſunt, quæ hodieque ſacellum ornant, excitantque impetrandi fiduciam. Hanc porrò eccleſiam, cui conſtruendæ plurimorum manus viſæ certatim conſpiraſſe, pia etiam æmulatione ornandam ſacro inſtrumento, ac ſuppellectili ſuſcepere nobiliſſimæ matronæ. Nam Marchioniſſa, quam modò appellaui, Beatrix Rangonia, præter ingentem quandam Deiparæ Pietatis Iconem, ſacerdotale indumentum, aræque amictum è textili, criſpantique argento donauit. Marchioniſſa Barbara Gonzaga candelabra argentea ſex non exigui quidem pretij aræ maxi-

Templi ſubſtructionē iuuat Scandiani Marchio,

Et Entius Bentiuolus.

Et Beatrix Rāgonia.

Cur dictum Virgini à Pietate templum.

Perantiqua ibi Deiparę imago.

Sacra ſuppellectili eccleſiā matronę ornant.

maximæ addixit. Marchioniſſa Catharina Bentiuola Pontificale item amiculum, ſa-
crorumque ornatum omnem ex attalica veſte regia planè liberalitate dedicauit. Eiuſ-
modi phrygio opere, atque acu picta donaria Catharina Beuilaqua Collalta, Victoria
Correzzara, Lucia Gregoria, Camilla Commiſſaria, aliæque precipui nominis, ac ge-
neris fœminæ attulere. Quę ſanè ſuam in tantam Virginem obſeruantiam, atq. in no-
ſtrum Ordinem ſtudium probare magnificentiùs, ac ſplendidiùs minimè potuere: triū-
phauitque noſtrum hoc templum ab eo munificentiæ certamine nitore quodam diui-
ni cultus eximio; cui cùm & reliqua patrum nauitas, atque indefeſſa quædam in ani-
morum inſtitutione, ſacriſque concionibus ſedulitas accederet, creuit mirum in modū
loco exiſtimatio, & celebritas. Qui primus in ea eccleſia conſequenti mox Quadra-
geſima perorauit, fuit Placidus Mirtus Neapolitanus; Vir nempè in hac facultate sū-
mus, & qui aureis eloquentiæ nexibus ſuſpendere mirificè auditorum aures, ac ani-
mos ſolitus erat. Et verò, cùm in cætera Italia ſecundiſſima ſemper admurmuratione
dominari Mirti facundia viſa fuerit; nuſquā ſplendidiore theatro dixit, quàm Ferrariæ.
Purpuræ, proceres, medij, infimi, matronarum celebriras frequentiſſimam concionem
viro diſertiſſimo adornabant, qui incomparabili venuſtate, ac gratia dicendi non
mediocrem ſanè gratiam noſtris apud Ferrarienſes conciliauit. Hunc deindè alij
de nota meliore declamatores cùm per annum, tùm in Quadrageſimę ferijs inſequuti,
noſtræ diſplinæ primordia in ea Ciuitate apprimè nobilitarunt.

Placidus Mirtus quanta cū approbatione Ferrariæ declamet.

At enimuerò non hìc diſſimulanda in tanto diuini cultus ſplendore, ac Patrum in-
duſtria rei domeſticæ difficultas, quæ hæc ipſa præclara ſurgentis familiæ rudimenta
exercuit; vt ſimul opportuniſſima cœleſtis prouidentiæ adiumenta deprædicemus. Et
quidē cùm præcipua Patrum cura ea eſſet, vt colendo Numini, formandæq. communi
virtuti templum perficerent, non ea erat domi copia, vt ſimul & eccleſiæ ſtructuræ, &
& ſuis commodis, reique familiari vacarent. Quapropter cùm & petere vetarent no-
ſtræ leges, & aperire neceſsitatem, modeſtia; premi incredibili rerum omnium inopia
oportebat. Nihil præſertim quotidiano vſui ſupellectilis, ac domoſtici inſtrumēti erat.
Eodem in lecti aſſere cubare ad ſomnū, diſcumbere ad cibum, incumbere in ſtudia
contingebat. Aderat verò identidem leuandæ anguſtiæ Dei bonitas, ac prouidentia.
Semel, prouecta iam hyeme, nullum contra rigidiſſimam cœli inclementiam à lignis
præſidium domi erat: quo ſanè nihil in ea regione moleſtius. At conſilij, aurique
inopes intercepit inopinata mox è cœlo liberalitas, ac ſtupor. Enimuerò, ſuſis veſpere
precibus, ſummo mane reperta in atrio, quod clauſū vtique noctu fuerat, compoſita
pulchra quadam ſerie lignorum ſtrues. Qua ſylua aducta huc fuerint: quis miſerit;
quis eò ordine ſtruxerit? niſi ingrati vehementer ſimus, affirmare citra omnem dubi-
tationem debemus; Angelis adminiſtris, ac baiulis importata Dei nutu fuiſſe.
Certè alendæ in diuinum Numen fiduciæ, amorique opportuniſſima hæc è Cœlo
ligna. Iterum, olei caritate laborabant vehementer Patres. Nec mora: redeunti do-
mum opſonatori fit quidam obuiam, qui importati noſtratum vſui olei mercedem
efflagitauit. Dum ille domi interrogat: allatum quidem à baiulo oleum, comperit;
quis verò miſerit, omnino ignorari: vt fateri neceſſe ſit, myſticam illam pètram, nem-
pè Chriſtum, fudiſſe tùm riuos olei. Alia eiuſmodi diuinæ liberalitatis, curæque argu-
menta ſuppetunt. Illud ſanè illuſtre. Nam Cardinalis Pius de Sabaudia, quem & lo-
cum delegiſſe familiæ, & còëmiſſe de ſuo ædes, dixi, affirmare poſtea ſolitus erat, ſe
quidem nulla cū Clericis Regularibus familiaritate antea initiatū, nec niſi de nomine
nouiſſe: putaſſe autem, Ferrariam ſundando cœnobio, re condicta, ac præcipua qua-
dam ope nixos, acceſſiſſe. Sed, iniecta vi quadam, excitari ſe intimè ſenſiſſe, ac ſtimu-
los quoſdam addi, vt adeſſet ipſe operi, accuraretque conſilio, ac manu. In quo
quidem nunquam abundè dilaudari prouidentiſſimi Numinis amorem poſſumus;
quòd tantùm Ferratienſis domus architectum, auctoremque deſtinauerit; qui non
modò initia, ſed progreſſiones etiam eius cœnobij inſigni voluntate poſtea eſt proſe-
quutus. Iam, quod ad eccleſiam attinet, dixi, pro modo quidem exędificatam tùm
fuiſſe, vt eſſet ſtatim, vbi diuinum cultum, ſuaſque exercerent functiones, & munera
Clerici Regulares. Nam poſtea ad magnificentiſſimam quandam ideam in eodem
ipſo Ciuitatis ſitu cœpta conſtrui altera à fundamentis baſilica, quę laxitate, ac molę

Domeſticæ rei in eo cœnobio difficultas.

Et diuinæ prouidentię ſubſidia.

Noua Ferrarię Eccleſia.

ſua celeberrimas, ac pulcherrimas, quæ noſtri Ordinis ſunt, longè exæquat: eminetque in editiſſimo eo ædificio Ferrarienſium cùm pietas, tùm largitas. E noſtris verò, qui maximè in eo opere induſtriam, curamque probauit ſuam, is eſt Vincentius Rauenna Genuenſis, qui ab ipſa domus inſtitutione Ferrarię verſatus, ita per ſummos labores, ac vigilias cõmuni rei domi, foriſque nauiter incubuit, vt in omnium oculis, atque exiſtimatione ſemper fuerit. fretuſque hac ſumma omniũ ordinũ beneuolentia, concipere ſumptuoſæ eccleſiæ molem potuit, quam anno huius ſeculi quinto ſupra vigeſimũ ipſemet inchoauit, dum Præpoſitum in eo cœnobio ageret; iecitque Cardinalis Ceninus, Vrbis Legatus, fundamenta Decembri menſe, inſigni populorum gratulatione, qui ad ea ſplendidiſſimæ baſilicæ rudimenta certatim confluxerant.

Vincentij Rauennæ in ea curæ.

Atque hæc de inſtituto Ferrariæ domicilio. Genuæ etſi res noſtris gratiſſima, atque opportuniſſima illi domui hoc anno accidit, haud ducimus, in ea immorandum; ne reponere cuoi legentium faſtidio videamur, quod alibi denarrauimus. Dirempta nimirùm diuturna quędam cum Ieſuitis Patribus de loci ſitu controuerſia eſt, quæ partes vehementer exercuit, ſuſpenſaſque diù tenuit. Sunt certa cauſis ſpatia: & quò maioris momenti illę fuerint, eo tardiore gradu, ac mora ſuam veluti maturitatem capere, neceſſe eſt. Victoriam hanc in proſperioribus iurè euentibus poſuere Genuenſes Patres; tùm quia compoſita res eſſet cum viris religioſiſſimis, quorum propinquitas nonnihil afferret cõmuni rei incõmodi; tùm quia ſitus acceſſione amplificari domus ijs præcipuè partibus, quæ perneceſſariæ videbantur, liberè poterant. Quæ innuiſſe hic tantùm voluimus, ſuo nempè anno, ac loco.

Genuę diuturna lis cõpoſita

An Dom. 1617.

Eliſei Nardini mors.

Gradum modò ad annum voluentis ſeculi decimũ ſeptimum facimus: ſtatimque obijcit ſe ſe Eliſęi Nardini funus, viri inter noſtrates præclari nominis, atque omni virtutum genere ornatiſſimi; qui die Martij menſis quinta, & vigeſima, Salutatæ ab Angelo Virgini ſacra, quę in Dominicæ Reſurrectionis Sabbatum incidit, abijt ad pauciores. Multa dę præſtantiſſimo Viro, eiuſque, cùm priuata in ſui cultu, tùm publica in procurandis magiſtratibus virtute, prudentia pręſertim in regenda vniuerſi Ordinis pręfectura ſparſim dicta. Quædam adhuc de eius moribus, pietate, ſolertia, zeloque, veluti è diuite menſa, analecta ſunt colligenda, vt totum exhibeam Nardinum. Honeſto loco Capranicæ, quod eſt *Sutrinæ*, ac Nepeſinæ diœceſis Oppidum, natus, fertur, vel à puero externam quandam ſpeciem, ętate grauiorem, præ ſe tuliſſe: vt iàm tùm ſpecimen daret auſterioris cuiuſdam virtutis, ac indolis. Ciuilium ſtudiorum Laurea donatus, pleroſque deindè magiſtratus geſſit, eo quidem tenore dignitatis, ac recti; vt diceret ipſemet, nihil vnquam ſe, ſiue de auctoritate muneris, ſiue de iudiciorum ęquitate ad vltimum vſque officij momentum remiſiſſe. Quem quidem conſtantis iuſtitiæ vſum rigoremque zeli ſuperior deindé religioſus infracto quodam mentis propoſito retinuit. Virorum principum officia, ſi quid de noſtris legibus decerpere, aut non adeò diſciplinæ conſentanea petere, viderentur, non ſumma auctoritate, non infimis eorum precibus, adduci vnquam poterat, vt ijs annueret; eorumque gratiam, aut inuidiam, modò conſtaret vetus inſtituto ſanctitas, ac obſeruantia, nihil penſi habebat. Semel vir in Romana aula, quà generis claritudine, quà ampliſſimis Infulis magnus, expugnare Nardini mentem ad indignationem vſque contendit: vt diceret ſubiratè, poſtquàm repelli ſępiùs cerneret: meminerit, defuncturum ſe munere: cui ille vultu quidem ad omnem grauitatem conformato: Officio hoc, inquit, poſito, non deerit religioſo viro faciendis ſacris ara, pſallẽdis Dei laudibus chorus: monuitque, quàm longè à demerenda, captandaque Principum gratia ille aberat, cui propoſita inſtituti ſolummodò incolumitas erat, nec priuatę deindè vitæ plgebat. Hanc ipſam egregij ſpiritus conſtantiam & ſummis etiam Pontificibus oppoſuit, cùm intelligeret, non ea proponi, quę vtilitati publicę rei noſtræ forent. Dixi de Diua Maria ab Arcu, quę Nolano in agro inſigni religione colitur, cuius templum addicere noſtro Inſtituto Clemens Pontifex Octauus cùm poſſet, atque impensè vellet, Nardino obnitente, noluit. Altera hic eum eodem Pontifice perſtringenda Iniecta nunc eſt. Celebre Neapoli cœnobium eſt, ante annos quadraginta ſupra trecentos à Roberto Rege, & Sancia Aragonenſi coniuge exędificatum; ſi ſtructuram, molem, magnificentiam ſpectes, verè regium. Sacrum id quidem Chriſti Domini Cor-

Eius in tuenda diſciplina ze.

Quid illi cum Clemente Põtifice:

pori:

poti: ſed quoniam Clariſſarum Inſtituto attributum ab ijs Regibus fuit, nomen illi à Diua Clara adhęſit. Virginum in eo numerus planè ingens: quippè ad quadringentas proximè accedunt. His annexum è regula item Diui Franciſci fratrum cœnobium fuit, qui eas in ſpiritu regerent, eſſentque à ſacris confeſſionibus. Et admoti muneri Minoritę primùm fuere, quibus deindè ante annos circiter octuoginta ſucceſſere fratres, quos ab obſeruantia appellant. At enim, cum & hos abdicare eas curas oportuiſſet, nihil habuit antiquius Clemens Pontifex Octauus, qui religioſarum familiarũ momenta ad ſtrictioris cuiuſdam prudentię calculos exigebat, quàm eius monaſterij vigilias noſtris hominibus commendare, quos ſciuerat nauos; ac perſuaſerat ſibi, ęquè noſtro Ordini perhonorificum, ac Clariſſarum diſciplinę cõmodum id conſilij futurũ. Itaque impetrato Catholici Regis nutu, cui in id monialium collegium ius eſt, quid apud animum ſuum ſtatuiſſet, Nardinum, qui Religioni tùm pręerat, monuit; adhortatuſque eſt, vt prouinciam complecteretur. Qui cùm à propiore ea Virginum conſuetudine abhorrere noſtrum Inſtitutum, ac non defutura ab ijs curis incommoda, reputaret; nihil beneuolentiam, auctoritatemque Summi Pontificis moratus, habuit quidem illi de ſingulari hac beneficentia, atque exiſtimatione gratias, ſed ſtrenuè renuit, non ſemel, ſed iterum, & tertiò: vrgente etiam, atque etiam Pontifice, qui ſpecioſa ea procuratione honeſtari noſtram Congregationem, maximè cupiebat: maluitque vir inſtituti ſui apprimè tenax, eius nutui, voluntatique minùs obſequens videri, quàm ijs annuere, quæ noſtris rationibus minimè conſentanea exiſtimabat. Addictum poſtea monaſterium fuit ſtrictioris obſeruantiæ Franciſcanis, qui hodièque ſedulam ſacris Virginum confeſſionibus operam nauant. Cum noſtris verò, vbi diſciplinæ, ac veterum morum labes timeretur, mirum, qua zeli contentione cauere videretur Nardinus. Exempla abundè ſuppetunt. Id vnum ſuffecerit. Moris noſtri eſt, qui virorum confeſſionibus admouentur, non ſtatim, ſed poſt certum à profeſſione tempus, vti aliàs ſignificatum eſt, mulierum confeſſiones audiant. Id autem muneris poſtulari, ac expeti à quopiam, omninò nefas, ac piaculi loco eſt. Ergo Licij ſacerdos, ſpectati alioqui moris, qui virorum, non dum fœminarum noxas expiabat, vocatus ad ægrotum quendam fuit: vbi & aures mulier etiam popoſcit: cui ille ingenuè non dum ſe mulierum conſcientijs addictum, reſpondit. Id quod, domum reuerſus, dum Præpoſito ſignificat, in affectati muneris ſuſpicionem venit; veluti ex arte, ac obliquè admitti ad illud poſtulaſſet. Delata ad Nardinum, tùm Præpoſitum Generalem res: qui ne vitium laudabilis noſtri huiuſce moris obſeruatio faceret, laxarique contingeret, expiandam acriùs culpæ ſuſpicionem cenſuit. Nec ſatis fuit, publicam in cœnatione pœnam imperaſſe: nam quoad is Licij commoratus eſt, quod plurium annorum ſpatium exceſſit, ne de illo ad id officij promouendo ageretur, cauit quàm ſeueriſſimè. Auſterior verò cùm eſſet in vindicandis inſtitutorum, legumque tranſgreſſionibus, ſi quid tamen grauioris culpæ admiſiſſe quempiam, cognouiſſet; nihil illo de fratris opinione, ac fama ſolicitius. Obtegere, adhibere cautè remedia, nihil inconſulta charitate agere. In corrigendo autem ea comitate, dexteritateque vtebatur, vt citra dolorem, ſenſumque omnem tractaret, ac perſanaret vulnera. Semel admiſerat quiſpiam palmare erratum. Quid tùm Nardinus? vt melleam redderet reprehenſionem, vti Diui Bernardi ore, ac facundia voluit. Enimuerò, aperto eius volumine, legendum locum propinauit, vbi contraria errato illi virtus potiſſimùm cõmendabatur. Quo ille, obiecto veluti ſpeculo, labem agnouit: vt paucis deindè tem ipſe confecerit, grauiſſima quadam adhortatione, qua correctus ad frugem eſt, qui peccauerat. Diuini cultus, qui noſtræ diſciplinæ potiſſima pars eſt, ſtudioſiſſimus fuit. Quicquid erat Eccleſiaſticæ functionis, eximia quadam religione, maieſtateque obibat. Nullos in templorum dignitatem, ſplendoremque ſumptus ſuperfluos putabat: ſtudebatque maximè concinnitati, nitorique ſacrorum. Circumire quotidie eccleſiam, atque accuratè inſpicere ſolitus erat, an ſua eſſet aris mundicies, ac elegantia; & an ſuo quiſque muneri reſponderet. Nihil conniuere. Vir acerrimus, ac nullus vnquam in hoc ſacrorum cultu, ac miniſterio impunè ſub eo peccauit. Expoſita publicè Euchariſtia in Diui Syluestri templo fuerat. Deſtinatum orationi quendam ex noſtris Clericum hora quidem antelucana, morari aliquã-

Suſpicionem læſæ obſeruãtiæ vindicat Nardinus.

Alienę famæ conſulit.

In corrigendo quàm mitiſſimus.

Diuini cultus ſtudioſus.

tiſper contigit. Quod vbi Nardinus [erat tùm Præpoſitus Generalis] reſciuit, ſubijt ipſe vices, ſurrexitque ad preces. Mane faterı illum moram, ac culpam ad menſam præcipit, acceptũque verbis aſperioribus, pœna item affecit non planè leui. Nam lances abluere, amotumque ſuo loco, nouiſſimũ poſt ipſos fratres Laicos tenere, iuſſit. Nempè, vt qui ſegnis in angelico eo munere fuerat ad abiectiſſima quæque, ac infima meritò abijceretur. Cùm autem eiuſmodi errata corripere, ac vindicare ad ipſum minimè ſpectaret, angi intimè videbatur; & quod poterat, emendabat ipſe ſua manu. Hinc concinnare ſæpè aras, puluerem è ſacro inſtrumento abſtergere, templi parietes, ac pauimentum emundare: viſuſque in ſacrario non ſemel eſt, deuexa iam ætate, quod alij per imprudentiam prætermiſiſſent, ipſe conficere inter vberiores lachrymas, indices nempè ſenſus animi peracerbi, quo, quæ diuini cultus ſunt, non eo peragi ſtudio, nitoreque cerneret. Sed neque rarò lachrymarum hæc ab eius

Fluit in orando lachrymis.

oculis copia. Frequentiùs pius quidã affectus illas exprimebat; ita vt peculiare quoddã Dei munus, lachrymarũ perennitas videri in eo poſſet. Diuina cõmentari non ſine fletu conſueuerat. Nunquã verò madebant copioſiùs genæ, quã cùm ad arã faceret ſuprema præſertim ætate. Incipiebat ab ſacrario fluxus, qui cùm vires eũdo acquireret, in media re ſacra prolui, ac penè mergi videbatur vir pijſſimus. Coniectari hinc facilè ſingularem eius animi deuotionem, pietatemque in diuina myſteria poſſumus.

In Christi cruciatus deuotio.

In Chriſti cruciatus mirè affectus. Eius in cruce pendentis ex aurichalco ſignum in cellula habebat, cuius genua ab aſſiduo ore, ac oſculis adeò detriuerat, vt is poſtea, qui illud præcipuo quodam in Nardinum ſtudio impetrauit, reficiendum, reſtituendumque ſuæ formæ, nitorique curauerit; ne corroſa adeò à pietate effigies, pietatem imminueret. In Diuos omnes, Diuaſque inſigniter pius. Colebat verò impenſiùs, ac

Et in Diuam Virginem.

principe religione magnam Dei Matrem. Quoad per ætatem licuit, eius in orbem celebritates inſigni corporis afflictatione excipiebat, agebatque peruigilia pane contentus, ac frigida. Dum in Quirinali cœnobio moraretur, nudis pedibus obire Diuæ Mariæ Maioris templum ſolitus erat: idque matutinis horis, ne eximiam aſpero eo cultu deuotionem lux proderet. Ad hæc, quæ in domeſtico horto erat Mariæ effigies, quotidiè teſtandæ pietati, adorare, atque adornare floribus, in more habuit; inuitabatque pio operi obuios. Et qui defectis iam viribus appellere ad grauiores occupationes animum nequibat, quædam de leuiore quidem nota, ac muſa in Deiparæ laudẽ carmina pangebat; canebatq. candidiſſimus Senex Cycni in morem propè fatum, ſi argumentũ ſpectes, ſuauiſſimè. At enim cùm quicquid eſſet Mariani nominis, intimè veneraretur, ferri nihilominùs potiore quodam ſtudio in ſalutatam ab cœleſti Internuntio Virginem videbatur. Huius illi effigies in delicijs erat, quam dono dederat Catharina Maleſpina, æquè nobilis, ac pia fœmina, de vniuerſo noſtro Ordine optimè merita, ac Eliſæi præſertim ſtudioſiſſima, cuius vti opera in regenda conſcientia conſueuerat. Sciuerat nempè, nihil accidere pijſſimo viro, atque in ſpiritu Patri, gratius poſſe, quàm eiuſmodi Auguſtæ Virginis imaginis compotem fieri. Compenſauit hunc porrò cultum magna ea Mater cùm alijs beneficijs, tùm quòd ea die mortalis vitæ exitum clienti ſuo impetrauit, qua diuinam ipſa Legationem exceperat, vt dicam. Coniunctus cùm ſumma in Virginem obſeruantia ſemper eſt illibatus qui-

Eliſæi mentis candor.

dam morum candor. Et Eliſæo quidem nihil honeſtius, ac purius; candoremque mentis horrore quodam libatæ caſtimoniæ commonſtrabat. Laborabat à calculo; & quod eſt morbi genus longè acerbiſſimum, mitigando dolori, balnea, ac fomenta quædam medici iuſſerant, quæ cùm affundi ſecretioribus oporteret: apage, inquit ille: non tanti èmo doloris leuamentum. Modeſtia, ac ſpecies ipſa caſtimoniæ mihi potior. Et verò, vbi de tuenda non modò præclara hac virtute, ſed Inſtituti diſcipli-

Et regularis obſeruantia.

na, morumque religione, & cultu agebatur, non corporis incõmoda, non ipſa ſalutis diſcrimina metuebat. Tentatus vir morbis, ac profundè Senex, vt ſui, ac victus rationem haberet; ieiunijs præſertim, atque inſalubri cibo abſtineret, contendebat valetudinarius. Cui ille: præſtate, communi obſeruantiæ inſiſtere: cæterùm vnum, aut alterum ieiunium non conficere hominem. Præclarum delicatulis exemplum, quibus anxia quædam corporis cura; & ne genium fraudent ſuum, nulla temporum, ac

legiti-

Digitized by Google

legitimæ abſtinentiæ ratio. Iam, paupertatis quàm fuerit ſtudioſus Nardinus, ipſe ſui, ac cellæ cultus demonſtrabat.

Silentium,

Silentij apprimè vindex. Cùm rem communem adminiſtraret, nunquam viſus veſpertinas per domum circuitiones, vt ſilentio caueret, omiſiſſe vel Præpoſitus Generalis.

Charitas.

Charitatem in fratres mirè coluit. Ægrotantes bis in die inuiſere: conſolari quàm humaniſſimè, ac lectum ijs interdum reficere.

Humilitas,

Humilitatem in tanto virtutum ſplendore non eſt, cur diſſimulet ſtylus; quæ eò admirabilior in eo fuit, quòd aſſiduæ præfecturæ, ac ſupremum ipſum Religionis munus nulla vnquam ex parte illā labefactauerint. Hinc obfirmatus aduerſùs Eccleſiaſticas Infulas animus. Deſignatum ſe Epiſcopali muneri à Clemente Pontifice Octauo aliquando inaudiuit; ac veluti quid grauioris infortunij immineret, viſus incitatiſſimo quodam ſpiritu periculo occurrere, totuſque in eo fuit, vt Pontificem ab eo conſilio remoueret.

Noſtratum humilitati cauet,

Et quòd afflare religioſam, communemque modeſtiam eiuſmodi dignitates videbantur; præſertim quòd Hiſpaniarum Rex Philippus Secundus aſſiduo quodam delectu pleroſque è noſtro Ordine in Neapolitano Regno Epiſcopos nominaret, conſulere ipſe ſtatuit; datiſque ad Catholicum Regem literis, precatus demiſsè eſt, vt aliò munificentiſſimam eam mentem flecteret, ac ſineret ſuſcepto humilitatis inſtituto inſiſtere Theatinos ſuos. Scilicet, & ſuæ, & ſuorum demiſſioni cauebat vir modeſtiſſimus; cuius poſtremo loco in moderando Ordine prudentia eſſet denarranda. Sed de hac virtute cùm eius in Generalatu res geſtas cōmemorauimus, abundè diximus. Planè, non modò inter noſtrates eximiæ prudentiæ laude floruit; ſed, quod erat commune Romanæ aulæ iudicium, numerari inter ſapientiſſimos æui ſui viros iure omni poterat. Quo potiſſimùm nomine apud Clementem Pontificem Octauum ſummo in honore, ac pretio fuit; vt qui ſæpè illi vnà cum ſingulari animi integritate egregiam vim mentis, atque incredibilem quandam ſolertiam probauerat. Atque hæc ſtrictim de eius virtutibus. Nunc quo ſpiritu, ac tolerantia diem clauſerit extremum, deſcribere, non erit profectò ſine operæ fructu.

Præſentit mortem.

Quà ſenio, quà morbis confectus Nardinus, cognouit, propè à ſuo exitu abeſſe; ac dicere hoc anno paſſim ſolitus erat, peregiſſe iam ſpatium, ac metam tangere. Hyemem ferè integram moleſtiſſima podagra laborauerat; ſucceſſitque quædam bonæ valetudinis intercapedo; in qua ad ingenium redijt religioſiſſimi viri nauitas. Nam frequentare ſtatim odèum, legere, ac ſpirituales de more commentariolos lucubrare, orare inter ſuſpiria, ac lachrymas, eo quidem impetu, vt longiùs audirentur gemitus. Sub initium autem Martii menſis conflictari incredibili quodam dolore laterum cœpit; quod illi quidem familiare, vt calculos identidem, qui morbum facerent, egereret. Sed addito nunc defectu virium, ac ſtomachi faſtidio, adeſſe propinquæ mortis indicia, ac lictores ſenſit. Ergò ad omnem conſtantiam animū componere, ac totum diuinæ ſe voluntati permittere.

Cui ſe comparat.

Externis ad perferenda peracerba corporis cruciamenta adhortationibus minimè indigebat. Ipſe ſe monere, conſolari, erigere. Verba ad adſtantes pauca, ſed flagrantiſſima de cœleſti Patria, de Chriſti Domini pœnis, de Dei Matre.

Piæ ſanctimonialis prædictio.

Feſtinante ad exitum vita, illud enixè petiit, vt ad Monaſterium Sanctorum Quatuor pergerent, ac ſe Virgini, quæ inibi florebat ſanctimoniæ fama commendarent: quæ vt vltimum boni Senis diſcrimen audiit, conſternari vehementer, ac deſtitui ſe Parente optimo, magnoperè lamentari: tùm addidit, eam eſſe diuini Numinis voluntatem, vt vnà ſimul cum Redemptore & expiraret inter cruciatus Nardinus, & exurgeret. Quod accidit, vt mox dicetur; Sanctiore hebdomada conclamata omninò ſalus. Extremum Chriſti Corporis viaticum non quidem decumbens, ſed de genu, ac humi nixus accepit; quod, vrgente acriùs morbo, fieri nullo pacto poſſe, exiſtimabant: dante nimirùm animos, vigoremque intima quadam diuini amoris vi, quæ id etiam tunc effecit, vt diuite quodam cùm verborum, tùm lachrymarum fluxu Patres alloqueretur, non ſine ingenti animorum motu, ac omnium fletu.

Dignatur aſpectu Virginis,

Inunctus deindè ritè ad luctam, iniit certamen vltimum; in quo illud accidiſſe, ſe præſente, Michael Ghislerius narrauit, ac ſcriptis etiam conſignauit. Scilicet, dum ſupremo ſpiritu laboraret, ac videretur ſenſibus omninò deſtitutus, erectum ex improuiſo, in lecto conſediſſe; ac vultu præter modum hilari vertiſſe ſe ad Annuntiatæ Virginis imaginem, quam in deliciis habuiſſe, dixi, illamque incredibili quadam lætitiæ, ac venerationis

ſignifi-

ſignificatione adoraſſe, quædam etiam tacitè ſecum commurmurantem; perindè ac ſi præſens adeſſet magna Mater, ac clientem ſuum conſolaretur. Nec poſt multò, mutata ſpecie, horrorē quēdā vultu præſetuliſſe, veluti incurriſſet in oculos, terreretq; communis hoſtis, quem quodam ſupra vires impetu, iniectaque manu; abigere conabatur. Perſuaſum habuere Patres, ſimul & cœleſti aſpectu Virginis in ea dolorum acerbitate recreatum Nardinum, & ſtrenuè confixiſſe cum dæmone, vt parta victoria in eo extremæ vitæ articulo triumphalis migraret è corpore ſpiritus. Igitur ſanctiorem hebdomadam inter grauiſſimas corporis ærumnas emenſus, poſtquam ſexta ipſa feria, pretioſo Redemptoris Sanguine cruenta, acerbioribus diſcruciari doloribus contigiſſet, vt, quando diſſolui cum Chriſto, quod vehementer optauerat, non dabatur, pœnarum ſaltem ea die comes eſſet: tandem, vti Sanctimonialis cœnobij Sanctorum Quatuor Coronatorum prædixerat, Sabbato, hoc eſt, dicata rediuiuo Redemptori die, migrauit è vita, inter filij nimirum palmas, ac Matris gaudia. Nam conſalutatæ ab Angelo Virginis ea etiam die memoria celebrabatur. Clauſitque præclaro hoc exitu vitam vir laudatiſſimus ſeptuagenario maior.

Mox dæmonē vid et, & abigit.

Hoc etiam anno Octobri menſe Neapoli in D. Pauli domo exceſſit è viuis Thomas Gueuara, quē aliàs nominaui, vir non modò ſuæ gentis nobilitate, ac laude, ſed propria etiam indole, ac virtute cum paucis ſpectatus. Inerant ingenij, ac literarum adiumenta, quarum decus ab exacta quadam noſtri Inſtituti obſeruantia, ac ſtudio nimiùm quantùm in illo augeretur. In eo ſiquidem multus erat, vt & religioni ſua dignitas, & ſua legibus, ac priſcis moribus conſtaret ratio. Subitaria quædam vi iudicij valebat, cui & accedebat ſuum pondus. Auctoritas præterea non modò apud noſtrates, verùm etiam apud exteros ingens illi erat, qua & capeſſere, & explicare grauiſſima quæque negotiorum momenta videbatur. In agendo verò, ſi quæ obortæ difficultates fuerint, haud facilè frangi conatus ſuos, egregij vir ſpiritus patiebatur; vorabatque inſigni magnitudine, ac vigore animi impedimenta, ac moras, Magiſtratus in Ordine plures geſſit cum laude ſolertiæ, atque incremento communis diſciplinæ. Iam, in eo paupertas humilitas, charitas, ac cætera religioſi hominis decora mirè elucebant: vt dolendum profectò ſit, præclarum, ac domeſticum eiuſmodi exemplum tàm citò Ordini ereptum. Defunctus nanque eſt intra ætatis annum quinquageſimum; cùm maximè communi rei, ac bono eius prodeſſet virtus.

Thomas Gueuara ab humanis excedit.

Solida vir virtute.

Stylum nunc extra Sodalitatem ducimus, non tamen externa recenſemus. Moritur hoc anno Bergomi dierum plenus Ioannes Baptiſta Milanus, Venetus, primus vniuerſæ noſtræ Congregationis Præpoſitus Generalis, quam quadriennium adminiſtrauit: poſtea à Clemente Pontifice Octauo Eccleſiæ Bergomenſi admotus, quam annos quinque, & viginti ſecundiſſima ſemper fama, ſtudioque nunquam interciſo communis beneuolentiæ procurauit. Quis fuerit religioſo in habitu Milanus, & quo virtutum præſidio per omnes Ordinis gradus ad ſupremam eius præfecturam peruenerit, vel ex eo cognoſci luculenter poteſt, quod dignum Sixtus Pontifex Quintus illum exiſtimauerit, quem regendæ ſummo iure Congregationi vnà cum duobus aliis proponeret. Qua item virtutum opinione, qui Sixto in ſacrorum Principatu ſucceſſit, Gregorius Quartus decimus addictus illi fuit, habuitque, veluti non vulgaris notæ virum in pretio. Nulli ſplendidiore eum iudicio cohoneſtarunt, quam Veneti Auguſti Patres, qui Bergomenſe Sacerdotium vltrò detulere. Et poſtquam inauguratus ea Infula eſt, honeſtiſſimo adhuc teſtimonio eximiam in excellentem virum beneuolentiam cumularunt. Etenim inter Patricios ciuem ſuum, qui functus olim pleriſque Reipublicæ muneribus fuerat, adſciuere; vt accederet illi Ordinis ſplendor, qui ſatis, ſuperque erat à virtute nobilis. In Epiſcopali autem Cathedra id ſibi propoſuiſſe viſus eſt, vt priuata quidem virtute religioſum virum exprimeret; publica verò Antiſtitem, qui è perfectionis ſchola, atque è religioſo inſtituto moderandæ Infulæ prodiiſſet. Et quidem, qui regulati diſciplinæ diutiùs aſſueuerat, eaſdem vitæ rationes tenere extra clauſtra inſtituit. Orationem, quæ mente concipitur, ingenti licet rerum mole aliquando preſſus, nunquam ſtatis horis omittere. Illuſtrari mirificè animum diuinatum rerum contemplatione nouerat; atque adeò cùm in ijs vigilijs

Io. Baptiſta Milanus Epiſcopus Bergom. vita fungitur.

Summis Pontificibus carus.

Et Venetæ Reip.

ac-

accurandis maiore diuinitatis lumine indigere, cognoſceret, incumbendum ſibi
diligentiùs in præclarã illam mentis exercitationem, ducebat. Paupertatem, quæ pu-
gnare cum dignitate videbatur, vſque adeò coluit, vt qui Epiſcopi domum adiret,
Religioſorum conclauia inire crederet. Supellex non modò modeſta, ac intra lu-
xum, ſed penè nulla. Nudus omninò paries: nihil in lectu ſerici: demum vulgare
domeſticum omne inſtrumentum. Veſtes præter dignitatis inſignia longè à ſpecie,
ac pompa aberant, vt ipſe à faſtu. Menſa item frugalis: aliquando in hoſpitũ gra-
tiam, vrbana quidem, non ſplendida. Conformati ad hanc amuſſim familiares; ac
veluti in Monaſterio degerent, quaſdam etiam ſilentij leges ſeruabant. Imitatus nẽ-
pè eſt Milanus ſuperiores è noſtro Ordine Antiſtites, qui in Epiſcopales ædes, at-
que in ipſum Auguſtorum Patrum Senatum aſcetarum cultum inuexere: dignus
ipſe, quem poſteri imitentur. Nihil enim magis religioſo Epiſcopo conſentaneum,
quàm apparatum, & quicquid in ſpeciem laborat, abijcere. Iam, qui Antiſtitem
externo quodam ſplendore minimè repræſentabat, curis, zeloque communis reli-
gionis egregiè exprimebat. Erudiri Chriſtianæ fidei rudimentis pueros, ac ruſticos,
etiam, atque etiam curabat; aderatque ipſemet interdùm ſcholis, quas diebus fe- Eccleſiaſticæ disciplinæ zelus.
ſtis inſtituerat. Pauperes, in quos, vt mox dicam, oppidò munificus, nonniſi ca-
techiſmo inſtructos, adire ad ſe, iuſſerat. Eccleſiaſticos, quorum vitam maximam
habere in vtramque partem apud cæteros mortales vim nouerat, expolitos ad exac-
tam probitatis normam, ac modeſtiam volebat; nauos item in ſacrorum cultu, ac
concinnæ præſertim pſalmodiæ ſtudioſos. Extat eius ad Clericos ſibi ſubditos paræ-
neſis de diuini officij recitatione. Præcipuam hanc diuini cultus partem, & quæ ſin-
gulare Eccleſiarum decus eſt, inculcare literis etiam non piguit: vt perenni quadam,
ac ſuperſtite adhortatione moneret, vel extinctus. Cœtera ouium commoda,
& quicquid earum ſalus, aut reformatio morum poſceret, nauiter curabat. Vbi vis
adhibenda, inueterato iam malo, etſi præibat auctoritas, nunquam vti ſupercilio, aut
acriore quadam cenſura, videbatur; ſed rem facilitate potius, comitateque peragebat.
At enim cùm nulla non optimi Paſtoris virtus in eo eſſet; tamen, quæ inter cœteras Eximia in pauperes munificentia.
eminebat, & qua eminere ipſe inter cęteros Epiſcopos, dici poterat, ea erat in paupe-
res munificentia. Nitere plùs ęquo Antiſtes ab Eccleſiarum cenſu, aut ſuos ditare
ſæpiùs videntur: atque hi potiſſimùm ſcopuli ſunt, in quos boni etiam impingunt.
Milanus, cùm ſatis ex ſe lucere vitæ probitatem ſciret, nullos prætetea affines repu-
tabat, in quos Eccleſiæ opes, prouentuſque deriuaret, præter pauperes. Simplex il-
li, vt modò ſignificatum eſt, cultus; nullus in domo, in menſa ſplendor: idque non
modò, quòd ita decere ex Clericis Regularibus Epiſcopum, exiſtimaret; verùm etiã
vt quod ſuo commodo, nitorique detraheret, in egenorum vſum impenderet. Quo-
circa præter modeſtiſſimam ſui, ſuæque familię ſuſtentationem, quod opulenti ſa-
cerdotii reliquum erat, inopum familiarum, orphanorum, viduarum patrimonium
eſſe voluit. Secretę honeſtis viris, ac fœminis largitiones aſſiduę quidem erant.
Hę, cœlo teſte, erogabantur, vt neſciret ſiniſtra, quid faceret dextera: proindè qu-
iniri eorum ratione quit. Quas verò diſtribui publicè, ac quotidiana liberalitate con-
tingebat, quòd eſſet, qui in tabulas referret, ſubducto calculo, exceſſiſſe centum
aureorum millium ſummam, ferunt. Vnde audire pauperum Pater meritò debuit,
qui tàm munificè communem inopiam, ac Chriſti membra fouebat. Habeba-
tur proindè vulgò, cùm ab omni laude virtutum, tùm ab aſſidua pręſertim hac ero-
gatione vir ſanctiſſimus. Dignus profectò, qui ad vltimam vſque ſenectutem vixerit,
vt haberent diutiùs pauperes, vndè alerentur. Mortuus eſt penè nonagenarius: teſta-
tuſque eſt Bergomenſis populus in tantum Antiſtitem ſtudium non mediocri planè
ſenſu, ac lachrymis.

Alter ſuperiore anno elatus in Regno Neapolitano Epiſcopus eſt, nempè Aloyſius Aloyſius de Franchis moritur.
de Franchis, Neapolitanus, AEquenſis Vici primũ, tùm Neritonij Antiſtes, vtrique
Eccleſiæ à Paulo Pontifice Quinto impoſitus. Natus in domo, cui ab excellenti iu-
ris prudentiæ eruditione, ac forenſi eloquentia ſucceſſiua, ac multiplex toga Neapo-
li contigit. Nam Vincentius Pater, præclari vir nominis, Sacri Conſilij, vt aiũt Præ- Eius genus.
ſes, qui ſummus in Neapolitanis iudicijs eſt Magiſtratus, publica Ciuitatis, Regnique
iura

iura inſigni æquitatis,ac doctrinarum laude diù rexit. Filij verò tres, Aloyſii fratres, eandem Patris orbitam egregiè pede preſſerunt; euaſeruntque in honeſtiſſimos ſubſelliorum gradus,ingenij, ac facundiæ fama, vſuque prudentiæ Parenti ſimiles. Et, ne nullus è domo veluti Senatoria ſua fulgeret dignitate, qui reliqui erant, germani fratres duo, cohoneſtati Eccleſiaſticis Inſulis fuere: alter quidem Tranenſis Archiepiſcopus renuntiatus, alter Neritonij Antiſtes, nempè Aloyſius,quo de agimus: Fuit is,dum Clericum Regularem ageret, diuini cultus ſplendori impensè addictus.Non labori, non ſumptui parcere,modò niteret ab ſacrorum ſyrmatum elegantia, ac auro templũ.Paulina Neapoli eccleſia, quæ poſtea ſacræ Supellectilis opes mirificè adauxit, ſua in ejuſmodi religionis magnificentia rudimenta ab Aloyſio agnoſcit, qui audere quid ſupra Theatinam paupertatem, ac ſupra omnem artis peritiam cœpit: vt tùm primùm, inducto in Sacerdotum veſtes ſumptuoſo quodam textu florum, vernare auro eccleſia, atque adminiſtrorum indumenta, viſa fuerint. Templa verò ita adornabat, vt in amplificanda etiam, ornandaque capitum numero, ac virtute noſtra familia, maximè contenderet. Dabat quidem aſſiduas ſacris confeſſionibus aures; valebatque in tractandis animis peculiari quadam linguæ facultate, ac vſu. Fouere proindè, atque vrgere in pietatis exercitatione aliorum conatus apprimè nouerat: tùm, ſi quos præcipuè ex adoleſcentibus propenſos ad regularem diſciplinam animaduerteret, ea quidem vi,propoſita religioſæ vitæ prærogatiua,ac laude agebat, vt conciperet is illicò capeſſendi inſtituti mentem. Cuiuſmodi ab Aloyſij inſtitutione eruditos, adiũctoſque ad Clericos Regulares, pleroſque quà virtute,quà literis, ac concionum ſplendore egregios viros numerat modò Ordinis cenſus: vt dici profectò poſſit,raptum ad Inſulas,ab Congregatione minimè abijſſe; quando compenſauerat iam multiplici ſobole iacturam. Epiſcopum idem ardor, ac ſpiritus agebat. Et Vici quidem, cùm templum Dei viuum,quod erant commendaræ ſuæ fidei, curæque oues,inſtaurare pijs inſtitutionibus cœpit: tùm templum exanime ſuo ſumptu reparauit. Siquidem cùm labaret,ac propè laberetur extra Vrbem parœcialis quædam eccleſia,admouit ipſe manum,ac penè à fundo reſtituit. Quod ad æui memoriam inſculpta pro eccleſiæ foribus eius inſignia indicant. Gradum hinc ad alterum ſacerdotium fecit,quod amplius quidem ampliorem indoli, ac præclaræ virtuti exercendę aream præbuit. AEquenſibus Inſulis veluti proluſit Neritonenſi Eccleſiæ, quam ſanè,vt conſtans eſt apud eos ciues fama,ſingulari prudentia, ſumma æquitate, eximio in cultu morum ſtudio,beneficentia in pauperes, zelo, pietate adminiſtrauit. An boni Paſtoris partes expreſſerit ad vnguem omnes, apertè demonſtrauit,cùm, ceu charitatis victima, animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis. Enimuerò cùm eo anno popularis quidam morbus in ea Vrbe graſſaretur, ac decumberent paſſim ſummi, infimi: vacandum ſtrenuè communi animorum, ac corporum incolumitati,ſibi duxit. Eapropter inuiſere ipſe ægrotantes,ac tùm verbis,tũ præſenti ope conſolari: Sacramenta item moribundis miniſtrare: adeſſe in ſupremo eo rerum articulo,adhortari,iuuare. Quæ cùm obiret, ab aſſiduo labore,ac publica ea lue concepit & ipſe morbum Auguſto menſe,ex quo breui extinctus cum Ciuium luctu eſt; quibus nihil accidere acerbius potuit, quàm eripi Paſtorem,ac Parentem, cùm maximè indigere tanto patrocinio videbantur. Claudere verò ipſe diem ſuum illuſtriùs non potuit, quàm vna, eademque cum ſuo populo calamitate inuolui.

Et diuini cultus ſtudium. — *Et augendi Ordinis cura.* — *Eccleſias ſtrenuè procurat.* — *Moritur dum moribundos iuuat.*

Geminæ huic Inſulæ ſucceſſere duo creati hoc anno à Paulo Quinto Epiſcopi. Fuere hi Paulus Philamarinus, Neapolitanus, Caiacenſi Eccleſiæ impoſitus, & Marcellus Pignatellus, Peruſinus, AEſinæ. Philamarinum maiorum ſplendor, ac ſua etiam pietas commendabat. Prudentia in ordine ſpectatus, plures magiſtratus cum laude geſſit. Commendato ſibi gregi aduigilare pro viribus ſtuduit, eiuſque operam probauit communis omnium in Paſtorem ſuum beneuolentia. Neapoli anno huius ſeculi terrio, & vigeſimo obijt ſexagenario maior. Pignatellus Romæ diutiùs moratus,vt qui dexteritate in agendo,vſuque rerum valebat, apud pleroſque viros principes ſummo loco fuit. Noſtrum D. Andreę templum, quod inter Romanas baſilicas non poſtremum locum tenet, cùm mole ipſa,tùm inſigni, quo lucet,operum cultu, eius diligentiæ, ac induſtriæ non minimùm debet, qui & ædificium, & cœteram eius

Paulus Philamarinus Epiſcopus Caiacenſis. — *Et Marcellus Pignatellus AEſinus.*

eius magnificentiam incredibili quodam ſtudio diù procurauit. Eiuſdem cœnobij bibliothecam delectu quodam librorum, quos prout ſe dabat occaſio, accuratè ſeligebat, mirè adauxit, ac locupletauit. Quod floreret tùm auctoritate, ac gratia apud regnatricem domum Stephanus Pignatellus, poſtea Cardinalis, eius patruelis frater, gratioſus & ipſe apud Paulum Quintum, & Scipionem Burgheſium fuit; qui, quòd ſcirent, Marcellum regendis Eccleſijs idoneum, Epiſcopum AEſinum renuntiarunt; inauguratuſque eſt die vigeſima ſexta huius anni. Moderationem animi probauit ſingularem in Epiſcopatu: eadem quippè facilitate, religioſaque modeſtia agebat, ac ſi nulla acceſſiſſet dignitas: ita nihil ab ijs Inſulis adhęſit egregio viro aulici moris, ac faſtus. Non poſt multò Lauretanæ Virginis domui pręficitur, quàm dum incredibili ſolertia, nec modico ſanè cum Marianæ rei incremento moderatur, piè moritur, veluti in ſinu magnæ Matris, anno ſeculi primo, & vigeſimo die Nouembris tertia.

Qui in domo Lauret. obit

LIBRI OCTAVI FINIS.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER NONVS.

Generale Reme Capitulum

TRIENNIVM ea, qua diximus, prudentiæ laude Congregationem procurauit Andreas Piſcara Caſtaldus: quo expleto, coactus generalis conuentus, vt de Ordinis vniuerſi cùm regimine, tùm capite de more ſtatuerent. Fuere, qui de ſupremæ præfecturæ ſpatio nouari quid contra maiorum inſtituta in his comitijs optarent. Scilicet, ita natura comparauimus, vt non idem ſemper rerum ſtatus placeat: cumque non vna, eademque ſit hominum indoles, ac ſenſus, multiplicem è capitum varietate exiſtere ſententiam, neceſſe eſt: atque adeò hi quidem priſca, hi noua laudant. Ad hęc, nemo vnquam in rerum publicarum adminiſtratione ita omnibus induſtriam, zelum, prudentiam probauit ſuam, vt non aliqui ſecùs opinentur; quorum deindè iudicia communi aliorum opinioni, famæque boni moderatoris aduerſantur. Igitur, cùm nonnulli optimum factu exiſtimarent, triennali duntaxat ſpatio Præfecturam Ordinis circumſcribi; ac præterea laudatiſſimum licet virum, nauumque haberent Caſtaldum, ab eius tamen regendi Sodalitij ratione nonnihil abhorrerent, ſupplicatum Maximo Pontifici voluere, vt diſciplinæ bono conſuleret; atque abrogata potiſſimùm reficiendi facultate extendi Generalatum non vltra triennium fineret. Exploranda Patrum ſuffragia per idoneum Antiſtitem duxit Pontifex, permiſitque rem ſolertiæ, fideique Antiſtitis Vulpij, Archiepiſcopi Theatini, viri in Romana aula pręclari nominis. Quicquid in mandatis haberet, expoſuit conſcriptis Patribus Vulpius: tùm ſingulorum ea ſuper re, non quidem in communi cœtu, ſed ſingillatim, priuatimque ſententias rogauit; curauitq. de Caſtaldi præſertim vitæ, ac regiminis ratione condocefieri. Nec mora; retulit ſummo Patri: quod ad familiæ totius rectionem attinet, paucos eſſe, qui contrahi vellent: cœterùm in id ferè omnes conſpiraſſe, vt ex inſtitutionum præſcripto ita continuari triennale regimen contingeret, vt refici in alterum triennium Præpoſitus Generalis poſſet. De Caſtaldo verò ita ſtatuit, Excuſſa quàm diligentiſſimè viri indole, atque in adminiſtrando potiſſimùm magiſtratu prudentia, nihil ſe, niſi irreprehenſibile, atque inculpatum in eo deprehendiſſe; commendaſſe virum certatim omnes à morum ſanctitate, à communis diſciplinæ obſeruantia, à zelo inſtituti, ab incorrupta vi iudicii, à comitate, aliarumque virtutum præſidijs, quæ optimum ſacri Ordinis Rectorem conſtituunt. Quæ quidem gratiſſima Pontifici acciderunt; iuſſitque de conſueta regende Congregationis forma, ac temporis periodo nihil immutari; liberumque Capitulo eſſe, ſi quem è Præpoſitis Generalibus ad alterum triennium in ſuo munere confirmatum vellet, arbitratu ſuo reficere: cũ interim gauderet, retineri vnanimi quodam ſtudio maiorum mores; nec mirum eſſe, exiſtimaret, ſi in multitudine à communi ſenſu pauci diſcrepent. Adauxit item ab ea rerum diſquiſitione mirum in modum in Caſtaldum beneuolentiam; quando viderat, in eius tandem elogium cuncta eua ſiſſe. Et quidem eò res omnis recidit, vt maiore cum approbatione, ac plauſu refectus in ſuo munere Caſtaldus fuerit. Enimuerò cùm Patres eius cùm in abdicando, tũ in morum examine ſingularẽ animi moderationẽ inſpexiſſent; ac prȩterea nihil Pontifici allatum reſciuiſſent, præter inſignẽ viri cõmendationem, ea quidẽ conſenſione, nexuq. animorũ in illũ incubuere, vt mox cũ de Præpoſito Generali ageretur, & deſignauerint ſtatim illũ, & pronis ſuffragiis legerint Quod accidit fauſtè die 17. Maij menſis, reſũpſitq. is faſces, quos pergeret eadẽ ſedulitate, ac zeli cõtentione, ſui nẽpè ſimilis, moderari. Qui Capitulum rexerit, quoad Patris Generalis vacaret ſedes, is fuit Ludouicus Perſichellus, me-

De Generalatu contrahendo aliquorum vota.

Exploratur Patrum ſententia, ab Archiepiſcopo Theatino.

Quid is Pontifici retulit.

Commendatus Caſtaldus

Et reficitur Præpoſitus Generalis.

me-

Digitized by Google

moratus à me aliàs,qui in eo munere procurandò reſpondit abundè Patrum votis, ea quidem dexteritate, ac prudentia,quam poſceret tempus; cùm non adeò pacata, ac ſincera comitia videri poſſent;ſuſpenſoſque omnium animos haberet quidem mutandi regiminis timor.

Seita in hoc conuentu pleraque in commune Congregationis bonum. Præſtantiora de more adnotabimus. Quod ſancitum aliàs fuerat, vt noſtri adoleſcentes humanioribus literis, antequàm in diſciplinas ingrederentur,ſedulam darent operam, inculcatum modò eſt; ac preſcriptus quidam rerum,ac ſtudiorum ordo. Nempè vt per annum ſaltem hoc literarum tyrocinium ponerent; ac veluti in aditu ſapientię, priuſquàm in eius adyta admitterentur,excubarent. Rectorices præſertim ſcholæ haberentur ad facundiæ rudimentum, quam poſtea profiteri in ſacris conciobus ad publicum animorum compendium poſſent. Cum latinæ hujuſmodi eloquentiæ exercitatione hæbræam etiam, ac græcam linguam coniungerent: quæ tantum ad ſacrarū literarum,ac profanæ item eruditionis ſtudium momentum habent. Ad hęc, vt plurium æmulatione,ac mutuo veluti attritu elimarentur ingenia,certæ domus deſignarentur,quò hi Rhectorices candidati confluerent,atque vnà ſimul ſub certis item magiſtris erudirentur: cautumque demum eſt, vt nullus admitti ad ſuperiores poſtea ſcholas poſſet,niſi poſt emenſum iſtiuſmodi ſtudiorum ſpatium,periculum ingenii fecerit, approbatuſque Patrum ſuffragio fuerit. Certè, quantùm obeſt,initiari philoſophia rudes adoleſcentulos; eorumque crudum veluti ingenium ſcientijs grauioribus adiicere; tantundem,aut eò ampliùs prodeſt,excultos politiori hac humanitate, diſciplinas aggredi; excitato nempè ab ijs literarum guſtu,erectaq. iam indole ad bonarum artium poſſeſſionem; ac demum expedita à ſermonis exercitio, cultuque lingua;

Inſtitui humanis literis iuniores iubētur

Et linguis

Quantum inde emolumenti,

Illud etiam de ſtudijs rogatum quàm vtiliſſimū Capituli conſultum fuit. Quædam hominum natio eſt, qui natura à ſubtilioribus facultatibus ita abhorrent, vt in ijs capeſſendis oleum omninò, ac operam perdant; deſtituti nempè vigore illo mentis,qui ingenium dicitur,viamque ad ardua quęque doctrinarum aperit. Fruſtra hi quidem lycèum,ac tempus terunt, ſi pergant: at feriari omninò à ſtudijs,inertique quodam otio torpere, florente præſertim æuo,iuuenes,nec eorum educationi,nec regulari diſciplinæ conſentaneum videtur. Igitur cùm nullum ſit ſterile adeò ſolū, quod modò adſit cultura,non aliquam promittat,gignatque ſegetem; ac præterea compertum cùm ſit,ineptum vni frugi agrum,perutilem ſæpè alteri eſſe, conſulere & his etiam ingenijs non mediocri quidem cum operæ fructu, decreuere. Inſtitui nanque certis domibus ſacrorum Canonum, Chriſtianique officij cathedras iuſſere, ad quas qui Philoſophicis,ac Theologicis mentem minùs idoneam attuliſſent,transferrentur. Moralis huiuſce ſcholæ eaſdem eſſe leges voluere,ac reliquarum diſciplinarum; nempè vt prelectiones quotidiè haberentur,illas repeterent; proponerent in orbē dubia,diſputarent,diſceptarentque. Scholaribus ſua eſſet à choro immunitas. Quatuor omninò annos in eo puluere verſarentur, eaſque exactè materias percurrerent, quæ pertractari ab eiuſmodi facultatis profeſſoribus ſolent. Quo deindè curſu abſoluto, publicum examen,ac iudiciū ſubirent: &, ſi quidem progreſſus in eius diſciplinæ ſpatijs feciſſet, eadem laurea,ijſdemque donarentur priuilegiis,quibus Philoſophi, ac Theologi gaudent. Viſumque adeò communi eruditioni opportunum iſthuc de Chriſtiano officio gymnaſium pro modicis ingeniis excitaſſe,vt ne quis aliquo prætextu huicſe ſe labori, ac ſtudio ſubtraheret,cauerint conſequentibus mox comitiis Patres, vt nullus in poſterū adoptari inter eos,quos vocales nominamus, & qui Ordinis deindè præfecturis admouentur,nullo modò poſſent, niſi qui ad huiuſce decreti formam præceptores quadriennium audiuerint,ſuamque doctrinam, facto poſtmodū periculo, cenſoribus probauerint. Planè, ſi decreti longè vtiliſſimi momentum expendi accuratè contingeret,darent operam,quibus id negotii incumbit, vt vigerent hæ de moribus Academiæ. Nihil Clericorum Regularium profeſſioni, inſtitutoq. accommodatius, ac magis neceſſarium. Mortalium conſcientias regimus, communes mores informamus, patresfamilias,negotiatores,proceres,principes,hoc eſt,publicas,priuataſque omnium opportunitates,commoda,iura,prouincias etiam,ac regna, quoad eam partem, quæ con-

Morales ſcholæ inſtituuntur,

Quę conſequētibus comitijs promouentur

Noſtro Inſtituto oppidò conſentaneæ

conſcientiam ſpectat, moderamur. Quibus igitur doctrinarum adiumentis ſubnixos illos, neceſſe eſt, qui in hac tractatione rerum verſantur, excipiendis promiſcuè cõfeſsionibus, inſtituendæque mortalium vitæ deſtinati? Præclara, atque honeſtiſsima ea quidem ſtudia, quæ contemplatione, ac mente vrgemus; at ſi neceſſitatem ſpectes, & commoda, Reipublicæ longè opportuniores videri morales hæ diſciplinæ poterunt. Raræ cũ nouatoribus hodièq. de religionis, fideique myſteriis diſceptationes; atque adeò non tàm hæreticis confodiendis, quàm exercendis, expoliendiſque ingeniis ſacræ Theologiæ tela tanta cum animi contentione procuduntur in ſcholis. Contrà, quotidiè de officiis, de bono, de æquo conſulimur: quotidiè explicanda conſcientiæ dubia ſunt, atque in grauiſſimis publicæ, priuatæque rei negotiis ad recti normam actiones hominum conformandæ. Eaque propter inſtituta ſapienter eiuſmodi gymnaſia fuere; probauitque ſubindè experientia huiuſce ordinationis commodum. Accidit nãque ſæpè, vt qui inepti omninò ſtudiis videbantur; ad illa traducti, veluti conſentaneam, ac æquam ingenio ſuo exercitationem nacti, non mediocres in iis facultatibus proceſſus habuerint; conſtiteruntque in ſecundis ſaltem, aut tertiis, quibus nullus alioqui in ſubtilioribus doctrinis locus fuiſſet. Et quoniam in hac morum ſcientia verſamur, non hic poſtremò diſſimulanda noſtratum in hiſce ſtudiis promouendis annis etiam conſequentibus ſedulitas. Enimuerò in anni quarti ſupra quadrageſimum abeuntis ſeculi comitiis cùm in commune expendiſſent, contemplatricis duntaxat Theologiæ auſculrationes è D. Thomæ Summa explicari in noſtris ſcholis; quibus expletis, aut ſacris concionibus, aut tradendæ philoſophiæ, aut domeſticis ſtatim curis, qui ea iam ſtipendia fecerant, addicerentur; ac proindè negligi, quæ potiſſima eſſe deberet, inſtitutionum moralium curam, cernerent: ſciuere, vt poſtquàm quadrienniũ Theologiam ſcholaſtici abſoluerint, continuarent adhuc lycèum, ac iiſdem ſtudiorum legibus, eademque contentione, quæ de moribus tractantur, ab eodem præceptore, præſcriptis ſingillatim materiis, per annum audirent. Quod ſanè perutile. Compertũ ſiquidem eſt, hærere altiùs, quæ calamo, circulis, diſceptationibus ingeruntur: ea verò, quæ quis, magiſter ipſe, & diſcipulus diſcit, raròad maturitatem, perfectionemq. peruenire: ac plurimi intereſt in diſcendo, vt cum ſua methodo ſuum etiam ſit ingenio tempus; vt quod exceperit, concoquat ſenſim, ac digerat. Hæc de ſtudiis. Decreuere & alia Patres in diſciplinæ incrementum; nempè de inſtituenda, conſcribendaque certa quadam methodo, ac idea, ad quam tyrones noſtri, ac iuniores clerici vna, eademque per Ordinem diſciplina formarentur. De vniformi vèſtium, cellularum, rerumque cœterarum communium vſu. De ſacrorum miniſterio accuratè obeundo. De mulctis ritè irrogandis, ne impunitas bonos afficiat, malos ſecuros reddat. In quo quidem illud regulari obſeruantiæ apprimè accommodatum; vt quorãnis ſtricta quædam Patrum cenſura accederet, quæ in Clericorum, ac laici Ordinis fratrum mores diligenter anquireret: nempè vt ſingulorum profectus, defectuſque vnà expenderentur; & antequàm ad bonæ ſegetis tabem excreſceret interdùm mala aliquorum fruges, depaſceret ſtatim pœna. Quod poſtea iudicium cũ in continendis in officio iunioribus, ac laicis, quibus ab externis curis quædam innaſcitur licentia, maximè valere compertum ſit; certa quædam forma, ac bis in anno poſtea eſt inſtitutum: eſtque repetita ea quæſtio emendandæ indoli, propulſandæ deſidiæ, vindicandis noxis quàm efficaciſſima.

Moralis Theologiæ ſtudium præcipitur ſcholaſticis;

Alia item in rem communẽ Patrum conſulta.

Præcipuè Clericorum, ac laicorum fratrum ſcrutinium.

Iam, in communi rerum noſtrarum examine excuſſæ potiſſimũ, quæ excitatæ intra hoc triennium Ferrariæ, & Guaſtallæ coloniæ fuere: cumque à ciuium beneuolentia benè eſſe domeſticæ rei, religioſæque diſciplinæ compererint, ad certam cœnobij formam Præpoſitorum deſignatione, adauctaque familia vtramque exigendam decreuere. Quarè continuatæ inſigni cũ animorum emolumento vtrobique vigiliæ, creſcẽte operarum numero; atque excubante accuratiùs Rectorum ſedulitate, intendi magnoperè viſæ ſunt, atque adiungi noſtro Inſtituto magis, ac magis in dies exterorum ſtudia. Nouum item in conſultationem cœnobium venit, quod Papienſes ſummis votis expetebant. Epiſcopus, ac primores ex ea Ciuitate proceres, compoſitis ad Conſcriptos Patres literis, communem in noſtros homines propenſionem ſignificarunt. Honeſtæ quidem proponi conditiones videbantur. Priuatam, publicam pietatem in

Ferrariæ, & Guaſtallæ procedit res Theatina;

Ordinẽ expetũt Papienſes.

prom.

promptu eſſe: de loci ſitu nihil ambigerent, fore, vt ad votum, atque ad inſtituti rationem contingeret. Euocati in celebrem eam Vrbem, ſtudiorumque Academiam, gratiſſimum ijs fuit. Sed exploranda oculorum fide res erat. Quocirca in eam omnes conceſſere ſententiam, vt Pater Generalis cum ſuis Conſultoribus duos eò viros allegaret, qui locum, ac populorum ſtudia propiùs inſpicerent: idque potiſſimùm expenderent, an ſuſtentandæ familiæ vltronea piorum liberalitas ſubindè ſufficeret. Horum fide vbi res comperta abundè fuerit, deliberaret poſtea de cœnobio Pater Generalis: qui quidem cū non eo loci rem eſſe comperiſſet, vt excipi tunc inibi ad Theatini moris rationes noſtri poſſent, differri conſilium cenſuit, quod poſtea, vt præceps eſt rerum occaſio, ſucceſſu omninò caruit.

Expetita inſuper impenſiùs noſtratum opera à ſanctimonialibus fuit; ac delata ad Capituli Patres earum vota. Nempè, quorum ſemel expertæ in ſuarum conſcientiarum tectione peritiam, ac ſedulitatem fuerant, eandem continuari peroptabant. Genuę prænobile eſt D. Sebaſtiani aſceterium, quod à Papia appellant. Acceſſerant eò aliquando noſtri homines, communemque lectiſſimarum Virginum beneuolentiam ita ſibi adiunxerant, vt nihil optarent illę prolixiùs, quàm continenti ſacrarum confeſſionum auſcultatione regi ab ijs rem animorum. Et quòd ſcirēt, ad iſtiuſmodi monialium vigilias, confeſſioneſque plus ęquo protrahendas, non admodùm pronos eos eſſe, auctoritate, ac vi quadam vtendum duxere, commendato duobus Auguſtis Patribus negotio, Saulio, videlicet, ac Belmuſto; qui non perfunctoriè quidem, ſed eximia voluntate, & quàm efficaciſſimè oratam monialium cauſam voluere. Quo tempore hoc ipſum Catharina Medicēa Dux Mantuę, datis ad Patres literis, petijt pro Diuæ Vrſulæ cœnobio, quod noſtratum conſilio, ac ope, vti in loco ſignificatum eſt, Margarita Gonzaga, Ferrariæ Dux, inſtituerat. His poſtulatis ſacrarum Virginum Neapolitani D. Andreę collegij preces acceſſere: quæ quòd inſtituta, & mores, & ipſa pietatis rudimenta à noſtris acceperant; veluti non alienæ, ſed noſtrę, iure quodam confeſſarium, non quidem extra ordinem, ſed qui aſſiduas præberet aures, depoſcebant. Qua de re pluſculum inter Patres diſceptatum. Vetere nanque inſtituto, vbi de re ſanctimonialium agitur, neſcio quid ſeuerioris parſimoniæ adhibitū à noſtris ſemper fuit: qui id verebantur maximè, ne continuatis ſubindè confeſſionibus, remitti rigor, ac verſari plus nimio in gynecæis noſtros, contingeret. At enimuerò cùm perſonarum ſplendor, atq. authoritas in præſenti cogeret; nec ipſarū monialium aduersùm nos beneuolentiam, atq. infimas preces contemnere, fas eſſet, viſi Patres, ita annuere, vt quandam Patri Generali cautionem commendarent. Vt nempè locorum Antiſtites non aſſentirent modò, ſed poſtularent. Tempus intra triennium arbitratu ſuo deſignaret. Certos cōfeſſarios ita pręſcriberet, vt mutare pro libito poſſet. Poſtremò maturos œui, graues, conſultiſſimos deligeret. Planè & hanc charitatis, ac laboris partem complectebanturquidem maiores noſtri, ſed perindè vt immorari, atque in eiuſmodi curis conſeneſcere, nihil ęquè ijs eſſet moleſtum. Adigi quandoque, vt memoratum alibi eſt, ſtimulis acrioribus, atque ipſa ſummi Patris auctoritate contigit, vt ſacrarum Virginum prouinciam ſubirent; ſed fruſtra: tantùm abeſt, vt ambitu quodam figere in monialium Collegijs ſedem adſectarent. Quod ſi poſtea quibuſdam in aſceterijs dare diutiùs operam noſtri homines ſacris confeſſionibus viſi ſunt, factum id quidem non ſponte, ſed vi quadam: ac ſubeunte ſenſim, ac ſurdo quodam gradu neceſſitate, ab vſu, à gratitudine, à precibus, alijſque rerum attributis, quæ non ſemper liberum eſt, eluctari.

Expetuntur confeſſarii noſtri à Monialibus Genuę.

Mantuę.

Neapoli.

Quę in ijs concedendis Patrū cautio.

Iam, quòd ſtatim à comitijs adnotandum venit, ea eſt religioſi cuiuſdam viri carpendi noſtros ritus cupido. Siracuſis id accidit, vbi egregiam communi pietati cùm nauarent operam noſtri, non defuere vel ab ipſo colonię initio, qui illos, continuata acriter oppugnatione, exercerent. Hoc verò anno in diuini cultus elegantiam, Theatinique moris in ſacris concinnitatem inuectum. Vetus noſtri Ordinis conſuetudo eſt, vt in miſſæ ſacrificio præter corporale, quòd in altari explicatur, & pallam, quę calici imponitur, alteram ſub hoſtia pallam vſurpemus, quā non mediocri commodo eſſe in ſacra ea litatiōne, vſu comprobamus. Hanc ille carpere confidentiſſimè, ac noſtros, ceu reos violati romani ritus, quà priuatim, quà publicè proſcindere: ita vt pro concione

Siracuſis obijcitur noſtris pallæ vſus.

Digitized by Google

cione aliquando cũ diceret, diuertere ad vellicandum licentiùs morem non dubitaue-
rit. Hanc dictionis licentiam haud quicquam penſi noſtrates habuere, nec, inſtituta
protinùs quęſtione, inſurgere in egregium noſtri ritus cenſorem, neceſſarium reputa-
runt: quando œuum, ac grauiſſimorum, ſummorumque hominum iudicia inductam
ab ipſis naſcentis ſodalitij initijs conſuetudinem ſatis, ſuperque tuerentur. Fuere nihi-
lominùs, qui ne cedere potiùs, quàm contemnere viderentur, ſi tacerent, ſtylum ſtrin-
xere: idque ea modeſtia, ac ſobrietate, vt oſtenderent, non eam rem eſſe, vt decerni iu-
ſta pugna oporteret, ſed ſufficeret velitatio. Controuerſiam, quam breui cõmentario
explicauit egregiè Antonius Caracciolus, excepitq; doctè [a] Andr. Molſeſius in ſuis Mo-
ralis Theologię Commentarijs, libari in hiſce noſtris hiſtorijs, non puto ſuperuacaneũ:
vt quando quęſtionem hic meminimus, quibus illam armis noſtri profligauerint, lite-
ris etiam conſignemus. Igitur, illud primo loco certum, inuectum ab ipſis noſtrę Cõ-
gregationis Conditoribus hunc pallę vſum fuiſſe: nempè à Beato Caietano Thięnęo,
& Paulo Quarto Pontifice Maximo, quorum in diuinorum cultu ſtudium, rerumque
Eccleſiaſticarum, priſci præſertim ritus peritiam aliàs commemoraui. Illud in præſen-
tia repetam: in hac ſacrorum eruditione ea illos valuiſſe apud Clementem Pontificẽ
Septimum opinione, vt facta ijs facultas fuerit romani breuiarij pro ſuo arbitratu con-
ficiendĩ. Quod vſque adeò concinnè eorum opera factum, vt ad eius poſtea exemplar
conformatę communes Eccleſiæ preces fuerint: vti Pontifex ipſe Pius Quintus in di-
plomate ad breuiarium cum Pauli Quarti laude memorat. Quam eandem limam,
ac operam cùm Miſſali Romano, tùm Pontificali adhibuere ſubindè noſtri, de
tota re Eccleſiaſtica fructuoſiſſimis hiſce vigiliis optimè meriti. Eapropter à viris
ſacrorum rituum ſcientiſſimis, & qui in rerum diuinarum cultu, ac ſplendore
toti erant, alteram hanc pallam in morem inductam fuiſſe, abundè probat, laudabi-
lem illius vſum eſſe: atque vſurpari, niſi cum diuini ſacrificii elegantia, ac dignitate
minimè poſſe.

Quę propugnata breuiter.

Sum. Moral. tract. 9. c. 11. n. 62. & deinceps.

Inducta a noſtris Conditoribus palla.

Sed neque ſine Maximi Pontificis nutu viri illi perindè ſapientiſſimi, ac ſanctiſſimi
illam excogitarunt. Enimuerò in Pontificio eo diplomate, quo fundandi Clericòrum
Regularium Sodalitium facultas conceditur, id etiam Clemens Pontifex annuit, vt
poſſent noſtri condere ſtatuta quęcumque: De miſſis pręcipuè (Apoſtolicarum literarũ
verba hęc ſunt ad Conditores) & aliis diuinis officiis, & horis Canonicis, prout vo-
bis meliùs videbitur, celebrandis, & recitandis, licita tamen, & honeſta, rationabilia,
& bonis moribus, ac ſacris Canonibus non contraria. Quę quidem generatim pote-
ſtas quamuis abundè ex ſe eſſet; nihilo tamen minùs impetrare etiam conceptis verbis
ipſiuſmet Pontificis ſuffragium voluere. Siquidem, vti epiſtola ad Patres Siracuſa-
nos hac de re data, refert Antonius noſter Caracciolus, plerique ex ſenioribus, &
grauiſſimis noſtri Ordinis Patribus dicere ſoliti erant, audiuiſſe ſe à Beato Ioanne
Marinonio, hanc pręſertim pallam communicaſſe maiores noſtros cum Clemente
Septimo, probauiſſe Pontificem, eiuſque vſum ad ſacrificii decentiam, nitoremque
ac commodum vltrò conceſſiſſe. Quæ cùm ita ſint, tranſiſſe ad poſteros morem,
quem qui Ordinem fundarunt, adeò prudenter, ac ritè inuexere, nemo quidem iure
carpſerit.

Cum aſſenſu Pontificis.

Iam verò, & ſummos deindè viros eundem ritum vſurpaſſe, momentum planè at-
tulit noſtrę conſuetudini non exiguum. Mitto Paulum Quartum Pontificem, qui,
quòd eius pallę auctor videri potuit, adhibuiſſe illã poſtea Cardinalem, ac Summum
Pontificem, haud mirum videri debuit. Quamuis à tanto Pontifice in hac pręſertim
diuini cultus obſeruatione quicquid vnquam extiterit, veluti ab omni parte laudatiſ-
ſimum, atque irrefragabile, excipi debeat. Gregorius Quartus decimus, egregij ſpiritus
Pontifex, hunc eundem ritum probauit, vſurpauitque: & vt quædam inter noſtros
perſuaſio eſt, Clemens Octauus vſus item palla aliquando eſt: cui addendus Vrbanus
Pontifex viij. vti [a] Andreas Caſtaldus refert. Inter Auguſtos verò Patres Bernardinus
Cardinalis Schottus, & Paulus Cardinalis Aretius ex noſtris, vterque in diuinorum
ſtudio verſatiſſimus, vſurparunt. Cardinalis item Antonianus, ex ijs nempè, qui ſacro-
rum rituum Congregationi præerant, illam non modò ſummopere commendauit; ſed
& quoties in noſtra Quirinali eccleſia facere ad aram cõtingebat, ea vti ſolitus erat. Ex

Pallam Viri præcipui vſurparunt.

Paulus IV.

Gregor. XIV.

Clem VIII.

a Prax. Cerem. lib. 2. ſect. 7. c. 1.

Card. Schottus, Aretius, Antonianus.

eadem

eadem autem ſacrorum rituum Congregatione Ioannes Baptiſta Bandinus, vir cùm primis eruditus, atque in Romana aula honeſtiſſimi nominis, illam ceu diuinis myſterijs peragendis opportuniſſimam mirificè dilaudabat. Neque verò diſſimulauerim, quod Ioannes Baptiſta Tufus, Epiſcopus Acerrenſis teſtatus perſępè eſt noſtris, facitq. maximè ad huiuſce pallæ commendationem. Nempè Proſperum Vitalianum, Biſiniani Epiſcopum, ſumma doctrina virum, inſtituiſſe aliquando cũ Pio Pontifice Quinto de Miſſæ ſactificio ſermonem, vſumque Clericorum Regularium de altera hac palla inſinuaſſe, ac ſe quidem ab ijs in miſſæ ceremoniis ita inſtructum, vt illam etiam adhiberet. Ad hæc, Pontificem commendaſſe plurimùm Theatinam conſuetudinem, & quòd eandem ipſe arripuiſſet, ac teneret, etiam, atque etiam probaſſe. Quo quidem pro Theatina hac palla neſcio, an luculentiùs excogitari teſtimonium, aut argumentum poſſit. Cui ab celeberrima, atque erudita cum paucis purpura iudicium annectimus. Turiaſone, quæ Vrbs eſt in Aragonia, ſacra adminiſtrabat Didacus Yeſpes, Antiſtes, quà doctrinis, quà probitate conſpicuus. Torquebat hunc ea maximè cura, ne quid fragmentorum è ſacrificio miſſæ deperiret. Videbantur nanque ſibi, haud ita accuratè colligi ea poſſe, quin diligentiam aliqua effugerent: Cũque creſceret in dies ſtimulus, atque acriter vellicaret, perſcribere ad Cæſarem Cardinalem Baronium rem ſtatuit; ratus, fore, vt vir ſapientiſſimus, aut præſenti aliquo remedio fragmentorum iacturæ occurreret, aut ſaltem animum componeret, plùs nimio anxium. Et Baronius quidem cũ alia quædam in rem opportunè Epiſcopo ſignificauit; tũ illud addidit: percommodam nempè fore pallam, quã ex laudabili inſtituto Clerici Regulates vterentur. Religioſos eos eſſe in Italia (non dum enim agnouerat noſtros Hiſpania) præclari nominis, atque in hunc potiſſimũ diuinorum cultum, ritumque ſacrorum intentiſſimos. Hos, ſi ipſe in eo pallæ vſu imitaretur, ſciret, fore, vt & commodo, & elegantiæ cõſuleret. Quod vbi Antiſtes re ipſa comprobauit, & adhibuit ipſe ritum, & in morem ſua in Eccleſia ſubindè induxit. Accepi hoc ego à Ioſepho noſtro Regna, non mediocri doctrina viro, qui Matriti olim rei noſtræ cum laude præfuit. Nam cũ is Turiaſonẽ ex itinere diuertiſſet, adiiſſetque ad templum maximum, vt ad aram faceret, aduertit noſtram inibi hanc pallam vſui eſſe; miratuſque eò Theatinum ritum manaſſe, didicit, quòd ex eius ſide narraui. Quod ipſum poſtea Vincentio noſtro Cerdano retulit Cæſarauguſtæ Hieronymus Ypenſis, Iacenſis Epiſcopus, qui Turiaſonenſis Antiſtitis à ſacello tunc erat; vti ipſemet Cerdanus teſtatus ſuis literis eſt, quæ penes nos ſunt. Planè probaſſe pallam Baroniũ, hoc eſt, virorum apicem, & cui ab vniuerſæ Eccleſiaſticæ rei notitia iudicium longè acerrimum, tuendæ laudabili noſtræ conſuetudini ſatis, ſuperque fuerit. Quamquam nec auctores deſunt, qui cùm accuratè de ceremonijs ſcripſerint, Theatinam pallam, eiuſque vſum commendent, quos [b] Caſtaldus laudat.

Proſper Vitalianus.

Cõmendauitque Pius V.

Et Cardinalis Baronius.

Cuius monitu Turiaſonenſis Epiſcopus palla vtitur.

Retulit hoc Ioſeph Regna.

a Petr Ruiz de prep. sac § 11 pag 266 Io. Alcarae de miſ. priglo. pag. 960. b Prax Cerem. lib. 2 ſect. 7 c. 1.

Et verò, qui intueri propiùs, atque accuratè illam expendere voluerit; commendet ſummopetè ab opportunitate, ac decentia, neceſſe eſt. Nã præciſa quædam à magno corporali lacinia cùm ſit, & ſimul ſacroſancto Chriſti corpori proximè ſubdatur, id habet in ſe præſentis commodi, quòd diuinæ hoſtiæ fragmenta in ea, non in corporali recipiantur: atque adeò quæ in corporali oculorum aciem effugiunt, atq. ex eo colligi cũ patena expeditè nequeunt, ab ipſa palla, quæ breuis, plicatilis, tractabiliſque eſt, excuti in calicem perquàm facilè, ac decenter poſſunt. Ad hæc, non mediocris ea eſt pallæ dignitas, ac vſus, quem [a] Andreas Caſtaldus notat. Siquidem accidit ſæpè, vt Chriſti Corpori inter rem diuinam fideles communicent, ac pro ijs paucas particulas conſecramus; quas quidem, dùm ſacra deindè hoſtia in patena collocatur, ſatis decenter in ea palla ad alterum calicis latus, quoad diſpertiantur, reponimus. Et addit Caſtaldus, quòd cũ plerũque de loco in locum transferantur pyxides, parata, ac prompta quædam res eſt palla, quam ijs ſupponamus; eiuſque beneficio circumferre, atque explicare corporale non cogimur. Quæ potiſſimùm fuere cauſæ, cur Paulus Quartus, ac Thienæus, ac cæteri Conditores hanc pallam inuexerint. Quos quidem, vt potè priſci ritus conſultiſſimos, vti ſignificaui, non ignoraſſe, putandum eſt, Græcos etiam Patres, ac Myſtas præter corporale geminam in miſſæ ſacrificio pallam vſurpaſſe: alteram, qua latinorum ritu calicem, alteram, qua patenam cooperiebant; eaſque memi-

Commoda ab hac palla.

a Prax Cerem. lib. 1 ſect. 3 c. 4.

Græci duplicẽ vſurpant pallam.

minere in ſuis liturgijs D. Baſilius, & D. Ioannes Chryſoſtomus. Et pallam quidem calicis liturgia etiam Præſanctificatorum memorat; patenæ verò D. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Theoria rerũ Eccleſiaſticarum, vt videre eſt apud Molſeſium, quem ſupra laudaui. Quocirca poſt ſummorum hominum auctoritatem, ac momenta rationum fauet etiam vetuſtas, & Græcorum ritus, vndè manaſſe noſtra hæc palla, videtur.

Obiectis occurritur.

Atenim, cui cenſoria, vt aiunt, virgula hanc reprehendere conſuetudinem libuit, his potiſſimùm niti argumentis viſus eſt. Primò contra Pij V. ordinationes id eſſe. Cauet is nanque, ne præter communes, ac veteres Eccleſiæ ritus in facienda re diuina noui inducantur. Deindè eiuſmodi eſſe miſſæ ſacrum, vt nihil in eo ſit, quod non aliquid arcanæ diuinitatis, ſanctique repræſentet: atque adeò nouam hanc pallam inducere, quæ nihil exprimit myſterij, contra dignitatem, ſanctitatemque tanti ſacrificij eſſe, nullus dubitauerit. Iam, quod ad Pij Pontificis decreta attinet, ea ſunt, vt non ceremonias, ritusque illos abrogent, quibus ab ipſa inſtitutione ſummorum Pontificum nutus acceſſerit: quod accidiſſe Theatinæ pallæ, modò demonſtraui; conceſſa noſtratibus à Clemente Septimo facultate, vt etiam in miſſis celebrandis ſuos ſibi ritus, honeſtos quidem, ac rationabiles adornarent. Quod ſi Pii V. ſanctionibus derogatũ noſtris priuilegis contendas, id etiam facilè eluditur. Nam confirmata poſtmodum cùm fuerint cùm à Gregor. Quarto decimo, tùm à Paulo Quinto, ac Gregorio Quinto decimo; idque ex certa, vt aiunt ſcientia, ac de plenitudine poteſtatis, exploratum omninò eſt ex omnium ſententia, rediiſſe etiam abrogata: proindèque vti poſtliminio ſuis ritibus noſtros poſſe. Præterquamquòd conſuetudinem illam, quæ legem humanam iuuat, eiuſque obſeruantiam facilem reddit, nullus iure damnauerit. Videtur ſiquidem Princeps, quod præſtantiſſimi viri docent, in ipſa legum ſanctione ea etiã intendere, quæ ſtatuta ipſa in morem citiùs, ac promptiùs inducant. Igitur cũ Theatina hæc palla non modò Eccleſiaſticis ſanctionibus diſſentanea nõ ſit; verùm etiam, vti monui, illas iuuet, maiorique cum venuſtate, ac commodo diuina myſteria eius vſu perficiantur, proſcriptum à Pio V. ritum hunc, nullus planè affirmauerit. Hinc etiam poſt Pii V. conſtitutionem doctiſſimos, grauiſſimoſque viros, ad quorum notitiam pallæ cùm venuſtas, tùm facilior vſus peruenerat, illam adhibuiſſe, auctor eſt Molſeſius, qui cùm elegantiùs eo adminiculo Eccleſiaſticos ritus obirent, nequaquam lędere ſe communem Eccleſiæ obſeruantiam, legemque reputarunt. Atque horum quidem auctoritate refellitur facilè [a] Bartholomæus Gauantus, qui cùm non audeat percommodum hunc apud noſtrates ritum improbare, docet nihilominùs, eo vti extraneos, minùs poſſe, cùm id caueant Pii Quinti decreta; quæ non obſtare, & præſtantiſſimorum capitum approbatio, eorumque vſus, ac ratio ipſa monet.

Non obſtant Pii V. decreta.

Bartolomæus Gauantus refellitur.

a Clement. in Rubr. p. 2, tit. 1.

Altera cenſurę pars, qua ideò à miſſæ ſacrificio hæc palla reiicitur, quòd myſterio vacet, reſtat nunc examinanda. Planè cùm inducta à noſtratibus palla alterum veluti corporale ſit, exiguum quidem, ac breue, vt, quem paulò ante laudaui, Ioannes Baptiſta Bandinus affirmabat, idem adumbrare myſterium, ac corporale ipſum, aſſerere optimo iure poſſumus: nempè Sindonem, qua inuolutum Chriſti Domini Corpus fuit. Et Græci quidem Patres, quos binas adhibuiſſe pallas paulò ante memini, illi quidẽ, cui Theatina reſpondet palla, hoc idem tribuunt myſterium, vt in hæc verba Germanus Conſtantinopolitanus teſtatur: Diſci, inquit; velamentum eſt pro Sudario, quod ſuper Chriſti faciem erat, circumtegens ipſum in ſepulchro. Atenimuerò careat myſterio ritus, ac nulla in eo ſit ſacræ rei vmbra, ac ſymbolum, num ideò excludi à ſacrificio debet, cùm alioqui à decentia, à nitore, ab vſu diuinorum faciliore, atque elegantiore commendetur? Quid? itane omnia in ſacra litatione figura, ac ſacramentũ ſunt, vt nihil præterea ad concinnitatem duntaxat, honeſtatemque actionis collimet? Cedò, quam burſam dicimus, quid præter quandam opportunitatem, & commodum habet? Sudarium ſiniſtræ olim ſacerdotis alligabatur; idque eius cõmodo; vt haberet, vnde ſudorem abſtergeret, vt Amalarius teſtatur in hæc verba: In manu ſiniſtra Sudarium, ſiue mappula portatur, vt detergamus ſudores. Igitur proſcribendum Sudarium illud fuit, quod ſacerdotis vſum, non myſterium, ſpectabat? Sed

Quid palla ſignificet.

Pleraque in miſſæ ſacro ad maiorem venuſtatem.

cua-

Digitized by Google

euaſit deindè ſudarium hoc in manipulum, induitque myſterium; quod ea oratione ſignificamus: Merear, Domine, portare manipulum fletus, & doloris. Hinc ſuccedere ſudarium alterum oportuit; receptumque communi vſu eſt; quod quia curandis ſolummodò naribus adhibetur: nullus planè carpſerit, ac remouendum ab altari dixerit, eo quòd myſterio vacet. Huc etiam nonnullorum ſacrorum Ordinum conſuetudines reuocandæ, quæ mundiciem, aut decentiam continent, non ſacramentum. Doceant nanque, ſi lubet, myſterium in Carthuſianorum cochleari, à quo aquę guttulas in calicem immittunt. Pręterea meminerint, vnum olim corporale in miſſa adhiberi ſolitum, cuius lacinia calicem obtegebat. Qui mos hodièque apud hos ipſos Carthuſianos viget, ſeruabatque non ita pridem Pręsdicatorum Ordo. Inuectum deindè geminum corporale fuit; magnum quidem, quod in altari explicatur, paruũ verò tegendo calici. Age, myſterium ne, an expeditior quidam vſus, & commodũ, recepta ſingulari conſenſione ab vniuerſa penè Eccleſia conſuetudine, corporalia cõgeminauit? Ergo quę primam inducere pallam potuit mundicies, ac dignitas, hęc eadem Conditores noſtros impulerit, vt alteram excogitarent quę decentię item, nitorique deſeruiret, non myſterio. Poſtremò ſiſtendi hic eſſent viri docti, qui disertè aſſerunt, plura eſſe in miſſę ſacrificio, quę cùm nihil ſacri, arcanique innuant, ad dignitatem ſolummodò, atque elegantiam adhibentur, Sed ſuffecerit Franciſcus Suarez, qui vbi de ſacrificio miſſę agit, hęc habet: Quędam, inquit, ex ceremoniis miſſę inducta ſunt ſolùm, vt hoc ſacrum myſterium debita honeſtate, modeſtia, ac reuerentia peragatur. Affert ſubindè exempla: verbi gratia, inquit, quòd dum ſeipſum manu dextra ſignat ſacerdos, ſiniſtram ponat ſub pectore; ſolùm ordinatum videtur, quia ille eſt decentior modus. E contrario, quòd dum benedicit oblata, manum habet ſuper altare, maiorem habet ad illam actionem commoditatem, ac venuſtatem: & ſic de multis alijs, quæ ſi rectè ponderentur, nihil aliud continent, quàm commodum, modeſtum, ac prudentem operandi modum. Hæc ille, propugnãdæ pallæ planè opportuna contra cenſorem Siracuſanum, qui mores mortalium, non ritus, clariſſimorum capitum quà commendatione, quà vſu nixos, petere pro ſuggeſtu debuerat. Sed hæc hactenùs.

Carthuſianorũ Cochleare cò, modo deſeruit.

Neque.n. omnia myſteria continent in miſſa.

E Sicilia verò antequàm pedem effero, Platiam raptim excurram, vbi hoc potiſſimùm anno excitari apud eos ciues inſignis quædam in Beatum Andreã Auellinum obſeruantia, ac religio viſa eſt. Planè, cùm vbique Senex ſanctiſſimus fidelium votis pręſenti ope adeſſet, Siciliam præſertim, vrgente, videlicet, flagrantiſſima gentis fide, ac natiuo quodam ardore pietatis, cumulare quadam beneficiorum perennitate voluit. Quid alibi patrauerit, in loco denarratum eſt. Platiæ commune, certumque omnium perfugium hoc maximè tempore videri potuit. Imploraſſe eius patrocinium, impetraſſe erat. Propulſata eius inuocatione nominis innumera penè corporis, animique incommoda: profligatæ morborum peſtes: ſeruatæ incolumes difficillimo in partu puerperæ: reſtituti ſuæ integritati luxati artus: reuocata penè è tumulo mortalium vita: ea nimirùm frequentia, vt ſuccedentibus ſubindè alijs, atque alijs beneficijs, admirationem truderet admiratio. Eapropter, qui tũ Eccleſiaſticæ rei præerat, Franciſcus Inguardiola, Ciuitatis Vicarius, & Cleri Decanus, conſignanda publicis tabulis, quę vulgò ferebantur miracula, decreuit: cœptaque mox ritè acta; in quibus & numero ſatis multa, & admirabilitate præcipua iuratis teſtibus comperta; probantque ſingularem in Platienſes Auellini beneficentiam. Corollarium hoc nempè eorum, quæ ſplendidiſſimis in Italiæ Ciuitatibus eius præſidio patrabantur; & quæ publico quodã concentu famę diuulgari, atque Antiſtitum auctoritate, nutuque referri in tabulas, contingebat.

Pleraque Platię B. Andreæ mirabilia

Quę publicis tabulis conſignantur.

Excurrit Genuam narratio, vbi noſtratum induſtria, cùm Vrbanam pietatem egregiè demereri pergeret, extra Ciuitatem hoc anno egredi, villaſque, atque ardua ipſa montium adire ingenti cum morum compendio viſa eſt. Complectitur pleroſque in circumiacente regione vicos, ac pagos Genuenſis Diœceſis, in quibus à Sacerdotum inopia, atque ab ipſo locorum ſitu non minimùm mortalium mores, ac religio laborant. Nullus quippè inibi cùm ſit, qui diſciplina, ac ſacrorum vſu gẽtis naturam emolliat, accidit, vt innutrita Syluis indoles cùm ab humanitate, tũ ab omni prorsùs Chri-

Genuæ rurales Eccleſias noſtri adeunt.

ſtiani moris cultu abſit. Curant hanc officij partem Antiſtites; eòque identidem ido-
neos viros mittunt,qui lucem genti faciant, doceantque ſaluti neceſſaria. Quod no-
ſtris hoc anno contigit, miſſique ad id difficillimi muneris ab Archiepiſcopo Marino
Eorum ſtudia. Thomas Bargonus, Apoſtolici vir ſpiritus, & Nicolaus Stalburges, Sacerdos item fru-
gi, ac nauus: qui quidem in eas vigilias ſtrenuè ingreſſi; vt qui ſcirent, alta cùm inſci-
tia, ac barbarie ſibi rem eſſe; atque adeò contendere vires, ac neruos oportere; nihil
profectò induſtriæ, ac laboris viſi in ea palęſtra prætermiſiſſe. Adeundi ſyluarum receſ-
ſus, atque ipſa interdum montium ſupercilia erant, per abruptum nempè iter, ac præ-
ceps; quæ quidem non modò non homines flagrantiſſimos terruere; verùm etiam,
veluti acuerent ad eas cautes vim pectoris, animos, ardoremque à locorum difficulta-
tibus adaugebant. Declamare aſſiduis, ac fructuoſiſſimis concionibus: indefeſſas ſa-
Et Hieronymi Gentilis. cris confeſſionibus aures prębere: rudes inſtituere: mores improbos, adultaſque œuo
prauas conſuetudines conuellere: altercantes obſtinatè, atque inueteratis ſimultati-
bus partes ad concordiam reuocare: paupertati eleemoſynis conſulere: expolite ob-
ſoleta in templis ſacra; aliaque, digna Apoſtolico eo munere nauare pro virili cōten-
debant. Bargoni pręſertim ſtrictior quædam vitæ ratio, ac verba neruorum plena mi-
rū quo impetu, ac vi pulſare pectora viderentur: quo tamen Genuam pro re nata à
Patribus reuocato, ſubijt vices Hieronymus Gentilis, è patricio Ordine Genuenſis, vir
& ipſe ſanè impiger, atq. in proximorum ſalutem oppidò animatus, qui recenti quodā
ſpiritu opus cum Stalburge continuauit; viſus inſigni quadam animi alacritate, inco-
moda, vigilias, temporum, locorumque iniuriam ſubire, ac tolerare. Bimeſtre frugiſe-
rus labor tenuit, Iulium nempè, Auguſtumque menſem: ceciditque res quàm optimè
animorum prouentu incredibili, atque Eccleſiarum pręſertim emolumento, quibus
ab ea Patrum inſpectione aſſerta ſacra; ſacris verò decentia, ac pro modò nitor. Quas
Auguſtinus Maynerius eaſdem eccleſias viſitat. item Forenſes Eccleſias, omnemque inibi religionem longè antea, hoc eſt, anno vol-
uentis ſeculi nono, Auguſtinus Maynerius, ſolida vir virtute ex noſtris ſūmo iure inui-
ſerat, eò ab Archiepiſcopo allegatus. Qui quidem officio, votiſque Antiſtitis inſigni
quodam zelo adamuſſim reſpondit. Incredibile planè dictu eſt, vt vniuerſæ iſtiuſmodi
ruſticæ rei, ac ruralibus eccleſiis malè tùm eſſet. Vbique cùm in moribus, tùm in pa-
rietibus ſqualor: idem Parochis, ac reliquis vitę inſtitutum; eratque ſicut populus, ſic
ſacerdos. Maynerius cùm pleraque ipſe coram pro poteſtate ſanciuerit; tùm plura,
de quibus Archiepiſcopus in medium conſuleret, atque opportunè deliberaret, in
commentarios retulit. Ac ſubſequutus mox non mediocris eius operæ fructus, era-
ſa à ſacris ſorde, reſtituto Eccleſiis cultu, ac mundicie, amotis à rerum diui-
narum miniſterio ineptis, ac improbis: vt nihil profectò vtilius hac religioſiſſi-
mi Viri inſpectione fuerit: cuius acta, præſcriptaſque in rem animorum, emen-
dationemque pietatis ordinationes in Genuenſis noſtrę domus tabulario extant.

Imus modò narratum pijſſimum planè opus, defunctorum manibus oppidò oppor-
portunum, quod à noſtris hominibus primò inſtitutum, plauſum etiam, gratiamque
promeruit à nouitate. Scilicet, ea eſt noſtri Inſtituti ratio, vt non mortales modò, ſed
peculiari quodam ſtudio, ac genio mortuos etiam iuuet. Succeditque ea laude chari-
tas, vt iam, continuatis pijs per annum parentalibus, certiſque ſuffragijs in pleriſque
Mortuorum montes in noſtro Ordine noſtris eccleſiis, hanc in defunctos pietatem ſibi noſtri vendicent, velut ſuam. Quod
hoc anno in miſerabilium animarum bonum inſtitutum eſt, Mons mortuorum dici-
citur, hoc eſt, congeſta quædam è certis fidelium erogationibus, ac ſymbolis pietas, ſi-
uè pecuniarum cumulus, vnde quà miſſarum ſuffragiis, quà beneficentia in paupe-
res, quà alijs charitatis operibus, repręſentantur deindè pretia libertatis, ac ſoluuntur
ſuppliciis ſuis pii manes. Appoſitè ea item Montis nomenclatio, à quo, ſcilicet, refrige-
Bitunti primū excitati ab Eugenio Rubeo. randæ luſtrali flammæ, & longæ caderent vmbræ, vt quædam decurreret fluuiorum
perennitas. Pręclarum hoc opus & ſi propagatum latiùs eſt in noſtro Ordine, cœptū
nihilominùs hoc anno, vti compertum habeo, in Bituntino cœnobio, auctore Euge-
nio Rubeo, Neapolitano, viro ex noſtris, in omnem pietatem incitatiſſimò, cuius qui-
dem, quoniam eius incidit mentio, libanda paucis virtus eſt. Præcipuus illi, vt zelus,
Cuius virtus explicatur. ita & linguæ ardor inerat. In vitijs inſectandis non elumbis, non fracta, aut nata in
ore eloquentia; ſed procuſa in pectore, fundere non tàm verba, quàm faculas vide-
batur,

batur, flagrante mirũ in modum vultu, geſtuque, dum diceret. Bituntum amandatus, in omnium ibi admiratione ab hac dictionis flamma fuit. Nobilium ſodalitio impoſitus, audiri in eo vix cœpit, cũ manante ſtatim fama, affluere certatim omnes, ac mirabiles concitari animorum motus viſi ſunt. Cũ de diuinæ offenſæ grauitate, æterniſque ſupplicijs ſermo erat, excedere penè mente videbatur, impactis nonnunquam ſibimet alapis, vt horrorem aliquem in auditorum animis excitaret. Semel cùm de Chriſti Domini pœnis loqueretur, eò vehementię deuenir, vt circumacto ad collum fune, raptari ſe iuſſerit, vt eo, quo poſſet modo, Saluatoris contumelias, quas verba non poterant, re ipſa exprimeret. Priuatim verò eadem illi in monendo, promouendaq. virtute efficacitas, ex qua quidem non mediocris virtutum, ac morum prouentus extitit inter nobiles præſertim cùm viros, tùm fœminas, quorum ferè omnium conſcientias moderabatur. Agnouit viri zelum, ſtudiumque formandę pietatis, qui tùm Bitũtinæ Eccleſiæ præerat, Ioannes Baptiſta Stella, Romanus, Antiſtes ab omni laudum genere ornatiſſimus, eiuſque ſtatim clientelę, ac fidei ſacrarum Virginum collegia cõmendauit. Curas ille occœpit, continuauitque contentione, ac vigore quodam animi incredibili. Quà publica ad omnes voce, quà priuatis monitis docere, adhortari, adeſſe: vt inducta ſtatim altera monaſterijs facies, ac diſciplina morum fuerit; vigetq. etiam nũ inter ſanctimoniales Eugenij nomen, eiuſque innocentiæ, ac ſtrictioris zeli fama. Sed de egregii, flagrantiſſimiq. ſpiritus viro multa licet ſe ſe obijciant denarranda, duo hic exponam, memoratu digna. Haſtiludium, vt moris eſt, extremis bacchanalibus adornauerant viri proceres, ac non longè à noſtro D. Nicolai templo decurrẽdum ſpatium erat: quo tempore alliciendis ad ſinceriores delicias mortalibus, ad ſacræ Euchariſtiæ conſpectum publica à noſtratibus oratio ſolenni ritu celebrabatur. Ab eo ſpectaculo rarus in eccleſia auditor, ac Numinis cultor; dolebatque id maximè Eugenius, certare tùm quidem cũ mundo Deum, ac vulgò iudice, mundum vincere. Nec mora: quod olim Ioannem Baptiſtam Sanctaflorium, ex noſtris item, eadem in Ciuitate feciſſe, memini; præclaro quodam animi impetu monendos diuinæ iniuriæ homines, putat. Signum pendentis in cruce Seruatoris manu arripit, ac facta à Pręposito facultate, theatrum inſolens, ac generoſior antagoniſta adit. Vbi ſpiſſior populus, traiectum, quod geſtabat Numen, humi depoſuit; vt oſtenderet, nil aliud tunc ipſos agere, quàm Deum ipſum proculcare. Ad hæc, laxata acriore quadam facundia, increpare vehementer confertiſſimam multitudinem, quòd ſpreta ſolida diuinorum voluptate, ac guſtu, ludrica, ac vanas rerum vmbras ſectaretur. Quid igitur? inquit, forum ne magis, ac fugiens hæc ſcena, atque inconditi clamores, quàm honeſtiſſimum, ſanctumque in eccleſia theatrum, ac diuinæ voces placent? Irretiri ea oratione auida alioqui ſpectaculi turba, ac, præeunte Eugenio, trahi vi quadam viſa eſt ad frugem, ac fructuoſam animorum oblectationem. Iterũ, exterorũ militum manus, qui tùm fortè in Bituntina Ciuitate hyemabant, feſto quodam die in Eccleſiam conuenerat: & quę eſt hominum licentia, miſcere ſtrepitu, riſuque omnia, perindè ac ſi in caſtris eſſent, occœperant. Ex ijs vnus petulantior, cui alia quidem conditio ab ea, quam ſpecies, ac arma repręſentabant. Non tulit palmarem irreuerentiam Eugenius. Adit medio in templo milites imperterritus; expolitiſque ad zeli cotem verbis, pietatis, ac loci monet; intentatq. diuinã iram, ſi pergerent. Excanduit egregius is viri ſpiritus eo quidem ſucceſſu, vt cœteris metu quodam, ac ſubito veluti fulmine attonitis, qui impudentior videbatur, arrepta Eugenij manu, aliò deduxerit; ac remotis arbitris, abiectuſque humi, religioſum ſe virum eſſe, atque à ſua diſciplina pridem deſciuiſſe, profeſſus non ſine lachrymis fuerit. Mutare inſtitutum, ac mores ſtatuit, eiuſque opem poſtulauit, cuius vultu, ac voce territus, correctuſque ad frugem fuerat. Et Eugenius quidẽ gratulatus ſibi prædam, nihil diligentiæ, curæque omiſit, vt relicta ille militari vita, ſanctioribus caſtris, ſuęque ſtationi redderetur. Porrò in Bituntina hac area diutiùs deſudauit vir ſtrenuus, exhauſtuſque laboribus, anno huius ſeculi vigeſimo ſecundo deſijt eſſe inter homines die Decembris ſexta decima, communi Ciuitatis luctu, quam religioſæ vitæ documentis, aſſidua dicendi contentione, ac fructuoſiſſimis vigilijs demeruerat. Is igitur, qui viuentium commoda, profectuſque animorum tàm anxiè procurabat, ad defunctos etiam pertingere curas ſuas voluit: erecto, videlicet, in ipſo nobilium,

Geminum Eugenii factum.

Qui Bituntl pie moritur.

 lium,

Digitized by Google

lium, quod diximus, ſodalitio mortuorum Monte, de quo ſermonem inſtituimus, ſuis illum legibus inſtruxit. Rectores, qui rem impigrè adgubernarent, deſignauit. Æra-rium, ac pecuniarum Quæſtores præſcripſit. Quid quiſque ſoluere in ſingulos menſes; quid cuique ſuffragiorum ſolui ſtatim à morte deberet, ſanciuit. Staras per annũ eleemoſynas, ac miſſarum ſacrificia tàm pro ſodalibus, quàm vniuerſim pro defunctis fidelibus, ijſque præſertim, qui ex hominum penitùs memoria exciderant, decreuit. Prætetea, excitandę populorum commiſerationi, emortuali, ac ſolenni quadam pompa quotannis die Defunctorum commemorationi ſacra, publicas inſtituit, expoſita diuina Euchariſtia, preces, quæ ſacris concionibus, concentu vocum, ac ſumptuoſiore quodam apparatu allicerent. Hinc excitati plerique in ea Ciuitate eiuſmodi Defunctorum montes, ac propagata in eos pietas: extatque Eccleſia, cui priùs Deipara à Scala nomen: nunc verò, inſtitutis mortuorum ſuffragijs, à Purgatorio nuncupatur, non mediocri cum noſtratum laude, qui facem prætulere, & qui nouis poſtmodùm curis hęc mortuorum ſubſidia accurarunt.

Excitato priùs mortuorum monte.

Neque verò intra huiuſce Vrbis mœnia exemplum hoc valuit. Siquidem non ita multò poſt complecti noſtrates hanc alibi pietatis partem viſi ſunt: inſtitutuſq. Neapoli eſt in Diuæ Mariæ Angelorum cœnobio ad hanc, videlicet, formam mortuorum item Mons. Auctor Placidus Mittus, quem aliàs memoraui, egregia vir indole. Is Neapolitanam Prouinciam cũ inſpiceret, hoc potiſſimùm opus, quod excitatum tùm quidem erat; &, vt initia quęque rerum feruent, mirificè vigebat, in Bituntina domo commendauit. Edoceri inſtituta, atq. adminiſtrandi rationem voluit: ratus non exiguum quidem operæ pretium ſe facturum, ſi ab ea inſpectione nouũ hoc pietatis inuentum domum referret. Præerat ipſe Neapoli in Mariana Angelorum domo Sodalitio è præcipua Hiſpanorum nobilitate, quod ad omnem morum probitatem, religionemque conformabat: & qui ſingulari cũ in agendo dexteritate, tùm in dicendo eloquentia valebat, facilè fuit, ijs ſodalibus adprobare opportunitates præclari operis, quibus viuentes ſibi, & mortuis conſulunt. Igitur, ad exemplar, quod ſecum attulerat, ijſdem legibus Montem fundauit, quem Sodalitij moderatores vnà cum domus Præpoſito regerent. Omnium princeps, quotquot poſtea erecti Neapoli fuere, noſter hic fuit, à Mitto excitatus, qui pręcipua quadam mortuorum procuratione, ac ſplendore operum Mons dici iure poteſt in vertice montium: præſertim quòd præter nonnullas piorum hominum largitiones, quibus defungi vita cũ defunctorum fructu, ac Montis huius incremento contigit, acceſſerit poſtea ſingularis Eleonoræ à Leiua, Hiſpanę, nobiliſſimæ, ac pijſſimæ matronæ munificentia; quæ moriens non ſuperſtites cogitauit, ſed mortuos, ſex, & triginta aureorum millibus, & eò ampliùs, huic Monti legatis. Nec ſanè abdicare magnificentiùs, ac fructuoſiùs diuitias potuit religioſiſſima fœmina, quæ non tàm aurum, quàm charitatem ſuam ad expiatrices Purgatorij flammas probauit: ac ſimul compendiarium quoddam ſibi ad ſydera iter muniuit. Etenim ab huiuſce Montis faſtigio ad cœlum breuis via eſt. Atque hæc de mortuorum Monte inſtituto, propagatoque hoc anno noſtratum opera. Qui quidem Clericorum Regulariũ inuentum cùm ſit, atque adeò defunctorum manibus proficuus, debuit hic non ita curſim adnotari. Neque ſanè prętereundum in noſtris hiſtorijs eſt, quicquid ad ejusmodi argumentum pertinet, cùm veluti quædam noſtri Inſtituti pars ſit, mortuorum negotium accurate, vt alibi ſignificatum, & explicandum etiam in loco eſt.

Quem Neapolim tranſtulit Placidus Mittus.

Eleonorę à Leiua in defunctos pietas.

Ab hoc mortuorum Monte opportunè ad funera deſcendimus, quæ ſub id tempus contigere; occurritque, antequàm noſtratum iuſta explicem, celeberrima, ac piiſſima Neapoli Virgo, quæ die Octobris vigeſima huius anni vertentis ſeculi duodeuigeſima, in quo narratio verſatur, Cœlum petiit. Nulli non in primis notum Vrſulæ Benincaſæ nomen à ſanctimoniæ fama, à frequentiſſimo exceſſu mentis, à rerum cœleſtium contemplatione, à ſacrarum Virginum clientela, atque ab omni virtutum genere, quarum admiratione, Neapolim, Romam, Italiam omnem compleuit. Fraudari tantę Virginis nomine, atque operum luce hos Commentarios, conqueri iure poſſent noſtri homines, qui Theatinam agnoſcunt Vrſulam, ac Virgines ſuas, quarum deindè contubernium Romani Pontificis nutu, ac Generalis Capituli conſulto ſuam accepe-

Vrſula Benincaſa Neapoli decedit.

re

Digitized by Google

re in fidem, ac moderantur hodiéque cum laude. Et ipſa quidem Vrſula dum ſupremam vitam ageret, adſtarentque plerique ex noſtris, Theatinam ſe mori, teſtata eſt: fueruntque hæc ad illos nouiſſima verba: Congruenter charitati veſtrę facitis, Patres: neque enim par eſt, à vobis deſeri me, quę ad veſtros pedes, veſtroque cum habitu morior. Tùm apprenſa manu ſua veſte: Cernite, inquit, annon veſtri Ordinis habitus hic eſt? Scilicet, veſtra morior, atque ad veſtros, veſtræque vniuerſæ Congregationis pedes. Nihil hoc teſtimonio luculentius, quod ſancitum, obſignatumque extremo ſpiritu voluit. Poſcit igitur locus, ac Vrſulę virtus, vt aliqua hic de ea literis conſignemus; Carptim id quidem, ac ſtrictim; neque enim deſunt, qui res eius geſtas, ac ſplendidiſſimam materiam iuſta hiſtoria, ac diſertè excepere. Atque ea præſertim huc afferentur, quæ publica tabularum fide, ex actis nempè, de eius vitę ſanctimonia Neapoli confectis, conſtant, & quæ Laurentius Sanctacrucius, vir ex noſtris compertę cũ eruditionis, tùm probitatis, inclytę olim Virginis à confeſſionibus, aliique literis tradidere. Neapoli nata Vrſula eſt parentibus piiſſimis anno exacti iam ſeculi quinquageſimo; ac ſtirpe quidem vna, eademque cũ Catharina Senenſi, quã deindè ſtudio pietatis, ſanctiſque moribus viſa ad vnguem expreſſiſſe. Nomen illi à Diua Vrſula, tot Sanctarum Virginum, ac Martyrum antiſignana, inditum; nec ſine cœlitum monitu. Nam ferunt, Diuos Ludouicum, & Franciſcum Paulanum matrem monuiſſe, vt hoc afficeret nomine puellam, quã propè diem pareret, futuram quidem moribus, ac fama illuſtrem. Natam obtulit eueſtigiò Pater magnæ Dei Matri, vt ab eo veluti natali ſydere ſuos illa mores, ac indolem hauriret. Neque verò ſine portento fuere cunæ. Viſus nanque igneus quidam inſtar lunę globus cubiculum colluſtrare; deindè Vrſulæ tempora adlambere; veluti Deipara ipſa, quę pulchra vt luna; editæ puellulæ, ac clienti ſuæ adblandiretur. Quæ ipſa Dei Mater citra lunæ ſymbola viſa nonnunquam matronali ſpecie, ac ſupra vulgares vultus forma, dũ in cunis ageret Vrſula, adſtare illi, velut ad excubias. Sed nunquam planè opportunius Marianum hoc patrocinium, quàm Turcis inuadentibus Citarum. (Oppidum id eſt in Cauenſi Diœceſi, Parentum Patria, vbi tùm illi degebant) Fugere tùm quidem oportuit. Et Mater, quæ quadriennem puellam, ceu quid pretioſius in complexu geſtabat, viſa ſibi hærentem habere lateri, veluti fugæ comitem, eximio quodam aſpectu, ac dignitate fœminam, quam Deiparam eſſe, non dubitauit: cujus deindè tutelam, ac cuſtodiam, quo tempore extra domeſticos lares agere ab Turcarum metu contigit, experta luculenter puella eſt.

Teſtata, ſe Theatinam mori.

Eius ortus,

Nomen diuinitùs impoſitũ,

Ad Cunas luna.

Et ipſa Deipara.

Et dignam ſe quidem ijs Deiparę curis ſub ipſis vitæ auſpiciis oſtendit Vrſula. Nam præter modeſtiam, ſilentium, abſtinentiam, planè ſupra ętatem, illud omninò admirandum. Triennium vix expleuerat, cùm adiicere ad mortalium culpas animum, ac cogitationem cœpit, eoque affici ſenſu de diuinis offenſis, vt non lachrymis, non querimonijs diù, noctùque temperauerit. Principiò, quòd familiaris ętati fletus, non admodùm domeſtici admirari; ſed quòd prolixior deindè comploratio, ac vis lachrymarum vberior; interrogant, vnde obſtinatus adeò fletus, & clamor? Quibus illa, dolere ſe, ait, mundi crimina, ac rebellem hominum in Redemptorem ſuum voluntatẽ. Huc ſpectat, quod inerat illi pondus corporis, veluti ſolidiore quadam materia fuſa, aut compacta membra eſſent. Et quidem, antequàm in lucem ederetur, vſque adeò oneri matri erat, vt diceret illa, videri ſibi, geſtare grauiorem monte vterũ. Idem natę iam puellę onus: idem in reliqua vita, vt viceni perſępè viri mouendæ loco Virgini non ſufficerent: adaugebatque admirationẽ, quòd, pronuntiato Ieſu nomine, faceſſeret grauitas; vt facili deindè negotio moueri, aſportarique de loco in locum poſſet. Cauſam verò eius ponderis cùm quæreret, reſpondebat: geſtare ſe, quod eſt in mundo ponderoſiſſimum; nempè hominum peccata. Subiit planè eruditiſſimos quoſque tantæ rei admiratio. Et quamquam fuere, qui id minimè probarint, tribuerintque malis artibus inſolens hoc diuinæ gratiæ prodigium: tamen, quòd comperta morum innocẽtia, atque inculpatæ vitę rationes ſecùs ſuaderent, non defuere, qui ſtylum pro inclytę Virginis fama euibrarint, atque ad acerrimi iudicii lancem pondus illud appenderent, librarentque; eam poſtmodũ ſententiam ſancientes, quæ eſſet Dei Maximi potentiæ, virtutique conſentanea. Certè Sanctacrucius, cui Vrſulæ pectus perindè, ac ſi feneſtra.

Vrſulę mœror à mortalium culpis.

De inſito hoc corpori pondere iudicia.

Digitized by Google

ſtratum, peruium erat, totamque Virginem penitùs nouerat, præter peccatorum mũdi pondus, quòd dixi, quoddam diuini Spiritus opus in ea agnouit: ita vt qui Diuam Luciam immobilem olim ab ingenti pondere reddidit, is idem addiderit Vrſulæ grauitatem, & molem illam; vt conſtantem, immotamque in diuinarum rerum poſſeſſione, vſuque oſtenderet: Illud etiam in peracerbo eo æui flore ſtupori fuit. Enimnerò cùm quadriennem circiter puellam Franciſcus germanus frater diuina contemplari

Mentis in Vrſula exceſſus.

edocuiſſet, exercere illa præclarum hoc mentis otium ita cœpit, vt ingreſſa in Chriſti Domini myſteria, præcipuè cruciatus, ac vulnera, haud liberum deindè eſſet gradum referre: merſa nimirùm cœleſtibus, quę impluebant affatim, delicijs; atque auocato à ſenſibus animo. Quæ tamen cœli ſolatia, rupto velut obice, viſa mox copioſiùs inũdare. Decennium nanque vix attigit, cùm occupari manifeſta, prolixaque admodũ extaſi cœpit: feceruntque initium Dei Matris incunabula. Siquidem natalitio eius diei peruigilio, ſalutata veſpere de more Diua Virgine, viſa repentè mens abripi, im-

Quid illi natalitiis Deiparæ ferijs acciderit.

moto corpore. Affectam ſubita quadam vi morbi puellam, domeſtici putant, curantque pręſenti ope malo occurrere. Sed luſa remedia: ac præter tenuem quandam animæ reciprocationem, cætera, quà membrorum gelu, quà ſenſuum defectu, quà immobili totius corporis habitu exanimis videri poterat, ac marmori omninò perſimilis. Reliquum erat; vt veluti depoſitam conclamarent: cùm læta quadam fronte redijt Vrſula, ac verita maximè, ne quid diuini muneris ſuſpicarentur ſui, quiduis aliud, ceù nihil inſoliti accidiſſet, loqui cœpit. Porrò, quòd id eſt diuinorum proprium, vt cœpta pergant, nec durent modò, continuato rerum curſu; ſed in ſummum etiam faſtigium euadant; ita intendi in pyſſima Virgine raptus viſi; vt nihil illi familiarius, ac frequẽtius, quàm relicta altera ſui parte, perambulare ſpiritu cœlum. Id quod illi maximè, ſumpto Euchariſtico Chriſti Corpore, contingebat; cùm à ſe penitùs abrepta, edurare quinas, ac ſenas paſſim horas in eo ſeceſſu conſueuerat. Quo tempore, ne cùm mode-

Quem familiares illi raptus.

ſtiæ, demiſſioniſque diſpendio celebritati, ac theatro locus eſſet, ſtatim proripere ſe in domum ſolita erat. Etſi non adeò interdũ maturè digredi poterat, quin intercepta intereundum ab diuino en impetu, ac vi, pertinaci quodam ſtatu corporis, ijſdemq. in veſtigijs hæreret in via: ac tùm quidem aſportari domum lacertis plurimorum grauẽ mole ſua Virginem oportebat. Quod illi poſtea ab ſuauiſſimo eo ſomno excitata moleſtiſſimum erat: quippè cui nihil prius, quàm ſacramentum Regis abſcondere, atq. hæc potiſſimũ dona, quæ concitare vulgi opinionem ſolent, occultare. Et adornare ipſa rei cauſas, ac tegere blanditias Numinis conabatur, vt humilitati conſuleret. Se-

Quos pro modo occultabat.

mel, explorandæ nimirũ internæ Virginis virtuti, à Martenifio, Viro è Dominicana familia Neapoli à vitæ probitate, ac diuinorũ ſenſu percelebri, interrogata; quo morbi genere laboraret, quãdo à tã frequẽti deliquio tã malè eſſet corpori. Reſpõdit: Crux ea eſt, Pater, quã mihi, & noxis meis pęnę nomine tribuit Deus. Sic enim is voluit, vt lãgueret identidem corpus, morbo quidem, quem nullum remedium perſanauerit. Ita Crucis appellatione regebat raptus, volatuſque mentis Vrſula. Iterũ, dum ad aram Beati Iacobi Piceni oraret, ita excedere à contemplatione animum contigit, vt elatum etiã corpus vnà traxerit. Penſile id ſpectaculum innumerabilem vim hominum euocauit; &, ne quid turbarum hic æſtus populorum concitaret, domum extaticam Virginem continuò reuexere. Factum vbi ipſa poſtea agnouit, mirum, quo affici mœrore viſa fuerit. Rogare proindè, obteſtarique conſeſſarium, conſanguineos, domeſticos, vt Vrſulæ inertiam, ignauiam, culpas longè, latèq. euulgarent. Quicquid nempè accideret, quadam animi leuitate accidere, profitebatur: eratque potiſſimùm illi curæ inumbrare Dei dona, ac ſanctimoniam. Sed fruſtra omnia: exundante nouo ſemper incremento diuinorum affuſione. Atque hæ præſertim abalienaniones ita reliquam deindè vitam ſibi vendicarunt, vt viuere continua quadam extaſi videretur. Illud pręterea ab ipſis vitæ, ac ſpiritus rudimentis in ea admirandum: nempè à vehementiore

Cordis in ea palpitatio.

quadam flamma irrequieta cordis palpitatio, ac ſaltus. Percuti intus, ac violenter ſẽtiebat; quos ictus externæ ipſæ veſtes motu ſuo teſtabantur. Concepto, ſcilicet, igne, neſciebat ſtare loco cor; ac ſpiramentum aliquod, aut exitum pulſando, ſubſultandoque depoſcebat. Ad hæc, is erat in præcordijs ardor, vt ſumma hyeme ſudore copio-

Et ardor.

ſiùs manaret Virgo. Tęmperando autem flagrantiſſimo pectori affuſa niuali aqua,

id

id ipſum illi tùm contingebat, quod candenti ferro accidit, cùm merſum vnda extinguitur. Atque interim euaporabat mirificè cor, expirabatque ab ore fumum, latentis flammæ indicem. Quod quidem vltra fidem videri poſſet, niſi ex ipſiuſmet Vrſulæ teſtificatione narraret Sanctacrucius, atque idonei [a] auctores plerique. [a] Sanctacr. §. 21 n. 3. Steph. Pepe Vit. c. 5. Montanar. art. canō. fol. 8 § 9 n. 1. Mand. Cōment. in Euang. tom. 2 Magg. in Vit.

Mira hæc, aliaque in illam ſupra communem captum Dei beneficia, vt fama magis, magiſque euulgabat, ita celebrari Vrſulæ nomen incredibili omnium ſtudio, aſſenſuque videbatur. Adibant certatim Neapolitani eius domum; veluti quoddam diuinæ charitatis theatrum, vt vſurparent oculis dignum Numine ſpectaculum: nempè Deo plenam, merſamque diuinis delicijs, atque amotam penitùs à ſe Virginem; quam vt luculentiùs extaſim comprobarent, mouere loco conabantur: tùm vnguibus, ſtyloque punctim vellicare, atque explorare acriter ſenſus. Verùm cū ne digitum quidem mouerent; ac nulla item cuſpis, ſtimulique diuinitùs conſopitam excitarent, tū demum ineluctabilem diuini amoris vim, ac morti perſimilem Chriſti dilectionem agnoſcebant. Porrò reſtituta vitæ officiis Vrſula, quamquam cruciatam ſe plus nimio ab acrioribus iis tentamentis aduertebat; tamen, quod angeret vehementiùs, celebritas erat, atque ea nobilium virorum, ac fœminarum concurſatio. Hinc illi peracre ſolitudinis deſiderium, quam cū ſummis precibus à Deo expeteret, tandem impetrauit, obnitentibus licet fruſtra infernis hoſtibus, quibus ingens quidem à publica ea luce, atque exiſtimatione ſpes lucri; ac præterea non mediocre pietatis incrementum, ac pleraque in animorum ſalutem ab eo ſeceſſu commoda ominabantur. Imminet Neapolitanæ Vrbi mōs, cui à Diuo Martino nomē, eius Diui Cœnobio, ac munitiſſima ad Ciuitatis tutelam arce nobilis. Cœterùm quà potiſſimū parte Vrbi obiacet, quidam illi tunc erat ab ſolitudine, ac ſyluis horror, ac tacita omninò loci facies. Contubernium hic Dei monitu elegit Vrſula: eòque vix peruenit, cū exceſſit facili raptu; ac cœlo affixa, prænunciare diſertè ſitus felicitatem, ſanctitatem, ſplendoremque cœpit. Quæ an ſubindè euenerint, nemo nunc non videt. Exuto ſiquidem ſqualore, abactiſq. ſyluis religioſarum familiarum cœnobiis, virorum procerum ædificiis, hortorum amœnitate, ac cultu diceres profectò certare cum Vrbana ipſa magnificentia montis latus. In ea ſolitudine altior ab ſilentio diuinorum contemplatio, prolixioreſq. Numinis illapſus, atq. abalienationes Vrſulæ contigere. Recruduit præſertim, quem dixi, de mortalium in Deum offenſis dolor, exarſitque mirum in modum diuini honoris zelus: ac ſępiùs quidem eo impetu in ipſa contemplatione, ſeceſſuque mentis abripi viſa eſt, vt relicta cellula, domo egredi, ac petere Ciuitatem vellet, vt Chriſtum deprędicaret. Et quidem, niſi illata vi, domeſtici illam detinuiſſent, vidiſſet non ſemel, amota mente, ac lymphatam piè Virginem per compita, ac fora Vrbs Neapolis. Iā quando Apoſtolico ritu peragrare Ciuitates, ac mortalium ſcelera aggredi cominùs linguę officio, ac telo minùs poſſet; id, mitigandę veluti proximorum ſiti, vacuo in conclaui peragebat. Enimuerò in ipſo animi exceſſu perindè quaſi è ſuperiore loco, atque ad confertiſſimam concionem diceret, arrepto Redemptoris è Cruce pendentis ſigno, declamare ſtrenuè, ac ſingulari facundia conſueuerat. Inculcare virtutis ſtudium; Dei præcipuè amorem perurgere; vitia, mores vindicare; nulli hominum ſtatui parcere: appellare Vrbes, regiones, populos, modò hunc, modò illum, ceu cuncti adeſſent. Affirmabant planè domeſtici, qui pro foribus aderant, haud ardentiùs quidem, aut doctiùs dicere diſertiſſimū quemque Verbi Dei præconem potuiſſe. Cuiuſmodi dictionis ardor vſque adeò interdū trahebatur; vt cum dicentis viribus, ac lateri vehementer metuerent conſanguinei, euocari illā vi quadam, atque abrumpi declamationem oporteret, non ſine ingenti eius pudoris, ac modeſtię vulnere; vt quæ audiri noluiſſet: tegebatque de more leuitatis, ac dementię appellatione charitatis impetus. Dum inter hæc ſtudia, atque aſſiduam meditationem, ac extaſim vitam tranſigit in ſolitudine Dei ſponſa, quædam illi ſub hoc tempus indulſit diuinus amor, quæ, ſi narrentur, vereor, vt fidem inueniat hiſtoria. Quocirca quamquam ſcriptorum monumentis ea conſtant: nam & Sanctacrucius, quem nihil eius arcani pectoris latuit, & Montanarius, qui articulos pro eius Canonizationis actis accuratè concinnauit, & Stephanus Pepe, & Traſmietus, vterque in eius vita, diſertè, ac fusè narrant: nihilo tamen minùs con-

Extaſim explorant.

Solitudinis in Vrſula amor.

In D. Martini monte ſecedit

Vbi attentior contemplatio.

Digitized by Google

Deprecatur Cœli delicias Vrſula.

conſultò nos aliàs denarranda ſtylo ſeponimus. Interim ita hiſce charitatis illecebris, ac gaudijs fruebatur Vrſula, vt non modò non illa adfectaret, aut anxiè quæreret; ſed ne videretur pretio Numen diligere, nihil rogabat frequentiùs, quàm vt illuſtrationes, incendia, viſa, blanditię facesſerent: tũ quæ ſunt ſolidioris virtutis, amoriſque, haud in floribus, roſaque educati argumentum, nempè ſpinas, ac tribulos; ac tũ animi, tũ corporis cruciamenta, ac ærumnas prolixè petere. Pati fortia, hoc demũ eſſe, aiebat, Chriſtiani pectoris, atque amantis teſſeram; malebatque generoſiùs, quàm iucundiùs probare dilectionem ſuam. Quæ quidem quò illa impenſiùs efflagitaret, eò excreſcere copioſiùs deliciarum venam, contingebat; cumulabatque diuina charitas donis aliis Virginem: vt theatrum ſanè pulcherrimum Vrſulę cella videretur, cœlo non abſimile, angelis vltrò, citròque turmatim commeantibus; atque exſplendeſcente à cœleſti quodam, aſpectabilique ſæpiùs lumine conclaui. Quòd verò, his licet delicijs inundata, aſpera nihilominùs, vti modò ſignificaui, percuperet; quicquid Redemptoris cruciatus repræſentaret, id illi potiſſimùm in delicijs: vt fateretur ingenuè, non aliam ſibi iucundiorem eſſe effigiem, ac magis ad cor, quàm Crucifixi Domini ſignum. Quo loco non diſſimulandum, quod præcipuum quoddam eſt, atque elegantiſſimũ diuini amoris opus; ac poſcit, vt olim Apellis tabulæ, mortalium iudicijs exponi. Chriſti Crucifixi imago illi erat, in qua vel in ipſa malorum Iliade, quandam cuperet, immixtam dolori alacritatem exprimi. Sic nempè animo affixum cruci Saluatorem cõceperat, vt grauiſſima quæque pro hominum genere nonniſi generoſiſſimè tulerit, atque ita ſe ſe dolori permiſerit, vt emicaret diuina quædam è ſubtriſti vultu alacritas. Igitur, cũ ad hanc, quam deſcripſerat animo ideam, efformari ſibi effigiem Vrſula peruellet, euocatus præcipui nominis pictor, qui admoueret operi manum. Nihil ab eo prætermiſſum artis, ac ſtudij, deleta, inſtauraraque ſæpiùs oris ſpecie; vt aut aſſequi formam ipſam, aut accedere ad illam propiùs contingeret. Sed excellentius, ac

Aſpera vltrò efflagitat.

Chriſti Crucifixi imaginem argute pingit.

diuinius Virginis exemplar, quàm vt illud pictor imitaretur: affirmauitque is, impar ſibi omninò ingenium. Tùm Vrſula, cui nulla artis adiumenta, nullaſque vnquam tabulas, coloreſque tractauerat, acta Numine, arreproque ipſa penicillo, delineare imaginem inſtituit: ſucceſſitque adeò opus, vt coniunctum in Chriſti vultu ſumma cum dolorum acerbitate decus, formam, atque à diuina charitate firmitudinem, alacritatemque quàm ſcitiſſimè expreſſerit. Admirabile hoc quidem, atque vltra fidem. Scio a Antuerpienſem quendam in profani amoris ſchola è fabro ferrario euaſiſſe repentè in pictorem, effecta ſtatim imagine ea manu, quæ ad incudem, ferrumque occalluerat. Quid ni id ipſum patraret diuinus amor, cui verſatile, factumque ad omnia ingenium?

a Quintinus, In Viri clarum.

Quod verò hæc pijſſimæ Virginis facta, dictaque fama latiùs euulgaret, conuenire illam omnis gradus, atque ordinis homines: hi quidem, vt correptam Numine fœminam, veluti diuinæ gratię portentum quoddam cernerẽt: hi verò, vt ſua illi commoda, vitæque neceſſitates commendarent. Quocirca, quamuis haud facilis eſſet à prærupto itinere aditus, celebris iam ab accurſu mortalium ea erat mõtis regio; quę mox celebrior à templi ſubſtructione, ac cœnobio, Diuæ Virginis Conceptioni fauſtẽ nuncupato. Nihil profectò optabat impenſiùs Vrſula, quàm excitari id loci Marianam eccleſiam, quam, & cognouerat ipſa diuinitùs, & prænunciauerat cũ ſæpè aliàs, tùm maximè ab ipſa infantia, quod ſanè admirandum. Enimuerò cũ eò aliquando præter ſolitum Vrſula vnà cũ ſororibus animi gratia ducta à matre fuerit, diuulſa ab alijs puella, contemplationi ſe dedit. Sed mox ad reliquum cœtum reuocata, ceu futurorũ monita in ea meditatione fuerit, terno lapide manu accepto, diuerſam in eius loci partem proiecit; vt ad primum quidem ea verba pronunciaret: locus iſte: ad alterum pergeret: Sanctus eſt: ad tertium deindè ſententiam abſolueret, In quo orat ſacerdos. Quo quidem lapidum iactu, verbiſque, in eccleſiarum inauguratione dici ſolitis, tria olim futura inibi monaſteria deſignauit. Primum Congregationis Virginum: alterum Eremicolarum: tertium religioſorum hominum, qui fœminarum ea cœnobia regerent. Quod verò ad Congregationem attinet, eiuſque tecta, ac templum: hoc illi primum, vt in terra Virgine, vbi nullum vnquam fuiſſet ędificium excitarentur: nempè, vt Deiparam, cui dedicabatur, ea ędes exprimeret. Cœptum verò

Virginũ cœnobium, ac templum prænunciat.

rò

Digitized by Google

rò anno exacti ſeculi octuageſimo primo opus ab Gregorio Nauarro, homine Hiſpano, ac inſigniter pio. Votum is olim conceperat excitandi Auguſtæ Virgini templũ: ac tũ quidem, te cum nullo adhuc mortalium communicata, obligatam Deo, eiuſque Matri fidem animo agitabat; incertus, vbi votam eccleſiam exędificaret. Sed monuit tempeſtiuè virum admirabili quadam voce Vrſula, quo tempore erepta de more ſenſibus, velut in ſinu charitatis attentiſſima contemplatione cubaret. Etenim cũ is propiùs acceſſiſſet, hęc ſtatim illa: Age, ſerue Dei, ædem, Conceptę Virgini ſacram; mihi conſtrue. Quod vbi iterũ, ac tertiò, ac ſæpiùs pronunciaſſet, poſtremò addidit: Ne putes loqui Vrſulam. Qui iubet, is eſt diuinus Spiritus, qui te, tuaſque opes pręclaro operi deſtinauit. Audiri hæc à Nauarro abſque ingenti quadam admiratione, ac voluptate minimè potuere, gratulatuſque ſummoperè Dei beneficium, tũ demũ ijs, qui aderant, votum aperuit: vt agnouerint omnes afflatum Numinis, ac nonniſi, quę intimè audiuerat, dixiſſe Vrſulã. Admoti peracres Nauarro ſtimuli; cœpitq; eueſtigiò admouere ſubſtructioni manum. Deſcripta area, ac dicta fundandæ eccleſiæ die, inſtituta ſolennis è pleriſque religioſis Ordinibus ſupplicatio. Videre Vrſulam erat in eo agmine, Deo plenam, incitatoque plùs ſolito ſpiritu flagrantem. Locum vix attigit, cùm à ſe abripi alto mentis exceſſu, viſa eſt; in qua quidem contemplatione, agente nimirũ Numine, pſalmodia, ac precibus ſitum conſecrauit; iecitque poſtremò primarium lapidem, plaudente omniũ ordinum celebritate: ceu tùm quidem ſurgeret munitiſſima ad Neapolitanæ Vrbis tutelam arx, ac præcipui cuiuſdam diuinitatis ſacrarij fundamenta locarentur. AEdificium deindè ea contentione, ardoreque continuatũ, vt abſolutum non ita poſt multò fuerit: ac tùm quidem facto è domeſticis, & conſanguineis agmine, eò ſe Vrſula, vt molitori Deo gratias perſolueret, ac Marianam eam domum ſibi gratularetur, contulit. Planè, incredibile dictu eſt, quo animi ſenſu initum ab ea templum, ac quibus circumfundi delicijs tùm contigit. Geſtire, canere, choreas ducere ad lætitiæ argumentum: tùm declamare, ac loci fauſtitatem, ſanctitatemque deprædicare. Illud rarum omninò, ac inſolens. Continuato ſiquidem eo lætitię impetu, ad aram Deiparę dicatam accedens, ita mouere in ea articulos cœpit, veluti organum pulſaret. Mirum dictu: auditus illicò ſilente lingua, reſonare armonicè, atque ad numerum pectus: ita vt efformare quàm ſuauiſſimè ipſam organi modulationem, concentumque videretur. Teſtantur ſumma fide, qui aderant. Nec ſemel id quidem accidit. Narrat quippè Sanctacrucius noſter, boc ipſum ſe liquidiſſima cum animi voluptate, nec ſine lætitię, ac pietatis lachrymis audiuiſſe. Die ſiquidem, Deiparæ natalibus ſacra, cùm ad illam adijſſet, vt confeſſionem de more exciperet: Mirari ſe, ait, tacere ipſam, quando naſcentem cœli Reginam tellus, & aſtra certatim celebrarent. Caneret igitur, communemque lætitiam pro modo cumularet. Paruit confeſtim, modulata ſingulari quodam in Virginem affectu, ac concinnè carmen: quo tandem expleto, auditus ab eius pectore manare per eoſdem adamuſſim numeros ſonus; perindè ac ſi erudita ad modos aura, eluctata ductiles organi meatus, ſe ſe muſicè effunderet. Quod quidem, abſque diuino eo ſpiritu, qui ſcientiam habet vocis, fieri minimè poterat.

Conſtruit Gregorius Nauarrus.

Fundaturque ingẽti plauſu.

Organi ab ea ſonus non ſemel.

Iam verò, quòd reputare ſecum ipſa aſſiduò mortalium culpas, gliſcentemque in dies criminum ſegetem ſoleret; ac nihil vereretur magis, quàm ne detonaret in publica ſcelera vindex Deus, opus ſub id tempus ſuſcepit, arduum omninò, ac ſupra fœminam: Legationem nempè ad Romanum ipſum Pontificem, diuini, videlicet, Numinis internuncia, à quo non vno planè nutu, ac voce mitti, ac propelli ſe ad id muneris, agnouit. Conſilium ſi metiri bumano conſilio velis, nullus profectò non improbauerit. Standum fœminæ fidei; quo nihil in ea luce Quiritium abſurdius. Seuerior nempè Romanę aulæ cenſura, ac ſupercilium, quã vt rumores, aut mulieris dicta ſtatim probet. Quocirca propè eſſe, vt, aut ambitioni tribuerent, aut inſaniæ, diuina fungi legatione, atque adire ſummum ſacrorum Principem vulgaris notæ Virginem. Sed hęc Vrſulæ intra Numinis imperium: arripuitque Romanum iter. Gregorium Tertium Decimum, qui tùm Chriſtianæ rei præerat, conuenit. Legationis ſumma bæc fuit. Humani generis mores corruptiſſimos, ac perueniſſe ad culmen ſcelera: eòque iratum in omnem hominum gradum Numen, intentare iam fulmen, vt mulctet, ac

Fit ad Rom Pontificem Legatio.

Legationis ſumma.

perdat. Daret operam ſummus Pater, vt moniti vbique terrarum mortales, pœnam pœnitudine, ac lachrymis anteuertant; ac diſtrictum iam enſem declinent. Se quidem non eam eſſe, vt ſiſteret ſe Chriſti Vicario; recuſaſſe pro viribus; ſed actam iuſſu, ac vi Numinis, munus obiuiſſe. His dictis, auocata coram ipſo Pontifice à ſenſibus, quod ſemel, & iterum, & tertiò contigit; enunciare hæc eadem miro quodam vultus, animique ardore cœpit: vt miraretur vehementer Pontifex, tantam in tenui fœmina Dei virtutem; quam tamen explorandam cenſuit, ac prudentia agendum; ne quod interdũ accidit, mulierculæ, ac dæmonis malæ artes fucum facerent. Datum eruditiſſimis, atque expertiſſimis viris negotium, inter quos Philippus Nerius, qui præter cæteram ſanctitatem, peculiari quodam Dei munere in cognoſcenda animorum indole, ac ſpiritu valebat. Præerat verò cœtui Iulius Antonius Sanctorius Cardinalis à Sancta Seuerina, Sacræ Inquiſitionis Præfectus, Vir ab eruditione, ac fama virtutum laudatiſſimus.

Inſtitutus explorandæ Virgini conuetus.

Tentata in primis humilitas, cui nullum vnquam cũ fraude commercium; ac nullis non conuitijs, atque iniurijs petere illam placuit; vt prouocatus verborum acerbitate, pateret, ſi fortè adeſſet, ſuperbus dæmon. At enim nihil in ipſa iniuriarum procella eius vultu, ac fronte ſerenius. Excedere interdùm mente inter aſpera videbatur, ac tùm quidem nullis non argumentis explorare inflexibilem, conſtantemque corporis ſtatum, atque extaſim conabantur. Ad hæc, veluti arreptitiam legitimis illam euocationibus exercere. Carceri item manciparunt, ſuprema interminati, vt terroribus, ac metu percellerent. Medicam etiam artem ne quis lateret morbus, aut aliquod naturæ vitium, adhibuere. Nihil denique intentatum relictum: ac Diuo præſertim Philippo facere diuturniùs periculum contigit, planè ſtrenuè, & quàm duriſſimè. Qui quidem quòd cognoſceret ab intima quadam cum Deo coniunctione, ac frequenti myſteriorum vſu, attentaque rerum cœleſtium contemplatione oriri in ea extaſim, illud ad extremum ſtatuit, pia iſthæc illi exercitia prohibere; vt diuelleret à diuinis animum: proindèque quã nulla ratione impedire abalienationem à ſenſibus potuerat, hac tandem arte abrumperet.

D. Philippus illam acriùs examinat.

Igitur iuſſum pro poteſtate, vt ſacris omnibus abſtineret: coronarias, horarias Diuæ Virginis preces non recitaret: miſſæ ſacrificio non intereſſet: ſacro Chriſti Corpori non communicaret: pios codices non legeret: res diuinas non meditaretur: Ieſu nomen non pronunciaret: Crucis ſigno non ſe muniret: nihil denique Chriſtiani officij perageret: ſed ad viliſſima quæque domus miniſteria abiiceret ſe ſe, cibos coqueret, purgaret vaſa, pauimentum verreret. Quæ pietate, ac pietatis ſtudiis, diuinorum præſertim communicatione, atque Euchariſtici Corporis refectione ali, ac viuere conſueuerat, quo ſenſu hæc acceperit, coniectari quis facilè poterit.

Interdicto prorsùs ſacrorum vſu.

Attamen ita paruit, vt quamuis eiuſmodi ſpiritus delicias, atq. oblectamẽta abiecerit, vſitata amoris deliquia, receſſuſque mentis non illam deſtituerint: adeò vt ſpectaculum ſanè iucundũ domeſticis interdùm eſſet, verrentem Vrſulam abire à ſenſibus, excuſſoque manibus euerriculo, in medio ipſo conclaui hærentem ſubſiſtere. Atenim cùm diuturnior diuinæ Euchariſtiæ fames eſſet, quàm vt Virgo diuinis epulis innutriri ſolita, ferret; poſt trimeſtre ieiunium ita ex inopinatò elanguit, vt exanimis conciderit: vocatique medici ſeuerè pronuntiarunt, actum iam de Vrſula, ac pulſu indice, nihil ſpei reliquum eſſe.

Continuat extaſim Vrſula.

Ipſe in primis D. Philippus conſternatus repentino eo caſu eſt, agentem iam ſupremam animam ex animo commiſeratus. Aderat Chriſtina, Vrſulæ ſoror, quæ, cognita languoris cauſa: conclamatam, inquit, ſororem ſuam; ſed ſi rediuiuam vellent, adduci vitalem Euchariſtiæ cibum iuberent. Scire ſe eius corporis, animique habitum; & quo illa potiſſimùm viueret; quo item definere viuere. Negare medici, tantum ſupereſſe moribundæ, aut temporis, vt ſalutare epulum expectaret, aut facultatis, vt ſumeret. Euocatus tamen ſacerdos, qui ferret. Mirum dictu: cùm primùm aduentantis Euchariſtiæ ſignum audiri cœptum, viſa tantiſper excitari, teſtarique ſe viuam Vrſula: deindè lacertos ſenſim mouere: itaut quò magis accederet Chriſti corpus, eò magis creſceret in ea vigor: ac demũ refecta ſuperſubſtantiali eo pane, reſtituta momento priſtinæ incolumitati, ac viribus, omninò conualuit, facto de more ſtatim à myſtica ea cœna mentis exceſſu. Perculſi admiratione, qui aderant; atque euulgatum mox, enectam Euchariſtiæ fame Vrſulam, ipſa Euchariſtia reuixiſſe. Gaudere in primis Philippus, cenſuitque, Sacramen-

Sed ab Euchariſtiæ fame cõtabuit.

Qua mox ſumpta reuixit.

Digitized by Google

mentorum vſui reſtituendam, quòd iam abundè cognoſcerent, adeſſe in Virgine diuinum Numen, ſuperuacaneum purarunt, peracri eo examine experiri vltrà ſanctimoniam; ac proindè exploraram ſatis, ſuperque ad ſtrictiora Romanę aulæ iudicia, Neapolim dimittendam. Qua virorum illuſtrium ſententia mirũ, quo plauſu celebrari Vrſulæ nomen, ac ſanctitas Romæ cœperit. Pleræque in primis marronę, quibus remittere humanis rebus nuntium, cõmunemque vitam inſtituere, conſilium erat, poſcere illam ſibi magiſtram, ac ducem; atque ſumma ope apud Auguſtos Patres agere, vt ſiſteret Romæ Vrſula, fundaretque, ac regeret ſuo nutu, exemploque gynecœũ. Id quod illi non ſanè gratum, vt quæ interiore quodam ſtimulo prouocari ad Neapolitanam ſolitudinem ſentiebat. Quocirca cum hinc nobiles fœminæ efflagitandi finẽ nullum facerent, hinc Vrſula recuſaret, incertus animi erat Philippus, verſabatque prudentia, ac mora negotium; ac tandem explorandæ ea ſuper re diuinę voluntati id cõſilij cepit. Virginem, vt oraret, monuit; tùm ſi poſtera luce ſerenaſſet, argumentum fore, hanc eſſe Dei voluntatem, vt Neapolim, ſuam nempè in ſtationem, ac ſolitudinẽ reuerreret. Pluuium tũ quidem cœlum diù fuerat, ea quidem camporum fraude, ac clade, vt corrupiſſe aſſiduus die, noctùque imber vbertatem, ac ſegetem videri poſſet. Supplicatum publicis precibus ad præcipuas Vrbis baſilicas imperrandę ſerenitati nõ ſemel, ac fruſtra: ac tùm maximè nubiũ apparatu diuturniorem fore eluuionem, cœli facies portendebat. Igitur ad eius diei veſperam nixa genibus Dei ſerua, orare, ac prenſare Deum, ac cœlites. Nec mora: velatum diù cœlum, amoto veluti ſipario, ſuo ſydere, ac ſerenitate conſpicuum obiecit ſe ſe mortalibus; cumulauitque deindè fauſtitatem oriens mane ſol liquidiſſimus, vt cũ maximè. Quod vbi Vrſulę precibus eueniſſe rumor euulgauit, adaucta in ipſam eſt à pręſenti beneficentia Romanorum exiſtimatio, ac pietas. Philippus hoc impetratæ ſerenitatis corollario, obfirmara, quam de ipſa conceperat, opinione, cũ abundè cognouiſſet, ita Numen velle, vt Neapolim rediret, re cum Card. à Sancta Seuerina communicata, abeundi facultatem fecit: compenſauitque ſingulari quadam beneuolentię ſignificatione agendi aſperitatem, qua in eius virtute periclitanda vti oportuerat. Pileum illi ſuum dono dedit, acceptis viciſſim precarijs eius globulis in mutuæ charitatis argumentum. Ipſa verò, vt quæ idoneam ſibi tempeſtatem fecerat, arripuit ſtarim iter, adorato priùs Maximo Pontifice, qui illam inſigni benignitate proſequutus, eius etiam ſe ſe precibus commendauit.

Quam ſibi magiſtram matronę poſtulant

Facultatem Neapolim redeundi obtinuit

Neapoli, vt quæ Romana in ea palæſtra ſtrenuè triumphauerat, communi plauſu excepta. Etſi non defuere in ipſo etiam portu procellæ, quibus compoſitis, fœminarum Congregationem, cui à Conceptione nomen fecit, inſtituit: excitato ad cœnobij formam contubernio, ordinatis vitę rationibus, ſancitis legibus, deſignatis Diuis loci Tutelaribus; habitu quidem, quo Clerici Regulares vtuntur: vt iam tũ deſtinata noſtratum clientelæ ea mulierum diſciplina, ac locus videri poſſet. Iuuit ea potiſſimũ initia Alexander Borla, Vrſulæ à confeſſionibus, vir, quem aliàs memini, ſolidæ probitatis ex Oratorij Congregatione. Cœtum verò vnà cũ Dei ſerua impleuere principiò ſorores eius duę, ac nepotum aliquæ, tùm alię ad duodecim. Sed manante rei ſama, atque alliciente in primis tantę virtutis, ac ſanctimoniæ ſplendore, viſę certatim confluere mulieres; vt excreuerit ad ſexaginta earum numerus. Quibus exemplo quidẽ, non dignitate, ac loco præibat Vrſula. Nam quamuis, & eſſet, & vocaretur ab omnibus Mater; quippè quę diſciplinam ſundauerat, ac ſuis aleret inſtitutis; id nihilominùs in primis cauit, ne ſundatrix appellaretur. Quocirca agere Antiſtitam recuſauit; curauitq. vt alteri prouinciam demandarent; ac lecta eſt Chriſtina eius ſoror, à morum laude, atque à ſingulari vitæ innocentia, pietateque ſpectatiſſima. Hac autem familia conſtituta, quis eius vitæ ordo fuerit, quæ ſeries, quæ contemplandi ſpatia, quas potiſſimũ virtutes exerceret, haud facilè quis expediuerit. Victus parſimonia, atque aſſiduum, ac penè ad miraculum ieiunium; corporis à flagris, atque à cilicio afflictiones; tranſmiſſæ inter orandum, ac ſine vlla proſùs quiete noctes, vulgaria hæc erant eius exercitia. Inter virtutes diuino præſertim amori litabat; eratque ipſamet eius ſacrificii victima, quam incendebat, ac penè decinerabat charitas: adeò vt interrogata aliquãdo à ſororibus, cùm maximè in ſuſpiria, ac lamenta abiret: Ecquid tũ potiſſimũ

Fœminarum Congregationem fundat,

Vrſulæ vitæ ratio.

Eius in Deum amor.

corpus diuexaret? Puto, inquit, lethali, ac peſtilenti quadam febri laborare me; quādo aduri intimè venas, ingentique abſumi incendio, ſentiam. Diuinam hanc porrò charitatis flāmam cū nulla non eius facta, ac dicta oſtenderent, tū duo in primis probabant. Alterum, exceſſus ille mentis aſſiduus, ac prolixior, de quo doctiſſimi quiq. viri id tandem decreuere, iſtiuſmodi exempla raptus, ac quotidianas abalienationes apud ſacratum hiſtoriarum monumenta haud facilè reperiri. Sed de hoc dixi in loco ſatis. Alterum, quod amoris vim, ardoremque commonſtrabat, id erat, communicādi Chriſti Corpori vehemens deſiderium. Nempè cùm ad amorem præcipuè ſpectet, amantes nectere, id Vrſula potiſſimùm cupiebat, quod intimè vnitur. Quotidiè confeſſarij permiſſu Euchariſticis epulis reficiebatur. Si priuari contigiſſet, teſtari vberrimo fletu ſenſum videbatur; eaque ſtatim fame corrodi ſentiebat, vt inclamare identidem conaretur: panem, panem. Quod illi Romę accidiſſe, dixi, cū ablato Euchariſtiæ vſu, perduci ad extremam vitæ lineam viſa eſt; id etiam toties contingebat, quoties exercendæ virtuti eiuſmodi deindè ſeueritatem, rigoremque adhibere confeſſarius cum ea vellet. Deſtituta ſiquidem viribus, ac pulſu, conclamare vaſa videbatur; vt accurrere ſtatim cū diuini Corporis alexipharmaco oporteret, quo ſtatim vita, color, vultus exanimi redibat. Quod ſi qui ferret, in tempore minimè adeſſet; aquam, quæ ſacerdotis digitos ad aram abluerat, afferebant. Hoc imbre, ac rore tempeſtiuè epota, refloreſcebat. Illud etiam languori temperando peropportunum; nempè ſi digitos eius ori admoueret ſacerdos, qui mane viuificum panem tetigerat. Et teſtatus de ea eſt Hieronymus Pelliccionus, medicæ artis conſultus, qui curare Vrſulam ſolitus erat, nullum vnquam ad eius virium defectiones, languoreſque corporis remedium efficacius fuiſſe, quàm, aut ipſam Dominici Corporis ſumptionem; aut ſaltem ſpeciem, ac commemorationem. Quare cū aliquando poſceret morbus, vt potenti aliquo pharmaco adeſſet; ac metueret, ne à vi remedij laborarent plus nimio vires, petendum ab Euchariſtia robur, ac fortitudinem, exiſtimabat; iubebatque Dominico pane refici: ſic deindè remedijs locus erat. Qua item ope cū ab amoris ęſtu defecta omninò viribus, ac penè exanimis rediret, recreari membra, ac vegetari mirificè ſolebant. Quid ſi, vti de Beata Catharina Senenſi narrant, abdicato reliquo cibo, ſuſtentari hoc vno vitę adminiculo contigerit? Siquidem, [a] vt idonei auctores narrant, cū prę vnius cœleſtis epuli deſiderio, & guſtu ab omni prorsùs edulio abhorreret, ac reijceret ſtomachus quicquid ingereret; alimentum altare ſuppetebat: conſtabantque ab vno eo cibatu vires, ac ſi valentiſſimo vteretur cibo. Quamquā verita ipſa, ne ſingulare hoc donum, quod latere minimè poterat, exiſtimationem, famāque adaugeret, rogare Deum inſtituit, impetrauitque, vt cōmunem in modum, ac quotidiano cibi adiumento vitam toleraret. Nouerat hanc in Euchariſticum Chriſti Domini Corpus pietatem Annibal Capua, Archiepiſcopus Neapolitanus, vir planè ſapientiſsimus, & qui cœterā etiam eius vitæ rationem cōpertam habebat; eòque addictiſſimus illi erat. Quocirca vt eximiā aleret opportunè religionē, id illi annuit, vt in ſanctiore hebdomada, ſicuti in publicis Eccleſijs moris eſt, excitaret ipſa domi ſuæ Domini ſepulchrum, in quo & ſacrum eius Corpus conderet. Quem illa nuntium mirū, quo ſenſu animi exceperit. Affixa monumento attentiſſima commentatione, atque abalienata à ſenſibus ferè ſemper, nunquā ab eo diſceſſit, quoad ſtare ſepulchrum poſceret temporis ratio: ac tū quidem, cū indè diuinum reueherent Sacramentū, triſtata vehementer, in ea Diuæ Magdalenę verba dolorem fudit: Tulerunt Dominum meum: quæ dū ſæpiùs pronunciaret, vberrimis ſe ſe lachrymis proluebat. Illud poſtremò Vrſulæ amoris argumentum non diſſimulandū, quod eſt planè non vltimum, nempè martyrum tormenta, hoc eſt, diuinæ charitatis trophæa verſare anxiùs animo, ac ſummè cupere. Idque tandem à Deo impetrauit, vt qua die eorum memoria, atque anniuerſarius triumphus recurreret, eaſdem ipſa pœnas toleraret, quas illi tolerauerant. Et ſuccedēribus quidem in orbem eiuſmodi ſolenniis, exprimebat ipſa intimo quodā ſenſu ea ipſa cruciamenta, quæ illi ab igne, à ferro, à belluarum immanitate pertulerant: toties Martyr, quoties Martyrum feſta celebraret. Scilicet, à flagrantiſſimo in Deum amore hæc, quem in tormentis ſuis ſtrenuè probauerant viri ſancti.

Euchariſtiæ deſiderium.

Aqua illi opem ac vires corporis.

a Sanctacr. ſ. 21 n. 43. Pepe. lib. 3 c. 5. Montan. ſ. 16. n. 30. Transſm. lib. 3. cap. 10.

Annibal Capua eius in Euchariſtiam affectum alit.

Cruciamenta martyrum ſuſtinet.

Alteram modò charitatis partem explicabimus. Ea eſt, quę mortales, eorumque com-

commoda,ac ſalutem reſpicit; nūquā profectò non in Dei Serua ardentior. Et corporum quidem opportunitatibus adeſſe, cū ex ſe laudabile ſit charitatis opus; tū longè præſtantiùs quid eſt, curare animos, ac ſpiritualia mortalium commoda,ac damna deprecari. Dixi, collactaneam hanc illi pietatem, atque ante ipſa etiam cunabula fuiſſe; dùm eo quidem ſenſu commiſerari peccantium ſtatum cœpit, vt ſuſcepiſſe ipſa ſuis humeris,ac portare humani generis crimina videretur, ea mole grauior. Suſceptam item ab ea ad Maximum Pontificem Legationem, ſignificaui, vt Romani Patris nutu indicta publica per Orbem pœnitentia, ſanari communem luem, languorēque contigiſſet; eòque ſupplicia, atque ab irato Numine ſulmina auerterent mutati mores. Atenimuerò reuerſa deindè Roma, cùm non proceſſiſſe remedium cerneret,ac videre ſibi videretur,mortalium vindicem Deum ſtricto iam enſe imminere in peccantium ceruices; ac periclitari vicino ſupplicio mortales;id impēsè ab eo petijt, vt quando ipſa vniuerſi Orbis peccata interna commiſeratione ferret, tela etiam, quę in illa elimauerat,in eandem ipſam iaceret; fore nempè, vt gratanter exciperet acerbiſſima quæque omnia, vt immunes homines eſſent, qui meruerant. Hę illi interdiù,noctùque preces; vt decennio antequàm mortalitatem exueret,euicerit tandem, quod poſtulauerat. Enimuerò cruciarij quadam veluti malorum Iliade grauiter ſenſit, vt nulla ſuo ſenſu careret exhauſti iam penè corporis pars, atque in ijs præſertim membris acerbior pœna,in quibus duriora ſuſtinuerat Saluator. Verſari,attrectarique, vt antea,minimè poterat,ab acri nimirum doloris ſenſu. Caput potiſſimū,ac tempora, delicatiores nempè partes,ceu ſpineū ſertum coronaret,immanè, quantū doleret: tāgere,confodere peracutis veluti clauis erat; vt ſuſpenſo cubare capite, intacto omninò puluinari,oporteret. Ac ſemel quidem Catharina Palmeria, Vrſulæ nepos, rata, ad cœteras corporis afflictationes hanc etiam illam addere; nempè puluino minimè inniti,acclinare vi quadam caput,conata eſt: ac tùm quidem, ceu non vnus traieciſſet mucro tempora, ſublato Ingenti clamore,dentes etiam nimius dolor concuſſit. Atque hæc quidem compoſito ſemper vultu,ac fronte tulit; gratulata magnoperè, ab aliorum traducta ad ſuum caput ſupplicia;augebatque tolerantiam charitas ipſa,quæ irrogauerat. Quæ quidem charitas illud etiam patrauit,haud minùs in Vrſula admirandum. Enimuerò cum vehementi quadam cogitatione piaculares Purgatorij ignes volueret,ac laborare in vaſto eo flammarum gurgite animas, doleret, eò peruenit, vt diſſoluere ipſa aliorum nomina,ac ſuſtinere acerrimā in Purgatorio luctam vltrò poſceret. Ac primò quidem pro Bernardina ſorore, pijſſima fœmina, caput vouit ſuum: impetratoque à Numine,quod optauerat, acerbiſſimas eius vices ſubijt,eo quidem corporis cruciatu, vt videretur planè inſernas pœnas luere. Tenuitque decennium hęc mulcta,vt ſingulis quibuſque diebus ad horam arcana quadam flamma, alijſque tormentorum generibus torqueretur. Quod ipſum pro altera mox ſorore, cui nomen Chriſtina, ſpectatis item moribus,tolerauit. Quæ deindè ſupplicia cū explicare confeſſarii iuſſu ipſamet vellet; minimè ſuppetere ſimilitudines,ac formas,indicabat: atq. aſperiora quidem pati ſe,dicere ſolita erat, quàm ſi aut immites hinc inde canes admorderent, aut igniti vndique nexus conſtringerent; aut diſcerperent membratim enſes. Nec concluſa inter conſanguineas incomparabilis hæc eius charitas. Nam quoties in ſuo Conceptionis contubernio concedere fato è ſororibus aliquam, contigiſſet, aderat placando Numini Vrſula; inſtaurabatque vicariam pœnarum tolerantiam; imitata,vt in cœtera morum indole, ac ſanctitate, ita in egregia hac charitatis parte Catharinam Senenſem, cuius nomini nonnihil etiam lucis attulere piaculares flammæ, quas pro Patre ſuſtinuit. Sed de charitate quidem aduersùs proximos ſuppeterent & alia non pauca,quæ conſulta opera prætermitto: ſicuti neq. reliquas,quas inſtituta preſertim Congregatione, virtutes exercuit, ſtylus perſequitur; ac ſuffecerit, vnam duntaxat,veluti cœterarum argumentum, ac ſpecimen; nempè humilitatem curſim attingere. Sanè poſt Romanam eam palæſtram,atque acerrimam quæſtionē tanta cū nominis exiſtimatione, ac plauſu reuerſa Neapolim eſt, vt niſi quæ inſigni valeret humilitate,ab ſolenni illo hominum ſtudio, concurſuque ſuæ cauiſſet virtuti. Quoddam enimuerò perfugium,ac veluti arx humilitati fuit, quod inſtituit fœminarū cœnobium,ac receſſus. Sed impar id omninò munimentum; neque adeò tueri illam

po-

Vrſulæ aduerſùs proximos charitas.

Commerita à mortalibus ſupplicia,ſibi depoſcit.

Piaculares itē Purgatorii pœnas ſubit.

Eius humilitas

potuit, quominùs ſparſa, non per Italiam modò, ſed per Europam etiam ſanctimonia, omnium ordinum, ac regionum mortales Vrſulam conuenirent; illamque de re animorum conſulerent, ac ſummè venerarentur. E' Germania præſertim, Gallia, Polonia, ſi qui viri principes Neapolim appuliſſent, id in primis cupere, vt Vrſulam alloquerentur, aut ſaltem cernerent; eiuſque poſt diuinum epulum admirabilem extaſim inſpexiſſe, pretium longinqui itineris, atque operæ feciſſe non exiguum, putabāt. Ac gemino quidem Poloniæ Principi, regij ſanguinis adoleſcentibus, id accidit. Nam cùm priuato cultu, ne vulgus agnoſceret, eò acceſſiſſent, ita illos Vrſula excepit, vt ſcire ſe natales, conditionem, perſonamque, quā diſſimulauerant, oſtenderet. Neapolitani item Proreges illam frequenter adibant; eiuſq. in Regni adminiſtratione monitis vtebantur. Idem nobiliſſimarum eorum coniugum ſtudium; quarū nulla non Dei Seruæ intimè addicta. Antiſtites, quibus ſuſpenſa omninò veſtigia in eiuſmodi mulierū ſanctimonia, illam nihilominùs certatim conuenire, ac alloqui; atque adeò frequenter in eius eccleſia litare; vt dicerent, in Epiſcoporum ſacellum templum illud euaſiſſe. Neapolitani ipſi Archiepiſcopi, quorum præcipuè intererat, vitam, moreſque Virginis recognoſcere; perſpecta eximia eius virtute, inuiſere identidem, pijſque cū ea ſermonibus tempus terere conſueuerant, numerabantque in delicijs moras illas; tantū abeſt, vt inferius dignitate, ac purpura putarent, accedere, ac grauiſſima etiam negotia cum ea communicare. Alij deindè ex Auguſto Senatu Patres inſigni illam obſeruantia proſequebantur. Quos Neapoli morari contingeret, adire ipſi; vt bini, ternique ſimul viſi interdū Cardinales apud illam fuerint. Plerique literis agere, eiusque ſe precibus commendare. Quo preſertim literarum officio appellare illam frequenter Cœſar Cardinalis Baronius, ſolitus erat. Iam cœteram procerum, matronarum, religioſorumque hominum multitudinem, qui cū animi, tū corporis opportunitatibus eius opem quotidiè exoratum ibant, facilè coniectari quis poterit in populoſiſſima Vrbe, atque in tanta eius nominis, virtutiſque celebritate. Quę quidem ideò commemorare hic volui, vt eluceret clariùs inclytæ Virginis humilitas, cui non modò nihil vnquam adhæſit faſtus à tanto concurſus ſplendore, à publicis honoribus, à magiſtratibus, à purpuris; vt in cauſa cuncta hæc eſſent, cur in ſui deiectionem, contemptumque proniore quodam ſtudio deſcenderet. Siquidem quoties ab eiuſmodi poſtea cū illuſtribus viris congreſſibus ſoluta, abſcederet, ſecumque ageret; incredibile dictu eſt, qua ſe verborum aſperitate impeteret, obiurgaret, mulctaret; veluti auſa mortaliū nobiliſſimos alloquis eoſque monitis inſtruere ineptiſſima fœminarum, ac nihili; cui nullus à genere, à virtute, à prudentia ſplendor. Planè cū ſingulari quadam verborum parſimonia vti ſolita eſſet, ac quàm pauciſſima, & nonniſi confeſſarii iuſſu diceret; attamen vbi inūbrare virtutem ſuam, ac ſe ſe probris atterere occœpiſſet, fluere perenni quadā eloquentia, ac prolixiùs ſermo videbatur, ac nullus erat conuicijs modus. Accidit ſemel, vt quidam ex Antiſtitum numero zelo, quodam huius potiſſimùm virtutis explorandæ, grauiſſimis illam contumelijs ex inopinato cumulauerit. Exhilarari confeſtim improuiſa oratione Virgo, eo quidem vultu, vt oſtenderit, in tanto illuſtrium capitum concurſu eò acceſſiſſe neminem, qui iucundiora narraſſet, quàm Antiſtes ille; cui grates ex animo habuit; affirmauitque ingenuè, beneficium ſibi ea die collatū non ſanè mediocre; quando labes ſuas, ac noxas ob oculos poſuerit, vt accuratè corrigeret: ac tū quidem de ſe, ſuaque ignauia diſertè, & copioſè de more dixit. Neque verbo tenùs iſthæc; ſed ex animo quidem, vt quæ intimè ſentiret, non eo ſe ſtudio, vitæque innocentia perfectioni, diuiniſque rebus incumbere, quæ Dei ſeruam deceret. Ac ſemel quidem Thomas Iaconias ex noſtris, eius olim à confeſſionibus, merſam lachrymis, ac dolore illam reperit: rogantique, quid cauſæ eſſet, cur effuſè collachrymaret; reſpondit: non aliam gemitus cauſam, quā vocari ſe paſſim Dei ſeruam, cùm reuerà indignam ſe, poſito calculo, ea appellatione cerneret: ac nihil eſſet moribus ſuis, vitaque ignauius, ac remiſſius. Hæc illa confeſſario, qui cū eius conſcientiam, vitæque rationes omnes temperaret, immunem prorsùs ab omni vel exigua labe nouerat; ardoremque in curſu perfectionis, Deique dilectione mirari ſatis nunquam poterat. Illud etiam ſeriò identidem vſurpabat, quod Diuum Franciſcum dicere ſolitum, accepimus; nempè non aliam vſpiam terrarum eſſe, tot peccatis obnoxiam, quæ ipſam

ſupe-

Eius in ſeipſā verborum aſperitas.

Antiſtitis contumeliā gratā ter excipit.

Digitized by Google

ſuperaret: ac rem ad eundem prorſus modum, ac Diuus ipſe Franciſcus explicabat. Ad hæc, nihil tàm abſonũ eius auribus, quàm dilaudari. Commendare ſe aliorum precibus, ceu maximè indigeret: collata cœlitùs dona cùm celare omninò nequiuiſſet, quoad fieri poterat, infuſcare: Deum, vt externa ſolatia, & quæ famam conciliarent, auferret, enixiùs rogare. Quæ in aliorum commoda impetrabat, eorum fidei tribuere: Sodalium iudicio libenter acquieſcere: ijs inſeruire: pedes exoſculari: poſtremò nunquam nec latum vnguem à ſui moderatoris nutu diſcedere. Quæ quidem omnia ea ſunt, vt eximiam in Vrſula humilitatem probent; vnde & cœtera eius virtus conijci facilè poteſt, quam ſingillatim recenſere abſtinemus, ſtylumque ad extremam eius vitam conuertimus.

Confecta ſenio Vrſula biennio antequàm è viuis excederet, die Februarij menſis ſecunda, Diuæ Virginis Purificationi ſacra, ſumpta Euchariſtia, factoque de more ſeceſſu mentis; qui quidem ſolito prolixior, ſeptenas horas tenuit, id cœlitùs, ac disertè audiuit. Exædificandam placando Numini ſolitudinem, mulierum Congregationi attiguam, quam Eremitæ Virgines procul omni mortalium conſuetudine, atque humanorum cõmercio habitarent, Deoque inibi inſeruirent. Qui verò eas regerent, duodecim religioſi viri eſſent, ardore ſpiritus, candore mentis, virtutis præſtantia cum paucis ſpectabiles. Quo habitu, qua diſciplinæ forma, qua legum obſeruantia vitam inſtituerent, ſingillatim ſignificatum. Clatratum quàm ſeueriſſimè ſine cratibus, ſine rota locum fore: annonam Congregationis mulieres citra aſpectum, ac verba immitterent. Euulgauit hæc illa, poſtquam reſtituta ſenſibus eſt; ac mirũ, quàm prolixè commendare loci inſtitutum, mores, ſanctitatem cœperit. Fortunatiſſimas appellare, quibus id olim beneficij contigiſſet: cœlitibus, quàm mortalibus ſimiliores fore: Deo quã gratiſſimas, eiuſque clementiæ conciliatrices. Felicem deindè ſacrum illum Religioſorum Ordinem deprædicare; cuius clientelæ commendata Eremus illa foret. Eò ſiquidem duodenam eam familiam peruenturam affirmabat, vt quà morũ exemplis, quà monitis, quà eruditione omne mortalium genus ad frugem reuocarent, inueteratamque Orbis diſciplinam, pietatemque reſtituerent. Ac tùm quidem religioſum hunc Ordinem clàm habuit, quem poſtea noſtrũ fore, enunciauit; ac morti propior, ſicuti Benedictus Mandina, Epiſcopus Tropeenſis, compoſitis ad Franciſcũ Mariam Maggium literis, teſtatus apertè eſt, eodem Mandina, alijſque eximię notæ viris ex noſtratibus, morienti adſtantibus, diſertè pronunciauit, ſe, ac ſuas cùm Congregationis, tũ Eremi Virgines Theatinas eſſe, ac fore. Vt autem generalis Capituli conſulto addicta noſtratum fidei hæc monaſteria fuerint, vti Vrſula prædixerat, dicã in tempore. Porrò Neapoli cœptum poſtea ære publico Eremitarum hoc contubernium cũ ciuium plauſu; nec deeſt continuandæ ſubſtructioni quotidiana religioſiſſimæ Vrbis liberalitas, vt quæ tantũ inde præſidij, veluti è munitiſſima quadam arce ſibi pollicetur. Nec diſſimulandum, non modò Neapoli, verùm etiam in præcipuis Italiæ Vrbibus excitandas eiuſmodi ſolitudines, Vrſulam prænunciaſſe. Et verò quædam iã Panormi rudimenta operis cernimus. Siquidem Franciſca Aragonia, princeps fœmina, ſublató viro, cùm nuncium humanis rebus remittere cogitaret, nec ſatis deliberaſſet, cuinam potiſſimùm Sanctimonialium cœnobio ſe ſe manciparet, interno quodam inſtinctu monita, fundare Panormi Neapolitanam Vrſulæ Congregationem, atque Eremum, in animum induxit ſuum. Ac primò quidem Theatinum habitum induit, futurę nempè diſciplinæ, atque inſtituti teſſeram: tùm lecto in percõmoda Vrbis vicinia ſitu, locum deſignauit, cui conſtruendo viginti aureorum millia ſepoſuit. Conſilium verò ornatiſſimæ Principis ita mors abrupit, vt legauerit nihilominùs conſtituendæ Congregationi eam ipſam pecuniarum ſummam, quã pollicita vltrò fuerat. Nec planè ſua defuit religioſiſſimæ fœminæ merces; quando non modò operi, ſed voluntati etiam ſtat cœlo pretium.

Commendata noſtratum rectioni diſciplina.

Prſita eius ſolitudinis Panormi initia.

Redit ad Vrſulam narratio, cuius modò exitum paucis exponam. Exhauſta non tàm annis, aut laboribus, quàm diuini amoris igne flagrantiſſima Virgo, cùm depaſci intimè vitam, vitaleſque corporis partes eam vim charitatis, intelligeret; haud lõgiùs abeſſe mortem cognouit, ac diſertè prænunciauit, fore, vt proximè Diuæ Vrſulæ diem feſtum mortalitatem exueret. Planè quiduis aliud timeri à morbo tunc poterat;

Mortem ſibi prænunciat Vrſula.

vt

vt affirmauerint medici, nimio quidem ardore, ſed quem non foeerat febris, periiſſe. Quo ſtatim loco ingens Neapolitanæ Vrbis in illam ſtudium præcoci quadam pietate, & quæ nuſquam alijs contigit, exarſit. Enimuerò, qui rem cōmunem adminiſtrabant Septemuirorum Magiſtratus, cùm ægrotare Virginem, rumor attulit, ad Cōceptionis gynecæum adiere; & quam in grauiſſimis Ciuitatis neceſſitatibus nunquam ſine fructu, ſucceſſuque implorare ſoliti erant, viuentem adhuc in Vrbis patronam cōmuni nomine, obſignatiſque publicis tabulis, adoptarunt. Quod quidem patrocinium celebrare conſequenti ſtatim anno votiuis donariis cœpere: eiuſque mox effigiem accuratè, ac graphicè ita delineatam, vt tueri, ac complecti Ciuitatem videretur, ſepulchro dedicarunt. Ad hæc, inſtitutis poſtea publicis comitiis, id communi omnium ſuffragatione decreuere, vt quicquid expendi in eius Canonizationis actis contigiſſet, communi pecunia ſufficerent: polliciti, vbi de Vrſulæ gloria, eiuſque poſteritatis, ac diſciplinæ incremento ageretur, nulla in re defuturos. Interim illi, dum ad exitum feſtinat, non corpus, non ſanitas curæ erat. Nihil commemorare frequentiùs, quàm Eremitarum monialium cœtum. Hoc leuamentum morbi, ac ſuprema in ea vitæ periodo ſolatium: ac tùm quidem diuinitùs afflata, abreptaque ad Deū mente, loci inſtituta, ac leges dictauit, quas deindè anno voluentis ſeculi altero, & vigeſimo Gregorius Quintus decimus Pontifex eximia quadam voluntate probauit, ac ratas habuit. Nouerat quippè de facie Vrſulam Pontifex; eiuſque admirabiles vitę rationes propiùs inſpexerat, cū temperandis quibuſdam Eccleſiaſticæ rei momentis, Romanæ tùm Rotæ Auditor, Neapolim adijt. Hoc igitur inſtituto cū ſororibus, tū noſtris potiſſimùm hominibus, quos vti ſignificaui, eius fore moderatores affirmabat, cōmendato, cùm nullum non virtutis documentum edidiſſet, ſuperante iam charitatis igne, extremis ſacris procurata, oculiſque in Chriſti è Cruce pendentis imaginem defixis, contemplanti ſimilis, puriſſimam animam efflauit, die Octobris vigeſima in ipſo noctis conticinio. Vultum non modò mortis inſignia non occuparunt; ſed quidam etiā afflatus videbatur nitor gratię, vt intuentes mirificè exhilararet. Relicta ſua mēbris facilitas, quæ & ſuauiſſimum quendam expirare odorem cœpere. Sororibus id primū fuerat, nullum edere mortis, vti moris eſt, ſignum, ne mane vis mortalium turbas concitaret: attamen antelucanis ſtatim horis patere eccleſiam oportuit promiſcuæ multitudini; affirmabantque paſſim omnes, nocte intēpeſta, ea nimirùm hora, qua Vrſula exceſſerat; ſolenni, feſtoque quodam ſonitu æs campanū in ea eccleſia concinuiſſe. Creuitque mox prima luce vſque adeò hominum affluxus, qui deuenerando Virginis corpori conuenerant, vt euocari ſubmouendæ multitudini Prætorianos milites, oportuerit. Triduum expoſitæ communi pietati pretioſæ exuuiæ fuere; ſed intra clatra, vt ſimul, & ſatiarent aſpectum, nec eas læderet circumfuſus, ingentique in illam ſtudio incitatiſſimus populus. Interim conari quiſque, vt ſua exanimi corpori roſaria, religionis cauſa, admouerentur: veſtium lacinias certatim poſcere; quicquid frondiū, ac florū affuſum feretro, ac membris fuiſſet, in pretioſiſſimis habere: quæ tùm quidem, impertita pleriſque incolumitate, ſalutaria fuere. Altero à tranſitu die dilatari mirum in modum pectus, atque ebullire cor cœpit. Viſum proindè, rimari ferro viſcera; ac reperta pro corde exigua quędam pellis, eaque combuſta: fuitque communis omniū perſuaſio, abſumptum à charitatis flamma cor fuiſſe. Ad extremum ita ſepulturæ tradita eſt, vt conſepeliri vitæ innocentia, ſanctimoniæ fama, ac ſingularis Neapolitanæ Ciuitatis in illam pietas minimè potuerit. Continuata ſiquidem Neapolitanorum pietate, viſi perenni quadam obſeruantia celebrari ſubindè pij cineres; allatæque paſſim beneficiorum teſtes, votiuæ tabulæ, ac cerei, quæ priuatim, ſaluis nempè Vrbani Maximi Pontificis ordinationibus, aſſeruantur; ad quarum etiam normam, quæ de venerabili hac Dei Serua memini, denarraſſe, conſilium fuit.

Quam Neapolitani patronā viuentem adhuc eligunt.

Leges Eremitarū monialium ordinat.

Piè moritur.

Celebratū concurſu funus.

Abſumptum a charitate eius cor.

Porrò ita deſiit viuere Vrſula, vt integer eius ſpiritus, indoles, ardor in eximia poſteritate remanſerit. Planè non minimùm commendari Parentes ab egregia ſobole, ac ſucceſſione virtutis ſolent. In ipſos nanque quicquid honeſti, ac ſancti in filijs cernitur, iure quàm qui optimo refunditur. Ergo ad Vrſulam adhuc ſpectat, dicatam Marianæ Conceptioni fœminarum Congregationem, ab ea conditam, curſim inſpice-

re;

re: & quam inſtillauit Mater, diſciplinam adnotare: paucis nempè ex honeſtiſſimo, religioſiſſimoque eo cœtu propoſitis, quæ reliquarum mores, ipſiuſque Parentis ſanctimoniam, ac vim charitatis indicent. Neque verò extra Dei Seruæ cognationem euagabitur narratio; ne ſit longior; & intelliget profectò lector, quàm verùm illud: Hæreditas ſancta nepotes eorum. Et quidem quàm ſancta, quàm aſpera eius gynœcêi initia fuerint, vix explicet ſtylus. Aſſiduæ preces non modò ſtatis horis, verùm inter ipſa etiam externa opera: vt nihil contemplationi detraheret actio. Altum vbique ſilentium: ſomnus parciſſimus in ſtramentis, aut ſupra aſſerem: menſa nullis omninò ſcitamentis, exigua, ac vilior: frigida ſitim extinguere: familiare cilicium, ac flagra: ſũma in reliquo cultu egeſtas. Planè vt in eo montis latere, tantaque in rei domeſticæ difficultate, atque auſteriore vitę conſuetudine ſtrenuis ijs viris, qui AEgypti ſolitudines nobilitarunt, non abſimiles eas fœminas dixeris. In hac igitur diſciplina floruere pietatis fama non paucæ, quæ enatam id loci ſanctimoniam, egregiè aluerunt, ac propagarunt. Appellanda in primis Chriſtina Benincaſa, Vrſulę germana ſoror, cui quòd omnium principi demandatum naſcentis contubernij regimen, ac rudimentum fuerit, ſatis oſtendit, quæ inerat fœminę indoles. Simul regere, ſimul ordinare cœtum oportuit; quod ſummæ prudentiæ eſt; qua ita valebat Chriſtina, vt à Numine potiſſimũ in ea familiæ formatione pręſidium accerſeret, feruentiſſimis nimirũ precibus, in quibus aſſidua, ac tota. Quare & quibuſdam identidem dignari mentis colluſtrationibus, diuiniſque illapſibus meruit. Vitam in ſumma legum obſeruantia, vigiliis, ac cœtera aſperitate cũ traduxiſſet, ſimili deindè exitu diem clauſit ſuum. Animam quinas poſt horas receptam cœlo, Vrſula diuinitùs cognouit: recitatoq. hymno euchariſtico, renunciauit mox cęteris gratulabunda ſororis gloriam. Huic in muneris officio ſucceſſit Martia Palmeria, ex altera ſorore eius, ac Vrſulæ neptis. Quæ fuerit Martiæ, quęq. inerat illi ab vſu virtutũ perfectio, commune Congregationis iudicium cõmonſtrat. Etenim is erat in eo cœtu omnium ſenſus, nullam propiùs ad Vrſulę ſanctimoniam, morumque præſtantiam acceſsiſſe, quàm Martiam. Quinquennis pane, & frigida ſingulis ſextis ferijs ieiunium tolerare conſueuerat: atque ea tùm quidem pietatis documenta edere viſa eſt, quæ id ætatis longè excederent, adultamq. in puellula virtutem adprobarent. A parentibus nuptui tradita, cũ minùs thalamum cogitaret, id à ſponſo euicit, vt ſuſcepto ſimul caſtimoniæ voto, vitam in matrimonio ducerent procul illecebris, nexuque corporum. Quod perſanctè, diùque ſeruatum, illibato in communi toro pudicitiæ flore, raro quidem nuptialis virginitatis exemplo, quod in paucis, iiſque ſanctiſſimis ſuſpexit antiquitas. In Congregatione admirationi ipſi Vrſulę erat. Loci Vicariam diù egit, comitate, charitateque incredibili; vt in oculis omnium eſſet. Orationi addictiſſima, cui mirabilis quędam vis inerat: vt impetrata à plerìſque eius precibus corporis incolumitas teſtata non ſemel eſt. Accidit aliquando, vt nihil domi olei reliquum eſſet: attamen miſit Martia ſororem, quæ domeſtico vſui ſumeret; atque interim orationi ipſa vacat. Igitur, veluti occultis ſe ſe venis infudiſſet oleum, hauſit illa abundè: ſiccum nempè vas fuſa ad Deum oratio impleuerat. Inter preces cœleſtia item inſpicere ſolita erat. Illud frequentius: dęmones, qui facto in ſorores impetu, illas aut internis vrgere ſtimulis, aut mutuas in rixas concitare conabantur, ſuis oculis cernere, ſtatimq. abigere: acciditque non ſemel, vt oborto inter ipſas diſſidio, vbi adeſſe Martiam contigiſſet, compoſitis illicò turbis, rediret charitas, ac tranquillitas: ac tùm quidem Catharina Palmeria, ſummæ innocentiæ inter ipſas fœmina, de qua mox dicam, abactos eius aſpectu malos genios, fugientes perſæpè vidit: vt riſum tenere aliquando vix poſſet. Id quod ſenior quædam ſoror, ac proba teſtata ingenuè eſt. Diuexare voluntaria aſperitate corpus, præcipuum illi ſtudium. Non modò nullas indulgere ſibi illecebras: verùm auſteriore etiam cultu, intentatiſque rigidè ſuppliciis, in ſeipſam ſæuire geſtiebat: vt tranſegiſſe continenti, iugique mortificatione vitam, videri poſſet. Clauſitque deindè dies exitu non abſimili. Supremo nanque anhelitu, veluti in Cruce cum Chriſto ſponſo moraretur, expanſis manibus, ac pede pedi impoſito, triduũ iacuit: eoq. corporis habitu expirauit die ſeptẽbris vigeſima octaua anni voluentis ſeculi trigeſimi primi. Ac ſodales quidem en excepere luctu funus, vt ſatis oſtenderint, omnigenæ virtutis exemplar, ideamque, ac al-

Conceptionis gynœcei viuẽdi ratio.

Chriſtinæ Benincaſæ virtus.

Et Martiæ Palmeriæ.

Quę Virginitatem in matrimonio ſeruauit.

Eius orationis efficacitas.

Et vis in dæmones;

Anna Palmeria diſciplinę vindex.

teram Vrſulam ſibi ereptam. Exceſſerat è viuis longè antea anno, videlicet, ſeculi decimo huius Martię ſoror, Anna Palmeria, pręferuidi ſpiritus fœmina, à cuius zelo nulla è ſororibus, ſiue in odèo, ſiue in reliquo domeſtico opere impunè errabat. Aderat ſtatim illa ſeuerioris diſciplinæ monitrix, nunquam ſine operæ fructu. Si cui adoleſcentulę errare à fronte licentiùs crines animaduerteret, inuolabat ipſa in ſuperfluam ſtatim comam, pręcidebatque ſua manu: eodemque zelo vindicabat veſtium cultũ, & qui aliquid profanæ elegantiæ ſaperet. Quod ſi exceſſiſſe aliquando modum in corrigendo aduerteret, ſeueritatem eximia mox comitate compenſabat; vt mixtura illa indolis inſignem ſibi ab omnibus reuerentiam, amoremque conciliauerit. Hic idẽ

Eius in contẽplatione ardor.

in orando ardor. Planè, cũ in contubernio diurnę, nocturnæque orationi vacarent paſſim omnes; nulla profectò in eo ſtudio Anna attentior, ac flagrantior. Addicta quidem Vrſulæ miniſterio erat, quod ita obibat, vt nihil externum opus internæ mentis quieti, rerumque diuinarum contemplationi detraheret. In ſuprema ipſa valetudine detineri lecto minimè poterat, quin ſtatis precibus cum aliis conueniret. Quapropter accedere imperium Antiſtitæ oportuit, vt cùm à communi oratione, tùm à reliqua obſeruantia abſtineret. Quo quidem ſpiritu, ediriſque in extrema vita præclaris virtutum exemplis, in complexu amantiſſimarum ſororum certa cum ſpe glorię deceſſit.

Obiicit ſe modò par ſororũ longè laudatiſſimarum, Vrſulę item neptum. Eæ ſunt Catharina, & Olympia Palmeriæ, Chriſtinę, quam paulò ante loquuti ſumus, filiæ: quæ materteræ veſtigia ita impleuere, vt aſſequi eius ad vnguem ſpiritum, ardoremq. viſæ fuerint. Natu maior Olympia, ab ipſa infantia Vrſulæ diſciplinæ tradita; à qua

Olympia Palmeria ſolitudinis ſtudioſa.

cùm cœteram virtutem, tùm ſolitudinis in primis ſtudium, amoremque hauſit. Inita Congregatione, non modò ab exterorum, ſed ab ipſa etiam ſodalium conſuetudine, niſi charitas, aut communia officia ſecùs poſcerent, abſtinebat. Cellam delegit, quæ remotior, vt interno mentis receſſu, Deoque liberiùs frueretur; ac breui Eremita vulgò audiit. Cuiusmodi ſolitariæ vitæ ſtudium ſub ipſam Vrſulæ mortem liquidò commonſtrauit. Cœteris nanque in morientis cubiculum auidè conuolantibus, vacare ipſa precibus ſuo in conclaui voluit. Sed quod ſibi interdixit ſolatium, compenſatum abundè mox fuit. Nam ſoluta corpore Dei Serua, Olympiam conuenit, monuitque, ſe poſita tùm quidẽ humanitatis ſarcina, niti in cœlum. Ab omni rerum humanarũ

Et orationis

cupiditate, illecebra, ſtudioque omninò abhorrebat. Dicere ſolita erat, ſe nulli vnquã mortalium credidiſſe amores ſuos; neque Vrſulam ipſam adamaſſe, ſed Crucifixum duntaxat Ieſum. Corpus abſtinentia potiſſimùm macerabat. Quicquid laborioſum, abiectumque domi eſſet, ipſa obire; vireſque reparabat oratione, in qua tota erat. Prouecta iam nocte templum petere, atque ad ſacram Euchariſtiam prolixiùs orare conſueuerat; ea quidem mentis attentione, vt aduentantes aliquando eò ſorores, nec cerneret, nec adiiſſe aduerteret. Obſurduerat ætate ingraueſcente: & quę tacere ipſa aſſueuerat, id aſſequuta deindè eſt, vt neminem etiam loquentem audiret. In-

Euchariſtiæ ſacramento addicta.

terrogata: quid in obſtinato eo ſilentio cùm aliorum, tùm ſuo cogitaret? reſpondebat: Cogito Chriſtum Crucifixum, & cum eo loquor. Vna illi voluptas, ad diuina altaris myſteria accedere, ac veſci. Ac primò quidem, vt ſatis peracri deſiderio facerent, conceſſum, vt quotidiè ſumeret: verum, ne cœteras ſubindè, vti in communi cœtu accidit, afficeret exemplum, abrogata hæc illi indulgentia. Quo veluti telo quodam percuſſa, viſa vſque adeò impotenter doluiſſe, vt ſiſtere vim lachrymarum nulla ſodaliũ conſolatio potuerit: eòq. illã adduxit dolor, vt diceret: ſi ſciuiſſet, fore ſibi in ea Cõgregatione puellulo ſuo (ſic enim ſuauiſſimo quodã vocabulo Euchariſtiã appellabat) interdicendũ, nõ illam facilè iniiſſet. Si quando permitterent Confeſſarii, vt ſorores myſticam cœnam extra ordinem obirent: certabatur inter illas, quæ prior cœleſtis epuli Olympiã moneret: quòd ſcirent, nihil accidere illi iucundiùs poſſe. Quo quidem nuntio exhilarari mirum in modum piiſſima fœmina videbatur: oſtendebatq. quodnã ſtatim à cœleſti annona accederet eſurienti animæ refrigerium. Ab hoc in diuinam Euchariſtiam ſtudio quicquid lintei ad altaris miniſterium pertineret, curabat ipſa, lauabatque incredibili quadam diligentia, ac mundicie. Ciſternam, vnde conficiendo altaris ſacrificio hauriri aqua conſueuerat, ſumma ope contendebat, ne

quid

Digitized by Google

quid turbaret, ſœdaretque. Hautire ipſa aquam ſodalium vſui, ne quæ funem, aut vas attingeret manu non puriſſima. Semel germanus quidam frater, cui nomen Archangelus, vt eam nimiæ ſolicitudinis moneret, manum in eius Ciſternę vas ex abrupto merſit. Quo illa ſubirata, pœnã etiam, confidentiæ vindicem denunciauit. Quod accidit. Nam eam ipſam manum Archangelus corripi ſubito quodam dolore ſenſit: vt agnouerit liquidò, placere Deo id ſororis munditię, ac ſtudii in Euchariſtiæ Sacramenrum. Nec deſuit tantæ pietati merces. Semel ſacram Hoſtiam vidit abijſſe in aſpectabilem Chriſti carnem, eiuſque ſanguine purpuraſcere. Iterùm eandem Hoſtiam ſcitiſſimi cuiusdam pueri ſpeciem præſeferre, aduertit: ſed admoto mox ore, redijt ſuæ formæ. Deſijt viuere anno vertentis ſeculi trigeſimo quarto, exhauſta grauiſſimo morbo, quæ illam integrum ſexennium diuexauerat, captis miſerandum in modum membris, vt præclarum ediderit patientiæ experimentum.

Catharina Palmeria ab incunabulis inſigniter pia

Inſequenti autem anno exeunte, eius nempè die vltima abiit ad meliores Catharina Palmeria, altera Olympię ſoror, quam dixi. Præmaturè illam Dei beneficia occuparunt: vt non antiquiora illi fuerint incunabula, quàm pietas, ſtudiumque virtutis: ac viſa deindè per gradus ad excellentem quandam vitæ, ac morum perfectionẽ, atque ad ipſam Vrſulæ præſtantiam, famamque nominis propiùs acceſſiſſe. Aſſequuta eius pręſertim ſpiritum in deploranda mortalium conditione, maliſque denunciãdis, quæ Orbi imminerent, niſi corrupti mores emendarentur. Quæ in Italia, atque in Gallia præſertim Ciſalpina detonuere bellorum procellæ, peſtilentias in præcipuis Europæ regionibus, terræmotus in Regno Neapolitano, atque à Veſuuio incendia, monita ipſa diuinitùs, diſertè prænunciauit. Et quod ad Veſuuianam cladem attinet, per pluſculos dies antequàm graſſari inciperet, videri ſibi videbatur inſolitas in Neapolitana Ciuitate turbas, conſpirantesque in animorum exitium dæmones, miſcentes ſuſque deque omnia. Adhæc quati ſub pedibus terram ſentiebat; impetu quidem, veluti flumen quoddam igneum, rapidumque excurreret. Monere proindè ſorores, ac exteros, vt pœnitentia, vitæque formatione, ac precibus propitiando Numini inſiſterent. Præcipua in ea ſuit Dei charitas, quocum aſſidua contemplatione, nexuque indiuiduo coniuncta ſemper videri poterat. Dicere ſolita erat, geſtare ſe pectore carbonem quendam, qui præcordia acerrimè inflammaret: ſactoque deindè poſt mortem vulnere, inſpectum perdiligenter arcanum pectus, ac repertæ propè cor partes quædam perindè affectæ, ac ſi ignis afflaſſet, libaſſetque. Iam, cæteris eius virtutibus, iiſque beneficijs denarrandis, quæ in illam contulit diuinum Numen, ſuperſedeo. Abundé ea conſtant ab Epiſtolis, quas ipſa ad Matthæum Sanctomangum, & Benedictum Mandinam ex noſtris dedit, quę penes Congregationis ſorores extant. Quæ ſeueriore alioqui aſpectu erat, paucis ante mortem diebus, ſoluto ſupercilio, exhilarari mirum in modum viſa eſt; rogabatque ſorores, vt grates Deo ſuo nomine ob ingens quoddam beneficium, quod propè diem reſciuiſſent, perſoluerent. Conſequuta verò mox eius morte, cognouere ſtatim illæ, id accepiſſe à Deo donum, videlicet, vt citò migraret: quod in cauſa fuerat, vt ingentem præferret fronte, vultuque lętitiam. Ad eius funus incredibiles concurſus facti; vt ſubduci multitudini exanime corpus oportuerit, atque ad aram maximam intra cancellos collocari, ne ardens nimiùm pietas violenta manu peccaret.

Immiſſas mortalibus clades præuidet.

Eius in Deum charitas.

Occurrit gratanter ſuæ morti.

Iſabellę Genuinę charitas

Fuere & inter primas geminæ ſorores, Vrſulæ itidem neptes, Iſabella, & Clara Genuinæ. Iſabella dum thalamo deſtinatur, vt quæ inſigni floreret gratia, & vultu, mutato repente conſilio, aggregari ad naſcentem Conceptionis Congregationem voluit. Excelluit ad miraculum charitate, qua infirmas pręcipuè per ſummam contentionem, laborumque tolerantiam complectebatur. Orationis item ſtudio exemplo alijs erat. Adeò ſiquidem prolixé, eaque attentione contemplari diuina, ſolita erat; veluti nihil eſſet pręterea reliquum, quod nauaret: cùm alioqui nullũ non domi miniſterium ſtrenuè obiret. Probata eius virtus diù fuit. Correpta ſiquidem fœdiſſimo morbi genere, qui faciem corrupit, in ea palæſtra deſiit viuere optatiſſima planè morte. Robuſtior in altera ſorore, Clara Genuina ſpiritus. Hæc præter communem diſciplinę obſeruantiam, vitęque aſperitatem, alia item exercendę virtuti, affictan-

doque potiſſimùm corpori excogitabat. Cilicinę illi veſtes vulgare quid erant. Nam ſtanneas laminas ita perforabat, vt extarent ex altera quidem parte horridum in modum aculei. Has deindè pectori applicabat, geſtabatque. Ferrum item in fila tenuatum, intortumque, ac minutatim conciſum, tunicæ, aſperiore quodam opere, aſſuebat; fouebatque eiuſmodi induſio molliùs membra. Cibus illi incoctæ modico ſale herbæ; quę crudæ plerumque menſam implebant. Fructus, & quęcumque gulam irritant, iuſſerat penitùs faceſſere. Solitudinis perſtudioſa, exteros, ipſoſque conſanguineos, eorumque colloquia deuitabat. Pluraſque ex eo cœtu fœminas, quibus eadem mens, ac vitæ ratio, ſibi aggregauerat: Cum his orare, contemplari, ſerere de diuinis rebus ſermones, pios libros legere, conſueuerat. Raró, niſi cùm publica poſcerēt domus munia, extra cellulam vidiſſes. ac tùm quidem demiſſis ad terram oculis: ac nūquā ſine Ioanne Lanſpergio, quem terera manibus, atque explicare identidem ſororibus peculiari quadam eloquentia, atque acumine ſolebat. Ex miam hanc in pijſſima Virgine virtutis indolem periclitari item aduerſis diuino Numini placuit.

Et patientia. Grauiſſimo quodam caſu ita affligi contigit, vt diſruptis coſtis, ſalutem deſperauerint medici. Quadriennium affixa lecto, acerbiſſimè doluit. Nec impoſitus luctæ finis. Laborare ſiquidem aqua intercute ſubindè cœpit: ex qua cùm decumbere nequiret, hęrere in ſella bienniū oportuit. Obſeſſa tot corporis incōmodis, vultu ſerenitatē, hilaritatemque incredibilem præferebat. Et ſellam quidem quendam veluti in ſuggeſtum commutauerat: vnde non inſigni modò patientię exemplo, ſed verbis etiam adhortari, monere, inflammare ad virtutis laudem videbatur: vt accurrerent certatim ad præclaram ſpiritus magiſtram ſorores; eſſetque iam Claræ cella commune quoddam virtutum, perfectioniſque gymnaſium. Confectam deindè morbis mors occupauit, non imparatam; & quòd iam diuturna exercitatione malorum animum perpurgauerat, cœlum rectà petijſſe, perſuaſum ſodales habuere. Eſſent & aliæ planè multę hic recenſendæ, diſciplina morum, auſterioris vitæ cultu, pietateque ornatiſſimæ. Vix enim in ijs præſertim initijs aliqua in eo cœtu fuit, quæ præclaris exemplis animata, non ad perfectionem pleno gradu niteretur. Sed quas hactenùs deſcripſimus, ſatis ad quoddam loci, eiuſque ſanctimoniæ ſpecimen videri poterunt. Et longior profectò res eſſet, ſi vel leuiter ſingulas perſtringere ſtylus vellet. Redibit de hac fœminarum Congregatione aliàs ſermo, cùm poſt aſſiduas earum preces, ac virorum etiam principum poſtulationes expugnata demum noſtratum conſtantia eſt; ac Maximi Pontificis nutu adoptatum in noſtram clientelam, fidemque contubernium fuit.

An.Dom.1619.

Ricciarda Bernia Mantuana Virgo.

Mantuam Neapoli gradum facimus. vbi in ipſo ſtatim initio conſequentis anni decimi noni ſupra ſeſquimilleſimum centeſimum mortalitatem poſuit pijſſima etiā Virgo, quæ quòd ab ipſis penè cunabulis non alios in virtutum ſtudio, vſuque pręceptores habuerit, quàm noſtros, dici iure omni noſtra potuit; eòque recenſere hic breui quodam excurſu eius vitę actus, æquum ducimus. Nomen Virgini Ricciarda Bernia, nobili loco Mantuæ nata. Specimen adultę pietatis acerba ipſa infantia dedit, indole ſupra id æui rerum cœleſtium apprimè cupida; oſtenditque diuinum Numē, quàm idonea ſupernis illuſtrationibus mēs adoleſceret in puellula, quæ tàm citò myſteriorum arcana cernere, dignarique diuini amoris illecebris meruit. Enimuerò Corregij (Matris Patria hæc erat) in quodam ſacrarum Virginum gynæcèo aderat aliquando miſſæ ſacro adhuc intra ætatis quadriennium, cùm elata à ſacerdote ſacra hoſtia, elata & ipſa extemplò voce, balbutire in ea verba cœpit: Caue, Presbyter, ne quem tenes manu puerum, decidat: proh quàm ſcitus ille, & elegās: vtinam detis mihi exoſculandum. Admirari quotquot aderant, ac quid maius infantia in illa agnoſcere. Qua de re anno antequàm è vita excederet, interrogata à germano fratre; reſpondit, meminiſſe quidē ſe; ſed non ea eſſe ætatis illius dicta, factaque, vt meminiſſe ipſi deberent. Quo prudenter quidem, neque rem pernegauit, neque ita affirmare viſa eſt, vt inani cuidam aurę, gloriæque locum daret. Virginitatem maturiùs vouit. Affuſa nanque vix rationis luce, vbi primùm pulcherrimæ virtutis dignitatem, ac pretium agnouit, illam ſummoperè adamauit. Hinc florentibus ſubindè annis, cùm floreret in ea formę, oriſque elegantia; nihil ęquè contempſit, ac fluxam hanc natu-

Eius ab Infantia ſanctitatis ſpecimen.

Et vota maturè Virginitas.

rç,

rę, ac corporis gratiam; quam ſimul,& inumbrare, & adaugere ſingulari quodam honeſtatis, ac pudicitię ſtudio videbatur. A cultu, ac pompa nimiùm quantùm abhorreret. Collocata honeſtiſſimis nuptijs in matrimonium ſorore, poſtulabat quidem occaſio, ac tempus, vt ipſa etiam habitu, vultuque domeſticam eam lętitiam celebraret. At is erat lectiſſimæ Virginis pudor, vt non exiguus labor fuerit ab ea impetrare, vt decenti quodam ornatu ſororis thalamum proſequeretur. Accedere ſiquidem ſtrictius quoddam confeſſarij imperium oportuit; à quo quidem præſcribi veſtiū apparatum, ac ipſum ornando capiti florum numerum, voluit. Sed hęc raro; cauitque mox virginitati, ſumpto nimirùm vulgari indumenti genere, quod perpetuæ corporis, mentiſque pudicitię moneret. Porrò in ipſo eius inceſſu, externoque oris habitu præclaram quandam cernere erat honeſtatis imaginem. Statura quidem illi erecta, ac ſolito longior. Vt igitur à mortalium ſe ſe conſpectu omninò ſubtraheret, pręter adductum demiſſiùs velum, acclini etiam corpore, pronoque vultu incedere conſueuerat: tantùm abeſt, vt oculos huc illuc ſpargeret Virgo, in hoc potiſſimùm oculorum fręnum intentiſſima. Manibus ſua etiam venuſtas inerat; &, ne inſpectorem quempiam caperent, dehoneſtare peracri quodam pudoris ingenio voluit. Petijt ſiquidem à flamma pręſidium, in quam raptim cū illas iniecisset, affecta cute, inuri deformem quandam nigredinem contigit: vt cuidam poſtea vrbanitati conſuli oportuerit confeſſarij nutu, qui vti ad decentiam chirothecis Ricciardam, iuſſit. Etſi pręclaro eo auſu non tàm fœdari manus, quàm probari, atque expoliri ad ignem honeſtas, viſa eſt. Quòd autem Virginitatis ornamentum, ac tutelam religioſæ vitæ diſciplinā, ac clauſtra eſſe, intelligeret; id maximè cupere videbatur, inter ſacras Deo Virgines adoptari, regularique inſtituto addici: Sed vetuit Pater, quem fillę imbecillitas, ac valetudo magnoperè ſolicitum habuit. Id quod Ricciardæ longè moleſtiſſimum; ac contineri minimè potuit: quominùs cū confeſſario de Patre vehementer conquereretur; quòd is prępoſtero quodam affectu corpori magis, quā animę ſtuderet. Atenim quæ virginitatem longè antea Deo nuncupauerat, ita vitam inſtituit, vt citra monaſterium, ſanctimonialis videri poſſet. Hominum conſuetudinem omninò deuitabat, vt religioni duceret, ſi familiariùs aliquando cum Patre ipſo, ac fratre egiſſet. Cùm ruſticari de more contingeret, vſurpandaque myſteria eſſent, quòd non idonea, ac decens eſſet in villa excipiendis confeſſionibus ſedes, horrore quodā capi videbatur, quòd tàm propè ad hominis vultum, nulla, videlicet, crate interiecta, accederet. Quocirca nihil ruralibus hiſce confeſſionibus breuius; malebatque minùs accuratè, quàm minùs honeſtè conſcientiam aperire. Meminerat namque Agni ſe ſponſam eſſe; eòque fugiendum ſibi quicquid afflare puritatem, candoremque mentis vel minimùm poſset. Sponſæ teſſeram manu geſtabat: nempè anulum, in quò inſcriptum Ieſu nomen erat; habebatque in pretio, veluti anulus pronubus eſſet; quo & obſignare ad confeſſarium literas, cùm in villa ageret, conſueuerat.

Et in cultu corporis modeſtia.

Præclarum tuendæ honeſtatis ſtudium.

Hunc verò illibatę integritatis florem, quòd ſciret, aſperiore quodam vitę cultu optimè cuſtoditi, aſſidua in ſui afflictatione Ricciarda erat, atterebatq. libenter corpus; quamquàm non ea erat virium firmitas, quæ eiuſmodi cruciamentis par eſſet. Flagris ſeruilem omninò in modum ſe ſe mulctare ſolita erat; ac teſtabatur expreſſus interdùm ſanguis, ſupra fœminam robur, ac manum ſæuijſſe. Adpreſſam corpori cilicinam tunicam in delicijs habere: ſomnum fugare potiùs lecti duritie, quàm carpere: humi ſtratam diutiùs pœnæ nomine iacere: pectus, compreſſa in pugnum manu, eo impetu tundere, ac ſi palmarium criminum ſibi cōſcia vindicare illa acriùs vellet. Victus ratio omninò ſtrictior; contenta elixo pane: cùm quid illecebræ delicatioris indulgere ſibi vellet, ouum apponebatur. Iuris aliquantulum ſorbere interdū conſueuerat; ſed cùm ab eo Catharinam Senenſem abſtinuiſſe, inaudiuiſſet, cauſata ſtomachum, dimiſit. Atque hęc ſua ſpontè. Quę verò periclitandę eius animi conſtantiæ à Deo mittebātur, ea mentis æquitate tolerabat, ac ſi munera ſponſus mitteret. Ac corporis quidem imbecillitatem, atque identidem morbos in iucundiſſimis reponere. Illud amanti omninò durum, deſtitui diuinis, quibus iam aſſueuerat, blandicijs. Solenne hoc diuino Numini, iſtiuſmodi deliciarum caritate exercere ſpiritus.

In afflictando corpore contentio.

Pro-

Probat ſic nempè vim animæ, vigoremque generoſi pectoris. aut ſi quæ inſunt labeculæ, abſtergit duriore hac manu; aut certè exhauſto diuinorum guſtu, euellit ſuos, veluti ab vbere; ne ſint perpetuò infantes; ſed aſſueſcat aliquando robuſtæ cuidam virtuti indoles. Et quod ad Ricciardã attinet, principiò quidem triſtitiam ab hac intimæ conſolationis iactura diſſimulare minimè poterat: ſuſpirijs, lachrymis teſtabatur; quoad diuinitùs, opportuniſque à confeſſario monitis erudita, animum perindè compoſuit, veluti priſtina rediiſſet conſolationum autumnitas. Iure ſe plecti, aiebat, quæ vti ſorte ſua, atque ea cœleſtium donorum copia neſciuerat: ſerendum nempè tantundem, quantũ in delicijs fuerat. Id illi frequentiſſimum eiuſce ærumnæ remedium; literas ad ſponſum Ieſum, ac magnam eius Matrem componere: configere nempè ſtylo moleſtiſſimas eas animi curas videbatur, ac mœroris quoddã leuamentum erat, effundere in ijs epiſtolis affectus ſuos, ac delicias animæ ſuæ alloqui. Quo loco illud ſcitu dignum: literarum apices efformare, ac ſcribere nunquam à quoquã Ricciardã didiciſſe; ſed quod eius erat rerũ ſpiritualium exſcribendarum deſiderium, ſuis auſpicijs ſtylum ducere, ac ſumma laboris contentione characteres effingere cœpiſſe. Aſſequutam verò, ſe magiſtra, ac diſcipula, ſcribendi peritiam, ac vſum; cùm miſſę ad cœlum literæ, tùm pleręque rerum diuinarum ſchedulę autographę, eiùs in ſcriniolo repertæ commonſtrant.

Quid remedii adhiberet.

Scribere nullo præceptore diſcit.

Efficax hæc quidem compenſandæ ereptæ conſolationi litterarum ſcripturitio; ſed maius ab humilitate pręſidium petere, ſolita erat. Enimuerò vbi vellicari ſe acriore quodam morſu aduerteret; familiare illi erat, flectere in ſeipſam oculos, atque indignã ſe complexu Numinis, ac cœli illecebris reputare: quo ſtatim faceſſere mœrorem omnem, ac tranquillari æſtum animi contingebat. Et quidem præcipua illi virtus; humilitas, quę in ipſo ſtatim aſpectu, habituque elucebat. Nam indumento nonniſi ex craſſiore panno vtebatur, reſpondebatque reliquus corporis cultus. Nullum illi iniucundius acroama, quàm ſuæ laudes. Semel cum famula, quæ Ricciardæ inſeruiret, paciſci Patrem contigit, qui id illi ingenuè: perſuaderet ſibi, haud quidem laborioſum ſubituram miniſterium; ſed deſtinatam pijſſimę puellę, quę in domeſtico Oratorio ſecum, & cùm Deo ſemper ageret. Quę poſtea Patris verba retulit illi famula: & quòd dilaudari à vitæ ſanctimonia videretur, mirum, quo ſenſu, motuque animi acceperit Ricciarda: ac tùm quidem: decipi Patrem, inquit: ſed mox illum conuenit; conceptiſque ſingulari modeſtia, ac quodam etiam ardore verbis, dolere ſe, ait, non ſatis eſſe Patri notam: ſciret, fallere ſolitudinem, ac receptum; ac ſe nulla ſubnixam virtute, ſcatere etiam vitijs: vereri autem, ſi pergeret illa affirmare, ne aliquod accideret eo nomine domi malum. Planè nonniſi ab intima quadam animi modeſtia, ſuiq. deiectione pronunciari hæc poterant.

Eius humilitas.

Porrò non affectus, ſtudiumque in filiam Patrem fefellit. Addictiſſima ſiquidem orationi ea erat. Summo mane ſurgere, atque ad lecti ſpondam prolixiùs orare: perſæpè nocte intempeſta precibus vacare: interdiù in eo, quod dixi, larario quà piorum librorum lectione, quà rerum cœleſtium commentationibus mentem exercere: cœlites, præcipuè Deiparam ſtatis orationibus conſalutare, ac prenſare. Ter in hebdomada Euchariſticum Chriſti Corpus in noſtra eccleſia vſurpare: ac tùm quidem arctiore ſui cuſtodia, abdicato rerum humanarum commercio, tota in diuinorum vſu, ac meditatione erat; cœloque frui videbatur. Cùm Redemptoris pœnas omnes intimè proſequeretur; tùm in eius præſertim vulnera principe ſtudio, ac deuotione ferebatur. Deguſtare veluti non vno in fonte venam incomparabilis cuiuſdam voluptatis, ſibi videbatur. Certum prætérea in ſuis anguſtiis perfugium in iis habere, ſibi perſuaſerat: tũ, ſi quid impetrare à Deo cuperet; ad vulnera, veluti ad ſcatebras gratiarum confugiebat. Atque ab iis quidem non vnum ſanè beneficium acceptum, referebat. Duo præſertim. Alterũ, tranquillitatem, pacemque bonæ mentis: alterum, mutatos Patris mores, vitamque frugi. Id quod impensè optauerat, atque à Chriſti vulneribus poſtulauerat: gratulata poſtmodũ nimio quidem opere; cùm illum frequentare ſacra, atq. vti noſtratum opera in expurganda conſcientia inſpexit. Beatum Andreã Auellinum, cuius iam per Italiam glieſcebat fama, ac ferebantur vulgò mirabilia, eximia colebat obſeruantia. Semel correpta graui morbo, eius reliquiarum attactu in-

Et precandi ſtudium.

Chriſti vulneribus addicta.

Et B. Andreæ Auellino.

vc-

veſtigio temporis à morbo conualuit. Suprema vitę linea hanc in virum ſanctum pietatem luculenter oſtendit. Enimuerò cū ſpiritum ageret, amiſeratque iam penè linguæ vſum, aduertit pendere ſibi è collo auream catenulam; ſtatimque Beato Seni addixit; iuſſitque, in eius imaginis ornatum impendi pretium. Hanc autem lectiſſimę Virginis pietatem pertimeſcere vehementer videbatur malus dæmō; & qui cerneret ad animorum ſalutem valere plurimùm eius preces, illas interturbare, illamque à charitatis operibus abſterrere, atque auertere conabatur. Semel, cū pro æterna aliquorum incolumitate Deo ex animo ſupplicaret, ecce tibi honeſta vir ſpecie, qui monuit, fruſtra preces illas eſſe, quando perorata iam cauſa, deſtinati Inferni ſuppliciis ii eſſent, pro quibus oraret. Commouit enimuerò Ricciardæ animum viri admonitio: ſed mox, agnita veteratoria verſutia, vehementiùs in preces incubuit, ac viſa impetraſſe, quod poſtulauerat. Iterùm, vt illam à diuinorum ſtudio, atque attentione metu quodā reuocaret, truci quadam ſpecie, extantibus pręſertim cornibus horribili, inſpiciendum ſe dedit. At tùm quidem ſupra indolem auſa Ricciarda eſt. Pauida ſiquidem natura cùm eſſet, inſpirari quid inſoliti impetus, ac vigoris ſenſit: arreptumque cornibus monſtrum, à ſe longiùs repulit. Quo factum, vt naturalis ille Ricciardæ pauor in quandam ſpirituum altitudinem abierit, ac nihil vnquam exindè timuerit; neque mortem ipſam, quam hilari quodam vultu, veluti ſummis illam votis cuperet, excepit. Annum vndevigeſimum non dum exceſſerat, cum correpta apoplexia eſt, quę cùm iterū, ac tertiò impreſſionem inſtauraſſet, conclamatū eius vitæ fuit. Muniri primū ritè ſacris: tùm curari corpus voluit. Ignem, ac cæteram in ſupremis eiuſmodi malis carnificinam mirum qua frontis, animique conſtantia admiſit. Conſuetas rerum diuinarum commentationes, ceu mentis altitudinem, ac ſerenitatem non attingeret morbus, nunquam vel in ipſa dolorum acerbitate prætermiſit. Quin affecta licet lingua, quæ voce concipiuntur preces, eo quo poterat modo, percurrere: imperabatque ſilentium, vt vacaret pietati attentiùs. Erepto deindè prorſùs linguæ officio, iacturam auribus compenſauit; impetrauitque nutu, vt de ſcripto legerent, quod ipſa libenter audiret. Planè veluti quædā ſupra cōmunem ſortē fœmina non tàm mori, quàm abire ad meliores videbatur, flagrante in vultu ipſo diuina charitate, quæ pectus occupauerat. Signum affixi in Cruce Redemptoris collocari ſibi ob oculos iuſſit: alterū manu tenebat, quod identidem exoſculabatur. Suſpendi præterea ad collum Beati Andreæ icunculam voluit; vt in eius etiam cōplexu, quem ex animo venerabatur, animam efflaret. Mirari noſtri homines conſtantiā fiduciam, diuinique amoris impetus in moribunda; qui & cœleſtibus etiam viſis dignatam illam in eo vitæ confinio affirmāt; ſed quòd à morbo omnino obmutuerat; quid cerneret, quidue deliciarum affundi animo contingeret, ſciri minimè poterat. Viſa aliquando in Chriſti è Cruce pendentis effigiem oculos conſtanti quodam obtutu conieciſſe, ac pia voce, affectuque inclamare; tùm conari, vt lecto ſurgeret, veluti obuiam cuipiam iret. Cuiuſmodi & alia à geſtu vultuque obſeruare erat, quibus adeſſe quid ſuperni luminis, ac gaudij commonſtrabat. Illud, ſuperante non dum morbo, ab ea expromptum. Ridere affatim cœpit, incomperta omninò lætitiæ cauſa in tanto malorum cumulo. Conſpicatus in intempeſtiuo eo riſu affuſionem quandam internæ voluptatis confeſſarius, interrogat, vnde ea vultus hilaritas? Ad hęc illa: obiectam ſibi citra omnem corporis formam quandam Auguſtiſſimæ Trinitatis ſpeciem, infinito quodam lumine circumfuſam: eoque obtutu vſque adeò lætitiam efferbuiſſe, vt contineri intra pectoris anguſtias minimè potuerit, quin eo ſe ſe riſu proderet. Rogauit propterea confeſſarium, vt ad vberiorem ſui conſolationem ſacrum ea die de Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio faceret. Sic gloriam anticipaſſe viſa eſt Riciarda, quam poſt paulò iniuit, exuta mortalitate die Ianuar. menſis vigeſima. Corpus in noſtram D. Mauritij ædem delatum, inſigni populorum concurſu, ac veneratione celebratum eſt. Exoſculari omnes certatim manus, ac pedes. Roſarios eius globulos, veluti piiſſimæ Virginis lipſana, impenſiùs efflagitare. Polixena Marchioniſſa Gonzaga, quæ illam ab eximiæ pietatis, ac ſanctimoniæ laude ſingulari quodam ſtudio adamauerat, excipi præclaras exuuias ſuo in Sacello voluit; vbi ſeorſim hodièque pij manes iacent. Nec deſunt, qui, exorata eius ope, impetraſſe à Deo bene-

ficia,

Supremo corripitur morbo

Eius in extrema vita pietas

Et viſi;

Piè moritur.

ficia, prędicent. At pauca hæc de innocentiſſima puella excepiſſe ſtylo ſat fuerit: vt, quę ſub noſtra diſciplina, ductuque olim vixit, viuat in noſtris hiſtorijs eius etiam pietas.

Proſper Farinacius moritur.

Sed antequàm ad noſtratum exequias deſcendat narratio, alia hic externi hominis, non quidem virtutum ſplendore, ac ſanctimoniæ fama, ſed literarum ſtudijs, ſcriptiſque librorum monumentis celeberrimi, perſtringenda mors eſt: nempè Proſperi Farinacij, de Cœſarij, Pontificijque iuris facultatibus, ac Romanis ſubſellijs, in quibus triumphauit, optimè, ac perquàm ſplendidè meriti. Appingimus noſtris cōmentarijs præclarum nomen, quòd ſtudioſiſſimus Ordinis, Inſtitutique noſtri fuerit vir egregius. In expianda conſcientia Michaeli noſtro Ghiſlerio, viro à ſcriptis etiam voluminibus celebri, operam dabat. Moriens filium, quem vnicum ſuſceperat, hęredem dixit: ita tamen, vt ſi is abſq. liberis exceſſiſſet, Quirinale D. Sylueſtri cœnobium fortunis ſuis ſuccederet. Quod & accidit, ceſsitque pietati, noſtræque inopię Farinacij patrimonium. Scripta item, quæ lucem nondum aſpexerant, noſtris legauit; quę mox veluti quid ab eius ingenij theſauro pretioſum, recondita in eiuſdem D. Sylueſtri tabulario fuere. Ex quibus poſtea, ne quid tanti Viri vigiliarum eruditos lateret, concinnata volumina duo, ac Romanis typis excepta, literatorum vſuræ prodiere, opera nimirùm, ac ſtudio, Zachariæ Paſqualigi ex noſtris, cui cū plurimùm debeat publica res literaria, quòd ſua cudat; tùm quod lucem alienis lucubrationibus fecerit, dignus planè non mediocri laude eſt. Iam, qui noſtris & bona, & ſtudia ex teſtamento reliquit, ijs etiam & oſſa, & cineres legauit, ac condi in eodem Quirinali templo voluit. Sepulchrum ſibi viuens exegit Pario, varioque marmore, ipſiuſque operis elegantia planè magnificum: extatque eius inibi vultus ad vnguem factus. Addita poſtmodùm monumento inſcriptio in hæc verba.

Eius in nos ſtudium.

Prodeunt in lucem eius opera Paſqualigi opera.

Oſſa Proſperi Farinacij I. C. Romani
Natus die 30. Octobris 1543.
Obijt ipſo die obeuntis anni 1618.

Adauget loci gratiam hic doctiſſimi Viri tumulus, cui ex altera quidem Eccleſię parte, in ipſo videlicet eius aditu, ad eandem prorsùs formam, ideamque operis reſpondet Federici Card. Cornelij, laudatiſſimi Principis, monumentum; quod illi Gregorius Quartusdecimus Pontifex teſtandæ in amiciſſimum caput beneuolentiæ faciendum curauit. Ornantque modò gemini hi tituli, ac præclara nomina ſacram hanc ędem.

Ludouicus Perſichellus Cremonę vita fungitur.

Ad domeſtica nunc è noſtratum cenſu funera calamum appellimus. Exceſſit hoc anno è viuis Ludouicus Perſichellus, Cremonenſis, dum D. Abundij cœnobium quartò regeret. Comitia, totiuſque Congregationis Interregnum ſuperiore anno cū laude procurauerat; ac geſtis pleriſque in Ordine Magiſtratibus, prudentiam adprobauerat ſuam. Regularis præſertim diſciplinæ tenax fuit. Nihil ipſe prætermittebat religioſi moris; ne verò quid alij de legum obſeruantia imminutum irent, non ſupercilio, ac cenſoria, vt aiunt, virgula, ſed manſuetudine ſingulari curabat. Inerat quippè viro ſuauitas quædam morum, ac ſupra omnem animi perturbationem, ac motū indoles. Quæ illi pietas, ac diuinorum ſenſus fuerit, abundè oſtendit libellus quidam aſcer cus, expoliendæ virtuti valdè accommodatus, quem compoſuit, ac luci dedit; de quo Ioſeph Brixianus in ſua excellentium virorum, ac fœminarum Cremonenſiū Corona hæc habet: Conſcripſit Ludouicus pio quodam ſpiritu commentariolum ſanè pulcherrimum, deuotiſq. viris oppidò gratum, cui titulus: Spirituale Conuiuiū meditationum, orationum, ac ſoliloquiorum, Cremonæ excuſum. Quod opus in pretio habetur, ac piorum manibus teritur, non mediocri planè cū fructu, qui indè decerpitur. Hæc ille. Diù etiam formandæ tyronū virtuti admotus Ludouicus fuit. Quod ſanè munus, vt eſt ex ſe grauiſſimum, ac complexionem quandam virtutum omnium poſtulat, ita ille inſigni cū morum prouentu, ac Theatinę obſeruantiæ incremento exercuit; quippè qui hac potiſſimū inſtituendæ indolis facultate valeret; peritia quidem rerum, ſolertia, ac zelo magiſter; charitate verò, facilitateque, ac be-

ne-

Libatur eius virtus.

neuolentia Pater. Inter has officiorum vices conſenuit Vir probus, atque optimè de Religione meritus die Septembris decima ſpiritum piè poſuit.

Auguſto verò menſe eiuſdem anni illachrymari ſui Præpoſiti funeri Mutinenſi familię contigerat: nempè Ioannis Pauli Maggioli, Genuenſis nobili loco viri ac non mediocri planè virtute, quàm extare hic breui elogio, æquum eſt. Cœteris mitiſſimi quidem ingenij, ac ſuauiſſimæ indolis Maggiolus, vni ſibi auſterior fuit. Corpus flagris ſtrenuè, interdũ ad ſanguinem accipiebat: cilicijs etiam aſſiduò mulctabat, quibus & cinctus ferreos, obuerſa lateri cuſpide, addere ſolitus erat. Cumulabat eiuſmodi aſperitatem abſtinentia, indictis ſibi ſtrictiore obſeruantia ieiunijs, quæ mira quadam ſolertia, ſicuti & cæteram corporis iniuriam, occultabat. Ab hac verò carnis, ac ſenſuum diſciplina expeditus illi ad diuinorum contemplationem ſpiritus. Additus vel maximè precum ſtudio, ita certa cũ alijs orationis ſpatia obire, vt alias item noctu commentationi horas ſeponeret: ac tùm quidem ſilentium ſuſpirijs abrumpere, ardoremque animi lachrymis vehementiùs accendere. Indicia hæc flagrantiſſimæ in Deum dilectionis, cui par in proximos charitas. Pauperes præſertim peculiari quadam commiſeratione complectebatur. Cùm præeſſet, hęc illi potior cura, vt foueret largiùs inopes. Ablegauerat à ſe pecuniam, nihil quippè facilius, quàm vt obuijs erogaret. Ad extremum paupertas, humilitas, candor vitæ, ac puritas, prudentia in rebus agendis, vt illi communnem omnium exiſtimationem, amoremque comparauerant, ita effecere poſtea, vt moleſtiſſima acciderit eius mors, ab œuo etiam immatura: quadrageſimum quippè ætatis annum non dum exceſſerat.

Io. Paulus Maggiolus diem extremum claudit.

Eius vitæ aſperitas.

Orationis ſtudium.

Charitas.

Acerbius ab annis Neapoli in Sanctorum Apoſtolorum domo funus ſub hoc idem tempus contigit, ſpectati moribus Iuuenis, qui quidem non diſſimulandus, veluti, qui dignari peculiari quodam fauore Numinis non ita multò ante obitum meruit. Fuit hic Thomas Muſcettula, nobili genere Tarentinus. Philoſophię operam dabat intra ætatis annum vigeſimum: ingenio quidem in diſciplinarum ſtudijs non mediocri, moribus certè ad omnem modeſtię, ac pietatis laudem conformatis, maturuiſſe iam in eo iuuentutis flore virtutem, indicabat; vt nihil mirum profectò fuerit, ſi flaua iam ad meſſem ſegete, immiſerit falcem mors. Id autem Andreas Molſeſius, qui adoleſcentum claſſi in ea tùm Sanctorum Apoſtolorum domo pręerat, de eo narrabat. Scilicet, ſemeſtri antequàm perfungi vita contingeret, inſolita quadam, dulciſſimaq. cordis cõpũctione affici cœpiſſe ex aſpectu imaginis, in qua puer Ieſus, ſuarũ inſtrumenta pœnarum ferens, infantiæ tyrocinium cruciamentis dedicabat cum hoc lemmate: In laboribus à iuuentute mea. Proſtabat icon hæc in ſacrario, in qua nunquam defigebat obtutus Muſcettula, quin vehementiſſimo quodam animi ſenſu commoueri à fundo pectus, ac ſcindi cor ſentiret: manabantque mox vberrimo fletu oculi; ac violentior planè erat impetus, quàm vt imperare ipſe ſibi, atque affectui ſuo poſſet. Quocirca vti frœno Molſeſium, qui ſpiritum moderabatur, oportuit: cauitque, ne imaginem, niſi certis vicibus aſpiceret; addiditque, vt quando ingentem illam cœleſtium deliciarum copiam indulſiſſet Deus, accommodaret viciſſim non mediocri cuidam ærumnæ, atque afflictationi animum. Sequuturæ nempè grandinis, procellæque non dubia quædam argumenta coruſcationes illas eſſe. Quod planè accidit. Correptus nanque tabe poſt paulò Muſcettula: ex qua medullis ſenſim exhauſtis, corruptiſque vi morbi, mortem obijt, eo quidem ſenſu pietatis, ac vitæ melioris deſiderio, vt nullus non certò affirmauerit, ſtatim à morte patuiſſe pijſſimo Iuueni cœlum.

Thomas Muſcettula moritur.

Parentauimus & duobus item viris præclari nominis inter noſtrates. Alteri quidem Florentiæ ſuperiore anno, hoc eſt, Ioanni Paulo Fornario Genuenſi: alteri verò inſequenti mox anno Neapoli in Sanctorum item Apoſtolorum domo, nempè Andreæ Molſeſio, quem modò nominaui. Fornarius præter ſuæ gentis claritudinem, peculiarem quandam ſibi ab animi dotibus nobilitatem, ac ſplendorem fecit. Ingenij laude, ac doctrinarum ſubſidijs ſpectatus. Philoſophiam, ac ſcholaſticam, vt vocant, Theologiam non ſemel tradidit. Romę præſertim ſcholas diù habuit ſingulari cum Theatinæ eruditionis incremento. Floruit & ſacræ itidem eloquentiæ fama. Princi-

Io. Paulus Fornarius abit ad pauciores.

Eius eruditio.

piò comptior illi oratio; elucebatque in elegantia, delectuque verborum quidam ſupra communem modum dictionis cultus, ac ſtudium: ſed, quę eſt in hac dicendi palęſtra ab ætate, vſuque mutatio, viſa mox omnem illam eloquentiæ lætitiam, ac venuſtatem depaſci pietas; totuſque poſtea in fugandis vitijs, non in ſucanda oratione Fornarius fuit. Declamanti plauſere præcipuæ Italiæ Ciuitates, quę certatim virũ facundiſſimum expetiuere. Valuit & peculiari quadam in regendis familijs facultate: ac viſæ in illum confluxiſſe partes eæ omnes, quæ eximiũ Rectorem conſtituũt; conſilij maturitas, ac pondus, morum grauitas, diſciplinæ zelus, benignitas, charitas: conciliabatque ipſa oris ſpecies reuerentiam. Murinæ morabatur, inclytæ Eſtenſium domui gratioſus, & Iſabellæ Sabaudæ Infanti à confeſſionibus, cui vt morem gereret, abrumpere maiorum nutu cœptam Panormitanæ domus præfecturã, oportuit, vti aliàs commemoraui. Sed Romam ad Paulum Pontificem Quintum ab iis Principibus allegatus, dum, re benè geſta, reuertitur Auguſto menſe, alieno nimirũ anni tempore, exhauſtus ardentiſſimo ſole, Florentiæ à febri decubuit: morboque ingraueſcente, eximia cum pietatis ſignificatione, animique conſtantia migrauit è vita, non mediocri ſanè cum Ordinis incommodo, ac Sabaudæ ſenſu, quæ nacta eius doctrinæ, ac prudentię virum, permiſerat illi rem animę omnem, regebatque eius ductu vitam, ac mores.

Et eloquentia,

Et prudentia,

An. Dom. 1620 Andreas Molfeſius diem obit ſuum.

Alter, quem dixi, exceſſiſſe ab humanis inſequenti mox anno huius ſeculi vigeſimo, fuit Andreas Molfeſius, vtroque iure conſultiſſimus, atque à ſuis literarum monumentis apprimè notus, qui ita cũ ſtudijs pietatem innexuit, vt totus eſſe in terendis, lucubrandiſque voluminibus, totus item in rerum diuinarum exercitio videri poſſet. Franciſcus Boluitus, vir ex noſtris eruditus, eius quandam veluti imaginẽ, ſuo ſtylo ſcitè delineatam, alteri Theologicę eius Summæ Parti, quæ poſthuma eſt, ſpectandam appoſuit. Quædam inde excerpenda, vt Molfeſij vultus noſtra etiam exprimat hiſtoria. Natus Ripę Candidæ, quod eſt Melfienſis Diœceſis Oppidum, copioſis parentibus. Ingenium, quos deindè in diſciplinarum ſpatijs progreſſus habuit, ſtatim promiſit docilitate quadam, facilitateque memorię ſupra puerum. Præclaros adoleſcentuli mores, florentemque pręſertim in omnem ſtudiorum ſpem indolem contemplatus Epiſcopus, adhortari illum, vt tranſcribi in clericos vellet. Quòd dum neque nutu, neque renutu excipit, conſulere non tàm Patrem, qui genuerat, quàm Dei Matrem, quæ adoptauerat, ſtatuit. Scilicet, vel ab ipſa infantia Beatiſſimæ ſe ſe Virginis clientelę matura quadam animi deliberatione commiſerat: quod ſanè in ea ætate mirum, quæ raro, & nonniſi peculiari quodam afflatu Numinis, concipere eiuſmodi pietatis impetus ſolet. Igitur magnæ Matris conſilium ad eius aram demiſſus in genua explorat. Nec mora: imperio quodam ad Clericalis vitæ inſtitutum impelli intimè ſenſit: vt non dubiè quidem agnoſceret, ſuperiorem quãdam vim, ac præſens Mariani Numinis patrocinium adeſſe. Clericatu initiatus, Neapoli cum ea, quã dixi, ingenij facultate contendit: abſoluitque iuriſprudentiæ curſum eximio cum doctrinarum prouentu; donatus ritè, ac publico plauſu ea laurea. Ardens, quà laudis, quà lucri ſtudio Iuuenis emicuit illicò in forũ, cauſiſq. perorandis locare operam, ac vigilias cœpit. Grauiſſimum ſanè, ac plenum aleæ inſtitutum; à quo fuit, qui illum diuino quodam monitu non poſt multò reuocaret. Enimuerò cũ ſemel in quodam bibliopolio libros, vt moris eſt, euolueret vnà cũ Thoma Pellicciono, quocum illi à ſtudiorum, morumque ſimilitudine vnanimis quædam familiaritas intercesſerat; adfuit commodũ Andreas Auellinus, qui par iuuenum conſpicatus, ac forenſem eos puluerem decurrere cùm cognouiſſet, temperare ſibi minimè potuit, quin aduocatorum pericula, forique charybdim, ac ſyrtes aperiret; idque eo dicendi impetu, vt alter, nempè Pelliccionus ab eo negotiorum ęſtu in portum ſe ſe Religionis aſſeruerit; Molfeſius verò cauſarum patrocinium ablegauerit, non ſine ipſius Auellini prædictione, fore nempè, vt & ipſe etiam regularem diſciplinam complecteretur. Sed tùm quidem mutata velificatione, cathedram conſcendit, atque interpretari Cœſareas, ac Pontificias leges publicè inſtituit, ab ea capeſſendi religioſi inſtituti mente vſque adeò alienus, vt auellere ab eo ſtatu ſodalem etiam contenderit. Quod tamen non modò non bellè cecidit; verùm etiam præclaro quodam di-

Patria, ac indoles,

A puero in Dei Matrem pietas,

Et ſtudia.

Auellini efficax adhortatio.

Thomas Pelliccionus Religionem capeſſit.

uinæ

Digitized by Google

uitæ ſapientiæ conſilio captus ipſe ab eo eſt. Siquidem cùm ad Diuæ Mariæ Angelorum, vbi tyrocinium ponebat Pelliccionus, ea mente acceſſiſſet Molſeſius, vt illum à propoſito deturbaret, abſtraheretque, veluti à ſinu matris, affundi quandam animo lucem ſenſit, qua hinc rerum humanarum luſum, ac nugas, hinc diuinorum pretium, ac regularis præſertim ſtatus præſtantiam vidit: ſtatimque triumphaſſe diuinã gratiam, aduertit; ingenerato peracri quodam religioſi habitus deſiderio, quod cùm ferre diutiùs nequiret, adderetq. ſtimulos amiciſſimi capitis exemplum, nihil prius habuit, quàm, abrupta ſecularis vitæ conſuetudine, aggregari ad noſtros. Petit: ſed germani fratris morte, veluti reflante quodam vento, auulſus ab eo portu eſt, quem iam tangere videbatur. Biennium domeſticæ eæ curæ tenuere: quo vereri maximè cœpit, ne ab diuturniore ea mora conſilium Patres mutaſſent. Ergo implorandam conſuetam, certamq. Deiparæ opem ſtatuit. Maturaret nempè ipſa negotium, conciliaretque ſibi Patrum animos, quando ſciret moræ cauſam, conſtantemque in eo propoſito ſuam mentem. Dum ad eius imaginem impensè orat, viſus ſibi Virginis vocem audire, quæ diceret. Ingredere Religionem hanc, fili, adero ipſa, nec abnuent Patres. Perfundi intimo quodam voluptatis ſenſu Molſeſius; & qui tantæ Matris in ſe beneuolentiam vſu nouerat, adſpiraſſe iam illam ſuis votis, pro certo habuit. Quod euentus mox probauit. Siquidem cũ Præpoſitus non ita beneuolum erga ipſum geſtaret animum, eiuſque ſententia magni eſſet apud cœteros momenti, ac ponderis, mutari ex improuiſo, ac fauere viſus eſt: collatiſque mox Patres votis, ſecundiſſima ſuffragatione in Ordinem Molſeſium adoptarunt. Nec defuit, quod hic literis tradam, memoratu dignum. Dictus nanque excipiendo viro egregio dies Martij ſeptimus fuit, inclyto Eccleſiæ Doctori Thomæ Aquinati ſacer: quo die cùm ad eius arã intimè oraret Religionis candidatus, ſic illum alloqui Diuus viſus eſt: Hilari animo in hanc Sodalitatem ingredere. Implebit te ſapientia Dominus. Sed tu interim da operam, vt vacuum te ipſum reddas. Hiſce Deiparæ, ac D. Thomæ inuitamentis nomen Ordini dedit, reſponditque adamuſſim ardori, quo admitti perijt, ſingulari quodam expoliendæ virtutis ſtudio. Iam, qui erat ſciendi percupidus, atque ad omnem eruditionem factus, natu licet grandior, percurrere nihilominùs Philoſophiæ, ac Sacræ Theologiæ ſpatia voluit. Et, vt ſe ſe artes bonæ, ac ſcientiæ iuuant, viſus Molſeſius ab hac doctrinarum acceſſione neſcio quid in ſacrorum Canonum, legumque ciuiliũ ſtudijs & peſpicaciç, ac ponderis in rerum diſquiſitione, delectuque ſententiarum, & in explicando facilitatis, ac copiæ acquiſiniſſe. Quicquid in communi diſciplina tẽporis ſupererat, ſcriptioni, ac commentarijs lucubrandis dabat. Et cuius iam in vulgus manauerat ingenij, ac literarum fama, confluebant in grauiſſimis controuerſijs ad illum proceres, ac viri etiam docti. Quibus in conſultationibus, quòd ex vna quidem parte eruditiſſimum, atque acri quidem iudicio illum ſcirent; ex altera verò extra partium ſtudia, ſuique præſertim commodi labem eſſet, mirum quanta cũ approbatione, ac laude excipi eius vota, ac decreta contingeret. Porrò non ea illi corporis habitudo, ac firmitas, quæ flagrantiſſimo ingenio, ac diuturnis vigilijs par eſſet. Lenta atque aſſidua penè tentari febricula conſueuerat. A ſanguinis item excretione laborabat; quo nihil in ſtudiorum contentione moleſtius. Attamen ſuperare morborum pertinaciam ardore quodam ſupra vires contendebat: & qui negata vehementiùs cupimus, aduerſç valetudinis obiectu excreſcere animi vigor videbatur; ac veluti ad cotem exacui. In ſtudijs autem vrgendis ita multus erat, vt nihil detractum quotidianæ pietati vellet. Orationi præſertim addictiſſimus, non adeò abripi ſe ab eo literatum guſtu ſinebat, quin in eo mentis exercitio pluſculum quotidiè temporis inſumeret. In quo quidem contemplationis vſu affici plerumq. ſuauiſſimè conſueuerat, atque illabi tũ quidem in animum diuinas quaſdam illecebras, atque illuſtrationes ſuſpirijs, voce, atque ipſo oris habitu indicabat: planè contra quam ſtudioſis viris accidat, qui cùm toti in intellectus exercitatione ſint, rarò piis eiuſmodi affectionibus, quæ irrigant, inflammantque voluntatem, aditum præbent: vt in ſit plerũque viris doctis plus lucis, minùs ardoris. Quibus etiam cùm minimum ab eruditis occupationibus temporis ſuperſit, neque virtutibus indipiſcendis, excolendiſque nimiũ vacant. Id quod nullus de Molſeſio affirmauerit qui & quæ intellectum, & quæ mo-

Et acceptatur, auſpice Dei Matre,

Acceſſitque D. Thomę Aquinatis hortamentum,

Eius ſtudiorũ fama,

Coniuncta cũ ſtudiis pietas.

mores erudiunt, virtutes æquè complecti videbatur. Religionem aduerſùs Sanctos, præcipuè in Deiparam, quam non aliò, quàm Matris nomine appellabat, in primis coluit. Modeſtiæ, ſuique demiſſioni peculiari quodā ſtudio addictus: vt nihil æquè auerſaretur, quàm à ſua eruditione famam, ac decus. In affecta corporis valetudine patientiſſimus. Tolerantia, non quęſitis ab arte remedijs, morbos perſanabat; niſi quòd ex obedientiæ legibus remitti aliquando communis vitæ rigorem, oporteret. Paupertatem nihil in cella quęſitioris cultus, ac ſuppellectilis probabat. Caſtimonia, ac mentis candor ita illi ad cor, vt illibatam corporis integritatem, floremque virginitatis ad mortem vſque ſeruauerit. Quod & confeſſario aliquando ingenuè aperuit, ac faſſus prętetea eſt in ipſo extremæ vitę articulo. Percenſere & alia virtutis nomina mittimus, ac ſatis fuerit de eo poſtremò affirmare, in viro inter literarum, ac pietatis ſtudia occupatiſſimo, nihil penè fuiſſe, quod quotidiana ſui cenſura emendaret.

Mortem ſibi prænunciat

Et piè obit.

Atque hiſce quidem vitæ rationibus reſpondit ſubindè mors. Anno ætatis ſexto, & quadrageſimo correptus febri, in ipſo ſtatim decubitu viſus præſcio quodam animi ſenſu ſupremum diem diuinaſſe. Dilertè ſiquidem pronnnciauit, aduentaſſe iam horam, quæ curſum mortalitatis abrumperet. Intendente ſe vi morbi, hoc illi ſolatium, magnę Matris nomen frequentiùs appellare; ac pias quaſdam cantiunculas, quas ipſemet, temperandis aliquando ſtudijs ſeuerioribus, compoſuerat modulari. Quod cū pridiè antequàm vita excederet, feciſſet, imitari ſupremo eo cantu cycnū, viſus eſt, quem eximię puritatis candore, vti ſignificatum eſt, exprimebat. Poſtridiè anniuerſariæ lucis Beati Patris noſtri Caietani expirauit; poſtquam procuratus inſigni quadam pietate ſacris, fidei profeſſinnem ſemel, ac iterum emiſerit, ac Religionis vota ſæpiùs inſtaurauerit.

Eius literarū monumenta.

Quæ vir doctiſſimus lucubrauit, ac luci dedit, ſunt Commentatiorum in Conſuetudines Neapolitanas volumina duo; quibus additum Franciſci Boluiti opera tertium poſthumum. Et Promptuarium triplicis iuris, ſiue Summæ Theologicæ tomi duo. Quæ verò lucem non dum aſpexere, extantque in Neapolitana Sanctorum Apoſtolorum bibliotheca M. S. ſunt, Expoſitio Bullæ in Cœna Dom. Quæſtiones iuriſdictionales: Tractatus de Reſtitutione, de Cenſuris, de Iudicijs, de Epiſcopis, de Regularibus, de Immunitate Eccleſiaſtica, de Alienatione bonorum Eccleſiæ: Conſilia quoque in Ciuili, Canonica, & morali materia penè innumera. Quæ quidem etſi limam, ſecundaſque adhuc curas poſtulant, adaugerent nihilominùs non minimùm rem literariam, ſi publici iuris fierent. Nam & à magnis ingeniis fragmenta etiam, atque analecta ſtudiorum in pretio habentur.

Et de iis iudicium.

Porrò de ratione ſcribendi Andreæ Molfeſii apud viros doctos iudicium eſto; quorum communis ea eſt ſententia; vt citra dictionis paraturam, nihil ſit eius ſcriptis doctius preſſius, robuſtius. Conſtitutiones Neapolitanæ quo excepte plauſu fuerint, teſtantur Neapolitana ipſa ſubſellia, in quibus afferri aliquando Molfeſiani Commentarii iubentur, vt qui iuridicundo præſunt, ſententiam ad certi cuiuſdam iudicij ideam forment.

Michael Ayoſſa moritur.

Sed hactenùs de Molfeſio, in Sanctorum Apoſtolorum domo hoc anno depoſito: in qua non ita multò ante mortalitatem exuerat Michael Ayoſſa, è Patriciorum ordine Neapolitanus, vir planè non vulgaris ingenii. Theologiam ſemel, ac iterùm profeſſus, eximiam inter noſtrates, ac exteros doctrinarum famam collegerat. Hanc verò præſtantium diſciplinarum eruditionem cum eloquentię ſtudio mire nexuit: Valuit præſertim in Diuorum laudibus perorandis: ineratque beata quędam copia, ac dictio, non quidem quæſita operoſiùs, aut aduecta longiùs purpura, ad ſeculi guſtum an libidinem ? fucatior: ſed natiuo quodam flore elegans, ac decenter fuſa ad caſtigatæ orationis numerum: quam cū & oris dignitas, & quædam etiam à geſtu concinnitas commendaret, nihil erat Ayoſſa in dicendo gratius; quod concionum celebritas, ac ſumma ipſa mortalium capita frequentiſſimo theatro, plauſuque Neapoli teſtabantur.

Eius eloquentia.

Extant orationes eius quatuordecim, quæ planè oſtendunt, non tam dicentis pronunciatione, quàm ipſo ſui contextu, ac facundiæ gratia auditorum aures, ac animos tenuiſſe. Nec ſanè luculentiùs optimi Oratoris teſtimonium, quàm ſi eius oratio, & accidat auribus iucunda, ſi dicat; & legentes deindè oblectet citra theatrum, atque illecebram vocis. In medio ipſo ętatis curſu deceſſit vir doctus æ-

què,

què, ac probus. Pleraque meditabatur diſciplinarum monumenta, quæ fatum abrupit. Orationes, quas dixi, Antonius Ayoſſa germanus frater, poſthumæ fratris famæ vindex luci dedit. Qui quidem prçſtanti & ipſe ingenio noſtrum Ordinem ſuis ſtudijs erudijt, ornauitque. Nam cũ diù etiam noſtratibus ſcientias tradidiſſet, iuuandç poſtmodũ typis ſuis communi eruditioni ſe contulit, illuſtrauitque doctiſſimis, ac ſpiſſis planè commentarijs naturalem, ſacramque Philoſophiam. Ac primò quidem Auguſtiſſimæ Trinitatis diſputationes iuſto volumine complexus, ordine, copia, atque admirabili quadam ſubtilitate ita in difficillimo opere verſatur, vt omno tuliſſe punctum vidari poſſit: quarum quidem vigiliarum exiſtimatione celebre eſt in Hiſpaniæ Academijs Ayoſſç nomen. Phyſicam deindè Ariſtotelis aggreſſus, duobus illam voluminibus explicauit, ac manu teritur. Scripſit & in primam D. Thomæ partem Commentaria, quæ typos propè diem imbuent: cùm interim & alia expoliat, cudatque ad rei literariç incrementum, ac decus. Quæ libaſſe de Antonio, Michaelis fratre, ſat fuerit.

Antonii Ayoſſæ eruditio

Quçrendi modò extra Ordinem Clerici Regulares, qui in Infulis diem ſuum ſub id tempus clauſerint: vt impleant ipſi ſuo nomine, ac rerum geſtarum laude Ordinis faſtos. Atque hoc quidem anno Septembri menſe exceſſit è viuis Thomas Sãfelicius, Neapolitanus, genere, ac ingenio nobilis, Montiſpeluſij Epiſcopus, poſtquã eius Cathedram quinquennium adminiſtraſſet, eo quidem formãdæ communis diſciplinæ ſtudio, zeloque amplificandi diuini cultus, vt dignus omninò ſuo munere, atque eius Infulæ procuratione videri poſſet. Gallipoli verò in Salentinis, quæ eſt ſub Hydruntino Archiepiſcopatu Ciuitas, diem obiit ſuum Vincentius Capycius, Neapolitanus, qui anno, vti alibi ſignificatum eſt, exacti ſeculi quinto, & nonageſimo admotus iis curis, annos omninò ſex, & viginti æquali quodam tenore vitæ, ac ſumma cum auctoritate, zeloque Ecclaſiaſticç rei temperauit. Ejus ſi priuatam virtutẽ, ac nondũ Antiſtitis mores ſpectes, vir fuit religioſi inſtituti apprimè tenax, legumque noſtrarum ad vnguem ſeruantiſſimus. Modeſtiam, ac grauitatem egregiè miſcuit, quas elucere in ſui cultu, omnique vitæ actu voluit. Literarum ſtudia complexus, in morali præſertim diſciplina eximios progreſſus habuit. Prudentiam denique, charitatemque in domorum noſtrarum rectione inſigniter probauit; vt tranſlatus poſtea ad animorũ procurationem, ſpem fecerit, fore, vt optimè Dei Eccleſiam adminiſtraret, qui ſciuerat ſuç domui cum laude præeſſe: quod Apoſtoli argumentum fuit. Et verò, qui ſingulari cũm omnium opprobatione Gallipolitanum Sacerdotium capeſſiuit, rexit poſtea ea cum Eccleſiaſtici muneris dignitate, ſuarumque ouium prouentu; vt numerari inter præclaros è noſtro Ordina Antiſtites optimo iure poſſit. Illud autem ad excellentem viri laudem facit, quòd vigeat adhuc triginta omninò poſt annos, ex quo axceſſit, eius memoria, perindè atque ſi recèns obiiſſet. Narrabat ſiquidem noſtris vir quidam Patricius Neapolitanus, qui Prætorem eius Vrbis non ita pridem egerat, nihil ibi hodieque vſurpari frequentiùs, quàm Capycii nomen, ſolertiam, auctoritatem, regendi artea, ordinationes, pietatem. Publicus quidam parens, non modò ſuç Vrbis, ſed Prouinciç totius videbatur. Proceres, Dynaſtæ, Regijque Adminiſtri nihil inconſulto Epiſcopo Gallipolitano aggredi. Si quid enatum controuerſiæ fuiſſet, ipſe dirimere, communis omnium interpres, ac arbiter. Hanc verò omnium beneuolentiam, ac opinionem conciliauerat ſibi ſolidæ cuiuſdã prudentiæ vſu, ac ſingulari morum, animique integritate; tùm ſtudio, quo ſuis ouibus aduigilabat: pietate item in egenos, in quos ſanè munificus; vt appellari eorum Pater meritò poſſet: poſtremò ipſa vitæ ratione, regulari omninò diſciplinæ conſentanea. Enimuerò ita Antiſtitem cum Clerico Regulari coniunxerat; vt ſimul & in publicis curis homo religioſus, & Antiſtes in religioſa quadam viuendi forma videri poſſet. Ad Infulæ dignitatem quædam honeſtè inſtructa conclauia patere adeuntibus, voluit: cœterùm cellulam ſibi ad Theatinum morem, noſtris, videlicet, non ampliorem, conſtruendam curauerat, in qua curta omninò ſupellex, ac breuior ad eandem, ſcilicet, Theatinam amuſſim, lectulus, in quo cubabat. Decet nempè religioſum virum, vt ſuum inſtitutum, moderationem, frugalemque cultum in ipſo ſui muneris ſplendore, quoad fieri poteſt, retineat. Extitit inde maior quædam reuerentia,

Thomas Sanſelicius Montiſpeluſii Epiſcopus moritur.

Et Vincentius Capycius Epiſcopus Gallipolitanus.

Eius in Ordine virtus.

Et in Infulis mores.

Digitized by Google

tia, ac honor. Contra verò, qui in ſecularem quandam pompam degenerant, næ illi non impunè attenti communique ſenſu, ac peracri lingua plectuntur. Sed Capycio breui hoc elogio parentaſſe, ſufficiat, cui publico luctu, ac lachrymis peracerbis perſoluerunt iuſta ſui Ciues.

Par alterum inſignium è noſtratibus Præſulum intra hoc triennium abijt ad pauciores, quorum huc virtutem diſtulimus enarrandam, vbi & aliorum Antiſtitum funera expoſuimus. Fuere hi Paulus Toloſa Archiepiſcopus Theatinus, celebrioris vir famæ, ac facundiæ, qui anno huius ſeculi decimo octauo die Octobris menſis tertia Theates occubuit: & Hieronymus Pignatellus, quem aliàs memini, Archiepiſcopus Roſſani, qui eodem anno exeunte, die Decembris vigeſima ſecunda ſua in Sede è vita migrauit. De Paulo Toloſa ſparſim multa, ac præclara pro temporis ratione explicata in hoc opere fuere, quæ non hic reponenda. Quæ ſuum non dum locum habuere, veluti breuis quędam lacinia, appingi hic poſtulant. Natus in prædiuite domo, educatuſque vnà cũ Marcello fratre ſatis liberaliter fuit. Vultus, ac forma ſupra communem elegantiam honeſtiſſimo Iuueni floruit; perdurauitque oris gratia ad ſupremam vſque ætatem. Tentari proinde inſignem eius caſtimoniam aliquando contigit. Semel Bononiæ cũ humaniorum literarum ſtudijs in ipſo flore æui incumberet, procacis fœminæ impetum ſtrenuè luſit. Et quòd probè ſciret, in eiuſmodi pugnis fugæ conſilium maximè valere; vt pulcherrimæ virtutis incolumitati tutiùs conſuleret, Bononiam, atque inſtitutum inibi bonarum artium curſum deſerere, obnitentibus licet ſuis, ſtatuit: Romamque contendit, vbi poſt paulò cooptari inter noſtros voluit. Iterùm, adultæ iam formæ, votæq. caſtitati adornatæ inſidię, ſubiitq. periculoſiorem longè aleam à non vulgaris quidem conditionis fœmina. Enimuerò cùm diceret iam ad concionem, nullibi vernare pulchriùs, quam dixi, oris venuſtas, quàm in ſuggeſtu videbatur; à cõcinna, videlicet, declamantis pronunciatione, à motu, geſtuque, qui vultum ſuauiſſimè inflammabat, atque ab ipſo mortalium plauſu, qui addere neſcio quid pretij, gratięque, vt dictioni, ita dicenti videri poterat. Ergo quæ abardore concionum inflammari ad pietatem debuit nobilis fœmina, profanum ignem ebibit. Nec mora: decumbere à morbo ſimulat, quæ amota iam mente, intimè ęgrotabat: nempè, vt adiret officii gratia Toloſa, atque interim aperiret ipſa clandeſtinum vulnus, ac malum. Ad mulieris ingenium, ac dolum expalluit vir caſtiſſimus, atque horrore quodam præſentiſſimæ luis, dicto citiùs, feſe indè proripuit; didicitque periculoſiorem interdùm morbi ſpeciem eſſe, quàm morbum ipſum. Studuit verò vſque adeò caſtimoniæ Toloſa, vt ſingulari Dei beneficio libari integritatem, floremque corporis nunquam contigerit. Id quòd religioſi vir nominis, qui eius erat à ſacris confeſſionibus, excuſſeratque conſcientiam eius omnem, teſtatus ex fide eſt. Quo fortaſſe nomine Beatus Andreas Auellinus, qui ſuperiore quodam lumine valebat, fuitque præclarę eius virtutis ſtudioſiſſimus, illum vnicè dilexit; non modò dum inter noſtros ageret: verùm etiam & poſtquàm euectus ad Epiſcopalẽ cathedrã fuit. Geſtire, exultare bonus Senex videbatur, quoties aut cerneret, aut dicentem è ſuperiore loco, Toloſã audiret. Adire ipſum ſolitus erat, commendare, abblandiri: monere etiam, ac reprehendere, ſi fortè in dicendo aberraſſet à ſcopo, aut nimia elegantia peccaſſet. Ter in die pro eo fundere preces cõſueuerat: ſemel pro Epiſcopo; iterùm pro inſigni Eccleſiaſte; tertiò pro Clerico Regulari. Illud planè admirandum, ac inſolens, quod Boluitus noſter narrat. Receptum nempè cœlo Auellinum, ſolitum fuiſſe oſtendere Toloſæ manus, quas ille exoſculari ſumma olim veneratione conſueuerat. Quòd ſi quid noxæ admiſiſſet Præſul, ſubtrahebat, veluti indignatus, ea die illecebram Senex, quam, expiata ſubindè labecula, reſtituebat: agnoſcebatque piiſſimus cliens beneuolentiæ nunquàm intermortuæ certum in eius manibus pignus. Habuit autem Toloſa, vnde grates publicè ſolueret amantiſſimo Seni. Enimuerò, euulgata Andreæ ſanctitate, ac concitata in illum piorum religione, qui primus de inſigni eius virtute, morumque innocentia, recurrente anniuerſaria eius die, tertio non ampliùs à morte anno, ad populum dixerit, ipſe fuit, qui quòd non dum tutò explicari in eius laudationem vela, ac tranari liberè excellentium decorum pelagus poſſet, ita legere littus, viſus eſt, vt

Pauli Toloſæ funus.

Tentata eius caſtitas, ſemel

Ac iterum.

Virgineus illi ad mortem candor.

B. Andreæ per carus Toloſa.

In Vit. B. Andr. lib. 2. c. 11

Et quem primus ad concionem laudat.

Digitized by Google

vt quid eſſet Oceani enauigandum, planè oſtenderit. Nec facilè dictu eſt, quàm ſecundè aſpirauerit concio viro eloquentiſſimo, dum Andreæ encomium adumbraret, nouamque eam mercem, Neapolitanis auribus gratiſſimam, extruderet.

Iam verò, de reliquis eius vitæ rationibus pauca adhuc excerpenda. In orationis ſtudio multus fuit, cùm religioſus, tùm maximè Antiſtes: cùm pernecesſarias ſibi preces, affirmabat adminiſtrandis Inſulæ curis, accurandęque communi ſuarum ouiũ ſaluti. Corpus, ne fortè in animum calcitraret, cohibere ſeueriore quodam imperio contendebat: vrgebatque potiſſimùm flagris vſque ad ſanguinem. Retulit nanq; is ipſe confeſſarius, qui teſtatus eius virginitatem eſt, Bouini ſolitum fuiſſe, ſingulis noctibus ſe ſe verberibus inceſſere, quoad manaret vbertim cruor. Statis Eccleſię ieiuniis & alia attendę carni adiungebat; in quotidiano victu, ac reliquo ſui cultu frugaliſſimus. Genium verò ita fraudabat, vt quod gulæ, voluptatique ſubtraheret, refectio pauperum eſſet. In eo ſiquidem totus erat, ne eſurirent Chriſti pauperes, *Precipuè in pauperes charitas.* quorum eſſe Patrem, perſuaſum habebat, commonſtrabatque aperta ſemper iis domo, ac penu. Inita Bouinenſi Cathedra, habuit ipſemet conſequentibus mox Quadrageſimæ feriis quotidianas ad populum conciones, quibus ingenti cum fructu abſolutis, monitos Ciuitatis Rectores voluit, haud par eſſe, fraudari ſe operæ pretio; & quando ipſe ęquè, ac cœteri verbi Dei præcones in eo Euãgelii curſu deſudaſſet, contingeret æque ipſi laborum fructus, & merces. Igitur, quòd & dignitas, & præſtantiſſima dicendi facultas ſpectanda in eo fuit, affertur longe amplior ſolito eleemoſyna. Nec mora: iuſſis illicò adeſſe Ciuitatis pauperibus, diſtributa illis ad aſſem pecunia. Quo ſanè viſus non animorum modo ſalutis ſed corporum etiam inopię ſubleuandæ aſſidua dicendi contentione ea Quadrageſima laboraſſe. Illud etiam flagrantis in pauperes charitatis documentum. Roma Neapolim peruenerat ſumma hyeme; rogabantque ſui, ſubſiſteret tantiſper in Patria, mitiore nempè cœlo, quoad remitteret ſeſe anni rigor. Apage, inquit ille: vehementer me egenorum amor vrget: & quando certò ſcio, enectos fame, ac frigore, temporis, cœlique inclementia plus nimio diuexari, adeſſe Patris prouidentiam oportet, quę neceſſitati præſenti ope conſulat. Hac mente abſceſſit: ſed non antequàm plures è craſſiore panno tunicas confici iuſſerit, quibus inſtructa abundè aduersùs hyemem, ac gelu egeſtas Bouinenſis fuit: agnouitque ſtatim Ciuitas cùm ab iis tunicis, veluti à paternæ charitatis inſignibus, ac teſſera, tùm à cœtera in pauperes pietate amantiſſimum Epiſcopum, ac Parentem publicum aduentaſſe. Coniectari hinc facilè poteſt Bouinenſium & in tantum Antiſtitem ſtudium, quandiù hærere inibi contigit; & mœror, cũ mutata Sede, in Theatinum Sacerdotium immigrauit. Expoſui hoc alibi. Et quod ad ſecundas haſce curas attinet, viſus profectò grauiore licet æuo, robuſtas attuliſſe nouæ procurationi vires: aggreſſus vegeta quadam animi indole, ſtudioque publicę pietatis incitatiſſimo Eccleſiaſticam rem omnem, diuinumque cultum ordinare, conformatis Cleri moribus, erectiſque amplificandę religioni piis aliquot ea in Vrbe operibus. In *Morti ſe comparat.* ijs vigilijs non diù quidem vixit: conſtans verò apud omnes fama obtinuit, inſtructum diuino quodam monitu, mortem ſibi prædiuinaſſe. Enimuerò cũ peracri podagræ morbo diuexatus, lecto attineretur, veſpere antequàm excederet, vocari Generalem Vicarium voluit, iuſſitque apparari ad matutinum miſſę ſacrum ritè omnia, cui ipſe intereſſet, atque extremum Chriſti Domini Viaticum ſumeret. Adeſſe nempè in foribus lethum; ac fore, vt inſequente mox veſpere fato concederet. Subriſit Vicarius, quòd nulla tùm vis morbi eiuſmodi metum intentaret. At paruit: ſucceſſitque altera dies, & vti prædixerat, veſpertinis horis mors; quam veluti ſummis votis *Quã piè obit.* expetiuiſſet, viſus conformato ad quandam hilaritatem vultu, atque ad omnem pietatem animo, placidiſſimè obiuiſſe. Expirauitque pręſtantiſſimus non modò ſacrorum, ſed & Chriſtianæ eloquentiæ Antiſtes, quocum ſolida illa, neruoſa, ardens, ac frugifera prorsùs facundia extincta penitùs videri potuit. Celebratum ritè funus, in quo nulla ſplendidior pompa, quã communis luctus, ac peracerbæ pauperum querimoniæ. Ductæ item Neapoli in Paulina domo, vbi allatum eſt, Toloſam exceſſiſſe, exequię inſigni omnium ordinum accurſu; perorauitque Placidus Mitus ex noſtris, qui cũ nonnihil ex eius diſciplina hauſiſſet facundiæ, ac artis, debuit publica ea cõ-

men-

mendatione Magiſtrum è ſuperiore loco dilaudare, ac dare ſacro cineri eloquentiæ ſuæ flores. Corpus in principe templo ſepultum: ſed aliquot poſt annis cùm eam Prouinciam Carolus Sanſeuerinus Claramontis Comes, Toloſæ conſanguineus, adminiſtraret, petente Aloyſio Sanſeuerino, Biſiniani Principe, Caroli fratre, tranſlatum Neapolim eſt, atque in noſtro Sanctorum Apoſtolorum cœmeterio conditum. Superiore verò anno nono ſupra quſdrageſimum voluentis ſeculi Ludouicus Antinorus, quem aliàs memini, præeratque tũ cœnobio, iacere non eo, quo par erat, honore magnum Cinerem, indignum putans; tumulum conſpicuo in eiuſdem cœmeterii loco adornandum pro modo curauit, appoſita inſcriptione, quæ Viri nomen, virtutemque breui elogio explicaret. Atque hæc de Paulo Toloſa.

Hieronymi Pignatelli Roſſani Archiep. mors.

Alia nunc recenſenda virtus Infulata, nempè Hieronymi Pignatelli, Archiepiſcopi Roſſani, quem eodem cum Theatino Archiepiſcopo anno migraſſe è vita, dixi. Planè ſi verum id eſt, quod vnanimis Sanctorum Patrum conſenſus tradit; nempè, quòd is demũ ſacra præfectura dignus eſt, qui ad illam trahitur inuitus; vel ex eo promeruiſſe Inſulam Pignatellus, viſus eſt, quòd rationum momentis, auctoritate, ac penè vi quadam cogendus ad illam capeſſendam fuit. Quam ita poſtea procurauit, vt adæquaſſe vigilantia, zelo, æquitate, vitæ innocentia, ac ſanctitate præſtantiſſimos quoſque Antiſtites dici meritò poſſit. Certè Roſſani duo hodièque eius Vrbis Archiepiſcopi ſupra cęteros linguis omnium celebrantur; Lucius Sanſeuerinus, poſtea Archiepiſcopus Salernitanus, & Cardinalis; & Hieronymus Pignatellus, qui ſucceſſit. Qui quidem, vt ſanguine coniunctiſſimi: nam conſobrini fratres erant, ita citra purpuram, ſimiles omninò videri poterant, morum nempè laude, exemplíſque virtutũ.

Inter præcipuos eius Eccleſiæ Antiſtites.

Et Lucius quidem Sanſeuerinus is fuit, vt priùs communi mortalium ſuffragatione, quã Romani Pontificis iudicio, nutuque adoptatus inter ampliſſimos Patres fuerit. Vir planè à vitæ innocentia, ab incomparabili candore animi, ab indolis facilitate, ab excellenti quodam genere prudentiæ, vſuque rerum, ab egregio in rem Chriſtianam ſtudio longè commendatiſſimus, quem lux illa purpuræ oſtendit magnum, non fecit; futurum quidem Maximum, niſi publicis votis interceſſiſſet fatũ.

Lucii Card. Sãſeuerini elogiũ

Cum hoc igitur ampliſſimo viro ęqua veluti fronte, ac gradu incedere Pignatellum; vt vnum, idemque de vtroque iudicium ferat hominum fama, ponendum enimuerò in eximia eius laude eſt. Iam, vt ſingularem Viri virtutem, vitæque actus delibet calamus, vtendum teſtimonio hic eſt Ioannis Baptiſtę Lillij, viri probi, Seniſij Archipresbyteri, qui quatuor omninò annos, quoad Hieronymus Roſſanenſes illas curas temperauit, eius à cubiculo fuit; conſignauitque publicis poſtea tabulis, quę ipſe de ſui Antiſtitis moribus nouerat. Extat penes nos autographum, ex quo hæc curſim excerpimus.

Illud in eo primum: ſcilicet tuendæ, amplificandęque Eccleſię ſuæ ſtudium, & quędam in rectione animorum curarum contentio. Commendata hęc ſuę fidei cũ ſciret, in iucundiſſimis reputaſſet, condecorare munus ſuo ſanguine; vitamque pro incolumitate, ac conſeruatione ſuarum ouium profundere. Hinc non hyemes, ac fœda imbribus tempora, non ęſtus formidare, quominùs aliorum paſſim neceſſitati vrgente nimirùm zelo, atque officij munere, adeſſet. Quoties Chriſti Domini Corpus afferri ægrotantibus contingebat, pluuio licet cœlo, aut flagrante, ſequi ipſe, atque ad decumbentes deducere; quorum & excipiebat ipſe perlæpè confeſſiones: nec adhortari modò ad tolerantiam, ac verbo tenùs conſolari, verùm etiam præſenti ope, manuque iuuare, ſolitus erat. Pecuniam ſiquidem, bellaria, & quicquid pietas, ac morbus poſcerent, abundè ſufficiebat. Nec ſemel acceſſiſſe ſatis erat; iterùm, ac ſępè inuiſebat. Singulis præſertim infirmis ſingulos presbyteros deſtinabat; vt ſupremæ neceſſitati cohortationibus, opportuniſque adiumentis præſto eſſent. Quod verò ad pœnitentiæ Sacramentum attinet, non ægrotis duntaxat hoc aurium officiũ præſtabat: ſed paſſim omnibus. Aderat nanque in Eccleſia cuique obuius, Quadrageſimæ præſertim ferijs, in quibus ad eiuſmodi animarum aucupium inſigni quadam conſtantia perſtabat; in auſcultandis, expiandiſque mortalium noxis patientiſſimus: quòd vſu quidem cognoſceret, priuata ad aures monita ad morum conformationẽ valere plurimùm. Cultum verò ſacrorum vt ordinatè, ac concinnè perageretur in

Hieronymi in procuratione animorum ſedulitas.

Ec-

Digitized by Google

Eccleſia, in primis curabat. Nihil non ad quandam elegantiam, ſiuè in ſacro inſtrumento, ſiuè in ceremoniarum vſu, peritiaque adminiſtrorum, ſiuè in munditia nitoreque templi perduxit. Pſalmodiæ, quam obire per hebdomadas, ac vices Clerus ſolitus eſt, aderat alternis hebdomadis Antiſtes, velut vnus è cœteris: matutinis quidem horis cũ æſtate, tùm hyeme ſummo mane: tùm reliquo ſtatis horis communi choro, ac ſolennibus ſacris. Qua quidem ſui præſentia, aſpectuque momentò grauẽ quandam, decentemque cùm in cantum modulationem, tùm in canentes modeſtiam inuexit. Monebat ſiquidem exemplo, voce, nutibus, vt diuinum opus persãctè tractarent, Scilicet, nihil eſt, quod in canentium multitudinem, choroſque irrepat faciliùs, quàm quædam à celeritate confuſio, atque incondita mixtura vocum: cùm nihil peragi aptiùs, ac concinniùs debeat, quàm publicum hoc pſallendi munus, quod perennem illam beatarum mentium hymnodiam in terris repręſentat, Atque in hoc quidem totus fuit Pignatellus: vt non modò Roſſani, ſed & in reliqua Diœceſi, cùm nullam non diuini cultus partem egregiè reſtituerit, tùm hunc præcipuè canendi ritum reformaret; ſuamque Odèo dignitatem aſſeteret. Porrò, quę potior eſt Antiſtitum cura, nempè ſacrarum Virginum diſciplina, ac mores, mirum quo illa ſtudio recognoſcere, atque inſtaurare viſus ſit. Quæ eſt temporum labes, ſubſediſſe legum obſeruantia in Clariſſarum Cœnobio, videri poterat. Nihil penè veteris inſtituti, ac normę in eo reliquum erat: dilapſum paupertatis, & communis vitæ ſtudium; eademque penẽ omnibus morum laxitas.

Sanctimonialiũ diſciplinã reſtituit,

Planè cũ de ſanctimonialibus agitur, non exiguum opus, ac labor eſt, ad frugem illas corrigere, vbi res poſtulat. Reſpuit ſeueriorem manum conditio, & ſexus; ac ſuis etiam ſe ſe clatris muniunt, ne in fines ſuos tranſiliat nimius rigor. At Pignatello, conſilium à prudentia, ac tempore dum capit, res bellè cecidit. Piis nanque adhortationibus, atque aſſidua regularis diſciplinæ commendatione; tùm quibuſdam identidem ordinationibus, facto nimirùm à facilioribus gradu, ita ad Inſtituti ſui amorem Virgines inflammauit, vt acceperint breui frœnum, redijtque collegio ſuum decus, ac ſanctitas. Maior fortaſſe adhibenda ſedulitas fuit in altero Pœnitentium mulierum contubernio, in quibus à praua olim conſuetudine pronior in libertatem gradus; ac nihil facilius, quàm ſuũ illas redire ad ingenium. At cum his etiam feliciter ceſſit induſtria.

Eius clementia.

Siquidem, vbi non amplius regula, ac norma viuendi, ſed paſſim licentia, ac ſuum cuique pro lege arbitrium; altera mox facie inducta: viſus refloreſcere, qui languerat pietatis, ac pudicitiæ cultus. In hac verò communi morum cenſura ita ſe ſe mortalium conditioni, infirmitatique attemperabat, vt comitate plerumque, ac clementia rem conficeret: proceſſitque agendi hæc ratio: adeò vt plures perſanauerit lenta Antiſtitis manus, quorum à ferro vulnus recruduiſſet At enimuerò vbi contemni mitiora conſilia, ac valeſcere benignitate licentiam, ac ſcelera aduerteret, nihil eius zelo in vindicanda contumacia acrius.

Et in tempore acrimonia,

Non officia, non preces ſeueritatem minuere, aut tenacem propoſiti mentem flectere. Roſſani quoſdam è Clericorum cenſu reperit proiectæ omninò audaciæ, quibus veluti quædam accederet ab habitu, tonſuraque impunitas, nihil Eccleſiaſtici, Chriſtianique moris inerat. Cultus, veſtis, opera ſicarijs, quem Clerico propiota: miſcere diſſidiis Vrbem: nihil non ſibi vindicare armis: viſi profectò hoc ſibi propoſuiſſe, vt publicæ tranquillitati malè eſſet. Perrumpere hanc turbulentiſſimorum hominum aciem nullus æquè, ac Pignatellus poterar, quem zeli rigor, ac ardor armabat. Ergò non monitis, verbiſque de more byſſinis: ſed fulmine inſurgere: hos carcere, illos exilio mulctare: quoſdam interdictione ſacrorum vrgere, omnes ferro, ac igne inſectati. Breuique pars eruditi ſuo malo, in mores alios immigrarunt, pars exuere clericos, aut aliò faceſſere viſi ſunt. Quo defuncta inreſtina ea lue Ciuiras, frui pace cœpit: factumque etiam eſt, vt pleraſque inter ciues diſcordias, quas factioſa ea Clericorum manus fouebat, trahebatque, componi contigerit. Eandem hanc robuſti pectoris conſtantiam objiciebat, quoties de Eccleſiaſtico iure, libertateque agebatur. Hęc illi pręcipua ſui ſacerdotij cura, ſacrorum dignitatem, ac patrimoniũ tueri; propugnabatque eo quidem vigore animi, vt nulla, aut auctoritate, aut formidine dimoueri de gradu poſſet. Exarſitque pręſertim in aliquot è ſuæ Diœceſis Dynaſtis; quos, intentato, conceptoque anathemate, vſque adeò terruit, vt quæ occupa-

uerant Eccleſiarum bona, ac iura illicò reſtituerint. Quo quidem tuendæ, ac vindicandæ Eccleſiaſticæ rei ſtudio cùm ſui Sacerdotij prouentus, tùm alios per Roſſanenſem Diœceſim cenſus viſus, non modicum amplificaſſe.

In pauperes mirancè pius.

Hæc ille in procuranda re communi, atque in alienę diſciplinæ inſtitutione, cùm ſuos interim mores ita ad omnem virtutem conformaret, vt nullus omninò eſſet, qui plures in Antiſtite, ac religioſo viro partes deſideraret. Nihil in publico Parente ſpectabilius, quàm in egenos charitas, quę eminere in Pignatello, videbatur. Magnam ſiquidem ſuorum vectigalium partem profundere largiùs in eorum neceſſitates, magno in quęſtu ponebat. Non obuios modò, aut adeuntes quotidiana ſtipe iuuare, ſed eos potiſſimùm peruestigare ſolitus erat, quos ita premeret rei domeſticæ difficultas, vt natalium honeſtas, ac pudor efferre extra lares pedem, atq. emendicare hoſtiatim non fineret. Horum inopiam, ac diſtrictam verecundiæ legibus neceſſitatem munificentior pietas ſubleuabat. Religioſis iram familijs adeſſe, fouere; cùm quibus & diſcumbere ipſe frequenter, importata, videlicet, annona, conſueuerat; cũ alioqui nunquam penè religioſis viris vacaret eius menſa: quę quidem frugalior, ſed aliquando nulla.

Eius abſtinentia.

Siquidem bis in hebdomada, die Mercurij, ac ſabbato, arctiſſimo ieiunio, pane ſcilicet, & frigida corpus macerabat. In rerum diuinarum contemplatione aſſiduus, quatuor fermè horas huic mentis exercitationi quotidiè dabat. Quicquid deindè ab ipſa, ac publicis occupationibus temporis ſupererat, ſtudijs impendebat, quæ ad multam plerumque noctem continuabat. Lectulo ad Theatinam omninò formam ſine conopęo, atque vna inſtrato culcitra, cubabat; breuiſque illi, & quæ vix reparandis viribus ſufficeret, quies. Illud ad corporis afflictationem planè aſperũ:

Oratio

gemino, videlicet, cilicio interdiù, noctùque conſtringi: alterũ tunicæ in modum pectus, ac humeros complectebatur; alterum latioris inſtar cinguli latera circumcingebat, admordebatque. Hoc illi familiare induſiũ, quo & atterere nudum corpus, & cõpenſare externæ Inſulæ dignitatem, lucemque ſolitus erat. Qui vt ſui Ordinis inſtitutis Antiſtitem etiam inſiſtere, nec obſeruatos diù mores aliqua ex parte commutaſſe, oſtenderet, radi barbam, genamque in communem morem nunquã permiſit, tonſoria forfice Theatino ritu contentus. Affectum hunc porrò, ſtudiumque regularis

Vitæ aſperitas

diſciplinæ ita nunquam exuere viſus eſt, vt nihil expeteret ardentiùs, quàm, abdicata Roſſanenſi ea Sede, ſuę Sodalitati, religioſæque conſuetudini poſtliminiò reſtitui. Nec verbo tenùs ea vota. Nam Romam ea ſuper re literas non ſemel dedit: cumque conſilium minùs probarent Auguſti Patres; quòd ſciret, nihil eſſe, quod nõ euinceret tractu temporis cõſtantia, atque infimę preces, poſtulationem perſępè inſtaurabat: impetraſſetque niſi exuere priùs mortalitatem contigiſſet. Ad extremum inſpicienda optimi Antiſtitis familia eſt, quã exprimere profectò bonos mores, oportuit, quando tã propè eſſet idea illa virtutum. Et verò, qui ſumma ope nitebatur, vt prauæ Ciuium

Religionem iterũ cogitat.

conſuetudines ſtirpitùs euellerentur, id maximè curabat; ne familiares ſui exorbitarent; ac deſiderari in ijs videretur, quod in alijs peroptabat. Singularis omnibus modeſtia, ac pietas inerat. Nihil vnquam inter ipſos diſcordiarum; nihil cũ exteris diſſidij. Singulis diebus feſtis conſcientiam expiare, atque Euchariſticum epulum vnà ſumere, iubebatur. Sexta feria vnà cum Archiepiſcopo Sodalitium ad ſpiritus exercitationem, vitęque formam inſtitutum, adibant. Perſancti inibi cœtus, ac virtutis æmulandæ ardor; imponebatque operi finem pia verberatio, qua ſe quiſque, ac noxas ſuas acriter mulctabat. Planè non tàm Antiſtitis famulitium, quàm Religioſorum familia videri homines poſſent, qui ijs morum legibus, cultuque diſciplinæ continebantur: erantque & Domino ſuo laudi, qui ſic inſtrueret; & reliquis exemplo, quos componeret ea omnium modeſtia, ac vitæ ratio. Inſigni cum induſtriæ laude commendatam ſibi Eccleſiam procurabat Hieronymus Pignatellus, cùm grauiſſimo correptus morbo, adeſſe ſupremum diem ſenſit. Nihil viro piiſſimo faciliùs, quàm ad mortem componi; & qui defungi publicis iis curis magnoperè cupiebat; cumulari vota, gratulatus eſt, nempè quòd cum munere vita etiam defungeretur.

Supremum diem claudit

Ergo febre inualeſcente, expiari ritè ſacris voluit; ac mox integris ad vltimum penè ſpiritum ſenſibus, incredibili cum ardore pietatis animam exhalauit. Conſequutus ingens Roſſanenſium mœror, quòd quæ affulſerat præſtantiſſimi viri

vir;

Digitized by Google

virtus, etepta adeò breui fuerit: creſcebatque indè ſenſus, quòd vix ſpetare ſimilem poſſent.

At enimuerò ſucceſſere hoc triennio Inſulis Inſulæ, euocatis ad Eccleſiarum regimen alijs è noſtratibus, qui pergerent vigilijs ſuis demereri publicam rem Chriſtianam. Et anno quidem labentis ſeculi duodeuigeſimo Pauli V. Maximi Pontificis deſtinatione euaſit in Sarnenſem Epiſcopum Stephanus Solis Caſtelblancus, Hiſpanus genere, Patria Neapolitanus; adnitente potiſſimùm Petro à Caſtro, Lemenſium Comite, qui honeſtari ea dignitate virum cùm primis ſtuduit, quem nouerat muneri peridoneum. Expoliuerat is grauioribus literarum ſtudijs animum: addictuſque proximorum ſaluti, ac commodis, habendis potiſſimùm concionibus non mediocri cum eloquentiæ laude operam dabat: & accedebat facundiæ exiſtimatio, ac fides à diſciplina morum, ac regularis obſeruantiæ cultu. Moderabatur Sarnenſi Eccleſiæ Antonius Aquinas, vir & inclyti generis claritudine, & Ladislai germani fratris purpura, & ſuę maximè virtutis, ac doctrinarum præſtantia cum paucis ſpectatus, quem transferri eo anno in Tarentinum Sacerdotium, opulentum id quidem, ac ſplendidum, cùm contigiſſet, ſucceſſit muneri Caſtelblancus. Præiuiſſe tanti nominis Antiſtitem non minimo quidem incitamento illi fuit, vt ſuam in ea prouincia adminiſtranda induſtriam, ac fidem æqua laude probaret. Ac viſus profectò peculiari quodam Numinis beneficio contigiſſe illi Eccleſię Epiſcopum, qui eius commoda, ſplendoremque, tùm diuini cultus incrementa, communemque religionem ita accurauit, vt nullus planè ſuperiorum in eo Antiſtitum diligentiam, zelum, munificentiam deſideraret. Percenſenda hic ſtrictim eius opera, ex publicis nempè ſcriptorum monumentis, quæ in eius Eccleſię tabulatio aſſeruantur; idque ingenuè quidem, non vt viuentis adhuc Epiſcopi auribus hoc laudum lenocinio ſeruiam; ſed ne hac rerum narratione poſteritatem, noſtraſque hiſtorias fraudem. Ac primò quidem, quam præceſſores Prætules de Pompejana mola aquaria inſtituerant litem, profligata ſingulari eius contentione, ac ſtudio eſt; declaratumque à Regijs, ad Epiſcopum Sarnenſem pertinere Ius aquæ. Quo ſanè adaucti non mediocriter eius Eccleſię prouentus. Epiſcopales ædes ab aliis inchoatas, ad ſummam Ipſe manum perduxit; nec commoditati modò, verùm & cuidam etiam ſplendori noua conclauium acceſſione conſuluit. Principem Eccleſiam non modico planè ſumptu à fundamentis exædificauit, expolitamque ad vnguem, ſolenni ritu conſecrauit: dedicata in ſummo eius faſtigio pulcherrimi quidem operis ſtatua è marmore inclyto cœleſtis militiæ vexillifero, Michaeli Archangelo, templi, ac Vrbis Tutelari. Canonicorum Ordinem, vt numero, ita & cultu adauxit. Nam vt Apoſtolorum Collegium repræſentarent, duos inſuper addidit; eorùmque inſignia (almutiam vocant) ad decentiorem quandam formam perduxit; Ad hæc, pſalmodiæ dignitati Odéum inſtruxit, ſubſelliis ad omnem elegantiam hinc inde adornatis. Illud ad Inſulæ ſuæ decus opportiſſimum. Mos obtinuerat, vt quæ publicæ obiri per Vrbem ſupplicationes ſolent, initium, gradumque ab aliis Eccleſiis, non à primario templo facerent: quod Epiſcopo indecorum: quippè vt agmen ipſe impleret, aliò ſe ſe transferre, & contra quàm Sacerdotii gradus poſceret, conuenire multitudinem oportebat. Ergò vti ipſe auctoritate. Sed prouocatum ad Romana iudicia cum eſſet, re ſtrenuè propugnata, tulit Romæ palmam: decretùmque, vt niſi à principe Eccleſia ſolenni ritu agmina non ducerentur. Præterea ſanctimonialium commodo, ac diſciplinæ conſuluit; Translato ſiquidem in Epiſcopi poteſtatem Mariano ſacrarum Virginum collegio, quod à Gratiis nominant, moribus primùm, regularique obſeruantiæ cauit; tùm laxato ad Vrbis mœnia loci ſitu, vt horti accederent, & qua carebat, aquarum perennitas, curauit. Montes duos, alterum ad mortalium, ad mortuorū alterum opem, ac ſubſidium excitatum, fauſtè inchoauit. Et defunctorum quidem monti Sodalitium certis inſtitutis, ac legibus attexuit, eandemque illi tutelam voluit, quę eſt publica Ciuitatis; nempè Angelorum Principem, Michaelem. Laborantem vetuſtate D. Matthæi eccleſiam reſtituendam curauit: presbyterium, vt vocant, chorum, ſacrarium illi addidit; auxitque, quod inibi eſt, Canonicorum collegium. Magnæ Matris baſilicam, cui à Fuce nomen, populorum religione percelebrē,

Euocatur ad Sarnenſe Sacerdotiū Stephanus Caſtelblācus.

Eius in cōmunebonum curæ, ac opera.

Veſuuiana clade obrutam, elegantiorem in formam inſtaurauit; excitatis item piorum ſtipe cellulis in Minoritarum è Franciſcana familia vſum, qui inibi degunt. Templum inclyto Protomartyri Stephano à fundo etiam inchoauerat: ſed ędificii rudimentum eadem illa vicini montis eruptio abſtulit. Hæc in Eccleſiæ ſuæ dignitatem, vtilitatemque Caſtelblancus, qui ſui etiam, ſuorumque manium memor, miſſæ Sacrificia pro ſe quotannis, poſtquam fato conceſſerit, perſoluenda, legato fundo, præſcripſit. Nempè nemo prudens ita externa vnquam curauerit, vt ſua negligat.

Dominicus Ridolphus Epiſcopus Vritanus.

Ad annum in quo ſtylo verſamur, nempè ſeculi vigeſimum redimus: in quo duo ad Epiſcopatum euecti: alter Dominicus Ridolphus fuit, Neapolitanus, vir bonus, quē Petrus Gironus, Dux Oſſunenſium, Neapolitanus Prorex, ea beneuolentia, ſtudioque complexus eſt, vt nominari à Philippo Tertio ad Vritanum Sacerdotium petierit, ac impetrauerit. Is autem authoratus eo gradu, ac deuexa admodum ætate in eas curas ingreſſus, pręter quandam indolis, morumque probitatem, quam ſuis ouibus egregiè adprobauit, impar ferendo grauiſſimo oneri videri potuit: quod tamen decennium tulit, ac propè octuagenarius Neapoli anno huius ſeculi trigeſimo die Iulii menſis quintadecima deſiit eſſe inter homines, ſepultuſque eſt cum noſtratibus in Diuæ Mariæ Angelorum cœmeterio, è cuius cœnobio euocatus ad Infulam fuerat.

Paulus Areſius Derthonenſi Eccleſiæ pręficitur

Ad Paulum Areſium conuertitur modò narratio: alterum nempè, qui in Epiſcopū hoc anno euaſit, Pauli V. Maximi Pontificis deſtinatione: adnitente pręſertim Iulio Areſio, germano fratre, viro clariſſimo, quem eximia literatura, atque inſignis rerū agendarum peritia ad ſummum Mediolanenſis Senatus magiſtratum euexere. Is affectu, ſtudioque in fratrem ita in eius virtutem, honoremque incubuit, vt vacua mox Derthonenſi Cathedra, impetrauerit, vt præficeretur illi Paulus: cui nihil tū quidem acerbius; vt qui literarum ſtudiis, animique tranquillitati nihil æquè infenſum eſſe nouerat, quàm publicam Eccleſiæ procurationem: nec temperare ſibi vlla ratione potuit, quominus literas ad illum, querelarum plenas daret, quòd innutritum religioſæ diſciplinæ, ac ſtudiis virū, à ſuo inſtituto reuocauerit. Et obfirmauerat quidem animum, optimam partem, quam ſemel elegerat, recuſata honoris Infula, retinere: ſed

Quo animi ſenſu

ea fuit grauiſſimorum virorum apud ipſum auctoritas, atque à rationum momentis arietatio, vt dederit tandem manus; valuitque illa præſertim perſuaſio; quòd qui id honoris nullo pacto affectaſſe ſe, ſciret, vocatus à Deo tanquam Aaron videri poſſet: atque adeò piaculum fore, non ſtatim diuinæ huic voluntati obtemperare. Planè quantū Derthonenſi Eccleſiæ acceſſit à viro præſtantiſſimo ſplendoris, ac pręſidii, tātū vila attuliſſe incommodi noſtro Ordini eius inauguratio. Nunquam enim ſine communis rei iactura à religioſa quapiam familia excellens virtus aliò immigrauerit. Quis autem fuerit Paulus Areſius, quàm profunda, variaque vir eruditione, quā virtutis, ac pietatis laude excelleret, opportunum hic exponere. Id quod eleganter quidem, ac copioſè proſequutus eſt Paulus Sfondratus, vir ex noſtratibus æquè nobilis, ac eruditus; adornata de Areſii vita narratione, quam in Apocalypſim Velitationibus, quod poſthumum eſt eius opus, præfixit. Excerpenda hinc aliqua, quæ præclari Antiſtitis partes, opeſque animi repręſentent. Mediolani natus, & genus, & Patriam claram habuit. Emicuit ſtatim in puero quædam animi indoles, quæ facta ad om-

Dat Religioni nomen.

nem ingenii, morumque laudem videbatur; pollicita Viri cum eruditionem, tùm virtutem, veluti in flore. Sortitus animam bonam, ne qua tenerum pectus inficeret labes, non diù ſeculo hæſit. Siquidem intra adoleſcentiam nomen noſtræ Sodalitati dedit; poſuitque tyrocinium eo quidem diſciplinę ſtudio, vt inſignis modeſtia, ac pietas magiſtro admirationi, ſodalibus documento eſſet. Quod ex certi cuiuſdam ingenii id ætatis ſpecimen daret, capere egregii adoleſcentis experimentum voluit Paulus Toloſa, ſępè memoratus, qui Quadrageſimæ eius anni feriis dixerat in noſtra D.

Præclarū ingenii ſpecimē.

Antonii baſilica ad multitudinem, tuleratque conſenſu, concuſuque omnium punctum, ac palmam. Is igitur vt à tumultuaria quadam oratione, textuque extemporaneæ dictionis viuidę mentis indolem, captumque memorię cognoſceret, Areſiū, tyronem adhuc, iuſſit, poſtero mane concionem ad menſam habere. Non-

tem-

temporis anguſtiam excuſare Paulus, non iudicia, conſpectumque Patrum formidare, ac detrectare imperium. Emicat in tempore in ſuggeſtum incredibili ſui fiducia; ac pręterquamquòd moratus adoleſcenti ſermo, ac nulla dicendi infantia, id omnium planè aures, animoſque admiratione ſuſpendit; nam quas in dies ſingulos à Toloſa conciones audiuerat, collectas pulcherrimè in arctum, ſingulari facundia, ac ordine, tùm egregia quadam vi memoriæ ad vnam omnes percurrit. Monſtri ſimilis viſa res Patribus, deprædicante potiſſimùm Toloſa pubeſcentis declamatoris facultatem, qui egregium Ordini ornamentum vehementer eſt gratulatus. Hæc autem rudimenta ingenij, communemque opinionem, ingreſſus in diſciplinarum ſubindè ſpatia Areſius, minimè fefellit: probauitque ſtatim omnibus, quantum ſcientijs arripiendis capacitatis, atque acuminis attuliſſet. Pręceptorem in Theologicis habuit Paulum Mariam Ardizzonum, quem aliàs dixi, quà ſacræ eloquentię, quà doctrinarum fama celebrem per Italiam fuiſſe: augebatque Viri æſtimationem, quòd captus licet ab incunabulis oculorum lumine in tantum ſcientiarum, ac facundiæ ſplendorem euaſiſſet. Is itaque verſatiſſimus licet in ſacræ Philoſophiæ diſciplina, ac planè ſummus; nihilo tamen minùs neſcio quid formidare ab Areſij argumentis, eiuſque intelligentiæ veluti pharetra in ſchola videbatur. Quocirca interrogatus aliquando, cur ſolito prolixiùs, atque intentiùs ſtudio vacaret: Areſij, inquit, peracuta vis mentis contentionem hanc poſtulat: profligandis nempè eius obiectis acrior quędam, atque vberior afferenda eruditio eſt. Qua ſanè à tanti nominis magiſtro teſtificatione nihil ad diſcipuli laudem luculentius. Qui quidem emiſſus vix gymnaſio, docere ipſe è ſuperiore loco cœpit. Philoſophiam ſemel, ac iterum profeſſus, Theologiam deindè Neapoli, ac Romæ diù cum plauſu explicauit. Viſus profectò ſubtilitate, copia, methodo inter noſtrates dominari: cùm interim ſuſpicerent doctiſſimum virum exteri, illumque in difficillimis quæſtionibus conſulerent; atque abundè ijs eſſet, ſtare pro ſe Areſium. Planè cùm à Sanctorum Patrum, ſummorumque Philoſophorum, ac Theologorum, pręcipuè D. Thomæ orbita minimè deflecteret, ſuo tamen marte, que erat eius in veri indagatione contentio, pleraque, quę poſtea excellentium virorum iudicia comprobarunt, excogitauit.

Pauli Mariæ Ardizzoni de Areſij acumine iudicium.

Porrò cum in eiuſmodi ſcholaſtico puluere totus eſſet, non eam tamen ſtudiorum partem voluit prætermiſiſſe, quæ proximorum compendium; ac fructum ſpectat. Etenim in mores hominum publica voce inſtituendos impetu quodam incubuit: ac declamantem audiuere præcipua Italiæ templa, nunquam ſine eruditiorum hominum theatro, prouentuque animorum. Planè, quod ad naturę dotes, & gratiam attinet, non ijs admodùm inſtructus videri Areſius poterat. Sed quod oratorum ſummo, nempè Demoſtheni, contigit, vincere pertinaci quadam induſtria; atque exercitatione, quæ inerant impedimenta, ſtuduit. Et quamquàm non id aſſequutus eſt, vt feliciſſimè peroraret: pronuntiationem nihilominùs, omnemque actuoſum corporis motum, ac geſtum ſupplere oratio non vulgaris quidem ſaporis, præſtantiſque artis, ac neruorum plena, videbatur. Quocirca in alijs numerare, in Areſio expendere erat auditorum capita. Scilicet, cùm non latera, non ardor quidam dicendi, ac ſumma vox ſuppeteret viro; vulgus, à quo frequentia, & numerus, & qui capi externa potius actione, quàm rationibus, atque æquabili, ſolidaque eloquentia, ſolet; abhorrere ab ea dictione videbatur, cui doctiſſimi quique, ac religioſi nominis viri certatim plaudebant; probabantque in ea inſignem quandam eruditionem, perſpicuitatem, ordinem, virilemque, ac citra pompam, verborumque laciniam ornatum. Nempè egregiam in hac facultate dicendi operam collocauerat: nec ſibi dũtaxat, ſed aliorũ etiam formandę eloquentię deſeruire vigilias ſuas voluerat, edito volumine verè aureo, cui titulus, Ars rectè concionandi. Quo quidem id omninò effecit, vt quę forenſi, profanæque olim facundiæ præceptiones ſuas ſcribebat Rhetorica, traducta in templorum adyta, inductaque religione, ſacros ad inuidiam priſci æui fingeret oratores. Et quidẽ erudito ab hoc opere intelligi facilè poterit, an appoſitè ad rem animorum loqueretur è ſuperiore loco Areſius, qui non omnes modò eloquentię articulos nouerat, verùm etiam quicquid vnquam tradidere priſci Rhetores

Dat ſacris concionibus operam.

Eius in dicendo facultas.

Artem concionandi conſcribit, euulgatque.

incre-

incredibili quodam ſtudio, copiaque, ac ſubtilitate complexus, nouam quandam
in Chriſtianę dictionis vſum inuexerit dicendi artem: in qua quidem dilaudanda
non ipſe nimius fuerim; cùm ipſa ſe ſe abundè probet viris doctis, ac paſſim ab iis
omni laudum genere commendetur. Sed huiuſce me operis editio vocat iterum
ad Areſii ingenium. Pretium nanque eſt, cùm reliqua eius ſtudia, tùm ſcriptorum
Eius ſtudia. monumenta, quę luci dedit, recognoſcere. Enimuerò pręter ſcholaſticas facultates,
quas modò dixi, nullum diſciplinarum, ac literarum genus eſt, quod non ipſe con-
tentione quadam, ardoreque ſciendi vorauerit. Diuino verbo ſcripto, quòd in hoc
potiſſimùm verſari Euangelicus concionator, ac Theologus debet, inſignem quan-
dam operam, ac ſtudium nauauit. Gręcos deindè, latinoſque Patres omnes ita per-
currit, vt eorum dicta, ac ſententias memoria, qua penè ad miraculum valebat, ad
vnguem retineret. Moralis Philoſopdię præceptiones; tùm de Chriſtiani officii, mo-
rumque legibus materias in promptu habebat. Ad hæc, quicquid vſpiam hiſtoriarũ,
exacti, noſtrique æui, ſiue gentium illę fuerint, ſiue rerum naturalium, ſacrę, aut pro-
fanæ ſeriò percurrerat; poſtremò quaſdam etiam ſcientias, arteſque ab inſtituto licet
alienas, quòd nõnihil ſcriptionẽ iuuarent, ac nõ mediocri ornamẽto eſſent, libatas ſal-
tẽ voluit. Hinc multiplex, ac varia in eius ſcriptis eruditio, & quà inſtituẽdis, quà oble-
ctandis legentibus rerum pulcherrimarum parerga. Plura autem eximia cum doctri-
Et ſcriptorum monumenta. næ, ac pietatis laude ſcripſit, ac pręter Concionandi Artem, quam modò laudaui,
edidit in libros Ariſtotelis de Generatione, & corruptione commentarium, in quo
pleraque ad ſubtilioris ingenii libram excuſſa. Item de tranſmutatione aquæ in
ſacrificio miſſæ, copioſiſſimè, ac peracutè: quod opus iterùm cum auctario prodiit. Le-
ctiones quinquaginta de tribulatione, eiuſque remediis, quas ipſe olim è ſuggeſtu fre-
quentiſſimæ concioni cum fructu propinauerat. In hoc autem genere declamatorio
plures de Diuorum laudibus orationes ſparſim edidit, quæ ſi vnum veluti in corpus
venirent, conficerent profectò volumen, eloquentiæ candidatis perutile. Ad hæc,
pleroſque ſacrorum Emblematum tomos planè eruditos. Stylum deindè ad Sa-
crum inſtrumentum conuertit, nonamque in Cantica Canticorum explicationem
lucubrauit. Poſtremò diuinam Ioannis Apocalypſim aggreſſus, Velitationes in
eam conſcripſit, quas abſoluit quidem, ſed interceptus fato, minimè euulgauit: pro-
dijtque poſthumum opus, amplificandæ poſthumæ Auctoris famæ oppidò accom-
modatum. Atque hæc de Areſij doctrina, ac monumentis; cuius modò libanda vir-
tus eſt.

Eminuit in pręclaro viro ea primùm virtus, quæ raro cum excellentis ingenij lau-
Animi demiſſio. de coniungitur, nempè modeſtia, ſiuè animi demiſſio. Inflat nanque ſcientia, fa-
ſtumque ſenſim inſpirat doctis mentibus; vt niſi frœnum maturè inijciant, nihil
propiùs ſit, quàm à doctrinarum æſtimatione mortales extolli. Non hæc afflauit
Areſium lues. De alijs quidem perhonorificè, de ſe niſi perquàm demiſsè ſentire,
ac loqui. Si laudari à quopiam contigiſſet, teſtabatur illicò modeſtię in vultu co-
lor, ac ſanguis, quodnam animo vulnus accepiſſet. In ipſo diſceptationum ar-
dore, cùm minùs ſe ſe quis in poteſtate habet; eximiam hanc humilitatem pro-
babat. Nam ſi fortè, quòd non raro in eo ęſtu accidit, in inſolens aliquod aduerſa-
rius verbum degeneraſſet, compoſito is ſtatim vultu, apertoque ad honorem capi-
pite, excipiebat: tantùm abeſt, vt verba verbis redderet vir, ſupra omnem contume-
liam modeſtiſſimus. Ab hac verò humilitate comitas, ac nunquam cum ſupercilio
vultus. Cùm Præpoſitum ageret, monere interdùm, ac ſubaſperè appellare ali-
Et comitas. quem contingebat. Quod quidem ita præſtabat, vt aliena omninò ab indole, ge-
nioque acrimonia videri poſſet: redibatque confeſtim poſt breuem illam veluti ful-
gurationem in vultu ſerenitas. Inerat cum hac morum ſuauitate feſtiuus etiam ſer-
mo, ac ſales in tempore, à præſenti nempè ingenio iucundiſſimi, qui grauitatem ita
non relaxabant, vt etiam mirificè condirent. Eratque eò plauſibilior hic dicendi le-
por, quòd ab homine, cœterùm verbis comparco. In eo ſiquidem totus erat Areſius,
ne prolixiùs dicendo, ſpargeret ſe ſe animus. Paucis, aptèque ſemper loqui; & aut de
diuinis rebus, aut de literarum ſtudijs ſermo erat; nempè qui, aut intellectum expo-
liret, aut mores. Quod libare aliorum famam videbatur, non modò non ipſe vſur-
pa-

Digitized by Google

pare, aut excipere pronis auribus; ſed præcipere illicò, ac monere grauitate quadam vultus, vt aliò orationem flecterent. Abſtinentia fuit planè incredibili. Nam cùm ter in hebdomada ieiunaret, reliquos deindè dies eo victu vtebatur, vt continuare ieiunia videretur: ſubiretque pleroſque admiratio, quòd ea cibi, ac potus tenuitate tolerare vitam poſſet. Par in cœtero ſui cultu ſtudium, atque adſtrictior quędam diſciplina. Et in Ordine quidem ad paupertatis amuſſim omnia, veſtes, cella, ſupellex: in Inſulis verò præter Deum ſuum (ſic enim loqui ſolitus erat) ac ſuos libros, negabat, ſuum præterea aliquid agnoſcere. Iam, pietas in Deum, affectuſque in res diuinas primas ſibi in Aretio vendicabant. Sacri Eloquij paginas, quòd, dictante Numine, conſcriptas ſciret, ſumma reuerentia proſequebatur, ac nonniſi de genu, apertoque capite legere conſueuerat; vt demiſsè, ac venerabundus exciperet, quod in illis diuina ea mens loqueretur. Aduersùs Euchariſticum Chriſti Domini Corpus eximia illi religio. Quotidie ad aram ſacere, vel in itinere; in quo poſt ſacrificium, quod ipſe obibat, adeſſe alteri conſueuerat. Nunquam ante ſacramentalem pectoris expiationem, ac ſine attentiore apparatu celebrabat. In ipſa verò re diuina grauitas illi, oris dignitas, atque externa omnis religio planè ſingularis, adeſſe animo, atque attentiſſima quadam diuinorum commentatione, ſignificabant. Id quod & manantes ſæpiùs lachrymę, quæ admirationem, pietatemque adſtantium prouocabant, teſtabantur. Præcipuum item illi in magnam Dei Matrem ſtudium, quam illibata potiſſimùm mente, animique puritate venerabatur. Et, vt non dubiè quidam affirmant, quibus ab intima cum eo familiaritate, atque arcanorum conſcientia adhibenda fides eſt, corporis etiam integritatem, floremque ad vltimum vſque ſpiritum ſeruauit: quod illi, & Deiparæ Virginis affectum magnoperè conciliare, & eſſe incitamento poterat; vt in eius ſe ſe clientelam, fidemque animoſiùs inſinuaret. Ergo quam ſibi tutelam principem delegerat, nullis non obſeruantiæ officijs demereri: Illam ſcriptis, voce, ſtudijs vbique deprædicare: preces ad illam aſſiduæ: ſicubi à quæſtionis alicuius difficultate hærere ingenium videretur, illam conſulere, quam Eccleſię, atque Apoſtolorum Magiſtram nouerat: vt non modò pleraque tantæ afflatu Virginis didiciſſe, profiteretur; verùm etiam progreſſiones in ſtudijs omnes Marianis auſpicijs acceptas ſibi referendas eſſe, affirmabat. A munifica item eius manu beneficiorum experientia penè quotidiana. Quam illi beneficentiam impendere Deipara libenter videbatur, pio nempè, diſertoque ſuorum decorum aſſertori: præſertim quòd inter primos is fuerit, vti laudatus paulò ante Sfondratus narrat, qui eius gratiam, gloriæque cumulum ingenio emenſus, Diuorum ſimul omnium gratiam, gloriamque multis partibus excedere, non affirmauerit modò priuatim, ac publicè; ſed ſtricto etiam calamo defenderit. Quod fortè aſſequutus orationis potiùs, quàm literarum ſtudio fuerat. Enimuerò complecti ſtudiosè hanc etiam religionis partem, nempè rerum cœleſtium commentationem videbatur. Ceù minùs ſufficerent exercendo ſpiritui ſtatæ in noſtro Ordine contemplationis horæ, occupare illas conſueuerat; expletiſque, non ſtatim abſcedere; ſed quædam adhuc velut precationum appendix adhibebatur. Mirandum hoc ſanè in viro literis addictiſſimo; qui & mirari ſolitus erat, quòd ita ſe quidam abripi à ſuis ſtudijs ſinerent, vt quę lux eſt mentis, munitque ad diſciplinas viam, orationem abijciant. Quod illi vel occupatiſſimo nunquam accidit. Sepè cùm habere quotidianas conciones contingeret, aut cùm poſtea Epiſcopus Diœceſim luſtraret, ita innecti occupationes, curæque excipere aliæ alias, videbantur, vt nullum relinquerent precibus locum, At ne tùm quidem præclarum mentis otium, conſuetumque orandi tempus prætermittere. Enimuerò, quòd interdiù negabatur, decerpere è noctis, ac ſomni ſpatio conſueuerat: vt non ante cubitum iret, quàm defatigatum diurnis laboribus ſpiritum nocturna oratione reficeret, ac vegetaret. Quo quidem precum adiumento ſuæ vitæ actus, ac momenta potiſſimùm temperabat. Falli nanque humanam prudentiam nouerat, niſi hinc ſuperius aliquod lumen accedat. Admotus præſertim domorum noſtrarum rectioni, ac publicis Congregationis curis non ſemel fuit, quas ea quidem charitate, manſuetudine, ſolertia, zeloq. adminiſtrauit; vt cognoſceres, ineſſe viro eximiam quandam vim prudentiæ, ſupernè afflatam.

Et abſtinentia

Et pietas,

Pręcipuè in Dei Matrem,

Eius precandi ſtudium.

At-

Atque hæc de Paulo Areſio, adhuc Clerico Regulari; qui, mutata dein perſona, vocatuſq. hoc anno, vti modò ſignificatum eſt, ad Inſulam Derthonenſem, Epiſcopum egit; fuitque profectò idem, quando eadem illi religioſi moris obſeruantia, ac vitę tenor; & alter, ſi publicum munus, atque in munere ſolicitudinem, ſtudiumque amplificandæ communis pietatis ſpectes. Et verò ſpecioſam populorum præfecturam ita iniji, vt citra eorundem populorum curas, ac Sacerdotij inſignia religioſum omninò virum repręſentaret.

In Epiſcopatu ſui cultus penè religioſus

Sui cultus modeſtiſſimus. Veſtes illi, extimæ quidem, quę ſtatus decentiam tuerentur; intimæ verò detritæ, ac malè ſartæ. Domi vix in foribus velum; cœterùm nudus paries, ac vulgaris ſupellex. Frugalis menſa, ad quam aſſidua è ſanctis Patribus, probatiſque auctoribus noſtratum titu lectio. Familia ad ſui formam penè religioſa. Cõmunis cũ Antiſtite cũ cœnatio, tũ victus ratio: communes itẽ certis horis Theatino prorsùs more preces; planè vt inſtauraſſe veterũ Sanctiſſimorum Epiſcopòrum inſtirutum, ac domeſticam diſciplinã, videri Areſius poſſet. Quod verò ad officij ſui partes, atque Eccleſiæ procurationem ſpectat, in id totus fuit, vt ex acta ad omnem diſciplinam cuiuſque vita, refloreſceret, cùm apud Eccleſiaſticos, tùm apud multitudinem pietas, ac ſanctitas morum. Inſtaurata in templis religionis, ſacrorumque mundicies:

Eccleſiaſticæ diſciplinę, ac Immunitati ſtudet.

Clericorum immunitati, ac tutelæ ſtuduit quàm qui maximè: diuulſos tractu temporis ac potentiorum vi ab Eccleſiis fundos, iiſdem Eccleſiis vindicauit. Luſtrare tertio quoque anno Diœceſim inſtituit; quod tempetandis Eccleſiarum commodis opportuniſſimam putabat. In eo munere nihil omninò diligentię, cenſuræque omittere: non temporum, annique vices pertimeſcere, conficiebatque iter interdũ pedes. Priuatim monebat; tùm publicè, inſtituto ad populum ſermone. Atque hoc quidem concionandi munus, quòd eſſe proprium Epiſcopi exiſtimaret, mirum qua dicendi contentione exerceret; fructumque demetebat non exiguum; quòd non quidem in ſpeciem, ſed intimè loqui, ac detonare Epiſcopum ſibi perſuaſerant ciues. Beneficentiam integram eſſe Epiſcopi laudem, ſicuti ſummũ eorum dedecus, ac probrum, ſordes, aut curtam in pijs erogationibus manum, putabat. Hinc & obuia pauperibus munificentia, & hoſpitibus aperta ſemper domus. Quam quidem in pauperes, atque in ſuos paſſim omnes charitatem nunquam luculentiùs oſtendit, quàm graſſante communi ea lue, quæ anno huius ſeculi trigeſimo

Fouet mirificè pauperes

Galliam Ciſalpinam corripuit, ſtrauitque funeribus penè innumeris. Inuoluit Derthonam popularis calamiras. Ac tùm quidem, qui Epiſcopi, eiuſq. incolumitatis cupidi videri vellent, ſuadere illi, vt in diſcrimine ſummo rerum fuga ſibi conſuleret, ſeruaretque Eccleſiæ ſuæ Antiſtitem. At enim, qui Paſtoris partes ſciuerat; non lobores, non vitam ęſtimare, vt ſaluti ouium proſpiceret. Publicis nempè cladibus ſacerdotale robur, ac pectus aureum probari. Si dilabi Epiſcopum, flagrante malo, contigerit, quis illum eo nomine, ac Inſulis dignum putet? Ergo excubare intentiore quodam ſtudio ſuo gregi: cauere ſacris familijs, præcipuè ſanctimonialibus: decumbentes inuiſere, conſolati: humanarum, diuinarumque rerum pręſidio adeſſe: fouere potiſſimũ pauperes, ac non modò nulli ſumptui parcere; verùm vt munificentiùs erogaret, ſuis etiam, ſuęque familiæ commodis aliquid detrahere, ac corrogare à copioſis conſanguineis pietatem ſtuduit. Nec Derthonę finibus actuoſa hæc eius charitas concludebatur; ſed ſpiritu, animique ſolicitudine Diœceſim quodammodò inambulabat;

Et flagrante bello, animi conſtantia.

aderatque oppidis, pagis, villis, peſtilentię, atq. inopię propulſator. Hæc ille, graſſante lue, cui ad hoſtium etiam impreſſionem, armorumque impetum probare intrepidam animi conſtantiam, ſtudiumque in ſuos contigit. Obnoxia bellorum motibus ea Italiæ pars, ac penè aſſiduo laborat, caletque à marte. Quo tempore præerat Areſius, ſemel, ac iterum obſeſſa Derthona. Subduci huic item periculo cùm poſſet, noluit, officii ſui memor. Pulſare muralia tormenta Vrbem, ac quatere, inconcuſſo nimirùm Antiſtite, cui id potiſſimũ curæ, in communi ea trepidatione ſpem, animoſque ciuibus facere, ac procurare diuinam opem. Capta Vrbe, nil propiùs erat, quàm diripi, atque iniicere in ſacra, profana violentas manus militem. Sed cladem anteuertit, propulſauitq. Epiſcopus. Deducente ſiquidem Clero, obiicit ſe ſe hoſtis & quà vi dicendi,

Hoſtium impetum frangit.

quà oris, ac Inſulæ dignitate, quà ſanctimoniæ opinione, quam de ſe concitauerat, id illicò euicit, vt licentia, atque ijs, quas iam animo vorauerant, opibus abſtinerent.

Quod

Quod Leoni magno non ſemel contigit, excuſſo præclara quadam vi facundiæ è Regum manibus fulmine, cùm maximè in ruinam Vrbis incumberent. Derthonenſem Eccleſiam diutiùs ea, qua dixi. animi ſolertia adminiſtrauit Areſius: ſenioque, ac curis confectus, Religionem iterùm cogitabat, vt nactus quid otii, morti, quam non longè abeſſe coniectabat; ſe ſe compararet, poneretque in ſinu Matris ſpiritum. Sed occupauit conſilium mors ipſa, quam poſt paulò ſeptuagenarius obiuit, ea quidem animi alacritate, ceu ſecurus iam pręmij; quod aſſidua exercitatione virtutis, exantlatis in proximorum vtilitatem laboribus; ſcriptis in communem eruditionem, pietatemq. monumentis promeruerat.

LIBRI NONI FINIS.

Digitized by Google

cum laude geſſit. Legum noſtrarum ad quarum normam regi, ac regere videbatur, ſeruantiſſimus. Demum in prolixa patientiæ palęſtra probata viri virtus fuit. Enimuerò diutina paralyſi diuexatus, ita diſſolui artuum nexus, ac vim neruorum contigit, vt motum, vſumque membrorum omnium amiſerit. Quindecim omninò annos ea corporis clades tenuit: eòque tandem deuenit, vt ſtipem veriùs, quàm hominem dixiſſes; ingentemque planè ſpectantium commiſerationem excitabat: cùm interim ipſe manſuetudinis, ac tolerantiæ laude incomparabili in ea arena luctaretur. Planè nunquam tàm ſerò cuipiam mortalium mors venit; quæ anno labentis ſeculi tertio, & quadrageſimo exercitum diù Thomam, ex humanis ereptum, promerita patientiæ laurea cohoneſtauit.

Et in ſuis ægritudinis tolerantia.

Sed libatis his magnorum capitum parentalibus, redeo ad Gregorium Pontificem, cuius experiri humanitatem in ipſo ſtatim Principatus initio Chriſtophoro Memolo, Beneuentanò, viro ex noſtris non mediocri quidem eruditione; tùm diſciplina, ac grauitate morum ſpectato. Frater is erat Decij Memoli, non vulgaris Romana in aula nominis, Pauli Pontificis V à ſecretis, quem inſtructum bonis artibus ingeniũ, rerum vſus, vitę innocentia, ac quidam etiam ſupra aulæ morem mentis candor apprimè commendabant. Quibus animi partibus cùm Paulinam beneuolentiam abũdè demeruiſſet, commodo, honorique ſuo egregiè velificabat; & niſi reſtaſſet intempeſtiua Pontificis mors, attigere ſpes ſuas ad honeſtiſſimos in aula gradus potuiſſet. Interim teſtandæ ſuę in illum voluntati Paulus, cùm Rubenſe in Apulia Sacerdotium vacaſſet, honeſtare ea Sede Chriſtophorum germanum fratrem ſtatuit. Verùm, eo ſtatim vita functo, antequàm ritè inaugurari Memolum contigiſſet, ceciderat is gradu, deuoluta iure ad ſucceſſorem Iulię conceſſione. Quod licere ſibi minimè voluit Gregorius XV. & cùm pleraque Pauli acta, ac collata ab eo beneficia rata habuiſſet, tùm tributam ſemel Chriſtophoro Memolo Rubenſem Cathedram, iterùm conceſſit. Hoc verò ſacrorum Antiſtite, quantũ illi Eccleſiæ dignitatis, nitoriſque acceſſerit, haud facilè dictu eſt. Aberat diù Epiſcopus: hinc ſacris, ac ſacrorum adminiſtris malè erat. Obſoleta in altaribus ſupellex: quoddam ſacro inſtrumento ſeniũ, ac ſqualor: nulla in Eccleſiaſticis ritibus, ac ceremoniis elegantia, ac ſtudium. In ipſo verò Clericorum cultu, ac diſciplina erat profectò, quod cuperes emendari. Ergò in id ſtatim Memolus curam, ac vires intendit, vt aſſereret ſuum templo decus, ordinaretque diuinorum vſum. Et verò excutere quodammodò ſenium baſilica, ac mutari omninò eius ſacies viſa eſt. Sacrum veſtiarium, inductis ſacerdotalibus ex ſericò, auroque indumentis, aliaque diuino cultui ſupellectili, magnificè inſtruxit. Ex vaſis ſacris, quę deerant, facienda ex argento curauit; quæ vſus, ęuumque detriuerat, inſtaurauit. Aulæa conueſtiendis in præcipuis anni feriis parietibus, partim ſuo, partim cõmuni Eccleſiæ ære, non vulgari planè operę adornari, iuſſit. Ad hęc, vt ſacri ritus, functioneſque aptè peragerentur, inſtitui ad Caſtaldi noſtri leges Clerum, voluit, excitata ceremoniarum veluti academia: vt ſanè, cùm nunquam à publicis ipſe ſacris abeſſet, nemo coram ipſo impunè peccaret, mulctata nimirũ ſeueriore quodam vultu, ac vocę hominum negligentia. Quod ſi quos paulò ſegniores aduertiſſet, diſtrictiùs, ſubtractis etiam quotidianis eccleſię diſtributionibus, vindicabat. Chori prętereą diſciplinam reſtituit. Inductas prauo quodam vſu in Odèum alloquutiones, proſcripſit: & accidit quidem, vt quos ſæpè monitos, indigere acriore quadam cenſura, cerneret, carcere etiam mulctauerit: eruditque pleroſq. ad ſilentium, ac frænum linguæ cuſtodia. Hoc diuini cultus ſtudio breui Rubenſis Eccleſia ad omnem ſacrorum elegantiam refloruit: vt non ſemel grauiſſimi quique viri, aliarumque Eccleſiarum Antiſtites, quos adeſſe interdùm functionibus contigit, mirati vehementer ſint cùm templi cultum, tùm Cleri diſciplinam, ac modeſtiam, ſacrorumque in primis rituum peritiam, ac concinnitatem. Ita verò totus in cura ſacrorum erat Memolus, vt eius Sacerdotii commoda, prouentuſque minimè negligeret. Tenues quidem ibi cenſus, nec ſubſtentandæ dignitati pares reperit: quos tamen, excitata in fundis ſuis fertilitate, vſq. adeò adauxit, vt & ſuis, & pauperum vſibus, & Eccleſiæ magnificentiæ abũdè poſtea ſuffecerint. Epiſcopales item ędes vetuſtate laborantes, reſtituit, amplificauitq. Inerant laudatiſſimo viro & cœteræ etiam opes animi, atque adiumenta virtu-

Chriſtophorus Memolus Decii frater

Rubenſi Eccleſię imponitur;

Præclaræ eius in Epiſcopatu curę.

Cenſus etiam Eccleſiæ amplificat.

tum,

tum, vitæ integritas, religio, prudentia, moderatio, zelus, quarum præſidijs triginta fermè annos Inſulas eo quidem ſtudio, ac ſolertia adminiſtrauit, vt numerari inter optimos Antiſtites iure poſſit.

Conuertimus nunc ad rem noſtram communem ſtylum. Celebrata Aprili menſe huius anni generalia de more comitia fuere. Andreas Piſcara Caſtaldus ea quidem prudentiæ laude, quam ſupra explicaui, Ordinem ſexennium temperauerat: expletaq. præfectura, indictum, cœptumque Capitulum. Qui coactum hunc Romæ cœtum, ac rem Ordinis totius in eo interſtitio regeret, deſtinatus communi Patrum ſuffragatione eſt Thomas Aquinas, quem paulò ante memoraui, cui præter cœteram virtu-

Quibus præeſt Thomas Aquinas.

tem, quædam, vti ſignificaui, inerat naturę, morumque bonitas, ac manſuetudo, qua ipſe rem communem ęquè ac alij auctoritate, zelique contentione moderabatur: adminiſtrauitque hoc anno Capitulum non mediocri cum omnium approbatione, fructuque diſciplinæ. Iam, quod eſt pręcipuum in comitiis momentum, nempè optimi capitis delectus, poſt aliquot in commune commodum conſultationes, agitari ſtatim cœpit. Aderat in eo grauiſſimorum hominum conuentu multorum quidem virtus, capeſſendo muneri idonea: ſed excuſſa re maturiùs, implorataque ope Numi-

Renunciatur Præpoſitus Generalis Vincentius Gilibertus,

nis, incubuere in Vincentium Gilibertum vota, lectuſque is eſt vniuerſi Ordinis moderator. Proluſerat ſupremo huic magiſtratui Gilibertus geſtis pleriſque in Cōgregatione pręfecturis, in quibus egregium tuendi inſtituti ſtudium probauerat: erantq. præcipuè in domorum rectione eius partes, facilitas, ac moderatio, quam in loco auctoritas, & quidam etiam rigor temperabat. Conciliabat præſertim illi ſuorum reuerentiam oris grauitas, & quidam, feſtinatis ſenectutis inſignibus, honor capitis. Inerant & alia præclaro viro ornamenta, opeſque animi. Inſtructus quippè à doctrinarũ præſidiis apprimè erat, quas & profeſſus inter noſtrates è ſuperiore loco fuerat. Sacra in primis eloquentia inter melioris notæ verbi Dei præcones eminebat; vt percelebris iam per Italię vrbes, ac templa eius eſſet dicendi facultas. Dictio illi inſigniter culta, atque ad ſeuerioris, purioriſque œui limam exacta; ſacra item, humanaque eruditione capiendis auditorum animis mirificè interſtincta: cui quidem orationi & ſuus etiam ardor erat, ac vis plena animæ, quam deindè ipſa pronunciatio vehementiùs

Eius animi partes

inflammabat. Quæ autem eius eſſet viua è ſuggeſtu facundia: ſatis, ſuperque commonſtrant ſcriptorum monumenta, quæ ſunt in manibus, plauſuque mortalium, ac prædicant fusè auctorem ſuum. Viuit adhuc Gilibertus, & quoad illi vires, ac latera conſtitere, verbi Dei diſſeminandi, vel in ipſo profundiore œuo finem nullum fecit. Is hoc anno delatos ſibi Conſcriptorum Patrum iudiciis vniuerſę Congregationis faſces ſuſcepit; oſtenditque illicò, qua mente iniret munus, habita ad Patres graui oratione, in qua poſtquàm diſertè de collata Ordinis Inſula gratias de more habuit, in eam maximè partem ſermonem flexit, conſumpſitque, vt inſtitutum, leges, veterem viuendi formã etiã, atq. etiã cōmendaret. Se quidem, inquit, eo poſitum loco, vt in regularis diſciplinæ ſtudiũ accuratè incumberet, ac volentes quidem duceret, no-

Ad Capituli Patres oratio.

lentes traheret. Quod verò faciliorem in eo indolem, quàm generalis hęc familiæ totius præfectura poſtularet, quidam minimè probauerant, abſtergere hanc ſtatim animi perſuaſionem, metumque ſtuduit; ſeque percelebri, quę extabat Megarenſi in foro oleæ comparauit; in qua, quòd arma appenderent emeriti milites, accidit, vt adeò à ſenio, tactuque temporis arbor ſubindè excreuerit, vt condiderit ſinu dicata olim arma, ac enſes: proindèque cũ pulchrè vireſcere pax, & pietas forenſi in ea olea videretur, interim quidam latebat ab armis terror ac veluti in ipſo clementiæ ſinu tela cudebantur. Quo ipſe ſymbolo ſcitè oſtendit, non adeò inermem ſe, quin ſua ineſſet auctoritas, atque ad expugnandam, frangendamq. motum contumaciam ferrum: probauitque euentu dictum opportuna quidem mitis, aſperioriſq. indolis mixtura.

Porrò in hoc Capitulo ſancita pleraque in rem communem fuere, cauendis potiùs malis, quàm emendandis. Paupertati, cui maximè aduigilari Theatinum Inſtitutum decet, cautum pręcipuè eſt. Enimuerò cùm legari à conſanguineis annuas noſtris hominibus penſiones contingeret, id ſeuerè ſancitum, ne quis illas, niſi qui communes domus rationes procurant, exigerent. Quoddam, videlicet, dominii ſpecimē

pre-

rent. Sed parcimus, ne laudum compendio deroget ampliſſimæ famæ ſtylus; ac noſtræ quidem Congregationi abundè fuerit, debitum innuiſſe: præſertim, quòd non is eſt Paulus V. vt alienis hiſtorijs indigeat, ſed in ipſa ſuorum operum æternitate in æuum viuat. Enimuerò ſi conſultiſſimã, & attemperatam vtrique tempori mentẽ in eo ſpectes, ſi vitæ innocentiam, ſi Pontificiæ maieſtatis ſtudium, ſi religionis tuendæ, atque amplificandæ zelum, ſi in communem inopiam pietatem, ſi populorum commoda, atque in publica annona prouidentiam, ſi ſuſpenſos ad Vrbis opportunitatem, ſplendoremque riuos, fonteſque magnificè procuratos, ſi tectorum, templorumq. minas ſupra temporum iniuriam, ac inuidiam excitatas, ſi columnas, hortos, vias, integram hæc planè, ac perennem de abſolutiſſimo Principe hiſtoriam conficerent; ita vt nihil reliquũ ſit alienæ induſtriç in eo ornando, quem concentus famæ, rũ æra, marmora, ac clarorum operum monumenta diſertè loquuntur. Hoc Pontifice elato, inſtituta de more Auguſtorum Patrum comitia: nec fatigata Populi Romani, totiuſque Orbis vota diutiùs fuere. Etenim collimatum illicò eſt in Alexandrũ Cardinalem Ludouiſium, Archiepiſcopum Bononienſem, virum inſigni morum laude, religionis prçſtantia, doctrinarum præſidijs, vſu rerum, traducto per honorum gradus æuo, mortalium denique opinione ſummo publicç Chriſtianæ rei imperio parem. Conſalutatus is Romanus Pontifex, audiuit Gregorius Quintus decimus. Et quod ad Theatinam rem attinet, non mediocri planè loco apud illam noſtri homines Bononiæ fuerant. Nam, & vti ijs familiariter, & adhibere in curarũ partem ſolitus erat; quippè quos, & diligentes, nauoſque adminiſtros putaret, & intimos Ludouiſiæ domui eſſe cerneret, quam vel ab ipſo Bononienſis noſtri domicilij initio in ſpiritu texerant. In ſupremo autem illo rerum humanarum faſtigio exutus priuatam hominũ conditionem, humanitatem erga noſtrum Ordinem non exuit; excepitque ad pedũ oſcula noſtros ſingulari beneuolentiæ teſtificatione, pollicitus idem omninò in rem communem ſtudium. Quod ſeriò quidem, ac ſine fuco pronunciaſſe, probauere collata ſubindè beneficia, ac nunquam non prona noſtræ Congregationis votis benignitas. Inter cœtera verò beneficentiæ argumenta hoc ſtatim anno, quo conſalutatus Pontifex eſt, quç ſunt ſacrarum familiarum firmamenta, ac robora, nempè priuilegia, inſigni quidem voluntate, atq. ex certa, vt aiunt, ſcientia, conſignatis Apoſtolicis literis confirmauit. Quod verò ad Ludouiſios attinet, euecto ad Orbis Chriſtiani prçfecturam Gregorio, acceſſere & ipſi Romam in cognati imperij communionem: cœpitque à regnatrice ea Domo frequentari noſtrum D. Andreæ à Valle templum, in quo Lauinia Albergata, Pontificis fratria, Ludouici Cardinalis Ludouiſij Mater, Fiani Dux, ornatiſſima perindè, ac pijſſima fœmina illud ſingulare pietatis ſpecimen Romanis dabat, quod eò quotidie adiret, ac poſt ſacramentalem pectoris expiationem ſacrum Chriſti Dom. Corpus quotidiè item ſumeret: reſpondebatque quotidianæ huic refectioni cœtera inclytæ matronç pietas: rectore nimirùm Petro Romano, Salentino ex noſtris, viro prudentia, geſtiſque in Ordine magiſtratibus ſpectato, qui eius conſcientiam diù procurauerat, eratque in paucis Pontifici ipſi carus; adeò vt de eo Infulis cohoneſtando ſtatim is cogitauerit. Sed qui addictus priuatis vitæ rationibus, ſuoq. inſtituto erat, auelli ab eo minimè eſt paſſus, honoreſq. ita reſpuit, vt adauxerit magnoperè apud ſummum Patrem ſui exiſtimationem, ac beneuolentiam.

Creatur Pontifex Greg. XV

Eius in Cler. Reg. beneuolentia.

Lauiniæ Albergatç pietas

Petrus Romanus Pontifici gratioſus.

Communem verò noſtri Ordinis lætitiam ab hac beneuolentiſſimi Pontificis Infula intercepit conſequuta mox Petri Cardinalis Aldobrandini in eo publicæ gratulationis çſtu mors. Valuerat in Pontificijs ijs comitijs arbitrio, nutuque ſuo; & contigerat omninò ad votum Pontifex: vt adoraret quidem Aula nouum in Petri Sede Chriſti Vicarium; ſed Aldobrandino plauderet, tanquam operis auctori ac auſpici; qui dum proſperiore eo ſucceſſu triumpharet; ecce tibi paucas poſt horas improuiſo, ac tragico penè exitu moritur, ſuo veluti ſepultus triumpho. Conſternauit ſubitus hic terror, ac fati nuntius Romam, quæ contrarijs adeò ſtudiis acta, eodem veluti in theatro hinc fauſtam Pontificis inaugurationem, hinc peracerbum ex noti Principis funus contemplata, ſimul acclamare; ſimul conclamare coacta eſt: agnouitque, quàm ſæpè hic ad mortalium documenta innecti ſummam fortunam

Petrus Card. Aldobrandinus moritur.

Veſuuiana clade obrutam, elegantiorem in formam inſtaurauit; excitatis item piorum ſtipe cellulis in Minoritarum è Franciſcana familia vſum, qui inibi degunt. Templum inclyto Protomartyri Stephano à fundo etiam inchoauerat: ſed ędificii rudimentum eadem illa vicini montis eruptio abſtulit. Hæc in Eccleſiæ ſuæ dignitatem, vtilitatemque Caſtelblancus, qui ſui etiam, ſuorumque manium memor, miſſæ Sacrificia pro ſe quotannis, poſtquam fato conceſſerit, perſoluenda, legato fundo, præſcripſit. Nempè nemo prudens ita externa vnquam curauerit, vt ſua negligat.

Dominicus Ridolphus Epiſcopus Vritanus.

Ad annum in quo ſtylo verſamur, nempè ſeculi vigeſimum redimus: in quo duo ad Epiſcopatum euecti: alter Dominicus Ridolphus fuit, Neapolitanus, vir bonus, quē Petrus Gironus, Dux Oſſunenſium, Neapolitanus Prorex, ea beneuolentia, ſtudioque complexus eſt, vt nominari à Philippo Tertio ad Vritanum Sacerdotium petierit, ac impetrauerit. Is autem authoratus eo gradu, ac deuexa admodum ætate in eas curas ingreſſus, pręter quandam indolis, morumque probitatem, quam ſuis ouibus egregiè adprobauit, impar ferendo grauiſſimo oneri videri potuit: quod tamen decennium tulit, ac propè octuagenarius Neapoli anno huius ſeculi trigeſimo die Iulii menſis quintadecima deſiit eſſe inter homines, ſepultuſque eſt cum noſtratibus in Diuæ Mariæ Angelorum cœmeterio, è cuius cœnobio euocatus ad Infulam fuerat.

Paulus Areſius Derthonenſi Eccleſiæ pręficitur.

Ad Paulum Areſium conuertitur modò narratio: alterum nempè, qui in Epiſcopū hoc anno euaſit, Pauli V. Maximi Pontificis deſtinatione: adnitente pręſertim Iulio Areſio, germano fratre, viro clariſſimo, quem eximia literatura, atque inſignis rerū agendarum peritia ad ſummum Mediolanenſis Senatus magiſtratum euexere. Is affectu, ſtudioque in fratrem ita in eius virtutem, honoremque incubuit, vt vacua mox Derthonenſi Cathedra, impetrauerit, vt præficeretur illi Paulus: cui nihil tū quidem acerbius, vt qui literarum ſtudiis, animique tranquillitati nihil æquè infenſum eſſe nouerat, quàm publicam Eccleſiæ procurationem: nec temperare ſibi vlla ratione potuit, quominus literas ad illum, querelarum plenas daret; quòd innutritum religioſæ diſciplinæ, ac ſtudiis virū, à ſuo inſtituto reuocauerit. Et obfirmauerat quidem animum, optimam partem, quam ſemel elegerat, recuſata honoris Infula, retinere: ſed

Quo animi ſenſu.

ea fuit grauiſſimorum virorum apud ipſum auctoritas, atque à rationum momentis arietatio, vt dederit tandem manus: valuitque illa præſertim perſuaſio; quòd qui id honoris nullo pacto affectaſſe ſe, ſciret, vocatus à Deo tanquam Aaron videri poſſet: atque adeò piaculum fore, non ſtatim diuinæ huic voluntati obtemperare. Planè quantū Derthonenſi Eccleſiæ acceſſit à viro præſtantiſſimo ſplendoris, ac pręſidii, tātū vila attuliſſe incommodi noſtro Ordini eius inauguratio. Nunquam enim ſine communis rei iactura à religioſa quapiam familia excellens virtus aliò immigrauerit. Quis autem fuerit Paulus Areſius, quàm profunda, variaque vir eruditione, quā virtutis, ac pietatis laude excelleret, opportunum hic exponere. Id quod eleganter quidem, ac copioſè proſequutus eſt Paulus Sfondratus, vir ex noſtratibus æquè nobilis, ac eruditus: adornata de Areſii vita narratione, quam in Apocalypſim Velitationibus, quod poſthumum eſt eius opus, præfixit. Excerpenda hinc aliqua, quæ præclari Antiſtitis partes, opeſque animi reprę̃ſentent. Mediolani natus, & genus, & Patriam claram habuit. Emicuit ſtatim in puero quædam animi indoles, quæ facta ad om-

Dat Religioni nomen.

nem ingenii, morumque laudem videbatur; pollicita Viri tum eruditionem, tùm virtutem, veluti in flore. Sortitus animam bonam, ne qua tenerum pectus inficeret labes, non diù ſeculo hæſit. Siquidem intra adoleſcentiam nomen noſtræ Sodalitati dedit; poſuitque tyrocinium eo quidem diſciplinę ſtudio, vt inſignis modeſtia, ac pietas magiſtro admirationi, ſodalibus documento eſſet. Quod exorti cuiuſdam ingenii id ætatis ſpecimen daret, capere egregii adoleſcentis experimentum voluit Pau-

Præclarū ingenii ſpecimē.

lus Toloſa, ſępè memoratus, qui Quadrageſimæ eius anni feriis dixerat in noſtra D. Antonii baſilica ad multitudinem, tuleratque conſenſu, concuſuque omnium punctum, ac palmam. Is igitur vt à tumultuaria quadam oratione, textuque extemporaneæ dictionis viuidę mentis indolem, captumque memorię cognoſceret, Areſiū, tyronem adhuc, iuſſit, poſtero mane concionem ad menſam habere. Non tem-

Digitized by Google

temporis anguſtiam excuſare Paulus, non iudicia, conſpectumque Patrum formidare, ac detrectare imperium. Emicat in tempore in ſuggeſtum incredibili ſui fiducia; ac preterquamquòd moratus adoleſcenti ſermo, ac nulla dicendi infantia, id omnium planè aures, animoſque admiratione ſuſpendit; nam quas in dies ſingulos à Toloſa conciones audiuerat, collectas pulcherrimè in arctum, ſingulari facundia, ac ordine, tùm egregia quadam vi memoriæ ad vnam omnes percurrit. Monſtri ſimilis viſa res Patribus, deprædicante potiſſimùm Toloſa pubeſcentis declamatoris facultatem, qui egregium Ordini ornamentum vehementer eſt gratulatus. Hæc autem rudimenta ingenij, communemque opinionem, ingreſſus in diſciplinarum ſubindè ſpatia Areſius, minimè fefellit: probauitque ſtatim omnibus, quantum ſcientijs arripiendis capacitatis, atque acuminis attuliſſet. Preceptorem in Theologicis habuit Paulum Mariam Ardizzonum, quem aliàs dixi, quà ſacræ eloquentię, quà doctrinarum fama celebrem per Italiam fuiſſe: augebatque Viri æſtimationem, quòd captus licet ab incunabulis oculorum lumine in tantum ſcientiarum, ac facundiæ ſplendorem euaſiſſet. Is itaque verſatiſſimus licet in ſacræ Philoſophiæ diſciplina, ac planè ſummus; nihilo tamen minùs neſcio quid formidare ab Areſij argumentis, eiuſque intelligentiæ veluti pharetra in ſchola videbatur. Quocirca interrogatus aliquando, cur ſolito prolixiùs, atque intentiùs ſtudio vacaret: Areſij, inquit, peracuta vis mentis contentionem hanc poſtulat: profligandis nempè eius obiectis acrior quędam, atque vberior afferenda eruditio eſt. Qua ſanè à tanti nominis magiſtro teſtificatione nihil ad diſcipuli laudem luculentius. Qui quidem emiſſus vix gymnaſio, docere ipſe è ſuperiore loco cœpit. Philoſophiam ſemel, ac iterum profeſſus, Theologiam deindè Neapoli, ac Romæ diù cum plauſu explicauit. Viſus profectò ſubtilitate, copia, methodo inter noſtrates dominari: cùm interim ſuſpicerent doctiſſimum virum exteri, illumque in difficillimis quæſtionibus conſulerent; atque abundè ijs eſſet, ſtare pro ſe Areſium. Planè cùm à Sanctorum Patrum, ſummorumque Philoſophorum, ac Theologorum, pręcipuè D. Thomæ orbita minimè deflecteret, ſuo tamen marte, que erat eius in veri indagatione contentio, pleraque, quę poſtea excellentium virorum iudicia comprobarunt, excogitauit.

Pauli Mariæ Ardizzoni de Areſii acumine iudicium.

Porrò cum in eiuſmodi ſcholaſtico puluere totus eſſet, non eam tamen ſtudiorum partem voluit prætermiſiſſe, quæ proximorum compendium, ac fructum ſpectat. Etenim in mores hominum publica voce inſtituendos impetu quodam incubuit; ac declamantem audiuere præcipua Italiæ templa, nunquam ſine eruditiorum hominum theatro, prouentuque animorum. Planè, quod ad naturę dotes, & gratiam attinet, non ijs admodùm inſtructus videri Areſius poterat. Sed quod oratorum ſummo, nempè Demoſtheni, contigit, vincere pertinaci quadam induſtria; atque exercitatione, quæ inerant impedimenta, ſtuduit. Et quamquàm non id aſſequutus eſt, vt feliciſſimè peroraret: pronuntiationem nihilominùs, omnemque actuoſum corporis motum, ac geſtum ſupplere oratio non vulgaris quidem ſaporis, præſtantiſſimæque artis, ac neruorum plena, videbatur. Quocirca in alijs numerare, in Areſio expendere erat auditorum capita. Scilicet, cùm non latera, non ardor quidam dicendi, ac ſumma vox ſuppeteret viro; vulgus, à quo frequentia, & numerus, & qui capi externa potius actione, quàm rationibus, atque æquabili, ſolidaque eloquentia ſolet; abhorrere ab ea dictione videbatur, cui doctiſſimi quique, ac religioſi nominis viri certatim plaudebant; probabantque in ea inſignem quandam eruditionem, perſpicuitatem, ordinem, virilemque, ac citra pompam, verborumque laciniam ornatum. Nempè egregiam in hac facultate dicendi operam collocauerat; nec ſibi duntaxat, ſed aliorũ etiam formandę eloquentię deſeruire vigilias ſuas voluerat, edito volumine verè aureo; cui titulus, Ars rectè concionandi. Quo quidem id omninò effecit, vt quę forenſi, profanæque olim facundiæ præceptiones ſuas ſcribebat Rhetorica, traducta in templorum adyta, inductaque religione, ſacros ad inuidiam priſci æui fingeret oratores. Et quidē erudito ab hoc opere intelligi facilè poterit, an appoſitè ad rem animorum loqueretur è ſuperiore loco Areſius, qui non omnes modò eloquentię articulos nouerat, verùm etiam quicquid vnquam tradidere priſci Rhetores

Dat ſacris concionibus operam.

Eius in dicendo facultas

Artem concionandi conſcribit, euulgatque.

incre-

Digitized by Google

incredibili quodam ſtudio, copiaque, ac ſubtilitate complexus, nouam quandam in Chriſtianę dictionis vſum inuexerit dicendi artem: in qua quidem dilaudanda non ipſe nimius fuerim; cùm ipſa ſe ſe abundè probet viris doctis, ac paſſim ab iis omni laudum genere commendetur. Sed huiuſce me operis editio vocat iterum ad Areſii ingenium. Pretium nanque eſt, cùm reliqua eius ſtudia, tùm ſcriptorum monumenta, quę luci dedit, recognoſcere. Enimuerò pręter ſcholaſticas facultates, quas modò dixi, nullum diſciplinarum, ac literarum genus eſt, quod non ipſe contentione quadam, ardoreque ſciendi vorauerit. Diuino verbo ſcripto, quòd in hoc potiſſimùm verſari Euangelicus concionator, ac Theologus debet, inſignem quandam operam, ac ſtudium nauauit. Gręcos deindè, latinoſque Patres omnes ita percurrit, vt eorum dicta, ac ſententias memoria, qua penè ad miraculum valebat, ad vnguem retineret. Moralis Philoſopdię præceptiones; tùm de Chriſtiani officii, morumque legibus materias in promptu habebat. Ad hæc, quicquid vſpiam hiſtoriarū, exacti, noſtrique œui, ſiue gentium illę fuerint, ſiue rerum naturalium, ſacrę, aut profanæ feriò percurrerat: poſtremò quaſdam etiam ſcientias, arteſque ab inſtituto licet alienas, quòd nõnihil ſcriptionē iuuarent, ac nõ mediocri ornamēto eſſent, libatas falcē voluit. Hinc multiplex, ac varia in eius ſcriptis eruditio, & quà inſtituēdis, quà oblectandis legentibus rerum pulcherrimarum parerga.

Eius ſtudia.

Plura autem eximia cum doctrinæ, ac pietatis laude ſcripſit, ac pręter Concionandi Artem, quam modò laudaui, edidit in libros Ariſtotelis de Generatione, & corruptione commentarium, in quo pleraque ad ſubtilioris ingenii libram excuſſa. Item de tranſmutatione aquæ in ſacrificio miſſæ, copioſiſſimè, ac peracutè: quod opus iterùm cum auctario prodiit. Lectiones quinquaginta de tribulatione, eiuſque remediis, quas ipſe olim è ſuggeſtu frequentiſſimæ concioni cum fructu propinauerat. In hoc autem genere declamatorio plures de Diuorum laudibus orationes ſparſim edidit, quæ ſi vnum veluti in corpus venirent, conficerent profectò volumen, eloquentiæ candidatis perutile. Ad hæc, pleroſque ſacrorum Emblematum tomos planè eruditos. Stylum deindè ad Sacrum inſtrumentum conuertit, nouamque in Cantica Canticorum explicationem lucubrauit. Poſtremò diuinam Ioannis Apocalypſim aggreſſus, Velitationes in eam conſcripſit, quas abſoluit quidem, ſed interceptus fato, minimè euulgauit: prodijtque poſthumum opus, amplificandæ poſthumæ Auctoris famæ oppidò accommodatum. Atque hæc de Areſij doctrina, ac monumentis; cuius modò libanda virtus eſt.

Et ſcriptorum monumenta

Eminuit in pręclaro viro ea primùm virtus, quæ raro cum excellentis ingenij laude coniungitur, nempè modeſtia, ſiuè animi demiſſio. Inflat nanque ſcientia, faſtumque ſenſim inſpirat doctis mentibus; vt niſi frœnum maturè inijciant, nihil propiùs ſit, quàm à doctrinarum æſtimatione mortales extolli. Non hæc afflauit Areſium lues. De alijs quidem perhonorificè, de ſe niſi perquàm demiſsè ſentire, ac loqui. Si laudari à quopiam contigiſſet, teſtabatur illicò modeſtię in vultu color, ac ſanguis, quodnam animo vulnus accepiſſet. In ipſo diſceptationum ardore, cùm minùs ſe ſe quis in poteſtate habet; eximiam hanc humilitatem probabat. Nam ſi forrè, quòd non raro in eo ęſtu accidit, in inſolens aliquod aduerſarius verbum degeneraſſet, compoſito is ſtatim vultu, apertoque ad honorem capipite, excipiebat: tantùm abeſt, vt verba verbis redderet vir, ſupra omnem contumeliam modeſtiſſimus. Ab hac verò humilitate comitas, ac nunquam cum ſupercilio vultus. Cùm Præpoſitum ageret, monere interdùm, ac ſubaſperè appellare aliquem contingebat. Quod quidem ita præſtabat, vt aliena omninò ab indole, genioque acrimonia videri poſſet: redibatque confeſtim poſt breuem illam veluti fulgurationem in vultu ſerenitas. Inerat eum hac morum ſuauitate feſtiuus etiam ſermo, ac ſales in tempore, à præſenti nempè ingenio iucundiſſimi, qui grauitatem ita non relaxabant, vt etiam mirificè condirent. Eratque eò plauſibilior hic dicendi lepor, quòd ab homine, cœterùm verbis comparco. In eo ſiquidem totus erat Areſius, ne prolixiùs dicendo, ſpargeret ſe ſe animus. Paucis, aptèque ſemper loquij & aut de diuinis rebus, aut de literarum ſtudijs ſermo erat; nempè qui, aut intellectum expoliret, aut mores. Quod libare aliorum famam videbatur, non modò non ipſe vſurpa-

Animi demiſ- ſio.

Et comitas.

pa-

pare, aut excipere pronis auribus; ſed præcipere illicò, ac monere grauitate quadam vultus, vt aliò orationem flecterent. Abſtinentia fuit planè incredibili. Nam cùm ter in hebdomada ieiunaret, reliquns deindè dies eo victu vtebatur, vt continuare ieiunia videretur; ſubiretque pleroſque admiratio, quòd ea cibi, ac potus tenuitate tolerare vitam poſſet. Par in cætero ſui cultu ſtudium, atque adſtrictior quędam diſciplina. Et in Ordine quidem ad paupertatis amuſſim omnia, veſtes, cella, ſupellex: in Inſulis verò præter Deum ſuum (ſic enim loqui ſolitus erat) ac ſuos libros, negabat, ſuum præterea aliquid agnoſcere. Iam, pietas in Deum, affectuſque in res diuinas primas ſibi in Aretio vendicabant. Sacri Eloquij paginas, quòd, dictante Numine, conſcriptas ſciret, ſumma reuerentia proſequebatur, ac nonniſi de genu, apertoque capite legere conſueuerat; vt demiſsè, ac venerabundus exciperet, quod in illis diuina ea mens loqueretur. Aduersùs Euchariſticum Chriſti Domini Corpus eximia illi religio. Quotidie ad aram ſacere, vel in itinere; in quo poſt ſacrificium, quod ipſe obibat, adeſſe alteri conſueuerat. Nunquam ante ſacramentalem pectoris expiationem, ac ſine attentiore apparatu celebrabat. In ipſa verò re diuina grauitas illi, oris dignitas, atque externa omnia religio planè ſingularis, adeſſe animo, atque attentiſſima quadam diuinorum commentatione, ſignificabant. Id quod & manantes ſæpiùs lachrymę, quæ admirationem, pietatemque adſtantium prouocabant, teſtabantur. Præcipuum item illi in magnam Dei Matrem ſtudium, quam illibata potiſſimùm mente, animique puritate venerabatur. Et, vt non dubiè quidam affirmant, quibus ab intima cum eo familiaritate, atque arcanorum conſcientia adhibenda fides eſt, corporis etiam integritatem, floremque ad vltimum vſque ſpiritum ſeruauit: quod illi, & Deiparæ Virginis affectum magnoperè conciliare, & eſſe incitamento poterat; vt in eius ſe ſe clientelam, fidemque animoſiùs inſinuaret. Ergo quam ſibi tutelam principem delegerat, nullis non obſeruantiæ officijs demereri; Illam ſcriptis, voce, ſtudijs vbique deprædicare: preces ad illam aſſiduæ: ſicubi à quæſtionis alicuius difficultate hærere ingenium videretur, illam conſulere, quam Eccleſię, atque Apoſtolorum Magiſtram nouerat: vt non modò pleraque tantæ afflatu Virginis didiciſſe, profiteretur; verùm etiam progreſſiones in ſtudijs omnes Marianis auſpicijs acceptas ſibi referendas eſſe, affirmabat. A munifica item eiua manu beneficiorum experientia penè quotidiana. Quam illi beneficentiam impendere Deipara libenter videbatur, pio nempè, diſertoque ſuorum decorum aſſertori: præſertim quòd inter primos is fuerit, vti laudatus paulò ante Sfondratus narrat, qui eius gratiam, gloriæque cumulum ingenio emenſus, Diuorum ſimul omnium gratiam, gloriamque multis partibus excedere, non affirmauerit modò priuatim, ac publicè; ſed ſtricto etiam calamo defenderit. Quod fortè aſſequutus orationis potiùs, quàm literarum ſtudio fuerat. Enimuerò complecti ſtudioſè hanc etiam religionis partem, nempè rerum cœleſtium commentationem videbatur. Ceù minùs ſufficerent exercendo ſpiritui ſtatæ in noſtro Ordine contemplationis horæ, occupare illas conſueuerat; expletiſque, non ſtatim abſcedere; ſed quædam adhuc velut precationum appendix adhibebatur. Mirandum hoc ſanè in viro literis addictiſſimo: qui & mirari ſolitus erat, quòd ita ſe quidam abripi à ſuis ſtudijs ſinerent, vt quę lux eſt mentis, munitque ad diſciplinas viam, orationem abijciant. Quod illi vel occupatiſſimo nunquam accidit. Sepè cùm habere quotidianas conciones contingeret, aut cùm poſtea Epiſcopus Diœceſim luſtraret, ita innecti occupationes, curæque excipere aliæ alias, videbantur, vt nullum relinquerent precibus locum, At ne tùm quidem præclarum mentia otium, conſuetumque orandi tempus prætermittere. Enimuerò, quòd interdiù negabatur, decerpere è noctis, ac ſomni ſpatio conſueuerat: vt non ante cubitum iret, quàm defatigatum diurnis laboribus ſpiritum nocturna oratione reficeret, ac vegetaret. Quo quidem precum adiumento ſuæ vitæ actus, ac momenta potiſſimùm temperabat. Falli nanque humanam prudentiam nouerat, niſi hinc ſuperius aliquod lumen accedat. Admotus præſertim domorum noſtrarum rectioni, ac publicis Congregationis curis non ſemel fuit, quas ea quidem charitate, manſuetudine, ſolertia, zeloq. adminiſtrauit: vt cognoſceres, ineſſe viro eximiam quandam vim prudentiæ, supernè afflatam,

Et abſtinentia

Et pietas;

Pręcipuè in Dei Matrem,

Eius precandi ſtudium.

Atque hæc de Paulo Areſio, adhuc Clerico Regulari; qui, mutata dein perſona, vocatuſq. hoc anno, vti modò ſignificatum eſt, ad Inſulam Dethonenſem, Epiſcopum egit; fuitque profectò idem, quando eadem illi religioſi moris obſeruantia, ac vitę tenor; & alter, ſi publicum munus, atque in munere ſolicitudinem, ſtudiumque amplificandæ communis pietatis ſpectes. Et verò ſpecioſam populorum præfecturam ita inijt, vt citra eorundem populorum curas, ac Sacerdotij inſignia religioſum omninò virum repręſentaret.

In Epiſcopatu ſui cultus penè religioſus

Sui cultus modeſtiſſimus. Veſtes illi, extimæ quidem, quę ſtatus decentiam tuerentur; intimæ verò detritæ, ac malè ſartæ. Domi vix in foribus velum: cœterùm nudus paries, ac vulgatis ſupellex. Frugalis menſa, ad quam aſſidua è ſanctis Patribus, probatiſque auctoribus noſtratum ritu lectio. Familia ad ſui formam penè religioſa. Cõmunis cũ Antiſtite cũ cœnatio, tũ victus ratio: communes itẽ certis horis Theatino prorsùs more preces; planè vt inſtauraſſe veterũ Sanctiſſimorum Epiſcopòrum inſtitutum, ac domeſticam diſciplinã, videri Areſius poſſet. Quod verò ad officij ſui partes, atque Eccleſiæ procurationem ſpectat, in id totus fuit, vt exacta ad omnem diſciplinam cuiuſque vita, refloreſceret, cùm apud Eccleſiaſticos, tùm apud multitudinem pietas, ac ſanctitas morum. Inſtaurata in templis religionis, ſacrorumque mundicies: Clericorum immunitati, ac tutelæ ſtuduit quàm qui maximè: diuulſos tractu temporis ac potentiorum vi ab Eccleſiis fundos, iiſdem Eccleſiis vindicauit.

Eccleſiaſticæ diſciplinę, ac immunitati ſtudet.

Luſtrare tertio quoque anno Diœceſim inſtituit; quod temperandis Eccleſiarum commodis opportuniſſimam putabat. In eo munere nihil omninò diligentię, cenſuræque omittere: non temporum, annique vices pertimeſcere, conficiebatque iter interdũ pedes. Priuatim monebat; tùm publicè, inſtituto ad populum ſermone. Atque hoc quidem concionandi munus, quòd eſſe proprium Epiſcopi exiſtimaret, mirum qua dicendi contentione exerceret; fructumque demetebat non exiguum; quòd non quidem in ſpeciem, ſed intimè loqui, ac detonare Epiſcopum ſibi perſuaſerant ciues. Beneficentiam integram eſſe Epiſcopi laudem, ſicuti ſummũ eorum dedecus, ac probrum, ſordes, aut curtam in pijs erogationibus manum, putabat. Hinc & obuia pauperibus munificentia, & hoſpitibus aperta ſemper domus. Quam quidem in pauperes, atque in ſuos paſſim omnes charitatem nunquam luculentiùs oſtendit, quàm graſſante communi ea lue, quæ anno huius ſeculi trigeſimo Galliam Ciſalpinam corripuit, ſtrauitque funeribus penè innumeris.

Fouet mirificè pauperes

Inuoluit Derthonam popularis calamitas. Ac tùm quidem, qui Epiſcopi, eiuſq. incolumitatis cupidi videri vellent, ſuadere illi, vt in diſcrimine ſummo rerum fuga ſibi conſuleret, ſeruaretque Eccleſiæ ſuæ Antiſtitem. At enim, qui Paſtoris partes ſciuerat; non labores, non vitam ęſtimare, vt ſaluti ouium proſpiceret. Publicis nempè cladibus ſacerdotale robur, ac pectus aureum probari. Si dilabi Epiſcopum, flagrante malo, contigerit, quis illum eo nomine, ac Inſulis dignum putet? Ergo excubare intentiore quodam ſtudio ſuo gregi: cauere ſacris familijs, præcipuè ſanctimonialibus: decumbentes inuiſere, conſolari: humanarum, diuinarumque rerum pręſidio adeſſe: fouere potiſſimũ pauperes, ac non modò nulli ſumptui parcere; verùm vt munificentiùs erogaret, ſuis etiam, ſuęque familiæ commodis aliquid detrahere, ac corrogare à copioſis conſanguineis pietatem ſtuduit. Nec Derthonę finibus actuoſa hæc eius charitas concludebatur; ſed ſpiritu, animique ſolicitudine Diœceſim quodammodò inambulabat; aderatque oppidis, pagis, villis, peſtilentię, atq. inopię propulſator.

Et flagrante bello, animi conſtantia.

Hæc ille, graſſante lue, cui ad hoſtium etiam impreſſionem, armorumque impetum probare intrepidam animi conſtantiam, ſtudiumque in ſuos contigit. Obnoxia bellorum motibus ea Italiæ pars, ac penè aſſiduo laborat, caleteque à marte. Quo tempore præerat Areſius, ſemel, ac iterum obſeſſa Derthona. Subduci huic item periculo cùm poſſet, noluit, officii ſui memor. Pulſare muralia tormenta Vrbem, ac quatere, inconcuſſo nimitùm Antiſtite, cui id potiſſimũ curæ, in communi ea trepidatione ſpem, animoſque ciuibus facere, ac procurare diuinam opem. Capta Vrbe, nil propiùs erat, quàm diripi, atque iniicere in ſacra, profana violentas manus militem. Sed cladem anteuertit, propulſauitq. Epiſcopus.

Hoſtium impetum frangit.

Deducente ſiquidem Clero, obiicit ſe ſe hoſtis & quà vi dicendi, quà oris, ac Inſulæ dignitate, quà ſanctimoniæ opinione, quam de ſe concitauerat, id illicò euicit, vt licentia, atque ijs, quas iam animo vorauerant, opibus abſtinerent.

Quod

Digitized by Google

Quod Leoni magno non ſemel contigit, excuſſo præclara quadam vi facundiæ è Regum manibus fulmine, cùm maximè in ruinam Vrbis incumberent. Derthonenſem Eccleſiam diutiùs ea, qua dixi. animi ſolertia adminiſtrauit Areſius: ſenioque, ac curis confectus, Religionem iterùm cogitabat, vt nactus quid otii, morti, quam non longè abeſſe coniectabat; ſe ſe compararet, poneretque in ſinu Matris ſpiritum. Sed occupauit conſilium mors ipſa, quam post paulò ſeptuagenarius obiuit, ea quidem animi alacritate, ceu ſecurus iam præmij; quod aſſidua exercitatione virtutis, exantlatis in proximorum vtilitatem laboribus; ſcriptis in communem eruditionem, pietatemq. monumentis promeruerat.

LIBRI NONI FINIS.

cum laude geſſit. Legum noſtrarum, ad quarum normam regi, ac regere videbatur, ſeruantiſſimus. Demum in prolixa patientiæ palęſtra probata viri virtus fuit. Enimuerò diutina paralyſi diuexatus, ita diſſolui artuum nexus, ac vim neruorum contigit, vt motum, vſumque membrorum omnium amiſerit. Quindecim omninò annos ea corporis clades tenuit: eòque tandem deuenit, vt ſtipem veriùs, quàm hominem dixiſſes; ingentemque planè ſpectantium commiſerationem excitabat: cùm interim ipſe manſuetudinis, ac tolerantiæ laude incomparabili in ea arena luctaretur. Planè nunquam tàm ſerò cuipiam mortalium mors venit; quæ anno labentis ſeculi tertio, & quadrageſimo exercitum diù Thomam, ex humanis ereptum, promeritæ patientiæ laurea cohoneſtauit.

Fê in ſuis ærũnis tolerantia.

Sed libatis his magnorum capitum parentalibus, redeo ad Gregorium Pontificem, cuius experiri humanitatem in ipſo ſtatim Principatus initio Chriſtophoro Memolo, Beneuentano, viro ex noſtris non mediocri quidem eruditione; tùm diſciplina, ac grauitate morum ſpectato. Frater is erat Decij Memoli, non vulgaris Romana in aula nominis, Pauli Pontificis V à ſecretis, quem inſtructum bonis artibus ingeniũ, rerum vſus, vitę innocentia, ac quidam etiam ſupra aulæ morem mentis candor apprimè commendabant. Quibus animi partibus cùm Paulinam beneuolentiam abũdè demeruiſſet, commodo, honorique ſuo egregiè velificabat; & niſi reſtaſſet intempeſtiua Pontificis mors, attigere ſpes ſuas ad honeſtiſſimos in aula gradus potuiſſet. Interim teſtandæ ſuę in illum voluntati Paulus, cùm Rubenſe in Apulia Sacerdotium vacaſſet, honeſtare ea Sede Chriſtophorum germanum fratrem ſtatuit. Verùm, eo ſtatim vita functo, antequàm ritè inaugurari Memolum contigiſſet, ceciderat is gradu, deuoluta iure ad ſucceſſorem Inſulę conceſſione. Quod licere ſibi minimè voluit Gregorius XV. & cùm pleraque Pauli acta, ac collata ab eo beneficia rata habuiſſet, tùm tributam ſemel Chriſtophoro Memolo Rubenſem Cathedram, iterùm conceſſit. Hoc verò ſacrorum Antiſtite, quantũ illi Eccleſiæ dignitatis, nitoriſque acceſſerit, haud facilè dictu eſt. Aberat diù Epiſcopus: hinc ſacris, ac ſacrorum miniſtris malè erat. Obſoleta in altaribus ſupellex: quoddam ſacro inſtrumento ſeniũ, ac ſqualor: nulla in Eccleſiaſticis ritibus, ac ceremoniis elegantia, ac ſtudium. In ipſo verò Clericorum cultu, ac diſciplina erat profectò, quod cuperes emendari. Ergò in id ſtatim Memolus curam, ac vires intendit, vt aſſereret ſuum templo decus, ordinaretque diuinorum vſum. Et verò excutere quodammodò ſenium baſilica, ac mutari omninò eius facies viſa eſt. Sacrum veſtiarium, inductis ſacerdotalibus ex ſericò, auroque indumentis, aliaque diuino cultui ſupellectili, magnificè inſtruxit. Ex vaſis ſacris, quę deerant, facienda ex argento curauit: quæ vſus, çuumque detriuerat, inſtaurauit. Aulæa conueſtiendis in præcipuis anni feriis parietibus, partim ſuo, partim cõmuni Eccleſiæ ære, non vulgari planè opere adornari, iuſſit. Ad hęc, vt ſacri ritus, functioneſque aptè peragerentur, inſtitui ad Caſtaldi noſtri leges Clerum, voluit, excitata cæremoniarum veluti academia: vt ſanè, cùm nunquam à publicis ipſe ſacris abeſſet, nemo coram ipſo impunè peccaret, mulctata nimirũ ſeueriore quodam vultu, ac voce hominum negligentia. Quod ſi quos paulò ſegniores aduertiſſet, diſtrictiùs, ſubtractis etiam quotidianis eccleſię diſtributionibus, vindicabat. Chori prętereà diſciplinam reſtituit. Inductas prauo quodam vſu in Odèum alloquutiones, proſcripſit: & accidit quidem, vt quos ſæpè monitos, indigere acriore quadam cenſura, cerneret, carcere etiam mulctauerit: eruditque pleroſq. ad ſilentium, ac frænum linguæ cuſtodia. Hoc diuini cultus ſtudio breui Rubenſis Eccleſia ad omnem ſacrorum elegantiam refloruit: vt non ſemel grauiſſimi quique viri, aliarumque Eccleſiarum Antiſtites, quos adeſſe interdùm functionibus contigit, mirati vehementer ſint cùm templi cultum, tùm Cleri diſciplinam, ac modeſtiam, ſacrorumque in primis rituum peritiam, ac concinnitatem. Ita verò totus in cura ſacrorum erat Memolus, vt eius Sacerdotii commoda, prouentuſque minimè negligeret. Tenues quidem ibi cenſus, nec ſubſtentandæ dignitati pares reperit; quos tamen, excitata in fundis ſuis fertilitate, vſq. adeò adauxit, vt & ſuis, & pauperum vſibus, & Eccleſiæ magnificentiæ abũdè poſtea ſuffecerint. Epiſcopales item ędes vetuſtate laborantes, reſtituit, amplificauitq. Inerant laudatiſſimo viro & cœteræ etiam opes animi, atque adiumenta virtutum,

Chriſtophorus Memolus Decii frater

Rubenſi Eccleſię imponitur:

Præclaræ eius in Epiſcopatu curę.

Cenſus etiam Eccleſiæ amplificat.

rent. Sed parcimus,ne laudum compendio deroget ampliſſimæ famæ ſtylus;ac noſtræ quidem Congregationi abundè fuerit,debitum innuiſſe: præſertim, quòd non is eſt Paulus V. vt alienis hiſtorijs indigeat,ſed in ipſa ſuorum operum æternitate in æuum viuat. Enimuerò ſi conſultiſſimã,& attemperatam vtrique tempori mentẽ in eo ſpectes, ſi vitæ innocentiam,ſi Pontificiæ maieſtatis ſtudium, ſi religionis tuendæ,atque amplificandæ zelum,ſi in communem inopiam pietatem, ſi populorum commoda,atque in publica annona prouidentiam, ſi ſuſpenſos ad Vrbis opportunitatem, ſplendoremque riuos, fonteſque magnificè procuratos, ſi tectorum, templorumq. minas ſupra temporum iniuriam,ac inuidiam excitatas, ſi columnas, hortos, vias,integram hæc planè, ac perennem de abſolutiſſimo Principe hiſtoriam conficerent; ita vt nihil reliquũ ſit alienæ induſtriæ in eo ornando,quem concentus famæ,tũ æra,marmora, ac clarorum operum monumenta diſertè loquuntur. Hoc Pontifice elato, inſtituta de more Auguſtorum Patrum comitia: nec fatigata Populi Romani, totiuſque Orbis vota diutiùs fuere. Etenim collimatum illicò eſt in Alexandrũ Cardinalem Ludouiſium, Archiepiſcopum Bononienſem, virum inſigni morum laude, religionis præſtantia, doctrinarum præſidijs, vſu rerum, traducto per honorum gradus æuo, mortalium denique opinione ſummo publicæ Chriſtianæ rei Imperio parem. Conſalutatus is Romanus Pontifex, audiuit Gregorius Quintus decimus. Et quod ad Theatinam rem attinet, non mediocri planè loco apud illam noſtri homines Bononiæ fuerant. Nam, & vti ijs familiariter, & adhibere in curarũ partem ſolitus erat; quippè quos,& diligentes, nauoſque adminiſtros putaret, & intimos Ludouiſiæ domui eſſe cerneret, quam vel ab ipſo Bononienſis noſtri domicilij initio in ſpiritu rexerant. In ſupremo autem illo rerum humanarum faſtigio exutus priuatam hominũ conditionem, humanitatem erga noſtrum Ordinem non exuit; excepitque ad pedũ oſcula noſtros ſingulari beneuolentiæ teſtificatione, pollicitus idem omninò in rem communem ſtudium. Quod feriò quidem, ac ſine fuco pronunciaſſe, probauere collata ſubindè beneficia, ac nunquam non prona noſtræ Congregationis votis benignitas. Inter cætera verò beneficentiæ argumenta hoc ſtatim anno, quo conſalutatus Pontifex eſt, quæ ſunt ſacrarum familiarum firmamenta, ac robora, nempè priuilegia, inſigni quidem voluntate, atq. ex certa, vt aiunt, ſcientia, conſignatis Apoſtolicis literis confirmauit. Quod verò ad Ludouiſios attinet, euecto ad Orbis Chriſtiani præfecturam Gregorio, acceſſere & ipſi Romam in cognati imperij communionem: cœpitque à regnatrice ea Domo frequentari noſtrum D. Andreæ à Valle templum, in quo Lauinia Albergata, Pontificis fratria, Ludouici Cardinalis Ludouiſij Mater, Fiani Dux, ornatiſſima perindè, ac pijſſima fœmina illud ſingulare pietatis ſpecimen Romanis dabat, quod eò quotidie adiret, ac poſt ſacramentalem pectoris expiationem ſacrum Chriſti Dom. Corpus quotidiè item ſumeret: reſpondebatque quotidianæ huic refectioni cætera inclytæ matronæ pietas: rectore nimirùm Petro Romano, Salentino ex noſtris, viro prudentia, geſtiſque in Ordine magiſtratibus ſpectato, qui eius conſcientiam diù procurauerat, eratque in paucis Pontifici ipſi carus; adeò vt de eo Infulis cohoneſtando ſtatim is cogitauerit. Sed qui addictus priuatis vitæ rationibus, ſuoq. inſtituto erat, auelli ab eo minimè eſt paſſus, honoreſq. ita reſpuit, vt adauxerit magnoperè apud ſummum Patrem ſui exiſtimationem, ac beneuolentiam.

Creatur Pontifex Greg. XV

Eius in Cler. Reg. beneuolentia.

Lauiniæ Albergatæ pietas

Petrus Romanus Pontifici gratioſus.

Communem verò noſtri Ordinis lætitiam ab hac beneuolentiſſimi Pontificis Infula intercepit conſequuta mox Petri Cardinalis Aldobrandini in eo publicæ gratulationis æſtu mors. Valuerat in Pontificijs ijs comitijs arbitrio, nutuque ſuo; & contigerat omninò ad votum Pontifex: vt adoraret quidem Aula nouum in Petri Sede Chriſti Vicarium: ſed Aldobrandino plauderet, tanquam operis auctori ac auſpici; qui dum proſperiore eo ſucceſſu triumpharet; ecce tibi paucas poſt horas improuiſo, ac tragico penè exitu moritur, ſuo veluti ſepultus triumpho. Conſternauit ſubitus hic terror, ac fati nuntius Romam, quæ contrarijs adeò ſtudiis acta, eodem veluti in theatro hinc fauſtam Pontificis inaugurationem, hinc peracerbum extincti Principis funus contemplata, ſimul acclamare, ſimul conclamare coacta eſt: agnouitque, quàm ſæpè hic ad mortalium documenta innecti ſummam fortunam

Petrus Card. Aldobrandinus moritur.

præſeſerret, ſi eidem illi, cui legati cenſus fuerint, ſoluerentur: eòque vt ſartam, ac tectam non paupertatem modò, ſed externam ipſam paupertatis ſpeciem, quam labefactari, afflarique facilè contingit, conſeruarent Patres; hoc decreto malum occupaparunt: factumque inde etiam eſt, ne ab eo attactu quidam adreperet in pecuniam amor, ac mox proprietas. Quod quàm pronum mortalibus, ac religioſis etiam viris ſit, legendæ ſacrorum Ordinum hiſtoriç, ipſorumque veterum aſcetarum faſti, quos non vno quidem eiuſmodi caſu notatos reperies. Pœnas, quæ in quolibet hominũ cœtu ſatis momenti habent, in hoc capitulo præſcribere, Patribus curæ fuit. Planè, vt ſapienter quidem Philoſophus ille: quamuis nullum adeſſet Orbi Numen, duo hæc regendæ genti mortalium abundè eſſent, nempè præmium, & pœna. Nihil quippè capeſſendæ virtuti acriores ſtimulos addit, quàm præmii meditatio, ac ſpes: nihil cõtra à noxis efficaciùs retrahit, continetque in officio homines, quàm metus, ac lictor. Quod ſi quiſque & virtutem à præmio coleret, & crimen à pœnis reſugeret, ecce tibi temperata concentu quodam mundi Reſpublica, atque à gemini huiuſce veluti Numinis prouidentia inductus rerum, morumque ordo, religio, ſanctitas. Patres igitur cùm nihil in noſtro Ordine externi præmij eſſe, cernerent, quo virtutem aut honeſtarent, aut vrgerent; alteram hanc ſaltem humanorum actuum regulam, tutelamque diſciplinæ, nempè pœnam, accurare diligenter decreuere. Nec mirandum profectò, ſtatui in ſacris Deo viris pœnas. Humanitati ſiquidem nihil propius eſt, quàm caſus: & religioſi ipſi cùm intra homines ſint, miſerè interdũ ruant, neceſſe eſt. Præterquamquod cœleſtium corporum, ac primarum partium ſyderum defectiones; tũ reperta in angelis prauitas docent nos, nullum hominum genus immune à caſibus eſſe: quos cùm vindicari omninò oporteat, vt communi incolumitati benè ſit, nec afficiat reliquum corpus putre membrum, actum de ſeueriore diſciplina, ac mulctis. Declaratæ proindè leuiores pœnæ, in quibus nulla rei quæſtio, prçter Prçpoſiti nutũ. Circa grauiores verò, explicatum, quç noxa acriter vindicanda; quç mulctandi ratio, ac modus: qua forma iudicium inſtituendum; qui iudices; aliaque in eiuſmodi cenſuris obſeruanda; vt ſanè quàm optimè prouiſum regulari vindicationi ſit, ac ſuus ſtet æquitati ordo. Prçterea quæcumque ſuperiorum comitiorum decretis annexa præcepta, aut cenſuræ fuerant, viſum huiuſce Capituli conſulto abrogari. Gnari ſiquidem Patres, hoc eſſe noſtrarum Inſtitutionum proprium, vt nullam, ſi tranſgredi contigerit, culpam inducant; conſentaneum ijs eſſe, reputarunt, ſi nulla præterea ex præcepto lethalis noxa metum, terroremq. incuteret; ac ſufficere cùm ipſam legum honeſtatem, tùm pœnam, quç abundè emendat. Maturè id quidem conſultum, antequàm ita excreſcerent ſenſim præcepta, vt laboraret ab eorum obſeruantia ſubditorũ patientia. Id quod aliarum exemplo diſciplinarum ſatis diſcimus, in quibus cùm multiplex exiſtat à legum tranſgreſſione peccandi ſeges, non tàm iuuare obſeruantiam, quàm obruere religioſorum hominum conſcientiam præceptorum multitudo, ac ſeueritas videtur. Sancita & alia in commune Congregationis commodum, priuatamque domorum diſciplinam: præcipuè de ſtudijs de ratione in domorum capitulis, priuatiſque electionibus ſeruanda, de nouitiorum delectu; in quorum quidem inſtitutione cùm vnam, eandemque in Ordine ſeruari formam, modumque, par eſſet; viſa Patribus opportuna inſtructio, quam concinnauerat Stephanus Sanctinus, Cremonenſis, priſci vir moris, atque in omni virtutum genere laudatiſſimus; in hac prçſertim formandæ tenerioris indolis palæſtra apprimè verſatus: decretumq. vt exſcriptum exemplar in ſingula Congregationis tyrocinia tranſmitteretur; ea quidem mente, vt periculum hoc triennio facerent, probaretque magiſter rerum vſus, aut improbaret. Porrò non defuere, qui in his comitijs noſtram operam, ac domicilia in ſuis Ciuitatibus enixè peterent. Et quidem Rhegini, qui aliàs inauſpicatò rogauerant, periclitari iterùm ſua vota intentiore quodam ſtudio voluere. Sed quòd iam excuſſa ea olim poſtulata à Patribus fuerant, nec alius nunc rerum flatus, ac ratio coloniam ſuaderet, conſtans omnium ſententia in eo fuit, vt recuſarent; cùm interim adauxerint magnoperè ſtudium Patres in nobilem eam Vrbem, quæ Theatini nominis vehementer cupida, tantùm ſibi de noſtratium ſolertia, curiſque pollicebantur. Nec proniora Catanenſibus ſuffragia fuere; qui cùm cernerent, prouenire latiùs Clericorũ

Prçſcribuntur noxis pœnæ.

Stephani Sanctini pro tyronibus regulæ.

Rhegini iterũ inſtitutum efflagitant, nec impetrant.

Re-

Digitized by Google

Regularium in Sicilia labores, atque in præcipuis eius Inſulæ Vrbibus ab eorum induſtria communi religioni bene eſſe, quas olim adornauerāt preces, inſtaurare hoc anno decreuere. Sed qui gentis ſtudia probabant Patres, eorum adſtipulari votis, atque animum ad Catanenſe hoc domicilium adijcere, viſum minimè opportunum. Nec diſſimulandum, quod ſucceſſu etiam caruit Comaclenſe cœnobium, in huiuſce etiam anni conuentu agitatum. Vrbs ea eſt in Venetis non infrequens, & ſitu quidem alteras veluti Venerias repræſentat, quippè quam interfluens lacus diſſecat, alluitque Euripis ſuis. Popularium ſtudia Iacobus Cardinalis Serra Patribus attulit; inculcauitq. inſigni quodam ardore animi poſtulata, ac pleraque in loci etiam commendationem addidit, perindè, ac ſi rem ageret, quæ gratiſſima ſibi foret, ſi proceſſiſſet. Sed non adeò beneuolentiſſimi Cardinalis ardor Patrum animos occupauit, quin ſuæ Congregationis rationes, ac commoda flagrantiſſimis officiis anteferrent. Ac re quidem ad calculos reuocata, cùm non id eſſe è re Inſtituti ſibi perſuaſiſſent, recuſādum omninò duxere. Ac ipſemet Serra, vbi maturam ea ſuper re conſultationem, & quæ potiſſimùm cauſæ locum excluſerint, cognouiſſet, Capituli conſilium æqui, bonique conſuluit: probauitque, ſtrictiore ea cenſura religioſę obſeruantiæ, ac Theatino præſertim Inſtituto caueri.

Et Comaclēſe.

Sed de Comitiis hactenùs. Mantuam ſtatim excurrimus, vbi ſub hoc tempus noſtrum Ordinem, ac Mantuanum præſertim Collegium Dux Ferdinandus, atque inclyta Coniux Catharina Medicèa inſigni beneficentia demerentur. Sedulam cùm priuatæ diſciplinæ, tùm publicę popularium inſtitutioni nauabant Mantuę operam noſtris ſed à ſitus anguſtia non minimùm laborabant; vt cùm amplificari domus minùs poſſet, neque excreſceret ad fructuoſiores vigilias familia. In attiguas quaſdam ædes, perampIas eas quidem, & quibus nihil ad rem noſtram opportunius; collimauerāt; & qui pretio ſoluendo non erant, id iis reliquum, vt loci difficultatem tolerarent: atque interim benede Numinis prouidentia ſperarent: quæ quidem viſa nunc ſplendidè affulſiſſe. Enimuerò Ferdinandus amplitudine digna Principe, adnitente Coniuge, negotium confecit, coëmptaq. non minùs octo aureorum millibus, quam dixi, domo, noſtris, vt laxiùs habitarent, donauit. Quod etſi teſtandæ eximiæ in Ordinem voluntati nauauit, præcipua tamen munificentiæ cauſa beneuolentia fuit in Fulgentium Gemmam, à ſacris ampliſſimorum Ducum confeſſionibus, cuius induſtria, ac fide cùm non modò in conſcientiæ momentis, verùm in grauiſſimis etiam ſui Principatus negotijs vterentur, atque is operam eximiè probaret ſuam, gratificari hac illi potiſſimùm ſignificatione voluere. Rei teſtes extant Catharinæ Ducis literę autographæ, datę à Suburbana villa ad Gemmam, quæ ſic habent. [Dux meus Dominus iuſſit mihi, vt has obſignatas publicè tabulas de domorum emptione in cœnobii veſtri commodum ad te mitterem, vt accipiat à te Præpoſitus: cùm tui potiſſimùm gratia confecta res ſit. Agnoſces hinc profectò tu, atque vniuerſus tuus Ordo, quo loco ſis apud nos: atque hoc quidem ſpecimen quoddam eſt eius beneuolentiæ, quam impendere in dies cogitamus, & tu ipſe vſu diſces. Vale, & nos Deo commenda.] Hæc illa: quæ humaniſſimis planè literis ſuum, ac Viri ſtudium in Gemmam abundè explicauit. Id quod & alia ſubindè argumenta docuere. Nam quod ad Catharinam attinet, nimiū quantū, vti aliàs exponetur, eius in illum affectus, atque exiſtimatio excreuerit. Ferdinandus verò vſque adeò familiariter illo vtebatur, vt cùm eodem hoc anno peregrinationem pietatis cauſa ad domum Lauretanam, & ad conſalutatam ab Angelo Virginem, quę pręcipuo Florentię ſtudio colitur, pedes inſtituiſſet, inter paucos Fulgentium Gemmam viæ comitem voluit, qui ſuauitate, pietateque ſermonum, & leuamento itineri, & incremento religioni eſſet. Nec poſt multò cùm is ipſe Ferdinandus Mediolanum ad D. Caroli Borromæi Cineres alio nēpè apparatu, qui Principem deceret, vnà cum ornatiſſima Coniuge voti cauſa contenderet, non ſine Fulgentio Gemma obire id religionis voluit: vt idem eſſet domi, & foris diuinorum moderator, à cuius præceptionibus diſcedere nec latum vnguem poſſe, inclyti Principes videbantur.

Ferdinandus Gonzaga Mātuanum cœnobium auxit.

Coempta attigua domo.

Datum id beneuolentiæ in Fulgentiū Gemmam.

Sequimur nūc Vincentium Gilibertum, Præpoſitum Generalem, qui peracta ſtatim à ſuſcepto munere Regni Neapolitani, ac Siciliæ inſpectione, in Galliam Ciſalpinam

Lu-

luſtrandæ item de more Sodalitati iter conſequenti mox anno vertentis ſeculi vigeſimo ſecundo intendit, ac Taurinenſe domicilium impetrauit; quod hic denarrandũ. *An. Dom. 1622.* Tentari hæc colonia cœpit iã inde ab huiuſce ſeculi initio, cũ Paulus noſter Toloſa, Epiſcopus Bouinenſis Apoſtolicum Nuntium apud Carolum Sabaudiæ Ducem Taurini ageret. Prænobilem eam Vrbem ſua laude, ac ſuorum ſplendore Principum inſignem, excipiendo percommodè Ordini opportuniſſimam exiſtimauit Toloſa: perſcripſitque Eliſeo Nardino Præpoſito Generali, vt quando Congregationem inſpecturus, obire Ciſalpinam Galliam deberet, gradum eò promoueret, vt ea ſuper re vnà ſimul conſulerent, vrgerentque negotium. *Taurinentem domũ Toloſa agitat.* Exceptus perhonorificè ab inclyta eadomo Nardinus. Sed pronior licet Caroli Emmanuelis voluntas; quædam tùm quidem publica commoda, ac momenta eius animum perindè auocarunt, vt fundandæ Clericorum Regularium Familię adiicere curas ſuas minimè potuerit. Mentem verò ita diſtulit, vt creſceret in dies in eius Inſtituti homines ſtudium, quos à vitæ ratione, atque ab Eccleſiaſticę rei cultu ornamento Vrbi ſuæ futuros, perſuaſum habebat. *Succeſſu res caruit.* Adauxitque vehementer idem hoc in Ordinem ſtudium Vincentius Gilibertus, Iſabellæ Sabaudæ Mutinenſis Principis, Caroli Emmanuelis filię, à ſacris cõfeſſionibus anno voluentis ſeculi quarto decimo, cùm dicere ad multitudinem in magni ieiunij feriis in Principe templo contigit. *Gilibertus Taurini declamat.* Sed agitata hæc eadem conſilia nihilò ſanè feliciùs; quando excitatus ſub id maximè tempus bellorum turbo, miſcere cũ Italiam omnem, tùm Sabaudam pręcipuè aulam cœperit. Septem verò poſt annis in eodẽ primario templo, eaſdem cinerales conciones habuit Dionyſius Dentice incredibili cum aſſenſu, plauſuque Taurinenſium, maximè Principum, quos ita cœpit viri eloquentia, vt beneuolentiam in Theatinum nomen mirificè intenderint, Congregationemque honeſtare, ac ſua tandem donare Ciuitate decreuerint. *Et Dionyſius Dentice.* Ergò Gilibertũ, qui tùm vniuerſo Ordini pręeſtat, literis quàm humaniſſimis appellat Carolus Emmanuel. Taurinenſis cœnobij conſilium haud ampliùs differendum, monet: diſtuliſſe armorum motus, inſenſaſque pietati militares curas: quando pacatiora iam tẽpora votis ſuis aſpirarent, annueret ipſe, ac perſuaderet ſibi, nulli ſe beneficentiæ, ac ſtudio in excipienda familia defuturum. *Dux Sabaudię, Carolus transferri coloniã poſtulat.* Aderat tùm Romæ Mauritius Cardinalis Sabaudus regiis planè moribus Princeps, noſtręque Familiæ cũ primis addictus, qui hęc ipſa Caroli Patris officia coram inflammauit; hortatuſque Patrem Generalem eſt, vt iturus propè diem inſpiciendi Ordinis cauſa in Galliam Ciſalpinam, Taurinũ ſe transferret, vt communia eius aulæ, ac Vrbis vota exploraret ipſe luculentiùs, ac conficeret fauſtè rem. *Vota vrget Card. Mauritius.* Complectendum nulla mora negotium, duxit Gilibertus; quando præter incrementum Ordinis à nouæ colonię dignitate, inclyti Principes tãta cum egregię voluntatis teſtificatione euocarent; Taurinum is Septembri menſe die Exaltatę Cruci ſacra tenuit, quæ dies peruigilium eius feſti eſt, quod de Chriſti Dom. Sindone præcipuo quidem honore celebrant. Commodùm aduentaſſe Patrem Generalem, exiſtimauit Carolus Emmanuel, vt viri eloquentiam, quam olim ingenti cum voluptate, ac fructu vſurpauerat, reguſtaret iis ſolenniis. Ergò conſalutatum illum miſit, rogatumque, vt poſtera luce de pretioſi eius Lintei laudibus diceret ad concionem; quod quamuis à temporis anguſtia, vixque incommodis non adeò opportunum; attamen viro exercitatiſſimo cùm obſequendi ardor, tùm ipſa concluſa in arctum facultas eloquentiam extimulauit: dixitque communi cum approbatione, ac planè diſertè: eademque die pomeridianis horis conſcendere Patrem Generalem vnà ſecum Dux inclytus locum, iuſſit, vnde exponi ſacræ illæ extincti Numinis exuuię populorum venerationi ſolent, vt inſpecta propiùs diuinæ charitatis veſtigia religionem, aſpectumque ſatiarent. *Adit Taurinũ Gilibertus.* Vbi id accidit. Nam flagrante gentiũ ſtudio, ac numero, dum ſerta precaria certatim iacerent, vt religionem attactu conciperent; in Patris Generalis vultum quædam ex ijs ita inuolauerint, vt modicè ſauciarent, cruoremque delibarent. Adfuit illicò Dux Carolus, abſterſitque ſua ipſe manu ſanguinem; ac feſtiuè pronunciauit, nunquam ſine proſperiore quodam ſucceſſu ſauciari Generalem. *Caroli Ducis in illum beneuolentia.* Poſt hæc, aliaque humanitatis argumenta admiſſo in colloquium Giliberto, teſtatam prolixè eximiam in Ordinem voluntatem domicilij deſignatione voluit: ſtatuitque ita Theatinos homines excipere, vt tectum ijs, tem-

plumque iuxta Prætorium exædificaret; nempè vt propiùs afflaret Principum gratia. Inſignem beneuolentiam quæſitiſſimis gratijs excepit Gilibertus; ijſque auſpicijs cùm ſucceſſuram fauſtè rem Taurinenſem, animo prædiuinaret, inſpectionem eſt proſequutus. Interim vt adirent quàm primùm Patres, Catharina ornatiſſima Princeps, Caroli filia, ad eximiæ pietatis, atque erga noſtrates beneuolentiæ ſpecimē, & vrgere negotium voluit, & concinnandas ijs excipiendis ædes ad D. Ioannis viciniam curauit; quoad ſua deindè in ſede conſiſterent. Planè nihil eius prouidentia ſtudioſius, ac diligentius; vt cū cœteram ſupellectilem, ac domeſtica commoda exactè imperauerit, minutiſſima quæque minimè neglexerit.

Infantis Catharinę ſtudium.

Ornatum etiam templi, atque altaris indumenta ex auro, argentoque, ac digna Principe concinnauit. Quibus ad votum peractis, iuſſi fundandæ coloniæ adire Dionyſius Dentice, & Caietanus Coſſus; vterque ab eloquentiæ laude per Italiam celebris; & Dentice quidem genti, ac aulę notus, quam, vti ſignificaui, ſuperiore quadrageſima continenti dictione ſuſpenderat. Taurinum Octobri mēſe eius anni vigeſimi ſecundi peruenere, quāta cū Sereniſſimæ domus gratulatione dici vix poteſt:

Adeunt Taurinum Coſſus & Dentice.

certatumque deindè officiis inter eos Principes, ipſa in primis Catharina præeunte, quā, vt acris eſt virtutis æmulandæ ardor, lectiſſimæ ſorores, Margarita, & Maria ita imitari viſę ſunt, vt nullam in ornando Ordine comitatis, ac magnificentiæ partem omiſerint. Iis verò ampliſſimæ aulę ſtudiis, expectationique Vrbis reſpondere Patres pro viribus, frequentique linguæ officio occœpere. Inſtituta ab ijs ſtatim in principe templo nouendiales ante auguſtę Virginis puerperium ſolenni ritu, cultuque feriæ, in quibus cùm alternis dicerent Coſſus, & Dentice, viſus profectò in eo eloquentiæ certamine triumphare populorum ardor, ac pietas: plaudebantque ipſi præſertim Principes cū fructu pietatis. Exceptum tùm quidem id recentis religionis communi cum approbatione fuit, continuatumque annis ſubindè conſequentibus ea quidem cū noſtri Ordinis prærogatiua, vt inter celebrioris famæ concionatores vnus ſemper è noſtratibus numerum impleat; quamuis in Chriſti Dom. Aduentu ſua in Eccleſia minimè declament.

Chriſtinę Borboniæ in noſtros benignitas.

Cuiuſmodi priuilegio & noſtros non ita pridem honeſtauit inclyta Sabaudiæ Dux Chriſtina Borbonia, Princeps quidem à regia moris, atque oris indole, à vi iudicii, atque ab ipſa potiſſimùm pietate, vſuq. religionis longè commendatiſſima. Siquidem cùm ſingulis Quadrageſimæ ſextis feriis dici in ſummo templo de ſacra Sindone mos ſit; idq. in orbem, ab iis nempè, qui per eos magni ieiunii dies in ea Ciuitate aſſiduò ad populum agunt; conceſſit noſtris Borbonia, vt quamuis publica voce ſuo ipſi in templo minimè deſudaſſent, ſuum nihilominùs in peroranda ſancta Sindone locum habeant, reclamantibus licet religioſis quibuſdam viris, qui intentata lite, iure ſibi deberi perhonorificum dicendi officium, contendebant.

Iam verò, quam Dux Carolus noſtræ diſciplinæ Eccleſiam agitabat, dum ſuas moras habet, aliquod interea ſibi pro modo templum dari, Patres curant; vbi regulari inſtituti ſui obſeruantię, ſacrorumque cultui operam darent.

Quibus D. Pauli Eccleſia tribuitur.

Et adnitente Catharina cum Cardinali germano fratre, D. Pauli Eccleſiam à Sodalibus Sanctæ Crucis, quorum iuris ea erat, certis conditionibus impetrarunt: eòque ineunte ſequenti anno immigrarunt; vbi adauctis mox operis, viris nempè impigris, atque in omne proximorum commodum intentis, viſi concionibus, Sacramentorum procuratione, pſalmodia, cultu eccleſiæ, exemplo morum ciuium ſtudia demereri, ſuumque vrgere ſtrenuè inſtitutum, ac diſciplinam. Morari hic non diù contigit, artibus certè mali dæmonis, qui interturbare Patrum vigilias omni ſtudio conatus, id incommodi turbulentiſſima quorundam ex eo ſodaltio indole iis creauit, vt aliò mox concedere oportuerit. Excepti in D. Michaelis templo fuere, quod ad extremam Vrbis viciniā ſitum, minùs planè opportunum Clericorum Regularium vigiliis, actuoſęque eorum vitæ videri poterat. Itaque ita hic recepta familia eſt, vt ſimul ad vberiorem ſegetem commodiorem locum cogitarent; collimaruntque in Sanctiſſimæ Trinitatis eccleſiam, à ſitu, ab hominum accurſu, celebritateque peropportunam. In ea ineunda ingens planè opus, ac labor fuit. Obnoxia Sodalitio, hoc eſt, multitudini, erat, quæ rarò in idem conſilium vnanimi ſuffragatione conſpirauit: vt capita, ita & ſententię plerumque diuerſę. Princeps Mauritius Cardinalis, cuius tutelæ, ac patrocinio

Io-

loco commendatus, & cui nihil prius, quàm Ordini gratificari, conciliare hominum ſuffragia pro viribus contendit: quod ipſum quà precibus, quà auctoritate nauare & ipſæ lectiſſimæ Infantes conatæ; quorum adiumentis cùm acceſſerit Caroli Ducis imperium; id euicere tandem Patres, vt immiſſi in loci poſſeſſionem fuerint, anno quarto, & vigeſimo voluentis ſeculi die Nouembris menſis ſexta, agente item Sigiſmundo Eſtenſi, viro Principe, cui id negotii etiam atque etiam commendauerat Carolus Emmanuel.

Vnde in SS. Trinitatis immigrant,

At enim pacificus licet ingreſſus tùm quidem fuerit, luctandum deindè cum loci Sodalibus fuit. Noſtris nihil potius, quàm conſtans quędam ſacrorum ratio, exquiſitus rerum ordo, ſua pſalmodiæ tempora, atque immunis ab omni exterorum iure eccleſia. Ergò Sodales aduerſùs Theatinam familiam, quòd immiſſa in eam ſedem ſuis ingratiis fuerit, minùs beneuoli, nulla tēporũ, noſtręq. diſciplinæ ratione ſua exercere munera; alienis horis in choro pſallere; intercipere Patrum functiones; miſcere ſacra, ac templum. Quę quidem illi inſigni cum modeſtiæ laude conniuendo, ſorbēdo diutiùs pertulere: fuerunt que poſtea in cauſa, cur ſedem ſplendidiorem in locum incredibili cum Principum aſſenſu, ac Theatinæ rei incremento transtulerint: adeò verum eſt, vt magnificentiorem plerumque fortunam adlaborent incommoda. Et verò, qui Carolo Emmanueli Patri ſucceſſit, Victorius Amedęus, Princeps quidem ab omni clarorum operum genere ornatiſſimus, paternæque vt celſitudinis, ita & in nos beneuolentię ex aſſe hæres, intenderat quidem neruos, vt relicta Clericis Regularibus Eccleſia, aliò Sodales honeſtis conditionibus, nec mediocri cum ipſius Sodalitii compendio, immigrarent. Sed cùm alię alias exciperent difficultates, & res eſſet, vti dixi, cum multiplici hominum ſenſu, ac indole; occaſionem à mora Patres arripuere, ſupplicaruntque Amedæo Duci, vt quando cōſtanter hæreret ſua in ſede Sodalitium, permitteret, vt mutarent ipſi locum. Pręerat tùm quidem noſtris Placidus Filingerius, vir quidem, vti ſignificatum alibi eſt, apud eius aulę Principes oppidò gratioſus, qui ita ſitum alium efflagitauit, vt altiùs planè collimauerit. Dedicauerat iam olim Carolus Emmanuel ex Philiberti Emmanuelis, Patris voto ob partam ad Sanctum Quintinum victoriam inclyto Martyri Laurentio domeſticum in Prætorio ſacellum. Auctum id poſtea fuerat cœleſtium deliciorum copia, quotidianis præſertim in Quadrageſima Stationibus romanum in morem, quibus obeundis cùm ingens vis mortalium conflueret, anguſtior planè locus videri poterat, quàm vt cōmuni pietati fieret ſatis. Igitur inſinuare Victorio Filingerius, optimum quidem factu, ac dignum piiſſimo Principe opus futurum, ſi ſacellum publicam in aream produceret, ac templum auguſtiorem in formam proximè ſuas ædes exædificaret, eòq. titulum, icones, indulgentias, populorum nempè commodo transferret: quod ſi Clericis deindè Regularibus munificè traderet, perſuaderet ſibi Princeps optimus, immortale fore apud illos beneficium: qui quidem poſtea ſingulari beneficentiæ, lociq. dignitati proximorum ſtudio, religione ſacrorum, Eccleſiaſticæ rei cultu apprimè reſpondiſſent; nec alienum ab optimi Parentis Caroli Emmanuelis mente id eſſe. Annuit votis hiſce regia planè humanitate Victorius, annexumque Principis Cardinalis ædibus ſitum ſtatim deſignauit. Videre eſt beneuolentiſſimi Principis diploma, quod in Neapolitano D. Pauli tabulario penes nos extat, planè honorificum, quo ita locum, ac Sabaudię Ducum ſacellum noſtris concedit, vt illos omni laudum genere cumulet. Neapolitanos in primis Patres, qui Taurinenſem coloniam fundauerant, ac frugiferam inibi operam in morum, pietatiſque procuratione diù nauauerant, mirificè commendat; eorumque pręſertim vſui addicere ſe cœnobium verbis conceptiſſimis affirmat; memoratque Caietani Coſſi, quem mox dicam, in Auguſtam domum promerita, quæ potiſſimùm in ea loci conceſſione ſpectaſſe, diſertè, ac magnificè iis literis teſtatur. Ergò ſimul in alterum hoc contubernium cōceſſere Patres, ſimul D. Laurentii Sacellum, adornata pro modò ęde ſacra eò translatum, die videlicet Februar. octaua anno huius ſeculi quarto, & trigeſimo: quo eodē anno deſcripta templi forma, ac iacta ritè fundamenta. Incredibile ſanè dictu, quo gentium plauſu, quo faſtu, ac celebritate poſita iſthæc naſcentis eccleſiæ rudimenta fuerint. Conuenere regii Coniuges Victorius, & Borbonia, Sereniſſimi item Principes,

Placidus Filingerius pro D. Laurentii templo ſupplicat,

Et impetrat.

Legati, proceteſque ad vnum omnes: militares deindè copię, equitatus, peditatus: tùm ad exaugendam Vrbis hilaritatem diſploſa tormenta bellica, excitatique feſtiui paſſim ignes: planè vt nihil publicæ magnificentiæ, ac lætitiæ, celebrandę ſolennitati, deſideraueris. Primarium lapidem Antonius Prouana Archiepiſcopus Taurinenſis iecit. Inſcriptas verò in eo literas debere hic nolui, quæ ſic habent.

DEO OPT. MAX.
Ac Sanctiſſimæ Deiparę ad Pręſepe.
Templum,
Beato Martyri Laurentio ex Sereniſſimi Emmanuelis Philiberti voto
Ob partam victoriam iam dicatum,
Hæreditaria pietate; ampliore magnificentia,
Publicę commoditati, Inuictiſſimus Victorius Amedæus
Hic reſtituit.
Annuentibus Regia Chriſtina,
Et Principe Mauritio Cardinali,
In Clericorum Regularium ſortem.
Anno MDCXXXIV. die ſexta Iunii.

In celebranda noſtra Eccleſia aſſidui Sabaudi Principes

Conſequuta non diù poſt Victorii Ducis mors, tùm domi foriſque bella cœptum hoc ędificium vt lento promoueret gradu, effecere: Interim in ea, quam ſibi pro modo concinnerant eccleſiā, ſacra obeunt ingenti cum omnium ordinum accurſu Patres: certantq. in ea ornanda Principes, diuiſis inter ſe ſe Marianis per annū, aliiſq. ſolennitatibus, quas celebrent. Nā Chriſtina Dux Conceptionem magnę Virginis ſibi delegit; cunabula Catharina; Purificationem Maria, cuius muneri ſucceſſit Ludouica Maria, Mauritii Principis, olim Cardinalis coniux; Dux verò Carolus Emmanuel D. Laurentii feſtum diem, immiſſis nempè magnificè eleemoſynis, & quæ Numinis, ac Deiparæ cultum, præſentemque celebritatem condecorent. Illud ab inclyta Duce Chriſtina beneuolentiæ argumentum noſtris contigit, ſtatim ac ſu D. Laurentii immigrarunt. Miſſum illi ſub id tempus ab Antonio Cardinali Barberino pium, ac ſplendidum munus fuit; particula nempè Infantis Dei cunarum, quam auro, gemmiſque ad omnem artis elegantiam conueſtiram, vbi Chriſtina accepit, noſtris illicò deſtinauit; obſignatiſque publicis tabulis, ipſa Natalitia Chriſti nocte afferri à Bergerio, ſuis ab eleemoſynis Placido Filingerio voluit, coliturque hodièque ſumma noſtro in tēplo religione. Porrò cum à noſtris quà Sacramentorum adminiſtratione, vſuque diuini cultus, quà ſacris concionibus pleraque manauerint in ciues in ſpiritu commoda; tùm ab inſtitutis Sodalitiis non mediocre ſanè pietatis compendium extitit. Marianos ſeruos inſtituit Caietanus Guindatius, vir, quem aliàs nominaui, præferuidus. Sodalitij Anteſignanus, Mauritius Cardinalis, qui præclaro exemplo ſui aulam omnem Mariæ obſequio mancipauit inſigni planè cum fructu morum: quorum deindè cœtui adiungi & ipſe Carolus Emmanuel Dux, Victorii filius, voluit; concepitque florentiſſimus adoleſcens inter lachrymas, pioſq. animi motus ſolennia verbas vt admirationi Sodalibus tanti Principis modeſtia, religio, ac diuinorum ſenſus fuerit. Alterum eiuſmodi Marianæ ſeruitutis Sodalitiū mulieribus aperuit Placidus Filingerius: ne ſcilicet id præcipui in Virginem obſequij deeſſet deuoto fœmineo ſexui. Lectiſſimus is planè cœtus perindè, ac pijſſimus, cuius implent numerum Sabaudæ ipſæ Principes, ac præeſt Chriſtina Dux, obeuntque per hebdomadam, ſtataſque anni ferias non pauca quidem ad virtutum inuitamentum pietatis opera. Tertium non ita pridem excitatū in hoc D. Laurētij cœnobio ſub D. Ioſephi, ac Beatorum Caietani, & Andreæ auſpicijs Sodalitium, quod à bona morte nuncupāt, eſtque ijs adiumento, qui ſupremo ſpiritu laborant. Opus Guido Maria Bentiuolus ex noſtris, Guidonis Card. Bentiuoli ex fratre nepos inſtituit, probantque ſtudia ciuium, ac quæſita in diſcrimine ſummo rerum moribundis pręſidia. Quæ quidem charitatis pars, quòd ſolennis noſtro Inſtituto ſit, vigeatque noſtratum opera, illam in loco fusè explicabimus. Pręter morientes, mortuos etiam inibi noſtri curant ſingu-

Pium à Chriſtina Duce munus.

Inſtituitur à Guindatio Sodalitium Seruorum D. Virginis.

Eiuſmodi cœtum conſtituūt fœminę.

Tertium à Bētiuolo pro morientibus Sodalitium.

Digitized by Google

gulis ſecundis feriis ; compoſita nimirùm ad defunctorum commiſerationem ecele- ſiæ facies inſtitutis ad publicam Euchariſtiam precibus ; celebratis ſacris ; habitis ad multitudinem concionibus: quę non mediocri ſanè leuamento, ac refrigerio piorum manibus ſunt. Ab impigra hac porrò Patrum induſtria facilè fuit communem omnium exiſtimationem, amoremque conciliari: ex quibus plerique, non vtcumque ſterili quadam beneuolentia contenti, fouere inſtituti inopiam quàm liberaliſſimè viſi ſunt. Et quidem præter Sereniſſimos Principes, quà viros, quà mulieres, è quorum munifica manu, nunquam non impluit in Taurinenſe cœnobium largior beneficentia, fuere & alii, quorum ſi hic nomina diſſimulem, ingrati profectò fuerint annales noſtri. Philippus Sammartinus de Agliè, Sancti Germani Marchio, è militari Diuæ Virginis Annuntiatę Ordine, magnus Sabaudæ domus, ac Patrimonii Præfectus, vir quà genere, quà prudentię laude, ac cœteris animi partibus longè ſpectatiſſimus, noſtram diſciplinam cũ paucis demeruit: idque non opportunis modò in aula officiis, ſed aſſidua etiam manu, vt & ſtata per hebdomadam erogatione, & frequenti extra ordinẽ beneficentia addictiſſimus videri noſtro Inſtituto voluerit.

Fauet noſtris Philippus Sammartinus de Agliè.

Debemus & Friderico Tanæ, Limonis Marchioni, ac Prætorij Præfecto plurimùm. Is ad Euerardum, Friderici Secundi Cœſaris Oeconomum, nauumque Imperii adminiſtrum, genus cùm referat ſuum, maiores habuit, domi, foriſque claros, quos ipſe bellica laude, vi prudentiæ, fide in Principes, pietate in Deum longè exæquauit. Planè quòd incredibili ſtudio, ac munificentia adſit Theatinę rei vir optimus, gratulamur hanc nobis effusè beneuolentiam, ac pro modo teſtamur ad æui fidem.

Et Fridericus Tana.

Appellare hic porrò Annam Violantem Parpaliam, Cerſenaſci Marchioniſſam, piiſſimam, ac principe apud Chriſtinam Ducem loco fœminam, ęquum eſt. Communem profectò matrem dixeris, ſi eius in noſtrates affectum, prouidentiam, curas ſpectes. In eo ſiquidem tota erat, vt Principum in nos ſtudia vehementiùs inflammaret, iuuaret opibus familiam, curaretque prolixè noſtra. Illud ſanè eximiæ beneuolentię luculentum teſtimonium, legare noſtris cineres, qui Cerſenaſco, vbi defungi vita contigit, tranſlati, in D. Laurentii templo bene iacent, ſuperſtite beneficentiſſimę fœminæ memoria.

Et Marchioniſſa Cerſenaſci

Hactenùs Taurinenſe Collegium, in quo cũ plerique ſubindè ex noſtris cum laude præfuerint, tùm ipſe in primis Caietanus Coſſus, nunc Archiepiſcopus Hydruntinus, meritò hic commemorandus, qui coloniam fundauit, rexitque diutiùs, ingẽtique, qua apud auguſtam Sabaudię domum gratia valuit, non minimùm ſanè amplificauit. Meminimus curſim aliàs Virum, quà ſtirpe generis, quà doctrinarum pręſidiis, quà dicendi laude præſtantiſſimum. Pauca hic etiam delibanda: nã perſequi de eo ſingula, longiùs planè eſſet.

Caietani Coſſi genus.

Natales illi prænobiles. Clara ſiquidem inter Neapolitanas familias affinitatibus, ac fortunarum copia Gens Coſſa, ex qua in Maximum olim Pontificem euaſit Balthaſar Coſſus, appellatus Ioannes vigeſimus ſecundus. Illuſtre item ex matre genus, nempè Sanſeuerinum ex Sancti Donati Ducibus. Nomen religioni dedit intra adoleſcentiam, addictuſque ſubindè ſtudiorũ ſpatijs, mirum, qua ſtatim laude ingenii effloruerit: vt admirationi planè ipſis eſſet præceptoribus peracris, ac volucris quædam vis mentis.

Ingenium.

Has ipſas diſciplinas, vt exhauſit, vt profiteri inter noſtros cœpit. Sed ne diutiùs hæreret ſcholis, fecit eximia dicendi facultas, quæ ſtatim illum publicam in lucem, fructumque mortalium prouocauit. Inerant Chriſtiani Oratoris partes ad inuidiam, gratia, geſtus, dictionis elegantia, vis memoriæ, atque ipſa oris ſpecies, animorum apprimè conciliatrix.

Dicendi facultas.

Dicere ad multitudinem nondum Sacerdos inſtituit. Sed à maturiore ipſa facundia non adeò acerbum æuo dixiſſes. Qua quidem dicendi laude vſque adeò poſtea excelluit; vt inter prima concionatorum nomina inclaruerit; audituſque in præcipuis Italiæ Vrbibus, nunquam ſine celebritate, ac plauſu. Illud in Coſſo planè admirandum; ſubitaria interdùm eloquentia ita ſuſpendere auditorum aures, vt dixiſſe illum extemporaneè, aut tanta rerum copia, cultuque dictionis dici poſſe non meditatè, omninò negarent. Cuiuſmodi documentum Mantuæ edidit in domeſtico Margaritæ Gonzagę, Ferrariæ Duce ſacello, expoſitis quàm ſplendidiſſimè Diuorum lipſanis. Euocati eò ab ornatiſſima Principe plerique ex noſtris fuerant, inter quos

Ca-

Caietanus Coſſus, qui dum precibus litant, locique dignitatem, ac pietatem inſpicit; ecce tibi ex inopinato Margarita: Age, inquit, quàm opportunè veſtrum aliquis hic modo peroraret: quod dum cæteri in ea licet dicendi arte exercitatiſſimi in tanta aulæ celebritate recuſant; ſubijt munus Coſſus; dixitque vſqueadeò appoſitè, vt cõſequuta communis admiratio id tandem expreſſerit, haud vnquam concinniùs, aut copioſiùs dici à quoquam potuiſſe, ſi commentari diutiùs contigiſſet. Taurini dicturus iam iam ad Principes, ac conſertiſſimam concionem quidam eccleſiaſtes, correptus ſubito quodam morbo eſt. Ergo Dux Carolus Emmanuel, cui perſpecta Coſſi facundia, ne ludi theatrum contingeret, illum monet, vt vices ſuppleat: qui è ſubſellijs, vbi iam aderat, in veſtigio temporis pulpitum conſcendit, dubioſque dictionis alacritate, ac copia auditores reliquit, an ipſemet elegantiùs diceret, cùm à ſtudio paratus, accederet. Hoc ipſum Romæ, Neapoli, atque alibi locorum ſubitæ eloquentiæ experimentum cum plauſu eruditorum fecit. Nempe volucre illi ingenium: ex quo & prompti etiam pro re nata ſales, atque arguta ad miraculum dicta; in quibus celebris profectò Caietanus, vt nullus eiuſmodi vibrantis linguæ feſtiuitate exhilararet ingenioſiùs cœtus. His animi dotibus Principum animos, ac beneuolentiam peruaſit. Mantuana in aula in omnium amoribus, atque oculis fuit; eoque apud eos Principes loco, vt in rerum etiam grauiſſimarum tractatione adhiberent. Eleonora in primis Gonzaga, poſtea Imperatrix, ſuis illum à concionibus, atque eleemoſynis renunciauit; tantumque à Coſſi adhortamentis pietatis hauſit, ac ſpiritus, vt concepta regularis diſciplinæ mente, penè rebus humanis vale dixerit: annuitque auguſtis Ferdinandi Cæſaris nuptijs, nonniſi ex Ferdinandi Ducis fratris imperio. In ſumma deindè fortuna haud paſſa eſt, excidere memoria, atque animo Coſſum. Nam & teſtata frequenter literis eſt in ipſum beneuolentiam, & ſplendidiſſimas perſæpè Inſulas, ornando fidiſſimo capiti agitauit: & pleroſque, affinitate, aut amicitia cum eo coniunctos, officiis perhumaniter iuuit. Et ſemel quidem ad memoris animi, ſtudiique argumentum, cùm Clemens noſter Pectius è Cæſaris aula Neapolim reuerteret, vt is neſcio quid facti argenti illi à ſe ferret, curauit. Hæc eadem Principum ſtudia experiri Taurini contigit. Certare inclyta domus in eo honeſtando, videbatur. Grati ijs viri mores, eruditio, publica eloquentia, priuatæ etiam alloquutiones; tùm in negotiis pertractandis ſolertia, fides, dexteritas. Qui primus Taurinenſi noſtro cœnobio præfuit, Coſſus fuit: expletoq. præfecturæ triennio, cũ id maximè caueant noſtræ leges, ne vltra id præſcripti temporis domorum regimen extendatur, euicere Sabaudi Principes, vt nutu Pontificis, obſignatoque diplomate, ad alterum triennium præeſſet Coſſus: quod in noſtra Sodalitate omninò inſolens. Grauiſſimis deindè ſui Principatus negotiis illum Dux Carolus Emmanuel admouit; quæ quidem inſigni cum laude prudentiæ tranſegit, probauitque Catholici Regis adminiſtris, ac pleriſque ex Italiæ Principibus, quibuſcum agitare ea momenta rerum contigit, ſuam cùm in dicendo vim, tùm in agendo ſolertiam. Quæ quidem ſingularis prudentiæ adiumenta mirum eſt, quo mox plauſu excepta in Hiſpana aula fuerint. Eò nanque à Carolo Duce allegatus, varia licet, atque implexa attulerit pacis, bellique conſilia pertractanda, omnia quàm feliciſſimè, atque inſigni cũ Regis, aulæque approbatione explicauit; vt dixerit diſertè Comes Oliuarius, penes quem ſumma rerum, nullum vnquam è Principum Oratoribus tot rerum capita, tàm breui expoſuiſſe: nullum tanta cũ ingenii facilitate emolliuiſſe tàm ardua. In ipſo negotiorum æſtu ſacram eius eloquentiam, quã fama euulgauerat, delibare regio in ſacello Rex voluit vnà cũ Reginis, Coniuge, ac Sorore, ac præcipua nobilitate: commendatuſque ab hac etiam facultate prolixiùs fuit. Auctus deindè ad rei benè geſtæ ſpecimen Hydruntinis Inſulis, aliiſque beneuolentiæ argumentis, ac donariis ab Rege baſilicè cohoneſtatus, Taurinum redijt, exceptus à Duce, à Principibus, ac Infantibus ſumma cum exiſtimationis, honoriſque teſtificatione. Sed, elato mox Carolo Emmanuele, remetiri Hiſpanicũ iter, alteramque obire legationem, oportuit. Monendus de Sabaudi Principis funere Rex Catholicus fuit, ac ſimul cõteſtãda eadẽ in Succeſſore aduerſus Auſtriacum nomen obſeruantia. Ad hæc, quòd turbata admodùm Italiæ re, pleraque item eſſent magni momenti commoda, quæ vim iudicii non mediocrem poſcerent, apud

Et argutiis.

Mantuæ in omnium oculis Coſſus

Eleonoræ Auguſtæ percarus.

Sabaudiæ Principum in illum ſtudium

Allegatur à Carolo Duce in Hiſpaniam.

Comitis Oliuarii de eo iudicium.

Creatur Archiepiſc. Hydruntinus.

Iterũ à Victorio Amedæo in Hiſpaniam.

Phi-

Philippum Regem accuranda, nullum iia officiis Coſſo opportuniorem putauit, Vic-
torius Amedæus. Excuſauit ille quidem Inſulas. Id nempè delatum Hydruntinæ
Eccleſiæ munus poſcere, vt facto quàm primùm Romæ doctrinarum periculo, ritèq.
inauguratus, ſuarum ouium procurationem iniret. Sed valuit iubentis auctoritas:
idque potiſſimùm inculcauit Coſſo Victorius; ne ſcilicet putaret, exiguum hoc eſſe
beneuolentiæ, atque exiſtimationis ſpecimen, poſt primam Patris legationem, à ſe
iterum in Hiſpaniam mitti; quando rarò accideret, iiſdem vti filium adminiſtris, qui
ſummo loco apud Patrem fuiſſent. Ergò ſubiit munus, atque opinione celeriùs ſiſ-
tit ſe Matriti, Sabaudi Principis iterũ Legatus. Perſolutis de Caroli Emmanuelis mor-
te, ac Victorii ſucceſſione cum Rege officiis, ingreſſus in negotia eſt. Planè à turbido
paſſim ſtatu rerum, ac temporum, à florentiſſimis Gallorum copiis, que iam in Ita-
lia inſidebant, ab adminiſtris ipſis, qui plena ſuſpicionibus monita in Hiſpaniam ſub-
mittebant, augebantque in Sabaudos inuidiam, agendum quàm ſolertiſſimè fuit, la-
borauitque non minimũ Coſſus, quà voce, quà ſcripto, vt addictam Hiſpanæ rei Prin-
cipis ſui mentem ab aulæ iudiciis vindicaret. Scilicet, res eſt delicarior Principatus, ac
dominandi ratio; vt vel cum ipſis plerumque ſuſpicionibus, ac vmbris ſit ſtrenuè lu-
ctandum. Porrò cũ pleraque in rem Sabaudam tùm quidem nauaſſet Coſſus, tùm
illud per ſummam contentionem euicit, vt quæ agitabatur inter Victoriũ Ducem,
& Genuenſes pax, pleriſque licet obſeſſa difficultatibus, cum dignitate ſanciretur, ob-
ſignaris publicis tabulis, plaudente aula, ac Rege, ac pacata iã Italia, quam externa,
ac ſua arma diù iam pulſauerant: fuitque non exiguus planè legationis fructus, ſuæ
tranquillitati florentiſſimam *Europæ* partem, fractoſque bello populos reſtituiſſe.
Miſſione deindè à Rege impetrata, ac ſplendidè donatus, Matrito diſceſſit: excepitq.
redeuntem communis Sabaudiæ Principum fauor, & commendatio. Romam verò
Hydruntini Sacerdotũ inſignibus inaugurandus, iter mox intendit, auro, gemmis, ſup-
pellectili, ſacriſque indumentis regia planè munificentia ab inclyta ea domo certa-
tim cumulatus. Quam Matriti ac Taurini modeſtiam in ſui cultu probauerat, eandẽ
Romæ tenuit. Nam cùm Sabaudię apud Pontificem Orator in mandatis haberet, vt
domi exciperet, haberetque magnificè, renuit ipſe, morarique inter ſuos voluit, Inſulæ
quidem candidatus, ſed habitu, ac diſciplina adhuc Clericus Regularis. Non ita poſt
multò examen ſumma cum ingenii laude ſubiit; vt miratus Pontifex ipſe Vrbanus
viri eruditionem, ac facundiam, fusè commendauerit. Regit modò Hydruntinam
Sedem ſedulitate, quam munus, ſuarumque ouium zelus poſcit. Eccleſiam ita ſuis,
Clerique moribus ornat, vt externo etiam cultu expoliat. Geminum extruxit, orna-
uitque non modico planè ſumptu Sacellum: alterum Hydrunti in principe ſua baſili-
ca; alterùm Licii in noſtra Ireniana: quo eſſe ſe æquè Antiſtitem, ac Clericum
Regularem commonſtrauit. Atque hæc de Caietano Coſſo, Archiepiſcopo Hy-
druntino, de quo vt raptim hic dicerem, fecit fundata ab eo, atq. amplificata Tau-
rinenſis colonia.

Conſecratur Romæ Antiſtes.

Cõmendatur ab Vrbano Põtif. eius eruditio.

Sacellum in Ireniana Baſilica Licii excitat.

Venetias nunc gradum facimus, vbi Gilibertum Prępoſitum Generalem compe-
rimus; atque inibi cum eo tantiſper immorari, erit ſanè pretium. Is nanque non quidẽ
priuatim ſuperiorum Generalium ritu Principem conſalutauit; ſed admiſſus in am-
pliſſimum Senatum, auditus in Auguſtorum Patrum luce eloquentiſſimè perorare.
Planè cùm præclaris in dies beneficiis cumulari noſtrum Ordinem à Veneta munifi-
centia contingeret; congruenter ſe rationi, animique gratitudini facturum, Gilibertus
putauit, ſi collata palàm beneficia publica etiam gratiarum actione aliquando re-
cognoſceret. Quamquam quod is primũ in ea alloquutione, congreſſuque intendit,
inclyti Senatus ſtudia in Beatiſſimum Parentem noſtrum Caietanum Thienæum
fuere. Agebatur ſtrenuè Romæ de eius Apotheoſi, feruebatque tùm maximè opus,
quod tangere præſertim Venetos videbatur: quippè in eorum Ditione natus, educa-
tuſque Caietanus, communem gentis pietatem per ſummos labores diuiùs accura-
uerat. Id ſi Venetis Patribus ſignificaſſet, non dubitabat Pater Generalis fore, vt ne-
gotium ſingulari quodam ſtudio, ardoreque religionis complecterentur. Ergò Sena-
tum poſtulat, ac perhumaniter admiſſus, ad eam veluti Regum celebritatem, conſeſ-
ſumque orationem dixit planè luculentam. Nam qui, vt aliàs memoratum eſt, pe-

Gilibertus auditus in Veneto Senatu pollulat.

regre-

regregiè erat in hac eloquentiæ palæſtra exercitatus, perſuaſerat ſibi,quid præſtantius commentandum tùm quidem fore,atque in medium afferendũ; vt digna Principe,digna eo magnorum capitum concilio contingeret oratio. Dictionis ſumma ea fuit. Inclytę Reipublicę in nos promerita innumera penè. Diuulſum clade Borbonica Roma Ordinem,excepiſſe tecto,ac templo Venetias, ac magnificè aluiſſe. Quòd

Admittitur

deindè adoleuerit; quòd extet nunc,ſuumque habeat inter religioſas familias locum tanta cum laude nominis,fructuque mortalium,magnificentiſſimæ Vrbi deberi,quæ conſeruauerat,ac ſinu fouerat. Hæc beneficia in auctorem potiſſimũ Ordinis Thienæũ collata;cui viciſſim acrior nulla cura, quã ampliſſimi Senatus ſplẽdor,dignitas, atq. ipſa in primis pietas fuit,quoad vixit. Agi nunc apud Romana ſubſellia de eius ſanctitate euulganda. Nihil profectò generoſitati Venetę magis conſentaneum, quàm grauiſsimum negotium propioribus ſtudijs iuuare. Laudatiſſimum ab armorum euentibus, à pacis artibus,à terra, marique triumphis Venetum nomen ſemper fuiſſe: ſcirent nihilominùs,nihil vnquam à ſe dignum immortalitate geſtum, quod æquare gloriam poſſet,qua publicos Caietani honores accurâſſent. Fauerent proindè Viro,inſigniter ſancto,ac populari ſuo. Si qua magnas animas in ea æternitatis arce adſtringit obligatio,habuiſſent ſuæ beneficentiæ obnoxium Caietanum, cui excellentior nunc animi indoles,& gratitudo,ac promptior quædam ornandæ Reipublicę

Veneti Principis reſponſio.

facultas. Ad hæc,poſteritatem eius omnem in Senatus magnitudine deprædicanda ingenio,literis, voce, curiſque ſuis omnibus totam fore. Eiuſmodi argumenti plura; ac fusè Gilibertus; valuitque magnoperè conciliandæ Conſcriptorum Patrum beneuolentię accommodata loco,ac rei facundia. Reſpondit verò in humaniſſima hæc verba Princeps; quæ hic in latinum ad vnguem tranſtulimus. Ampliſſimi hi Patres, & Ego,quæ tanta cum ſermonis copia, affectuque pronunciata modò à te ſunt, audiuimus: ac nihil optabilius vnquã contigerit nobis, quàm aduentum veſtri Ordinis Venetias,& quo illum ſtudio in ipſis ſui cunabulis Reſpublica exceperit, cognouiſſe. Iuuerint quidem eius initia maiores noſtri,certè in eo promouendo,ornandoque non impar nobis erit ardor,ac pietas. Iam, in B.Caietani Thienæi Apotheoſi expoſci noſtram operam,ac ſtudium,exiſtimationi,honorique ducimus,ac perſuaſum habemus

Operam pro B. Caietani Apotheoſi pollicetur

eo quidem plauſu ituros in ſuffragium Patres, vt nihil vnquam maiore cum voluntate,ac approbatione actum in Senatu fuerit. Interim de veſtra in nos beneuolentia, atque aſſiduis pro Reipublicæ conſeruatione precibus gratias habemus, quàm qui maximas: noſtramque viciſſim operam cũ vniuerſæ veſtræ Congregationi, tùm tibi potiſſimùm exhibemus. Hæc Princeps: fidemque magnificè obligatam,officiis poſtea cumulatiſſimis liberauit. Nam quà literis,quà Legati voce vrgere communi Reipublicæ nomine apud Pontificem rem cœpit: vt habuerint in ea Thienæi cauſa ingens quidem momentum tempeſtiua ampliſſimi Senatus poſtulata.

Eodem hoc tempore de Andreæ Auellini ſanctitate inquirebatur; monetque argumenti ſimilitudo, vt annectam hic ſtatim, quod hoc anno Neapoli accidit planè admirandum,dum eius acta Romani Pontificis nutu conficiuntur. Inter D.Andreę

Quid Neapoli in conficiẽdis B.Andreæ actis acciderit.

Sanctimoniales Maria Franciſca Piſcara Caſtalda erat,ornatiſſima omni virtutum laude Virgo; patientia præſertim,qua morborum genus omne ita pertulit, vt non è communi hominum ſorte,ſed ſolidiore quadam materia compactam, fuſamque ære,aut adamante diceres: vſque adeò ſenſu, ac perturbatione omni in ea malorum Iliade caruit. Perſanatam mirè à Beato Andrea ſemel,ac iterum,ac ſæpiùs, dixi abundè in loco. Hanc igitur cũ dicere pro teſtimonio in eiuſdem Andreæ cauſa,pernecesſarium ducerent delegati ea ſuper à Romana Sede Antiſtites,deſperabant fore, vt id vnquam officij ad monaſterij fores, aut crates obirent: quando affixa lecto, atque aſſidua dolorum vi ad animæ deliquium excruciata, ſupremæ iam neceſſitati propior videri poterat. Sacram Auguſtorum Patrum Congregationem adeunt, rogantque: quando de continenti quadam mirabilium ſerie,cumuloque agebatur, permitterent,decumbentem ipſam monialem à Iudicibus adiri. Impetrant,adeuntque eueſtigiò, cœnobium ingreſſuri. Sed ecce tibi correpta tùm,quidem familiari morbo Caſtalda,expers motus omnis,ac ſenſus, extinctæ ſimillima iacebat: ſolebatque triduum fermè ea vitæ defectio obtinere. Ergò,quòd actum agerent,diſceſſum Epiſco-

pi

pi adornant; cũ illicò nunciatur, reſtitutam ſenſibus, ac ſanitati Mariam Franciſcã; eoque loci iam eſſe, vt & ipſos conuenire, ac dicere pro teſtimonio valeret. Res verò ita ſe habuit. Deſtituta omni vitæ officio, vt modò dicebam, decumbebat Caſtalda, aderatque de more ad excubias quædam è ſodalibus, quæ dum externo cuidam operi vacat, audit ex improuiso illam ea diſertè verba pronunciantem: Adiutorium noſtrum in nomine Domini, quibus & illa mox addidit: Os meũ loquetur laudem tuã. Vertitur perculſa metu quodam ſoror, illamque inſediſſe lecto videt ſui compotem, ac prorſùs incolumem. Nec mora: admirantem his dictis Caſtalda occupat: Dictura de Beati Andreæ miris teſtimonium modò ſum. Adſunt iam in foribus Præſules; monitam proindè Antiſtitam, atque ipſos velim, me examini paratam. Narrauitque mox, ſe quidem cum exanimis iaceret, audiuiſſe pro imperio Andream Auellinum dicentem: Surge, potes nempè interroganda de me nunc es. Et verò perindè atque ſi nunquã ægrotaſſet, adijt Caſtalda Epiſcopos. Quę de Andrea nouerat, & quæ ab eo acceperat beneficia, expeditè, ac prolixiùs retulit: perdurauitque incolumitas, quoad res poſceret. Eo ſiquidem defuncta officio, affixa iterùm lecto, ac morbo eſt. Porrò teſtati Epiſcopi ſunt, ſe quidem, dum piiſſima monialis teſtimonium diceret, temperare lachrymis minimè potuiſſe, quando ſuiſmet oculis cernerent rem adeò admirandam.

At functa munere iterum decumbit

Impoſita hoc Caſtaldæ examine Neapolitanis de Andreæ virtutibus, ac ſanctitate actis ſumma manus: nec ſanè obſignari ſanctiùs poterant. His autem abſolutis, antequam Romam mitterentur, inſtituta eodem hoc anno ex præſcripto, videlicet, literarum, quas vocant remiſſorialium, iacti Andreæ pignoris inſpectio eſt. Planè ſi manaſſet in vulgus rei fama, ea illicò populorum multitudo, ac vis aduolaſſet, vt obiri id muneris ab flagrantiſſimo eo mortalium æſtu minimè potuiſſet. Nihil quippè Neapoli incitatius, quã in Viri Dei nomen deuotio, ab aſſidua nempè beneficiorum experientia, ac vſu. Quocirca per ſummum ſilentium aliena quadam diei hora, quàm pauciſſimis, iiſque è Neapolitano Patriciorum ordine in facti conſcientiam adhibitis, adiere ſacrorum Cinerum locum Præſules. Sacellum primò inſpexere, quod innumera penè beneficiorum teſtes, donaria adornabant. Mirum profectò videri Epiſcopis iis potuit, tàm breui, tàm multa allata ad Beati viri exuuias anathemata, neque cerea duntaxat, aut lignea; ſed ſolido ex argento, auroque, ac gemmis. Pendere ſiquidem vndique cernebantur votiuæ non exigui quidem pretii tabulæ: tùm lychni, coronæ, monilia, armillæ. Ad aræ etiam ornatum vaſa, candelabra, vela, aliaq. eiuſmodi ad pietatis, gratique animi monumenta dedicata; quæ referri in codicem iuſſere Præſules. Inſpectum mox pretioſi Corporis pignus: ac loci quidem ſitus à propiore quodam aquæductu paulò humidior, nonnihil cũ arcam, tũ depoſitum ipſum affecerat: eaque propter vt decentiùs iacerent oſſa, mutandum locum, ac loculum decreuere. Procuratum igitur diligenter Corpus fuit, vinoque ablutum: tũ clericali habitu, ſtolaque ex argento textili inducta, cypreſſina in arca, ſerico, auroque ſplẽdidè conueſtita, compoſitum. Neque hic diſſimulandum, ſua poſtmodũ admiratione vinum, quo lota fuere oſſa, minimè caruiſſe. Enimuerò præterquamquòd ſuus illi in longum tempus color, ac ſapor ſtetit, pręſenti quadam vi in profliganda morborum contumacia valuit. Eo nanque ab ægrotantibus epoto, viſi continuò dolores, febres, aliaque à languoribus incommoda faceſſere: vt de hoc potiſſimùm vino dici potuerit, cor hominis, inſtaurata videlicet corporis incolumitate, lętificaſſe.

Inſpicitur B. Andreæ corpus.

A vino, quo ablutæ Auellini oſſa, mira, ac beneficia.

Peractus hic porrò reliquiarum cultus in ſacrario, remotis arbitris, fuit; eademque ſilentii, ac modeſtiæ cautione in idem illas ſacellum, commodiore tamen in loco collocandas, reportare decreuerant Pręſules. Sed ecce ſurdus quidam per Vrbem rumor, tùm aperta vox, vnde manauerit, incertũ, transferri Beati Senis exuuias, euulgauit. Flagrare illicò procerum, ac vulgi ſtudia: tùm impetu quodam innumera ſtatim vis mortalium ad D. Pauli conuolat; & quòd clauſis templi foribus, cauerant Epiſcoporum iuſſu Patres; nihil propiùs fuit, quàm illas diſiici. Admitti igitur oportuit; ſimulque inita ratio, qua & populorum pietati conſulerent, & cauerent confuſioni: vt ſcilicet, locum, in quo pii manes iacebant, non confertim omnes, ſed pauci ordine ingrederentur, ſuccederentque alii aliis. Quocirca ad moti foribus viri pro-

Tranſlationis rumor in vulgus manat.

Hinc ingens ad D. Pauli concurſus

ceres, quæ auctoritate, nutuque ſuo aditum diſtribuerent, ac ſtudia gentium, æſtumque compeſcerent. At enim deducenda ad eccleſiam cũ eſſet reliquiarum arca, vt tumulo conderetur, impetrare id poſſe à confertiſſimo vulgo, deſperabant Patres. Aduocandi Prætoriani milites fuere, qui turbam ſubmouerent. quorum ope, facto agmine, deferri pia ſarcina, quam noſtri linteati, ſtolatique comportabant, ad principem aram potuit. Hic verò ſubſiſtere pluſculùm oportuit, alijs, atque alijs ſubindè aduentantibus è præcipua virorum, ac fœminarum nobilitate; creſcenteque torrentis in morem populo, quorum ardor ſuam venerationis partem depoſcebat. Sed quòd moram plus æquo traheret pietas, adhibenda vis quædam fuit; translatumque in ſacellum beatum pignus, ac contumulatum. Laudes interim vbique perſonare, ac

Cõditur ſacrum pignus,

manare lætitiæ indices lachrymę. Fuere religioſiſſimi viri, qui emicantem ab arca ſplendorem, dum portaretur, viderint. Quidam etiam, dum illam piè exoſculantur, efflari inde peregrinam quãdam, ac cœleſti propiorem fragantiam, affirmarunt. Hac pompa, ac veluti triumpho abſoluta hoc anno de ſanctiſſimi Senis virtutibus acta Neapoli fuere, Romamque tranſmiſſa. Et quòd ſuam fecerat hanc Andreæ cauſam Ciuitas Neapolitana, vrgere nunc maximè præclaris officijs rem communi nomine

Vrgent Neapolitani Auellini apotheoſim,

Septemuiri voluere, compoſitis ad ipſum ſacrorum Principem, ac pleroſque Auguſtos Patres literis, quibus conſpirare in publicos Beati Viri honores communia populorum vota, ſignificarunt: ac nullum æquè obſtringere beneficium Vrbem ſuam poſſe, quàm ſi maturari negotium iuberent. Quæ cum identidem ſtudia Romam afferrentur, valuere plurimũ conficiendæ rei. Etſi non defuere illi interſiſtendę ſuę moræ. Familiare id eſt grauiſſimis rerum momentis, oppugnari: & quæ nuſquam non adlatrat improbitas, nec piorum hominum ſanctitati parcit. Igitur dum Romæ Auellini actus ad calculos cũ plauſu reuocantur, ecce tibi Neapoli ad ſacræ Rotę Auditores ſuppreſſo nomine literę, quas enimuerò, mutato vultu, ac zeli ſpecie viſus dictaſſę liuor ipſe. Monere, vt ſuſpenſis in Andreæ cauſa veſtigijs incederent; ſcire ſe, teſtes, ac Iudices ipſos quà vi, quà munere corruptos; ac nihil in ijs actis ex fide actum: addebãtque inuertendis grauiſſimorum hominum iudicijs inuidioſè alia. Agnouere prudentes Viri malas improbitatis artes, & quòd ſuum nomen auctores minimè prodi-

Sed fruſtra,

diſſent, ſatis apertè declararunt, ſe ſui criminis diſpuduiſſe. Diſcerpta illicò epiſtola, vt quanti facerent commenta nebulonum, eo contemptu oſtenderent. Fieri tamen minimè potuit, quin eorum animis in re præcipuè tanti momenti nonnihil vmbræ inſperſerint. Quapropter, vbi ad ſanguinis miraculum, quem ſeruari incorruptum, atq. efferbuiſſe aliquando anniuerſaria Beati Viri die, in loco dixi, ventum eſt; adhiberi quid acrioris iudicii, ac ponderis voluere: ac Ioanni Baptiſtæ Pamphilio, qui Apoſ-

Io. Baptiſta Pamphilius inſpiciendo Auellini ſanguini deſtinatur;

tolicum tũ Nuntium Neapoli agebat, & quem nunc ſummum Religionis, ac ſacrorũ Antiſtitem ſuſpicimus, literas dedere, vt rem ipſe coram, & quã diligentiſſimè exploraret. Adiit ad D. Pauli Pamphilius pridiè anniuerſarię eius lucis, vocauitque, qui ad ſuæ artis præceptiones iudicium ferrent, par inſignium medicorum. Sanguinem non perfunctoriè quidem, ſed penitùs inſpiciunt, immiſſo ferreo quodam in ampullas ſtylo, quem cruentatum, ſtillantemque extrahunt: vt mirari vehementer, ac affici Nuntius viſus fuerit, quòd is ſanguini color, ac odor ineſſet, perindè ac ſi effuſus recẽs

Quod eum ſui admiratione conficit,

fuiſſet. Rorantem mirè ſtylum ſibi pietatis ergo ſepoſuit; tũ clauſas pyxide ampullas, obſignauit. Inſequenti mox die rediit: & quãquã minimè viſus eſt cruor ebullire, illum nihilominùs ex parte colliquatum, incorruptumque, ac viuido quodam colore purpuræ rubeſcentem reperit: rogauitque, qui aderant, medicos, quid ipſi ea de re ſentirent? qui euenire id vnquam poſſe, niſi pręter naturæ vim, ac ordinem, negarunt. Sanguinem extra venarum conceptacula neceſſariò corrumpi. Quod diutiùs, ac quindecim longè poſt annos adhuc vigeat, miraculo certè eſſe. Quod eorum ſcripto, ac Sacramento probatum voluit Pamphilius, Romamque autographum miſit, teſtatus ipſe etiam ſui in ea diſquiſitione admirationem, ac pro Andreæ ſanctitate ſententiam. Quod ſanè, deterſa omninò, ſi qua Auditorum mentibus adhęſerat, ſuſpicione, Viri Dei opinionem non minimũ adauxit. Scilicet, ita nunquã virtutem læſit inuidorum calumnia, vt ab eo fuco aliquid ſemper exiſtimationis, famæque accedat. Accidit id etiam Panormi, quod hic non diſſimulauerim. Planè cũ nulli bi

non

non res admirabiles patrauerit Andreas, tùm in ea potiſſimùm Vrbe viſus peculiari quadam ope adeſſe mortaliū votis. Inſtitui hic porrò acta cùm oporteret, deſtinati grauiſſimo negotio fuere Hieronymus Venerus,& Leyua, Archiepiſcopus Mōtisregalis,& Ioannes Calocerus Tagliauia,Pontificis Referendarius:qui dum ſe operi accingunt,quidam Theatino nomini infenſi, ac malè feriati confidentiſſimè ad eos deferunt, cauerent maximè à fraude, ac ſcirent,quæ exhiberentur miracula, hauſta ex vano, ac ficta omnia. Perculit Antiſtites hominū aſſeuerantia; & quòd nunquā ſine peſtilenti quodam afflatu os improbum patuit,ita affici eos contigit, vt prouinciam penè abdicauerint. Communicare non ſine inſtinctu Numinis cū Card. Doria,Panormi Archiepiſcopo,rem conſtituunt; cui ſtatim ſuboluit calumnia,ac liuor, eiuſque auctoritate, ac teſtificatione detecta illicò æmulorum machinamenta. Rarò ſiquidem diutiùs triumphauit nequitia. Inſignem illam Andreæ famam non rumorem vulgi, affirmauit Card. ſed collatis paſſim beneficijs, patratiſq. miris partam. Ac, ſe quidem non auritum duntaxat, ſed oculatum eſſe teſtem eius miraculi, quo Præſul Simon Raus à membrorum omnium clade reſtitutus eſt ſanitati. Ampliſſimi Viri iudicium nimiùm quantùm apud delegatos Antiſtites valuerit: aggreſſique cum Deo opus, tot in progreſſu miracula, ac tàm compertæ fidei conſignare tabulis contigit, vt affici mirificè erga Beati Viri ſanctimoniam,ſenſerint;ac vehementer in eos inuexerint, qui perfricta adeò fronte eius violareſamam non dubitauerant. *Panormi item in Andream liuor, Diſpulſa mox calumnia,*

Iam verò cū vbique ſanctiſſimi Viri nomini, exemplíſque virtutum plauderent populi, ac Romæ virorum principum, Regumque officiis,ac ſtudiis, quæ in tempore explicanda, negotio inſiſterent noſtri homines; quo maximè tempore fore expediendum,putabant, interceptus fato eſt Gregor. XV. intra annum ſui Pontificatus tertium; breuis quidem æui Pontifex, ſed cui ſua ſtabunt nominis, famęque decora: quippè quem à ſingulari ſapientia, obſignatis in commune bonum ordinationibus, ab adaucto Diuorum cenſu, ab inſigni Auguſtorum Patrum, atque Antiſtitū delectu, ab eximia item integritate, ac religione recolet, commendabitque poſteritas.Succeſſit ſecunda Auguſti Concilii ſuffragatione Maffeius Card.Barberinus,appellatuſque eſt Vrbanus Octauus cui digna Principe maieſtas ipſa oris, indoles, virtus, atque expolita ab aulæ curis, à legationibus, à publica prouinciarum adminiſtratione prudentia. Pontificia illum auctoritas, quæ fecit maximum, reperit optimum ob quādam animi præſtantiam, mentemque rerum capaciſſimam,immenſam præſertim eruditionem,quam ſtudiorum etiam elegantiis inſpergebat. Noſtri Ordinis cum paucis amantiſſimus, vt cœtera domus Barberina. Sacellum aſſumptę in cœlum Deiparæ dicatum, quod aliàs memini, in D.Andreæ eccleſia ſupra communem fortunam ſumptu,ac ſplendidiſsimè planè adornauit. Quo ſanè proluſiſſe videri potuit excelſiſſimis ijs mentis ideis, quas Summus deindè ſacrorum Princeps præclaris operum ſtructuris delineauit. Cùm eſſet in purpura,præcipuis quibuſdam anni feriis adire noſtram eam baſilicam ſolitus erat, diuineque rei modò ad aram principem, modò ſuo in Sacello operabatur,nec ſine propenſioris cuiuſdā voluntatis teſtificatione. Siquidem reficere tunc ipſemet ſua manu Euchariſtico epulo Clericos noſtros, laicique nominis fratres conſueuerat. Quod Maximus poſtea Pontifex non ſemel fecit, neſcias maiore comitate, an munificentia. Enimuerò ſacris quibuſdam magnę Matri diebus affulgere templo noſtro Pontificiam maieſtatem,voluit: ſuam ad aram litauit: ſacram ipſe Synaxim diſtribuit noſtris, expletoque mox ſacrificio, ſuis veſtigiis tandiù inſiſtere viſus eſt, quoad Patres, fratreſque omnes libarent pedibus oſcula: tandem, vt magnificentia honorem cumularet, ſacram, quę ſibi vſui fuerat, ſuppellectilem, ac ſacerdotale phrygio opere indumentum dono ſuo Sacello reliquit. Quod autem in ipſo Sanctiſſimi Parentis noſtri Caietani peruigilio, hoc eſt, die Auguſti menſis ſexta, conſalutatus Pontifex fuerit, viſus profectò Thienæus ipſe Viro, ſuæ Congregatiouis beneuolentiſſimo, ſummam eam Infulam impetraſſe. Et ferebatur viciſſim Pontifex ipſe peculiari quadam obſeruantia, ac ſtudio in Caietanum: ita vt in eius examine ſanctitatis vrgeret ipſemet Iudices,vt negotium maturarent: vt qui ſummè cuperet,ſua illum auctoritate, *Greg.XV. moritur, An.Dom.1623, Creatur Pontif. Barberinus, Eius in Ordinē beneuolentię argumenta.*

ac nutu in Beatorum ordinem reponere. Quod poſtea fauſtè, ac ritè ab eo factum; vt exponam.

Vela nunc extra Italiæ fines facimus illuſtri in Hiſpaniam expeditione, quam Vincentius Gilibertus, vbi Ordinis procurationem iniuit, agitare ſtatim animo cœpit: & hoc anno tertio, & vigeſimo ſupra ſeſquimilleſimũ, nempè à condita Sodalitate centeſimo, ſpe quidem euentus proſperioris iuſſit adornari. Multiplex quidem occaſio Alpium iuga eluctandi, ac pleraſque Europæ regiones adeundi noſtros olim homines inuitauerat. Verùm, ſiue quòd è re noſtri Inſtituti eſſe, exiſtimarent priſci Patres, nõ admodũ diffundi, ac veluti mole quadam excreſcere Religionis corpus: ſiue quòd reuerà nunquã ſatis opportuna conficiendæ rei ſpes illis affulſiſſet; adduci nunquàm potuere, vt de colonia apud exteros cogitarent. Et in Hiſpaniam quidem transmittendi propior quædam opportunitas viſa ter omninò incitauiſſe. Semel Philippo Secundo Rege, cũ Ioannes Franciſcus de Ponte, quem aliàs nominaui, ſumma vir auctoritate, ac literatura, poſtea ex noſtris, euocatus in Catholicam aulã, fuit, vt Italicæ rei Regentis nomine præeſſet. Ducere is vnà ſecum Petrum Antonium de Ponte, filium, Theatini nominis peroptauit, poſtulauitque; quo ſanè nihil figendo cœnobio accommodatius, tanti ſ videlicet, Viri præſidio. Velificare nihilominùs hac aura Ordinem, non dũ tempeſtiuum putarunt Patres. Iterũ Dominicus Gymnaſius, poſtea Cardinalis, deſtinatus Auſtriaco Regi Nuntius, vt Aurelius Lariſius, Romanus, Sacerdos ex noſtris, qui eius erat à ſacris confeſſionibus, vnà ſecum in Hiſpaniam immigraret, à maioribus efflagitauit: faciebatque ſpem fore, vt inibi Ordo exterus Ciuitate donaretur, Pontificio nempè Legato, qui in id propagandæ, ornandæque Religionis conſilium egregiè erat animatus, quà muneris auctoritate, quà contentione, ac vi officiorum facillimum id quidem futurũ. Sed neque hiſce ornatiſſimi Antiſtitis promiſſis adiecere aures. Tertiò Hiſpanus Præſul Corduba, Romanæ Rotæ Auditor, ac Seſſæ Ducis, apud Clementem Pontificem Octauum Regii Oratoris Patruus, noſtros item in Hiſpaniam deducere omni ope ſtuduit. Vtebatur is eorum opera in expianda conſcientia, noſtramque vniuerſim diſciplinam inſigni quadam animi propenſione, ſtudioque proſequebatur. Admotuſque Pacenſi Eccleſiæ, nihil habuit antiquius, quã noſtrum Inſtitutum eò transferre; ratus, non mediocri quidem illi ornamento, atque vtilitati futurum. Id quod à Ioanne Scurcouillo, qui tũ rem Theatinam ſupremo iure temperabat, enixè petiit; addiditque fore, vt quàm primũ in celebriorem ipſe Vrbem, ac Cathedram tranſiret; proindèque ſplendidiùs in Hiſpania collocaret noſtros. Interim Pacenſi in Ciuitate hoſpitium, ac ſumptus, quoad fundaretur locus, polliceri. Sed, quæ fuerit rei cauſa, abnuit Prępoſitus Generalis. Igitur integrũ ſeculum intra Italiam continuit ſe ſe Clericorum Regularium Familia. Superioribus verò comitiis, anno, videlicet, duodeuigeſimo ſupra ſeſquimilleſimũ cũ cernerent Patres, adeò & numerò, & virtute excreuiſſe capita, vt ſine Italicæ rei detrimento permittere ſe exteris regionibus, atque extendere Ordinem poſſent, id communi ſuffragio decreuere, vt, ſi quæ alias adeundi extra Italiam gentes opportuna ſe ſe dederit occaſio, incumberent in eam expeditionem Pater Generalis, & Conſultores; ſtatuerentque ipſi de rei ſumma, deſignatis pro libito viris idoneis, qui prouinciam ſubirent. Ergò in Hiſpaniam maximè cogitationem adijcere, quippè cui frequentiùs cũ terra Italia cõmercium, ac vſus intercederet, eſſetq. propterea facilior aditus; ac iuuaſſent negotiũ Itali, qui in ea Catholici Regis aula morabãtur, ac noſtrum Inſtitutum probè nouerant: & quos etiam, aut conſuetudo, aut cognatio cũ noſtris hominibus iunxerat. Et verò cũ tentari res Matriti cœpiſſet, nimiùm quantum plauſiſſe conſilio Itali viſi ſint. Genuenſes præſertim, quorum ibi auctoritas, ac numerus valet, non modò acceſſum probarunt; verùm incitarunt etiam vehementer; magnificè quidem cùm rei peragendæ officia, tùm pręſentem opem, ſumptuſque, ac omnem munificentiæ ſignificationem polliciti.

Inita autem conſultatione, quem grauiſſimę tractationi mitterent, occurrit ſtatim Andreas Piſcara Caſtaldus, qui ſexennali Generalatu defunctus tùm quidem fuerat. Notus ipſe abundè, nouerat ipſe etiam pleroſque ibi primæ notæ viros; & quà virtutum fama, quà prudentiæ laude, atque ipſa oris dignitate conuertere in ſe eius aulę oculos,

Expeditio ad Hiſpanias adornatur.

Adeundi Hiſpanias occaſio prætermiſſa, ſemel,

Et iterum;

Et tertiò,

Capituli Generalis de exteris coloniis decretum.

Statuitur Hiſpanica expeditio.

Cui deſtinatur primum Andreas Caſtaldus.

oculos,animoſquè facilè poterat. Et ſuſcipere quidem non grauatè munus,ac longinquum iter vir in omne ſui Ordinis incrementum incitatiſſimus,videbatur; natu licet grandior;nec ea eſſet virium firmitate,vt peregrinari tanto cum valetudinis incommodo terra,marique poſſet. At enim dum hæc aguntur,ac ſe itineri comparat Caſtaldus,abdicata etiam cœnobii Sanctorum Apoſtolorum,quã tũ adminiſtrabat, pręfectura,abſolui ab difficili ea expeditione cõmodũ potuit. Adamus Makouskjus, Abbas Andreouienſis,Poloniæ Regis Internuntium Neapoli agebat: eũque res interim poſceret,vt Oratorem extra ordinem Philippo Quarto Hiſpaniarum Regi mitteret Rex Polonus, deſtinatus grauiſſimæ Legationi Neapolitanus hic Internuntius fuit. Is autem,quòd Placido Mirto Frangipane,quem aliàs memini,familiariter vteretur,ac noſceret pręclaros Viri mores,ac ſtudia,ſacram pręſertim,ſummamque eloquentiam,ſecum illum ſuis à confeſſionibus,ac Theologi etiam nomine ducere cogitauit;datiſq. ad Patrẽ Generalem literis,veluti quid ſibi oppidò gratum, ac ſplendidæ legationi opportuniſſimum & ſuo, & ſui Regis nomine poſtulauit. Nihil in rem noſtram accommodatius, quã poſci ad id muneris hominem Theatinum, Pater Generalis reputauit, Eo nimirũ Poloni Oratoris patrocinio aditum ad Hiſpanicã, quę tũ agitabatur,coloniam aperiri facilè poſſe. Eum deindè eſſe Placidum Mirtũ, qui facta ad omnem morum laudem indole,atq. in agendo dexteritate,præſtantiaq. facundiæ peridoneus conciliandis Hiſpanorum procerum ſtudiis videri poſſet.

Sed petente poſtea Poloniæ Oratore.

Eapropter quando id tulerat occaſio,mutato de Andrea Caſtaldo conſilio,addictus Polono Mirtus; datuſque illi ſocius Creſcentius Viuus, Neapolitanus, Vir inter noſtros non vulgaris planè literaturæ, qui vtriuſque Philoſophiæ ſcholas diutiùs cũ Romæ, tũ alibi habuerat; à ſacra item, profanaque eruditione non mediocriter inſtructus, atque in eloquentiæ ſtudio apprimè verſatus: nempè, vt doctrinarum adiumentis excitare & ipſe gentis opinionem,eiuſque adiungere ſibi beneuolentiam, ac ſuffragium poſſet. Suſceptum igitur iter, ventumque Matritum. Et qui nouerant, nihil rerum tractationi magis officere,quã edi negotia in vulgus, conſilium prætextu tegere ſtuduerunt; ac ſe quidem quiduis aliud, quàm coloniam agitare,euulgarunt. Acceſſiſſe, vt morem Polono Oratori gererent,qui vti ſua ipſorum opera in ea Legatione voluerat; ac præterea habere priuata quædam cõmoda,quæ in ea aula tranſigerent.

Deſignatur Placidus Mirtus cũ Creſcentio Viuo.

Ac principiò quidem nihil ea de re agere cum adminiſtris, vt ſuſpicionem omninò auerterent, ac æmulos eo ſilentio conſopirent, quos ſciuerant plures, nec mediocri ſanè auctoritate; & qui ſuſpenſis auribus cum excubarent, cœpta facilè interturbaſſent. Inita duntaxat cũ paucis,aulæ quidem ſcientiſſimis, ac Theatini nominis percupidis conſultatio, vt de ſucceſſu cognoſcerent, & quænam ineunda ratio eſſet, vt res benè cederet. Fuere hi Carolus Doria, Dux Turſi, Carolus Tapia, Belmontis Marchio,Italici Conſilii Regens, Ioannes Baptiſta Serra,Genuenſis Reipublicæ apud Regem Orator, & Vincentius Caracciolus, Capriliæ Marchio. Qui quidẽ, vbi conſilium noſtri aperuere, nullo verborum circuitu,ac fuco negotium non modò ex ſe arduum, ſed impoſſibile omninò,ſeuerè pronuntiarunt. Tempus tũ quidem vſque adeò peragendæ rei importunum, vt ſi poſtularent, nihil propriùs eſſet, quàm vt penè conuiciis exciperentur. Addictiſſimos planè ſe Ordini, ſed ingenuè profiteri, non eam eſſe ſibi auctoritatem,ac gratiam,vt iuuare officiis in præſenti rem poſſent, aut quid proſperioris euentus polliceri. Seriùs nimirùm aduentaſſe, cùm ſcilicet immenſos impendi labores oporteret nullo prorsùs operæ fructu. Et ſanè quam verisſima præſtantes viri denarrabant; ac nihil omninò diſſentaneum magis tempori, quàm eiuſmodi poſtulata, videri poterat.

Quæ Mirto agendi ratio Matriti.

Enimuerò cùm Religioſorum hominum familiæ amplificatę præter modum in Caſtellæ Regnis fraudi non modicæ oppidis, eorumque fortunis, ac celebritati eſſent, cauerat huic multitudini, eo præſertim anno,ad Regnorum nempè votum, ſupremi Senatus conſultum. Iuſſum nanque, ne noui Religioſorum Ordines admitterentur: admiſſis ſua eſſet ratio, ac modus: nulla ibi in poſterũ excitarentur cœnobia; tyrones certo numero continerentur: prorogaretur eorum probationis tempus, aliaque eiuſmodi ſcita, quæ ne Eccleſiaſticam libertatem lęderent, id omni ope Romæ agebatur, vt accederet ſummi Pontificis conſenſus. Atque hęc quidem in ipſo ſtatim initio infringi poſſe, nullus

Difficultas à Regii Conſilii legibus.

pla-

planè ſibi perſuaſerit: prȩſertim cū Regio Cōſilio, penes quo i ſūma rerum, grauiſſimi
Viri prȩſint, indole auſteriores, quos non auctoritas, non fauor de gradu mouerit, nec
iis, quas ipſimet ſemel ſanciuerant, legibus imminutum, vel minimū quidem vnquā
iuſſent. Perculit hic rerum, atque aulȩ ſtatus Placidum Mirtum; ac viſus mox ne-
gotio omninò deſperare; cū ab Apoſtolico Nuntio haud mitior acceſſit ea de re ſentē-
tia. Erat is Innocentius Maximus Romanus, compertæ vir prudentiȩ, atque in no-
ſtrum potiſſimū Ordinem egregiè animatus. Qui cū excipi in Hiſpania, atque in Re-
gia prȩſertim Vrbe noſtrum Inſtitutum peruellet, nihilo tamen minùs, qui legum
in religioſas familias ſeueritatem, atque adminiſtrorum conſtantiam, nullis officiis
Agitur de ſtudiorum collegiis
frangendam probè nouerat, infra dignitatem eſſe, affirmauit, id aggredi, cui nulla
ſpcs exitus boni affulgeret. Igitur quòd conſtituendȩ Matriti familiæ nihil non re-
fragaretur, flectere aliò mentem oportuit; ac nautas imirari, qui cū tenere portū,
ac patriam, ventis reflantibus, nequeunt, conſiſtere fida quadam in ſtatione poſſe, in
proſperis numerant; daturi mox vela, vbi ſecundȩ aſpirauerint auræ. Quocirca, ne
remetiri, re omninò infecta, iter cogerentur Patres, id animo ſedit, vt nihil de fundā-
da inibi colonia ageretur, ſed domicilia duntaxat in quibuſdam Academiis peterēt,
vbi Itali noſtri iuuenes in ſpem ſtudiorum educarentur. Hoc, ſcilicet, iura legum
minimè infringi; ac nihil creari Caſtiliæ Regnis incommodi, quando nulla inde
propagandi Inſtituti facultas eſſet; atque intactis popularibus, quorum numero ca-
uebatur, Italorum ſolummodò contubernia poſcerent. Honorificum præterea Hi-
Et in velificatione ſcopuli
ſpanis, aduentare ex Italia expoliendis ingeniis pubem. Demum pro temporum
ratione id rei noſtræ opportuniſſimum. Hiſce nanque collegiis excitatis, conſtantia
deindè, qua nihil non expugnatur, vrgeri negotium ſtrenuè poterat. Hoc quippè ſo-
lenne Hiſpana in aula eſt, vt quod facilè principiò negant, id ipſum, emollita poſtea
ſeueritate, concedant. Probata hæc magnoperè amicis ſententia; ac quiſque ſua cer-
tatim officia, ac operam polliceri: Pontificis in primis Nuntius, cui nihil prius, quā
adeſſe Theatinæ rei, ac prȩclarum in nos ſtudium inſigni opera comprobare. Iam ve-
rò, etſi ȩqua iam cauſa ſecundam ad promittebat velificationem, eluctandi nihilo-
minùs ſcopuli fuere non pauci. Nam qui ſtationem figere in Hiſpania noſtrū Cle-
ricorum Regularium Ordinem, minimè vellent, interturbare hȩc rudimenta pro vi-
ribus conabantur; ac ſpargere in vulgus, non ſcholas intendi à noſtris; ſed integram
familiam, atque Inſtituti ſedem. Ad hæc, agitari in Prouinciarum Senatu, quem
Matriti, Cortes, vocant, rem oportebat, vbi à capitum numero moræ, ac labor ſanè
prolixior. Tùm reuocanda ad examen eadem poſtulata in Regio Conſilio, incor-
ruptis videlicet ſummorum hominum iudicijs, vti ſignificatum eſt, in quorum animis
ingenerata æmulorum opera opinio fuerat, eo nos conſilio collegium petere, vt fac-
to ad perfectum contubernium gradu, ſenſim, ac veluti ab inſidijs coaleſceret in Hi-
ſpania Theatina Sodalitas. Quæ quamuis non mediocre Mirto negotium faceſſe-
rent; attamen, quòd Italorum primarii prȩclara quadam voluntate, ac ſtudio ani-
mos facerent, faueretque adeò Nuntius, vt penè recepiſſe in ſe negotium videretur,
Quos Mirtus egregiè eluctatur.
ingredi in eas curas præſenti quadam magni animi fiducia, non dubitauit; eòque
per ſummam animi contentionem adducta res eſt, vt quod ad regnorum conſen-
ſum attinet, cùm à Prouinciarum Senatu communiter, tùm ſingillatim à pri-
mariis Prouinciarum vrbibus impetrata facultas fuerit eiuſmodi ſtudiorum col-
legia excitandi, ac reliquū erat, vt ſupremi Conſilij, ac Regis deindè nutus accederet.

Interim momentum rei addidit Mirtus ingenii fama, ac opinione, quam ſibi ab
omni hominum gradu excellentis eloquentiæ laude comparauerat. Enimuerò cùm
tractu temporis, ac vſu gentis idiomati aſſueuiſſet, ac ſciret iam probè hiſpanicè, ſa-
cras habere cōciones è ſuperiore loco inſtituit; & quæ eius erat in dicendo facultas,
ac gratia, breui aulæ totius beneuolentiam, ac iudicia ſibi adiunxit, vt audiret ma-
gnus Italiæ Eccleſiaſtes. Nulla Matriti ſanctioris feriæ ſolennitas, in qua, celebrandæ
Eius in aula opinio ab eloquentia.
Diuorum laudes, aut dicendū quoquo pacto ad multitudinem eſſet, non accerſiretur
Mirtus; iſque fieri ad eius conciones concurſus ſolitus erat, vt captando opportunè
loco, occupare maturiùs theatrum oporteret. Euocatus regium in ſacellum, audituſ-
que ſæpè à Rege, nunquam ſine plauſu fuit; afficiebatque mirificè regias aures, ac
ani-

animum inſperſus Italica elegantia eius ſermo. Semel intra quadrageſimam poſterā lucem venationi Rex deſtinauerat: rogat veſpere, quis mane ſuo in ſacello declamaret? vt deſignatum Mirtum, inaudiuit; velle, ait, antequam venationi ſe ſe daret, concioni intereſſe; iuſſitque horam aliquantiſper feſtinari. Accidit mane, vt per imprudentiam monitus tempeſtiuè Mirtus minimè fuerit; vt non is deſtinata ſtatim hora in ſuggeſtu eſſet. Ergo expectare patienter Rex ſtatuit, ac poſt vnum, & alterum, tertium etiam celebrari ſibi miſſæ ſacrificium, voluit, quoad ille adeſset; admirationique omnibus fuit, accincto venationi Regi haud granem fuiſſe eam moram: qui audita mox concione, disertè pronunciauit, exhilaratum ſe viri facundia, lætoq. abire animo. Quod quidem de eo iudicium aliàs etiam Rex luculenter declarauit. Audito ſiquidem eodem in ſacello qvodam magni nominis cōcionatore. impetu quodā Mirtum, quem proximè audiuerat, & illi, & cœteris prætulit. Hoc idem Reginæ in eius eloqnētiam ſtudium: quæ cū illum ſæpiùs non vno in loco pronis auribus andiuiſſet, priuatum etiam in Sacellū vna, atque altera quadrageſima accerſiuit; & in prima quidem ſingulis ſextis feriis de Chriſti Domini cruciatibus; in altera verò per ſabbati dies dicere de Diuę Virginis laudibus, iuſſit, tanta quidem cū ſui ipſius, ſuarūque nobilium fœminarum approbatione, vt nulli id loci is vnquam contigerit ornatiſſimæ Reginæ plauſus, ac voluntas. Hac Regum aura, ſecundiſque aulæ ſtudijs dominari in ſuggeſtu Mirtus videbatur: qui quicquid colligeret famę, ac beneuolentiæ in commune Congregationis bonum conſerebat, vrgebatq. ſtrenuè cœpta, creſcente in dies adminiſtrorum, ac virorum principum propēſione in Theatinum Inſtitutum. Quod viſa in primis promouere Margarita Auſtriaca à Cruce, inclyta è Clariſſarum Diſcalceatarum cœnobio Virgo. Regium id eſt Mantuæ Carpetanorum Sanctimonialium Collegium, quo nihil per reliquam Hiſpaniam ſplendidius, ac ſanctius; quippè cui Regum munificentia, præcipui ſanguinis flos, externæ religionis ſplendor, atq. ipſa morum, vitæque ratio, ad arctiorem quandam regularis diſciplinæ normam exacta, famam, ac decus peperit. Percelebris in eo aſceterio hæc erat Heroina Auſtriaca, quam memoraui, Maximiliani Secundi Cœſaris filia, non tàm auorum luce, ac ſtemmate, quàm vitę auſterioris, ac ſanctimoniæ fama. Deſponderant hanc olim Philippo Secundo; ſed quæ iam animo immortales conceperat nuptias, demiſſa in genua ante Redemptoris è Cruce pendentis ſignum, impenſiùs Regem illum gloriæ orauit: oſtenderet, an ſe in ſponſam acciperet. Nec mora: acclinauit Saluator caput, eodemque in veſtigio temporis capta ipſa eſt oculorum lumine: abrupriſque cum potentiſſimo Hiſpaniarum Rege nuptijs, in hoc ſe monaſterio Auguſta Virgo dedicauit Chriſto, vitamque peſanctè agebat in complexu paupertatis, ac crucis, cuius appellationem geſtabat. Huic literas Mirtus ab Iſabella Sabauda, Mutinenſium Principe dederat, quæ ipſum etiam, atque etiam commendabant. Ac præterea cū Polyxenæ Fruſtimbergę, Caſertæ Principis mandatum Neapoli attuliſſet, vt ſororem ſuā, in eodem Diſcalceatarum aſceterio monialem, ſuo nomine conſalutaret, excepit hęc illum perhumaniter, ac ſimul operam dedit, vt gratiam à Sereniſſima Margarita iniret. Hanc porrò Religioſæ Principis beneuolentiam, quam externa iſthæc officia conciliarunt, vſque adeò poſtea Mirtus aſſidua conſuetudine, vſuque eloquentiæ adauxit, vt in deliciis illa reputaret, eius monitis frui. Quarè ſuæ illum conſcientiæ extra ordinem admouit: iuſſitque, adiret quotidiè ſaltem ad ſeſquihoram, afferretq. exercendæ pietati documenta. Fauere hęc præcipuè noſtro Ordini, & quæ tū agitabātur, collegiis, cœpit; vt nullis parceret apud Regem, aut aulæ proceres officiis. Semel, poſtquam à graui morbo Rex conualuiſſet, gynecœū, vt Margaritam inuiſeret, adiit: quæ arrepta præclara iuuandi Ordinis occaſione, hæc ſtatim ad illū: Gratulor tibi ſalutem tuā, Rex, cuius gratia petere à Maieſtate tua plura, ac magna poſſem. Vnum petam, vt intelligas, quanti rem faciam. Ea eſt Clericorum Regularium ſedes, quam fundari hic optimi Patres cupiunt. Scias, me pro incolumitate tua votum Beato Andreæ Auellino concepiſſe, daturam pro virili parte huic negotio operam: eaque propter his ipſis precibus, quoad impetrem, nunquā parcam. Scire ſe, Rex ait, homines, & quid poſtularent: obortas quaſdam ea ſuper re difficultates: ijs explicatis, perſuaſum habeat, ſe ex animi ſententia ſuffragaturum. Aderat Regina, quæ pro

Et Reginæ.

Et Margaritæ Auſtriacæ.

Quæ mirè eſt gitur Chriſti ſponſa.

Fauet apud Regem rem Theatinam.

Digitized by Google

pro ſuo etiam ſtudio ſingulari voluntate eas preces iuuit. Retulit hæc poſtea Mirto Margarita; addiditque conceptiſſimis verbis, nihil ſe intentatum relicturam, quoad res perficeretur. Quo ſanè plurimùm venerabili Sereniſſimæ Principis memoriæ noſtra Sodalitas debet, quam illa ea officiorum efficacia, tantoque cum animi ardore demeruit.

Italorum Xenodochium tribuitur noſtris.

Dum hæc agebantur, Apoſtolicus Nuntius, qui cæptis egregiè fauebat, conſiſtere certo in loco, atque honeſtiſſimè noſtros voluit. Enimuerò cū addictos ſummoperè noſtro Ordini Italos cerneret, Xenodochii, quod Italorum vocant, eccleſiam, quæ in ipſiuſmet Pontificii Legati clientela, ac patrocinio eſt, attribuendam noſtro vſui à Rectoribus curauit; vbi quædam ſubindè exercere munia, atque ad regularis inſtituti normam agere pro loco, ac numero occœpere: atque indè in omnem rei benè gerendę occaſionem intenti, veteres excolere amicitias, nouas inire, probare vulgo Inſtituti mores, amplificare egregiis vigiliis communem opinionem, denique nulli officio, curæque deeſſe, quæ iuuare ſuſceptum conſilium poſſet. Neque verò prætermiſſa enara ſub hoc tempus illuſtris cœnobii opportunitas. Decreuerat religioſiſſima Regina, quæ eius erat pietas, atque in Redemptoris cruciatus deuotio, Eccleſiam Matriti dedicare cuidam Crucifixi Dom. ſigno, quod inſana hæbræorum quorundã rabies impiè diuerberauerat, non ſine inſigni læſæ Diuinitatis teſtificatione. Nam ſanguinę vbertim manaſſe, & loquutam eam imaginem, ferunt. Ergo qui Reginę gratiam aſſiduitate, ac ſplendore concionum iam demeruerat Mirtus, vti dixi, ac prouocatus ab ea item fuerat, vt aliquid peteret; oculos, animumque ad regiam hanc baſilicam adiecit, petiitque opportunè: & ea quidem fronte, ac benignitate excepta ab ea fuere poſtulata, vt perſuaderi ſibi quiſque ſucceſſum facilè poſſet: præſertim cùm officia acceſſerint principum fœminarum, quæ noſtro Inſtituto magnoperè fauebãt, & apud Reginam valebant plurimùm. Atenim interiectę huic deliberationi moræ præclaram occaſionem corrupere, neque explicare ſe ſe regia voluntas potuit, nouumque intulit conſilium temporum ratio. Quam quidem principe in Vrbe, atque In Caſtellæ Regnis ſedem tot deindè obſedere difficultates, vt flagrantiſſimum noſtratum ſtudium deſudare diù, multùmque oportuerit; planènon vltra communem rerum vſum: quando ita natura comparatum eſt, vt nullum ſine mora magni momenti negotium perfici, vnquam contigerit. Mirtus verò ita interea temporis hoc opus vrgebat, vt aliò etiam animum appulerit, fundatumque eius auſpiciis Cæſarauguſtanum, ac Barcinonenſe cœnobium, atque in Complutenſi Academia contubernium, de quibus ſuus erit dicendi locus.

Excitatum à Regina templum poſtulat Mirtus

Caruere ſucceſſu vota.

In Poloniam inuitantur noſtri à Legato.

Iam Poloniæ Regis Orator MaKousKius, qui cum dixi, aduentaſſe in Hiſpaniam noſtros, intra menſes omninò octo perfunctus ſua Legatione eſt. Reuerſurus in Italiã per Poloniam, aliquem etiam ex noſtris itineris comitem voluit, pollicitus, daturum ſe operam, vt quando id libuiſſet, Sedem in Poloniæ Regno figeret noſtra Familia, quam ab inſtituti ratione ſupra cenſum, ac opes, atque à diuini cultus ſplendore gratiſſimã ſuis fore; &, quę eſt gentis humanitas, ac pietas, excepturos illam gratanter, ac munificè Polonos, affirmabat. Dilabi hanc amplificandæ in florentiſſimo Regno Sodalitatis occaſionem, non eſt paſſus Placidus Mirtus; deſtinauitque operi Creſcentiũ Viuum, qui ineunte Autumno cũ Legato ex Hiſpania diſceſſit, inauſpicatò quidem; quippè cui peracerbo cũ animi ſenſu parentare mox viro illuſtri contigit. Enimuerò per Galliam terreſtre iter cùm inſtituiſſent, interceptus febri Regius Legatus, intra paucos dies ab humanis exceſſit; curauitque defuncti funus Viuus noſter, qui quòd eo beneuolentiſſimi Viri caſu res Polonica euanuiſſet, continuato itinere, peruenit in Italiam; reuerſus poſtliminiò aliquot poſt annis in Hiſpaniam, vt auxiliarem nauaret Matritenſi rei operam: vbi dum ſtrenuè deſudat, diem claudit extremum immaturo planè funere, Vir quidem, vti ſignificatum eſt, in omni doctinarum genere verſatiſſimus; qui ſtudiorum fama, ac virtutis etiam æſtimatione viam ſibi ad omnium ordinum beneuolentiam in aula muniuerat, vrgebatque mirificè Inſtituti commoda.

Creſcentius Viuus moritur.

Quòd autem ſuſceptum in Poloniam iter cauſa fundandæ Familiæ memini, aliam hic ſtatim eaſdem regiones adeundi occaſionem annectam, quę aliquot licet poſt an-

annis acciderit. opportunè nihilominùs id loci narratur, ne peregrinari iterùm in Poloniam cogatur ſtylus. Igitur anno huius ſeculi ſexto, & vigeſimo Nicolaus Sapiha Polonus, Codnæ Comes, vir cum paucis nobilis, ac opibus abundè inſtructus vnà cũ ornatiſſima coniuge Romam venit, vt ſacræ eius Vrbis cũ pietatem, tùm reliquam clarorum operum magnificentiam, ac veteris maieſtatis veſtigia vſurparet. Moratus is Romæ aliquandiù, initiatus quadam cũ noſtratibus amicitia eſt, quorum vt inſtitutum, viuendique rationes cominùs agnouit, profeſſus ingenuè eſt, ſe quidem nihil æquè in Vrbe admiratum, ac Theatinam diſciplinam, ita nullis ſubnixam opibus, vt neque emendicaret, ſed ſpontanea fidelium erogatione viueret. Affici mirificè ea hominum inſtitutione cœpit, præſertim quòd impigros etiam cerneret; & quòd in proximorũ ſalute, atq. eximię charitatis officiis toti eſſent; reputauitque apud animum ſuum, facturum ſe eius peregrinationis pretium ſanè non mediocre, ſi id Clericorum inſtitutum in Patriam vnà ſecnm duceret, & Codnæ conſtitueret: futurum nempè breui, vt occupatis eo vitæ genere Polonorũ animis, in alias ſe ſe Regni partes mox diffunderent, non ſine morum fructu, atque orthodoxæ in primis religionis incremento, ac nouatorum clade. Itaque cum Vincentio Giliberto Præpoſito Generali ſingulari quodam ſtudio rem propiùs tranſigere. Sineret tranſire in Poloniam ſuos; ſe quidem viæ comitem, ſumptuſque ſuffecturum. Codnę, quę Vrbs eſt non exigua, ſedem primò habituros, tectis percommodis, ac templo, exercendis Inſtituti muneribus opportuniſſimo, excipiendos: polliceri deindè ſe, in principem Vrbem Cracouiam, aliaſque præcipuas Regni Ciuitates breui tranſituros. Regionem opulentiſſimam, gentem munificam, atque in pietatis ſtudium pronam; quæ vbi Theatinas viuendi leges, aſſertoreſque diuinę prouidentiæ homines ſciuerit, perſuaderet ſibi fore, vt præclaro quodam pietatis, ac munificentiæ certamine Inſtitutum complecterentur. Negotium ita probare Pater Generalis viſus eſt, vt cũ generalia inſtarent conſequentis anni comitia, duceret, rem grauiſſimam cũ Conſcriptis Patribus communicandam; aut ſi diſceſſum maturiùs vir nobilis cogitaret, Maximi Pontificis nutum imperraret. Ergo appellatus Vrbanus Pontifex Octauus fuit; ac re cũ Auguſtis Patribus, qui fidei propagandę pręſunt, excuſſa, decretum manauit, vt de Polona ea expeditione proximi generalis Cspituli Patres recognoſcerent. Nec fractus ea mora Nicolaus: ſed qui ſubſiſtere Patauij aliquandiù remediorum cauſa debuit, expectare hic Capituli conſultum, ac deſtinatos nouæ Coloniæ Patres, conſtituit. Interim nullis officiis parcere: vrgere præſertim literis Gilibertum, ac rogare etiam, atque etiam, vt ſucceſſum curaret. Extant penes nos hæ illuſtris Viri epiſtolę, in quibus videre eſt flagrantiſſimum eius deſiderium, & quàm anxiè reperat, quid ea ſuper re officii, ac operæ Romę impenderit: vt Pontificem interpellauerit: quo ſtudio apud Cardinales, ac Principum etiam Oratores egerit. Illud verò prolixiùs inculcat; monitos nempè à ſe ſummos Poloniæ viros, ac Regem ipſum de religioſorum hominum manu, quam ſecum duceret; ac vehementer ſibi, ac Regno nouum Ordinem gratulatos, ſuſpenſos iam omnes expectatione: vt niſi fluerent ex voro cœpra, ludere ſuæ gentis ſpes, ac fraudare ingenti fructu populos eſſet. Planè cùm eo ardore animi inſiſteret negotio vir adeò noſtri nominis cupidus, atque excipiendam cũ plauſu, ac munificè diſciplinam, pro comperto haberent noſtri homines; cur exſminata poſtmodũ in generali Capitulo expeditione, ſucceſſu caruerit, nullam in promptu cauſam habemus, niſi arcanum quoddam diuini Numinis conſilium; cui religioſę familiæ præſertim ſunt curæ. Nam quibus maximè in votis erat, extendi Ordinem, atque abire vltra montes, nihil hoc inuitamento opportunius, videri poterat. Niſi fortè tàm commodè peregrinari, atque excipi noſtram familiam, diuinæ prouidentiæ minimè placuit, quę nos humano apparatu deſtituros cupit, vt noſtra deindè diuinitùs curet. Atque hæc de re Polonica. Nec tamen diſcedimus ab ea gente; niſi enarrata priùs ſtrictim Poloni adoleſcentuli in noſtro Quirinali cœnobio mora. Erat is è nobiliſſima, ac ſplendida planè domo, cuiuſdam è Polonię Palatinis filius, cui intra adoleſcentiam ætas, agebatque in Cœſaris aula, eo quidem loco, vt in eius aliquando menſa diſcumberet. Iam, quòd profuſa nimiùm in eo liberalitas, ac conuiuia pręſertim ſumptuoſiùs procuraret, morum magiſtro nequicquam reclamante, monitus acriter officii à

Agit cum Patre Generali Codnę Comes

Qui & Vrbanum Pontificem appellat.

Patre eſt. Quod adeò ægrè tulit adoleſcens, vt furari ſe ſe Patri, ac cuidam Religioſorum hominum Societati dare nomen decreuerit: capeſſiuitque iuuenili prorsùs impetu Ordinem, ac miſſus Romam eſt. Aderat ibi germanus frater, qui cùm nec fingere animo poſſet, conſilium diuinitùs fratrem ſuſcepiſſe, ad Pontificem adiit, eiuſque explorari intimè ſenſus, efflagitauit, impetrauitque. Commendatus, quoad de eius voluntate, ac ſpiritu anquiſiuiſſent, noſtratium fidei in Quirinali D. Silueſtri domo fuit: vbi alere Ephebuli pietatem, mentemque religioſam, ſi qua inerat, exercitio, & commendatione virtutis ſtuduerunt Patres. Verùm, qui ſubitario, vti dixi, animi motu, atque indignatione quadam id conſilii ſuſceperat, nutare primùm verecundè, tùm apertè Vratislauiæ Epiſcopo, Patruo ſignificauit, ſe quiduis aliud cogitare, quàm religioſum inſtitutum; exuitque mox habitum, ac conſtantiam, quam nullus vnquam tenuit, niſi quem ſuperna quadam luce colluſtratum, agi diuinitatis inſtinctu, contigerit. Quod verò ad nos attinet, dicere officii cauſa adeuntibus ſolitus erat nobilis iuuenis, in eo ſe Quirinali contubernio morari haud diutiùs poſſe. Pulcherrimam quidem loci faciem; ſed arctiſſimum vbique ſilentium, rigoremque diſciplinæ: victus præterea penè intra naturæ neceſſitatem parſimoniam. Nempè regularem domus obſeruantiam commendabat, lætioris indolis adoleſcenti minimè conſentaneam.

Iam verò Romæ, eademque in Quirinali domo eſt etiam, quod conſignari literis, poſtulet. Hoc ſiquidem anno adhibitum Michaelis Ghislerii, quem aliàs nominaui, conſilium in inſigni opere accurando, quod ingenti planè Catholicę rei incremēto, & commodo vertit. Perfamiliaris is erat, atque à ſacris confeſſionibus Ioanni Baptiſtæ Viues, homini Hiſpano, atque Antiſtiti, quà coetera virtute, quà ſtudio in primis Chriſtianæ religionis laudatiſſimo: qui cùm in rem Romanam opportuniſſimum exiſtimaret, Romę Collegium excitari, vbi in ſpem potiſſimū propagandæ fidei iuuenes ad morum, ac doctrinarum laudem educarentur, eſſetq. Troianus velut equus, vnde profligandę per Orbem ſuperſtitioni ardentiſſimi ſpiritus viri; atque inſigniter eruditi ſubindè emicarent, id egregiæ mentis concepit; vt ſuo ipſe ſumptu, ſuaque in domo opus fundaret. Conſilium cū Ghislerio communicat; cūque probari magnoperè cognouiſſet, id illi in primis iuſſit, vt inſtitutionibus, ac legibus ordinatis, perſcriberet ipſe alumnorum partes, educationis formam, diſciplinarum ſtudia, exercitia pietatis, rationemque loci, ac vitæ omnem. Quod ille egregiè præſtitit. Et vt accederet ab inclyto nomine præcipua quędam Collegio dignitas, eius inſtituendi curā, ceu Maximo Pontifice dignam, Vrbano Octauo, immortalis memoriæ Principi, cōmendauit: vocatumque fauſtè ab eo nomine, Collegium Vrbanum. Quod poſtea à præclaris quidem initiis progreſſus habuit planè ingentes, amplificato, videlicet, cenſu, adaucto ephebeorum numero, inſtituta inibi Auguſtorum Patrum Congregatione, quæ ſuo nutu eam rerum molem regeret. Opus præcipuè complexus munificentia, ac curis ſuis eſt Antonius Barberinus, Card. Sancti Honuphrii, è Capuccinorum Ordine, Vrbani Pontificis germanus frater, ſua purpura, ac fratre dignus, qui ſplendido planè ędificio laxauit, ornauitque locum; & annuos etiam prouentus, vt creſceret deſtinata fructuoſiſſimis vigiliis pubes, cumulauit: planè vt ab hac opum, ac molis ſumptuoſiſſimæ acceſſione, atque ab inſigni prætertim in laudatiſſimum opus ſtudio alter ipſe Collegii fundator dici poſſit. Curauit is porrò apud Vrbanum fratrem, vt quando aliquid induſtrię in eo condendo noſtri homines contuliſſent, atque ea etiam mens fuiſſet Antiſtitis Viues, vti Ghislerii autographo conſtat, eorūdem regimini ſubderetur, hauriretque à noſtro Ordine doctrinam, ac mores. Quanto verò cum diſciplinę ſtudio, prouentuque ingeniorum id illi muneris aliquandiù adminiſtrauerint, ſuus erit dicendi locus. Interim celebre de fide propaganda Collegium, ac poſita eius hoc anno rudimenta non ſine Clericorum Regularium conſilio, ac opera innuiſſe, ſat fuerit.

Io. Baptiſta Viues Collegiū de propagāda fide concipit.

Michaelem Ghislerium conſulit.

Card. S. Honuphrii auget cenſu, ac ædibus.

Recenſendi nunc veniūt, qui hoc triennio defuncti ex noſtris ſunt, virtutis, ac morū laude eximii, inter quos primum ſibi vendicant locum Preſules, qui non ita auulſi à noſtra diſciplina ſunt, quin cultu, ac ſtudio exprimant Theatinos: proindèque laudes, ac funera cum noſtris iure miſcent. Quinque omninò triennali hoc temporis

ſpa-

Digitized by Google

ſpatio exceſſere è viuis Antiſtites. Et primo quidem anno Benedictus Rubeus Nea-
politanus, Epiſcopus Motulenſis, Hippolytus Riua item Neapolitanus, Epiſcopus
Stabienſis, Marcellus Pignatellus Peruſinus, Epiſcopus Aeſinus. Quo tempore hi
ſuas Eccleſias iniuerint, dixi in loco; eorumque animi dotes, atque in munere
administrando partes delibaui. Rubeus ſenio, curiſque confectus, Neapoli die Febr.
vigeſima ſecunda decubuit; ſepultuſque eſt in D. Pauli cœmeterio, nempè cum ſuis,
quos vnicè complexus ſemper fuerat. Viget Motulenſi in Vrbe Viri fama, quẽ etiam
num à vitæ innocentia, à ſingulari in pauperes charitate, à diuinorum cultu cũ pau-
cis commendãt. Hippolytus Rina Stabiis ſua in ſede diem clauſit extremum pera-
cri quidem popularium ſenſu, quòd pauperes quidem Patrem, cæteri ſingulare
præſidium amiſerint. De Marcello Pignatello dixi ad annum decimum ſeptimum
eum inauguratus Epiſcopus eſt. Dum celeberrimam Deiparæ Lauretanæ domum,
cui illum præfeecetat Paulus Pontifex V. impigrè procurat, ſpiritum poſuit: Nec reli-
gioſiore ſanè in loco condere ſuæ exuuias mortalitatis poterat; promptamque inibi
habuit magnam Matrem, quę impenſam ab eo in ſuę ædis adminiſtratione operam
ſtatim remuneraret. Fertur nanque, non ſine ingenti eum Lauretanæ rei compen-
dio, ac Mariani cultus incremento texiſſe Sacrarium illud Auguſtæ Virgnis Pigna-
tellus, qui plurimùm, & vi prudentiæ, & ſolertia in agendo, & zelo pietatis valebat.
Horũ funera cõſequenti mox anno mors excepit Ioãnis Baptiſtæ Tuſi, Acerrarũ Epi-
ſcopi, qui die mẽſis Iunii tertia decima Neapoli obiit, ſepultuſq. eſt in D. Pauli cœmete-
rio. De viro præſtantiſſimo plura ſparſim commemoraui: debetque illi noſtra So-
dalitas plurimùm eò maximè nomine, quòd excellentem noſtratium virtutem, eo-
rumque rerum geſtarum monumenta, quę tandem obruiſſet vetuſtas, concinnatis
hiſtoriarum commentariis, è temporum caligine magnam partem vindicauit. Quòd
licet à rerum ordine, cultuque non integram aſſequutus laudem fuerit, ſtrauit nihi-
lominùs prolixiori hiſtorię iter non ſine laude. Vir fuit præterea, cui ſua non defuit
humanarum, diuinarumque rerum eruditio: reſpondebatque doctrinarum pręſidiis
quædam in agendo grauitas, ac dignitas; tùm in rerum conſultatione iudicii pon-
dus: vt Neapoli quidem adhuc Clericus Regularis in omnium ęſtimatione, ac ocu-
lis eſſet. Valuit præcipuè auctoritate, & gratia apud Ioannem Zunicam, Mirandæ
Comitem, dum is Neapolitani Regni vices ſupremo iure adminiſtraret; cui impigrã
quidem operam nauabat, vocatuſque in arcanorum conſcientiam, curarumque
partem, temperare ipſe pleraque Regni negotia, videbatur. In Epiſcopatu nihil indu-
ſtriæ, ſtudiique prętermiſit, quo muneri ad vnguem reſponderet; cumque nulla non
ederet documenta virtutum, eſt, quod præcipuè de eius in ſuam Eccleſiam munifi-
centia, benignitateque in pauperes adnotemus. Fuerat is olim Conſtantiæ Carettæ
Sulmonis Principis, quam ſæpè nominaui, à ſacris confeſſionibus, rexeratque non
modò conſcientiam, ac mores; ſed eius etiam conſilia, externaſque curas omnes.
Hæc poſtea optimi Viri erga ſe merita, vt magnificè, ac pro animi magnitudine cõ-
penſaret, continuata etiam poſt fata beneuolentia, opulentos illi cenſus annuos tę-
ſtamenti tabulis legauit. Quę ſanè viſa pleriſque nimia ornatiſſimę Principis libera-
litas; nec defuere, qui Tuſum ipſum carperent, veluti plus æquo ſuis commodis
ſtuduiſſet: cùm reuera nihil is quęſitæ artis in ijs ſibi fortunis comparandis adhibuiſ-
ſet; ſed impetu quodam, ac ſpontè ſua Caretta illum ornaſſet. Auctus igitur ijs opi-
bus Tuſus, quicquid deindè ex Acerrenſi Sacerdotio prouentuum exiſteret, ita nihil
ſibi ex iis decerpſit, vt totum in ſuæ Eccleſię, ac pauperum vſum impenderet. Quo
ſanè & ali munificè publica indigentia, & nitere quàm decentiſſimè Antiſtitis ſpon-
ſa viſa eſt. Cui quidem ſponſæ diù hęſit Tuſus. Verùm, quòd appeteret iam ſenium,
& quidam à ſenio quietis amor vellicaret, miſſionem, veluti emeritis ſtipendiis mi-
les petere cogitauit. Quod dum ſeriò meditatur, prouocari ad Infulas longè opero-
ſiores contigit. Datis nanque Philippus Hiſpaniarum Rex Tertius ad Clementem
Pontificem Octauum literis, illum Archiepiſcopum Materanum, atque Acherunti-
num tùm quidem deſignauit. Quo ſanè nuntio nihil egregio viro moleſtius; vt cui
nihil priùs, quàm curas, & Inſulas abdicare. Et profectò ſplendidior titulus, lautius
patrimonium, tùm ipſum in primis honorificentiſſimum Regis iudicium, atque

Moritur Benedictus Rubeus Epiſcopus Motulen.

Et Marcellus Pignatellus.

Et Io. Baptiſta Tuſus Acerrarum Epiſc.

Eius animi dotes.

Renuntiatur Archiep. Materanus.

vitronea quædam beneuolentia allicere quemlibet facilè potuiſſent. At cui tranquil-
litas animi potior, ſtrenuè recuſauit: ſtatimque ita apud Catholicum Regem, ac Mi-
randæ Comitem, qui ſanctiori in Hiſpania Conſilio ſumma cum poteſtate præerat, li-
teris egit, vt euicerint preces, quod poſtularet. Enimuerò & de Materana Sede conſi-
lium mutarunt, & permiſſum, vt Acerrenſem etiam Epiſcopatum in Pontificis manu
abdicaret: planè non ſine ingenti eius aulæ plauſu, ac raro inter Antiſtite exemplo,
quorum ea potiſſimùm conſuetudo, vt creſcente in dies honorum, opumque appetē-
tia, ad ſplendidiora, ac noua ſemper commoda colliment. Solutus animorum pro-
curatione, iuſſus à Clemente Pontifice Romæ ſubſiſtere, adoptatuſque eſt inter Epi-
ſcopos, vt aiunt, Aſſiſtentes. Quod diutiùs munus tenuit; cùm interim in ea luce
Romæ inter Epiſcopos Aſſiſtentes adnumeratur.
mortalium ita vitæ rationes compoſuiſſet, vt à ſui, ſuorumque modeſtia, ab eximiæ
pietatis cultu, à beneficentia in pauperes, cœterarumque virtutum documētis pla-
nè oſtenderet, ad quandam ſe ſanctioris, religioſique moris regulam agere. Suo in-
primis Clericorum Regularium Ordini addictiſſimus videri voluit; illumque & tueri
officiis, & iuuare munificentia pro viribus ſtuduit: vt qui non modò profeſſus ipſe
eam diſciplinam fuerat; ſed par etiam ex ſorore nepotum florere ad omnem laudē
in ea cerneret; nempè, quos ſæpè memini, Andream Piſcaram Caſtaldum, & Ioannē
Baptiſtam, germanos fratres, quorum nomē, ac virtus, vt eximio Sodalitati ornamen-
to erant, ita quidam etiam ex iis ſplendor in Tuſum auunculum deriuabat. Vixit
ad ſupremā vſq. ætatem; & cū oneri iam ſenium, ac vita eſſet, exuit Neapoli mortalita-
Paulus Philamarinus Epiſc. Caiacenſis moritur.
tem; vbi inſequenti mox anno die Maii vigeſima ſeptima Paulus Philamarinus è no-
ſtris Epiſcopus Caiacenſis, deſiit etiā viuere. Quam is in regendis Theatinæ rei com-
modis, ac præfecturis prudentiam olim præſotulerat, eandem ipſam in eius Eccleſiæ
adminiſtratione egregiè approbauit; illamque cùm moribus, exempliſque virtu-
tum; tùm amplificato ſacrorum cultu, externaq. religione procurata, non minimùm
ornauit.

Atque hi quidem in Inſulis vita functi hoc triennio. Pergimus eorum nunc vir-
tutem literis commendare, qui dum ſuo inſtituto cum laude inſiſterent, exceſſere.
Obiicit ſe ſe primò Io. Franciſcus Palumbus Neapolitanus, qui anno voluentis ſeculi
vigeſimo primo die Aprilis ſexta Romę in cœnobio D. Andreę à Valle obiit, doctrinarū
Io. Franciſcus Palumbus deſiit Romæ viuere
præſtantia, ac ſama percelebris, tùm vitæ moribus, atque omni laudum genere orna-
tiſſimus. In literarū ſtudiis operā dedit Paulo Areſio, viro doctiſſimo, Derthonēſi po-
ſtea Epiſcopo, quē ſupra memoraui. Percarus ſuo pręceptori Palūbus ab egregia qua-
dā vi, ac facilitate ingenii, qua ſodales facilè omnes excedere in gymnaſio, atq. in eo
ſtudiorum certamine triumphare, videbatur. Quam quidem ingenii opinionem, cū
mox ipſe è ſuperiore loco docuit, nimiū, quantū adauxerit. Inerat ſolidum quoddam
in opinionum delectu iudicium: rationum momenta, quæ maximè aſſerendæ, cōfir-
mandęque veritati accommodata videbātur, non quæ vim mentis, aut oſtentarent,
aut exercerent, afferebat; in quibus deindè explicandis peculiaris quædam, vt per-
ſpicuitas, ita & facundia elucebat. In diſſerendo præterea, diſceptandoque ardo-
Plus ingenii facultas,
re quodam efferbuit, quo citra modeſtiam, & ſuam ſtrenuè ſententiam tuebatur,
& theatrum ea diſputandi alacritate exhilarabat, ſuſpendebatque. Eius verò in
doctrina cādor vel ex eo patuit, quòd ſtudioſus alioqui præceptoris ſui Areſii, pro ve-
ritatis tamen ſtudio eius oppugnare perquàm liberè, ac ſæpiùs opiniones non dubi-
tabat: idque interdum acriùs, non ſine Areſii ſenſu, qui amantiſſimum olim diſci-
pulum ſecum literaria in arena rixari, noluiſſet. Sed tanti erat, litari doctrinæ inge-
nuitati: vſurpabatque Ariſtotelicum, ac tritum illud: Amicus Socrates, amicus
Plato, ſed magis amica veritas. Quamquam adulti iam, erectique ingenii quædam,
veluti generoſitas videri ea potuit in Palumbo: ceu recedere dedita opera à magiſtro
vellet, ne ſemper infans videretur, ſi eius ſemper doctrinæ, ac lateri inhęreret. Philoſo-
Et doctrinæ candor.
phiæ, ac Theologiæ ſcholas continenti ſtudiorum curſu quindenos omninò annos
habuit. Romæ ferè ſemper, vbi eximiam literaturæ famam inter celebrioris notæ,
atque eruditionis viros collegerat. In controuerſia de diuinæ gratiæ auxiliis, quæ tū
Romæ omnium ſtudiis agitabatur, Thomiſtarum ſententiæ ita adhęſit, vt illam pro-
pugnandam ſibi mordicùs ſuſceperit; iniitque eo nomine ingentem à Dominicanis

Pa-

Patribus gratiàm, qui cū Viri ingenium, auctoritatemque plurimi facerent, aceeſſiſ-
ſe non mediocre ſuæ cauſæ momentum, putabant. Et quo anno diem obiit ſuum,
Stat pro diui-næ gratiæ efficacia,
cū Neapolim ad breue tempus ſe tranſtuliſſet, reuocatus illicò Romam eſt petenti-
bus è Prædicatorum Familia Patribus, qui eius opera, ac contentione in grauiſſimo
ea negotio vti vellent; gnari, nihil in eo de efficacitate gratiæ diſſidio Palumbo effi-
cacius. Et ſciuerat ille ab aſſiduo nempè ſtudio, ac vigiliis quicquid vſquam argu-
mentorum, ac rationum, ant recentes ſcholę cuderent, aut priſci Theologi, ac Pa-
tres ſcripſerint. Porrò præter hæc doctrinarum præſidia, valuit etiam eloquentia.
Sed quem dicendi gratia, ac pronunciatio, quæ magna pars eſt eloquentiæ,
deſtituerat, rarò dicentem excepit cùm plauſu vulgus: cùm interim viri docti in
Eius eloquen tia
contextu orationis vim ingenii non mediocrem, ſtudiumque dilaudarent. Cùm
in ſcholaſticis, tùm in hac dicendi laude experiri typos cogitabat. Sed præcidit im-
maturior planè mors conſilium. Ad ſpecimen verò facundiæ extat gemina eius ora-
tio: altera de ieiunii laudibus, quam Vaticano in Sacello ad Paulum Pontificem
Quintum, Auguſtoſque Patres ipſo Cineralium die habuit: alteram Romæ item
dixit in Matiano ad Mineruam templo. Panegyrica laudatio ea fuit Ludouici Ber-
trandi, è Dominicano Ordine Viri ſanctiſſimi, cū primū Latinis Sacris, ac Beati ap-
pellatione ritè donatus is eſt. Eximiam eruditionem ſpectati etiam mores, ac pietas
commendarunt. Prima diſciplinæ, ac virtutis rudimenta hauſit à Franciſco Olym-
pio, compertæ ſanctimoniæ viro, qui tyrocinium Neapoli in Sanctorum Apoſtolorū
cœnobio moderabatur, cū dedit Religioni nomen Palumbus. Ad eam magiſtri in-
ſtitutionem, quæ inerant à præclara indole pietatis ſemina, viſa ſtatim floruiſſe, ſed
non ſine ſpinis ſuis hic virtutum flos. Enimuerò ab anxia quadam in cultu animi
diligentia vellicari non modicè ſcrupulis cœpit. Præcipuus illi metus, ne quid pau-
pertati detractum iret, fraudabatque interdū genium, vt religioſæ inopiæ benè eſſet.
Admordebat item vehementer charitas; ac maximè verebatur, ne ex ſodalibus quē-
piā verbo, aut geſtu, vel minimū læderet. Horarias verò preces cū attētiſſimè, ac com-
Et morum pietas,
poſito ad omnem pietatem oris habitu recitaret; addubitare nihilominùs anxiè ſo-
litus erat, an ritè, ac ſanctè perſoluiſſet. Inſequuta in œui flore valetudo, ac virium
imbecillitas, viſa, quandam in eo ſtrictioris obſeruantiæ lacunam feciſſe. Scilicet, fa-
cilè adblandimur naturæ neceſſitatis prætextus ac nihil vnquam citiùs diſciplinam
emollhit, quàm corporis ſtudium. At enim initiatus ſacris; eius laxamenti veluti ſu-
pernè monitus, rediit ad mores: ac tùm quidem, inſtaurato obſeruantiæ, vitæque
Scrupulis angi tur.
ſanctioris curſu, pietatem impenſiùs colere, precibus inſiſtere, nugas, alloquutiones
omnes proſcribere: indictoque ſibi arctiore quodam receſſu, Deo, ac ſtudiis vaca-
re. Inerat illi præcipuè eximius mentis candor, ac ſingulare caſtimoniæ ſtudium,
cuius præclarum illud ſpecimen Romæ dedit, quod Andreas Piſcara Caſtaldus, Præ-
poſitus Generalis, datis ad Antonium Catacciolum literis, poſt eius obitum euulga-
uit. Commendata Palumbo fuerat nobilis fœmina, quam, vt ſunt rerum humanarū
vices, domeſtica quędam clades tùm quidem exercebat, indigebatque piis maximè
adhortamentis, ac conſolatione. Ergo adire interdum ille ad matronam, adornatiſ-
que ad pietatem verbis, medicinam pectori facere. Semel, cùm domi non reperiſſet,
Eximia in eo caſtimonia.
obiecit ſe ſe illi elegantis planè formæ, ac nupta iam filia, quę, quòd illum aliquando
piè cū matre colloquentem inaudiuerat, ne ſe frugifero eo ſermone fraudaret, rogat.
Nullum à nobili puella fucum timuit vir candidiſſimus; eloqui de more inſtituit.
Sed quam alia omninò coquebat cura, viſa repentè inter dicendum ſurgere, appren-
ſumque manu Palumbum ad interius conclaue quæſita verborum illecebra, geſtuq.
qui fœda poſtularet, inuitare. Opportuniſſimum, aiebat, id eſſe tempus, vacua ni-
mirùm domo, ac remotis arbitris; ac ſe quidem occaſioni pronam. Expalluit ad
hoc ille improuiſum fœminę inuitamentum. Diuinam opem pro modo, ac raptim
poſcit: factoque impetu, dicto citiùs ab eo ſe ſe diſcrimine proripuit. Reuerſus do-
Quam ſtrenuè tuetur.
mum rem omnem ex ordine Caſtaldo narrauit, præſentiſſimum Numinis auxilium
deprędicans; obſirmato inſuper animo, eò nunquam poſtea rediturum, vbi impac-
ta ad ſcopulum, penè nafragauerat caſtimonia. Caſtaldus verò in ea, qua Antoniū

Ca-

Caracciolum huius facti monuit, epiſtola diſertè teſtatur, virum fuiſſe Palumbum, concentu quodam virtutum cū paucis ſpectatum: ac ſe quidem habere plura, quæ de eo memoriæ commender; ac fore, vt conſignaret aliquando literis, quicquid ſciret, pollicetur: dolendumq. non id illi poſtea otii contigiſſe, vt ſcriberet. Illud poſtremò de viro egregio adnotandum, in tanto doctrinarum ſplendore, ac fama nūquam honorum guſtu tentatum. Non externæ illum Infulę, non Ordinis præfecturæ pulſabant, quas ęquè auerſabatur. Semel, vt exactos in diuturnis ſcholis labores inſignirent, de eo inter Ordinis Conſultores ad ſciſcendo in comitiis generalibus agebatur. Quod vbi allatum illi eſt, adiit Patres, ac feriò, ſummiſque precibus cum iis egit, vt flecterent aliò ſuffragia. Quod impetraſſe, gratulatus mox eſt inſigni cum laude modeſtię. Iſtiuſmodi indolis, atque eruditionis vir ereptus ab humanis immaturiùs fuit ætatis anno quadrageſimo ſecundo: medio, videlicet in curſu vitæ, ac ſtudiorum. Quo ſanè acerbior Ordini iactura, ac mœror. Et verò cùm de viris prętantibus agitur, ſi contingat intempeſtiuiùs mori, neſcias, quæ dici maior debeat, felicitas, quòd aliquandiù vixerint, an moleſtia, quòd citò abierint?

Honores domi. foriſque deprecatu.

Patauii eodem hoc anno exceſſit Bernardus Iuſtinianus, Genuenſis, ex Inſulæ Chij Dominis, vir ſanè priſci moris, religioſæque diſciplinę apprimè tenax. Anno exacti ſeculi quinto, & nonageſimo adoptatus in Congregationem Genuæ fuit à Paulo Toloſa, qui tùm illi cœnobio præerat. Nomen illi Ioannes Baptiſta, audiuitque mox Bernardus: qua nomenclatione, vt elati pridem Patris memoriam excitauit, ita vrgeri ſe ad omnem regularis, atque ſtrictioris obſeruantiæ laudem ſanctiſſimi Clareuallenſis Abbatis exemplis, probè intellexit. Planè, qui mora ineundi Ordinis conſilium probauerat, & ætas illi robuſtę cuiuſdam diſciplinæ capax: alterum nanque & vigeſimum annum agebat, cùm aggregatus ad noſtros eſt; viſus illicò ſui demiſſione, ac odio, vigiliarum contentione, orationis ſtudio, ſacrorum vſu, ac reliqua pietata ſpecimen illatum virtutum dare, quas poſtea ſtrenuè exercuit. Princeps illi cura, corporis frœnum; gnarus, quantum ad ſanctioris vitæ progreſſiones momentum habeat huiuſmodi voluntariæ afflictationis ſtudium. Victus illi ratio intra modum, naturęque neceſſitatem; ac præter ſtata Congregationis ieiunia, addere pleraque per annum extra ordinem, quæ occultare arte quadam conſueuerat, ne arrogaret ſibi gloriola, quod ipſe genio ſubtraheret. Aliis item rigoribus, vigiliis præſertim, piiſque diuerberationibus ſecum agere. Hinc peculiaris quidam in eo caſtimonię cultus. Mulieres, ſanguine licet coniunctiſſimas, caitabat. In oculos, ne quid ad animi luem ſorberent, ſtrictū quoddam illi imperium inerat: planè vt moneret modeſtię intuentes. Paupertati potiſſimùm ſtuduit, quam habitu, cultu, cellęque ſupellectili præſeferebat. Legatum hoc nempè noſtro Ordini à Parente noſtro Thienæo patrimonium, tuendum ſibi omni ſtudio, ducebat; atque adeò cui noſtra egeſtas curæ, diuina prouidentia niti ſingulari fiducia, videbatur. A proximorum ſtudio non modò nō abhortere vir alioqui ſilentii, receſſuſque amantiſſimus: verùm etiam quicquid inerat ab ingenio, ac literis ſucultatis, eorum ſaluti dabat. Sacris concionibus incumbere: quæ à ſolido quodam dicendi genere, ac maſculæ facūdiæ neruo commendabantur. Nullę in iis phalerę, quæſitæque ad aurium lenociniū voces. Priuatis deindè monitis, quorum conſcientias regeret, cominùs erudiebat. In quoquidem excipiendarum confeſſionum ſtudio totus erat; vt quicquid à pſalmodia, quam interdiù, noctùque in odèo quàm attentiſſimè perſoluebat, ſupereſſet temporis, expiandis aliorum conſcientiis daret; valebatque in hac animorum inſtitutione ſingulari quadam facultate: quippè cui pręter prudentiam inerant præſidia doctrinarum, moralis præſertim Theologię, cui prolixiùs vacauerat, & qua cōmunia ſibi omnium ſtudia, exiſtimationemque cociliauerat. Genuenſes Archiepiſcopos hac item eruditionis, ac prudentiæ fama ſibi deuinxit; admotus ab iiſdem identidem grauiſſimis Eccleſiæ momentis; probabantque ii quidem potiſſimùm inſitum illi candorem animi, atque in aperienda ſententia libertatem. Curandę item ſanctimonialium obſeruantię frequenter adhibitus: quod quidem munus nunquam ſine ſacrarum Virginum, ac diſciplinæ compendio viſus obiuiſſe. Cùm noſtri Ordinis domos

Bernardus Iuſtinianus Patauii moritur.

Eius virtus deſcribitur.

In proximos ſtudium.

Vtuntur eius opera Antiſtites Genuenſes.

adminiſtrauit, nihil illo ſolertius, atque ad cœterorum exemplum opportunius. Suus illi rigor, ac zelus, quem quidem non omnium indoles probabat. Sed non ideò minor illi ab adductis habenis commendatio. Scilicet, cùm ſua ſponte remittere vis obſeruantiæ ſoleat; qui ſupercilio, ac cenſura id agit, vt ſtent inſtituta Patrum, enimuerò quàm optimè de communi re, ac diſciplina mereri dicendus eſt. Porrò vir cū paucis doctus, & ſi de Chriſtiani officii, morumque quæſtionibus plura conſcripſit, nihil tamen præter opuſculum de Cambiis, Italicè, atque eruditè quidem concinnatum, lucem aſpexit. Adornatum id quidem, vt populares ſuos, quorum præcipuè ſtudium in exercenda pecunia verſatur, iuuaret. Verùm, quòd ea ſcriptione conuellere recepta vſu negotia, videretur: nimiū quantùm luctandum illi cum ſuæ gentis cōſuetudine, ac nonnullorum iudiciis fuerit. Exerti profligandę ſolidæ, veræque doctrinæ calami, ac linguę, ſed quanto cum pietatis fructu, viderint ipſi, quibus tueri vulgi vſum placuit. Qui collato cominùs pede confligere cum Iuſtiniano, minimè laceſſitus, voluit, quidam fuit religioſi nominis vir, qui à noſtro olim Ordine deſciuerat; vapulandus planè communi iudicio ea potiſſimùm de cauſa, quòd literarię palęſtræ modum, atq. vrbanitatem genere quodam ſcribendi inciuili prorsùs, & quod ſatyram ſaperet, exceſſerit. Planè nunquam eò exorbitare diſceptandi ardor debet, vt videamur religioſam modeſtjam abdicaſſe, ac ſtylū imbuiſſe felle nigro. Sed quiſquis ille fuerit, ſenſit cenſoriam Romę virgulam. Iuſtinianum verò, qui ſuam ſententiam veterum auctoritate, momentiſque rationum nixam, doctè aperuit, communis eruditiorū hominū plauſus excepit: nec defuit homo exterus, qui cùm nimiam in eo modeſtiam damnaret, ſtricto ipſe egregiè ſtylo, ſuſceperit vltrò eius partes, doctrinā, quę propugnauerit, veluti rationi, æquitati, legibus conſentaneam. Nomen illi Hortenſius Cappellonius ęquè doctus, ac probus, qui id pro Iuſtiniano ſcripſit, quod Iuſtinianus ipſe ſcripſiſſet, niſi ſuſceptam tutelam ſuam à communi iam approbatione intellexiſſet: vir quidem modeſtię, quàm famæ ſuæ ſtudioſior, & cui non alia mens fuerat, quàm vt ſtaret æqui, rectique in pecuniæ nundinatione ratio; ne creſcerent cum animorum fraude opes, ac malè poſtea dilaberentur. Neque verò pretiū operi, ac lucubrationi defuit, cùm eiuſmodi fœnerationes, aut ſuſpenſis plerique veſtigiis modò axerceant, aut omninò abiecerint. Ac de Iuſtiniano hactenus. Fuere & alii, qui hoc item anno ad pauciores abiere non vulgaris notæ viri: præſertim Marcellus Surgentius, & Hieronymus Toraltus, vterque Neapolitanus, ac nobili genere. Hic Romæ Decembri menſe in Quirinali domo, ille Licii Ianuario, ineunte ſpiritum poſuit, diſciplinæ regularis cultu, pietate, grauitate morum, prudentiæ numeris, geſtiſque cum laude magiſtratibus ſpectabiles, ac digni planè, quorum nomina Clericorum Regularium faſtos impleant.

De cambiis ſcribitur

Impugnatur

Propugnatur.

Marcellus Surgentius, Hieronymus Toraltus fato concedunt.

Annus verò ſeculi alter, & vigeſimus funus attulit Marci Paleſcandali, quem toties in ſcenam produximus, veluti primarum partium actorem, & qui virtute, ac æuo profundè cū conſenuiſſet, Decanus, vt vocant, in noſtratium cenſu iam erat, octogenario maior. De præſtantiſſimi viri indole, vſuque prudentiæ plura pro temporis, locique ratione dixi. Quædam hic modò adnotanda, quę pretium item eſt, legentes edoceri. Et quidem, quod ad natales attinet, ita editus in lucem eſt; vt ipſa eius incunabula inter Clericos Regulares penè fuerint. Nam Paleſcandalorū domus ita innexa noſtris ædibus, atque ipſi D. Pauli templo tunc erat, vt communes, iiſdemque eſſent gradus: ac poſtea tota ea domorum area, ac ſitus in noſtram Eccleſiā abiit. Quocirca cùm præter intimam eam vicinitatem, intima etiam eſſet cum noſtris hominibus honeſtiſſimorum parentum conſuetudo, innatus, atque innutritus noſtræ diſciplinæ Marcus videri potuit, ac facile deindè fuit adulto, atque in exercitatione pietatis noſtratum quà exemplis, quà monitis educato, conſilium capeſſendi noſtri Ordinis ſuſcepiſſe. Igitur Paulo Cardinale Areſio, cui adoleſcentis mores admirationi erant, Paulinę domus Præpoſitum agente, dedit is Religioni nomen: poſiroque ſub Andreæ Auellini clientela tyrocinio, vota deindè nuncupauit ſub Ioanne Marinonio, qui præfecturę ſucceſſerat. Planè ab hoc ſanctitatis, veluti triūviratu coniectari aliquid non mediocre de Paleſcandali diſciplina, cultuque morum licuit. Fuitque profectò eximiæ virtutis omen, admiſiſſe in Ordinem Areſium:

Et Marcus Peleſcandalus.

Qui penè ab incunabulis Cler. Regul.

Adultæ eius virtutis præſidia,

for-

formaſſe ad noſtri Inſtituti leges Auellinum, votorum ſacramenta excepiſſe Marinonium: Viros nempè omnibus virtutum, ac ſanctimoniç numeris abſolutiſſimos. Quod ad intelligentiæ, animique contemplatricis opes attinet; fuit Paleſcandalus acri ingenio, ac ſtudiis addictiſſimus. Quo anno Sacerdotio eſt initiatus, tradere noſtris Philoſophiam inſtituit, eaq. poſtmodū contentione docendo, vrgendoque alios, litteras in Ordine promouit; vt debeat illi plurimùm Theatina eruditio, ac ſuccedētium ſubinde ingeniorum in doctrinarum laude prouentus. Sacris literis, quæ religioſo potiſſimùm inſtituto ſunt conſentaneæ, ita ſtuduit, vt aliis etiam facultatibus, omnigenç, videlicet, diſciplinæ cupidiſſimus, ac longè capax, minimè temperauerit: calluitque vel ipſam in primis artem anatomicam: quam defecta deindè çtate ad quandam animi relaxationem, ſiue vt prodeſſe etiam aliquo pacto ſenium videretur, horis ſubceſiuis Iuuentuti noſtræ explicabat; quòd diceret, turpe eſſe longo poſita naturç opificia, eorumque contextus diligenter explorare, & quç nobis inſunt, nempè mortalium corpora, quibus nihil eſt in humanis elegantius, atque operoſius, contemnere. Hæc autem ſtudia cum regularis diſciplinæ vſu mirè innexuit: cùmq. totus eſſe in paranda eruditione videretur; princeps tamen illi cura erat morum cultus. Et quidem, ab Auellini ſchola, qui effingere ad aſperiorem vitç rationem alumnos ſuos, ſolitus erat, ſeueram quandam virtutem hauſit, exercuitque Paleſcandalus. Paupertas illi maximè ad cor. Veſtes, quæ vetuſtiores, ac malè ſartæ, in deliciis habere: nihil vnquam ſuperflui in cellulam admittere: quæ erat reliqua in ſui cultu ſupellex, illud apprimè oſtendit. Tres illi omninò erant calcei lintei, quorū duos pedibus geſtabat, tertium ſuis ipſe manibus in orbem lauabat, mutabatque ad mūdiciem alternum ſoccum; quo neſcio, an litari religioſiùs, ac ſtrictiùs paupertati potuerit. Hinc illi acerrimus tuendæ noſtri Inſtituti inopiæ zelus, quem ſupra explicaui. Virtuti huic propior, atq. affinis humilitas peculiari quodam ſtudio inerat. Spectatus licet præſidio literarum, ac præcipuis in communem vſum partibus, inutilem ſe tamen, ac nullius æris hominem appellare, ſolitus erat. Parere, ſubeſſe omnibus, vilia obire munera, honorificum putabat. Admotus Petri Card. Aldobrandini conſcientiæ, quo maximè tempore is Patrui, atque Orbis faſces adminiſtrabat, nimio quidem opere illi carus; quem etiam ſtudiis informabat; ita non elatus ab ſpecioſo eo munere eſt, vt ipſimet Cardinali admirationi eius animi demiſſio, ac modeſtia eſſet. Idque in primis curabat ſecreta quadam agendi ratione, vt Romanam aulam, omnium gnaram, lateret Principis confeſſarius; ne ſi ſcirent, ſe adeò intimum, in pretio haberetur. Et quidem, & ſi ſummo loco, ac gratia apud Cardinalem ſe noue rat; aulæ tamen raro àderat, & nonniſi vocatus; ac tùm quidem fulguris in morem adire, abire; ne quid, ſcilicet, aulici moris, ac ſplendoris adhæreſceret mora. Cùm iter habendum cum Cardinali erat, in familiæ poſtremis numerari ſe, volebat; vt deteriora ad guſtum modeſtiæ ſemper contingerent. In præcipuis verò hoſpitiis ſi quādo adornatum ſibi ſplendidè lectum cerneret, extracta inde culcitra, atque humi compoſita, ſomnum extra purpuram, ac pompam capiebat, manè inſtructo iterùm cubili, vt hoſpites, ac familiam falleret. Rauennæ, vbi domicilium non dum fixerāt noſtri, adduci nunquam potuit, vt in Archiepiſcopali domo verſaretur, accumberetque ad Cardinalis menſam; ſed diuertere ad Ieſuatos Patres voluit; nempè ad cōſentaneum religioſo viro, atque humilitati contubernium, in quo quidem ad omnem diſciplinæ regularis normam agebat; compenſauitque non mediocri ſanè pretio domicilij communionem. Nam eorum mores, pietatemque nonnihil expoliuit: & quòd eſſent literarum rudes, tradere illis rei grammaticæ præcepta inſtituit; initiauitque ad artium ſtudia, vt in loco ſignificaui: idque ab egregio quodam charitatis impetu, quç præcipua ſanè in eo virtus; vt nihil vnquam contentionis, curæque prçtermiſerit, vbi de proximorum, aut eruditione, aut ſalute ageretur. Et Rauennç quidem, vbi in publicis eius Eccleſiç negotiis occupatiſſimus, quicquid illi temporis quieti, atque interſpirationi reliquum erat, in animorum procuratione, præcipuè in ſacris cōfeſſionibus auſcultandis, inſtruendiſque infimæ ſortis hominibus, inſumebat. Quç illi conſuetudo vbique etiam locorum, ac gentium erat: non modò cùm vegeta adhuc çtate ſuppeterent labori vires, verū in ipſa etiam deuexa iam ſenectute. Viſus Romæ,

ac

Ingenium, & multiplex ſcientia.

Virtus ab Auellini ſchola.

Paupertas.

Humilitas.

In proximos charitas.

Google

ac Neapoli, nunquam ſine ingenti prædicatione virtutis longæuus, atque octogenarius Senex perpetuam in eccleſia ſedem fixiſſe; pauperes, ac miſerabiles quoſq. viros blandè inuitare, adhortari; patientiſſimas præbere eorum peccatis aures; quos perperam confeſſos cerneret, vt inſtaurarent ritè confeſſiones, curare: elementa fidei rudes edocere: planè vt nihil eſſet ea viri canicie ardentius, atque actuoſius. Vt autem eiuſmodi conditionis homines ad pœnitentiæ Sacramentum libenter adirēt, pijs interdū munuſculis, hoc eſt, Diuorum imaginibus, ſacriſque numiſmatis alliciebat. Silicet, nullis non artibus trahendos, aiebat, quos diuina bonitas ad pietatem, veniamque euocaret. Hoc eſſe ſummum in mortales beneficium, admiſſa ſemel in Dei maieſtatem piacula, condonari; atque adeò dicere ſolitus erat, nunquam ſe meminiſſe verborum, quæ recitari publicis in ſupplicationibus ſolent: Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris; quin à diuinæ miericordiæ contemplatione lachrymis difflueret. Ab hac verò charitate ſi quando vacare contigiſſet, quòd nullus ad pœnitentiam accederet, ne momento quidem feriari, atque otioſus eſſe videretur; ſtatim in manibus liber aderat, aut orationi ſe dabat. Quo ille in orandi exercitio aſſiduus planè erat; vt non modò ſtatas inſtituti noſtri preces, quas neque grauiſſimis negotiis diſtentus, omittebat; verùm & alias interdiù, noctùque quà mēte, quà voce concipiebat. Vnde illi ea mentis, atque in tractatione rerum prudentia, qua plurimū ſanè valebat, & qua difficillima quæque, ac ardua expedire ſtrenuè videbatur. Planè, quæ vis conſilii viro ineſſet, ſatis adminiſtratæ ab eo Ordinis præfecturæ commonſtrarunt. Genuæ præſertim, vbi nil propiùs fuit, quàm à loci, ac domeſticę rei anguſtia domicilium dimitti; vſque adeò ſolertiam probauit ſuam, vt mutato commodùm ſitu, expugnata auerſa multorum voluntate, adaucta communi beneuolentia, emollita ipſa etiam temporum difficultate, familiam inibi noſtram peregregiè fundarit, atque amplificauerit. Rei verò benè, ac prudenter geſtæ argumento fuerit, rediiſſe toties ad domus regimen, efflagitantibus nempè è nobilium ordine præcipuis, quorum ſibi, ac Ordini animos, humanitatemque adiunxerat. Ad hanc etiam prudentiæ laudem Neapolitanum D. Andreę gynecœum ſpectat, in quo, vti fusè aliàs, cū ſorores ipſius omninò quatuor Deo ſe, ac ſua dedicaſſent; cœnobii ipſe ſtructuram, vitæ rationem, diſciplinam, inſtitutionem, leges. commoda, parua, magna accurare ſuſcepit: ac ſucceſſere adeò præclaræ eius vigiliæ, vt continuato rerum ordine, locique ſanctitate, plaudat nunc Paleſcandali prudentiæ, ac ſedulitati poſteritas. Ipſum in primis Franciſcum Card. Boncompagnum Archiepiſcopum Neapolitanum, vbi loci diſciplinam, ac ſanctimoniam propiùs agnouit, à Paleſcandali laudibus, qui monaſterii inſtituta, moreſque temperauerat, nunquam poſtea abſtinuit. Fuit autem in cauſa inſigne hoc ſacratum Deo Virginum collegium, ac morum in eo forma, vt euulgata Viri in eo genere ſolertiæ fama, admotus reformandæ Neapoli vniuerſæ monialium diſciplinæ à Sixto Pontifice V. fuerit. Collegas quidem in difficillimo eo opere duos habuit, quos alibi nominaui, ſed ita is negotium accurauit, vt incubuiſſe tota eius humeris rei moles videri poſſet. Quòd verò admittere leges, ac frœnum Virgines recuſarent, ſubnixę præcipua conſanguinitate, mirum eſt, quas excitauerint Neapoli turbas. Suſcepere mordicùs ſuarum patrocinium viri nobiles: adſtrepere, comminari, ac miſſa etiam ad Pontificem Legatione, miſcere officiis Romanam aulam aggreſſi ſunt. Communis ea procerum inuidia, ac procella Paleſcandalum præcipuè petebat, qui ſupra minas, ac fulmina in diſciplinæ formationem erectus, negotium ea quidem dexteritate, & conſtantia ad exitum perduxit, planè vt niſi vir prudentiſſimus eluctari Neapoli, ac Romæ difficultates tanto cū regularis obſeruantię fructu minimè potuiſſet. Adiit ſiquidem Romam quater; ac poſtquam cū apud Auguſtos Patres, tùm apud Romanum Pontificem rem peroraſſet, tandem ad eius omninò decreta, ac normam leges pro Neapolitanis monialibus manarunt. Quo quidem in opere præter animi ſolertiam, inſignem etiam quandam zeli vim, ac fortitudinem præſetulit. Quam cùm ſæpè aliàs, tùm Neapoli iterū in profligandis vnà cū Andrea Piſcara Caſtaldo fœdiſſimis conuentibus, quos fax illa atque execranda pudicitiæ lues, Iulia de Marco excitauerat, commendauit. Latebat laruatum id monſtrum; deceptique ea ſanctimo-

Orationis ſtudium.

Et prudentia.

Et zeli vis.

niæ ſpecie Neapolitani, inuehi in noſtros, qui detrahere fœminæ perſonam conabantur, non è plebe modò, ſed primi etiam nominis viri cœpere: obloqui clàm, palàm: ſimultati, liuorique litaſſe viros egregios, paſſim ſpargere; & niſi ab incœpto deſiſterent, vltima comminari. Sed publica deindè mulcta comperta noſtratum in vrgendo grauiſſimo negotio zeli conſtantia. Et Paleſcandalus quidem, re confecta, cū Romam ſubindè acceſſiſſet; exceptus tàm honorificè à Paulo Quinto eſt, eoque præcipuè laudum cumulo, quòd ſtrenuè rei catholicæ incolumitati cauiſſet, vt ingenti quidem ſuffuſum verecundia, procumbere in terram, oportuerit. Recenſendæ eximij viri pleræque etiam virtutes eſſent; Sed vtar laudis compendio, ac duo duntaxat ampliſſimorum capitum teſtimonia ad omnem eius commendationem proferam: alterum Petri Card. Aldobrandini, qui à continenti cum eo conſuetudine, vſque hominem intimè nouerat. Dicere is noſtris ſolitus erat, ſe quidem in ſanctiſſimis viris habere Paleſcandalum cùm ob illibatam religioſæ vitæ integritatem, ac obſeruantiam, tùm maximè, quòd cùm illum tot annos ſuæ conſcientię, externiſque etiam curis, Patrui pręſertim Pontificatus tempore adhibuiſſet, nullum vnquam in eo priuatæ rei, aut partium ſtudium, nullum ambitionis ſenſum, ac nihil non æquum, ac ſanctum aduertiſſet. Alterum teſtimonium ab eo eſt, cuius calamus cùm nonniſi digna laude recenſeat, id aſſequutus eſt inter ſcriptores, vt ſtatim digna laude cenſeantur, quæ literis conſignauerit. His eſt Cœſar Card. Baronius, qui in Romani Martyrologii notis ad diem vigeſimam nonam Iun. menſis cùm quędam digna ſcitu de Sancto Syro adnotaſſet, hæc ſubdit: [Accepimus ab eorum Præpoſito Clerico Regulari P. D. Marco Paleſcandalo, viro ſingulari eruditione, & vitæ integritate ſpectatiſſimo.] Quod ſanè elogium ſuffecerit Viro optimo: qui vita functus in Paulino cœnobio, vti ſignificaui, ſepultuſquo in communi cœmeterio, translatus duobus poſt annis in ſacellum eſt, vbi piiſſimi priſcorum Patrum Cineres vnà cum Parente noſtro Beato Caietano Thienæo, ac Beato Ioanne Marinonio benè iacent: meruitque Paleſcandalus miſcere cum ſanctiſſimis vitis oſſa, ac cineres, qui eorum veſtigia inſigni virtute, ſtudioque religioſæ diſciplinæ impleuerat. Sed de illo hæc ſatis.

Petri Card, Aldobrandini de eius virtuti bus teſtimoniū.

Et Card, Baronii,

Attulit & inſequens mox annus vigeſimus tertius virorum, quà literis, quà pietate inſignium funera: inter quos Genuæ die menſis Iun. ſexta, & vigeſima abiit ad meliores Ioannes Baptiſta Magnauacca, honeſto loco Cremonenſis. Quà ſi morum innocentia, cultuque animi floruerit, quo flagrauerit pietatis amplificandæ ſtudio, abundè ſcripta demonſtrant, quæ exercendæ communi virtuti publicauit. Ad Chriſtianam perfectionem cùm religioſis viris, tùm ſecularibus regiam planè viam muniuit libro, cui titulus: Spiritualis agricultura; quo ſanè, inita excolendorum animorum ratione, nihil ad prouentum, frugemque virtutum opportunius. Alterum edidit volumen, quod Menſem ſacrum inſcripſit: eorum nempè flammę, ardorique ſpiritus euentilando, qui frequentiùs ad Euchariſticum epulum accumbunt: quo nanque id ſtudio, ſenſuque animi peragant, & quæ indè ſanctitas, diuinorumque vbertas exiſtat, appoſitè, ac propiùs demonſtrat: cui & eiuſdem argumenti libellum addidit, de Dulcedine menſe Decembri. Præterea, qui erat magnæ Dei Matri impensè addictus, piiſſimis planè vigiliis de eius laudibus lucubrauit. Librum ſiquidem compoſuit, quem Coronam Regalem Beatæ Virginis nuncupauit. Mariani huiuſce ſerti gemmę eius ſunt priuilegia, virtutes, verba, quæ, attemperato ad pietatem dicendi genere, dum fusè proſequitur, erga cœli Reginam, quam ſuo coronat diademate, obſequium teſtatur. Hæc aſceta religioſiſſimus in communem animorum fructum conſcripſit, quę, ſcilicet, vſu ipſe didicerat. Neque enim iſtiuſmodi documenta exceperit ſtylus, niſi exercitatus in eo rerum diuinarum ſenſu animus dictauerit. Certius nihilominùs eximiæ viri virtutis documentum fuit in aduerſis tolerantia. Enimuerò quod illi in ſacramentali confeſſione creditum conſcientiæ arcanum fuerat, dum iubetur aperire, præſenti quodam animo, ac conſtantia pernegat; promptus quidem dare potiùs ſanguinem, quam Sacramentum, ac fidem fallere. Ergò compingitur in carcerem, ac vincula, vt obſignatum religioſiſſimè ſecretum exculperet diutinus ſqualor, Quas ille ærumnas incredibili æquitate, atque

Io-Baptiſta magnauacca Genuæ diem obit ſuum,

Eius in ſcriptis voluminibus pietas,

Eius in aduerſis patientia,

ani

animi firmitudine perpeſſus, oſtendit, vbi de violandis ſacris, tuendaque religione ageretur, geſtare ſe ſupra lictorum, ac Principum ſeueritatem, atque ipſa argumenta rotarum animum. Emitti tandem vinculis virum fortiſſimum oportuit, ſed non ſine exilii corollario, quo inſuper nobilitata eius conſtantia eſt. Genuam ſe recepit, vbi dum proximorum commodis, ac ſibi vacat, correptus morbo, exitu quidem cæteris vitæ rationibus conſentaneo, ſpiritum poſuit.

Exceſſerat antea Mediolani die menſis Febr. quarta decima Ioannes Ambroſius Confalonerius, vir quidem factus ad regularis diſciplinæ laudem, atque omnigena virtute cumulatiſſimus. Dolendum profectò, quòd præclari eius actus ingenio humilitatis, aut non integri, aut nullo pacto ad nos peruenerint. Pauca, quæ nouimus, adnotãda hic ad perfectiſſimi Viri ſpecimen, ac virtutis æmulandę incitamentum. Mediolani editus Ioannes Ambroſius, parentibus, quos pietas, ac morum cultus cum paucis commendabant. Id illi in ipſo ætatis rudimento ad quoddam ſanctimoniæ prędudium contigit: nempè octuennem puerum à Diuo Carolo Borromæo ſacro chriſmate confirmari; tùm Clericali habitu, tonſuraque ab eodem initiari. Et quidem, veluti ad naturæ, atque indolis bonitatem quædam etiam à Sanctiſſimi Antiſtitis afflatu virtus acceſſiſſet, florere mirum in modum in eo modeſtia, verecundia, candor animi videbatur. Cauebat diligenter à conſuetudine, quæ fraudi moribus, ac pietati eſſet: ſeria, ac pia, abiectis contra pueritiæ genium luſibus, complecti: domi ſacras ædiculas, araſque concinnare, ac fratres cogere ad Dei laudes, ac carmina. Parentibus, ac præceptori obſequentiſſimus, ad quorum ſe nutus mirificè componebat: viſus, nihil vnquam in tenera, facilique ea ętate admiſiſſe, quod illi reprehenderent. Virtutis hęc in Cõfalonerio ſemina aſſurgere mox ad vitę ſanctioris votũ cœpere: nec poſt multò Religionem iniit exemplo, videlicet, fratris, qui facem illi ad regularis inſtituti diſciplinam capeſſendam præluxit. Fuit is Hieronymus Confalonerius, Ioanne Ambroſio natu maior, qui poſtea ad eam vitæ perfectionem, opinionemque virtutis euaſit, vt neſcias, vter fratrum innocentior, ac ſanctior. Genuæ hic obiit ſuperiore anno vertentis ſeculi quinquageſimo inſigni cum probitatis exiſtimatione, œuo perindè, ac meritis ſenior, eritque ſuus etiam de eo dicendi locus. Is igitur aggregatus Mediolani ad Clericos Regulares, germanum fratrem, à quo vnicè amabatur, ad eaſdem vitę rationes mirificè accendit, Principiò quidem, quòd latinè non dũ probè ſciret, iniectæ cùm à Patribus, tùm à fratre ipſo moræ. Verùm, quòd negata ardentiùs cupimus, nimiũ quantùm creuerit à repulſa Ioannis Ambroſii impetus: eaq. animi contentione, ac conſtantia admitti efflagitauit, vt tandem euicerit, ſuffragantibus certatim Patribus incitatiſſimi adoleſcentis poſtulationi. Et in ipſo quidẽ tyrocinio arctiore quodam ſenſuum, ac genii fręno, exacta legum obſeruantia, volucri in magiſtrum obſequio, patientiæ guſtu, rerum diuinarum, orandique ſtudio oſtendit, quam ſibi in eo religioſæ vitæ curſu virtutum, ac perfectionis metam propoſuerat. Et verò, quòd nunquam potior mortalium pars ad magna enititur, niſi quæ infra ipſam ſunt, ſeuerè accipias; in affli ctando corpore præcipuam operam poſuit Cõfalonerius. Hinc frequenti diuerberatione refractariam carnem mulctare; contextũ horridè cilicium in deliciis habere; vigilias ad multam noctem trahere; abſtinentia potiſſimùm frangendæ ſenſuum contumacię vti; gulæ irritamenta prorſus omnia ablegare; legum noſtrarum ieiuniis addere ſabbati dies, quos pane, ac frigida ſtrictiùs tranſigebat: reliqua hebdomada vnum, aut alterũ ferculum vix libabat: creuitque adeò abſtinentiæ rigor, vt imponendus virtuti modus à maioribus fuerit, ne fatiſcerent vires. Adminiſtrabat Mediolanenſe cœnobium Iſidorus Macedonius, vir, quem aliàs memini, inſigniter nauus: & quòd in cœnatione aſſideret proximè Confalonerius, aduertit facilè viri victum infra naturæ neceſſitatem planè tenuem. Ergo cauendũ nimiæ auſteritati putat: & vt id omninò cibi ſumeret, quem ipſe è ferculis ſignaſſet, præcipit. Accidit hoc viro abſtinẽtiſſimo oppidò moleſtũ. Illud verò moleſtiùs, quòd aliquando Præpoſitus exercendæ virtuti id ſignaret: quod magis ad palatũ ſaperet. Quam ille gulæ illecebram perindè admittebat, ac ſi rem guſtui inferret peracerbam; niſi quòd condiret obedientia, in cuius quidem virtutis cultu totus erat. Id ſiquidem

Io. Ambroſius Confalonerius abit ad meliores.

A D. Carolo Borromæo tõſura initiatus.

Hieronymi fratris exẽplo Religioni ſe dat.

Eius vitæ aſperitas.

Pręcipuè abſtinentia.

dem illi primum in diſciplinę exercitio: parere. Dixiſſe Moderatorem, ſat erat Cōfalonerio, vt arbitrium ſtatim omne, voluntatemque abiiceret. Nihil illi Hieronymi fratris conſuetudine, vſuque, diuinorū nempè communicatione, piiſque alloquutionibus iucundius, ac fructuoſius Mediolani erat. Maiorum nutu conceſſit hinc Genuam. Ergo literis agere Ioannes Ambroſius, vt in Patriam rediret, ac frater fratrem iuuaret; qui, quòd par etiam virtus inerat; ſe quidem adduci haud poſſe, reſpondit, vt peteret; & quod obedientia decreuiſſet, id ratum velle. Ad hanc ille obedientiæ excuſationem ita ſtatim viſus acquieuiſſe, vt nunquam ampliùs de fratre cogitauerit; veritus, ne vel minimùm adamatam ſibi virtutem læderet. Ad ſeueriorem vitæ rationem, quam modò memini, paupertas maximè ſpectat: quā veluti præcipuum inſtituti decus, ac columen ſingulari quodam ſtudio, vſuque coluit. Inſpexiſſe illum ſat erat, vt ſtatim quis ideam quandam paupertatis contemplaretur. Veſtes, niſi detritas, minimè geſtabat. Cùm quid indumenti non tàm vſui, quàm neceſſitati poſtularet, quod vetuſtius, atque alij recuſauerant, id precibus contendebat. Eadem hęc paupertatis inſignia, ac teſſera in cellula, vbi arcta omninò ſupellex, lectus, ſcānum, libri perpauci ad priſcorum omninò Patrum formam, votæque inopiæ leges.

Et religioſa paupertas.

Quod etiam paupertatis ſtudium inſignis cuiuſdam modeſtiæ, humilitatiſque argumento erat. Nihil illo vultu, geſtu, opere demiſſius. Hęc impenſiùs adamare: nēpè contemptim haberi, in poſtremis numerari, omninò neſciri. Cū quid honorificū ſibi videretur iusferendi ſuffragium, eo ſe ſtatim abdicauit, datis ad generalis Capituli Patres literis, quę ſingularem in eo mentis abiectionem, ſuiq, contemptum ſignatis veluti tabulis teſtabantur.

Et humilitas.

Porrò diuiſis contemplatricis, atque actuoſæ vitę muneribus, vtrique egregiè vacabat; vt neque ſuis vigiliis, charitateque proximos fraudaret; nec quicquam interiori homini detraheret externis curis. In precibus, ac diuinorū cōmētatione prolixior, Qui contemplationem alerent, pios libros aſſiduè terebat, excerpebatque, quę ſelectiora videbantur. In miſſæ ſacrificio nihil illo deuotius, atque attentius. Præibat in rei diuinæ apparatum quotidiana pectoris recognitio, atque expiatio; tùm preces, tantique myſterii meditatio. In gratiarum verò actione longior, ac flagrantior, veluti qui plenus Deo iam erat. Terebat aſſiduus cœmeterium, cū vt piis defunctorum manibus refrigerio eſſent ſuę preces, tùm vt in ea ipſe palæſtra diſceret moris ſatumq. veluti anteuerteret ea mortuorum conſuetudine. Septem Mediolanenſis Vrbis templa, quæ æquè, ac Romana inter ſe ſe diſtant, affluuntque cœleſtium etiam deliciorū copia, obire ſingulis hebdomadis ſolitus erat. Non hybernum, obſeſſumque niuibus iter, non acris per æſtatem calor pietatem morabatur; viæq. ac temporis incommoda pijs de diuinis rebus ſermocinationibus, ac commentationibus emollibat. Id verò perquàm aſperum; iter illud nudis pedibus emetiri; geſtabatq. detractis ſoleis calceos, vt lateret auſterior ea religio: planè, vt in difficili via oportuerit, aliquando pedes à ſanguine purpuraſcere. At enim, qui hac pietate vacabat ſibi inſigni charitate, curaque intentiore aliorum ſtudebat ſaluti. In confeſſionibus audiendis patientiſſimus; dabatque potiſſimùm operam pauperibus, in quorum conſcientiis repurgandis nunquam eius remitti, laxatique vis animi videbatur, Impedire hoc aurium officiū ſcrupulis acrioribus conabatur malus dęmon, ſed fruſtra. Nam, qui non exiguo quidem cū mortalium commodo ſuccedere laborem ſuum cerneret Confalonerius, ſedare eiuſmodi conſcientiæ ſtimulos, quà fuſis ad Deum precibus, quà peritiorum cōſilio ſolitus erat: atque interim ſtrenuè interdiù, noctùque nulla ſui, ſuæque incolumitatis ratione in id operis incumbere. Illam etiam charitatis partem proſequutus eximia quadam laboris contentione eſt, quæ in deturbandis ab humanorum corporum hoſpitiis malis geniis verſatur. Vrgeri ſe peracri quadam eiuſmodi calamitatis commiſeratione, ſentiebat vir flagrantiſſimus; vt pedem proindè cū infernis iis hoſtibus aſſiduò conferre, illoſque piis carminibus ritè exigitare, ac profligare vigore quodam incredibili contenderet. Quocirca ingentem ab iis ſibi inuidiam, ac odium comparauit: auditique poſtea ad eius funus arreptitii, qui importentiùs inclamarent; defunctum tandem eſſe hoſtem ſuum, quem maledictis, diriſque acerbiſſimis inceſſebant:

Et precandi aſſiduitas

Nudis pedibus ſeptem Vrbis templa inuiſit.

Eius in proximos charitas.

Dat præcipuè energumenis operam.

Digitized by Google

ſebant: veluti mortuo leoni barbam vellerent, quem viuentem adeò formidauerãt. Nec remiſſior planè illi in ægrotantium. ac morientium opem pietatis, animique ardor fuit. Res eſt plena aleæ extrema mortalium vita. Vis morbi, dolorum acerbitas, conſcius ipſe animus, ac dæmonum artes oppugnant; vt nihil propiùs, quàm in eo diſcrimine date manus. Aderat in hoc potiſſimùm agone Confalonerius; & vbi morientium res agebatur, non aliena anni tempora ęſtimare, non vigilias, laborumq. inſolentiam, quos vorare alacritare, vigoreque ſpiritus, quem chariras ipſa afflabat, videbatur; ac neſcio, an ad tantæ pietatis commendationem dici quid pulchrius, ac præſtantius poſſit, quàm in hoc ipſo decumbentium miniſterio, ac ope poſuiſſe Dei ſeruum animam ſuam. Enimuerò dum moribundo cuidam excubat, iuuatque ſtrenuè exeuntem animam, correprus ipſe ſubiro quodam morbo, abſceſſuq. in dextro oculo aſt: quo poſtquam aliquandiù acerbiſſimè laborauit delicatior pupilla, abſceſſit in renes mali vis, qui mox corrupti, reliquum corpus ad interitum affecere. Diù tanuit valetudo, à grauiſſimis doloribus planè moleſtiſſima; qui non adeò abripere animum potuere, quin æqua ſemper fronte pias habere alloquutiones, ac diuina contemplari Dei ſeruus videretur. Admirationi planè ſuit tantus in ingenti ea corporis clade pietatis ardor. Teſtati ſiquidem ſunt, qui aderant, fuiſſe bimeſtrem illum infirmitaris curſum aſſiduam quandam rerum cœleſtium meditationem, atque eximiæ tolerantiæ documentum. Antequam animam efflaret, afflauiſſe eius mentem ſuperius quoddam lumen; qui tùm Mediolanẽſi cœnobio præerat, Auguſtinus Scacabarozzius, ſcripris ad Hieronymum fratrem literis, narrat. Siquidem neptem, quæ in ſacrarum Virginum Collegio florenti adhucętate agebat, monitam tũ quidem, voluit, vt ſe morti compararet; fore nanq. vt breui diem & ipſa ſuum clauderet. Quod intra quindecim omninò dies accidit. Is verò munitus extremis ſacris, inſigni cum patientiæ laude, affectuque in Deum exceſſit è vita; tenuitque certa ſpes omnes, rectà in cœlum migraſſe. Id quod ſtatim arreptitii cuiuſdam confeſſione teſtatus eſt vel inuitus rebellis genius, diſertè affirmans, potitum cœlo Ioannem Ambroſiũ, atq. ob charitatem potiſſimùm in pauperes ſplendidiſſimè coronatum. Excepta communi ſenſu Mediolani mors fuit, ea nimirùm omnium perſuaſione, ac virtutum fama, vt quæ illi vſui fuerant, veluti pretioſa quædam ſupellex, ac ſanctimoniæ analecta certatim expeterentur. Corpus poſt biduum è communi cœmeterio in ecleſiam translatũ, ac plũbeo loculo in ſacello Pietatis conditũ, inſcripta ad poſteritatis monumentum eleganter virtute. Nec defuere teſtandæ pietati quædam poſt eius mortem oſtenta, atque accepta diuinitùs beneficia; ex quibus vnum, aut alterũ raptim, atque ita propoſitum hic volui; vt fides ſit penes auctorem. Pia quædam fœmina, cuius olim cõſcientiam Confalonerius moderabatur, dignari eius potiſſimùm aſpectu ſolitam ſe, diſertè pronuntiabat; interdũ vnà cum Diuo Carolo Borromęo, cui ille addictiſſimus, ſe ſibi obieciſſe, ac monuiſſe, vt virtuti inſiſterer, oraretque pro ſontibus. Hæc eadem correpta graui morbo, lecto attinebatur; cùmque decumbentem, motuſque omninò expertem pridiè noſtri inuiſiſſent, poſtera luce prorsùs incolumem in templo vident. Rogant mirabundi de morbo, quibus illa: ſpectandum ſe mihi Dei Seruus dedit, vtque ad ſacram Synaxim accederem, iuſſit. Scirem nempè, inſtaurata iam ſanitate, me poſſe. Surgo, ambulo, ad Euchariſticam menſam templo me ſiſto. Alterum febris contumacia, ac ardor in phreneſim egerat; vt faro iam proximus, refici Chriſti Corporis viatico minùs poſſet. Experiri Ioannis Ambroſii merita eius vxor conſtituit. Nec mora: fuſis ad eum precibus, rediit ſuæ menti vir; ſumptoque Euchariſtico epulo, quod vxor optauerat, è viuis exceſſit. Alia id genus beneficia, implorata eius ope, fuerunt impertita; cuiuſmodi & à viuente etiam pleraque numerantur, quæ ſcripto excepiſſe quendam ex noſtris, Bernardinus Quadriuius, noſtri item Ordinis ſacerdos literis ad Hieronymum Confalonerium fratrem refert. Quæ hic de viro piiſſimo dixiſſe, abundè fuerit.

Alia item inſignium virorum virtus deſiderata hoc anno. Romæ in Quirinali domo obiit Gregorius Cardona, Narnienſis, vir ſanè priſci moris; cui inter cœteras virtutes eximia quædam paupertas, ac ſui neglectus inerat; tùm in victus ratione ſingularis abſtinentia; quamuis is eſſet in eo corporis habitus, vt plurimo indigeret cibo.

Et morientibus

Quo ex labore morbũ contrahit,

Sub vitæ exitum monet inſtantis iati neptem;

Inferni hoſtis de eius gloria teſtimonium,

Collata ab eo poſt mortem beneficia.

Gregorii Cardonę funus, ac virtus.

bo. Hilaritatem vultu aſſiduam præſeferebat, communis beneuolentiæ conciliatricem. Inſtituti præterea, quàm qui alius, apprimè tenax. Valuit & non mediocri prudentia: geſſitque pleraſque in Ordine præfecturas, quas exemplo potiùs, quàm ſolertia, auctoritateq. procurauit. Neapoli verò in Sanctorũ Apoſtolorum domo Laurentius Berna Neapolitanus exceſſit; reponendus ſanè inter præclara ſacræ eloquentiæ nomina. Grandi quidem natu adſcribi in Sodalitatem voluit, dederatq. medicæ arti operam non ſine ingenii, ac iudicii laude; ſed quam mox medendorum corporũ facultatem cum animorum curatione fructuoſiùs commutauit. Enimuerò à ſacrarũ literarum ſtudiis egregiè inter noſtros inſtructus, verbi Dei miniſterio, quo nihil vitiis iugulandis, quæ morbos animi faciunt, opportunius doctrinam, ac curas ſuas appulit. Solidum illi à ſacra, profanaque eruditione eloquentiæ genus; in primis, quæ capiendis animis plurimùm valet, dictionis popularitas. Tàm longè ab Academiæ phaleris, atque ab æui vitio, faſtuque aberat, vt planiùs omninò diceret; ſententiam nimirùm, cui à rerum quidem præſtantia, ac dignitate pondus; ſed quæ intelligentiam minimè defatigaret, abiecta prorsùs pompa, & quæ orationem inumbrant, confunduntque, effoſſa ab ipſo vetuſtatis ſinu verborum rudera: placuitque vſqueadeò illi facilitas, ac perſpicuus quidam dicendi candor, vt ſi quæ ſumpta a vulgi, forique medio verba, opportuniora explicandis rebus viderentur, nõ ſine quadam venuſtate, plauſuque, populorum vſurparet. Auguſtinum nempè imitatus, qui modò planior, atque explicatior ad concionis aures accideret ſermo, nihil morabatur, an latinè diceter. Planè contra quàm pleriq. hac tempeſtate faciunt; quos adeò delectat quędam veluti elegantiæ enormitas, atque elaborata operoſiore torno periodus, vt modò quàm ingenioſiſſimi, atque ornatiſſimi, videantur, fraudare non rudium modò, ſed peritiorum etiam pietatem, ac fructum, nihil penſi habeant: accerſitis videlicet, infartiſque intempeſtiuè tropis, atque infuſcata miſerandum in modum orationem; quam nec ipſi quidem probè intelligant, qui dicunt. Quidam hic facundiæ morbus, ac labes eſt, quam ſingulari popularitate euitabat Laurentius Berna, cuius cùm ſemper viri docti, æquè ac vulgus orationem probarent, numquam celebriore concione audiebatur, quàm cũ pomeridianis horis veteris teſtamenti paginas è ſuperiore loco explicaret. Nihil illo in eo dicendi genere iucundius; nihil etiam à varia quadam eruditione doctius; vt accurrerent ex omni mortalium ordine, atque è ſuburbanis etiam villis auditores. Exantlata in concionandi munere incommoda egregii viri vires, ſalutemque labefactarunt; vt laboribus quidem confectus, non ſenio, fato conceſſerit hoc anno, planè cum vniuerſi Ordinis deſiderio.

Et Laurentii Bernę.

At enimuerò dum noſtratium hæc funera, ac virtutem denarramus, occurrit Iſabella Barilis, pręclari nominis, ac famæ virgo, quę ſub hoc tempus Neapoli decubuit, à noſtra diſciplina, ac cenſu minimè abalienãda. Peculiari quippè inſtitutione, ac quadam etiã vororũ religione, tũ ipſo externi habitus cultu, & eſſe quodãmodò, & videri Theatina voluit. Etenim informata à primis annis pietate, ac moribus à noſtris, eo in noſtram Sodalitatem ſtudio exarſit, vt quando innecti re ipſa in illam minùs poſſet, nouam quandam excogitauerit capeſſendi Inſtituti rationem. Induerę ſi quidem religioſum habitum Theatinum omninò in modum idea quadam mentis, atque animo finxit: vitam deindè ita inſtituit, ac ſi tyrocinium, annumque probationis, iiſdem nẽpè inſtituti legibus, atq. obſeruãtiis, quas obire tyrones noſtri ſolent, conficeret. Quo expleto, religioſæ profeſſionis candidata, Præpoſitum rogauit, vt priuato quidem ritu rem diuinam faceret, in qua exaratam ſua manu ſchedulam explicauit, noſtrumque in morem recitauit: concepto veluti in Præpoſiti manibus votorum ſacramento. Significauit hæc literis ipſamet Matthęo Sanctomango, viro religioſiſſimo, qui eius moderari conſcientiam, ac vitæ mores ſolitus erat: ac tũ quidem Arimini rei noſtræ præerat. quibus literis & rem omnem eo, quo geſta eſt ordine, ac forma ad vnguem narrat; & ſe quidem in ipſa profeſſionis nuncupatione inſolito quodam ſenſu perfuſam, atque intimè mutatam, perindè ac ſi authorata reipſa tũ quidem noſtro Inſtituto eſſet, atque in Theatinos omninò tranſiſſet, ingenuè fatetur. Rei ſpecies, ac quædam veluti pietatis ſcena hæc fuit. Oſtendit nihilominùs Dei Serua, eſſe ſe ſtudio, moribus, diſciplina, & quodammodò votis noſtram. Quo circa ſi eius hic virtus delibabitur,

Iſabella Barilis Neapoli ſpiritum ponit.

Nuncupat pro modo Religionis vota.

bitur, non erit profectò ſtylum per externa ducere. Igitur Neapoli edita eſt Iſabella, cuius natales Patris genus, atque inſignis deindè virtus cohoneſtauit. Viſi in prima ipſa indole florere mores, qui ſe ſe poſtea ad omnem pietatem, ardoremque ſpiritus mirificè explicarunt. Et admirationi quidem noſtris erat, ea ętate puellam, quæ non dū ſui compos eſſet, diuinorum iam capacem: vt non mirum fuerit, ad perfectum quendam virtutum diem perueniſſe adultam in ipſo penè crepuſculo lucem. Cùm primùm occupari ſe ſupernis quibuſdam deliciis, ac ſenſibus cognouit, id illi præcipuę curæ fuit, rectorem ſui quærere, qui velificantem in ignoto ſibi pelago regeret, clauūque ſapienter temperaret; tùm ſyrtes, ſcopulos, quos aliorum naufragia ſatis nobilitauerant, opportunè commonſtraret. In eo delectu nimiùm anxiæ, exorato impenſiùs Numine, vir contigit, quem modò laudaui, tractandorum animorum apprimè ſciens; nempè Matthæus Sanctomangus, qui ſiquādo aberat, ſupplebat vices Theodorus Albertinus, ſpectatus ab eximia pietate animi ſacerdos, cui in eiuſmodi etiam formatione ſpiritus præcipua quædam facultas inerat. Horum præceptionibus ita ordinare vitam, ac ſingula quæque dicta, facta, cogitata videbatur, vt nihil iis inconſultis aggredi, nihil proſequi pii operis auderet. Aperire deindè in perfectionis curſu progreſſiones, moras, arcanos præſertim ſenſus, atque intimas diuinorum fulgurationes; quæ cū non ſemper à Patre luminum exiſtaot, id præcipuè curabat, vt nihil ex iis rectores ſuos lateret, ne fallerent illecebræ, ac quędam à tenebrarum Principe lux. Videre eſt eius ad Sanctomangum literas, cum is abeſſet, quàm plenæ illæ quidem harum præcipuè illuſtrationum; quàm exactè de virtutum ſtudio, de morum incrementis, animique euentibus illum doceant: quodnam deindè in ea clientela obſequium, atque animi promptitudinem exhibeant. Qua quidem in obſequendi facilitate neſcio, an vnquam alia Iſabellam ſuperauerit: factumque inde eſt, vt cùm ſcrupulis acrioribus vehementiùs identidem angeretur, eo tandem, hoc nimirùm obedientiæ vſu, deuenit, vt rectoris ſui nutu, aut renutu quoſcumque facilè eiuſmodi impetus, ac morſus eluderet.

Prima eius pietatis rudimenta.

Virginis moderatores Sāctomangus, & Albertinus.

Quorum auſpiciis ad perfectionē graſſatur.

Iam verò in pęclaro virtutū choro, quas Iſabella exercebat, eminere diuinus amor, eiuſq. occupaſſe penitùs animū, ac pectus viſus eſt. Quæ æſtuaret intus flāma, ardens lingua commonſtrabat. De Deo ſiquidem, diuinique amoris igne familiaris illi ſermo; ac tū quidem flagrāte vultu, geſtuque videbatur, veluti interno quodam impetu ageretur: erantque præterea verba ſpiramentum quoddam interioris flammæ, quæ medullas depaſcebat. Ad hęc, nihil à Deo impenſiùs petebat, quā vt à cœleſti incendio tota arderet: impetrabatque identidem arcanos quoſdam impetus ignis, atque flammarum, quos continere ſinu minimè poterat. Semel, cùm poſt Euchariſticum epulum peculiari quodam ſtudio, affectuque pietatis offerret Deo cor, eo ſe vulnere ſauciari intimè ſenſit, vt ſtare prorsùs loco nequiret: planè vt agnoſcerent omnes, correptam Numine, ac diuinę charitatis telo flagrantiſſimam fœminam. Iterū, cùm ægrotaret, ac doloribus planè moleſtiſſimis exerceretur, deferri ad eccleſiam iuſſit, vt Chriſti corpori communicaret: libatiſque mox diuinis iis deliciis, tanto cū ardore animi, nexuque coniungi cū Deo viſa eſt, vt ab ingenti quodam gaudio faceſſerit omninò morbus, ac dolor. Scilicet, diuinus amor, qui languores interdū efficit, iis interdū etiam medetur, ac ſanat. Eiuſmodi verò cū diuino Numine vnio frequens illi erat: excedebatque ſæpiùs mente, vt abiiſſe tota in ſponſi complexum videretur. Id noſtratium cuidam accidit, dū ſacram Euchariſtiam fidelibus de more diſtribueret. Aderat cum iis Iſabella, cui dum Sacerdos Dei agnum porrigit, aduertit ſenſibus abalienatam, ac ſuauiſſimè conſopitam. Ergo excitari, nec quidem leui motu oportuit; excepitque penè in ipſo exceſſu Deum, ad quem amor rapuerat. Ingens itidem diuinę charitatis argumentum in ea erat ſitis quædam pro Deo patiendi. Planè percurrenti, quas modò laudaui, datas ad Sanctomangum literas, nihil frequentiùs occurrit, quàm duo hæc: Amoris videlicet vulnera, quæ infligi altiùs pectori ſentiebat; & peracrę hoc pœnarum deſiderium. Quod quidem vſu comprobabat. Nam ſi quid aliquando corporis, famæque incommodi accideret, aut interni animum ſtimuli acerbè vellicarent, ea quidem alacritatę tolerabat, ac ſi guſtum ęrumnarum excitarent; affectabatque tū quidem ad amoris ſpecimen, atque alimentum grauiora.

Diuini amoris in ea vis.

A quo mente etiam excedit

Quò

Quò quidem ſpectat ſeuerior quædam vitæ ratio, corporis afflictationes, tranſacti arctiore inedia dies; ſuper aſſerem vigiliç potiùs, quàm ſomnus, flagra ter minùs in hebdomada ad ſanguinẽ, ac penè ad deliquium, intexta ſetis aſperioribus cilicia, adpreſſi corpori ferrei cinctus, aliæque eiuſmodi ærumnæ, quibus niſi modum adhibuiſsent opportunnè confeſſarii, ſeipſam, exhauſtis breui viribus, citiùs confeciſſet. Has autem corporis perpeſſiones, quas diuino amori dabat, reuocandis ad frugem mortalibus, plerumque impendebat. Atque hoc etiam ab ingenti in Deum charitate, quæ horrorem quendam culpæ eius animo ingenerauerat, vt nihil vehementiùs, ac ſæpiùs doleret, quàm lædi humana peruicacia amantiſſimum Numen. Quocirca id illi præcipuæ curæ erat, addictas profanis amoribus, venales fœminas conuenire, obiicere vitæ dehoneſtamenta, monete peramanter, nunquam planè ſine eximiæ charitatis fructu. Abiicere ſiquidem iis adhortamentis turpiſſimam conſuetudinem, ac bonam mentem concipere pleraſque ex iis, identidem contingebat; quas expiari primùm anteactç totius vitç confeſſione, curabat, ducebatque ſuam deindè in domũ, vbi exemplo, verboque ad pietatem, ac pudicitiç decus animatæ, aut pœnitentium mulierum collegio nomen dabant, aut, ſi quæ clauſtra, aut crates minùs prubabant; eas, ſolicitata piorum ope, honeſta dote in matrimonium collocabat. Et affirmare quidem eiuſmodi libati pudoris fœminæ ſolitç erant, vim quandam ineluctabilem inferri ſibi Iſabellæ verbis, ſenſiſſe; vt reluctari, quamuis vellent, minimè potuiſſent. Semel cũ inſignem forma pellicem ad pudorem reuocaſſet, perditi cuiuſdam iuuenis artibus, qui illam deperibat, excuſſa è ſuis manibus fuit. Reuerti ad ingenium puellã, haud facilè dictu eſt, quàm graue acciderit Iſabellæ; ac profeſſa diſertè eſt, ſe quidem, modò illa in impudicitiæ caſtris non iterum ſtipendia faceret, quicquid eſt in çrumnis magnum, ac mortem ipſam libentiſſimè ſubituram.

Proſtitutas fœminas ad frugẽ reuocat.

Ab offenſæ Dei horrore, ac odio hęc illi ſolicitudo; tũ ab animarum ſtudio, æternaque proximorum ſalute. Nunquam enim amorem Numinis ab hominum charitate ſeparaueris. Quod licet ſummè diſtent Deus, & proximus, nectit eos charitas, eodemque ſinu; vtrumque complectitur, ac diligit nunquam ſine altero alterum. Et in Iſabella quidem nihil antiquius, quàm ſua ope, ac opera mortales iuuate: idq. non modò in ſpiritu, ſed in externis etiam commodis, & vbi deſæuirent maximè corporum clades. Peramplum ſanè eius charitati theatrum Neapolitanum Inſanabilium noſocomium fuit. Nihil hic, niſi expugnandç naturæ, firmandæque molliori virtuti ſordes, vlcera, tabes, ac corrupta fœdiſſimis morbis membra. In hanc inſilire ſtrenuè palçſtram Iſabella, luctari, triumphate incredibili planè cum intuentium admiratione; qui tantùm ineſſe roboris, atque animorum fœminæ, perſuadere ſibi minùs potuiſſent, niſi rem oculorum fides abundè comprobaſſet. Leuiora priùs proſequat. Confluere huc quidem ſtatis hebdomadæ diebus rato nobilitatis exemplo Neapolitanæ matronæ ſolent, vt ægrotantibus fœminis inſeruiant; ac iucundiſſimũ planè charitatis ſpectaculum id eſt, cernere nobiles, atque è principe cenſu mulieres inter decumbentes excurtere, cibos inferre, lectos procurare, ac ſternere, aliaque pietatis obire munera. Has anteuertere Iſabella ſolita erat; & quæ eius erat charitatis veluti fames, vorare ipſa hæc omnia: ita vt cùm adiret cœtera deindè claſſis, nihil eſſet in eo valetudinario reliquum, quod illç nauarent. Rem ad confeſſarium deferunt; conqueruntur, totam ſibi vindicare operum laudem Iſabellam: iuberet, ſuam cuique curarum partem relinqueret: qui quidem, vt eam exerceret, frangere charitatis eos impetus, conſtituit; ſtatimque imperauit, ne quid inibi miniſterii conficeret, quoad omnes conuenerint. Id quod vſque adeò ardentiſſimæ Viragini moleſtum fuit, vt excruciari intimè ſentiret; profeſſa nimirùm ingenuè, tolerabilius futurum ſibi, non accedere, quàm otioſam perſtare, ac præſtolari cœteras. Scilicet, venaticum canem tectè domi contineas deſidem; at in ipſo conſpectu prædæ, vt ille ait, lora retinenti excutit, ſubigitque terram pedibus, & gemitu increpar dominum morantem. Hanc verò moram ardore poſtea inſolito compenſabat: vt in morem fulguris coruſcantis ire, reuerti, videretur. Quod ſi tùm quidem feriantem ex matronarum cœtu aliquam conſpexiſſet, inſigni libertate arguebat; Iret nempè ad floralia, hortoſque irriguos, ſi otiari animus eſſet. Atenimuerò non in communi hac ægrotantium

Ægrotas fœminas procurat.

pro-

procuratione ſiſtebat generoſior charitas. Iucundiora, quæ fœdiora in eo noſocomio erant, reputabat. Itaque circumſpicere attentè locum, examinare oculis morbos, ac ſingularum luem; tùm quas inſpiceret aliis vlceroſiores, & quibus diriùs, ac graueolentiùs à tabe, ac vermibus corpus putruiſſet, harum ſibi curam illicò depoſcebat. Adire, complecti, tractare intrepidè luem, ac vlcera; addebatque corollarium, gratiarum actionem; ac veluti ipſa beneficium accepiſſet, collata ſtipe, mercedem repræſentabat. Illud verò ſupra omnem virtutis ęmulationem, & quod adnotare ſtylus vltra legentium ſtomachum, niſi rei inſolentiam ad naturę modum temperaret, minimè poſſet. Enimuerò veluti vulgare quoddam eſſet pietatis documentum, purulentis corporibus adprimi, & quæcumque refugit communis ſenſus, attrectare; admouere præterea vlceribus linguam, manantemque indè ſaniem lambere, ac ſorbere ſolita erat. Nihil profectò ad charitatis guſtum pretioſis iis ſorbitiunculis delicatius. Atque hoc quidem admirandum adhuc erat, quod ne dum iniucunda ea palato non acciderent; verùm etiam, ceu quoddam ſciti ſaporis condimentum deguſtare, affirmaret. Quare moderatorem ſuum ea ſuper re conſuluit, rogauitque, an inſtituto illi parceret? Nam quæ naturam, ac ſenſus frangere eo vlcerum guſtu intenderet, quãdo nihil inde moleſtiæ; ſed quædam etiã voluptas exiſteret, fruſtra id eſſe, reputabat. Sed iuſſa pergere ad præclari ſpiritus, virtutiſque exemplum, haurire charitatis delicias, ac nectar inter peſtilentiſſimas eas ſordes continuauit; nec planè ſine tanti operis pretio, ac diuini Numinis commendatione. Enimuerò, vt conſtans tùm fuit in eo noſocomio fama, ac teſtatæ pleræque ſunt è Neapolitanis matronis, ex earũ ægrotantium numero duæ, fœdiſſima tabe coopertę, vbi earum vlcera percurrit lingua Iſabella, viſę poſtero die fuere omninò incolumes. Quod cùm humana ope fieri potuiſſe, medicę artis conſulti negaſſent, tributum charitati fuit. Habet ſiquidem ſua charitas opobalſama, quæ ſi inſperſerit, aut ore inhalauerit, abſorberi malum omne, ac reſtitui corroſa corpora, neceſſe eſt. Cuiuſmodi & aliæ in ſacrarum hiſtoriarum monumentis occurrunt curationes. Legimus nanque attactu, atque oſculis piorum hominum conualuiſſe perſæpè elephantiacos. In hac verò Iſabellę erga decumbentes ſedulitate non charitas modo, ſed eximia etiam humilitas elucebat: planè vt cùm occupatam circa frequens miniſterium, ac viliſſima quæque noſocomii opera illam cernerent, addubitarent paſſim omnes, eſſet ne maior in ea charitas, an ſui deiectio, quã deindè in cœtera vitæ ratione, ac cultu mirè exercebat. Conſuetudinẽ principũ fœminarum, quòd non adeò cum humilitate conueniret, omni ope euitabat. Si quæ eiuſmodi notę matronæ inuiſere illam domi vellent, erudiendę nimirùm pietati, aut leniendę ab eius ſermonibus animi moleſtiæ, dicto citiùs dilabi, ac quadam veluti fuga earum vota ludere conabatur: vereri nempè ſe plurimum ſuæ modeſtię, aiebat, ſi adirent ſuam domum illuſtres fœminæ. Contra, ſi peti iniuriis contigiſſet, veluti honor haberetur, excipere illas gratanter ſolita erat, augebatque in contumelioſos beneuolentiam. Semel quędam Cornelię Pinellæ famula dehoneſtare illam graui quodam conuicio non dubitauit. Nihil Pinellæ moleſtius, quę Iſabellam ſingulari quadã reuerentia, cultuque animi proſequebatur. Conſolari proindè, ac blandè hortari, nihil vt vilis fœminę inurbanitatem moraretur. Cui illa adeò ſe, inquit, non commorã, vt perſoluerit iam collati beneficii mercedem; & quòd quid pręſtantius nõ haberet, quod offerret, pluries iam Euchariſticũ corpus pro ea ſumpſiſſe, eiuſque ſaluti Chriſti ſanguine propinaſſe. Ad hæc, quoties illam cerneret, conſalutare, atque appellare blandiùs conſueuerat. Ab intimo, videlicet, ſui neglectu, animique deiectione hæc, à qua id etiam pronunciare ſolita erat; ſe nempè fœminarum omnium, vel inſigniter ſceleſtarum, deterrimam; indignam omninò, quæ ad earum veſtigia os admoueret ſuum. Quòd ſi dicerent, id non citra mendacium affirmari; reſpondebat: ſe quidem ita cum Diuo Frãciſco ſentire. Nam ſi illarum quęlibet iis affecta beneficiis eſſet, quibus cumulari ſe quotidie à diuini Numinis munificentia cerneret, futuras profectò longè meliores. Ab hac præcipuè humilitate cœli terrarumque Reginam, Deiparam Virginem, vnicè venerabatur, quam virginitate quidem placuiſſe, ſed humilitate concepiſſe, ac tot mortalium generi bona attuliſſe, nouerat. Planè nihil in Iſabella flagrantius, quàm in Dei Matrem deuotio, ac ſtudium. Cum nunquam ab eius laudibus

Inſigne charitatis facinus.

Exulceratas ſanat Iſabella, dum lambit.

Eius humilitas.

In Diuam Virginem deuotio.

vacaret; in præcipuis tamen eius per annum celebritatibus intendere mirificè pietatem videbatur. Teſtantur ad Sanctomangum epiſtolæ, vt ſeſe longè ante ieiuniis, atque omnigena corporis afflictatione ad illas compararet: nec mirum; poſtea, ſi nũquam ſine aliqua Virginis illecebra Marianæ abirent feriæ. Fama eſt, narrabatque rem Franciſcus noſter Boluitus, vir ſenio, ac moribus grauis; ſemel, dum ad Deiparam in præcipua eius ſolennitate orando excubaret Iſabella, loquutam illi eius imaginem, quæ extat hodieque in Sanctorum Apoſtolorum domo, habeturque hoc potiſſimùm nomine in pretio. Dum in eius contemplatione aliquando moraretur, illam ingentem veluti fluuium, illimi vnda decurrentem vidit, audiuitque, Auguſtam Virginem eam eſſe, per quam ſecundo flumine tranſmitterent ad Deum animæ. Hæc eadem in reliquos Diuos pietas. Auguſtinum præcipuè colebat, quòd diceret, peculiari quadam diuinæ charitatis flamma deflagraſſe eius pectus, ac modò inter Seraphicos ardore ſpiritus. Nihil proindè ad ſui, atque aliorum vota à Deo petere, quin poſt Dei Matrem Auguſtinum prenſaret. Admiranda item oppidò in ea tutelaris angeli obſeruantia, atque incredibilis quædam cum eo familiaritas. Diceres profectò alteram Franciſcam Romanam, preſenti, ac penè aſpectabili angeli clientela, ac ope inſtructam. Enimuerò loquentem disertè illum ſuiſmet auribus, ac ſi mortalis quiſpiam loqueretur, perſæpè audiebat. Tangi ſe prætereà ab eo identidem ſentiebat, veluti moneret, quid agendum, quid fugiendum pro tempore, ac loco foret: ac vniuerſim quidam illi morum, ac vitæ magiſter angelus erat; vt coniectari facilè quis poſſit, quos haberet progreſſus in exercitatione virtutum Iſabella tanto monitore, ac moderatore.

Cuius imago fertur illam alloquuta.

In reliquos Diuos obſeruantia.

Cum tutelari angelo familiaritas.

At de eius orationis ſtudio, in quo aſſidua, ac tota erat, eſt, quod maximè adnotemus. Summo mane noſtram quotidiè eccleſiam adibat; perſtabatquè, quoad explenis ſacris, receptui meridies caneret. Id tẽporis præter horarias quaſdam magnæ Virginis laudes, totum in diuinorum commentatione inſumebat. Præcipuè poſt ſacram ſynaxim tres omninò horas contemplationi, immoto quidem corporis habitu, atque attentione incredibili dabat. Interrogata à Lucretia Caracciola, ornatiſſima fœmina, à qua horum pleraque accepimus, vnde is illi vigor, vt in genua tandiù perſiſteret? reſpondit: vires addere officii debitum in Procreatorem ſuum: ac fore, vt in eo religionis vſu tandiù perduraret; quoad defecto corpore inhæreſceret oſſibus pellis. Reliquum diem externis operis, in proximorum nempè commodum, dabat, ſed non ſine precibus, quas arrecta ad Deum mente, ſuis actibus intermiſcebat. Noctu verò orario, accommodato, videlicet, piis lucubrationibus tempore, ac veluti in ipſo tranquillitatis, ac ſilentii ſinu prolixior; atque ita ab oratione ad quietem, à quiete viciſſim ad orationem tranſibat, vt videretur etiam orare, cùm quieſceret. Meruit profectò tanta aſſiduitas, ac ardor, & impetrare, ſi quæ poſceret; & illuſtrare penetrandis arcanis, obſcuriſque rerum euentibus mentem. Hæc, quæ ſtrictim nunc imus narratũ, breui commentario excepit Matthæus Sanctomangus, quem nihil eius conſcientiæ latebat. Et quòd ad internas animi coruſcationes, hauſtumque cœlo lumen attinet, quædam inter orandum cernere ſolita erat, mortaliũ oculis omninò vetita. Defunctorum interdũ animas, piaculari igne expolitas, euolare in cœlum vidit. Duas præſertim amitas, Victoriã, & Corneliam Bariles, in D. Gregorii aſceterio ſanctimoniales, pietatis laude ſpectatas, aſpexiſſe ſe gloria circumfuſas, cœlo recipi, affirmauit. Ex noſtris verò plures, præſertim Ioannem Galeotam, Clementem Alonſum, Thomam Gueuaram, inſigni planè virtute viros. Ad hæc, Ioannem Leonardum, è Dominicana familia virum, Sanctimoniæ fama Neapoli percelebrem, quo tempore mortalitatem exuit, aſſertum cœlo vidit, incredibili quadam acceſſione lucis, gloriæque, Thomæ Aquinati parem; quocum conſequenti mox nocte diutiùs loquuta, pleraque ab eo virtutum documenta hauſit. De Andrea item Piſcara Caſtaldo, quem ſæpe memoraui, præclarum ſanè teſtimonium, illuſtrata eiuſmodi ſuperiore lumine, edidit, quod in tempore exponam. In futurorum præſenſione ab eadem hac luce mirè valuit; ac veluti intereſſet, ac cerneret, illa interdum prænunciabat. Quæ euenere Neapoli turbæ, quo tempore Regni vices Petrus Gironius Dux Oſſunenſium adminiſtrabat, duobus ante menſibus ad vnguem prædixit. Cũ autem in eo rerum diſcrimine ma-

Et orationis ſtudium.

Illuſtratur diuinitùs eius in orationemens.

xi-

ximè trepidarent, formidarentque fortunatum direptionem Neapolitani, orans ipſa; diuinitùs cognouit, iniſſe tũ quidem Regni præfecturam Cardinalem Borgiam, imo- *Futura prænunciat*
nuitque illicò domeſticos, eſſent æquo animo; quando diſflaſſet iam diuinum Numen, quæ ſummam cladem interminabatur, Oſſunenſem procellam. Aegrotabant Cc r Vitellius, & Hippolytus Tomacellus, hic frater, ille filius Camillæ Tomacellę, Matronę Neapolitanæ, quæ, quòd permagni Iſabellę pietatem faceret, impenſiùs illã rogat, vt preces pro vtriuſque incolumitate ad Deiparam funderet. Nec mora: concepta oratione, reſpondit, fore, vt Cœſar quidem breui conualeſceret, Hippolytus verò abiret ad pauciores: quod accidit. Illud admirabilius, quod retulit, ac literis etiam ad veri fidem conſignauit Agnes Aitona, Virgo Neapolitana, in cuius domo aliquandiù Iſabella egit. Eiuſdem ſiquidem Aitonæ Patrem, qui integer tunc erat, ac procul metu valebat, moriturum; fratrem verò, cuius iam conclamata ſalus fue- *Eius orationis vis.*
rat, ſuæ incolumitati reſtituendum, prędixit. Solenne item illi, Lucretię Caracciolæ, quam modò appellaui, arcana pectoris edicere. Nam cùm hæc leuandæ moleſtiæ intimas animi ſui anguſtias communicare cum Iſabella cogitaret, antequã pectus aperiret, antcuertere Barilis ſolita erat, narrabatque ęrumnas, quas nulli mortalium Caracciola ſignificauerat. Noſtra verò mirum, qua interdum certitudine prędiuinaret. Comitiis prę[ſ]ertim generalibus adeſſe quodammodò ſpiritu videbatur. Nouerat ſiquidem, quid negotiorum expedirent Patres; quæ maximè conſultationes haberentur; ac interdùm Ordinis præfecturas, fallente nunquam iudicio, certis hominibus deſtinabat. Satis nunc prædictionum. Quæ verò inerat precibus vis impetrandi, documenta habemus non ſanè pauca, quę commonſtrent. Strictim ea cenſebimus, *Cum Mattheo Sanctomango*
ne ſimus legentibus faſtidio. Contigit in primis Matthæo Sanctomango eius orationis efficaciam experiri. Enimuerò, vt ipſemet ſcripto teſtatur, cùm aliquãdo grauiſſimo quodam abſceſſu crus affligaretur, vti ferro oportuit, ne ſerperet malum. Sed in eo vulnere, tàm citò obducta cicatrix eſt, vt negarent medici, id fieri tã breui po- *Et Io. Leonardo Sipontino,*
tuiſſe, niſi admota quædam ſupra naturæ vim remedia fuiſſent. Et admota planè fuerant. Nam Iſabella preces, ac vota ad Deiparam pro confeſſario conceperat, quæ ſtatim medicinam vulneri fecerant. Supremo ſpiritu ęgrotabat Ioannes Leonardus Sipontinus, integer vitæ ſacerdos; putauitque Iſabella, petendam tũ quidem diuinã opem, quando luſerat iam morbi atrocitas medicorum conſilia. Ergo ad Sanctorum Apoſtolorum adit, vbi expoſita tunc ſolenni ritu Euchariſtia. Dum orat, ecce tibi Saluator, ac Diua Genitrix, qui monent, ſi moribundi ſalutem vellet, adiret Andreã Auellinum. Igitur, dum Auellino ſupplicat, dimiſſa in hęc verba ab eo eſt. Abi, *Et Corneliæ Pinellę filiis.*
ſcias, te voti compotem: eodemq. in temporis momento, qui extremam agebat animam ſacerdos Sipontinus, viſus ad vitæ officia rediiſſe, ab ipſo penè interitu vindicatus. Quæ geminæ Corneliæ Pinellæ Soboli impetrauit, non omittenda. Earum altera à monialium diſciplina, ſtatuque omninò abhorrebat, contra quàm cuperet mater: quæ dum Iſabellæ precibus rem cõmendat, viſa puella ſanctiorem conſequenti mox die mentem induiſſe, ac ſpontè inter ſacras Deo Virgines adoptari, efflagitauit; triumphauitq. illa quidem mundũ, Iſabella verò obſirmatæ eius mentis conſtantiam. Al- *Et cũ Galatinæ Marchione.*
tera Pinellę filia iis angi ſcrupulis in quotidiano ſacrarum precum penſo cœpit, vt ſi pergeret, timerent vehementer ſanæ eius menti. Curandam illam ſuſcepit Iſabella; egitq. cũ Deo rem. Mirum dictu: tranquillatus illicò animus eſt, ac ſi nulli vnquã ſtimuli vellicaſſent. Nec mediocri ſanè admirationi deſeruiit, quod Galatinæ Marchioni ſeptenni puero, Acheruntini Ducis filio, accidit. Inter comedendum adhæſerat quid ſolidioris cibi faucibus, vt reciprocare animam nequiret puer. Fruſtra domeſticorum ſedulitas, ac ingenium fuit. Aduocata verò Iſabella, dum tantiſper orat, admouetque vultui vultum, expuit malum vi, ac mora nulla Marchio. Quę quidem de orationis ſtudio, ac de cœtera præſtantiſſimę fœminę virtute, dixiſſe, ſatis fuerit.

Inter hæc autem pietatis exercitia vitę metam attigit; honeſtauitque inſigni patientia mortem. Nonnullis ſiquidem ante obitum menſibus conflictari acerbiſſimis doloribus cœpit; eaque interdũ vi, vt laboraret non minimũ tolerantia: quibus *Piè moritur Iſabella.*
denique confecta, ac veluti expolita ad vnguem, ad ſponſum migrauit. Quo loco illud ſtatim enarrandum, quod non vulgaris quidem cuiuſdam pietatis argumentum

eſt, ac plurium teſtimonio conſtat; conſignauit autographis literis, quę penes nos sũt, Matthæus Sanctomangus, à quo rem ſic habes. Non ita multò antequam ſupremò Iſabella decumberet, confeſſarium (erat is Sanctomangus ipſe) rogare enixè cœpit, ne diſſecari defunctum corpus ſineret. Cui ille: ſe nihil vnquam ea de re cogitaſſe; nec de priuatæ conditionis fœmina cogitari id potuiſſe; quando procurari eo ritu nonniſi virorum principum cadauera ſoleant. Rogabat nihilominùs etiam, atq. etiam illa, fidemque obligari ſibi voluit. Ea igitur defuncta, ac delata in Paulinum noſtrũ cœmeterium, vbi mox ſepulta; qui eius mederi morbis ſolitus fuerat, medicus, Alexander nomine, Sanctomangum adit; vt inſecari corpus permitteret, petit. Quod ille dum negat, excuſatque obligatam defunctæ fidem, vrgere vehementer Alexander, ac ſe quidem reliquum corpus intactum velle, ſecta ea duntaxat pectoris parte, vnde aperire ſibi ad cor aditum poſſet. Nam qui diutiùs imbecillitati, morbiſque Iſabellę aderat, nihil ab ea frequentiùs inaudiuerat, quàm cordi malè eſſe. Intereſſe igitur artis, mali cauſam explorare, quæ intimo eo receſſu cordis tã altè lateret. Exoratus tandem, annuit Sanctomangus. Nec mora; facto vulnere, extractum è pectore cor fuit, quod vbi Ioannes Iacobus Carbonellus, pręcipui nominis chirurgus diſſecat, reperta in eo planè non ſine incredibili admiratione Dominicæ paſſionis inſtrumenta graphicè expreſſa. Admirandum profectò diuini amoris opus, quem ſcimus, & aliarum illuſtrium Virginum corda dediſſe aliàs in ſimilitudinem picturæ. Enimuerò, vti memoriæ proditum eſt, cum addicta impenſiùs Chriſti cruciatibus Clara à Montefalco fuerit, & eiuſdem cunabulis Margarita à Caſtello, ſanctiſſima vtraque Virgo, poſt obitum ſuas quęque imagines repræſentarunt. Nam veluti in altera iterũ naſci, in altera iterum mori voluiſſet amantiſſimum Numen, Clara diuinę necis monumenta, Margarita Virginei puerperii, cunarumq. ſimulacra diuina quadam arte ad vnguem retulit. Cuiuſmodi diuini Amoris portenta Vrbs Neapolis non ita pridem inſpexit in religioſiſſimæ Virginis corde, cui nomen Paula à Sancto Thoma, è D. Dominici ſororibus, vt vocant, à pœnitentia. Conſtat ſiquidem ex eius actis Neapoli editis, dicere ſolitam, geſtare ſe corde Crucifixum Dominum. Quod mox oculorum fide comprobatum. Elata ſiquidem Virgine, repertum eiuſmodi morientis Chriſti ſcena inſcultum cor; quod hodieque in Diuæ Mariæ à ſanitate Dominicani Ordinis templo Neapoli ſeruatur. Coniectari hinc porrò licet, Iſabellam, quę Chriſti funus, ac peracerba ea pęnarum argumenta geſtabat corde, peculiari quadam commiſeratione, affectuque in Dominicam paſſionem ſemper exarſiſſe, eamque tandem in vitaliore ſui parte ad viuum delineaſſe. Tantę verò rei teſtes medici duo, quos laudaui, fuere; & ex noſtris Benedictus Mandina, Epiſcopus poſtea Tropeæ, aliique, qui ſculptum piè cor ſuis oculis vſurparunt; præter Matthæum Sanctomangum, præclaræ Virginis à confeſſionibus; qui in commentariolo de rebus ab ea geſtis, illud etiam addit memoratu dignum, ſibi accidiſſe. Nam cùm quas ab ea acceperat identidem literas, vnum in faſcem collectas, diligenter tùm quæſitas, minimè reperiret, ac ſolicitus proindè vehementer eſſet; veritus, ne omninò excidiſſent; noctù dum quieſceret, pulſato cellulę pariete, excitari ſe ſenſit, ac ſimul aperiri ſtrepitu quodam ſui plutei ſorulum, audiuit. Explorat mane, ac repoſitas in eo ſorulo epiſtolas, quæ ſuſpenſum illum habuerant, reperit. Quæ quidem literæ, cùm pleraque virtutum documenta, ac diuini præſertim amoris impetus, vti memoratum eſt, contineant, tùm hunc præcipuè vulnerati cordis dolorem exprimunt; ac nullę non de cordis, aut flamma, aut telo loquuntur.

Quid Sanctomango accidit.

Iam verò quod ad ſuperſtitem eius pietatis famam attinet, ea peruaſit vulgò opinio, abſolutiſſimam, ac longè religioſiſſimam fœminam exceſſiſſe. Dilaudari ab omnibus acta inſigni ſanctimonia vita cœpit. Quæri certatim, haberique in pretio quicquid illius fuerat veſtium, ac ſupellectilis. Nec defuere, quibus, impetratis à Deo beneficiis, experiri Dei Seruæ merita, ac vim contigit, attactu veſtium, aut inuocato eius nomine. Iuliæ Minutulæ, nobili fœminæ, corruperat grauis quidam abſceſſus vbera; ac ſeuerè iam pronunciauerant medici, agẽdum ferro eſſe in ea morbi cõtumacia. Adhibere mitiorem priùs manum feliciore quidem euentu voluit Minutula. Nam veſpere admota pectori quadam de Iſabellæ veſte lacinia, mane ita abſceſſus ille ab-

Beneficia ab ea poſt mortem

ſcoſ.

Digitized by Google

ſueſserat,vt nec ſui veſtigia reliquerit: fuitque is medicorum ſenſus, fœminam diuinitùs incolumem. Huic & alterum beneficium contigit, peracri quadam animaduerſione commendatum. Obriguerant illi in cruribus nerui,vt nec extendere, nec moliri ea poſſet. Admoueri Iſabellę amictum iuſſit,qui, ſolutis illicò neruis, motum reſtituit. Verùm, quod & quid etiam adiumenti ex medica arte adhibuiſſet,valere ſe,dixit Minutula,& Iſabellæ,& medicorum ope.Quod vbi pronunciauit,rediit morbus,agnouitque irrogatam ſibi mulctam, quòd operis partem humano præſidio tribuiſſet. Quarè dicti pœnitens,admoto iterum amictu, iterum conualuit. Memini Alexandrum familiarem Iſabellæ medicũ. Huic illa par pari retulit, perſanato præſenti ope filio. Affecerat hũc gutturis lues ea quidem vi,vt deſperauerit iam ſaluti Pater. Interim ſperare quid ab Iſabellæ patrocinio,monita internè mater,eximia quadã animi fiducia extincti penè pueri fauces particula quadam eius veli tetigit.Nihil profectò eo ſalutarius. Conualeſcere in veſtigio temporis cœpit, ac breui defunctus periculo,ac morbo eſt. Compenſare item famulæ olim ſuæ impenſam ſibi diutiùs operam voluit. Nomen illi Victoria, quam è graduum quorundam ſummo decidentem, ita afflixerat caſus, vt interdiù,noctùq. excruciaret ſupra modum dolor. Subiit animo Dominę olim ſuæ ſanctitas. Ergò commendare ſe illi impenſiùs; ac ſtatim attrectari affectum corpus facili quadã manu ſenſit: faceſſiuirque illicò dolor. Marchionis Cluſani ſoror fœdo quodam narium morbo annum integrum conflictata,cũ fruſtra eſſe medicorum artem cerneret,experiri Iſabellæ opem ſtatuit. Ad veſperam quid ex eius exuuiis naribus applicuit,iiſque indormiit. Mane experrecta,aduertit integras nares,iuſſiſque abire puſtulis,nulla morbi veſtigia. Atque hæc de Iſabella Barili, quæ ſe, cõceptis,vti ſignificaui, religione quadã votis, Theatino Inſtituto dedicauit.

Io. Iacobus Imperialis fato concedit.

Sed antequam decimum hunc librum finio,funus attexã,exterum id quidem, ſed quod noſtrates magnoperè affecit, Viri nempè,ab inſigni in noſtram Sodalitatem ſtudio,ac beneficentia quàm optimè de Theatino nomine, ac de Genuenſi præſertim cœnobio meriti: eòque decet maximè, vt noſtris hiſtoriarum faſtis inſerat illum calamus. Non obſcurum profectò Ioannis Iacobi Imperialis nomen, cui lux generis, fortunarum ſplendor,& copia,morum probitas,inſignis prudentia,ac temperatæ eximia vi iudicij præfecturę famam illi præſtantiſſimi Viri compararunt; ac quinquies Senatorem ad ipſos tandem Patriæ faſces, ac Principatum euexere: vt ſi egregiam animi indolem,atque honorum gradus ſpectes,nihil planè illi ad gloriæ ſucceſſionẽ, ac nominis immortalitatem dices defuiſſe. Princeps in eo ſtudium, vitæ innocentia, religio,probitas,quas abrupto nunquam curſu viſus ad profundum vſque ſenium retinuiſſe. Nihil inconſulta religione in magnis Reipublicæ curis aggredi. Quod aliàs memini,dedicatum ab eo in noſtro D.Syri Templo Sacellum, à marmorum pretio, picturiſq. ac auro ſplendidum, Viri pietatem abundè probat. Opibus,quibus illum adinuid am fortuna inſtruxit,perindè vti,vt in Dei cultum, ſinumque pauperum magnificè deriuaret. Et noſtris quidem pręter cætera amplitudinis, ac munificentiæ argumenta,aureos circiter mille in ſingulos annos erogabat: durauitque etiam poſt fata regia liberalitas,legata ſupremis tabulis Genuenſi noſtræ familię nõ modica auri ſumma. Scilicet noſtris vnicè addictus,adhibere illos cum expiandæ conſcientiæ, tũ domeſticis etiam curis,ac conſultationibus ſolitus erat: eorumque ſi tueri dignitatẽ, aut iuuare extra ordinem indigentiam oporteret,nihil illo ſtudioſius,ac ſplendidius. Semel dirimendo diuturno cuidam,grauiſſimoque cum religioſis viris diſſidio repręſentanda à Genuenſibus Patribus ingens vis pecuniæ fuit. Inter primos adſuit Imperialis,munifica planè manu: vt nihil iactarent ambitioſiùs noſtri, quàm aureos eiuſmodi compedes ab ea liberalitate iniectos. Vixit quidem diutiùs Vir optimus; Sed noſtris haud potuit non acerbior accidiſſe ea mors, qua tantũ iis præſidij ereptum. Hæres tantæ indolis,atque in noſtram familiam ſtudii Ioannes Vincentius ſucceſſit: planè, vt à filij beneuolentia minimè occidiſſe illis beneficum Patris ſydus videri potuerit. Expreſſit is Parentem prudentiæ numeris;emenſuſque Reipublicæ gradus omnes,propè abluit,vt & ipſe in Patriæ Principem euaderet. Floruit verò ad miraculum amœnitate ingenij, ac ſtudiorum cultu, à quo locum in Parnaſſi culmine inter prima poetarum nomina inuenit. Rem ruſticam excepit elegantiſſimo ſanè carmine;

Eius animi partes.

In noſtros oppido munificus.

Io. Vincentius Imperialis in noſtros ſtudiũ.

Eius ingeniũ, & poeſis.

mine: vt texendo, ornandoque pulcherrimo operi carpſerit quicquid eſt florum, amœnitatiſque in villis, quas effusè commendat: viſus profectò vrbanum omnem cultum, nitoremque in arua, & campos ſtylo tranſtuliſſe. Conceſſit fato anno ſeculi octauo, & quadrageſimo non mediocri cum noſtratum luctu, quos aſſidua ſibi erogatione deuinxerat. Extat perenne eius beneficentię monumentum in D. Syri templo, cui, conſtituto cenſu, muſicam alliciendæ mortalium pietati diebus feſtis perpetuò addixit. Porrò auunculus huic fuit Horatius Cardinalis Spinula, Archiepiſcopus Genuenſis, quem diximus aliàs, rem Theatinam egregiè demeruiſſe; & Ioannettinus, Cardinalis germanus frater; cui plurimùm etiam debent Genuenſes Patres, in quos ſuperſtitem, ac maiorem tumulo ſuam voluit magnificentiam.

Horatius Card. Spinula.

Ioannettinus Spinula D. Syri chorum ſplēdide exornandum iubet

Peramplo ſiquidem legato conſcripto, iuſſit D. Syri Baſilicæ odèum marmorum cruſtis ad omnem ſplendorem exornari. Nihil ſanè opportuniùs: vt templo longè magnificentiſſimo reſponderet ornatiſſima chori facies, ac ſpecioſior eſſet à Ioci cultu Dei laus. Feruet modò hoc opus; quod munificam Ioannettini Spinulę religionem nunquam reticebit; reſonabitque perpetuò inter canentium voces eius nomen.

†

LIBRI DECIMI FINIS.

HISTO.

Digitized by Google

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER VNDECIMVS.

CENTENARIVS noſtri Clericorum Regularium Ordinis ſuperior annus fuit; cœpitque ab hoc anno quarto, & vigeſimo ſupra ſeſquimilleſimũ centeſimũ alterum decurrere nobis ſeculum, non ſine familiæ honeſtamento, quæ augere videbatur ab ſenio, ac quadam veluti canicie dignitatem, quam piorũ operum exercitio, ac fama virtutum iam quæſiuerat. Immortales profectò habere diuino Numini gratias Ordo debet, quod ita hoc æui ſpatium tranſmiſerit, vt nullũ pené ſenſerit à vetuſtate incommodum diſciplina. E religioſorum hominum cœtibus, quibuſdam ſub ipſis rerum initiis vitiũ fecit regularis obſeruantia; in aliis ſpecioſiſſima quidem rudimenta haud pares tractu temporis excepere progreſſiones: paucis ſine morum, ac famę lacuna eluctari centeſimum annum contigit. Enimuerò, vt humana corpora diuturna demum ætas conficit; ita & ſacris ipſis familiis ſua eſt etiam ſenectus, atque à vertigine annorum clades. Natura ſcilicet, comparatum eſt, vt orta ſeneſcant; & quemadmodũ temporum vices, ita & morum vertantur. Hinc compactæ licet ſolidè inſtitutis, ac legibus, firmentur vigore quodam robuſtiſſimi ſpiritus religioſæ Reſpublicæ, atterente nihilominùs paulatim æuo, dilabi neceſſe eſt, aut certè primigeniam ſanctimoniæ laudem, ſeuerioriſque obſeruantię cultum imminui. Ergo ſi quam ſecularis annorum fluxus nihil, aut parum læſerit diſciplinam, næ illam gratulari ſibi peculiare Dei maximi patrocinium, oportet. Id quod minimę noſtræ familiæ contigiſſe, abunde probat centum omninò poſt annos integra adhuc populorum exiſtimatio, ac cõmunis omnium in inſtitutum pietas. Ingreſſam verò fauſtè in alterũ hoc ſeculum noſtram Congregationem ea etiam ex cauſa iuimus commemoratum, vt intelligat ſtatim lector, quàm ineptè ab ipſo naſcentis diſciplinæ initio breuis illam æui futurã, quidam affirmauerint. Ruituram, veluti in altiſſima paupertate collocatam, ac nullis mortalium rerum fundametis innixam, putarunt. Quaſi verò non ſatis ad eius firmamentum fuerit Deus ipſe, cui curæ eſt religioſa paupertas: aut ſacris familiis conſtabiliendis plùs humanæ opes valeant, quàm cœleſtis prouidentiæ præſidia: aut pulſata precibus mortalium liberalitas pronior ſit, quàm diuina ipſa beneficentia, ſi roges: aut denique non cecinerit regius Pſaltes: Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Ecce tibi ab diuturna experientia fides; vſuq. centenario confutata hominum ſententia. Perennat nempè fauore Numinis idem diſciplinæ vigoris procurritque fauſtè alterius ſeculi ſtadium Sodalitas. Sed hęc innuiſſe, ſatis fuerit: clariora quippè ſunt, quã, vt ſtylo conficiam. Interim illud ex animo vouendũ, vt qui hodieque perdurat, is idem annis labentibus, priſcus ſtet Theatini moris cultus, factorum ſplendor, legum rigor, atque exaugendæ pietatis ſtudium ad Dei nempè gloriam, vtilitatemque fidelium.

Alterũ noſtri Ordinis ſeculum.

Integra inſtituti obſeruantia.

Iam verò, quæ huic diſciplinę tuendæ, amplificandæque maximè proſunt, generalia comitia celebrata de more noui huiuſce noſtri ſeculi initio Romæ fuere Aprili menſe. Qui ea regeret, lectus eſt à Patribus Alexander Garganus, cõmodis vir moribus, & qui inter Ordinis præfecturas conſenuerat. Vbi in ſuffragium venit Prępoſitus Generalis, Vincentius Gilibertus, qui munus cum vniuerſæ familiæ approbatione procurauerat, ac iam depoſuerat, iuſſus iterùm communibus votis capeſſere; refectuſque ad alterum triennium. Illud verò ſtatim ac renunciatus eſt Ordinis moderator, ſcitum voluere Patres, vt deinceps Pater Generalis ita ad triennium crearetur, vt

Regit generalia comitia Alexander Garganus

Reficitur Generalis Gilibertus.

illud

illud excedere minimè poſſet; cui Capituli conſulto vt robur accederet, id etiam decreuere, vt Maximi Pontificis nutum impetrarent. Planè nonnihil Ordini faceſſiuit negotii hoc generalis præfecturę ſpatium. Nam cùm ab Optimatibus, atq. in Reipublicæ cuiuſdam morem temperata res Theatina à principio fuerit, inducto poſtmodùm vnius regimine, explorandum vſu fuit de ſupremi huiuſce magiſtratus interuallo: vt id demum ſtatuerent, quod è re communi eſſet. Ac primùm quidem perpetua poteſtas placuit: vt maior quędam auctoritas, ac dignitas à muneris diuturnitate Rectori accederet: deindè octuennis, ne conſeneſcerent in vnius manibus Ordinis faſces: tùm quòd prolixior hæc etiam imperandi periodus videretur in Sodalitio, quod non admodùm ſuos fines extenderet, ad vnum, aut alterum triennium contracta: poſtremò trium dumtaxat annorum ſpatio definita. Quod viſum familiæ commodis, ac rationi conſentaneum: nempè vt recenti ſemper prudentia, ac ſpiritu bene ſit Reipublicę. Nam quæ eſt mortalium imbecillitas, remitti ardor, curæque ſolent, ſi diutiùs labor duret: proindeque optimum factu eſt, vt poſtquã iuſto quodam temporis ſpatio vires quis in adminiſtratione cum laude conſumpſerit, ſuccedat vegeta alterius virtus, ſubeatque feſſi veluti Athlantis vices robuſtior Hercules. Quæ quidem triennis menſura ideò etiam omnium animo ſedit; vt ſi quis (quod non raró accidit) non eam deindè ſedulitatem, ac vim iudicii in officio probauerit, quã priuatus promiſerat, non diù à capitis ignauia laboraret res communis. Præterea dant animos vices: & dum ſæpiùs ſuprema Ordinis vacat præfectura, eſt vnde plurimorum virtus ſucceſſiuè cohoneſtetur, ac niteat. In reliquis horum comitiorum ordinationibus, quæ diſciplinam, qua parte remitti videbatur, reſpiciunt, non immorandum. Illud raptim adnotabimus, quod eſt de ſuburbanis villis prudenter decretum. Permiſſum ſcholaſticis noſtris eſt, vt vegetando, inſtaurandoque ab aſſidua ſtudiorum, piorumque operum contentione corpori, ſemel in hebdomada, hyeme quidem pomeridianis horis, ęſtate verò ſummo mane extra Vrbem deambulent, aut ad aliquam amicorum villam animi cauſa, captandiſque auris ſe recipiant. Opportunum id Patribus viſũ, ac neceſſariũ; ſed vereri maximè cœpere, ne frequentior hic alienę villæ vſus amicorum tandem beneuolentiam fatigaret. Eſt nanque in rebus modus: enitendũque, ne quotidianis officiis laboret amicitia, cuius opera, ſi tueri eam velis, vtendum moderatè, ac etiam verecundè. Quarè probatum communi omnium ſententia eſt, vt ſi quæ noſtris in poſterum oborta vicinioris horti occaſio eſſet, arriperent, retinerentq. vt haberent feriati ab ſtudijs iuuenes, citra aliorum incommodum vbi animũ relaxarent; remotis pręſertim arbitris, ac nulla ſecularium conſuetudine, quæ fugienda omninò in hiſce potiſſimùm animi remiſſionibus; cùm ſolui aliquantiſper in agendo rigor ſoleat: atque adeò nil propiùs eſt, quàm ſecùs de religioſorum modeſtia, morumque diſciplina opinari ſeculares.

Decreti rationes.

Permiſſio ſuburbanæ villæ.

Agitata in hoc conuentu Patrum Coſentinæ Vrbis ſtudia, quæ familiam poſcebat, & quod ſecunda quidem ſuffragatione excepta ea fuere poſtulata, hic ſtatim à comitiis enarranda. Coſentia Vrbs eſt in Citeriore Calabria peruetuſta, ac planè nobilis, opulentiſſimæ eius Prouincię princeps; floretque ingeniis, opibus, ac ſplendore ciuiũ. pietati etiam cum paucis addicta; cui adaugendæ opportunas noſtratiũ operas, perſuaſum habuit. Nouerat quippè Gentis inſtituta, mores, vitæ genus, atque impigras in iuuandis mortalibus curas. Literis igitur quàm efficaciſſimis, qui rei communi præerãt, Ciuitatis nomine Capituli Patres appellant. Quid eſſet in optatis exponũt: flagrare omnium vota, vt familiam eò mitterent. Deſtinata iam, quæ exciperent tecta, ac templum, perhonorifico quidem, ac ſalubri propè Prætorium ſitu: prompta itẽ reliquis vſibus ſubſidia. Quæ cùm ad calculum accuratè reuocaſſent, ac probè cognouiſſent, ea eſſe inibi omniũ ordinum ſtudia, ac fortunas, vt excipi perhumaniter, & ali ſpontanea deindè ope noſtri poſſent; annuendum poſtulatis duxere, figendamque ſtationem, quam ſingulari voluntate Theatinæ induſtriæ Coſentini iam parauerant. Qui rudimenta eius cœnobii poneret, viſus peridoneus Silueſter Sclaueta, qui elapſa proximè Quadrageſima in primario eius Ciuitatis templo inſigni cum omniũ approbatione, concurſuque declamauerat. Inerat Viro non mediocris quidem eloquentiæ facultas. Verſabatur præcipuè in neruoſo quodam genere dicendi, quo animos

Coſentia Vrbs familiã poſcit.

Annuunt Patres.

mos

mos capere, non auram captare videbatur. Et è ſuggeſtu quidem ardebat dictio, ac geſtus; ſed nunquam ſanè concitatior, ac fructuoſior, quàm cùm priuatis in Sodalitiis, collato cominùs pede ageret. Flagrabat nempè vehementiùs, veluti, cum clauſa loco flamma eluctari impetu, ac terrore quodam anguſtias contendit. Et verò tàm frugiferæ facundiæ laude adiunxerat is ſibi, ac Ordini Coſentinorum animos, ac beneuolentiam, vt nihil accidere iis gratius poſſet, quàm redire fundandę coloniæ Sclauetam; qui prouinciam haud grauatè complexus, reſpondit adamuſſim muneri, ac ciuium votis. Quam diximus deſtinatam noſtro Inſtituto in præcipua Ciuitatis vicinia Eccleſiam, Sodalitium id erat, cui à Diuo Leonardo nomen, ac nihil promptius fuit, quàm cedere loco, ac iure omni Sodales. Dictus ineundæ poſſeſſioni dies. Adfuit Iulius Antonius Sanctorius, eius tùm Sacerdotii Archiepiſcopus, Pauli Aemilii germanus frater, qui è Coſentinis ad Vrbinates Infulas non ita pridem tranſierat, vterque Theatini nominis ſtudioſiſſimus; nepotes nempè Cardinalis Sanctæ Seuerinæ, Viri ſupra ſuam purpuram magni, qui inclytæ Sanctiſſimi Pontificis Pauli Quarti, Parentis noſtri, magnoperè addictus memoriæ fuerat. Adfuere, qui Ciuitatis nomine agerent, Sindicus, ac Rectores reliqui; tùm Ordo nobilium, ac circumfuſa deindè populorum vis, qui recentem ſibi religioſorum hominum familiam gratulati, plauſere operi; externaque lætitia commonſtrarunt, quo ardore, affectuque animi illos efflagitauerint, quos iis acclamationibus, ac ſtudiis excipiebant.

Coſentinorũ in Ordinem liberalitas.

Quidam tùm quidem à religioſis viris, qui vicinitatem cauſabantur, obortus turbo; ſed tanta ciuium beneuolentia, atque Archiepiſcopi in primis auctoritate, ac nutu illicò difflatus. Huic verò Eccleſiæ, vt opportunum accederet excipiendis Patribus cœnobium, ac reliqua ſupellex, collata ſponte pro cuiuſque ſtudio, ac ære à proceribus liberalitas fuit; ac tùm quidem quatuor aureorum millium ſumma conflata, quibus excitata ſubindè noſtrum in morem conclauia. Interim deſtinatæ eò operæ ſanè non paucæ: cœptaque præclaris initiis procurari communis pietas, ac diuini Numinis cultus.

Impigra noſtratũ opera.

Planè, qui eſt primus rerum ardor, nihil induſtriæ, curarumque impigri, nauique homines omittere. Templum pſalmodia, concionibus, ſacrorum miniſteriis, feſtiſque pompis celebrare. Excitata cùm nobilium, tùm è vulgo Sodalitia, quæ priuata pietate, ac frequentiore myſteriorũ vſurpatione excolebantur. Terere ad ægrotantium, ac morientium ſolatium, nullo quidem delectu, ac ęquo pede diuitum, ac pauperum domos. Ad hæc, quòd cernerent, nonniſi ingenti cũ fœnore diſſeminandam in adiacentibus Vrbi pagis pietatem; ad hanc etiam laborum partem animum adiicere: fuitque externa hæc nauitas, ac vigiliarum appẽdix inſigni pagis iis compendio: quos niſi eiuſmodi identidem excurſiones luſtrent, ſordere altiùs ſuis in tenebris, eorumque religionem, moreſque ſyluefcere, neceſſe eſt.

In pagis etiã adiacentibus.

Quæ quidem cũ domi, tùm foris ſtudia nimiũ quantùm communem in noſtram diſciplinam, recentemque familiam adauxerint ciuium beneuolentiam: ita vt quos adeò diligentes, ac ſtrenuos in cultu animorum cernerent, certatim, & omni officiorum genere honeſtarent, & ſubleuarent præſertim munificentia. Effecitque æquus operum æſtimator Deus, vt qui non modò Vrbanã, ſed exteram etiam pietatem procurarent, iuuarentur & ipſi non modò popularium, ſed exterorum etiam ope. E vicinis nanque oppidis, qui inibi degebant viri proceres, atque etiam Præſules pecunia, atque annona non raró aderant. Inter quos fuit Paulus Palumbus ex noſtris, Epiſcopus Caſſanenſis, qui aſſidua munificentia ſimilis columbæ illi videri potuit, cuius pennę deargentatæ, & poſteriora dorſi in pallore auri. Nec diſſimulandus Tarſiæ Princeps è gente Spinella, Dux Laurini Carafa, Dux Saracenæ Piſcara, quibus non poſtrema cura fuit, noſtram fouere inopiam. Cœſar item Ferraus, Sanctę Agathæ Princeps, Coſentinus auro, ac re ſæpiùs frumentaria pietatem probauit ſuam. Horologium etiam pulcherrimi quidem operis, metiendis officiorum, ac curarum ſpatiis donauit: debuitque omnibus planè horis meminiſſe eximiæ huiuſce beneuolentię ea noſtratum familia, cuius gratitudinem ſonora ea moles excitabat.

Sanctę Agathæ Principis Sacellũ Neapoli.

Illuſtris autem Viri cùm magnificentiam, tũ in Ordinem ſtudium abundè docet Sacellum, quod in noſtro D. Pauli templo Neapoli adornauit, planè ad omnem artis, ac magnificentiæ ſplendorem. Viſus profectò nulli peperciſſe ſumptui, vt à peregrini marmoris cultu, ac gemmis niteret magna Dei Mater, de-

dicatam eam ædem voluit. Nec minimùm adauget Paulini templi maieſtatem Marianum hoc conclaue; in quo prærer cœteram ſumptuoſi operis ſuperbiam, vel ipſæ pretioſæ, decoræque ſunt in parieti bus maculæ. Benè hic præſtantiſſimi Principis manes iacent ad Auguſtæ Virginis pedes, atque in ipſo ſuæ munificentiæ ſinu, Eſſent & alii recenſendi, qui non modò dum viuerent, ſed poſtquam vixere, poſthuma pietate, legatisq. opibus Coſentino huic contubernio profuere: ſed parcimus referre, ſtylumque aliò conuertimus.

Noua Genuæ colonia.

Genuam ſiquidem euocamur, vbi alterum hoc anno domicilium difficillimis planè initiis ſundatum. Quanto cum pietatis, atque animorum prouentu operam in inclyta ea Ciuitate noſtri homines ponerent, alibi ſignificatum. Et coniectari hinc facilè poterit, quòd ſatis multi è præcipua nobilitate nomen Sodalitati dederint; quorum deindè numerus cùm adeò excreuiſſet, vt maior omninò eſſet vna ea Sede, nouam excitare coloniam cogitarunt. Futurum nempè è re populoſiſſimæ Ciuitatis duxere, ſi, diuiſis operis, non vna in eius parte rem procurarent. In ſitum Vrbis collimarunt, vt celebrem, ita religioſorum hominum ope deſtitutū, in quo demeterēt ipſi vberrimos adminiſtratione ſacrorum, aliiſque Inſtituti muneribus ſructus: illexitque præſertim D.Georgii, qui præcipuus eſt Genuenſium Patronus, Eccleſia, quam ipſi religione, cultuque non minimùm adauxiſſent. Igitur coempta in ea vicinia attigua huic D.Georgii parœciç domus, bona ſpe, ſore, vt illam aliquando impetrarent. Interim, adnitente Carolo Barberino, Vrbani Pontificis Octaui germano fratre noſtri Ordinis ſtudioſiſſimo, à Dominico Marino Archiepiſcopo id euicere, vt ſacram in ea domo ædiculam pro modo cōcinnarent, vbi & ſacris operari, & obire ex inſtituto pſalmodiam, & ſacramenta adminiſtrare, aliaque de more exercere munia ritè poſſent.

Fauet Carolus Barberinus.

Cautè agenda res erat, ac dicto citiùs, ne fama opus anteuerteret cum operis fraude. Quocirca Auguſto mēſe inter ſacras receptæ cœlo Virginis ferias noctu proximā quādam officinam, ad quam è domo aditus, in templi modum celeritate quadam incredibili expediunt. Conueſtiti quàm decentiſſimè aulæis parietes; adornata obeundis ſacrificiis ara; excitatum Eucharíſticum tabernaculum; ſuſpenſi ex argento lychnis collocata item excipiendis confeſſionibus ſedes. Mane enata ex improuiſo ædes atque ad Theatini cultus formam expolita, admirationi omnibus fuit. Adiit in tempore Archiepiſcopi Vicarius, qui illam recognoſceret. Tùm conſuetis religionibus expiata, ac Diuo Carolo Borromæo dicata, confluente ingenti nobilium, ac populorū multitudine, cœpta diuinis officiis celebrari; factumque ad aram, repoſito ſua in ædicula Euchariſtico Chriſti Corpore. Succeſſiſſe fauſtè omnia videbantur, ac nulla timeri cœptis calamitas poterat; re nimirùm auſpicatò, conſultoque Epiſcopo peracta. At enimuerò nullum vnquam opus, ſi prçclarum, ac ſanctum, ſuis præſertim initiis non aſpera, ac dura impetiuere. Ergo à vicinia conflatus turbo; ab iis maximè, quibus cùm hæreditarium ius eſſet in D.Georgii parœciam, timere ab ea noſtratum propinquitate ſuæ eccleſiæ cœpere. Senatum adeunt. Lęſam publici iuris dignitatem clandeſtina ea templi molitione, ac ſubitario opere conclamant. Inconſulto magiſtratu, neſas eſſe, quid audere, nouarique in Republica. Exturbandos proindè ab ea ſede homines poteſtate, quam violauerant. Planè nullum iis, qui publicæ rei præſunt, vehementius telum, quàm libari auctoritatem. Reuocata ad examen res eſt, eòque adducta, vt cedere loco Patres, oportuerit: Sed non antequam inſignem animi firmitudinem, ac tolerantiam probauiſſent: ac negotium quidem ea prudentiæ laude adgubernarunt, vt ſimul & honorem ampliſſimo Senatui, eiuſque decretis haberent, & tueri Eccleſię iura, ſuamque cauſam viderentur. Excluſi verò ſuis tectis, id vnum reliquum eſſe, intellexere, præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.

Initur cautè loci poſſeſſio.

Sed oborta ſtatim procella.

Loco cedunt.

Illatum Genuenſi Reip. bellum

Interim quati graui bellorum motu Reſpublica Genuenſis cœpit, interturbata improuiſo quodam turbine alta pace, ac rerum tranquillitate pluſquam ſeculari. Dux Sabaudiæ Carolus Emmanuel, ingentium ſpirituum, ac militaris omninò ingenii Princeps, iunctis cum Gallo viribus, florentiſſimis illam copiis adortus, ea ſtatim armorum impreſſione gradum p omouit, vt principem eius Ditionis Vrbem penè intercepetit. Viſa profectò fulminis in morem vis illa belli ingruere, opinione nempè

cele-

celerius . Nam ſimul & expediri à Sabaudo arma, rumor attulit, & viſus ſub mœnibus Gallus miles . Principiò ingens à propiore eo metu animorum conſternatio; &,vt in ſubitis rerum euentis,maior ſolicitudo,quàm conſilium, ac prouidentia. Sed rediit mox priſca Genuenſium virtus; eoque ardore animi cœpta communis ſalus propugnari,vt breui ſoluta metu Ciuitas fuerit: ac profligato demum bello,agnouit hoſtis,veriſſimum illud,quòd vulgò ferunt,Genuam niſi à Genua ſuperari, aut capi minimè poſſe. In ſummo eo rerum diſcrimine noſtri homines, vt quos publica inclytæ Reipublicæ,ac Patriæ calamitas intimè tangeret, nihil viſi prætermittere,vt ea, qua poſſent,ope occurrerent. Et primò quidem pulſandum ritè cœlum duxere, inſtituta ad principem eccleſiam ſupplicatione,in qua quicquid ſacrarum reliquiarum in D.Syri Eccleſia ſeruatur,inſigni quadã religione,& quo decebat cultu,circũlatum. Inſtructũ hoc agmẽ à Patribus inſigni modeſtia,grauitate,cultuq.religionis:& quòd inſolens id Eccleſiaſticæ functionis noſtris,admirationi, pietatiq. Vrbi fuit, ac viſa illicò ingens quędam vis hominum ad illud ſe ſe aggregaſſe; ſupplicatumque vnà eſt ad Diuorum aras. Sacram deindè Euchariſtiam, vt vim adderet poſtulatis ipſa Numinis præſentia,exponi ſuo in templo placuit; accedebatque publica identidem dictio, ac vox animandis,videlicet, ad preces, atque ad Patriæ tutelam populis. Diuina hæc autem præſidia dum curant, auxiliares etiam externis laboribus manus adhibent. Muniendæ ſiquidem Vrbi dum incumbitur, emicare ipſi inter primos alacri quodam vigore animi in opus: nulli ſe ſe muneri, curæque ſubducere: excitandis aggeribus terram, lapides, ligna ſuis humeris comportare: tormenta bellica ad edita loca, arrepto ipſi fune, pertrahere: cùm interim, quòd ingentem militum multitudinem ſtrauerãt morbi,darent alii Xenodochiis operam;& quà corporibus,quà animis procurandis nullam religioſi officii, ac charitatis partem Theatina nauitas diſſimularet.

Noſtratum à precibus auxilia.

Et in munitionibus labor.

Iam defuncta eo belli turbine,ac calamitate Reſpublica,non tàm ſuis armis,quàm diuini Numinis,Diuorumque præſidio acceptum beneficium retulit; perſoluitque præſenti religione publicas Tutelaribus ſuis gratias. Gratitudinis verò,pietatiſque partem exiſtimauit,D.Caroli eccleſię, vnde amoti ante annos quatuor fuerant, noſtros reſtituere; quod factum ſubindè Nouembri menſe anno huius ſeculi vigeſimo octauo, die,Diuo ipſi Carolo ſacra ingenti cum bonorum approbatione. Et ſi,quæ eſt rerum humanarum conditio,intercepere hanc ſtatim lætitiam triſtia. Nam qui antea rei Theatinę fauerat,Archiepiſcopus, ac facultatem inſtituendæ ſacræ eius ædis fecerat, mutato nunc vultu,ſeuerè nobiſcum agere, ac veluti quid peccauerint in ſuã poteſtatem, ac iura noſtri, ſilere in templo ſacra ,iuſſit. Accidit altera hęc Patribus procella,cùm propè aberat lætior omninò euentus. Enimuerò defuncto interim D. Georgii Rectore,cui nomen Ioannes Maria Gandus,viſa quædã dexteræ excelſi mutatio,qua tãdem cumulata noſtratium vota fuere, addicta noſtro Inſtituto Parœcia. Etenim qui olim, vti ſignificatum eſt,peracri quadam contentione exturbari ab D. Caroli ædicula noſtros,curauerant;in id modò vnanimi contenſione conſpirarunt,vt ſuam illis D.Georgii eccleſiam, ędes etiam attiguas, atque officinas vltrò concederent. Peracta res eſt æquis vtrinque conditionibus. De Parœcia verò, quòd præter Inſtituti rationem eſſet,illam à noſtris adminiſtrari;ita inter ipſos conuenit, vt exterus aliquis ſacerdos, quem Patroni ipſi pro arbitratu ſuo deligerent, eius procurationi imponerent. Quæ,vbi obſignato diplomate,Romanus Pontifex rata habuit; immigrauere ad D.Georgii templum Patres; magnoperè gratulati, quòd quibus dicata Diuo Syro,Ciuitatis Genuæ Patrono,baſilica iam olim contigiſſet;hanc alteram præcipuo item Reipublicæ Tutelari ſacram, eccleſiam iniuiſſent: veluti commendatus ſibi potiſſimùm fuerit Diuorum Tutelarium cultus. Sed ecce tibi iterùm turbæ: nec leuia ſanè Patribus ab iis incommoda. Nam qui è vicinia, vt non eadem omnibus ſemper mens, addictum Theatinæ familiæ contubernium minùs probauerant, tragœdias excitare,ac nullum non mouere lapidem conati ſunt, vt ab ea ſede familiam exturbarent. Pauci in ea conſpiratione viri nobiles; è vulgò plerique omnes: eorumque Dux antiſignanus,ac fax,quidam turbidi,præfractique ingenii presbyter, cui nomen Michael Angelus Campanarius, qui quòd pręfecturam eius ſibi Parœciæ

Bello profligato, reſtituitur noſtris D. Caroli Eccleſia

Archiepiſcopo refragante

Additur noſtris D.Georgii Parœcia.

Iterũ turbo.

Digitized by Google

temerè vſurpauerat, cadere de ſtatu acerbè admodũ ferebat. Et, vt grauiſſimi ſunt irritatæ ambitionis impetus, furere, thyrſo veluti quodam percurſus; concitare vehementer alios; clàm palàm in noſtros obloqui; conuiciis agere; pulſare magiſtratus: vt planè non minimùm faceſſiuerit negotii viri impotentia, ac ardor. At enim, vt nulla vnquam iniuria iuſtitiæ ſanctitatem oppreſſerit, Romæ non ita poſt multò adiudicata noſtris lis eſt, amotuſque Pontificis auctoritate à Parœciæ procuratione intruſus Rector, qui mox cùm ambitionis, tùm concitatæ in noſtros homines inuidiæ pœnas luit: nullumque in ſummo rerum diſcrimine præſto habuit, niſi eos ipſos, quos læſerat. Enimuerò, quæ eius erat vitę innocentia, cùm in publica cuſtodia Romæ detinetetur, correptus graui morbo eſt, ac deſtitutum omniũ mortalium ope, corporis lues, ac loci ſqualor penè confecerant. Miſeranda viri calamitas vix allata noſtratibus eſt, cùm inſenſiſſimi olim capitis iniurias vlciſci beneficiis, vindice nempè charitate, viſi ſunt. Educendum ſponſorum fide è carcere, atque in celebre Sancti Spiritus noſocomium adducendum, curarũt. Aegrotanti eleemoſynis, adhortamentis, atq. omni officiorum genere adeſſe: quibus ille beneuolentiæ, religioſæque charitatis argumentis nimiũ quantùm emollitus, prolixæ offenſæ veniam ingenti vi lachrymarum, ſenſuq. animi peracerbo à noſtris ſemel, ac iterũ, ac ſæpiùs poſtulauit; efflauitque in eo Xenodochio animam, pœnitentia licet ſera expiatus. Siluit prorſus, eo defuncto, tempeſtas: rebuſque bona fide compoſitis, nihil prius noſtris fuit, quàm diligenti procuratione ſacrorum, diuini cultus ſplendore, concionum aſſiduitate, ac reliquis charitatis ſtudiis viciniam demereri; vt breui omnium ſibi animos, voluntateſque adiunxerint. Mutatus nanque loci ſqualor, atque impigra hominum domi, foriſque nauitas monuit illicò, quanto cum eius Eccleſiæ commodo, fructuque mortalium eò noſtri acceſſerant. Porrò qui dedicatam Diuo Carolo Borromæo ædiculam reliquerant Patres, gratulati vehementer ſunt, ſacellum in hoc D. Georgii templo reperiſſe, eidem Sanctiſſimo Cardinali ſacrum, quod ſingulari piorum religione colebatur. Ferunt nãque, quæ hic proſtat, Iconem omnium primam poſt eius Apotheoſim expoſitam publicæ pietati Genuæ fuiſſe, in quam ita communia tunc ſtudia exarſere, vt nunquã viſa deindè fuerit, concepta ſemel obſeruantia elanguiſſe. Adauxitque religionem excitata in ea eccleſia eiuſdem Diui auſpiciis, ac nuncupatione Sodalitas; quam Romano Diuorum Ambroſii, & Caroli Sodalitio innexam voluere. Quod verò hanc D. Georgii eccleſiam maximè commendat, id eſt eiuſdem inclyti Martyris cruris os; pretioſum, ac peruetuſtum inibi pignus, quod quãti faciendum ſit, docet aſſidua, ac cœleſtis quædam afflata inde fragrantia. Nec abs re fuerit, conſignare hic literis, quod annis proximè ſuperioribus, memoratu planè dignum accidit. Quo tempore illatum Reipublicæ bellum à Sabaudo fuit, anno, videlicet, voluentis ſeculi quinto, & vigeſimo, ablata inter eas turbas inſignia hęc Tutelaris Diui Lipſana fuere; diùq. latuit furti auctor. At ſtudio ab Eccleſiæ Rectore quàm diligentiſſimè adhibito, tandem nuntiatum, in oppidum Genuenſis Ditionis, cui nomen Spetie, ſacras eas reliquias aſportatas. Ergo certus homo eò amandatus, qui rem propiùs exploraret: compertumque apud religioſum quendam virum depoſitum furtum, qui ea conditione creditum ſuæ fidei, affirmabat, vt tùm quidem redderet, cùm aliquid ſtrenæ loco priùs accepiſſet. Redimendum igitur auro pretioſum pignus fuit. Mirum dictu: pretium vix accepit homo religioſus; cùm ſolui repentina paralyſi brachium ſenſit, ea quidem conſternatione, ac metu, vt reddi ſtatim pecuniam oportuerit: reſtituto mox ſuæ incolumitati brachio. Quod & Diui Georgii lipſanis incredibilem conciliauit venerationem, & nunquam impunè venalia eſſe Sacra, monuit. Atque hæc de altero hoc Genuenſi Diui Georgii cœnobio, cuius narrationem, vt integram haberet lector, anteuerti ex parte illam, oportuit.

Cremonam tranſimus, vbi præclara ad noſtrum D. Abundii templum appendix ſtylum euocat. Ea eſt Auguſtæ Virginis Lauretanę cella, quam in prima harum hiſtoriarum parte primis veluti lineis adumbraui; ſed perficienda nunc eſt, ac fuſè, ſuo nempè in loco, denarranda. Operis auctor Ioannes Petrus Ala, honeſto loco Cremonenſis, vir perindè religioſus, ac doctus; vt literarum monumenta, quæ edidit, de Decurione Chriſtiano, & de Cauſidico, atque Aduocato Chriſtiano, abundè docent. Pręcipua

[Margin notes:]
Sed compoſitus mox Romæ.
Noſtratum in turbarũ auctorem beneficia.
Eorundem in D. Georgii Eccleſia ſtudia.
Diui Caroli inibi Icon.
Et D. Georgii lipſana.
Quę miraculo comprobãtur.
AEdicula Lauretanæ Virgini Cremonæ excitatur.
Auctor Io. Petrus Ala.

cipua illi in celeberrimā Lauretanæ Virginis domū pietas, quā quotānis adire ſingu-
lari quadam obſeruantia conſueuerat. Iam, qui duodecim continentes annos eam
religionem obiuerat, ſenio appetente, vereri maximè cœpit, ne id anniuerſariæ pieta-
tis ocium impediret. Subiit autem animo, certè magnæ eius Matris inſtinctu, quandā
Occaſio.
Piceni illius Sacrarii imaginem, cellamque ad eius omninò exemplar Cremonæ mo-
liri. Futurum id quidem continuandæ ſuæ deuotioni percommodum; cœteris verò
incitamento: neque enim excitari nouam eam loci religionem ſine ingenti Cremo-
nentium fructu, ac ſtudio pietatis poſſe, exiſtimabat. Gratiſſimum deindè Deiparæ
ipſi conſilium fore, multiplicata, videlicet, Lauretani nominis veneratione: & quando
translatitia ea eſſet domus, transferri aliò pietatem, non incongruum videbatur sā-
ctiſſimo Cōclaui, tectoque veluti deambulanti. Rem cum noſtratibus communicat:
ac percurriſſe ſe, ait, Ciuitatem, vt ſitum Marianæ huic ſtructuræ, quam animo con-
ceperat, deligeret; plura deſignaſſe loca: tandem placuiſſe veluti opportuniſſimum
Tribuitur à noſtris ſitus
D. Abundii cœmeterium: id ſi ipſi annuerint, admoturum ſe quamprimùm operi
manum. Cùm viri pietatem, tùm ſitum probauere Patres: gratulati ſibi ad Auguſtæ
Virginis honorem, ac commune Ciuitatis bonum ędiculam. Rem & maturiùs, &
diligentiùs perficiendam ſibi propoſuerat Ioannes Petrus. Quarè allegati illicò ad
Lauretanam domum duo ex noſtris ſuere vnà cum peritiſſimo architecturę viro, qui
Piceni eius Tecti ideam ad vnguem exprimerent, afferrentque Cremonam. Nec mo-
ra: in ea cœmeterii parte, quæ attigua D. Abundii templo eſt, die Martii menſis pri-
ma iacta Marianis auſpiciis fundamenta; ac continuata ſubindè ſubſtructione, abſo-
Vbi ædicula fundatur.
lutum Aprili menſe opus, non ſine peculiari quodam fauore Numinis, ac Deiparæ: ſu-
do nimirū ſemper cœlo, quoad tectum ſabricæ imponeretur: ne operas, atque ædifi-
cium imber interturbaret: ac tū quidem ita inſequuta pluuia eſt, vt redierit mox ver-
na Cœli ſerenitas; quoad dedicari cellam ſolenni ritu, ac pompa contigerit. Quæ
quidem Cella ita eſt ad Lauretanum exemplar expreſſa, vt non ſimilis, ſed eadem pe-
nè videri poſſit. Par ſiquidem ſtructuræ ratio, modus, longitudo, laxitas: eadem in
parietibus, ac concameratione forma; cultus idem, atque ipſa vetuſtatis imitamento
Lauretanæ omninò ſimi-lis.
ſabricæ viria. Ad hæc, ne quid excitandæ religioni deeſſet, idem ac in Picena domo
armariolum, ac patinę, in quibus cœleſtes tecti incolas ſumere cibum ſolitos, ferunt.
Cremonenſis huiuſce ędiculę exędificationem [a] Syluius Serralius in opere, quod de
Lauretanę domus magnificentia adornauit, ab hac præſertim ſimilitudine magno-
a cap. 21.
pere commendat. Facit autem ad eius pręcipuè famam, quòd excitatis aliis ali-
bi eiuſmodi Marianis ædiculis, ab hac noſtra Cremonenſi peti formam, atque
exemplar placuit. Ad hanc nanque ideam conformata ex amuſſim fuit, quam
Quę mox exē-plo aliis fuit.
in Diuæ Marthæ aſceterio excitandam, Sanctimoniales curarunt. Hanc etiam Poz-
zalii, quod eſt in Cremonenſi agro oppidum, imitari Barnabitæ Patres voluere. Hanc
Brixienſes; hanc in Diuæ Vrſulæ monaſterio Mantuę Duciſſa, cui deſcriptam ad vn-
guem, atque ad omnem elegantiam loci ſormam, petente nempè ipſa, miſere Patres:
quod poſtea exemplar ad Eleonoram Gonzagam Imperatricem miſſum. Poſtremò
extructa eiuſmodi natalitia Chriſti Domini tecta à noſtris Veronæ fuere; & qui vide-
rant Cremonæ quàm ſimillimam ſuo exemplari ædem, hinc eius operis ſpeciem de-
formandam, curarunt. Deiparæ porrò ſimulacrum graphicè à Lauretano etiam ſi-
gno efformatum: certaruntque ſtudio, ac arte Sculptor, ac pictor. Et pictori quidem
quid accidit planè admirandum. Nunquam is Picenæ Virginis ſtatuam viderat; du-
cebatque cœca veluti manu penicillum, ad eorum nempè nutum, qui viderant. In-
ductus alius, atque alius color; mutatiſque ſubindè lineamentis, cū non reſponderet
conatibus effigies, vrgeretque præterea præſcriptum celebritati tempus, perfecturum
ſe cum laude opus, niſi eiuſdem magnæ Matris ope, deſperauit. Igitur ad ipſum eius
ſimulacrum, quod effingere conabatur, demiſſus in genua, rogare illam, vt quando
ars deficeret, adeſſet ipſa Iconi ſuæ. Surgit: ſpongiam, vt quicquid iam coloris appin-
xerat, deleret, admouet: dum tergit, quędam indè exiſtere ſimilitudo cernitur: creſ-
ſcitque eò ampliùs, quò diligentiùs abſtergit ſpongia; quæ tandem ita colores mi-
ſcuit, vt elegantiſſimam quandam ſpeciem, ac neſcio quid diuinę dignitatis, gratiæ-
que impreſſerit vultui, qui modò intuentes mirificè afficit. Tribuenda profectò Au-

guſtæ

guſtæ Virginij hæc eius effigies: vt perfecerit ipſamet arcanis lineamentis, quę viſus eſt temerè caſus effinxiſſe. Iam verò, vbi abſoluta ſuis numeris icon hęc fuit, excitandæ populorum deuotioni, atque obſeruantiæ, transferendam ſolenni pompa ſuam in ædiculam, quam conſtructam noſtro in cœmeterio dixi, curarunt Patres. Die Maii menſis prima Cardinalis Campora, Ciuitatis Epiſcopus, Pontificio in ſacello illam ritè conſecrauit, dedicauitque. Tùm inſtituta à templo principe frequentiſſima ſupplicatione, deducta triumphi in morem quàm ſplendidiſſimè. Erecti ad omnem magnificentiam in pleriſque Vrbis locis, quà erat tranſeundum, arcus, columnæ, ſimulacra, quæ inciſis etiam notis triumphalis Virginis laudes elegantiſſimè denarrabãt. Viæ, compita aulæis, ſtraguliſque veſtibus exornata: impedita, aut peramœnè vernãsia ſeſta fronde, ac floribus itinera; tũ picta vbique emblemata, & quicquid Marianæ dignitati adumbrandæ faceret, expreſſum arte, cultuque pulcherrimo. Ipſa Auguſtæ Virginis ſtatua prædiuite amictu, ac vi gemmarum coruſcabat; quam Clerus, & Canonicorum Ordo, religioſæque familię pleręque omnes, ac Sodalitia, ac nonnullæ itẽ puellarum ſcholæ confertiſſimo planè agmine deducebant. Aderat quęſitiſſimarum vocum concentus, chorique pompam exhilarantes, quam poſtremò implebant Vrbani magiſtratus, ac nobilitas: factique ingentes populorum concurſus, quorum impetum, ac multitudinem componi, regiique prætoriano milite oportuit. Iſque tũ fuit in Diuam Virginem venerabundæ Ciuitatis ardor, vt non ſatis Cremonenſibus fuerit in ſuum illam conclaue inter acclamationes, ac plauſus deduxiſſe; ſed veluti diſcedere inde nequirent, viſi, conſtanti, flagrantique religione eo loci perſiſtere ad primam vſq. noctem: eademque celebritate adfuere deindè ſummo mane, vt primum inibi miſſæ ſacrificicium, quod Epiſcopus Cardinalis fecit, audirent. Collocatum ſuo in ſitu ad aram principem ſimulacrum: continuauitque quinque omninò dies ſolennitas, eo quidem omnium ordinum affluxu, ac ſtudio, vt conſecrandis pietatis cauſa roſariis, iiſque Sanctiſſimæ Virginis imagini applicandis, ac ſubmouendæ præterea turbæ, non ſufficerent Patres. Alere, atque amplificare hæc populorum ſtudia magna ipſa Mater, collatis beneficiis, ſtatim cœpit. Quocirca viſa illicò tabellis, votiſque argenteis aliiſque conteſtandæ gratitudini, pietatique donariis ornari ædicula: cumque non deſit quotidiana Virginis liberalitas, creſcit in dies votiua in Mariano eo ſacrario ſupellex. Quæ hactenùs retuli, conſignauit literis ſuo in Cremonenſi Sanctuario Peregrinus Merula: qui illud etiam addit: Cremonenſem ipſam Ciuitatem Lauretanæ huiuſce Virginis patrocinio, ac fidei, edito Senatusconſulto, ſe ſe mancipaſſe. Propitiãdæ verò inſigni patronæ ſingulis quibuſque Dominicis diebus, quæ poſtremæ in menſibus ſunt, publicas in eius ſacello preces inſtituiſſe: attalicas item altaris veſtes, ac calices voti cauſa dedicaſſe. Qui quidem ſtatis anni feriis communi nomine in Virginem honores nimiùm quantùm foueant, adaugeantque ciuium cùm celebritatem, tùm obſeruantiam.

De ducta ſolenni pompa Deiparæ Imago.

Plurque inde in populos beneficia.

Cremonenſiũ publica pietatis argumenta.

Hanc autem Lauretanæ cellæ procurationem, ac cultum ipſius magnę Matris inſtinctu, ac nutu contigiſſe noſtris hominibus, plura habemus argumenta, quæ perſuadeant. Vnũ, aut alterum abundè fuerit, hic enarraſſe. Cogitauerat Ioannes Petrus Ala hanc Picenæ Virginis ędiculam in eccleſia Sanctæ Crucis, vbi quædam extat eiuſmodi Mariana Icon, excitare: ſed, mutato poſtea conſilio, animum ad noſtrum cœmeterium adiecit. Id quod eius eccleſiæ Sodalitium haud æquo animo tulit: præſertim quòd cernerent, procedere ſauſtè rẽ, ac magnoperè cõmuni ciuium gratulatione, ac pietate comprobari. Igitur interuertere id recentis pietatis in animum inducunt ſuum; & quod in Pontificalis templi clientela ea eſſet Sanctæ Crucis eccleſia, vti apud Cardinalem Epiſcopum Canonicorum opera, ac ſtudio cogitant. Suſcepturos nempè illos ex animo cauſæ patrocinium, perſuaſum habuere: quando è re, ac dignitate Principis eccleſiæ eſſet, minora templa, & quę eius potiſſimùm fidei ſunt cõmendata, ſtrenuè tueri. Duos ex eo Canonicorum ordine, peridoneos quidem, ac cœteris longè flagrantiores deligunt; nec multis agere cum iis oportuit, ex ſe quidem in cauſam egregiè animatis. Libellos ad Cardinalem compoſitos, quos dictis etiam, atque ardore linguæ iuuarent, ſingulari quadam alacritate accipiunt: & qui è ſuo ſtudio rem metiebantur, iam triumphum canebant. Sed agente mox Virgine, deſe-

Oppugnatur Lauretana ædes.

dit

Digitized by Google

dit hominum ardor,ac dirempta lis eſt. Enimuerò polliciti in poſterum diem operam,fidemque ſuam Canonici,viſi conſequenti ſtatim nocte præpoſterum conſilium abiecisse. Cubili ſiquidem ſua quemque in domo receptos,non ſopor,non quies, ſed inſolita quædam mentis lucta, ac perturbatio excepit. Terrere obiectæ animo ſpecies; agitari, mutare huc illuc ſæpiùs latus; ſi quid ſomni induceret laſſitudo, abrũpere mox inſomnia,atque horribiles laruæ, pauente interim,perculſa incredibili quodam metu,natura. Cauſam dum in eo rerum æſtu ſecum ipſi agitant, haud aliam arbitrantur,quàm initum heſterna die oppugnandæ Lauretanæ Virginis conſilium. Quocirca conſtanti quodam animi propoſito eierati opus,reliquam noctem compoſiti ad quietem,placidè traduxerunt. Mane verò luculentiſſimum iratæ Virginis argumentum deprehendunt. Nam quos acceperant pro lite intentanda codicillos, diſcerptos,ſparſoſque ſuo quiſq. in cubili reperiunt; non alia profectò, quàm Dei manu, cui excitatum illud Matris Sacrarium curę erat. Illud verò admirationem vehementiùs intendit. Nam quid ſibi acciderit,dum alter alteri mane narrat, cognoſcunt, eodem ſe nuntio,vt ab ea,quam promiſerant, opera deſiſterent, diuinitùs monitos: & qui ſuſceptum munus abdicare, iam conſtituerant, idem vnà ſimul conſilium ratum habent; addicti iam Theatino nomini,cui inſenſi modò erant. Alterum, quod ipſi Alæ accidit, non diſſimulandum. Is enim,vbi erogari affatim piorum eleemoſynas, offerrique aſſidua,ac munifica quadam pietate donaria, aduertit: transferri ædiculæ regimen,atque adminiſtrationem ad quatuor ſeculares viros, quos publica Ciuitatis ſuffragia deligerent, optimum factu putat, planè non ſine detrimento exiſtimationis,famæque noſtræ: veluti non ea fide Theatini rem procurarent, aut ſore, vt diligentiùs profani homines, quàm religioſi viri, quibus diuini cultus nitor, ac ſtudium propoſitum eſt, Deiparæ ſacra procuraſſent. Vrgere nihilominùs Ala negotium: eòque adducta res eſt, vt, coactis eius opera vrbanis comitiis, perorauerit apud ciues cauſam; & cui ſingularis inerat facundia, & ardor, valebatque apud omnes auctoritate; facilè fuit, inflammare concionem,ac ducere,quò vellet: viſus præſertim impetu quodam,affectuque abreptus,inuidiam in noſtros concitare,libata nõ minimùm eorum opinione; planè vt abieciſſe modeſtiam, grauitatemque, videri poſſet. Igitur,quòd res benè verteret,prona iam ciuium voluntate;vbi ſe ſe domum recepit,habere ſuperis grates voluit, Deiparæ potiſſimùm Lauretanæ; ad cuius effigiem dum in genua demittitur,aduertit,quàm enormiter affectus,ac eloquentia peccaſſet. Enimuerò ſuiſmet oculis videre ſibi viſus eſt, Diuam Virginem indignabundam,offenſamque terga oranti vertere: veluti negaret aſpici; aut illum aſpicere,qui in publico eo cœtu religioſos eos viros tanta dicendi licentia petierat. Perterruit peracris ea Virginis obiurgatio hominem; doluitque intimè,in id ſe piaculi prolapſum. Eapropter, nil habuit priùs,quàm palinodiam eodem in conuentu canere: quod inſequente mox die peracerbo quodam animi ſenſu fecit; profeſſus ſeriò,præcipiti quadam affectione loquutum ſe, famamque religioſorum hominum immeritò perſtrinxiſſe: eodemque impetu ad D.Abundij conceſſit. Patribus,quid heſterno die peccauerat: quàm ſeuerè Lauretana Virgo monuerit: quid tùm quidem in publico Senatu diſertè pronunciauerit,expoſuit: deindè ad Præpoſiti pedes procumbens, ingenti vi lachrymarum veniam petiit: fuitque profectò hęc beneuolentiæ lacuna flagrantioris cuiuſdam ſtudii cauſa. Viſus nanque Vir egregius, non modò inſtaurare; verùm etiam intendere voluntatem,amoremque in noſtrum Ordinem: quod aſſidua deindè,ac penè indiuidua cum noſtratibus conſuetudo; maior deindè veneratio; poſtremò mors ipſa docuit. Quippè anno huius ſeculi trigeſimo ſupremò decumbens,editis teſtamenti tabulis,Lauretanam hanc ædem fortunarum hæredem dixit, in qua & quieſcere manes ſuos voluit. Porrò Mariana effigies,quæ auerſione, quam dixi, ad frugem Ioannem Petrum conuertit, extat modò penes nos, eamque præcipua ſanè dignam religione,repoſitam in reliquiarũ ſacrario hebemus,veluti auguſtum quoddã ipſiuſmet Virginis in nos benignitatis monumentum,cui noſtratum exiſtimatio curę fuit ad miraculum. Beneuolentiam item ſuam in Ioãnem Petrum Alam eadem magna Mater in omnem poſteritatem icone illa tranſmittet: quando pium alioqui cliẽ-

tem

Altera ab Ala impreſſio;

Quem irata Virgo increpat.

Inſtaurata in noſtrates beneuolentia.

tem ſuum haud paſſa eſt, in praua illa animi affectione diutiùs morari; inlecitq. maturè bonam mentem, monitrice auerſa Imagine.

Hæc de Lauretanę domus Cremonæ inſtitutione,cuius memoria quotannis die prima Maii ſolenni pompa inſtauratur. Acceſſerunt poſtea pietati exaugendæ quædam tractu temporis corollaria. Anno voluentis ſeculi nono ſupra vigeſimum extructum,adornatumque ſub æde cœmeterium,in quo deuotionis ergo in Lauretanam Virginem deponi pleriq. ſuæ mortalitatis exuuias,iubent. Inſequenti mox anno ſingulis Dominicis,feſtiſque per annum diebus cœptæ modulato carmine Virginis laudes(litanias dicimus) cani, legato cenſu annuo à Margarita Plazzonia , piiſſima fœmina. Inſtituta prǽterea in eadem ęde ſingulis ſecundis feriis publica pro defunctorum animis ſuffragia,expoſita decenti luminum cultu Euchariſtia: idque perpetua pii cuiuſdam viri liberalitate. Illud verò lætiſſimum, ac fauſtum: nempè cœleſtis Reginæ, Auguſtique Pueri corona,ſolenni inauguratione, rituque iis impoſita, anno ſeculi quarto, & trigeſimo, die Septembris quarta decima, Exaltatæ Cruci ſacra. Fabricando huic capitis honeſtamento aurum coronarium vir quidam piiſſimus perindè ac ſplendidiſſimus oppidò liberaliter donauerat; cui noſtri è dicatis Deiparæ donariis addere vim gemmarum decreuere, cùm vt pretioſa ea luce opus magnificentiùs illuminaret,tùm vt agnoſceret vulgus, quicquid vnquam diuitiarũ oblatum Lauretanæ Diuę fuerat, eiuſdem ſplendori, ac magnificentiæ repoſitum. Igitur matri quidem tergeminum, Filio verò ſimplex ſolido ex auro excellenti quodam opere,diadema elaboratum, plurimo quidem adamante,ac ſmaragdo,aliiſque non vltimæ famæ gemmis, ac margaritis elegantiſſimè diſtinctum. Quod autem perſuaſum habuere Patres,fore, vt communem populorum pietatem non mediocriter excitaret, ſi coronæ inter publica lætitiæ imitamenta, ac celebriore quodam cultu dedicarentur,indicta ad diem,quam dixi, celebritas. Concinnata quàm lautiſſimè ædicula: inſcriptę vbique literæ, quę inaugurandæ Virginis ſolennitatem appoſitè commendarent: expreſſa item coloribus impetrata ibi beneficia ad Marianæ munificentiæ documentum: denique nihil diei exhilarandę,honeſtandæque prætermiſſum: & ne coronis deeſſet ſplendor purpuræ, cumulauit lætitiam Cardinalis Campora Epiſcopus, qui peragere id officii,ac functionis voluit. Adiit ſiquidem gratanter Lauretanam cellam,celebrauitque ſolenne ſacrum: quo peracto, vbi cultu quidem Pontificio diademata ritè conſecraſſet,ea Maximæ Virgini, eiuſque in complexu filio impoſuit: flagrante omnium ordinum pietate,qui aderant, atque è vicinis etiam oppidis confluxerant,vt cœremoniam,ac pompam oculis vſurparent: atque ampliſſima deliciorum indulgentia,qua cumulata ea die ſacra ædes fuerat, fruerentur. Appellari hæc porrò celebritas iure potuit: Corona annii cuius memoria die Dominica, quæ Exaltatæ Cruci proximè ſuccedit, cultu anniuerſario redintegratur. Sed hæc hactenùs.

Romam pergimus, vbi hoc anno in noſtra D. Andreæ baſilica continenti quadam pietate,ac prece præſidium piis defunctorum animis paratur. Auctor operis,vti aliàs raptim monui,Conſtantia Barberina,Caroli Barberini,Vrbani Põtificis Octaui fratris Coniux. Excitata ad eiuſmodi charitatis ſtudium lectiſſimæ Principis exemplo fuit. Chriſtiana quippè Lotharingia,magna Dux Etruriæ, cõplexa hanc excellentis charitatis partem,ſingulis ſecundis feriis procurari Florentiæ mortuorum animos in noſtra D. Michaelis Eccleſia iuſſerat, indictis ad diuiniſſimam Euchariſtiam precibus, animatiſque ad ferendam iis opem breui concione fidelibus. Traducta hæc in principem ipſam Vrbem ſuffragia ſub ipſum Vrbani Pontificatus initium à Barberina fuere; ac cœpta celebrari die quinta Auguſti menſis, Diuæ Virgini ad niues ſacra,quæ in diem lunæ incidit: fauſtè quidem Marianis auſpiciis: opportunè verò in ea niuiũ commemoratione: vt meminerint mortales,refrigerandis mortuis ea inſtitui ſacra; idque in primis contendi,vt piaculari fidelium prece, abſterſa miſerabilium animarũ ſordes,ſuper niuem dealbarentur,cœloque inſererentur, vbi nihil coinquinatum. Præclarum opus nonniſi in magnificentiſſimo,quod alibi dixi, Barberino ſacello enatum, atque inſtitutum voluit Conſtantia, propoſito inibi cultu quàm decentiſſimo Euchariſtico Chriſti Corpore inter vocum concentus,quos interpellabat excitandæ piorum

Cœmeterium in Lauretana ædicula.

Et litaniæ.

Et defunctorũ ſuffragia.

Decernitur Deiparæ corona aurea.

Paratur à Conſtantia Barberina mortuorum ſuffragia.

Magnæ Ducis Etruriæ exemplo.

rum commiſerationi ſacra concio Viſus planè Romanus Populus publicam hanc ſingulis hebdomadis in defunctos pietatem magnoperè adprobaſſe. Confluere ſiquidem incitatiſſimo quodam ardore animi ad preces cœpit: nec remiſſus deindè ardor, continuata quodam veluti reciprocantium populorum æſtu celebritate.

In Barberino ſacello à Pontifice indulgētia.

Adauxit verò cū exercitiorum fructum, tùm gentium ſtudia Vrbanus Pontifex, elargita mox viuentibus, qui ſecundis iis feriis Barberinum ſacellum inuiſerent, ſolenni indulgentia, quam elargiri viuentes ipſi defunctis ſuis poſſent. Et quando adeò celebrari ſuam ædiculā contigerat, donaria etiam, digna Pontifice tùm quidem addidit. Nam prçter altaris ingentis pretii indumenta, iconem ex hebeno, argentoque donauit, in qua longè ſuperabat opus materiam; lampadem item ex chryſtallo, quam mira artis elegantia excellentiſſimi opificis manus tornauerat.

Et donaria.

Porrò Conſtantia, vt quod excitauerat taſtinguendæ piaculari flāmæ ſubſidium, perennaret; perpetuos in operis ſumptus prouentus conſtituit: cumque adſit noſtratum ſedulitas, ſtudium, atq. aſſidua adhortandis fidelibus vox, perdurat hodièque inſignis pietas ingenti cū defunctorum, ac viuētium compendio; præcipua verò cū Conſtantiç Barberinæ laude: cuius cineri ſuperſtes hçc charitas perenni quodam elogio parentabit, agetque nobiliſſimæ Matronæ nomen inter hçc mortuorum ſuffragia inoffenſos æui curſus. Excitato laudatiſſimo hoc Romç opere, facilè fuit, propagari indè latiùs; eoque mox ſtudio in pleriſq. noſtris eccleſiis celebrari pia hæc parentalia cœpere, vt iam Theatinum inſtitutum videri poſſit, curare defunctorum manes.

Eadem Neapoli in mortuos pietas.

Neapoli prçſertim non ita multò poſt ad eūdem, ac Romæ modum, eodem nempè modulationum, ac concionum illicio ſingulis ſecundis feriis in Paulinam çdem iuuandis mortuis auocati mortales. Incredibile planè dictu eſt, quo plauſu excepta hçc ineunte hebdomada pietatis inuitamenta à Neapolitanis fuere. Accurrere certatim vulgus, proceres; complecti ex animo defunctorum cauſam; adeſſe munificentia prçſtantiſſimo operi; cui quidem inſtituendo, confirmandoq; iuuit maximè Iſidori Macedonii, quem aliàs ſæpe memini, eloquentia.

Quam iuuit dictione Iſidorus Macedonius

Is quippè, ſuſcepto dicendi ad multitudinem officio, vt erat in hac facundiæ palæſtra exercitatiſſimus, mirum quanta cum theatri approbatione, ac frequentia peroraret: continuauitque ad annos fermè quatuordecim munus incredibili cū incremento iſtiuſmodi pietatis, eademque cū aſſentione, celebritateq. auditorum: nec dictionē proſequi vlterius detrectaſſet, niſi à ſenio, ac valetudine latera, ac cœtera inſtrumenta natu æ virum egregium deſtituiſſent. Inſtitutum prçterea in eadem eccleſia, eodēque fermè tempore Sodalitium, cui à defunctis nomen. Auctor Andreas Piſcara Caſtaldus, qui tū Paulino cœnobio præerat. Præſcripſit is leges, munera, regimen ſingulari quadam prudentia, ac pietate: vt non mediocris quidem cū ſodalibus ipſis, qui adſcribi in cenſum voluere, tùm piorum animis fructus indè manauerit: & priuatim quidem plura in mortuorum commodū præcipiuntur: in commune verò ſemel in menſe vnà conueniunt: matutinas defunctorum preces ſoluunt: ſolenni ſacro interſunt: Oratorii præfectum, verba facientem audiunt; aliaque mitigandis Purgatorii cruciatibus opportuna piorum operum adiumenta expediunt.

Mortuorū Sodalitium: inſtituit Andreas Piſcara Caſtaldus.

Nec defuit huic ſubindè Sodalitio multorum liberalitas: vt eſſet, vnde preſenti pecunia mortuorum nomina expungerentur. Legati ſiquidem à pleriſque cenſus annui identidem fuere, quibus profectò ſplendidè, ingentique cū egentium animarum ſubſidio piiſſimū hoc negotium accuratur. Nam quicquid per annum die lunæ in publicæ Euchariſtiæ cultum expenditur, abundè hinc ſuppeditatur. Statis item quibuſdam anni feriis tùm ſodalibus, qui exceſſere, tùm reliquis, Sacris piacularibus planè non paucis parētatur: adde erogatas pauperibus eleemoſynas, aliaque charitatis officia, à viuentibus exhibita, vt mortuis proſint. Die verò Septembris vndetrigeſima, Diuo Michaeli ſacra, excitandis etiam, atque etiam ad hçc animorum ſuffragia mortalium ſtudiis, inſtituta in eodem Paulino templo ſolennitas, ad quam nulla non Ciuitatis vicinia vſurpandis miſteriis confluit: inuitatque potiſſimùm, quā Vrbani Pontificis liberalitas indulſit, ampliſſima delictorum venia. Atque his quidem charitatis officiis hac frequentiſſimi Sodalitii pietate, hoc cenſu conſtabilita in D. Pauli eccleſia mortuorū procuratio: quam & in reliquo Theatino Ordine vigere nunc, vehementer gratulamur.

Solennia pro defunctis

Siquidem harum, quas memoraui, domorum exemplo complexæ quidem

Qqq ple-

pleręque aliæ opus fuerant: verùm cū generalium comitiorum anni huius ſeculi trigeſimi adhortamenta acceſſiſſent, viſę certatim omnes in præclaras eas curas incūbere: vt ſi illas excurras, nullam neque in Gallia Ciſalpina, neque in vtraque Sicilia reperies, in qua publica hæc defunctorum præſidia, aut ſingulis hebdomadis, aut ſingulis menſibus, aut ſæpiùs per annum non inſtaurentur: pręter mortuorum, quos alibi deſcripſi, montes, vbique à noſtratibus erectos: planè vt dici peculiari nomine noſtri homines poſſint, Defunctorum vindices: ac templa ipſa noſtri Ordinis ita Deo viuo dedicata ſunt, vt videantur mortuorum potiſſimùm auxilio, ac bono excitata.

Generalis Capituli decretū pro mortuis.

Ab hac verò noſtratium ſedulitate in mortuos gradum facimus ad eorundem in moribundos, afflatoſque peſtilentia charitatem. Siciliam vtrox lues hoc anno inuaſit: ac viſa potiſſimùm Panormus huiuſce calamitatis theatrum oppidò luctuoſum. Appulſa ex Africa nauis inter cœteras merces populare hoc malum extrudit in florentiſſimæ Vrbis excidium. Terruit principio tenuis quidem rei rumor: ſed percrebuere mox funera, quæ diræ, adultęque iam peſtilentię monuere. Mutata repente Ciuitatis facies, creſcente in dies metu. Rarus iam in foro Ciuis, abrupta commercia, elatratæ paſſim domus, quas lues peruaſerat; teri exequiis viæ; augebantque horrorem elata ſine emortuali pompa, atque honore funera. Strauiſſe vulgus, atq. honeſtiſſimę etiam conditionis homines, parum peſtilentiſſimo morbo fuit; quando & in ipſum ſtatim caput inuolauit. Ferunt nanque, Filibertum Sabaudum, excelſi nominis, famęque Principem, qui Regni tùm vices ſupremo iure moderabatur, communi clade inuolutum: donatum nempè ab ea naui pretioſa quadam veſte, quamdum induit, concepta lue, exuit mortalitatem, peracerbo cum Regni totius vulnere, cui eo potiſſimùm nomine moleſta pernicies, quæ graſſabatur, quòd Principem, Patrem, amores ſuos ſuſtuliſſet. Nec ſanè poterat opportuniùs inclyto Viro, atque acerbiùs parentari, quā cùm à publica calamitate omniū animos occupauerat moeror: vt ſcilicet videretur Filiberti funus omnium lacbrymis, communique ſenſu curari. Et noſtris quidem hominibus peculiaris quædā fuit in ejus parentalibus doloris cauſa. Ferri nanque præcipuo quodam ſtudio in noſtram familiam videbatur; eo vel maximè, quòd excepta ſuperiore anno Taurini à Carolo Emmanuele Patre, ſciuerat illam Parenti eidem, & germanis fratribus, & reliquæ auguſtæ domui longè cariſſimam. Igitur dum tanta corporum ſtrage ſæuiret peſtilentia; dici vix poteſt, vt Senatum, Populumque Panormitanum conſternauerit, & præſentis exitij acerbitas, & futuri ſolicitudo: Illud in eo rerum diſcrimine planè deplorandum, quòd qui offerre ſe ſe vltrò communi ciuium ſaluti, ſacrorumque potiſſimùm miniſterio Curiones deberent, obliti muneris, ſubtraxerant ſe periculo, occupante nimirùm mercenarii metu paſtoris laudem. Quare deſtitutis ope miſeris, cū graue iis eſſet, eo mortis genere defungi vitâ; grauiſſimum planè erat, nullum adeſſe, neque à Sacramentorum vſurpatione pręſidium, neque à piis adhortamentis ſolatium. Hanc noſtri homines temporum, atque animorum conditionem vehementiùs commiſerati, excitari illicò ad pulcherrimi operis laudem ſenſere: gnarj ſolenne id eſſe, atque hæreditarium noſtro Ordini, deuouere in ejuſmodi cladibus pro mortalium ſalute caput; atque hæc ſibi, vigiliiſque ſuis theatra vltrò poſcere. Planè nulla vnquam à Congregatione condita exercuit Italiam peſtilitas, in qua non incomparabilem quandam vim religioſi pectoris, ardoremque animi non probauerint noſtri. [illegible]ima egregiæ iſtiuſmodi charitatis documenta edidit Sanctiſſimus Parens Caietanus [illegible]enetiis; ſequuti ver[e]tenti ſubindè æuo flagrantiſſimi viri, quibus cùm potior eſſet proximorum, quàm ſua ſalus, ſpiritum gratulabundi, ac perſanctè depoſuere. Id quod aliàs opportunè explicatum eſt. Igitur propagata à maioribus virtus, exarſit tū quidem in Panormitanis Patribus, ac ſe ſe quiſque inſigni contemptu vitæ ægrotantium miniſterio, ac periculo obiicere: idque eo quidem certamine, vt temperari ſtudia, vrnamque adhiberi oportuerit, quę contentionem, litemque dirimeret. Collatis nominibus, adgubernante ſortem Numine, extracti Antonius Borſus Sipontinus, & Ioſeph Miguia Panormitanus, eximiæ virtutis, ac ſpiritus viri. Quod vbi Prætor Vrbis, ac Magiſtratus, quos adminiſtrorum maximè penuria, atque animorum coquebat cura, audiuere, gra-

Panormi peſtilentia.

A qua Filibertus Sabaudus interceptus.

Cum noſtratū præſertim, luctu.

In ſumma adminiſtrorum penuria.

Offerunt ſe ſe vltrò noſtri.

Digitized by Google

gratulati ſibi, ac Ciuitati ſuæ vehementer ſunt generoſam noſtratum indolem, qui omnium primi in eam palæſtram inſilierant, ac ſtimulos cœteris præclaro exemplo addiderant. Quocirca ad D. Ioſephi adeuntes, manante vbertim fletu, ac demiſſi in genua, quęſitiſſimas habuere Patribus gratias, non alio illos, quàm ſanctitatis elogio appellantes, non mediocri ſanè cũ laude, atque exiſtimatione Ordinis: cœptuſque mox omnium linguis celebrari Theatinus ardor, & charitas. Ipſe in primis Cardinalis Doria Archiepiſcopus pulcherrimum hunc religioſorum hominum imperum incredibili cum animi ſenſu, plauſuq. excepit. Dederat is quidem in ipſo ſtatim calamitatis initio optimi Paſtoris ſpecimen. Nam cùm morari extra Ciuitatem contingeret, quo tempore graſſari lues cœpit, nihil prius habuit, quàm ſuarum ouium incolumitati ſui præſentia, curaque conſulere: ac Panormum reuerſus, viſus luctuoſam eam ſcenam vultu exhilaraſſe: ſtatimque, vt à contagione ægrotantibus à ſua manu, ac cenſu bene eſſet, regia quidem liberalitate octona aureorum nummum millia in ſingulos annos eorum vſibus attribuit. Sacrorum verò adiumenta cùm abundè item iis parati percuperet, doleretque intimè, deſtitui adminiſtris, qui eam operam impenderent, vbi inflammatos ad eas vigilias noſtros intellexit, reſpirauit: extulitque cœlo tenus homines. Interim, qui vocati in ſortem miniſterii fuerant, Borſus, & Mignia; nihil cunctati, ad deſtinatam aream, nempè ad publicum Ciuitatis noſocomium (Lazarètum vocant) inuolant. Illos, facto agmine, Patres, ac fratres ad id vſque loci deduxere, pulcherrima quadam inuidia flagrantes ad vnum omnes. Atqui hi quidem perículoſi operis anteſignani: qui operarum numerum inſigni ſubindè exemplo adauxere. Nam fuere mox è ſacris aliis Ordinibus viri ſtrenui, quos æmulandi ardor excitauit, ac ſe piiſſimo operi deuouere. Quòd autem valeſceret morbus, atque in priuatis etiam domibus pleroſque conficeret; nec eſſent, qui moribundos extremis ritè ſacris procurarent; iterùm, petente Magiſtratu, verſanda vrna fuit, arrectis denuò ſpe cũctis, forè, vt ſibi ſors contingeret. Igitur publicata nomina fuere Alexãdri Trotti, Ferrarieñſis, & Alexãdri Capycii Latri, Neapolitani, virorũ nẽpè, vt eiuſdẽ nominis, ita & ardore quodã zeli nõ diſſimiliũ; quibus haud dici profecto poterat, quod ignauo illi militi, cui nomen Alexander, dictum olim fuit: nempè, vt aut nomen mutaret, aut facta; quando quod erat in Macedone pręcipuum, ſcilicet, animi fortitudinem vterque Theatinus Alexander inuicto quodam ſpiritu ſuperaret. Horum fidei, diuiſa in quatuor partes Ciuitate, quæ populoſior, ac periculoſior, commendata à magiſtratibus fuit. Quam quidem aream, ſuę procurationi deſignatam, ita viri incitatiſſimi percurrebant, vt egredi fines ſuos perſæpè contingeret: euocati nempè ab aliis, qui eorum diligentiam in eo rerum articulo expoſcebant. Quare cum, creſcente morbo, ac ſegete, ampliſſimis vigiliis minùs ſufficerent, peti ex vrna ſocios, oportuit: additique ſucceſſiuè Caietanus Guindatius, Neapolitanus, Anſelmus Griſius Neapolitanus, Iuſtus Pratus Licienſis, qui poſtea fidei cauſa diſſeminandæ ad Iberos Orientales amandatus, extremum inibi diem clauſit præclaro fine: & Ioſeph Iudice, Mediolanenſis, qui & ipſe ad excolendas Georgianas cautes allegatus, ad extremum Cõſtantinopoli orthodoxæ religionis cauſa inſigni quadam animi firmitudine inter catenas expirauit. Inter hos autem, quos vrna euulgauit, Thomas Caracciolus fuit, ex Auellini Principibus, quem aliàs memorauì; Archiepiſcopus poſtea Tarentinus, qui dederat & ipſe præferuido quodam ſpiritu nomen, ac deſtinari difficillimæ palęſtræ impenſiùs cupiebat. Sed, quæ erat viri conditio, ita inter Patres conuenerat, vt ſi fortè ſors illum legiſſet, diſſimularent nomen, ac luderent honeſta fraude flagrantiſſimum deſiderium. Quod ita factum; vt abſtulerint quidem viro nobili luctam, non lauream. Neque verò diſſimulandum hic eſt, eadem etiam cupiditate vellicatos longè poſitos: Scimus nanque, pleroſque per Ordinem, vbi ſæuire luem inaudiuere, excitari ſe, pulſariq. generoſiùs ſenſiſſe. Ioannes quidem Mauritius Sarzanenſis, vir æuo, ac virtute grauis, quòd moratus Panormi diutiùs fuerat, deberi ſibi quodam iure eas vigilias, arenamque reputauit. Quarè Genua literas ad Patrem Generalem, deſiderii pleniſſimas, dedit. Qui ſtimuli pectus agerent, & quàm acerbè tunc ferret, abeſſe, ſignificauit. Tùm etiam, atque etiam rogare: ſineret adire, ac vires, conatus, vitam in proximorum ſalutem impendere. Robuſtiſſimam in bono ſene

Et Cardinalis Doria,

Antonius Borſus, & Ioſeph Mignia Noſocomio addicti.

Alexander Trottus, & Alexander Capycius decumbentibus per Vrbem adsũt,

Quibus additi Guindatius, Griſius Pratus, Iudice

Thomæ Caraccioli ardor.

Et Ioannis Mauritii.

vim animi, quamquam probauit Pater Generalis; temperare nihilominùs Viri impetum placuit. Et is quidem ita eius nutui acquieuit, vt ſpiritu quidem Panormi eſſet, ac ſe ſe viris ſtrenuis, atque ægrotantibus incitatiſſima quadam mente, ac cogitatione miſceret. Iam, qui euocati ad eas decumbentium curas fuerant, incumbere nauiter in ſuum quiſque munus occœpere: non labori, non quieti parcere: adeſſe interdiù, noctùque impranſi, inſomnes. An vlli ſe ſe diſcrimini eriperent, teſtatur ipſa peſtilentia, quæ ex iis alios quidem momordit, alios abſumpſit. Qui mortem in arena pulcherrimè opperiuere, Mignia, & Trottus fuere, de quibus ſingillatim mox dicam.

Peſtilentia alii percuſſi, alii abſumpti.

Attacti verò peſte Griſius, & Capycius, qui epota aqua, in quam merſus Beati Andreæ Auellini capillus fuerat, mirè conualuere. Percuſſi item Borſus, Pratus, Guindarius, Iudice, quorum pectora, ac vim zeli expugnare lues minimè potuit. Et Guindarius quidem ab aperto Ciuitatis campo in noſocomium incluſus: nempè vbi, collato cominùs pede res agebatur, inſignia planè edidit charitatis documenta. Nam iuſſus Archiepiſcopi Cardinalis Doriæ, qui claro Sabaudo, Regni etiam faſces moderabatur, atque Vrbanorum magiſtratuum nutu, non modo Sacrorum adminiſtrationi vacare, verùm & reliquum etiam loci regimen, atque humana in eo omnia accurare; ita præfecturam capeſſere viſus eſt, vt nihil eo ardentius, atq. actuoſius fuerit.

Incitatiſſimũ Guindarii ſtudium.

Aderat monitis vbique, ac manu. Corporum perindè, atque animorum rabes curæ erat. Excurrere huc illuc fulguris in morem: ſimul conſolari, adhortarique moribundos; ſimul reliqua Xenodochii commoda ſedulò ordinare: vt luem ſemel, ac iterũ in tanta corporis, animique contentione illum concepiſſe, haud mirum planè fuerit. Atque hi quidem dum foris ſtrenuè rem gerunt, reliquis non ſegnior domi virtus. Tendere ſiquidem ipſi ſupplices in cœlum manus, ac ſe ſe corporis afflictatione pro communi ſalute diuexare: tùm populo etiam eo, quo poſſent, modo proſpicere adhortationibus, ac ſacrorum adminiſtratione conabantur. Et in cœnobio quidem Diuæ Mariç à Catena habuere quidem per hos dies, vnde ciuium pietatem, tolerantiam, ac ſpes bonas erigerent. Enimuerò, quæ præcipua eſt ſacrorum Antiſtitum cura, vt accerſito à ſuperis præſidio, cæleſti potiſſimũ ope publica propulſent mala; mota loco eſt peruetuſta Crucifixi Redemptoris Effigies, quam fama eſt, à Diuo Luca exculptam, ac ſingulari pietate in principe templo colitur; atque vnà cum multiplici Diuorum pignore deducta ad Diuæ Mariç à Catena, quò, dixi alias, priſca religione, receptoque iam vſu, eiuſmodi ſupplicationes, ſacraſque reliquias duci ſolitas.

Supplicatio ad Diuam Mariam à Catena.

Planè calente iam vehementer communi ſtudio, metuque ad eximiam cœlitum venerationem mortales prouocante, inſtitutum agmen, pompa quidem, populorum multitudine, ac vi luminũ longè ampliſſimum. Cõſedit in Mariana Eccleſia per dies aliquot venerabile ſimulacrum: quo tempore operatum publicæ pietati peregregiè à noſtris eſt; atque ea omnia ornatu, precibus, concionibus peracta, quæ temporis ratio, luctuoſiſſimum Vrbis theatrum, ardens indiſcriminatim lues, conſternata ciuium pectora poſtularent: ita vt certare cum iis, qui publica ægrotantium procuratione aperto veluti pugnabant marte, ſtudio, ac diligentia viderentur.

Noſtratum ſtudia.

Porrò qui tanto cum vitæ diſcrimine foris operam ponebant; proſequuti ſuſceptum munus, vegeto ſemper ſpiritu, conſtantique charitatis curſu, quoad Diuorum beneficio deſedit peſtilentia; vt ſanè coronauerit opus perſeuerantia. At enimuerò cùm non ita poſt multò nonnullorum auaritia, qui affectam ſupellectilem clàm reſeruauerant, graſſari iterũ lues cœpiſſet, euocati iterùm in ſolem, ac puluerem, eadem ſtipendia iiſdem in publici noſocomii, trepidęque Ciuitatis caſtris alacriore quidem ſtudio fecere, quos modò nominaui, Borſus, Guindarius, Pratus. Lecti hi quidem præ cœteris, quòd afflati ſemel peſte, minùs iam illam pertimeſcerent; morbique experientia ſecuriores, animoſioresque euaſerant. Quibus addictus è laicis fratribus Caietanus Indelicatus, cui id in primis iniunctum, vt caueret adminiſtrorũ cupiditati; daretque ſedulam operam, vt quicquid eſſet è domeſtico inſtrumento in affectis, ſuſpectiſque familiis comburendum, ignis confeſtim abſumeret: excitatiſque incendiis, extingueretur bona fide lues. Quod dum perſtudioſè exequitur, ac communi incolumitati conſulit, ſuam contemnit: ſtratuſque populari contagione, abiit ad pauciores. Illud autem laudatiſſimum planè opus, quod in ſumma rerum anguſtia noſtri excogitarunt, non hic diſſimulandum.

Caietanus Indelicatus ex peſte moritur.

Digitized by Google

dum. Interciſa mortaliū conſuetudine, abruptę negotiationes, & quæſtus omnes. Quarè cū pauperibus omnibus malè eſſet, tùm in primis, qui in cuſtodiis detinebantur, extrema premi inopia, contingebat. Ergò conſulendum pręſenti ope ſummæ egeſtati duxere Patres. Sodalitium, quod à rete vocant, extatque in D. Ioſephi cœnobio, oppidò opportunum pio operi putant. Ardentiſſimum id quidem, ac frequentiſſimū, quòd nullam virorum conditionem excludit, vti ſignificatum eſt aliàs. Quocirca à quouis hominum ſtatu, ac ſorte binos legunt, qui per hebdomadam ſtipem è ſuis quique ſimilibus corrogarent. Collecta hæc poſtea pietas, ac coempta indè annona pauperibus, captiuiſque diſtribuebatur. Operis initium percelebre, ac lautiſſimum planè fuit. Nam die Februarij ſecunda, Purificatæ Dei Matri ſacra, procuratis in domo noſtra magnificè ferculis, quę ſexcentis circiter viris ſufficerent, allata ab eiuſdem Oratorii Sodalibus, binis, inſtructo pulcherrimo quodam agmine ad carceres ſuere. Eduliorum hæc pompa dum eo ordine mediam Vrbem ſecat, mirum, quos animorum motus excitauerit: cùmque inſigni omnes approbatione Chriſtianę charitatis ſtudiū exciperent, noſtros præcipuè, qui auctores fuerant, vrgebantque ſedulò ſubſidium, magnoperè dilaudabant. Commendauitque effusè Regni Moderator, atque Vrbis Archiepiſcopus Cardinalis Doria, qui vt ſuſceptum conſilium promoueret, ſtimulos addidit: conceſſitque Sodalibus, qui eiuſmodi ſtipem emendicarent, cœleſtium deliciorum indulgentiam, in quadraginta nimirū dies, quoties id pietatis exercerent.

Comuni egeſtati noſtri conſulunt.

At enimuerò, haud ſua laude fraudandus ille eſt, qui quicquid in noſtro D. Ioſephi contubernio cudebatur, præſenti conſilio, prudentiaque ſua temperabat. Fuit hic Petrus Gueuara Neapolitanus, eius domus Prępoſitus, vir, quem aliàs memini, ſingularis iudicii, atque in adminiſtranda re communi ſolertiſſimus. Renunciatus is Panormitanæ familiæ moderator, quamquàm euulgauerat iam fama, inſediſſe Panormi luem; atque adeò perſuaſum haberet, ſuſpecta inibi omnia; velificare nihilominùs intrepidè voluit, ac ſubire plenum aleæ regimen. Panormum vbi peruenit, rem domi incredibili quodam ordine, atque induſtria compoſuit. Qua ſe ratione cum exteris noſtri gererent; vt alienam ſalutem ita curarent, vt propriæ etiam conſulerēt; qui ſacra tutò adminiſtrarent; quid euitarent, opportunè monuit. Noſtros ita ægrotantium miniſterio ſubmittebat, vt prompti ſemper eſſent, qui ſuccederent; paratus & ipſe implere locum, ſi res poſceret. Dum foris egregiam alii nauarent operam, domi aſſiduas propitiando Numini preces inſtituit. Et quod iuuari laborantem Vrbem omni ope vellet, ſemel Prætorem, ac Magiſtratus adiit; & quicquid ſacri, pretioſique inſtrumenti domi eſſet, inſigni voluntate exhibuit: vterentur nempè publicæ inopiæ ſubleuandæ: id nanque ſe, ſuoſque maximè cupere, vt pro ampliſſima Ciuitate, & vitam funderent, & quicquid ſibi commodi, ac opum eſſet. Id quod ſingulari admiratione exceptum: iiſque tùm quidem, ac poſtea laudibus Præpoſitum, ac Theatinam familiam cumularunt Viri proceres, vt ſi illas hic recenſerem, amplificaſſe plùs æquo noſtra, videri poſſem. Porrò qua fide, qua prouidentia, qua pietatis, zelique laude, flagrante peſtilentia, Panormitanam Ciuitatem demeruerint Clerici Regulares, rem nimirùm adgubernante Petro Gueuara, Inclytus deindè Senatus Vrbis ampliſſimo teſtimonio, ac non vulgari planè liberalitate declarauit, attributa noſtro D. Ioſephi cœnobio annua centum aureorum penſione. Nam quamuis disertè teſtentur Conſcripti ii Patres ob ſingularem in Beatum Andream Auellinum, quem Ciuitatis, Regnique Patronum renunciauerant, id ſe munificentiæ præſtitiſſe, ac celebrandæ præſertim ſolenniore cultu, ac pompa anniuerſariæ eius memoriæ, ſummam illam deſtinaſſe; vigilias nihilominùs, laboreſque, in diuturna ea clade à noſtris egregiè exantlatos, reſpexiſſe potiſſimùm affirmant. Quod quia magnificè quidem, ac verbis honorificentiſſimis explicatur, Iubet hic Senatus conſultum ad æui memoriam exſcribere, quod ſic habet.

Petri Gueuaræ in ea lue prouidentia.

Panormitani Senatus de noſtratum vigiliis teſtimonium.

Cum latens peſtilentiæ virus anno quarto, & vigeſimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum menſe Iunio ex Africa Panormum nauigio aduectum, per aliquot Vrbis ędes paulatim diffuſum, imminentem Reipublicæ cladem extemplò comminaretur, ac validum horrendæ mortis timorem turbatis pro confuſione mentibus vehementèr incuteret, Senatum publicis conſulentem damnis, ſed ne largis quidem ſtipendiis mi-

miniſtros ad animarum medelam ſacra collaturos, nullatenus inuenientem, Clerici Regulares eximio tùm in Deum, tùm in ipſum amore pertracti, tempeſtiui aggrediuntur, non ſolùm primam, ſed minimè defectutam opem, ac miniſterium offerentes; mox plurimi tū literis, tùm natalibus conſpicui, publicis Xenodochiis, plurimi etiam priuatis domibus ad ſacramenta miniſtranda, modò tres ſimul, modò quatuor ſucceſſiuè addicti; deindè per annū etiam ad Xenodochiorū regimē capeſſendū Illuſtriſſimi Card. Doriç Principis auctoritate, Senatu efflagitante, cōpulſi, honeſtè, prouidè, atque indeſinenter ad finem vſque inſeruierunt, non modò vitas libentiſſimè profundentes (nam duodecim ex ipſis peſtilentia percuſſi, quinque necati fuere) verùm etiam expenſas non mediocres, tàm in alimentis, quàm in ſupellectili, ac veſtibus tùm ſacris, tùm domeſticis inſumendas, cœteris omnibus exhibitas, alacriter recuſantes. Et ne aliquod pietatis opus ad vrgentibus calamitatibus obſiſtendum deficere videretur, alii ad domos tabenti putredine purgandas, alii ad publica donaria pauperibus diſpertienda, omnes ad diuinam miſericordiam implorandam ante Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramētum, quotidiè per annūm vltrò expoſitum, aſſiduis orationibus adſtiterunt; & quod maximum eſt, vniuerſos, eadem animi pietate præditos, ad talia præſtanda obſequia huiuſmodi exemplo excitarunt, prouocarunt, traxerunt. Quapropter ex facultate ipſi Illuſtriſſimo Senatui hodiè paulò ante præſtita ab Illuſtriſſimo Card. Doria, locum tenente, & Capitaneo Generali pro Regia Catholica Maieſtate Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis in hoc Siciliæ Regno, eiuſdem Illuſtriſſimi Senatus Patres Conſcripti tùm ob inſignem erga Beatum Andream Patronum debiti cultus obſeruantiam, tùm etiam ob tale, ac tantum officium à Patribus Theatinis tàm opportunè, tàm prudenter impenſum ad aliquod gratitudinis munus rependendum, expenſaſque inuitis aliquo pacto compenſandas, quolibet anno Kalend. Nouembris in perpetuum Patribus Sancti Ioſephi, vbi eiuſdem Beati ſacta Coſta publico nomine aſſeruatur, quadraginta vncias elargiri ad feſtum ipſius Patroni, ſolenniori faſtu, ac pompa ex publica magnificentia Vrbis nomine celebrandum fauſtiſſimè decreuerunt. Vnde de mandato ipſius Illuſtriſs. Senatus factus eſt præſens actus.

Nihil hoc decreto luculentiùs in noſtratum commendationem, qui eximia quidē conſtantia in difficillima ea tabeſcentium, morientium, funerum procuratione morati, ſuſceptam ſemel prouinciam nunquam deſeruere; quoad profligata penitùs peſte, eiuſque formidine, reddita ſua mortalibus, ac florentiſſimæ Ciuitati incolumitas, ac ſecuritas eſt. Quinimò, vt generoſa eſt charitas, & nunquam dicit, ſufficit, fuit, qui ingēti ſpirituum altitudine eius perſequi reliquias in Regno; in iis maximè pagis, quos

Ioſephi Iudi. ce charitas.

locorum, ac montium aſperitas inacceſſos reddit, in animum induxit ſuum. Inter eos, qui addicti ſacrorum adminiſtrationi, paciſci pro cœlo vitam voluere, Ioſeph Iudice fuit, quem nominaui; qui cùm menſes omninò quatuordecim in Panormitanas eas curas incubuiſſet, viderat ſuiſmet oculis eo tractu temporis incredibiles, quà corporū, quà animorum neceſſitates, atque ineluctabiles in infima præſertim hominum ſorte miſerias. Quocirca reputare apud animum ſuum poſtea cœpit, quid in interiore Sicilia, remotiſque ab omni penè humanitate locis, vbi ardebat adhuc malum, accideret, quando Panormi, excubante Rectorum prouidentia, in tanta ſacrarum, humanarumque rerum annona, expedito ad omnem officii, ac pietatis partem miniſterio, adhuc erat, quod oculos, animoſque acerbè vulneraret. Et triumphare quidem inibi miſeriam, vel ex eo perſuaſum habebat, quòd à viro quodam nobili andiuerat, fuiſſe, quem dira fames eò impulerat, vt inuolare in defuncti viri pedem, ac vorare non dubitauerit. Ergo exponere Patri Generali, quam conceperat, mentem, conſtituit. Mirū

Miſſi in interiorem Siciliā procurandis ægrotis, poſtulat.

quam addiderit literis à charitate efficaciam: videre eas eſt, plenas ignis, atque flammarum. Precari impenſiùs, per Dei, ac Deiparæ amorem obteſtari. Perſunctum iam populari morbo Regni caput, depaſci adhuc membra luem, quæ auxiliatrices charitatis manus, opemque poſcerent: permitteret proindè peragrare Siciliam, ac peruadere, quò peſtis tanta cum animorum etiā clade peruaſerat. Superiores labores reddidiſſe experientia doctiorem: laboraſſe ſemel à peſte, vt iam minùs timeret morbi vim; addi poſtremò ab amore Dei animos, robur, ac ſpem, fore, vt in ingentem ani-

ma-

Religioſi.

marum ſiugem, ac miſerabilium perſonarum leuamentum excurſus ille cederet. Hæc ille, ſed longè fuſiùs, ac concitatius: nec deerant præclaro operi ex noſtris etiam ſocii: vt ipſemet iiſdem teſtatur literis; ſed vnum appellat, nempè Iacobum Gotillum, qui licet nondum ſacerdos, exhibuerat ſe ſe citra ſacrorum procurationem cuilibet charitatis officio. At enimuerò, quòd intimas Siciliæ partes ſuæ induſtriæ, laborique deſtinauerat Iudice, vereri vehementer cœpit Pater Generalis, ne vir præferuidus, locorum, viarumque ignarus, in grauia ſe ſe pericula indueret, atque adeò nullo cum pietatis, ac proximorum cōpendio in ipſo ſtatim initio egregii conatus frangerentur. Eapropter remouere illum à conſilio ſtuduit: hortatus, vt aliò labores flecteret. Idq. non ſine Dei inſtinctu, qui illum barbarorum Prouinciis reſeruauerat. Nam, vt in loco exponam, Orientales Iberōs, ac Colchidem poſtea peruaſit, ornauitq. vinculis, ac pulchra morte laborioſiſſimas perindè, ac fructuoſiſſimas curas ſuas.

Reliquum modò eſt, vt quos huc diſtulimus, Alexandri Trotti, & Ioſephi Igniæ tranſitus aliquantò fuſiùs explicet ſtylus. Eſt nanque, quod in iis ad imitamenta virtutum, ac poſterorum ſtimulos notent literæ. Alexāder ex Comitibus Trottis, clariſ natalibus Ferrariæ editus, Mutinę nomen Religioni dedit. Panormū deindè amādatus, moratuſque ibi diutiùs, egregii vim ſpiritus, pietatemque maximè in ægrotos, ita cunctis probauit, vt beneuolentiam, atque opinionem omnium ordinum ſibi adiunxerit: ac tandem Senatus Panormitanus ob inſignia eius merita communi ſuffragatione Ciuitate illum donauerit. Vbi autem contagii ſama percrebuit, in eo, quod dixi, inter noſtrates charitatis certamine eminebat generoſiore quadam alacritate, ac indole Trottus, qui mox ſacrorum per Vrbem miniſterio deſtinatus, eo quidem ardore animi prouinciam ſuſcepit; vt videre ſibi quiſque videretur in eo ſedulitatem, ac operam ſupra hominem. Quæ viri nauitas egregium ſtatim Senatus iudicium promeruit; facta nimirùm facultate, vt quotquot, aut per Vrbem, aut publico in Xenodochio attacti peſte decumberent, inuiſeret ipſe omnes ſupremo iure, ac ſtatueret, iuberetque in eorum commodū, quicquid duceret opportunum. Subdidit tributa hæc illi poteſtas peracres lateri faces, atque vno, eodemque die ampliſſimam Ciuitatem, ac noſocomium pedes inſpexit, ea quidem celeritate, vt vorare viam videretur; fractis tanta eundi contentione robuſtiſſimis licet adminiſtris, qui illum comitabantur; ac ſeriò affirmabant, non eas eſſe ſibi vires, atque opes corporis, vt ęquare Trotti gradum poſſent; quando non is ambulare, aut currere, ſed peruolare alis igneis videretur. Scilicet, neſcit tarda molimina charitas, qua & alia item admiratione digna nauabat Trottus. Enimuerò vbi reficiendi Chriſti Dom. Corpore morientes erant, ſub ipſo caniculæ æſtu aperto capite ob Euchariſtici Numinis reuerentiā, quod pectore geſtabat, obire perſæpè Ciuitatem videbatur; nihil moratus flagrantiſſimo à ſydere incommodum; quando ardentiùs perurgeret proximorum ſtudium. Hac etiā animi, ac frontis ſerenitate cadentes imbres excipiebat. Semel, fęda tempeſtate oborta, viſum cœlum ruere: addebantque horrorem micantia paſſim fulgura, ac ſciſſæ ingenti ſtrepitu nubes. In ea alluuione, cœlique minis continere ſe quiſque domi. Verùm, quòd tùm quidem ſacra poſcerent supremò ægrotantes, ire ille aperto capite, ac gaudere præcipiti pluuia, à qua caput, ora, collum diffluere quàm copioſiſſimè videbantur. Commiſerari, quibus cernere id ſpectaculi contigit, ac rogare, vt tantiſper ſubſiſteret, quoad procella detonaret. Sed is, quòd religioni duceret vel minimùm expectare, ne fraudi moribundis eſſet tantula ea mora, exorari minimè paſſus, intentuſque operi, pleno gradu pergebat. Quo ſanè perſpectū liquidò eſt, quòd aquæ multæ extinguere charitatem nequeant. Non diù per Vrbem impigram eiuſmodi operam nauauit, cùm euocatus in publicum Xenodochium eſt: quod ſummè optauerat, vt amplior daretur ſedulæ charitati ſeges, pugnaretque vir ſtrenuus aperto veluti marte intra ea peſtilentiæ ſepta. Ergo nulla mora, in arenam inſilit, eo quidem animi ſenſu, atq. oris ſpecie, perindè ac ſi ad delicias ſe ſe aditus aperiret. Meſſem ibi multā, operarios paucos reperit. Noſtri, qui addicti loci miniſterio in ſpiritu erant, periculoſè decumbebant: ex iis, quibus corporis commoda curæ erant, pleroſque etiam lues ſtrauerat. Infirmorum verò multitudò, ac vis ingens, creſcente in dies numero, ex quibus quinquagenos quotidiè, vel eò ampliùs, efferri, contingebat. Viſæ in tanto

Alexandri Trotti natales, ac pietas.

Eius in ægrotantium à peſte miniſterio charitas.

Solis æſtu maior.

Ac pluuia.

Xenodochio addicitur.

curarum æſtu,atque ampliſſima laborum materia augeri Trotto vires,ac robur: tantũ abeſt,vt frangeret animum rerum moles. Munus incredibili alacritate eſt aggreſſus; languentibus die, noctùque aderat, ac piis ad ſupremũ diem alloquutionibus adhortabatur: ſacramenta nulla temporis, ſuique commodi ratione miniſtrabat: ſæpè vt infirmos diuiniCorporis viatico cõmuniret,eundũ illi per cõferta defunctorũ cadauera fuit;ac interdũ remouere ſua manu mortuos à moribundis,oportuit. Quos omni ope deſtitutos cerneret, præter diuinorum ſubſidium, humanis etiam adiumentis ſubleuabat. Viſus non ſemel inſolito quidam officii genere charitati operari. Nam extincta aliquando, aut luctante ſupremo ſpiritu matre, nil propius erat quàm editum recens puerperin infantem,extingui. Quid tũ ille? Capras ſuiſmet vlnis adducebat,admotiſque ad pueri labra vberibus,alimẽta inſtillabat; planè vt temperare lachrimis nequirent, qui alendæ infantiæ exprimi eo pietatis ingenio ab aliena genitrice lac cernerent. Scilicet, nulli non loci, ac mortalium neceſſitati aderat vir ſolertiſſimus;qui poſtquam miniſterii genus omne in ægrotos,ac moribundos perſoluiſset,ſuprema etiam funeris,vbi exceſſiſſent,reddere,ſolitus erat. Proſequi nanq. de more pſalmis, ac precibus defunctorum plauſtra, videbatur;eorumque ſepulturã officiis,quæ temporis ratio permitteret, ritè cohoneſtabat. Has autem vigilias, laboreſque tanto cum egregii pectoris ardore dum vrget,cauere ſibi minimè potuit;intereeptusque ea communi lue,decubuit. Ad eius morbi famam mœrere, contriſtari vehementer,veluti ad ingentem iacturam,& cladem infirmi omnes. Neque minùs ipſe affici,quod affixus lecto,ad eorum neceſſitates non excurreret. Quamuis neque in ea corporis ærumna viſa languere, aut ſateſcere eius charitas fuerit. Enimuerò cũ nocte quadam in eo eſſe diſcrimine quoſdam è decumbentibus inaudiuiſſet,vt abſq. Sacramentorum præſidio animam exhalarent; quamuis imparem ſe à vi morbi, exhauſtumque viribus, cognoſceret;adeſſe nihilominus ſupremæ neceſſitati voluit, afflante nimirũ zelo impetum quendam,ac vigorem animo. Itaque ſurgit, ac famulis vtcumque innixus, dubio ad ægrotos gradu pergit; Euchariſtici Corporis Viatico reficit, ac ritè inungit. Quo illi non prolixior vita,quàm charitas fuit. Nam perfunctus eo munere,ingraueſcente mox febri,agonem vltimum ſubiit. Adfuit in tempore ſacerdos ex noſtris, qui ſupplendę charitati ſubmiſſus illicò fuerat. Exhibuit is peramanter ſuprema officia,ac ſacra; cũ interim ſenſibus integris, ac compoſita ad ſerenitatem fronte reſponderet ipſe ad ſingula,preceſque,ac pſalmos affectu quodam incredibili recitaret. Demũ inter feruentiſſimæ charitatis, ac patientiæ documenta, quæ edidit,die Iulii menſis quinta decima animam efflauit. Corpus noſtratum humeris,qui in eo Xenodochio verſabantur,percuſſique morbo,iam penè conualuerãt, elatum, ſepultumque non quidem communi cum aliis loco eſt; ſed ſeorſim decentiore tumulo. Datum hoc eximiæ viri virtuti, ac ſanctimoniæ famæ, quæ de eo percrebuerat. Tantum verò funus nullus non mortalium Ordo Panormi fuit, qui non acri deſiderio, ac laude non fuerit proſequutus. Fuere è præcipuo nobilium cenſu, qui eius cilicium, ac roſarium impetrarunt, ac veluti quid pretioſiſſimum ſibi ſepoſuere. Nec defuit, qui implorata eius ope, voti ſe compotem fuiſſe, teſtatus ingenuè eſt. Et verò ea fuit communis omnium perſuaſio, Alexandrum Trottum ab omni virtutum genere inſtructiſſimum, in eo charitatis curſu peſtilentia ſublatum, ſtatim à morte niueis,vt aiunt,equis in cœlum vectum,potitum Deo, pro quo vitam tanta ſpiritus alacritate fuderat.

Vel in ipſo ſuæ mortis articulo.

Peſtilentia conficitur.

Communis de eius probitate perſuaſio

Alter, qui luctatus ſtrenuè in ea charitatis palæſtra,ſpiritum præclaro mortis genere poſuit,fuit Ioſeph Mignia,nobili loco Panormitanus, qui vnà cũ Antonio Borſo primum ipſum peſtilentiæ impetum,qui eſſe atrocior ſolet,ſuſcepit; palmamque cæteris præripuit,addictus publico noſocomio. Et præferri quidem meruit, qui vehementiore quidam ſtudio vota,ac preces præ aliis inflammauerat. Ad id operis non carnem, non ſanguinem in conſilium vocauit; munus inconſultis, inſalutatiſque conſanguineis aggreſſus: veritus,ne quid, aut peccaret affectus,aut vim ſuam periclitarentur ſuorum preces,ac lachrymę,quas valere plurimũ,atq. admota veluti machina, expugnaſſe interdũ fortium virorum pectora,probè nouerat. Facta eundi facultate,moram præcidit omnem. Paucas horas interiori homini vix conceſſit,vt ſe ſe

Ioſeph Mignia contactis peſte adeſt.

tanto

tanto muneri compararet, tũ Generalem Archiepiſcopi Vicarium, vt bene precaretur, adiit. Inſpexit is flagrantem in eius vultu animum, ac quendam à charitatis flãma ſplendorem: vt dixerit ſtatim adſtantibus, viſum ſibi videre Migniæ vultum, tanquam vultum angeli: &, ſi diuinare ab ſpecie liceret, perſuadere ſibi, ſuę illum gloriæ iam proximum, ac fore, vt breui pretioſa morte cœlo reciperetur.

Generalis Vicarii de eo dictum.

Igitur viuida quadam animi indole in laborioſas eas curas ingreſſus, infirmari quidem cũ infirmis ab ingenti commiſeratione cœpit. Sed quòd non eiuſmodi ea erat infirmitas, vt vires labefactaret, ſed magnoperè augeret, incredibile dictu eſt, quàm ſolicitè miniſtrare ſacra, ac decumbentes conſolari, adhortarique inſtituerit. Et labor quidem cùm aſſiduus, ac pertinax omninò eſſet, accedebant deindè ad patientiæ cumulum loci incõmoda, quæ in iis præſertim initiis non pauca. Etenim cũ in tanta rerum perturbatione expediri ſtatim omnia, quæ eſſent vſui, minimè potuerint, difficillima ea eſſe principia, oportuit; quæ cũ is fortiter toleraret, haud par fuit in Antonio Borſo, eius ſocio, corporis vigor, quin interceptus morbo, decumberet. Quod Migniæ moleſtiſſimum accidit. Viſa nanque tota ea curarum moles eius humeris incubuiſſe, cui ſuſtentandæ vix plurium induſtria ſatis eſſet. Et ipſe quidem ita ampliſſimas vigilias eſt cõplexus, vt ſi qua etiam enata occaſio fuiſſet extra ordinem rei bene gerendæ, gratanter arriperet. Accidit, vt certi cuiuſdam ægroti miniſterio miſſus ad Xenodochium fuerit Turca quidam. In hunc ſtatim oculos coniecit vir flagrantiſſimus, ſtatuitque apud animum ſuum, in id potiſſimùm curas ſuas, neruoſque contendere; vt ex ignorantiæ tenebris in admirabile Chriſti lumen Turcam aſſereret.

Turcam ad fidem cõuertit,

Ceſſitque feliciter cõſilium, ac votum. Inflammante ſiquidem verba arcano diuini ſpiritus igne, ea ipſe valuit vi ſermonis, vt breui ad veræ fidei frugem virum perduxerit: initiatumque Chriſtianis præceptionibus, luſtrali mox fonte expiauit, impoſito ſuo nomine. Eius deindè mores, ac indolem ita inſtituit, vt incenſus pietatis ſtudio, hero annuẽte, ſubſiſtere in Xenodochio inſeruiendis ægrotis voluerit. Lætus hoc ſucceſſu, ac ſobole, quam Deo peperit, Mignia, addi acriores animo ſtimulos ſenſit. Quare dum vigorioſiore quodam ſtudio opus vrget, concipere luem, contigit.

Luem concepit ſemel

At enim, ſiuè quòd tentatus leuiter fuerit, ſiuè quòd charitas ipſa morbum propulſauerit; defunctus periculo eſt. Sed confirmatis non dum viribus, dum curas maturiùs reſumit; iterũ decumbit: ſed iterũ ſaluti reſtitutus, tertiò ęgrotat: impatiens nempè moræ, feriari tantiſper corpus, quoad omninò conualeſceret, non ſinebat. Viſus etiam aliquando, dum à febri æſtuaret, lecto ſurgere; ac non tàm ire, quàm raptare ſua membra, vt aliorum neceſſitatibus prę ſto eſſet.

Et iterùm, & tertiò.

Et Alexandrum quidem Trottum, quem modò loquuti ſumus, & morientem, & mortuum curauit ipſe, non planè incolumis; effecitque, vt non ſanitas modò, ſed & languor ipſe languentibus inſeruiret. Neque alii ab eo queſtus, dum lecto detineretur, audiebantur, quàm quòd mærere otio ſibi videretur; quando operari charitati, atque adeſſe manu, ac opere tabidis minimè poſſet. Tandem labores eadem virium contentione dum continuat, ab irritata veluti lue vehemẽtiùs ſauciatus, ſupremò cecidit. Conclamata illicò vita. Quare totus in eo ſtatim fuit vir piiſſimus, vt inſigni quadam animi conſtantia, exemplíſque virtutum ſe morti compararet.

Tandem ſupremò ęgrotat.

In ipſis pręſertim extremis ſacris vſurpandis, mirum, quo mentis affectu, amoreque in Deum viſus deflagrare. Antequam excederet, recreatus cœleſti quadam cõcentus illecebra fuit; affirmauitque ipſemet non obſcurè. Etenim cùm ſummo mane interrogaſſet illum valetudinarius, vt ſe haberet? & an grauius conflictari morbo ea nocte contigiſſet? reſpondit, ſe quidem magno in malo eſſe; ſed eam noctem doloribus, atque incommodis omninò expertem. Miranti valetudinario, quòd in peracuta ea febri minimè laboraſſet: exhilarauit me, inquit, ſuauiſſimum in Deiparæ laudẽ melos, à quo totam noctem iſthęc conclauia perſonuere.

Recreatur cœleſti concentu.

Quibus ille auditis, ſiluit: ſibique haud dubiè perſuaſit, dignatum inſigni fauore Numinis virum piiſſimum; ac ſubleuando eius morbo adfuiſſe ea nocte cœleſtium ſpirituũ choros, qui magnæ Matris laudes, cui ille magnoperè addictus, concinerent: fuitque Mignia inter has cœli delicias Franciſco Aſſiſinati perſimilis, cui ab amore potiùs, quàm à morbo languenti, miſſus ab Empyreo cythariſta, qui mellifluo fidium cantu eius ſpiritum recrearet. Refert hoc porrò ſuauiſſimi cantus oblectamentum [a] Dominicus Grauina, vir è Domi-

[a] Vox Tur. p. 2. cap. 29.

minicana familia longè doctiſſimus, qui & de aliorum etiam è noſtratibus in Panormitana peſtilentia charitate honorificè, ac diſertè loquitur. Secundum hæc, ſupremam vitæ luctam ingreſſus Mignia: ac mox fixis in cœlum oculis, ſiniſtra quidem Crucifixi imaginem tenens, dexteram verò exerto pollice ſursùm verſus extollens, animam exhalauit; commonſtrauitque eo geſtu, ſe quidem Chriſti pendentis è cruce merito laborum ſuorum pretium, ac gloriam aſſequuturum. Exulcerauit grauiſſimè noſtros homines in ipſo ætatis flore viri mors: Septimum nanque, & vigeſimum annum vix expleuerat. Et ſanè eximia morum, actionumque maturitate, vi iudicii, ſingulari religione, inſtituti obſeruantia, ac ſtudio ingentem ſui ſpem concitauerat. Idem apud Panormitanum Senatum ſenſus: vt quem non modò à pietatis, ac ſanctimoniæ opinione ſuſpiciebant; ſed valere quadam mentis ſolertia nouerant: vt eius potiſſimũ conſilio in procurando xenodochio, atque in tanta rerum mole vterentur. Sed nulli acerbiùs funus fuit, quàm infirmis ipſis, qui labores, vigilias, ac ſtudia viri viderant; dolebantq. concidiſſe ſpes ſuas omnes, & columen loci. Procuratę pro modo exequiæ, ſepultumque corpus propè Alexandrum Trottum iacentq. vnà ſimul pii manes; ſicuti eandem laborum tolerantiam iunxiſse cœlo flagrantes animas, perſuaſum habemus.

Piè moritur

Panormitani Senatus ſenſus,

Contigit etiam, diem ſuũ obire Ioſephum Scarſellam, laici Ordinis fratrem, Drepanitanum, qui licet attactis peſte minimè inſeruierit; addictus nihilominùs noſtratum miniſterio fuit, qui ſacramenta per Vrbem ægrotantibus deferebant, in quorum cultu dum inſigni charitate totus eſt, peſtilentia ſauciatur, ac moritur. Nec fraudandus ſua laude, ac prædicatione eſt; qui in ea temporum clade ſedulitatem, pietatemque adeò probauit ſuam. Mancipauerat ſe Ordini Ioſeph ante annos ſeptem in Panormitano D. Ioſephi cœnobio, atque ab ipſo ſtatim religioſæ vitæ initio viſa in eo florere virtutum ſemina. Pręcipua illi in ægrotos propenſio, ac charitas, quam vbi Prępoſiti agnouere, addixere ſtatim valetudinario; iuſſeruntque continuare id muneris tanto quidem cum infirmorum commodo, vt nullus vnquam maiorem in iis curis diligentiam, ſtudiumque deſiderauerit. Obſeruare momenta, nutus, ne quid peccaret indiligentia. Hinc illi mœror, officio aliquo pacto aut defuiſſe, aut putare, ſe defuiſſe. Semel infirmo, dum ſe cibo reficeret, præſens aderat: &, quæ eſt morbi conditio, ve guſtum retundat, libabat vix ille ferculaa cũ ſubitò triſtari Ioſeph, teſtatique obortis lachrymis mœrorem cœpit. Extemporanei doloris cauſam dum rogat infirmus. cernere, ait, ſine graui ſenſu minimè poſſe, tanto cũ faſtidio cibum ſumi; quòd reputaret, haud ſcitè à ſe conditum. Quod dum ſeriò pronunciat, vtendum dicendi vi quadam fuit; vt perſuaderet ſibi, à febri, nõ à conditura faſtidium. Hoc porrò charitatis ſtudium ardens tanta cũ mortalium ſtrage peſtilentia vehementiùs inflammauit. Id illi votum, vnà cum Patribus, qui deſtinati publici noſocomii vigiliis erant, pergere, ſuamque inibi pro Chriſto operam impendere. Prenſare Præpoſitum, ac nullum efflagitandi finem facere. Impetrat tandem eorum addici miniſterio, qui deſtinati ſacrorum, animorumque per Ciuitatem procurationi fuere. Quod ipſe munus & incredibili alacritate iniuit, & obiuit exacta quadam diligentia: vt affirmauerint poſtea Patres, eius potiſſimũ opera eueniſſe, quòd immunes tùm quidem à cõmuni lue fuerint. Graſſante ſiquidem latè morbo, cum è religioſis hominibus, qui tabidis operã dabant, pleroſq. aut exhauſerit, aut percuſſerit cõtagiũ, noſtros incolumes, procul ab omni morbi ſuſpicione ſeruauit diuinum Numen, curante nimirũ eorum corpora Ioſepho, exquiſito quodam miniſterii genere, opportuniſque præſidiis: quibus accuratè dum vacat, ecce tibi ex improuiſo, ac veluti ab inſidiis vulnus; violentũ id quidem, ac graue, vt illum quartum poſt diem abſumpſerit. Nempè id eſt charitatis ingenium, aliorum vitæ cauere, ſuam fundere. Morti ſe proximum ab ipſo ſtatim morbi rudimento agnouit Ioſeph; proindèque eo ſtatim animum appulit, vt ſe quàm diligentiſſimè ſupremæ neceſſitati compararet. Quandiù verſatus cũ iis Patribus eſt, facta à Propoſito facultate, communicare quotidiè Chriſti Domini Corpori ſolitus fuit, ad alteram, videlicet, eorum miſſam. Sed quo die decubuit, anteuertere diuinum Epulum voluit, refectus ad primum miſſę ſacrificium: interrogatuſque, cur ordinem mutaſſet? reſpondit, malè ſe habere; eòque maturiùs diuina ſe Euchariſtia

Ex peſte item moritur Ioſeph Scarsella

Quo ſpiritu peſtilentiæ ſe vouerit,

Se morti comparat,

riſtia

Digitized by Google

riſtiâ munire voluiſſe. Inter loquendum verò aperuit ſincerè Patribus, ſignificatum
ſibi diuinitùs ea nocte, ſe quàm primùm exceſſurum, ac poſtea fore, vt eorum alter
Quam prędi-dit.
grauem in morbum incideret. Quod vtrumque adamuſſim accidit: viſus ipſe inte-
rea mortem inſigni conſtantia, ac pietate excepiſſe. Emicuere in eo vitæ confinio
virtutes omnes, pręcipuè pauperras. Procuratus nanque extremis ſacris, antequàm
expiraret, imitatus Seraphici Ordinis Patrem, remoueri à lecto operimenta omnia, ac
lintea voluit; vt nudus, atq. in ſumma egeſtate, quam profeſſus ſemper fuerat, dece-
Ac nudus obit.
deret. Conformari etiam hac corporis nuditate voluit pendenti è cruce Saluatori,
quem dum peramanter complectitur, decuſſatis ſupra pectus manibus, mortuus eſt,
veluti in oſculo Domini. Excidère Patribus lætitiæ indices, lachrymæ; quando per-
ſuaſum haberent; euolaſſe ad Empyrei quietem; ac pręmium impigrum opera-
rium. Atque hæ Theatinæ victimę, quas communi incolumitati immolauit cha-
ritas.

Ab hac verò funeſtiſſima Vrbis facie, ac calamitate ſurgit iam calamus ad hono-
res publicos Beati Andreæ Auellini, quos illi hoc anno ſummus ſacrorum Princeps,
excuſſa perdiligenter admirabili Viri Dei ſanctimonia; adſtipulante Auguſtorum Pa-
trum conſenſu, plaudente Italia, ac Orbe decreuit. Gratulari noſtrum præſertim Or-
Decreti Andreæ Auellino honores publici.
dinem in hac Beati Senis Apotheoſi eò vel maximè contigit: quòd feſtinatis iudiciis,
præmaturo quodam exitu peracta. Octauo huius ſeculi anno corporis exuuias depo-
ſuit: quarto, & vigeſimo, annis nempè ſexdecim nondum elapſis, Bearorum tabulas,
ac cenſum adauxit: vt ſi hiſtoriarum monumenta repetas, rarus profectò fuerit, qui
excellenti licet virtute, ac ſanctimoniæ fama clarus, tàm breui publicam populorum
venerationem promeruerit. Scilicet, non modò à vitæ innocentia, ac ſplendore mi-
raculorum, ſed à temporis etiam diuturnitate, expectandum ſuffragium eſt, vt ritè
Et quidem pręmaturè,
quis templa, aras, thura, litante religione, conſequatur; veluti maturandæ ſanctitati
non tàm anni, quàm ætates, ac ſecula fluant, neceſſe ſit. Solutus hiſce legibus An-
dreas, cui non expectandæ temporum, ac cœli moræ: maturus quippè gentium vo-
tis, ac Chriſtiani Orbis acclamationibus ſtatim fuit; adſcituſque Romanis ſacris eſt;
cū à recēti adhuc memoria vix mortuus crederetur. Planè cœlitum ordinibus adop-
tatum Dei ſeruum adorare, ingenti voluptati iis fuit, qui illum agere inter homines,
ac monentem, orantem, adhortatem viderant, atque alloquuti ſæpiùs fuerant. Nihil
iis frequentius, quàm referre, quid ſibi cum eo acciderit; quæ hauſerint ab eo moni-
ta; quid pręclari operis, virtutiſque in eo viderint; cumulabantque communem læ-
titiam priuata hac recordatione rerum, quas ipſimet ſuis oculis non ita multò ante
vſurpauerant. Igitur, confectis de Andreæ ſanctitate, ac miraculis Placentiæ, Medio-
lani, Panormi, Neapoli actis, excuſſiſque accuratè à Romanæ Rotæ Auditoribus,
Romanæ Rotę Auditorum de eius ſanctitate ſententia
quibus delegatum id muneris à Pontifice fuerat, retulere hi tandem ad Vrbanum
Octauum die Decembris ſuperioris anni trigeſima, quæ ſumma teſtium fide, ac ſa-
cramento in iis conſtabant. Vberior quidem ea virtutum, ac miraculorum enarratio
fuit; rerumque copiam inſignis etiam facundia commendauit: aſpirante nimirùm
ſuæ cauſæ Andrea ipſo. Qua narratione expleta, ſententiam ſuam paucis expoſuere
Iudices, atque in hæc verba finem dictioni impoſuere: *Beatiſſime Pater, ex his, quæ
hactenùs diximus, & quæ ea vi iudicii, moraque examinauimus, quam rei momētum
postulat; conficimus, liquidò ex actis conſtare excellentiam fidei, vitæ ſanctimoniā,
populorum obſeruantiam, ac miracula Serui Dei Andreæ Auellini ex Clericis Regu-
laribus: ac præterea ad ſacrorum Canonum normam negotium ritè peractum: at-
que adeò eo loci rem eſſe; vt ſi Sanctitati Veſtræ placuerit, reponi is in Beatorum cō-
cilio; atque etiam inter ſanctos ſolenni conſecratione poſſit.* Hæc illi. Reuocanda
iterum ad Sacrę Rituum Congregationis limam res erat. His enim gradibus, ac
momentis eiuſmodi negotia, quæ publicam religionem ſpectant, promouentur.
Quocirca, audita Pontifex Sacræ Rotę Auditorum ſententia, ea voluntate, qua pro-
Examinatur in Sacra Rituū Congregatione cauſa.
ſequi noſtra ſolitus erat; ſtatim recognoſcendam Auguſtis Patribus cauſam permi-
ſit. Qui quidem non lenta quadam maturitate, nec cunctabundi de more ſuffragia
inſtituere; ſed affectu quodam, ac ſtudio in Virum ſanctum præcidere moras omnes,
viſi ſunt. Inſtituto ſiquidem Ianuario menſe examine, perfectum exeunte Auguſto

Fr agente Card. Pio.

eſt; agente nimirũ Carolo Emmanuele Card. Pio, qui delectus ab ipſamet ſacrorum Rituum Coogregatione fuerat, vt de Andreæ virtutibus, ac miraculis referret, cauſamque ſuo nutu adgubernaret. Perſtudioſus enimuerò, vti aliàs dixi, noſtri Ordinis Pius, oblatam hanc teſtandæ beneuolentiæ occaſionem mirum, quo ſtudio arripuerit: cùmque ex ſe quidem oegotio omni ope iocumberet; accedobat præterea arcanus quidem impetus, quo;, vt ipſemet non ſemel affirmauit, vrgeri ſe vehementer ſentiebat, ac feſtinare ad exitum cogebatur. Illud præſertim admiratione dignum accidit. Nam cùm enarrata iam cum omnium plauſu vitæ ſanctimonia, referri miracula deberent; proponi ſimul omnia, atq. vno, eodemque tempore expendi ad exactam iudicii trutinam poſſe, negabat Cardinalis; eoqueconſilio Congregationem adiit, vt pauca tùm quidem ex eorum numero delibaret, reliqua deindè per interualla exponeret. Atenim eo, quo dixi, inſtioctu, motuque excitatus, apud animum ſuum ſtatuit, referre omnia: quod feliciter adeò ceſſit, vt narrationem exceperit inſignis omnium approbatio, commendatis ſupra modum à numero, atque à præſtantia miraculis. Quapropter, perorata iam cauſa: obſignare ea die, quæ vltima Augu-

Maturiùs abſoluitur.

ſti menſis fuit, decretum placuit; quo ſciuere Purpurati Patres, vbi; ſummo Chriſti Vicario libuiſſet, adſcribi ſolenni ritu in ſaoctorum numerum Andream poſſe: atque interim Beatum nuncupari, ſuique Inſtituti Patribus concedi, vt in anniuerſaria eius luce ad Romani breuiarii, ac miſſalis formulam ad aram faciant, atque officium recitent. Decretum ſallatum mox Pontifici à Franciſco Maria Cardinali à Monte, Cõgregationis Præfecto: quod ille auctoritate, outuque ſuo, atque incredibili cum animi ſenſu ratum habuit; viſumque hic adſcribere, quod ſic habet.

Sacræ Congregationis decretum

Decretum Sacræ Congregationis Rituum de ſolenni Beatificatione,
nec non facultate conceſſa Clericis Regularibus, vbique exiſtentibus recitandi officium, & celebrandi miſſam in die obitus
Serui Dei B. Andreę Auellini Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum.
31. Auguſti 1624.

Cauſam Serui Dei Andreæ Auellini Clericorum Regularium, à tribus Rotę Auditoribus; ac deindè à Sacra Rituum Congregatione de mandato S. D. N. referente Illuſtriſs. Cardinali Pio, diligenter diſcuſſam, cùm vtrobique de validitate proceſſuũ, de ſanctitate vitæ, ac de miraculis, tàm in vita, quàm in morte ſufficienter conſtare, pronunciatum fuerit; Illuſtriſs. Patres habendam in tali ſtatu cenſuere, vt ad ipſius Serui Dei ſolennem Canonizationem quandocumque deueniri poſſit. Interim verò poſſe concedi, cenſuerunt, ſi Sanctiſſimo videbitur, vt Beatus nuncupari poſſit, & de eodem ab omnibus Clericis Regularibus, vbique exiſtentibus officium, & miſſa de communi Confeſſoris, non Pontificis ipſa die eius obitus iuxta rubricas Miſſalis, ac breuiarii Romani tutò recitari, ac celebrari poſſit.

Cui Sacræ Congregationis ſententiæ Sanctiſſimus Dominus noſter libenter aſſenſit.

Ita verò annuit ſummus ſacrorum Antiſtes, vt breues etiam literas vetere inſtituto, ac more Pontificum ea ſuper re obſignauerit Septembri menſe, quas hic etiam recenſemus.

V R B A N V S   O C T A V V S.
Ad perpetuam rei memoriam.

In Sede Principis Apoſtolorum, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, à Domino conſtituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in ſeruis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque fauoribus proſequimur opportunis. Sanè pro parte

Et breues Pōtificis literę.

dilectorum filiorum Prępoſiti Generalis, & Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum Nobis nuper expoſitum fuit, quòd ipſi pro eo, quem erga bon. mem. Andream Auellinum, dictę Congregationis, dum vixit, profeſſorem,

gerunt,

gerunt, deuotionis affectu, officiũ, ac miſsã de eo, donec Canonizationis honorẽ, quẽ dicto Andreæ Auellino ob eius eximiam charitatem, & excellentia merita aliquando, diuina aſpirante gratia, habitum iri, ſperant, ab Apoſtolica Sede impetrent, recitare poſſe ſummoperè deſiderant. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt eorum votis huiuſmodi annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Præpoſitum Generalem, & Clericos prædictos ſpecialibus fauoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabiliũ fratrum noſtrorũ S. R. E. Cardinalium, ſacris Ritibus præpoſitorum, conſilio, vt de eodem Andrea Auellino ab omnibus Clericis Regularibus huiuſmodi, vbique exiſtentibus, officium, & miſſa de communi Confeſſoris, non Pontificis ipſa die eius obitus celebrari, ac recitari liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate tenore prẹſentium licentiã, & facultatem perpetuò concedimus, & impartimur, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Secretarii ipſius Congregationis, vel Notarii publici manu ſubſcriptis, & alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Præpoſiti, vel Vicarii Generalis eiuſdem Congregationis ſigillo munitis, eadem prorsùs fides, vbique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, aut oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub anulo Piſcatoris die 28. Septemb. 1624. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Communis per Ordinem lætitia.

Optatiſſimæ rei nuntius incredibilem Congregationi vniuerſę voluptatem attulit, cunctis ſummoperè gratulantibus, quòd adauctis Theatino nomine Eccleſiaſticis tabulis, ac faſtis, Inſigniri irrefragabili Sedis Apoſtolicę iudicio meritis honoribus, ac religionibus Beatiſſimi Senis ſanctimoniam, contigiſſet. Actæ vbique Numini gratiæ, ac libata tũ quidem raptim, priuatimque Andreæ veneratio: quoad ſacra eius memorię die publica deindè ſolennia, effuſa populorum deuotione, peragerentur. Neapoli, vbi pretioſi eius manes iacent, ac celebrantur, etſi peculiari, ac propiore quadam geſtiendi ratione affulſit noſtris ea fauſtitas, vt contineri omninò intra domeſticę lætitię fines minimè potuerint; temperare nihilominùs flagrantiſſimæ Ciuitatis ſtudia, eos oportuit. Enimuerò, qui tantis Serui Dei exuuiis lætabantur Neapolitani, atque à quotidiana eius munificentia obſtrictos ſe ſe maximè nouerant: ad hæc, qui Romæ apud Auguſtos Patres, ac Maximum ipſum Pontificem negotium omni officiorum genere per ſuos adminiſtros accurauerant, atque efflagitandi, vrgendique finem nullum fecerant; vbi allatum iis fuit, potitum iam illum Beati nuncupatione, veluti qui ſummam votorum obtinuiſſent, coli Andręę nomen publica ſtatim honoris teſtificatione, diſploſis nempè æneis tormentis, accenſis feſtis ignibus, ſolennique campani æris concentu voluiſſent; iamque celebritatem adornabãt; cùm noſtris cõponi ad omnem modeſtiam obſequium placuit; repreſſuſque is eorum impetus, ac ardor eſt: ac tùm quidem, vt confluentium populorum ſtudiis fieret ſatis, quòd humi defoſſum ſacrum pignus iacebat, produci in publicum conſpectum, ac proſtare communi venerationi voluere: conueſtito aulæis ſacello, accenſaque ad aram, atque ad pios ipſos Cineres multa face: viſique turmatim Neapolitani ea die, ac deinceps ad D. Pauli accurrere, refoſſumque Andream, ac veluti rediuiuum ſingulari quadã animi lætitia, atque obſeruãtia adorare. Interim eò animum adiecere Paulini Patres, vt venerabile Viri Dei corpus ſublimiore loco reponeretur, cultu nimirùm, qui iam Beatum decebat. Decretus illi locus ſupra aram eiuſdem ſacelli, in quo hactenùs iacerat, quod ad læuam eſt Arę maximæ. Dictus verò ſolennitati dies nonus, & vigeſimus Septembris menſis, Diuo Michaeli, cœleſtis militię Vexillifero ſacer, planè non ſine Numinis inſtinctu: vt eo die eius lipſana veluti in triumphum extollerentur, qui pro Sanctimonialium olim cœnobio, Diuo ipſi Michaeli ſacro, acerrimè, ac cœſo etiam vultu pugnauerat. Euulgata hac pompa, recognoſci primùm ſacros Ci-

Præcipuè Neapoli.

Effoditur ſacrũ Andreæ corpus.

Ac ſublimiore loco collocatur.

neres

neres oportuit Decii Cardinalis Caraſæ iuſſu, cuius eximia erat in Andream pietas, ſs aſſertumque illi populorum cultum, gratulatus vehementer noſtro Ordini fuerat. Celebratum deindè Eccleſiaſtico ritu noſtratum ieiunio peruigilium, præſcriptæ de veterum item more alternis excubiæ, fuſæque preces. Templum honeſtandæ celebritati ad omnem magnificentiam, nitoremque excultum. In D. Pauli vicinia, qua circũferẽdum Beati corpus erat, nihil non ſumptuoſiùs compoſitum. Paries ſuperbè vbiq. ſtragulatus, nõ vno emblemate, ac rithmo Auellini laudes diſertè pronũciabat. Cœlum decuſſantibus ſe ſe velis pulcherrimè inumbratum, bracteis etiam ad auram abeuntibus fulgurabat. Picta flore, atq. odora fronde humus. Arę ad viarum capita omninò quatuor, compactili mole, ornatuque planè elegantiſſimo inſtructæ. Excitatus item ad Montanam Porticum excipiendę triumphali pompæ præclari operis arcus, nobiliſſimorum nempè eius Sedilis procerum amplitudinis, ac religionis monumentum. Inſtructa hoc ordine ſupplicatio. Labarum, quod tùm primùm dedicatũ Andreæ fuit, ſerico, auroque magnificè intextum, lacinias Viris principibus hinc inde ferentibus, præibat. Neapolitana deindè nobilitas confertiſſimo planè agmine, ſua quiſque face, ac æqua omnes fronte, & gradu inſequebantur. Hos canentium chorus, ac ſymphonia proximè excipiebat: tùm noſtri homines linteati, atque ad omnem modeſtiam, grauitatemque compoſiti, quorum agmen alter quæſitiſſimarum vocũ concentus claudebat. Arcam ſubindè ſacri pignoris, Attalico opere amicitam, octoni ex noſtris, ſacerdotali amiculo conſpicui, ferebant; cohoneſtabatque ferculum prædiues vmbella, quam ſeptem Ciuitatis Viri, Electos vocant, ſibi, veluti iure debitam, vindicarunt. Extremam aciem Dux Albæ, Regni Prorex, ac de iure imperii pace, belloque Conſilium, tùm è Neapolitanis ſubſelliis togatus Ordo conficiebat. Emiſſam è principe templi porta ſupplicationem ſtatim è tormẽtis æneis voces, ac plauſus excepere. Nam præter minores quoſdam tubos in ipſo eccleſiæ aditu diſpoſitos, qui Labarum illicò conſalutarunt; monitæ è proxima D. Laurentii ſacra turri vrbanæ arces fuere, quibus continuò detonantibus, completa feſtis terroribus Ciuitas eſt: quos inter, ac populorum acclamationes obiuere viciniam Andreæ Cineres, excepti ad aras, quas dixi, thure, atque apprecationibus: reuerſique ad templum, collocati à pleriſque Epiſcopis, qui euocati ad id muneris, eò acceſſerant, ſupra eius ſacelli aram fuere, vbi tumulati iacuerant. Sub primam verò noctem continuandæ lætitiæ, collucere vbique per Ciuitatem faces viſæ ſunt: certatumque ab Ordine, à populo, à religioſis viris, à ſanctimonialibus in ea luminum ſcena adornanda. Atque hoc quidem libamentum quoddam eius celebritatis fuit, quæ mox anniuerſaria Beati Senis obitus die in eodem Paulino templo peracta; quam exponam, vbi Panormum excurrerit, ac moratus inibi aliquantiſper ſtylus fuerit.

Solenni cultu, ac pompa.

Supplicationis ordo.

Panormitanis idem ferè, ac Neapolitanis in Andream ardor, ac ſtudium ſemper fuit. Et adeſſe viciſſim peculiari quodam patrocinio ampliſſimę Vrbi Andreas videbatur, collatis aſſiduò beneficiis, patratiſque in commune commodum miraculis: atque adeò pertinere ad ipſam potiſſimùm hanc Beati Viri gloriam, omnes intelligebant. Illud autem accidit longè moleſtiſſimum: eo nimitùm tempore adauctũ Auellini nomine Beatorum numerum, quo, graſſante populari lue, occupauerat luctus animos: interdictoque vſu mortalium, nullus erat publicæ lætitiæ argumentis locus. At enim non ita metus, ac prouidentia ciuium incolumitati cauit, quin aliquid ſibi ardens obſequium, ac pietas vindicaret. Enimuerò, vbi Petro Gueuaræ, qui D. Ioſephi cœnobium, vti ſignificaui, admininiſtrabat, ſignificata Andreæ Apotheoſis fuit; nil priùs habuit, quàm Cardinalem Doriam, qui humana, ac diuina ſummo iure moderabatur, certiorem rei facere: idque præſertim addidit; quando cerneret, merſam mœrore Ciuitatem, ac nullibi non funera, ac mortis imaginem; nõ audere ſe, publica honoris imitamenta efflagitare. Cui Cardinalis: ſcire ſe, ait, in eo rerum ſtatu intempeſtiuam quãlibet celebritatem eſſe: attamen requirere populorũ ſtudia aliquid ſtatim ornandæ Serui Dei memoriæ externi cultus; ac perſuaſum ſe quidem habere, implorato Andreæ nomine, profligandum contagium fore; tantùm abeſt, vt aliquid inde incommodi exiſteret. Ergo celebrandum quodam veluti lætitiæ rudimento optatiſſimæ rei nuntium, iuſſit Cardinalis; pollicitus, vnà ſe cùm Ma-

Panormi de Andreæ cultu lætitia.

Ex Cardinalis Doriæ iuſſu

Solemniorum primitiæ celebrantur.

Digitized by Google

Magiſtratu interfuturum. Quod ſanè Panormitanis gratiſſimum, ac non mediocre præſentium miſeriarum leuamentum. Noſtri concinnate illicò ſolenni pompa templum: ædicula præſertim, vbi collocanda Andreæ imago erat, quàm ſumptuoſiſſimè inſtructa. Conſtituta die, viſa quædam veluti ſolenniorum conſpiratio, ac concentus. Iuſſerat quippè Cardinalis, vt omnes eodem ſimul tempore Panormitanæ Eccleſiæ Euchariſticum hymnm canerent, pulſarentque ęra ſacra. Qua quidem ſacrarum turrium modulatione dum Vrbs tota perſonuit, viſi ingentes animorum motus, affectuſque concitari. Facti proindè frequentiſſimi cùm è nobilium ordine, tùm è populo in noſtram eccleſiam concurſus, quos Cardinalis ipſe, Vrbanique Rectores cumularunt. Inſtituta deindè intra templi ſepta ſupplicatio. Agmen noſtri homines conſecere, albati omnes, inſtructique facibus: his Prępoſitus ſacerdotali amiculo ſuccedebat; tùm Beati Andreę Icon, quam ex noſtris item quatuor linteati, ſtolatiq. ferebant. Proſequebatur Cardinalis Prorex, Magiſtratus, nobilitas, ac vis ingens populi; quibus acclamantibus, ac reſonante lętis tinnitibus aere, vbi ad ſacellum, quod diximus, ventum, propoſita communi venerationi ſuo in loco Effigies. Id quod eo quidem ſenſu, ac gratulatione actum, vt arrepta Cardinalis occaſione, vbi in Andreæ cultum, honoremque præfatus aliqua eſt; adhortari Magiſtratus cœperit, vt illum inter Ciuitatis ſuæ Patronos cooptarent. Nempè, qui tot beneficiis adeſſe votis omniũ, ac publicę ſoſpitati iam declarauerat; fore etiam, vt ſi id illi honoris pręſtarent, quæ in præſenti ſæuiebat calamitas, eius præſidio, ac ope omnino faceſſeret. Hiſce ſtimulis, qui proni iam erāt in Andreæ obſequium Panormitani proceres, viſi vehementiùs inflammari; polliciti, quod iam apud animum ſuum ſtatuerant, externo mox cultu, obſignatiſque publicè tabulis facturos. Ac non ita poſt multò fidem liberarunt ſuã. Nam collatis vnà votis, Panormi Patronum Andream Auellinum ſecundiſſima ſuffragatione pronunciarunt; obſtrinxeruntque ſe voto, ſedulam daturos operam, vt in Sanctorum etiam cenſu adſcriberetur; ac quatuor quotannis cereos ad intimæ obſeruantiæ ſpecimen illi dedicaturos. Cui quidem inclytæ Ciuitatis ſtudio viſa mox ſacra Auguſtorum Patrum Congregatio, ac Maximus Pontifex ſuffragari. Ad eius nanque poſtulata facta facultas, vt de Beato Andrea, quem Patronum renunciauerant, recitari inibi officium, ac miſſa poſſet. Decretum verò ſic habet.

Et Card. ipſo adhortante

Eligitur Ciuitatis Patronus Andreas.

Panormitana 2. Auguſti 1625.

Congregatio ſacrorum Rituum, auctoritate ſibi à S. D. N. attributa, conceſſit, vt de Beato Andrea Clericorum Regularium, quem ſibi Patronum anno præterito Senatus, Populuſque Panormitanus elegit, officium, ac miſſa tanquam de Patrono, ſeu Protectore in Ciuitate Panormi recitari, ac celebrari poſſit.

Facta relatione Sanctiſſimus annuit.

Hæc Panormi: dum Neapoli, die appetente, quo in cœlum euolauit Auellinus, toti in concinnando apparatu, ac pompa Patres ſunt: feruetque opus, quo recentem eius gloriam pro dignitate, ac flagrantiſſimæ Vrbis ſtudio celebrarent. Atque in hoc quidem diei feſti, ſumptuoſique cultus magnificentia eſt profectò, quod ſtatim diuinã in nos prouidentiam commendet; & quod liquidò oſtenderit, fuiſſe Numini curæ publicam Andreæ lucem, ac decus. Enimuerò quo tempore properare ad exitum inſtitutum Romæ de eius ſanctitate iudicium, ac breui fore, vt in Beatorum ſyllabum transſcriberetur, fama euulgauit; cogitare Patres cœpere, qua honoris ſignificatione hunc Beati Senis triumphum exciperent, quæ communi lætitiæ reſponderet. Planè cùm intelligerent, non vulgari pompa, ac ſumptu opus eſſe, ea illos maximè coquebat cura, quòd haud pares eſſent conceptæ ſolennitati, atque animo vires. Ergo dum magna agitant exiguo cenſu, ecce tibi Vincentius Spinellus, Tarſiæ Princeps, Vir animi æquè, ac generis ſplendore ornatiſſimus, Thomam Pellicionum ſuis à confeſſionibus, et cũ eo Benedictum Mandinam, & Ioſephum Caracciolum, quos aliàs nominaui, ex inopinatò domum vocat; quibus, dum quiduis aliud cogitant; ſolicitatum diù ſe, inquit Princeps, interno quodam inſtinctu, vt aliquid in Beati Andreæ obſequium moliretur. Iam, quando ſibi ad aures perueniſſet, inſtare honores eius publicos, iiſque

Neapoli in Andreę ſolenniis Dei prouidentia.

Vincentius Spinellus Tarſiæ Princeps appa ratum ſuo ſi p ta cogitat.

cele-

Digitized by Google

Quo defuncto celebrandis meditari Patres apparatum,& cultum;id ſecum decreuiſse, vt ære, ſumptuque ſuo omnia peragerentur. Deſcriberent proindè ipſi ideam operis quàm ſumptuoſiſſimam, ac perſuaderent ſibi,fore, vt nullis ipſe impendiis parceret. Nihil hac Principis munificentia opportunius: neque luculentiùs adeſse noſtræ inopiæ diuini Numinis prouidentia poterat, quæ alterum mox edidit ſuę beneficentiæ documentum. Etenim dum iis curis inſigni liberalitate incumbit Spinellus, interceptus fato eſt,abruptumq. opus. Quod ſanè noſtris permoleſtum; cùm à beneuolentiſſimi Principis iactura: tùm verò, quòd ſiſtere inchoatum ſumptu planè magnifico ornatum, oporteret; ac deſperabant fore,qui manum adiiceret,veluti Coæ Veneris Capiti. At cognouere mox,non eſse abbreuiatam manum Domini; neque cum extincto Principe extinctam in Spinellis pietatem,magnamque indolem. Nam cùm ſtatim à funere ad Ferdinandum Spinellum, Vincentii germanum fratrem officii gratia adiiſſent Patres,excepit is illos quā humaniſſimè: tùm conceptis verbis ſignificauit, ſe non modò opibus,ac titulis fratris,ſed & eius etiam curis, atque in Beatum Andream potiſſimùm ſtudio ſucceſſiſſe. Cœptum proindè opus ad eandem nempè magnificentiæ formam, eademque contentione pergerent; quando ipſe & fratris munificentiam inſtaurare, & ſuum etiam addere corollarium, in votis haberet. Quod quidem eò viſum mirabilius, quòd rarò, quæ præceſſor inchoauerit, ſucceſſori curæ ſunt: ac nullus ſanè pronam hanc in Ferdinando voluntatem non opus excelſi reputauit: vt Andreæ ſanctitas ſuam haberet ab inſigni cultu lucem, ac pompam.

Opus Ferdinandus frater reſumit.

Iam verò,ea quidem ſedulitate, ac ſtudio incubuere in eas curas Patres, vt adueniente deindè natalitia Andreæ die,quę eſt Nouembris nona,abſolutus ad vnguem fuerit Paulinæ baſilicæ ornatus,& quicquid exhilarandæ, illuſtrandæque celebritati ſplendor,ac pietas inſigni certamine excogitauerant. Longiùs profectò eſſet, atque vltra hiſtoriæ leges percurrere in eo apparatu ſingillatim omnia;ſed nec ſufficeret amplitudini, ac multiplici rerum narrationi ſtylus. Quid eſſet intus ornamenti, monebat ſtatim propylèum, parergis,lemniſcis, picturiſque apprimè excultum. Templū ineuntibus obiiciebat ſe ſe quædam veluti Empyrei facies, eiuſque Ciuitatis nouæ, quam Ioannes vidit,ſicut ſponſam ornatam viro ſuo: vt affirmauerint plerique omnes, nullum vnquam excitari ſplendidius theatrum celebrandæ Diuorum gloriæ potuiſſe. Nihil non inibi,aut à penicillo viuum,aut ab Attalico ſyrmate, aulæiſque magnificum, aut ab ingenio facundum, aut ab eximio rerum ordine elegantiſſimum. Idque in primis curatum, ne qua pars vacaret cultu; atque ita niteret in præcipuis locis pia quędam ambitio, vt minimè neglecta infima viderentur; pretioſis nempè laciniis, emblematis, literis concinnè vbique diſpoſitis; procurrentibus præſertim hinc indè non vna planè ſerie ab excellentium artificum manu tabulis,quæ Andreæ geſta,virtutes,miracula ad viuum exprimerent: partito,videlicet, templo; vt altera quidem pars vitę actus; altera verò mortis portenta repręſentaret. Monebant huiuſce ordinis duo in maiore arcu angeli,eximia pingendi arte effícti, quorum vnus illud enunciabat: In vita fecit monſtra. Alter verò: Et in morte mirabilia. Dedicatio ſūptuoſi operis,collocata ampliſſimis literis in interiore aditu, Tarſię Principum regiam in Andream magnificentiam explicabat. Sic enim decere,noſtri putarunt, vt cum Beati Viri ſolenniis coniunctus eorum honor eſſet,qui id obſequii, ac liberalitatis impenderant. Atque intereſt etiam gratitudinis, inſcriptionem hanc ad æui memoriam noſtris hiſtoriis inſeri. Sic verò habet.

Templi ornatus.

D. O. M.
Beato Andreæ Auellino Clerico Regulari
Ab Vrbano Octauo in Beatorum numerum relato
Labarum ſigna tabulas
Atque ornatum hunc omnem ac templi cultum
A Vincentio Spinello Tarſiæ Principe inchoatum
Ferdinandus Princeps fraternæ pietatis hæres
Abſoluit obtulit dedicauit,

Por.

Superbiſſimus Odẽi,ac altarium à matronis cultus.

Potto ita à Spinellis hæc templi pompa,vt aliquid etiam è ſuo cenſu nobilium matronarum pietas contulerit. Odẽum ſibi baſilicè ornaodum ſuſcepere,centone,videlicet, aureo,ac periſtromatis,ſupra communem ſpeciem, ac pretium longè pulcherrimis. Altarium deindè amicula ad omnem elegantiam elaborarunt; certaruntque in ſuo quæque lucubrando munificentia, ſplendore, ingenio. Sanè nihil hac in aris ſupellectili ambitioſiùs. Opus acu pictum, cui ab vmbra nomen : cœterùm à textili auro,argentoque,atque ab erudito in flores ſerico ſplendidiſſimum. Conſimilis hic erat altarium omnium cultus,ſed variante in ſingulis idea operis,admirationi ſeruiebat in tanta ſimilitudine diuerſitas. Reſpondit enimuerò Neapolitanorum votis, ſtudiiſque in Beatum Senem hęc templi ſpecies. Vbi verò feſti peruigilium aduenit,ac facta theatri adeundi,videndique copia; viſa ſuis penè conuulſa ſedibus Ciuitas,tota in D. Pauli confluxiſſe. Expreſſi in parietibus,in pilis,in angulis,ſupra,infra,demum quocuoque inciderent oculi,Andreæ vultus,actus,mira, gloria; idque argura plerumque manu,argento etiã,ac phrygio opere: vt ſuſpẽſos admiratione intuẽtes mirę artis opera tenerẽt. Cõmendare certatim ſũptus, elegãtias,mũditias,nitorẽq. ſupra oculorum fidem. Litatum recenti Indigeti veſpertinis laudibus,lectiſſimo planẽ concentu modulatis,quas excepere ſubindè nocturni ignes,per Vrbis fora, ac cõpita collucentes, ac frequẽtiſſimæ in ſummis tectis faces: vt ardere,ab inſigni nimirũ ſtudio Ciuitas videretur.

Reſiqua ſolẽniorũ pompa.

Neapolitanæ Vrbis donariũ

Quod triduo factum. Dies ipſe Andreæ Natalitio,honorique ſacer celebratus eodem populorum æſtu,ac concurſatione, iiſdemque religionibus. Inter miſſarum ſolennia editum à Septemuiris Ciuitatis nomine publicum de more obſequii ſpecimen argenteo calice,ac cereis. Panegyricæ laudationes per octo continentes dies habitæ pulcherrimo ſanè Oratorum certamine. Lecti nempè è reliſis aliorum Ordinum familiis celebrioris famæ Eccleſiaſtæ, ac flos ipſe Neapolitanæ eloquentiæ: habuitque quotidiana hæc facundia confertiſſimum ſemper,lætumque à plauſibus theatrum.

Eadem in ſingulis noſtris domibus ſolẽnitas.

Porrò, vt communis hæc erat noſtri Ordinis lætitia, ita communis celebritas fuit, idemque vbique locorum,vbi noſtri degunt,ornandi Andreæ ſtudium,ac ardor. Inſtituta anniuerſaria ea die vbique ſolennitas; procurata templorum dignitas; culti ſtragulis,veliſque parietes; expreſſa tabulis lineamenta virtutum; inſcripta elogia, accenſi feſtiui ignes,dicata donaria. Peregrinari ſtylum per ædes noſtras,ac ſingula ob oculos ponere,faſtidio profectò eſſet legentibus: ac nos quidem ea etiam de cauſa parcimus deſcribere,quòd eſt,qui laborem hunc occupauerit, ac non modò Neapolitanam, ſed reliquam etiam per Ordinem pompam accuratè explicauerit. Illud non omiſerim,quod maximè ad Andreæ gloriam facit: nempè pleraque inter eas ferias,ac ſoleoniorum gaudia patrata ab eo mira; veluti obſequium probaret: quæ ſtrictim libanda.

Patrata in natalitia ea die mira.

Placentię.

Et quidem Placentię, vbi, Paulo noſtro Aretio Epiſcopo, præclaros olim Andreas labores exhauſerat,id præſentis beneficii impertiit. Quidam pingendi artifex Beati Viri imaginem,ad aram principem collocandam,effingendam ſuſceperat. Dum operi iocumbit,brachium improuiſus morbus intercipit. Feſto appetente, angi vehementer pictor,quòd perficere cœptum opus nequiret. Ergo opem ab ipſo Andrea petẽdam ratus, ex animo ſe ſe illi commendat. Nec mora: adeſt nocte Beatus Senex,illumque in ea verba eſt alloquutus: Surge,quam inchoaſti effigiem,perfice. Mane,dum brachium explorat,aduertit,omninò conualuiſſe. Surgit, opus reſumit,abſoluit. Nec potuit ſanè non dici imago illa ad miraculum pulchra, quam perſanata mirè dextra,delineauit.

Patauiĩ

Patauii, vbi celebrata magnificè hæc ſolemnia fuere, non vno quidem miraculo Beati Viri virtus inclaruit. Diſertè ea narrat Franciſcus Maria del Monaco, qui reliquam templi noſtri pompam elegantiſſima lucubratione excepit,ac luci dedit. Primum id fuit. Aloyſius Goldinus,Patauinæ Eccleſiæ ceremoniarum Prçfectus,quç nox feſtum Andreç diem præibat,correptus febri,ac vehementiſſimis capitis,artuumque doloribus,ita præſenti malo diſcruciabatur,vt doleret maximè,Antiſtiti ſuo,qui mane facturus ſolenne ſacrum in noſtro templo erat, adeſſe minùs poſſe. Precaſare Dei Seruum cogitat. Rogat, & ſtatim ſalutis index, quies, & ſomnus. Expergefactus, febrim,doloreſque faceſſiuiſſe omnes,ſenſit; iuuitque ma-

ne Epiſcopum, ſacris ſolenni ritu operantem. Alterum: Andreas Cauatius, faber cæmentarius nulli non in ea Vrbe notus, ab ingenti dolorum vi captus membris, niſi innixus fulcris, moliri ſe ſe minimè poterat; eamque corporis cladem menſes omninò duos pertulerat. Inter rem diuinam vbi campani æris cõcentum, ac tormentorum diſploſiones audit, rogat, quid rei, nouæque lætitiæ id eſſet. Reſpondit coniux: Sanctũ quendam è Theatinis virum, Beatorum faſtis adſcriptum, uſque tùm gaudiis coli. His ille auditis, erectuſque ingenti quadam fiducia, vxorem, vt templum adiret, funderetque pro ſe preces, iubet. Orat interim ipſe, & cum eo demiſſi in genua pueri quinque, quos domi habebat. Monſtri ſimilis res fuit. Nam abiectis ſtatim fulcris, redire in veſtigio temporis artus, atque incòlumitas; ac poſtquam peractæ domi gratiæ, templũ & ipſe petiit; viuum nempè, atque ambulans Andreæ virtutis trophæum. Tertium. Peracto ſolenni ſacro, cerei, qui templum omne lucenti quodam ſerto ambibant, extincti; relictuſque caſu vnus, qui ante Beati Patris vultum collucebat. Is verò ita totum diem arſit, vt ad veſperam vſque perdurauerit: quod fieri minimè poſſe, videbatur, cæteris, qui matutino duntaxat tempore arſerant, penè conſumptis. Deprehenderunt id portenti ſerò noſtri; ac duo ibi mira adnotarunt: alterum, quòd cereus ille remanſiſſet, qui Beati effigiem reſpiceret, vt eius honori deſeruiret: alterum, quòd diem ſolidum perduraſſet, nec ſua ſe flamma confeciſſet. Id, quod & Badulati, quod eſt in Calabria oppidum, accidiſſe, compertum habemus. Cum enim populares illi Andreæ patrocinium, quod communi ſuffragatione ſanciuerant, ſolenni ritu celebrarent; inſtituta ſupplicatione, ita arſere cerei, vt minimè abſumerentur, defixis admiratione, qui geſtarent. Hæc feſto ipſo die Patauli Andreas, qui nec per octauam vacauit. Nam diuexata malo genio puella; poſtquàm ex aqua, cui Beati Senis reliquias immerſerant noſtri, ter bibiſſet, viſus continuò infernus hoſpes faceſſere, ipſa omninò incolumi. Licii in Salentinis ſua etiam habuere portenta ſolenniores hæ feriæ, quæ ita admirari noſtris hominibus contigit, vt penè oculorum fidem obrogauerint. Ingentem Beati Senis effigiem pingendam curauerant, cui quidem ornandæ, dum auream adhibent coronidem, aduertunt, hanc longè anguſtiorem. At ne ſuo careret ornatu Icon, decurtare illam cogitant, planè non ſine picturæ dehoneſtamento. Igitur dum ægrè id moliuntur, atque iterũ explorant, vt ſuperfluum præciderent, ecce tibi æqua tabulæ coronis. Viſa nempe diuinitùs grandeſcere, ne quid detrimẽti caperet ſacra effigies. Illud etiam non citra admirationem. Æſtuabat ingenti populorum vi baſilica, cùm è ſuperiore tecto ſaxum non mediocre ita decidit, vt neminem læſerit. Viſus profectò immixtus horrori omnium ſtupor, dum id cernũt, quod in confertiſſima mortalium frequentia fieri poſſe, nemo ſibi perſuaſiſſet. Adfuit certè Andreas, rexitque lapidis caſum, ne gaudia funeſtaret calamitas. Mutinæ, vt inſigni cultus magnificentia, ſtudioque populorum celebratus Andreas fuit, ita probauit is pietatem, ſplendoremque nõ vno planè beneficio. Etenim conſtans tùm fuit per Vrbem fama, fœminam quãdam captam penè oculorum lumine, implorata eius ope, priſtinæ luci reſtitutam. Alteram in extremis laborantem, abeo mortis confinio ad vitam poſtliminiò reuocatam. Virum item quendam emancum, captumque viribus, ad Andreæ nomen corporis integritatem, vigoremque impetraſſe. Patrata & alia alibi mira inter ea ſolennia, quę ne anxiè perſequi videar, prætermitto.

Licii.

Inſtituti Matriti feſti dies de Andreæ Apotheoſi.

Ad hos autem Italiæ plauſus reſpondiſſe Hiſpaniam, non eſt, cur diſſimulem. Planè non minimum Andreæ ſanctitatis argumentum, ibi honores publicos conſequutũ, vbi Clericorum Regularium Ordo vix notus; Auellini verò nomen ignotum omninò erat. Agebat Matriti, vti ſignificatum eſt, in Italorum noſocomio Placidus Mirtus, homo exterus; vt quiduis aliud moliri, quàm ſumptus, ac celebritatem poſſe, videretur. Attamen bona ſpe fretus, fore, vt ſuæ gloriæ adeſſet magnus Senex, ſolennia concepit, inſtituitque ſupra vires; ac votum: vt Italicùm omninò ſplendorem non exæquauerit modò, ſed longè ſuperauerit. Et quidem tantus aulæ conſenſus, ac plauſus cõnciliari ſine Andrea ipſo minimè potuiſſet. Deſtinati celebritati dies, ita per ſumma capita deſtributi, vt facem cęteris prætulerint Rex, & Regina. Sequuti deindè Apoſtolicus Nuntius, Comes Beneuenti, Magni Ducis Etruriæ Legatus, Hieronymus

Co-

Columna, poſtea Cardinalis, Neapolitanorum, ac Genuenſium natio, qui pietatis ergo in Andream ſua quiſque die ſumptus munificentiſſimè ſuppeditarunt. Quicquid Matriti erat pretioſioris ſupellectilis, ornandæ Italorum Eccleſiæ, vbi triumphus ille ducebatur, collatum. Regium ipſum Veſtiarium, ac ſacellum ſplendidiora quæque aulæa, atque aræ ornamenta commodarunt. Excitata præcipuè ad aram maximam moles longè ornatiſſima, in qua Beati Andreæ ſimulacrum, gemmis elegantiſſimè interſtinctum radiabat. Tùm ſigna vbique, ac tabulæ, excellentis virtutis monumenta. Habitæ per octauam conciones: lectique, qui maximè eloquentiæ ſplendore, famaq. eminebant. Adfuit ſemel functionibus, ac theatrum cumulauit maieſtate ſua Rex, qui ornatum, quem ipſe magnam partem ſuis opibus confecerat, ab arte, à venuſtate, à nitore humaniſſimè commendauit. Porrò id ſumptuoſa hæc rerum ſpecies effecit, vt ingens in Beatum Senem ſtudium apud omnes ordines excitaretur, quod hodieque perdurat, non ſine operæ pretio, ac præſenti beneficiorum vſu. Atque hæc de eius Apotheoſi, peractiſque à communi pietate ſolenniis.

Hæc autem Andreæ ſanctitas dum publicis hoc anno gaudiis celebratur, alterius Viri virtus, Andreæ olim amiciſſimi, atque in religioſæ vitæ exercitatione ſocii, elucere diuino quodam inſtinctu cœpit. Fuit is Paulus Cardinalis Aretius, Archiepiſcopus Neapolitanus, cuius vitæ innocentiam, inſignemque pietatem fuſè aliàs deſcripſi. Anno exacti ſeculi octauo ſupra ſeptuageſimum Neapoli vita functus, condi cum ſuis in communi D. Pauli cœmeterio, iuſſerat. Sed indè in eccleſiam poſtmodũ anno octogeſimo nono translatus, ita conditum in Crucifixi Domini Sacello fuerat, vt nullum inibi extaret Sanctiſſimi Viri monumentum, aut ſuperſtes quædam ſaltem à nomine memoria. Quod ipſe à ſingulari modeſtia, contemptuque ſui magnoperè optauerat. Igitur dum hoc anno Patres Saluatoris Caraccioli Archiepiſcopi Compſani, viri ex noſtris abſolutiſſimæ virtutis, cineres in eodem hoc Sacello depoſitos, quærunt; obiecit ſe ſe ipſis Aretii corpus, abundè quidem notum non modò à purpuræ, atque Inſularum inſignibus; verùm à fractæ etiam coxendice, quæ ſupremum illi morbum, ad fatum fecerat. Excitata pii cadaueris conſpectu quædam intimè reuerentia: præſertim quòd non modò non grauis indè odor manaret, ſed quædam etiam inhalari fragrantiæ ſuauitas videretur. Diuini Numinis monitu factum id putant, ne diutiùs tanti Viri ſanctitas, ac nomen lateret. Pignus in ſacrarium aſportant, quoad in medium conſulerent, quid facto opus eſſet. Interim eò fortè artifex quidam venit, qui, audito Aretii nomine, meminiſſe ſe, ait, ſolitum parentem ſuum ſæpiùs de Viri ſanctimonia, famaque virtutum loqui: ac ſimul, vt aliquod indè pretium operæ faceret, oſſiculum clàm ſurripuit, ratus, efficax depellendis malis amuletum fore. Nec illum ſua fefellit opinio, ac pietas. Pleroſque ſiquidem eius attactu morbos curauit: expertus ipſe etiam præſentem fruſtuli virtutem. Nam cũ altè cecidiſſet non mediocri cũ ſui corporis clade, reliquiarum ope incolumis mox euaſit. Corpus deindè in aliud ſacellum, decentiorem nempè in locum translatum: ac tùm quidem cœptus implorari Paulus, ac preces concipi ad eius effigiem, quam inibi Patres collocarunt; viſæque mox ad tumulum beneficiorum teſtes, votiuæ tabulæ, ac vota argentea non pauca. Quo tempore & Itrii, quod illi natale ſolum, patrare mirabilia inſtituit, ac vocantibus adeſſe. Quocirca cũ gliſceret quotidiè Viri fama; cõfici de eius ſanctitate acta, Antiſtites iuſſere. Quod breui cùm Neapoli, tùm Placentiæ, ac Itrii factum; eo quidem ſucceſſu, vt, re apud Auguſtos Patres Romæ expenſa, Apoſtolica mox auctoritate peragi id ipſum cœperit. Porrò venerabilis Cardinalis effigies, ac dicata voti cauſa donaria, ac tabellæ tandiù ad eius ſepulchrum ſtetere, quoad obſignato Vrbanus Pontifex Octauus de Beatorum cultu decreto, proſtare hæc prohibuerit: quæ modò ad eiuſdem Pontificiæ ordinationis præſcriptum ſeorſim aſſeruantur, ablata externa cultus ſpecie, non cultu ipſo; cùm non deſint, qui ad eius ſæpè cineres procumbant, atque intimè venerentur.

Excitatur hoc ann. Card. Aretii fama.

Inuento eius corpore.

Colitur eiuſq. patrantur miracula.

Cœpta de eius ſanctitate confici acta.

Fuere hoc anno ex noſtris, qui Eccleſiarum procurationi admoti, dignitatis inſignia capeſſiuere: ac ipſo ſtatim Ianuario menſe renunciatus Caluenſis Epiſcopus Ianuarius Philamarinus, qui ante annos ſeptendecim generis lucem religioſa diſciplina conſecrauerat, nuncupatis publicè votis in Neapolitana Sanctorum Apoſto-

Ianuarius Philamarinus creatur Epiſcopus Caluenſis.

rum domo. Proſequebatur nempè Vrbanus Pontifex Octauus ſingulari beneuolentia Aſcanium Philamarinum, germanum fratrem, quem poſtea eximia beneficētiæ laude ſimul & ampliſſima purpura, & Neapolitani Sacerdotii Infulis inſigniuit. Studiū hoc Pontificis afflauit & Iannarium, qui è ſummi Principis in Aſcanium voluntate ſua ipſe decerpſit commoda: proluſitque Caluenſi Epiſcopatu luculentę Purpurati fratris fortunæ. Cathedram ſupra annos quinque, & viginti cum laude tenuit; & dū hæc ſcriberem, Neapoli ex aqua intercuti decubuit, conceſſitque fato exeunte Octobri menſe anno ſeculari ſacro, ſepultuſque in Sanctorum Apoſtolorum æde: vbi non ita multò ante propè magnificentiſſimum Cardinalis fratris Sacellum monumentū ſibi pario ex marmore, ornatiſſimū id quidē, poſuerat: veluti propè abeſſe ſupremam neceſſitatem prædiuinaret. Spirat in eo tumulo ipſemet effictus ad viuum, excellenti planè opere; monetque conſepulti cineris inſcriptio. Porrò in Eccleſiæ procuratione cùm pleraſque Pontificii muneris partes probaſſet, tùm zelo quodam tuendi Eccleſiaſtici iuris valuit: vt nunquam ardentior illi indoles fuerit, quàm vbi propugnanda ſacrorum dignitas, ac libertas eſſet. Cœterùm communi rei, publicis aliorum commodis, ac beuolentię ita ſtuduit: vt nihil vnquam irritata inuidia de eo Romam attulerit, cenſura dignum. Inter priuatas virtutes inerat potiſſimùm in defunctorum manes pietas. Ætatis annum ſeptimum vix exceſſerat, cū integrum recitare quotidiè ex Romani breuiarii formula mortuorum officium cœpit: quod poſtea congeminauit; vt alterum quidem pro defunctis generatim, alterum pro conſanguineis in ſingulos dies perſolueret; quęſito etiam è miſſarum ſacrificiis valentiore pro iis prçſidio. Cuiuſmodi ſuffragiis ſibi etiam apprimè conſuluit. Legato ſiquidem cenſu annuo, bis in die ſacrificari pro ſe iuſſit, excitato in Caluenſi Eccleſia D. Antonino, quem principe ſtudio colebat, ſacello, in quo ea ſacra celebrarentur. Ad aram ipſe quotidiè cùm faceret, alteri deindè ſacrificio aderat. In magnam Dei Matrem præcipua quadam obſeruantia ferebatur. Horarias eius laudes, ſertumque roſarium integrum quotidie recitabat. Quæ maximè Antiſtites decet, in pauperes pietas, exercuit quidem nec parcè; communemque inopiam ita ſubleuabat, vt ſecretis etiam erogationibus charitati egregiè litaret. In ſui verò cultu etſi è religioſo inſtituto ad Infulam traductum, meminerat tamen intra modeſtiam gradum, ac dignitatem tueri ſplendorem quodam videbatur. Atque hæc de Ianuario Philamarino, quem hoc anno Vrbanus Pontifex inaugurauit.

Tumulum ſibi ponit.

In defunctos pietas.

Et in Dei Matrem religio.

Et in pauperes charitas.

Quo eodem anno ineunte euocatus ad Infulas eſt Baſilius Cacacius, Surrentinus; Cœſarei, ſacrique iuris conſultiſſimus, cuius extant pleraq. in grauiſſimis controuerſiis conſilia, Mediolani edita, vbi eam ſibi doctrinarum opinionem conciliauerat, vt; obortis diſceptationibus, prouocarent paſſim omnes ad viri iudicium. Naturali etiā, diuinęque Philoſophiæ operam nauauerat; nec rudis omninò ſacrarum literarum erat; vt ſanè haberi à multiplici eruditione inter doctos viros iure poſſet. Ab hac literatura commendatiſſimus Cardinali Capponio, qui, vt Rauennati Eccleſiæ, cui præerat, conſuleret, Baſilium iis curis deſtinauit: ſuumque, vt vocant, ſuffraganeum delegit. Et annuit Vrbanus Pontifex, qui virum nouerat, illumque Archiepiſcopum Epheſinum creauit. In Rauennatibus iis Infulis, ac vigiliis adminiſtrandis, vt qui in morū, legumque formam religioſiùs fortaſſe incumberet, placere omnibus nequaquam potuit. Nihil enim ęquè mortales lędit, quàm ſi rigor, aut moroſior quædam indoles diſciplinam inuehat ſtrictiorem. Quare immoratus aliquandiù in eius vineæ procuratione, & quidem communis cum pietatis prouentu, maluit loco cedere, quàm infracti pectoris conſtantiam remittere. Romam deindè à Ludouico Cardinali Ludouiſio accerſitus, admotus eius domus præfecturæ fuit; curauitque non modò rem omnem domeſticam; ſed ad grauiora etiam negotiorum momenta adbibitus, vim iudicii, ſolertiam, fidemque ſuam egregiè Cardinali probauit. Neapolim ſe ſe denique ab externatum curarum æſtu, veluti in portum recepit, vbi anno reparati ſeculi tertio, & quadrageſimo Aprili menſe mortalitatem exuit ſeptuagenario maior.

Baſilius Cacacius vir doctus.

Rauennę ſuffraganeus, & Archiepiſcopus Epheſinus.

Ludouiſianę domus Prçfectus.

Neapoli moritur.

Liguria hoc anno ex Clericis Regularibus Epiſcopum habuit. Nam Sanona, quæ Vrbs eſt in Genuenſi Ditione nobilis, ſubeſt verò Mediolanenſi Archiepiſcopo, defuncto

cto

cto ſub id tempus Antiſtite, ſucceſſorem conſalutauit Franciſcũ Mariam Spinulam Genuenſem, è præcipuo genere, ac domo, quippè quam Thomas Spinula Pater, inclytæ Reipublicæ olim Princeps, ſummis faſcibus, ſceptroque condecorauerat. Quædam cum Franciſci Mariæ conſanguineis fuerat Vrbano Pontifici, cùm eſſet in purpura, familiaritas, quam ſummus deindè ſacrorum Antiſtes cohoneſtare non vulgati beneuolentiæ teſtificatione voluit, collato nimirùm Spinulæ noſtro Sauonenſi Sacerdotio. Inerant illi doctrinarum præſidia, quibus par muneri videri poſſet. Emenſus nanqua felicitate ingenii non mediocri grauiorum ſcientiarum ſpatia in Congregatione fuerat, ſacriſque literis initiatus, inſtituerat è ſuperiore loco dicere ad multitudinem. Ingreſſus verò in publicam illam animorum prouinciam, reſpondere egregiè officio viſus eſt: vrgetque etiam nùm eas curas; & quidem ſtrenuè: vt probauerit nonnihil procellæ viri zelum, tenacemque ſuæ dignitatis, ac iuris mentem.

Franciſcus Maria Spinula Epiſcopus Sauonenſis.

Adnectimus quarto loco Fulgentium Gemmam, quem licet Epiſcopalis dignitas non inſigniuerit, proximas tamen Infulas conſequutus hoc anno eſt; renunciàtus Sanctæ Barbaræ Abbas, petente Mantuæ Duce, Ferdinando, apud quem, & Catharinam Mediceam Coniugem, vti aliàs ſignificatum eſt, ſummo loco erat. Sed enarranda priùs Licienſium poſtulata, quæ ſucceſſum quidem non habuere, ſed viri opinionẽ magnoperè commendant. Enimuerò cùm perlatum ad eos eſſet, Mantuæ Principes in id maximè incumbere, vt Gemmam, popularem ſuum conſpicuo quodam gradu ornarent; optimum factu putarunt, ea vti opportunitate, ac fauore Principũ, vt Licienſis illi Sedes contingeret. Superſtes quidem adhuc erat eius Vrbis Epiſcopus, Scipio Spina. Sed qui iam profundè conſenuerat, ac nonageſimum circiter annum attingeret, impar iis vigiliis videbatur: nec ipſemet auxiliares Antiſtitis alicuius manus recuſabat, qui poſtea muneri ſuccederet. Igitur, collatis vnà votis, Epiſcopi ſenium, laborantemque ab eo Licienſem Cathedram ſignificare Maximo Pontifici decreuere; opportunumque procurationi Fulgentium Gemmam ad eam petere. Poſtulationi verò vt momentum adderent præclari cuiuſdam nominis auctoritate, atque officiorum vi, compoſitis ad Ferdinandum Mantuæ Principem literis, id enixè rogarunt, vt quando adeò prona eſſet inclyti Ducis, atque ornatiſſimę Coniugis in Fulgentium voluntas, fauerent communi ſuæ Ciuitatis voto. Conficiendæ rei inſigni patrocinio Romæ opus eſſe: ſi adeſſet ipſe per adminiſtros ſuos, vrgeretque apud Romanum Pontificem negotium, non dubitbant, fore, vt à tanti Principis ſtudio fauſtè res ſuccederet. Cum Gemmæ, popularis ſui honore coniunctum eſſe publicum Ciuitatis beneficium; eòque obſtrictos ſe Celſitudini ſuę ęternum futuros. Poſtulari ad honorificas eas Infulas commendatiſſimum ſibi virum, accidit Ferdinando gratiſſimum; gratulatuſque ſibi præclaram ornandi capitis occaſionem, ea quidem officiorum contentione rem tranſigi Romæ iuſſit, vt oſtenderit, non tralatitio quodam ſtudio, affectuque in illum ferri; & vbi de Fulgentio ageretur, ſuum ſe negotium agere. At enim dum res ad calculum reuocatur, ac Spinæ Epiſcopi Senectus, ac vigor expenditur, delatum Pontifici eſt, ſumma quidem illum ętate grauem; ſed non adeò exhauſtas corporis, animique vires in eo eſſe, quin temperare adhuc ipſe abſque ſuffraganei ope ſuas Infulas poſſet. Quo quidem ſubſiſtere Licienſium ſtudia, ac vota oportuit: atque interim Ferdinandus, qui Fulgentio incumbebat; Ipſumque honore auctum vellet, domeſtica inſignite dignitate conſtituit: idque eò libentiùs, quò retineret apud ſe virum, quem auelli, ac Mantua abſcedere, cùm ipſe, tùm Coniux haud æquo omninò animo tuliſſent. Igitur Diuæ Barbaræ, quæ Mantuanorum Ducum Eccleſia eſt, Præfecturæ illum deſtinat. Dignitas ea eſt, vt dixi, Epiſcopali Infulæ propior, habitu, Clericorum clientela, & quadam etiam poteſtate. Renuit ſemel, ac iterùm Fulgentius, ſui Inſtituti tenax. Sed quòd inſiſterent Principes, perhonorificum de ſe iudicium, atque inſignem beneuolentiæ ſignificationem recuſare citra pertinacis animi notam minùs potuit: impetratoque Pontificis nutu, renũciatus eſt Sanctæ Barbaræ Abbas. Poſſeſſionem iniit die Octobris menſis quarta huius anni, qua die ante annos duos, & quadraginta editus in lucem fuerat. Celebritati adfuere Mantuani ipſi Duces, nobilitas, populus, accurſu, ac gratulatione

Fulgentius Gemma.

Poſtulatur Licienſis Epiſcopus.

Poſtulationi fauet apud Põtificem Dux Mantuæ.

Renunciatur S. Barbaræ Abbas.

incre-

incredibili, Iam, quæ eſt Principum indoles, vt quos ſemel ornare ſuis beneficiis cœperint, illos recenti ſemper gratia ſibi deuinciant; viſus ab hac dignitate cumulatiore quodam ſtudio ferri in Fulgentium Ferdinandus. Ac primò quidem à ſtatus conſiliis

Mox à ſtatus conſiliis, non exigua quidem cum penſione renunciauit. Quod munus non niſi qui & fide in Principem, & ſingulari ſolertia præſtarent, cōſequebantur. Mantuanis verò curię ita vacare illum volebat, vt externis etiam negotiis eius opera vteretur. Atque hoc quidem anno illum Venetias allegauit, vt quædam cum eo Senatu momenta tranſigeret. Quibus ad votum confectis, præclara quadam honoris teſtificatione accepit egregium virum Princeps: donatis nempè ſuæmet domus inſignibus obſignauitque

Et honeſtatur Mantuanæ domus inſignibus. ea de re diploma, quod illi, dum adhuc Venetiis moraretur, miſit. Has verò literas, Ducis ipſius ſtylo, non quidem ineleganter conſcriptas, quòd honorificentiſſimæ, & Gemmæ in Mantuanos Principes promerita recenſent, lubet hic ad poſteritatis documentum exſcribere. Sic autem habent.

Ferdinandus Dei gratia Dux Mantuæ, & Monferrati &c.

Nihil nos maiori delectatione afficit, quā viros præſtātes, ac de nobis benemeritos gratiis, & honoribus proſequi. Quamobrem cùm animo recolamus, quantæ in inſigni, & eruditiſſimo Viro, Illuſtrique, & admodum Reueren. Domino Fulgentio Gemma, Abbate Sanctæ Barbaræ Vrbis huius noſtræ, virtutes eluceant, quantaque eius, cùm in nos, tùm in vniuerſam familiam noſtram merita multis exiſtant nominibus, potiſſimùm verò ratione antiquę, diuturnęque, atque aſſiduæ ſeruitutis, quam ſumma fide, prudentia, ac animi integritate, parique cum laude Sereniſſimę Duci Ferrarię, recolendæ memoriæ amitæ noſtrę obſeruandiſſimæ: deindè verò Sereniſſimæ Principi Eleonoræ, ſorori noſtræ, nūc Dei gratia glorioſiſſimæ Imperatrici, & Dominę noſtræ Colendiſſimæ in adminiſtrandis præcipuè ſanctiſſimis pœnitentię, & Euchariſtię Sacramentis præſtitit; & quam itidem Sereniſſimæ Coniugi noſtrę, ac nobis ipſis, vt ſupra, multis iam annis magna tàm Celſitudinis prædictæ, quàm animi noſtri approbatione præſtat. Eundem propterea Illuſtrem, & multum Reueren. Abbatem dignum duximus, quem honore infraſcripto ad optimum in eo voluntatis noſtræ teſtimoniū decoraremus. Hòc igitur decreto pro arbitrio, & abſoluta poteſtate, quibus in Vrbe hac noſtra, vniuerſaque eius Ditione publicè fungimur, ſcientes volentes, vltrò, conſultòque ipſius Abbatis inſignia Aquila nigra, dextrorſum cōuerſa, & vtramque alam expandente, quam ex noſtris gentilitiis deſcriptam eſſe, declaramus; lubenti animo ornamus: ac ipſimet Abbati poteſtatem facimus, in futurum Aquilam ipſam in inſignibus familiæ ſuę geſtare omninò valeat, prout infra inſignia ipſa pictoris arte depicta ſunt. Sic enim eidem Abbati ad maius tàm ſuimet perſonæ ornamentum, quàm beneuolentiæ in eundem noſtræ teſtimonium concedimus: decernentes propterea, omnia, & ſingula, quæ obſtare quouis modo poſſent, nulla eſſe. Eis nanque pro arbitrio, & abſoluta noſtra poteſtate ante dicta derogamus, ac derogata eſſe volumus. Datum Mantuæ octauo Kalen. Februarii 1625.

Ferdinandus Dux.

Nihil hac Sereniſſimi Principis in Fulgentium voluntate luculentius, qua ille mutuata à Gonzagis teſſera, ac veluti ad inclytam Gentem adoptatus, quem virtus non mediocriter illuſtrauerat, viſus his etiam inſignibus nobilitari. Elato deindè Ferdinādo Catharinę Medicææ viduæ adfuit, rexitque cùm ſpiritum, tùm externas eius curas omnes.

Hos quidem hoc anno dignitas à Sodalitate auulſit, pleroſque autem mors; inter quos, qui cœteris in Ordine profeſſione maior erat, grandi quidem natu, vt octoginta annos excederet, Neapoli è vita migrauit. Nomen huic Gabriel Lotherius, honeſtis natalibus Neapolitanus; vir ſanè cùm laude nominandus, diuina, humanaque literatura apprimè inſtructus. Cum Theologiæ ſplendore ſacrorum etiam Canonum eruditionem, ſtudiumque moralium diſciplinarum coniunxit. In ſacris prætereà vtriuſque ſacri inſtrumenti paginis verſatiſſimus; Cuiuſmodi ſtudiis

Gabriel Lotherius moritur.

Eius ſtudia

non

non exiguo quidem adiumento fuit linguarum peritia. Ad hæc priſci œui, ſacræque totius antiquitatis cum primis ſciens. Hiſtoriarum monumenta, ac gentium omnium facta, moreſque percurrerat, retinebatque vel in ſumma deindè ætate tenaciùs. Ab hac eruditione commendatiſſimus Cardinali Geſualdo, Archiepiſcopo Neapolitano, impoſitus præcipuè ab eo fuit vnà cum aliis, eruditione conſpicuis, librorum impreſſioni. Semel Neapolitanis typis excuſus liber, qui Eccleſiaſticæ libertati non minimùm detraheret: & quòd ſubſcriptum Lotherii nomen Romana cenſura deprehenderit, accerſitus is Romam eſt; veluti doctrinæ adſtipulatus. At non is erat vir doctiſſimus, ac diuini iuris æquè conſultus, ac tenax, vt quid Pontificiæ poteſtati diſſonum diſſimularet; ac facilè oſtendit, fucum ſibi factum; atque alterum quidem exemplar prælo datum, quàm quod ipſe accuratè inſpexerat, ac probauerat. Doctrinarum præſidiis acceſſerat admirabilis vitæ, morumque integritas. Sui præſertim Inſtituti ſeruantiſſimus. Pſalmodia interdiù, noctùque inſiſtere: ac nocturnum quidem odéum viſus ad ſupremam vſque ſenectutem frequentare. Nam biennio antequam excederet, exhauſtis iam corporis viribus, abſtinere matutinis laudibus oportuit: moremque ſuũ vt retineret, id impetrauit, vt feſtis ſaltem diebus cum aliis conueniret: reliquis verò per hebdomadam feriis eadem, qua cæteri, hora priuatim recitabat: idque eo quidem ſpiritu, ac vocis contentione, vt penè caneret. Scilicet, id illi familiare, preces, quę voce concipiuntur, quadam externæ dictionis alacritate pronunciare: ita vt interdum geſtu etiam ardens animi ſtudium, ſenſumque liquidiſſimæ voluptatis exprimeret. In rerum cœleſtium contemplatione aſſiduus, ac multus; & ne deuexa quidem ætate commune cum aliis commentandi tempus, locumque viſus vnquam omiſiſſe. Si ab actiore interdum hyeme defectus iam ſenex detineretur, quominùs veſpertinæ in Eccleſia orationi cum aliis intereſſet; licere id ſibi, niſi impetrata priùs à Præpoſito facultate, nolebat. In Dei Matrem ferri peculiari quodam ſtudio videbatur. Proxima illi in Diuum Ianuarium, Neapolitanæ Vrbis Tutelarem, obſeruantia, de quo ad Romani breuiarii formulam preces horarias compoſuerat, quæ in Sanctorum Apoſtolorum cœnobio extant. Cellæ ſolitudine, receſſuq. maximè gaudebat: raro domo egrediebatur; idque niſi in proximorum compendium. Eximius illi animi candor, ac caſtimonię ſtudium. Liceat hinc illã cõiectari, quòd aliquãdo, vt à diuturno morbo cœli mutatione conualeſceret, in ſuburbanam fratris villam amandatus, vt quodam lecto noluit; quòd in ſuſpicionem venerit, iacuiſſe inibi fœminam: maluitque ſolidæ noctis incommoda tolerare, quàm communem habuiſſe aliquando cum muliere lectum. Denique vitam ita inſtituit, vt ob oculos cinerem ſemper haberet, in quem mortalitas finit. Cõmentariolum ſibi confecerat eorum, quæ in vitæ confinio recitari, atque inſuſurrari ſibi maximè cuperet: occurritq. hoc apparatu ſuę morti, quam dierum plenus religioſè obiit in Neapolitana Sanctorum Apoſtolorum domo. Vbi eodem hoc anno exceſſit è viuis Stephanus Mariana, Bergomas, è laicis fratribus, ſeptuagenario maior, non mediocris planè vir virtutis. Natus hic ad laborem videri potuit. Nam cùm intelligeret, Patrum ſe miniſterio, ac domeſticis operibus addictum, nunquam viſus, aut otiari, aut defatigari. Diù panificium exercuit ſolus, quod non exigui quidem laboris: quo etiã tempore excitandi ad antelucanas laudes fratres officio fungebatur: feſſumque diurna contentione corpus, reficiebat noctù breuis admodum quies. Ad hæc, & alia domi obibat munera; & modò ſufficeret tempus, nulli non aderat fratrum commodo, ac neceſſitati: vrgente nimirùm charitate, quę illi virtus commendatiſſima. Externis verò curis ita vacabat, vt ſua eſſent precibus, ac contemplationi tempora. Addictus quippè orationis ſtudio vſque adeò erat, vt mirum certè videri poſſet, actuoſum oppidò virum, ac nullis non horis occupatiſſimum, tantùm poſſe interiori homini, ac mentis exercitationi tribuere. Mundiciem æquè animi, ac corporis adamauit. Coniectari ab his, quę excidere illi aliquando, verbis facilè potuit, integram pudicitiæ laudem ab incunabulis ad obitum vſque ſeruaſſe. Excolebatque florem hunc afflictatione carnis, atque extra ordinem ieiuniis: idque vel fatiſcente à ſenio corpore. Tentari acriter extrema præſertim vita podagra, ac chiragra ſolitus fuit; edebatque in peracerba ea exercitatione inſignis tolerantiæ documenta. Commiſe-

rati

Et vitæ innocentia.

Et inſtituti obſeruãtia.

Et orationis ſtudium.

In Deiparam, ac D. Ianuarium pietas.

Stephanus Mariana vita fungitur.

Vir laborioſiſſimus.

Pudicitiæ corporis maceratione cauet.

Digitized by Google

rari perhumaniter Patres, hoc illi adaugere quodammodò morbum, ac dolores videbatur. Ita ſiquidem moleſtiſſima ea corporis incommoda ferre cupiebat, vt perſuaderet ſibi quiſque, in tenui laborem eſſe: minuebatque ipſe ſibi morbum ea potiſſimũ cogitatione, quòd alii alia tolerarent longè grauiora; nec præſidia interdum adeſſent, quæ malum ſiſterent, aut mitigarent. Eiuſmodi verò ærumnis conflictatus, affixuſque lecto, id tantummodò dolebat, quòd feriari cogeretur, ac veluti marceſceret otio, quando in communi operum partitione ſuas quiſque partes peragerent. Inerant prẹterea viro egregio cœtera virtutum præſidia, in quorum vſu cõſenuit, ac piè mortuus eſt, ſuperſtite apud noſtrates eius innocentiæ fama. Sepultus in communi Sanctorum Apoſtolorum cœmeterio; ſed ſeparato in loculo, ab excellentis nimirùm virtutis opinione.

Eius in morbis tolerantia.

Contigit hoc item anno Genuę Viri cùm à noſtris, tùm ab exteris ab inſigni vitæ probitate, ac virtutum ſtudio commendatiſſimi funus; nempè Auguſtini Maynerii Genuenſis, cuius exitus ab œuo quidem haud immaturior, vt qui ſexagenario maior exceſſerit; ſed ab impigra, ac frugifera in rem cõmunem opera dici iure poteſt, accidiſſe Diui Syri cœnobio peracerbũ. Vir planè fuit Maynerius Theatini moris, addictuſque præſertim paupertatis ſtudio. Nihil in cellulæ cultu nõ ad ſtrictiorem diſciplinæ rationem. Veſtes nunquam non detritæ, ac laceræ, craſſæque. Reliqua ſupellex; quæ arctæ cuidam vitæ vix ſufficeret: eoque defuncto, niſi quę præſenti vſu tereret, nihil prætereà indumentorum repertum in cella fuit. Reſpõdebat externæ huic paupertati intima animi demiſſio, ac humilitas. Exiſtimationem, famamque, ac ſpecioſa quęque munera deſpicere: infima domi opera obite; ægrotantibus præſertim vel in-uiliſſimo eorum miniſterio adeſſe, quorum deindè corpora, cùm excedere contigiſſet, curare ſua ipſe manu, lauare, induere, atque ad ſepulturam cohoneſtare ſolitus erat. Probata iniuriis, ac probris eius humilitas. Nam cùm neſcio qua ſpe commodi vir quidam cecidiſſet; tatus Maynerio auctore id accidiſſe, inuehi peracerbis in illum dictis, non ſine famæ dehoneſtamento cœpit. Quę Dei ſeruus ſingulari modeſtia excepit: diffluxitque mox ipſa humilitas, ac ſui demiſſio procellam. In edomando etiã corpore ſtrenuus erat, ac acer. Contextam ex ſetis ſubuculam in deliciis habebat. Nã vulgare cilicium penè quotidianum illi geſtamen: addebatque canetulas, multa cuſpide conſertas, ac horridas. Hiſce blanditiis acceptum corpus, alebat etiam lautiſſimè inedia, ac fame: nec ſomnus illi prolixior, ac mollior. Adeò multus erat in nocturna rerum cœleſtium contemplatione, piorumque librorum per idem tempus lectione; vt parciſſimè quieſceret; & quòd nullus vnquam inſtratum eius lectulum viderat, communis perſuaſio ea erat, vt perbreuem ſomnum ſedẽdo caperet. Cũ odèo frequens adeſſet, vt licet in curanda re proximorum occupatiſſimus, tùm matutinis maximè laudibus nunquam deerat; dabatque præſertim operam, vt priſcus rigor iis tempore canendis conſtaret. Nam quem, vti modò dixi, non falleret ſomnus, ſi quid forte morę in excitandis ad antelucanas eas preces Patribus, trahi aduerteret; aderat illicò, monebatque officii fratrem, cui id curę erat: eiuſque interdum morę impatiens, pulſ. to ære campano, edebat ipſemet ſignum. Porrò, vt ſua in canonicis horis perſoluendis tempora adamuſſim ſeruarentur; ac perpetua quædam eſſet ędituis per omnes anni vices, ad quam conformarentur, tabula; commentariolum ipſe deſcripſit, in quo ad priſci œui morem eiuſmodi horas deſignauit. Ad hæc, vt ſuus etiam cuique diei feſto cultus eſſet, anni ferias accuratè in eo diſtinxit; adnotauitque, quo quæque ritu, ornatuque peragendæ: quæ item ſupellex, quæ ſacra inſtrumenta pro ſingularũ ſolemnitate altaria, celebritatemque exornarent: vt nihil ad ſacrorum ordinem, diſtinctionem, gradum opportunius. Scilicet vir erat Maynerius in rerum diuinarum; templique cultum amplificandum egregiè animatus. Nihil illi prius, quàm vt nouo ſemper ornatu niterent ſacra. Adaucta eo auctore pretioſa ſacratii ſupellex: additũ aris cælatum inſigni opere argentum: ſumptuoſa quædam texta auro, ac ſerico aulæa vt reliquæ templi magnificentiæ accederet, curauit: denique nunquam non alia ex aliis ad ſacrorum nitorem ornamenta cogitabat. Pręcipua quędam illi tractandorum animorum facultas inerat; valebatque familiari quadam, piaque eloquentia, qua temperare mortalium pietatem, ac mores, eorumque pro arbitratu ſuo mentes flec-

Auguſtinus Maynerius deſideratur.

Eius paupertas.

Et corporis afflictatio.

Nocturnam pſalmodiam curat.

Et reliquum Numinis cultum.

Eius in animorũ ſectione vis.

Digitized by Google

flectere,quò vellet,probè nouerat. Accurrebant proindè ex omni hominum cenſu viri, eique ſuæ conſcientiæ habenas certatim permittebant. Hos ille pro virili parte ad omnem virtutem inſtituere, ac pleroſq. ad religioſæ etiã vitę rationes mira quadã arte impellere: vt numerentur hodieque ſatis multi,qui eius induſtriæ, ac facundiæ eiuſmodi beneficium acceptum referant. Quos autem in ſui clientelam acceperat,cũ omni officiorum genere proſequeretur, accuraretque perdiligenter eorum commoda, tùm in morte præſertim aderat, afferebatque opportuna à piis adhortamentis, atque à tolerantię commendatione ſolatia, Quòd ſi ſupremò decumberent, atque inſtare fata contigiſſet; tunc enimuerò flagrare in eo charitas vehementiùs videbatur. Moribundis ſolidas noctes indeſeſſo quodam ſpiritu excubare, non cibus, non ſomnus illi curæ: iuuabatque anxiùs,quà verbis,quà precibus ſupremã vitã. Quod pietatis officium & cum aliis etiam promiſcuè exercebat, eodemque omnes ſtudio complectebatur. An verò ſuccederet cum operæ fructu labor, mali dęmones; qui eo potiſſimùm tempore conatus & ipſi ſuos contendunt, commonſtrabant. Diuexare ſiquidem Maynerium,ac variis afficere moleſtiis,eiuſque miſcere ſpectris, ac laruis cellulam,vt ab ea pietate abſterrerent,ſoliti erant. Patebat verò latiùs hæc eius charitas; ac communem præſertim inopiam dici vix poteſt, quanto cum ardore animi procuraret. Vt pauperibus intra Diui Syri parœciam bene eſſet,viros proceres, matronaſque,vt iis liberaliter adeſſent,adhortandi finem nullum faciebat:eiuſque opera inſtitutum,vt quæ in noſtra eccleſia in concionibus per annum erogantur eleemoſynę,iis etiam cederent. Quod verò eiuſdem parœcię pueri ob Patrum inopiam vacare literis minimè poſſent,ſcholas ipſe inſtituendas, curauit,ſumptuſque ab eiuſmodi nobilibus viris,ſui nempè ſtudioſis,ſuppetebantur. Sodalitium, quòd à ſudariolo vocant, inſtituit; eorum nimirùm alendę inopiæ,quos ſuos intra parietes pudor contineret. Id ſodalium Inſtitutum. Sudarium,in quo picta pietas, manu geſtantes, bini frequentiora Vrbis loca adeunt,ac ſtipem quæritant. Hoc ipſum & nobiles fœminę, binę etiam, inter fœminas faciunt. Collectitia hæc pietas honeſtis deindè eiuſmodi viris,qui de gradu ita cecidere, vt mendicare erubeſcant,diſtribuitur. Laudatiſſimũ planè opus,debeturque Maynerio: qui auctor etiam fuit, vt reualeſcentium noſocomium excitaretur,quod inter pia Ciuitatis opera ſanè non vltimum, cœleſtibus indulgentiarum muneribus locupletatum, quorum gratia ab Auguſto etiam Senatu quotannis inuiſitur. His aliiſque charitatis officiis proximorũ ſtudia demeruit Maynerius; ac tandem laboribus,ac ſenio confectus, vitæ innocentiam,ac probitatem pręclara morte comprobauit: oſtenditque communis omnium cùm domi,tùm foris ſenſus,quàm religioſus,& quàm fructuoſus ſuis,atque exteris ſacerdos exceſſerit. Abiit ſub hoc tempus ad pauciores & laici Ordinis frater in Tuſculana domo noſtra ab Inſtituti obſeruantia,morumque integritate commendatus. Nomen illi Franciſcus Damorius,Neapolitanus,cui vt in Beati Andreæ vita explicaui,nondum inter noſtros adoptato, Andreas ipſe obiiciens ſe ſe noctu, peccatum, quod ante quadriennium perpetrauerat,in mentem reuocauit,vt ritè expiaret. Quo quidem Andreæ monitu, ac præſidio vitam inſtituit à communi hominum conſuetudine longè aliam: aggregatuſque mox ad Ordinem,in eo regularis diſciplinæ exercitio, nullum non eximiæ virtutis ſpecimen dedit. Supremo vitæ agone conflictandum illi comminùs fuit cum communi hoſte,qui vehementiore quodam impetu periclitari religioſi pectoris conſtantiam, vigoremque voluit, ac nullam non adhibuit artem, ac machinam,vt deiiceret. Sed vicit Franciſcus Tutelaris angeli ope,qui clientem ſuum aſpectabili ſui pręſentia,ac vi palam iuuit: addiditque is tot vitæ laboribus hanc etiam palmam,quam cœlo mox intulit defunctus vita.

Moribundis dat operam.

In pauperes charitas.

Inſtituia ab eo pia opera.

Franciſcus Damorius diem obit ſuum.

Supremo ſpiritu luctatus cum dæmonę.

Illum triumphat.

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER DVODECIMVS.

Neapolitanū B. Andreę patrocinium.

VOLVITVR annus ſecularis ſacer, quintus, & vigeſimus ſupra milleſimum ſexcenteſimum, qui noſtræ Congregationis ſecundus eſt ſupra centeſimū, ſtatimq. obiicit ſeſe denarrandus collatus B. Andreæ Auellino à Neapolitanis honor; præcipuus is quidem; at non ſupra Beati Viri promerita. Anno ſiquidem poſtquam relatus in Beatorum numero eſt, Septembri menſe, inſigni ſuffragatione, concentuque animorum inter Neapolitanę Ciuitatis Patronos adoptatur. Quod quidem non mediocri admirationi fuit; quando poſt Diuum Ianuarium, alioſque celebrioris ſanctimonię Diuos vix vni Thomæ Aquinati; inclyto nempè illi ſapientię, ac ſanctitatis apici is honor contigit; idque poſt multarum ętatum ſpatia, tertio, ſcilicet, poſt ſeculo, ex quo relatus in ſanctorum concilio fuerat. At Andreas, vbi de ſolenni populorum approbatione, cultuque agitur, viſus neſcio quonam pacto communi ſolutus lege, breui promeritus, quæ alii vix diuturno temporis curſu ſunt aſſequuti. Igitur exantlatos ab eo Neapoli labores, nemo non nouerat. Precum verò præſidia omnes penè ſummi, infimi experti iam fuerant: ita vt tacito quodam iure hoc publici patrocinii decus depoſcere ſibi videretur Beatus Senex. Planè, nihil hactenùs obſeruantiæ, atque obſequii diſſimulauerat grata Ciuitas; & quod ad Romanæ Sedis iudicium de eius ſanctitate ſpectat, nulli officio pepercerat; ſuoque potiſſimùm nomine negotium, ceu ſuum nauauerat. Reliquum hoc erat, vt communi illum tutelæ imponeret, augeretq. noua hac clientela præſidia ciuium. Id mentis, vti viri quidā proceres in omnem Auellini gloriam intēti, conceperant, ita noſtris ſignificarunt; ſuamque polliciti ex animo operam, conſulere cum iis in medium cœpere, quam potiſſimùm maturandę, cōficiendæque rei viā inirent. Explorandum, fuſis ad Deum precibus, conſilium, duxere noſtri. Scilicet, vbi non vnius nutu res agebatur, ſed plurima conferri capita, ac ſententias, oportebat; nihil propius erat, quàm abire in partes, ac ſtudia in contraria multitudinem: proindeq. emolliendę orationis ope difficultates erant. Die Septembris decima nona, Diuo Ianuario, præcipuo Neapolitanorum Tutelari ſacta, ingenti quadam fiducia, veluti aſpiraret cœptis Numen, iterùm agitata res eſt; eòque loci adducta, vt nihil cunctādum exiſtimauerint Viri illi proceres, quando communis quædam propenſio, ac ardor proſperiorem euentum polliceretur. Igitur, vti Neapolitanorum mos eſt, cùm grauiora expediri momenta rerum contingit, indicti ſua per ſedilia conuentus inter ipſas Diui Ianuarii ferias: nempè vt Tutelarium Diuorum Princeps adoptare & ipſe inter Patronos Andream videretur. Manauit hæc in vulgus fama, affecitque vſque adeò omnium animos, vt nullum non vellicaret peracre deſiderium, ac mora. Iam verò, cœtus ipſi eo capitum numero coacti, vt nunquam frequentiùs. Quæ in ſuburbanis villis, atque adiacentibus latè pagis morabatur nobilitas, affluere certatim, veluti nō tàm Andreæ, quàm ſuæ glorię eo ſuffragio velificarent. Qui nondum publicis eiuſmodi comitiis intererant, in omen traxere, primum calculum Auellini obſequio addixiſſe. Emancipati item à Parentibus filii familias, vt agmen augerent, creſceretque à celebritate plauſus. Eodem temporis momento inita iſthæc nobilium concilia:

Et inſtitutis comitiis.

nam populus poſtridiè coactus. Excuſſæ, quas haberent, cauſæ, Andream inter Ciuitatis Patronos numerandi. Quæ facere, quæ pati fortia in commune Vrbis bonum Vir præferuidus voluerit; viuentis labores, poſthumam in Neapolitanos munificentiam, incitatiſſima Ciuium ſtudia, corporis exuuias ad inſigne munimentum, ac decus eo

qui-

quidem affectus,ac dictionis certamine recenſita,vt admirabili quadam conſenſione in eã ſtatim ſententiam omnes iuerint,nouam,ac nonam hanc Tutelam in Neapolitanis faſtis adſcribendam. Id quod quanta cum omnium ordinum gratulatione exceptum mox fuerit,nulla profectò oratio exæquauerit. Poſt publicos à Romana Sede honores ante annum decretos,alter hic fuit Andreę triumphus, quem in omnium animis,linguis,acclamationibus duxit: cumularuntque communem lætitiam Decius Cardinalis Caraſa Archiepiſcopus,& Albæ Dux,Regni Prorex; vterque Beato Viro addictiſſimus. Conſignanda hæc ſolenni ritu publicis tabulis fuere: ac dictus functioni dies eiuſdem Septembris menſis vndetrigeſimus, Archangelo Michaeli ſacer; planè non ſine Numinis nutu,vt ſicuti memoratum alibi eſt, qui vulnerato non ſemel vultu Virgines propugnauerat,Diui Michaelis clientelæ, ac fidei commendatas, in poſtea communem haberet cum eodem Angelorum Principe ſolennitatis, ac lætitiæ diem. Lecti, qui Ciuitatis nomine intereſſent, (Deputatos vocant) ad D. Pauli conuenere. Locus illis ante aram principem, aulæis conſtratus: ſingulis ſingula puluinaria,ac ſedilia quàm potuit ſplendidè appoſita. Ara ipſa ornandæ ſumptuoſiùs celebritati pretioſiore ſyrmate conueſtita: cultus denique omnis, qualem gaudiorum ratio poſceret. Facti præterea,vt cùm maximè, populorum concurſus: ætas,ſexus,ordo omnis efferbuit: ſcilicet, vt non vnus, aut alter teſtis, ſed tota ipſa Ciuitas tabulas obſignaret. Componi vix potuit viſ illa mortalium: ac tùm quidem grandiore quadam voce cœptum perlegi inſtrumentum. Fauere omnes linguis, aureſque arrigere: ad Andreæ nomen, collatumque commune patrocinium ingentes animorum motus facti; viſæque paſſim immixtæ gratulationi lachrymæ. Inſtrumentum hoc debere hic nolui, vt flagrantiſſimæ Ciuitatis conſilium in aſciſcendo inter Tutelares ſuos Andrea inſpiciat propiùs lector; percurratque rei ſeriem, conceptaſque à Sanctiſſimi Viri auſpiciis communes Neapolitanorum ſpes. Sic verò habet.

In Dei nomine. Amen. Anno Iubilæi à Natiuitate Domini 1625. die verò vigeſima nona menſis Septembris, indictione nona, regnante Catholico, & inuictiſſimo Domino noſtro,Domino Philippo Quarto de Auſtria,Dei gratia Rege Caſtellæ,Aragonum,vtriuſque Siciliæ,Hieruſalem,Vngarię,Dalmatiæ,Croatiæ,ac Portugallię &c. Anno eius quinto feliciter. Amen. Nos Ioannes Leonardus de Auliſio de Neapoli,Regius ad contractus Iudex,Franciſcus Antonius Stinca, de eadem Ciuitate Neapolis, publicus vbilibet per totum prædictum Regnum Siciliæ citra Farum,regia,& vbique per totum Orbem Apoſtolica auctoritate Notarius, & teſtes ſubſcripti ad hoc ſpecialiter vocati,atque rogati,præſenti ſcripto publico declaramus,notum facimus, & teſtamur,quòd prædicto die cum licentia ad maiorem cautelam obtenta à Reuerend. Vicario Generali Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Decii Cardinalis Caraſæ, Archiepiſcopi Neapolitani; Conſtituti in noſtri præſentia Neapoli in templo D. Pauli maioris,quod incolunt Admodum RR. PP. Clerici Regulares; ſeu Theatini,& propriè ante aram maximam dicti templi, vbi aſſeruatur Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, infraſcripti Deputati à ſingulis quibuſque Nobilium huius fideliſſimæ Ciuitatis ordinibus,ſeu Sedilibus: nec non à fideliſſima Platea Populi ad præſentem actum, vt infra, videlicet,pro Sedili Portæ Nouæ Ioannes Iacobus Coppola,Princeps Gallicchii, miles Sancti Iacobi de Spada,D.Flaminius de Conſtantio,Iudex M.C.V. Aſtorgius Agneſe, Antonius de Ligorio,& Marcus Antonius Mormile: pro Sedili Capuanæ D. Leonardus Toccus, & Franciſcus Piſcicellus: pro Sedili Portus, Scipio Pappacoda Præſidens Regię Cam. Sum. Ioannes Vincentius Strambone, & Ioannes Vincentius Macedonius quondam Andreæ; pro Sedili Nidi D. Aloyſius Caraſa de Marra, Oſtiliani Princeps,Dux Sabionetę,miles aurei velleris &c. D. Troianus Spinellus,Princeps Oliueti, Aſcanius Caraſa, D.Lęlius Gallutius, Ioſeph Milanus,Thomas Caraſa,Aſcanius de Bononia,Scipio Milanus,Marius de Bononia,& Octauius Brancatius: pro Sedili Mõtaneę Ioannes Franciſcus Sanfelicius,Regius Conſiliarius,Fabius Cicinellus. Octauius Muſcettula,Franciſcus Roſſi,Cœſar Coppola,Ioannes Surgente,Carolus Miroballus,& Ioſeph Muſcettula: pro Platea Populi V.I.D. Ioannes Baptiſta Apicella,Electus,& Deputatus, V.I.D. Ioannes Laurentius de Agoſta, V.I.D. Ferdinandus de

Refertur ſolenni ritu in tabulas.

Quę recitãtur

Ferdinando, V. I. D. Paulus Faſanus, Artium, & Medicinæ Doctor Iulius Cœſar Porcelli,, Iacobus Pintus, actorum Magiſter M. C. V. N. Grammatius Amodeus, Ioſeph Palmiſanus, Marcus Maranta, Ioannes Andreas Baſſus, & Marcns Antonius Ranucius: omnes prædicti Deputati, vt ſupra, publicè declaranerunt, hanc fideliſſimam Ciuitatem ex eo prorsùs tempore, quãdo ex humanis deceſſit Beatus Andreas Auellinus, Clericus Regularis, quod fuit anno milleſimo ſexcenteſimo octauo, ſemper maxima veneratione erga eundem Beatum fuiſſe affectam: Conſiderando, ſcilicet, quòd non ſolum illi contigiſſet, in hoc eodem Regno ortum habuiſſe: ſed quòd etiam in hac fideliſſima Ciuitate, Regni totius Metropoli, per ſexaginta ferè annos demoratus: quodque cũ maxima eſſet erga Ciuitatem charitas, in eo ſexaginta annorum ſpatio, multa ad Dei gloriam, & animarum ſalutem egregia patraſſet, ſummo ſui labore, ac ſudore: nec enim aliquid vnquam intentatum reliquiſſet, quo poſſet proximos ad virtutis ſemitam dirigere; & quomodò ne ſanguinia quidem proprii fuiſſet auarus, quem effudit abundè, ſemel, & iterũ in facie ſauciatus pro ſacrarum Virginum tutela ſibi commendatarum; verſando inſuper animo cœleſte beneficium, quo fuit inſignita cùm & hic quoque prædictus Beatus diem ſuum clauſiſſet extremum: vnde factum eſt, ipſam pretioſo corporis ſui theſauro fuiſſe ditatam; & ſanguine, qui ex triduo mortui cadaueris fuit expreſſus, quem pluries vidit in anniuerſario obitus ipſius colliquefactum; admirantibus inſuper oculis intuendo quanta, & qualia ad eius ſepulcrum quotidiè patrarentur miracula, quorum in dies ſingulos magis, magiſque crebreſcit fama, multiplicatis argenteis ſignis gratiarum, eius interceſſione obtentarum, perennique frequentia ad eius ſepulcrum accurrentium, tanquam ad commune omnium afflictorum refugium. Quorum omnium conſideratione ipſam fideliſſimam Cinitatem excitam, decreuiſſe in tantorum beneficiorum memoriam ipſum in ſuum quoque Patronum ſpecialiter adoptare. Quapropter die vigeſima quarta, & vigeſima quinta huius menſis Septembris infra octauas, ſcilicet, inclyti Martyris, & Epiſcopi Ianuarii Protopatroni, conuocaſſe in ſuis quinque Sedilibus, & Platea nobiles quoſcumq. ac populares, illiſque commune omnium votum propalaſſe aſciſcendi Beatum Andream inter cœteros Vrbis noſtræ Tutelares, & communi voto, cõmunique plauſu ſuffragantes omnes, numeratos penè trecentos, in candem ſententiam coëuntes, maxima cordis lætitia ſtatuiſſe, eligendum cum in certum Vrbis Patronum, & Tutelarem; & ad hunc effectum tranſtuliſſe in prædictos Deputatos poteſtatem omnem ad eius muneris exequutionem neceſſariam: nempè promittendi, iurandi, ſe obligandi, inſtrumenta conficiendi, & cœtera; prout in actis eorum Sedilium, & fideliſſimæ Plateæ latiùs cõtinetur, ad quæ habeatur relatio. Quare prædicti Deputati loco, & tempore, vt ſupra, fideliſſimæ Ciuitatis voluntatem exequi volentes, Beatum Andream Auellinum, Confeſſorem, Clericum Regularem, anno præterito à S. D. N. Vrbano Papa Octauo in Beatorum catalogum relatum, in Patronum, ac peculiarem Ciuitatis Protectorem accipiunt, vt hactenus habuerunt Sanctos Præſules Ianuariũ, Aspren, Athanaſium, Euphebium, Agrippinum, & Seuerum, nec non & Agnellum Abbatem, & Eccleſiæ lumen Thomam Aquinatem: eundemque Beatum humiliter, & obnixè rogant, vt potenti ſua apud Deum interceſſione, primùm Ciuitatem ipſam in auita religione, & vero Dei cultu, quo ab ipſo Apoſtolo Petro, dum Antiochia Romam peteret, fuit imbuta, dignetur conſeruare; tùm vt Catholicum Regem Philippũ Quartum, fidei propugnaculum diù ſeruet incolumem; Ciuitatem poſtea ipſam in antiqua erga Regem ſuum fidelitate corroboret: bella, famem, peſtilentiam, morbos omnes quàm longiſſimè ab ea auertat: ciuica inter ſe diſſidia conciliet: erumpentem fortè quamcumque ſeditionem extirpet: Magiſtratuum, iuri reddendo præpoſitorum mentes illuſtret: & omnia denique perficiat iuxta debitum ei erga nos paternum Patrocinium.

Quam electionem, & ſuſceptam protectionem prædicti Deputati iuramento confirmarunt, tactis Sanctis Dei Euangeliis, & me prædictum Frãciſcum Antonium Stinca, publicum Apoſtolica, & Regia auctoritate dictæ fideliſſimæ Ciuitatis Notarium rogauerunt, vt hæc omnia ad futuram rei memoriam meis tabulis conſignarem. Poſtea acclamante Populo, ac Beati nomen ſæpiùs iterante, & ad ſua vota inuocante,

Præ-

Prę́ſentibus Iudice Ioanne Leonardo de Auliſio Regio ad contractus; D. Petro de Toleto, Marchione Manſerę, Regente Magnæ Curiæ Vicariæ, D. Fabritio Carafa, Duce Andriæ, D. Fabritio Carafa, Principe Roccellæ, milite aurei velleris, D. Ferdinando Spinello, Principe Tarſiæ, D. Fabio Carafa, Principe Colubrari, Donato Antonio Loffredo, Duce Nucariæ, Marco Antonio Caracciolo, Marchione Motulæ, D. Ioanne Carafa, Duce Noiæ, Octauio Caracciolo Principe Floreni, D. Carolo Tocco, Comite Montiſaperti &c.

His peractis teſtata illicò lætitiam bellica ad templi fores tormenta, ac tubæ, quibus accinuit ſacri ęris concentus. Tùm, Præpoſito præeunte, hymnus Eucharisticus modulatè dictus: poſtremò recitata ritu eccleſiæ oratio, in qua poſt octona Tutelarium Diuorum nomina indigitatus Andreas, recenti Vrbis patrocinio initiatus. Nec defuere continuandę gratulationi ea ſubindè veſpera, ac duabus conſequentibus feſti è turribus, tectiſque ignes, & campani æris in præcipuis Vrbis Eccleſiis ſonus. Porrò quod ritè modò actum, non ita multò ante inſignis quædam ſanctimoniæ fama monialis, abrepta vi contemplationis, ſemel, ac iterum in ſpiritu viderat. Ac primò quidem poſtquam Eucharisticum corpus ſumpſerat, facto mentis exceſſu, videre ſibi viſa eſt Andream ad Chriſti Domini pedes genibus nixum, qui ſingulari quodam affectu dextera Congregationem ſuam, ſiniſtra verò Neapolitanam Ciuitatem complectebatur. Interpretata illa eſt, æquè vtriuſque patrocinium exercere cœlo Andreā: & qui tutandæ inclytæ Vrbi electus à Numine videretur, fore, vt illum homines etiā Patronum renunciarent. Iterum, poſt diuini etiam Corporis Epulum, ecce tibi piiſſima Virgo clato quodam mentis intuitu Saluatorem vidit, qui Ianuario, ac Thomæ Aquinati iuberet, vt medium Andream Auellinum acciperent; tùm niuea indutum veſte, ad reliquos Tutelares aggregarent. Quod factum non ſine quadam liquidiſſimæ lucis affuſione, quæ locum, Diuoſque irradiauit: oſtenditque viſum, decretum, confectumque iam cœlo, quod mortalium deindè comitia conſignarunt. Collatam verò Andreæ Vrbis cuſtodiam proſequuti eo etiam honore Neapolitani ſunt. Proximè ſiquidem inſequente anniuerſaria eius luce, quę celebrata etiam quàm magnificentiſſimè à noſtris fuit, inſigne Labarum recenti Patrono dedicarunt, in quo Beatus ipſe, ad viuum pictus, delineatam infra Ciuitatem tueri ſolicitè videbatur; quod mox è templi fornice ſuſpenſum, tubarum ſonitum habuit, atq. ænea tormenta, quę plauderent, atque intimam omnium lætitiam adaugerent.

Prænuntiatur hęc Andreæ tutela, ſemel,

Ac iterum.

B. Andreę Labarum Neapolitani dedicāt

Interim nauandam operam perſuaſit ſibi Ordo Neapolitanus, ac Populus, vt quē do inter Patronos Auellinum aſciuerant, amplificata eius religione, reliquorum inſtar Tutelarium officium de eo, ac miſſa per Ciuitatem, ac Diœceſim recitaretur. Deindè vt in templi Maximi ædicula, quam Theſaurum vocant; vbi Patronorum ille veluti Senatus accipiendis mortalium votis, ceu ſua in aula ſedet, eius etiam reliquiæ, ac ſimulacrum ſolenni ritu reponeretur. Ac primùm quidem Auguſtorum Patrum conſulto, ac Pontificis nutu decretum, vt eodem ritu, ac de Diuis aliis Tutelaribus Neapoli, ac per Diœceſim officium, ac miſſa de Andrea vniuerſim celebraretur. Id quod Beato, non dum Sanctorum faſtis adſcripto, inſolens quidem videri potuit. Siquidem, amplificatis ritè ſacris, euadere in ſolennem quandam Apotheoſim cōmunis ea religio videbatur. Alterum verò de reliquiarum tranſlatione ſuos habuit, oborta controuerſia, ſcopulos; ſed his ſubindè prætervectis, feliciter enauigatum. Et quidem, etſi ab Archiepiſcopo Neapolitano addubitatum aliquantiſper fuit, an Beato, nondum ſolenni ritu, conſuetiſque religionibus inaugurato, decerni publicā ſupplicationem, fas eſſet; præſertim cùm nulla ſuppeterent exempla, quæ ſuaderent: attamen vbi Maximi Pontificis facultas acceſſit, vt quandam è Beati pignore particulam decerperent, eāq. Neapolitanæ Vrbi dono datam, in templo deindè principe collocarent: interpretari omninò licuit, eam fuiſſe Pontificis mentem, vt nonniſi pompa, & cultu, quo deceat tractari publicè ſacra, ea lipſana transferrentur: atque adeò permitti cùm ſolennem ſupplicationem, tùm apparatum, honoremque omnem in eiuſmodi ſolennitatibus exhiberi ſolitum, debere. Igitur, impetrata Archiepiſcopi facultate, dum exeunte iam anno ſolennitati ſe ſe Patres comparant, atque adornatus penè triumphus ille, ac pompa videbatur, enata his eſt, quæ ad inſequentem Martium

Cui & officiū, & miſſa conceditur reliquorum inſtar Tutelarium

Accedit Archiepiſcopi nutus,

rem

Controuerſia cum Patricianis monialibus de loco.

rem diſtulit. Litem Diuę Patriciæ, quod præcipuum Neapoli eſt à nobilitare, ac motum fama gynęcœum, ſanctimoniales intentarunt: ſtudio nimirùm tuendæ ſuę Diuę dignitatis, ac loci. Planè, vt facile eſt, quod vni ſemel conceſſeris, aperto iam aditu, in alios etiam deriuare; poſtquam Neapolitani inter Patronos aſciuere Andream; inſtauratis Comitiis, nouem Tutelarium numero addidere Diuos alios: nempè B. Iacobum Picenum, Diuam Patriciam, & Diuum Franciſcum à Paula. Hos vero, vt tempore Andreas præiuerat, ita debere & loci dignitate iis antiſtare, extra omnem dubitationem, videri poterat: neque alia ſanè, quàm noni Patroni appellatione ab ipſa Ciuitate, quæ elegerat, vocabatur. Nihilò tamen minùs contendere de loco Patricianæ Virgines, ac Pontificem appellare. Nempè Conſtantini magni Cœſaris neptem, peruetuſtam eam quidem, & quę ante mille, & tercentum annos ſanctitatis laude floruit, haud par eſſe, poſt recentem Beatum cenſeri. Hierarchicum rerum ordinem id poſcere, vt quos iam ampliſſima, ac publica religio conſecrauit, ſanctoſque nuncupamus, antecedant; ſequantur, qui ſtrictiore quodam cultu Beati vocantur. Iam, quòd maturari ſolennia, ac translationem cernerent Sanctimoniales, veritæ, ne ſi loci poſſeſſionem in templo maximo ſemel iniret Andreas, caderent deindè cauſa, vrgere negotium Romæ; atque id impetrarunt à ſacro Cardinalium cœtu, quorum iudicio rom Pontifex permiſerat; vt nihil interea Neapoli nouaretur, quoad perorari Romæ cauſam, contigiſſet. Paruere ſtatim noſtri; & qui æquam ſe tueri cauſam arbitrabantur; nihil iis optabilius fuit, quàm Romana Cardinalium ſubſellia ea ſuper re ferre ſententiam. Excuſſo igitur maturiùs negotio, fauente potiſſimùm Neapolitana Ciuitate, quæ ita ſui Patrocinium Beato Andreæ contuliſſe, affirmabat, vt nihil tùm quidem de Diua Patricia, nihil de cœteris cogitauerit. Tandem is fuit Purpuratorum Patrum ſenſus, vt adiudicari Andreæ locus iure omni deberet; conſignaruntque decretum in ea verba.

Romæ inſtituitur.

Et adiudicatur Andreæ cauſa.

> Clerici Regulares Theatini, ſtante aduentu, & pręſentia Illuſtriſs. Domini Cardinalis Boncompagni, noui Archiepiſcopi Neapolitani, quem ſacra Congregatio expectandum cenſuerat, inſtiterunt pro definitione cauſæ inter eos, & Moniales Sanctæ Patriciæ vertentis de, & ſuper nono loco in Cappella Theſauri Eccleſię Neapolitanæ, quem dicti Clerici pro reliquiis, & ſtatua B. Andreæ Auellini, tanquam noni Protectoris à Ciuitate Neapolitana electi, ſibi deberi prætendebant; & Moniales contra pro reliquiis & ſtatua Sanctæ Patriciæ, monaſterii ipſarum fundatricis, vndecimo loco ab eadem Ciuitate in Protectricem electæ, ſibi arrogabant: & licet procurator dictarum Monialium, & ſimiliter Fratres Minimi Sancti Franciſci de Paula, qui pariter in Protectorem dictæ Ciuitatis eſt electus, pro ſuo intereſſe differri cauſam peterent; tamen S. Congregatio in fauorem dictorum Theatinorum, & B. Andreæ Auellini reſpondit; & illi nonum locum deberi, declarauit. Hac die 28. Februarii 1626.

Indicitur translatio.

Decretum hoc, licet poſtea reclamantibus Patricianis, interpretationem ab eadem Sacra Congregatione acceperit; ſumma omnium Ordinum gratulatione exceptum Neapoli fuit; ac feſtinata ſacrarum reliquiarum translatione quæ dicta in diem vltimum Martii menſis, peracta eo quidem magnificentiæ cultu, qui & ampliſſimam Vrbem, & populorum ſtudia, & celebritatem ipſam, ac patrocinii dignitatem deceret. Communi nomine, ac ſuo præſertim ſumptu, collato liberaliter ære, peragi ea ſolennia Neapolitani proceres, & Populus decreuere. Celebratum ſolenni ritu peruigilium. Paulino templo nihil ornatius; quò aſportati è primaria baſilica reliqui Tutelares Vrbis, vt inde ſuam poſtea in Sedem Andream deducerent. Veſpertinæ laudes lectiſſimis vocibus modulatæ. Adfuit Regni Moderator, Dux Albæ pręnobili quidem virorum principum corona; ſedebatque hinc inde togatum, ſagatumque Concilium. Dies ipſa in ſanctioribus habita: ſiluere fora: nullum per Vrbem opificium; fuitque ea omnium cura, frui iucundiſſimo theatro, quod aperire ea die Neapolitana Ciuitas videbatur. Culta vbique fora, viæ, compita,

quà

quà tranſeunda ſupplicatio erat. Quicquid in domibus pretioſi periſtromatis, ac ſupellectilis, ſuſpenſum pro parietibus, ac foribus erat; prætextis supernè velis, atque itinera bellè inumbrantibus. Exarata hinc inde plurima dialecto carmina, elogia, atque omnigena ingeniorum monumenta; vt moraretur erudita ea pompa, oblectaretque mirificè euntes. Excitata in præcipuis Vrbis locis; excipiendis Diuis Tutelaribus compactili mole pegmata, ac aræ. Ipſę in primis nobilium Porticus, ſiue, vt vocant, Sedilia, ſyrmatum luxu', argentoque, ac auro baſilicè instructa, ſuperbire eiuſmodi altaribus, ad omnem elegantiam concinnatis, videbātur. Ad hęc cumulandæ celebritati paſſim arcus: vt triumphare Vrbs ipſa videretur inter plauſus, admurmurationeſque populorum. Adumbrata hæc leuiter, ac paucis: nam ſingula accuratè perſequi, prolixiùs planè eſſet. Supplicationem non modò Religioſorum Ordines ad vnum omnes, & Clerus Neapolitanus, verùm & honeſtiſſimi plerique ciues, & nobilitas confecere; atque hæc quidem vſque adeò frequens, vt numerati proceres ſupra mille, & quingentos fuerint: instructi ſinguli facibus, præibatque ad quandam celebritatis venuſtatem lectiſſimum nobilium puerorum agmen, cultu veſtium, auroq. ac gemmis ornatiſſimum. Immixti identidem ſupplicationi canentium chori, qui & recentis Patroni laudes dicerent, & exhilararent ſymphonia, concentuque feſtum diem. Noſtri extra agmen, ac ordinem ſuam aciem inſtruebant, habebantque medios, veluti honoris cauſa Canonicos. Porrò tantam mortalium, atque omnium ordinum celebritatem inſtruere non exigui planè operis, ac laboris fuit. Et quidem vt ſuo ordine, ac tempore cuncta peragerentur, ſummo mane promouere è D. Pauli gradum, conſilium erat. Verùm, quę eſt à multitudine ſemper mora, nonniſi longè poſt meridiem cœpta ſupplicatio: cumque ingenti quodam ambitu Vrbem ferè totā obiri contigerit, ventum ad principem Eccleſiam poſt occaſum ſolem, atque intendentibus ſe ſe tenebris. Exceptus, quà Beatus Senex tranſiuit, floribus, thure, tormentorum diſploſione. Præcipuè ad Arcem, quam nouam vocant, confertiſſima Hiſpanorum militum acies illum ſcloporum ſtrepitu conſalutauit; atque Arx ipſa ad obſequii, ac venerationis argumentum prolixè, ac fauſtè detonuit. Pro foribus verò cernebatur Andreas ipſe ad viuum delineatus, cui regiæ eius arcis claues offerebantur. Denique ea fuit ab apparatu, atque omnium ſtudiis ſolenniorum pōpa, vt nihil addi magnificentiæ, dignitatis, ac plauſus potuerit. Quod eò admirabilius, quòd breui peracta res eſt: fuitque conſtans omnium opinio, D. Thomę Aquinatis translationem, in qua adornanda annus integer inſumptus, hanc Andreæ celebritatem minimè exceſſiſſe: & ſi calculum ponas, pro temporis anguſtia, fuiſſe ab hac illam quodam ſplendore ſuperatam. Planè cùm plerique ex omni fermè Italia Viri nobiles, ac præcipuè è Romanorum procerum cenſu primæ notæ Principes Neapoli fortè tunc agerent; cùm Vrbem tàm ſplendidè excultam, excitatas vbique pulcherrimi operis moles, opes, aurum, ſyrmata, inſulas; acclamantes item, flagranteſq. paſſim populos inſpexiſſent, ingenuè affirmarunt; nec vidiſſe vnquam ſe, nec viſuros ſperare adeò lætam, abſolutamque ab omni magnificentiæ laude celebritatem. In qua illud etiam prudentibus viris non mediocri quidem admirationi fuit, quòd in promiſcuo eo capitum concurſu dum quiſque tueri dignitatem, ac locum ſuum ſtudet, innumeræ in ipſo præcinctu rerum enatæ difficultates, ſolennia penè præciderint: quæ tamen controuerſiæ præter omnium opinionem momentò compoſitæ; vt viſus profectò fuerit Andreas ipſe præſenti ope adſuiſſe, ſuamque ſolennitatem ſtrenuè propugnaſſe. Cuius etiam præſidio, ac prouidentię tributum, quòd in circumfuſa mortalium multitudine, oppletis adeò, impeditiſque Ciuitatis longè populoſiſſimæ itineribus, nihil acciderit incommodi, aut rixæ; vti in eiuſmodi frequentiis paſſim contingit. Nec ſanè diſſimulanda mutata repentè ea die cœli facies, ac quędam aeris temperies inducta. Enimuerò non ita multò antequam inſtrui ſupplicationem contingeret, flare vehementior ventus cœpit, quo mox ſubſidente, viſum occupari nubibus cœlum: tùm quædam ſubindè fulguratio, ac tonitrua minari fœdum imbrem: vt addubitari maximè cœperit, ne qui, excitatis modò litibus, impedire eam pompam minimè poterat malus dæmon, iunctis tandem cum aere viribus, procella, ac nimbo ageret, vt moles, apparatum, atque instructa iam ſupplicantium agmina deiiceret, miſce-

Supplicationis ordo, & cultus

Exterorum de ea iudicium.

Suam curat celebritatem Andreas.

ſce-

ſceretque omnia. Sed ecce tibi vix Andreæ labarum emiſſum Paulino templo eſt, cũ Beati Viri aſpectus, ac ſerena frons viſa inumbratum, ac nubilum aerë tranquillaſſe; Diſſlatæ momentò, quæ promittere pluuiam nubes videbantur: nullus ampliùs è cœlo rumor, ac metus; ſiluere venti; quædam ſolummodo officij cauſa remanſere rariores nebulæ; mitigando nimirùm verno ſoli, qui, ſi clariùs ea die illuxiſſet, læſiſſet profectò nonnihil euntes. Quocirca ea omnium mens fuit, Andream ipſum, attemperata quadam vmbra, ac luce, diem illam perquàm opportunè concinnaſſe; vt populos neque nimiùs ſol impeteret, neque imber perfunderet; leruiretque potiſſimùm longiori itineri refrigeratum nonnihil cœlum. Illud poſtremò non omittendum, celebratum triumphum illum vel ab ipſis infernis hoſtibus, qui oppugnauerant. Etenim dum circumferrentur ea die Beati lipſana, plerique per Vrbem malis genijs occupatis viſi impotentiùs furere, atque immani ſtrepitu ferire cœlum. Quædam præſertim fœmina eiuſmodi hoſpite malè accepta, frequentiſſimo in Ciuitatis loco miſcere omnia inconditis clamoribus, atque inſolito quodam impetu cœpit; ac poſtquam conflictata rebelli dæmone diù fuit, accedentibus propiùs reliquiis diram eam tyrannidem excuſſit, ſuę libertati penitùs reſtituta. Hęc Neapoli de Andreę patrocinio, quę calamus ſtrictim libauit.

Inferni ipſi hoſtes triumpho plaudunt.

Peregrinati modò ſtylum, par eſt, ac multarum etiam Vrbium tutelam annectere. Ius habet in populares ſui virtutem Patria: & quemadmodum ſplendor, ac fama ciuiũ in natale ſolum refunditur; ita ſi quid ij valent opere, ac manu, impendi præcipuè in Patriæ commodum, ac tutelam, æquum eſt: ſi ui nanque propriis bonis, nullæ non leges iubẽt. Itaque Caſtrum nouum nõ ignobile in Lucania oppidum, Andreæ Patria, vbi tanto cum omnium plauſu, atque approbatione admotum communi patrocinio Panormi, ac Neapoli ciuem ſuum inaudiuit; potiorem ſuam conditionem intellexit; erectumque ad huiuſce tutelę bonum, nihil antiquius habuit, quàm publico omnium ſuffragio Andream acclamare; ſuarum que rerum Præſidem cœlo cõſtituere. Experti alias ciuis ſui opem fuerant Oppidani. Teſtabantur votiuæ ad publicam eius effigiem tabulę collata paſſim beneficia: incendium etiam ingens ſacro quodã numiſmate, quod Andreas olim dederat, extinxerant. Si patrocinium deindè à Comitiis accederet, à recenti hac in eum fiducia, atque obſeruantiæ teſtificatione lõgè ſibi proniorem Andreæ affectum pollicebãtur. Eapropter vix euulgatum, agi de Andreæ clientela communibus votis ſanciẽda, cùm viſi accurrere impetu quodam non modò, quibus ius erat ſuffragij; verùm etiam cuiuſque gradus, ætatis ordinis, ſexus certatim omnes, rati neminem debere ab iis comitiis, quæ Ciuem Patronum dicerẽt, excludi. Ac peracta res eſt, non quidem collatis quodàm ordine ſententiis, ſed ſubita acclamatione, ac ſtudiis flagrantioribus, Id quod tabulis ſtatim conſignarunt. Teſtati lætitiam nocturnis ignibus, ac multa face per feneſtras, ac tecta ad pluſculos dies. Accendit que exemplum pleraque è vicinis Oppidis, quæ, quòd, acceptis perſæpè beneficiis, obſtricta ſe Beati Andreæ beneficentiæ nouerant, adſcribere illum inter Tutelares ſuos decreuere. Præcipua ex eis fuere Turſum, Hoſtilianum, Sanctus Archangelus. Quod deindè patrocinium publica gratulatione celebratunt; inſtitutis, videlicet, ſupplicationibus, concinnatis in eius honorem aris, coronatis ad multam noctem luminum ſerto tectorum faſtigiis, aliiſq. obſequii, atq. obſeruantiæ in Patronum ſuum imitamentis.

Caſtronoui eligitur Patronus.

Hinc vero Bituntum pergimus: quę Vrbs, quemadmodum in ornando, colendoque Andrea Auellino nemini planè cõcedit, ita in ea ſibi tutela aſſerenda anteuertere cæteras Neapolitani Regni Ciuitates voluit. Et viſus Andreas ipſe ſtudia ciuium, inſignemque eorum pietatem peculiari quadam beneficentia compenſare. Rara ſiquidẽ in ea Ciuitate domus, quam non aliquo beneficio, ac præſenti ope iuuerit Sanctus Senex. Hinc multiplex ad eius imaginem tabella, ac vota argentea, quæ Sacellum occupant, ornantq. ac obſtrictam benefico ſuo Bituntinam obſeruantiam indicant. Hic igitur, vbi Neapolitani patrocinii, ac peractæ tanta cum ciuium gratulatione celebritatis manauit fama, viſa continuò flagrare omnium vota, atque ad eandem laudem, tutelamque accendi: ac dum quiſque quæ ſibi, quæ aliis collata fuere beneficia, grata mente repetit, impelli ſe ſtimulis acrioribus ad id obſequii præſtandum, ſenſere om-

Bituntinorum in Andream pietas.

Digitized by Google

omnes; Conſtituta ſtatim comitiis dies, quę non ita multò ante anniuerſariam Andreæ lucem, atque intra octauas D. Valentini, pręcipui eius Vrbis Patroni, fuit. Nihil ea ſuffragatione alacrius, ac promptius, conſpirante pari quodam ſtudio nobilitate, ac populo. Vnus quiſpiam, aut præpoſtero quodam zelo ductus, aut quod aliqua in noſtrum Ordinem inuidia laboraret, moroſior quidem ea in re fuit; cumque ſatis iam pręſidii à coeteris Tutelaribus Ciuitati ſuæ eſſe, contemptu quodam, aut faſtu pronūciaſſet, non poſt multò dicti pœnas dedit. Siquidem leui ex cauſa compingi in carcerem contigit; vbi diutiùs moratus, agnouit ipſemet, eius ærumnæ auctorem non alium, quàm ſeipſum eſſe, qui in eo concentu ciuium ſolus diſcrepauerat, ac refragatus Andreæ fuerat. Illud autem huius operæ, ac tutelæ pretium ſtatim extitit. Nam quæ eſt Regionis ſiccitas, cū circiter annum nullo penè imbre maduerit tellus; corrupta iam ſegete, ac re ruſtica omni, ipſi mortalium generi malè erat, ſitientibus nēpè cùm intra, tū extra Ciuitatem aquarum conceptaculis. Planè, adoptandi inter Patronos Andream ea potiſſimū cauſa fuerat, vt quem nouerant apud Deum potentiſſimum, præſentem illam calamitatem depelleret; renunciatuſque eius Vrbis Præſes, auſpicaretur à pluuia patrocinium. Nec ſpem fefellit euentus. Nam ſub ipſam recentis præſidii lætitiam viſa ænea cœli facies communi miſerię illachrymari, effuſo vbertim imbre, quem frequentibus ad omnes cœlitum aras precibus, ac ſupplicationibus antea minimè impetrauerant. Datum id Andreæ meritis, qui ardentiſſima ciuium ſtudia nec remunerari opportunius, nec accendere acriùs tū quidem potuit, quàm pluuia: ſimulque commonſtrauit, ſi areſceret iterū tellus, vnde camporum autumnitati, atque exhilarandæ ſegeti aquarum perennitas denuò manaſſet. His initiis bona ſpe pleni Bituntini, conſignare publicis tabulis, ac ſolenni ritu hunc delati patrocinii honorem in ipſo Beati Andreæ peruigilio decreuere. Nulla non ætas, aut ſexus præſens functioni adfuit, vt ſuperiorem etiam templi partem, ac coronidem ipſam confertiſſimum vulgus occuparet. Interfuere è vicinis item Vrbibus plerique procerum, quibus in præcipuo honore Andreas erat. Pronunciatum elata tabellionis voce publicum Ciuitatis decretum, Magiſtratu adſtante, qui & quotannis vectigale aliquod munus arbitratu ſuo nouo Tutelari iuratus promiſit. Perlectis actis, diſploſa è vicina arce ænea tormenta; inſtructumque ante eccleſiam militare agmen fiſtulatum ſtrepitu feſtum diem exhilarauit; veſpere verò teſtata lætitiam eſt fax miſſilis, ac ſubſilientes, ludenteſque è machina ignes. Solennia cumulauit Fabritius Caraſa Antiſtes, qui non modò veſpertinis laudibus, inſigni concentu vocum celebratis, adfuit; ſed poſtera deindè luce, præſente Canonicorum ordine, ac reliquo Clero, ſolenne ſacrum fecit; oblatumque inter ea miſſarum ſolennia ab Vrbano Magiſtratu prægrādē Andreæ cereum in obſeruantię pignus, vti polliciti fuerant, grataanter accepit. Porrò, qui, vti ſignificatum eſt, oppidò liberalis eſſe in Bituntinos conſueuerat Dei Seruus, ab hoc patrocinio faciliore quadam aure, ac manu adeſſe communi neceſſitati cœpit; veluti iure quodam tutelæ excubandum ſibi diligentiùs obſeruantiſſimæ Ciuitati, intelligeret, ne publica fraudaret vota.

Patronus ab iis renunciatur

Refragatur vnus quiſpiā, nec impunè.

Obſignantur eius tabulæ in ſigni celebritate.

Imus & alias propè Neapolim Vrbes recenſitum, quas hęc eadem in Andream pietas afflauit: inter quas Nola, vetuſtiſſima, ac prænobilis in Campania Ciuitas, quæ præclara Diuorum Paulini, ac Felicis tutela fruitur, adoptare hunc etiam Patronum voluit; eodemque, quo Neapoli anno, Aprili menſe, collatis vnà votis, decretum obſignauit, quod poſtea, impetratis à Patre Generali Beati reliquiis, omni lætitiarum genere, ac ſolenni pompa celebratunt; inſtituta videlicet ad principem eccleſiam, quò delatum Beati Senis ſimulacrum fuit, ſupplicatione, ac flagrante cū ab accenſis vbiq. facibus, tùm à populorum ſtudio Ciuitate, quæ propiorem eius opem non vno planè beneficio experta poſtea eſt; ac ſibi tantę clientelæ vmbram magis, ac magis in dies gratulatur. Nolæ Capreas Inſulam annectimus, quæ Tyberii olim Cœſaris hoſpitio nobilis, cum nullam præterea prætogatiuam loci iactet, fortunare cautes ſuas hoc Andreæ patrocinio voluit. Admotus ad eius Vrbis Sacerdotium ineunte hoc anno fuerat Raphael Raſtellius, Neapolitanus, qui nomen noſtræ Congregationi Neapoli in Paulina domo dederat exacti ſeculi anno ſeptuageſimo nono: Vir quidem vtroque iure, ac ſacra etiam Theologia conſultiſſimus, qui quas in Ordine ſcientias docuit, foris inſigni cum laude probauit. Neapoli ſiquidem Conſultoris nomine orthodoxę

Nola Ciuitas hanc etiam ſibi tutelam aſſecuit.

Et Capreæ.

ſidei cauſas aliquandiù iuuit: Romę quindecim omninò annos Sacræ Inquiſitionis Theologi, ſiue, vt appellant, Qualificatoris munus exercuit. Doctrinam, ac diuturnos pro re Romana labores compenſare Vrbanus Pontifex viij. cũ vellet, illum quę tũ vacabat, Cappreenſi Inſula cohoneſtauit: ſucceſſitq. Qualificatoris muneri Thomas Aſflictus, vir item ex noſtris apprimè eruditus, qui Romæ diuinam Philoſophiam diù profeſſus egregiè fuerat. Igitur Raſtellius ſuam in Sedem ingreſſus, eò etiam Beati Andreæ nomen, opemque intulit; tanto quidem cum gentis emolumento, eaq. beneficiorum experiẽtia, vt illum veluti ſuę Inſulæ genium, mox inter Patronos fauſtè inſcripſerint Inſulani. Planè quicquid ab iis inhoſpitæ Regionis incolis exhiberi pietatis, ac honoris potuit, abundè factum: vt ſplendore quidem cæteræ Vrbes vicerint, non ſtudio, quod amplitudinem, pompam, ornatumque omnem in celebranda Andreæ tutela ſatis, ſuperque compenſauit. Vicus Æquenſis, qui poſt Capreas Auellinum Patronum adoptauit, modica & ipſa Vrbs, ſua comitia celebriore quidem cultu, atque obſeruantiæ teſtificatione commendauit. Nam per octo continentes dies non modò in Vrbe ipſa, verùm in adiectis etiam pagis, qui frequentiſſimi in accliui ea Regione ſunt, æs campanum lætitiæ argumenta edidit. Tum indicta deducendis ad primarium templum Beati Lipſanis ſupplicatio, ad quam facti à circumiecta vicinia concurſus percelebres. Sub primam verò noctem exhibitum ſpectantibus theatrum longè pulcherrimum. Viſa nanque editiora, ac montana ea loca, quocumque inciderent oculi, frequentiſſimis ignibus illuminari, ac ſcenam aperire quàm iucundiſſimam: idque repetita per conſequentes tenebras eo luminum officio; vt flagraret diutiùs gratulatio. Emicuit in accurando eo cultu, ac pompa Hieronymi Sarriani Ciuitatis Epiſcopi pietas, qui è noſtra olim diſciplina Clericus Regularis, addictuſq. ſupra modum Beati Andreæ nomini, nihil aut ſtudii, aut magnificentię prætermiſit, vt decretum ciuium ſuffragiis patrocinium, ſanciret externa etiam religione, qua côcitandis populorum animis nihil accommodatius. Hinc verò in citeriorem Calabriam gradum facimus; atque ad illam, quæ præcipua eſt in ea Prouincia, Ciuitatem, nempè Coſentiam: vbi noſtri homines ante annum domicilium cùm fixiſſent; & ſibi communem beneuolentiam, & Beato Andreæ inſignem omnium deuotionem conciliauerãt. Patrocinium ſuæ Vrbis, quod ſuſcepiſſe iam cœlo Dei Seruum, ab ſingulari eius beneficentia intelligebant Coſentini, obſignare ipſi ſuis votis maturè voluere: neque diù ea ſuper re conſulendum in medium fuit. Singulari ſiquidem propenſione illum cũ D. Franciſco Xauerio, è Societate Ieſu, Tutelarem Vrbis renunciarunt; ac plauſere tùm quidem priuata quadam animi lætitia electioni, quoad publica deindè magnificentia, atque amplitudine pietatem ſuã prolixiùs teſtarentur. Quod inſequenti mox anno baſilicè factum; idque ad reliquum ſplendorem addidere; vt poſtquam diurnũ magnificentiæ, ac religionis penſum obiuere, intẽdentibus ſe ſe deindè tenebris, equeſtre agmen è nobiliũ ordine inſtruxerint, quorum ſingulis geſtantibus manu facẽ, luſtrata ad multã noctem Ciuitas fuit; ac viſus profectò, non occidiſſe Vrbi dies, diuiſo in circumeuntibus iis facibus ſole. Dedicata illi tũ quidem à pleriſq. donaria. Inter quos Cæſar Ferraus, Sãctæ Agathæ Princeps, vir, vti aliàs memini, & ſtirpe, & religione nobilis, labarũ non pœnitendi planè operis ad eius arã ſuſpendit; quod & ſuæ Ciuitatis, & ſuæ etiam domus patrociniũ indicaret. Campaniæ olim caput Capua inſequuta poſtea eſt, loco quidem, non animi pietate cæteris poſterior. Etenim anno ſeculi vigeſimo ſeptimo Decẽbri menſe cũ eò acceſſiſſet Carolus Tapia, Belmõtis Marchio, Cõſilii, quod Collaterale appellant, Regens, vt vocant, Decanus, vir ab iuris prudentia, atque ab vſu rerũ inſtructiſſimus, vt quædam inibi publica procuraret, atque ordinaret cõmoda; opportunũ ciuibus viſũ, cõſpicui adeo Viri præſentia ſuã in geminos Neapolitanę Ciuitatis Patronos obſeruãtiã cõteſtari; atq. eoſdẽ ipſos ſuę Vrbis pręſidio admouere. Fuere hi D. Thomas Aquinas, Pharos illa Chriſtianæ eruditionis, & Andreas noſter Auellinus. Igitur, habitis comitiis, mirũ, quo ſuffragiorũ cõſenſu Capuanæ Vrbis Patronus renũciatus vterq. fuerit. Quo neſcio, an quid cõtingere Andreę glorioſius vnquã potuerit; iiſdẽ nimirũ cũ Aquinate calculis ad nobiliſſimæ Vrbis patrocinium euehi, eademq. lance appendi vtriuſq. promerita. Publicas verò conſignari eius decreti tabulas, cùm oporteret, diuidi celebritatem, ac plures deſignari functioni dies placuit, vt ſucceſſiua ea ſolennitate, dum gratulationi ſuccederet gratu-

latio,

Et Vicus Aequenſis.

Et Coſentia.

Vbi à Cæſare Ferrao Principe labarum.

Et Capua,

Vna cum Thoma Aquinate,

latio, non tàm citò ardor ille pietatis conſeneſceret; ac reguſtarent operis fructum, ac voluptatem ſuam ciues. Quapropter quæ ad Diui Thomę Aquinatis tutelam pertinerent literæ, perlectæ primùm ſolenni ritu in Diui Dominici eiuſdem Vrbis templo fuere: deindè quæ ad Beati Andreæ patrocinium, in noſtra Diui Eligii baſilica: certaruntque vtrobique popularium ſtudia in vtriuſque Tutelaris laudibus efferendis. Delata porrò ea, qua decuit pompa, ad principem eccleſiam ſacra Andreæ lipſana, ac ſimulacrum fuere; quæ redeunte ſubindè anniuerſaria eius luce, quotannis in noſtram eccleſiam quàm decentiſſimè reportantur; vt augeat Beatus Senex ſui præſentia celebritatem, quam noſtri agunt: Neapolitano videlicet ritu: eodem quippè acceſſu Paulinam ędem ſingulis annis reuiſit Andreas, ſuaſque nobiſcum peragit ferias; quibus abſolutis, ſuam in ſedem inter cæteros Vrbis Patronos poſtliminiò reuertitur.

Egreſſi nunc Regno Neapolitano, in Siciliam ſoluimus, ac in pręſignem eius Regni Vrbem Panormum, quam, dixi iam, in Auellini patrocinio ſanciendo fuiſſe anteſignanam, ac facem cæteris præluxiſſe: planè vt quicquid ex tot Vrbium tutela venerationis, atque honorificentiæ in eius famam, nomenque deriuauit; Panormo magnã partem acceptum referri debeat, quæ fauſtè præiuit: fuitque aliis incitamento. Satis profectò, ſuperque videri poterat, adlectum fecundiſſima ſuffragatione inter florentis apprimè Ciuitatis Pręſides Andream. Sed quæ erant Viri Dei promerita, ac Siculorum in ipſum ſtudia, amplificatus hic honor eſt anno ſeculi ſeptimo, & vigeſimo. Id quod hoc anno imus narratum, cum diffuſum lõgè, latèque eius patrocinium loquimur. Itaque cùm Panormitani non intra Vrbis ſuæ mœnia ſolummodò concludi Sãctiſſimi Tutelaris beneficia, ac mira cernerent, ſed Regnum ipſum peruadere, atque intimas quaſque ipſius partes eius, veluti ſalutaris ſyderis, vim ſentire: æquum eſſe, exiſtimarunt, extendi etiam Tutelæ honorem, ac toti Regno imponi, Regni totius vindicem, ac publicæ incolumitatis aſſertorem. Quocirca indicto maiorum ritũ, ac more Senatu, contulere ordines capita, ac ſententias; ac nil citiùs fuit, quàm, circũlata vrna, Andream Siculi Regni Patronum euulgari. Exceptumque hoc Senatus cõſulrum ingenti omnium lætitia: vt nullus florentiſſimę Inſulæ angulus fuerit, qui non & ſuffragantium conſilium effuſè dilaudauerit, & ſuam ſortem, atque ab inſigni patrocinio fauſtitatem ſibi intimè gratularetur. Lubet hic decretum, quod eodem anno typis Antonii de Franciſcis vnà cum eiuſdem Beati Viri effigie Panormi excuſum eſt opera Antonini Ianuæ, publici Ciuitatis adminiſtri, exſcribere, quod ſanè ornatiſſimum eſt de ſingulari Andreæ ſanctitate, ac miraculis teſtimonium. Sic verò habet. — *B. Andreas Siculi Regni Patronus.*

Decretum, quo Beatus Andreas Auellinus ex Cler. Reg.
In Siculi Regni Patronum aſſumitur.
Die 22. Iunii X. Indict. 1627.

Cum experti fuiſſent Panormitani à die, qua in Patronum huius Ciuitatis Beatus Andreas Auellinus Clericus Regularis aſcitus eſt, innumera Vrbi, ac Siciliæ toti beneficia contuliſſe; vt vniuerſum Regnum, quod eadem bona perſenſerat, grati animi monumentum daret, ſtatutum eſt, illum in Regni Protectorem aſſumere. Id ſummo animi ſenſu, ac conſenſu in generalibus comitiis conceptum, atque ſancitum, in publicis meis tabulis ad perpetuam rei memoriam extare voluerunt. — *Panormitani decreti exemplar.*

Beati Andreæ, Præsbyteri Regularis Panormi Tutelare Numen, quod Vrbi noſtrę, totique Regno diuinam opem, innumeris penè patratis miraculis, ſæpè impetrarit, Eccleſiaſtici, Militaris, Demanialis Iuris collatis ſuffragiis, ſancitum eſt, vt Siculo Regno, quà mari, quà terra patet, pręſideat: vt quod Auſtriacæ Ditioni obueniens, dilatato inuicti Regis imperio, firmiùs ſtetit, producto cum noſtro fœnore Beati Andreæ patrocinio, ſit perpetuo incolume. In tabulis publica auctoritate obſignatis, Siculi Regni proceres teſtatum volunt ingeniculati, D. N. M. E. Antonius Ianua M.

Hæc ad Regni totius munimentum Panormi; quam Platia Vrbs ſuperiore anno

anteuerterat, ac ſe ſe Andreæ clientelę, habito de more conuentu, communi votorum conſpiratione commiſerat: decreto quotannis in obſeruantiæ ſpecimen argenteo calice, ac cereo; collato inſuper auro, vt inſequens proximè eius dies feſtus quàm ſplendidiſſimè celebraretur. Et verò quòd cum anniuerſaria ea ſolennitate coniunctus hic erat patrocinii honor, nihil eo anno prætermiſſum pompę, & cultus. Perornatum noſtrum Diui Laurentii templum ſupra communem morem fuit. In ara præſertim maxima excitatatum pegma ad quandam Empyrei ſpeciem, in quod ſuſtolli miro quodam artificio, atque à cœlitum ordinibus excipi Beati Senis ſimulacrum debebat, cui deducendo inſtitutum frequentiſſimum religioſorum hominum, & Cleri agmen. Inſtructa periſtromatis fora, ac viæ: tormentorum diſploſitiones, feſtique per Vrbem tinnitus, ęra, tympana, collucentes noctu faces, artifices ad veſperā ignes, equeſtres deindè circuitiones, ac luſtrationes pluſculos dies, quibus extendi ſolennitatem contigit, condecorarunt. Quæ verò magnificentiùs celebritatem ornarunt, quædam fuere mira, quæ tùm quidem Andreas patrauit. Referam vnum, aut alterum. Dum inſtaret pompæ dies, artifex quidam, neſcio quonam actus impetu, deſerere, quod ipſe perficiendum opus ſuſceperat, ſtatuit, planè non ſine contemptu quodam, totiuſque ornatus detrimento. Ergo abibat. Sed progreſſus vix paulum, cùm viſus ex inopinatò, iniectâ veluti manu, retineri; adeò vt quamuis ſtrenuè conaretur, ferre vltra gradum minimè poſſet: dumque ſecum ipſe rem agitat, aduertit tandem, intempeſtiui abſceſſus, imperfectique operis moneri ſe, vindicarique contemptum. Quocirca pręceps conſilium dum abrogat, rediit ſtatim motus, ac quædam etiam ingenti cum ſui admiratione alacritas. Reuerſus ad opus, factum ſociis narrat, iniectamque in itinere moram; veniam dein admiſſæ culpæ publicè poſcit: addictuſque deinceps cum paucis Andreæ fuit. Illud etiam memoratu dignum accidit. Ornando aulęis templo vocatus à domus Præpoſito alter quidam fuit, qui in eiuſmodi opera nauanda cęteris longè pręſtabat. Excuſare is tertianam febrim, quę cùm alternis diebus inceſſeret, aderat tùm quidem ſtata dies; monebantque indicia, non longè morbum abeſſe. Rogare, vrgere fruſtra Præpoſitus, qui tandem ingenti quadam in Andream fiducia, ſperandum, inquit artifici, Beato Seni eſt. I bona ſpe plenus; nec dubites, fore, vt ipſe tibi integram ſalutem impetret. Abit ille, admouet operi manus. Nec multis: qui appetere iam morbus videbatur, nuntioſque pręmiſerat, viſus ita faceſſere, vt neq. ea die, neque deinceps hominem diuexauerit: fuitque anticipatum quoddam laboris, atque operæ pretium, incolumitas. Hiſce mirabilibus ſuo prælusit patrocinio Andreas, qui hanc in intimo Siciliæ ſinu Vrbem viſus peculiari quadam beneficentia complecti. Implorata ſiquidem eius ope, admotiſque ſacris reliquiis, depelli paſſim inibi corporum, animorumque incommoda, variiſque morborum generibus defungi mortales contigit: planè vt texi non exiguus quidem mirabilium elenchus poſſit, quem hic duco omittendum, ne prolixiorem, aut intempeſtiuam appinxiſſe narrationi laciniam videar. Ac de Andreæ patrocinio, quod, luſtrato vtriuſq. Siciliæ Regno, abundè explicaui, finis hic eſto.

Hoc ipſum Platiæ patrocinium, — *Quod ſolenni cultu ſancitur* — *Et patratis miris,*

Poſita nunc in Regno ipſo Neapolitano geminæ rudimenta domus ſtylum vocāt. Barolum euocata non ſemel noſtra familia fuerat, vti aliàs memoratum; & quòd ea Vrbs eſt in Apulia cùm cœli, ſolique bonitate, tùm opulentia, ac ſplendore ciuium cū primis nobilis, probauerant Patres contubernium: idque eo etiam nomine, quod ad viam conſularem ſita Ciuitas, recta ad Salentinos aditum aperit. Ad hęc Ordinem quidam iam Barolitani non mediocri planè virtute viri ornauerant. Inter quos fuere Michael à Conſulibus, doctus perindè, ac vitę integer, Epiſcopus poſtea Soranus; Gregorius Florella, quem cùm cætera eruditio, tùm græcæ linguę peritia cum paucis cōmendauit, & Ioannes Nicolaus Mola; poſtea Iacobus, quem Ioannes Baptiſta Caſtaldus, Molæ, quod oppidum eſt in Apulia, natum refert: lapſus videlicet errore. Nam fuiſſe ab gente Mola Barolitanum, teſtātur nepotes duo, qui noſtram ſubindè Sodalitatem iniere; nempè Laurētius Mola, & Ioſeph germanus frater, quorum hic pridem vixit, alter verò cū laude morum viuit. Agebat hic Iacobus Neapoli, ab inſigni virtutum cultu in omnium oculis, atque exiſtimatione; & quòd remittere rebus humanis nuntium percuperet, aggregari ad noſtros in Paulina domo petiit, Alliciebat quidem

Barolitana agitatur colonia. — *Iacobus Mola Barolitanus.*

Digitized by Google

dem viri probitas Patres; at deuexa iam ætas, atque incommoda preſertim valetudo, qua vtebatur, in cauſa erant, vt licet is enixè, ac ſæpè efflagitaret, illi renuerent. Ergo vti arte, ac vehementiore quodam ardore ſpiritus ſtatuit Mola. Enimuerò dum ad menſã illi accumberent, nactus ipſe ad cœnationẽ aditũ, facto impetu, eorum ſe ſe conſpectui ſiſtit; ſtratuſque humi, per quàm demiſsè, atque ingenti vi lachrymarum admitti in Ordinem poſtulauit; per Deum, Diuoſque omnes obteſtatus, ne repellerẽt: ſupra vires, ac ſenium ineſſe adhuc vigorem animo, qui diſciplinæ ſtudia, atque aſpera quæque voraret. Mirari incitatiſſimi Viri indolem Patres; & Ioannes quidem Marinonius, qui præerat, Iacobi ipſius à confeſſionibus, id ſtatim ab iis euicit, vt acceptarent: neque enim fas eſſe, inquit, vt pulcherrimos eos impetus, conatuſque flagrantis viri luderent. Deditque mox Religioni nomen Iacobus. A literis, quas ad Ioãnem Donatum fratrem dedit, quæ penes nos ſunt, videre eſt ſaoctioris vitæ deſiderium, mundi, ſuique contemptum, humilitatem, ac ſupra humana omnia mentem, qua habitum induit; quem tamen non diù tenuit; refragante nimirùm, quam dixi, valetudine, quæ breui ita corpus affecit, vt tandem intra tyrocinium confecerit; cœptũq; perfectionis curſũ intercidit mors, anno exacti ſeculi quinquageſimo octauo: & quãdo voluntatem, atque ipſa operis rudimenta munificentiſſimum Numen remuoeratur, tulit profectò non exiguum inſtitutæ mentis pretium vir ardentiſſimus. Igitur, & horum virtus, quos modò nominaui, non minimo quidem incitamento erat, vt Baroli ſedem peroptarent noſtri. At enim nunquam is in ea Vrbe locus contigit, vt ſtationem ſibi pollicerentur, religioſæ diſciplinæ, atque animarum procuratinni commodam. Hoc verò anno quædam ſe ſe coloniæ occaſio obtulit, quæ viſa Patribus nõ omitteoda. Nam Alexander Viſcus, honeſto vir loco, addictus tùm quidem noſtri Inſtituti rationibus, ratus Ciuitatis ſui ornamento, ac vtilitati, ſibi verò commodo non mediori nouam hanc Religioſorum familiam fore, id mentis cœpit, vt ſua domus, quã à ſitu, proſpectuque maris regulari Inſtituto peropportunam reputabat, noſtris cederet: cum quibus & ipſe degeret, tranſigeretque reliquam vitam inter Regulares Clericos Clericus ipſe ſecularis. Patres, etſi viri conuictum non adeò probabant; quòd rarò eiuſmodi inter diſſimiles familiaritas benè vertat: attamen, ne dilabi occaſionem contingeret; & quod Viſcus bonam tunc indolem, ac Theatinis pronam, præſeferre videretur, adiecere eò animum: & vt ritè poſſeſſionẽ capeſſerẽt, id illis primum, Tranenſis Archiepiſcopi, cuius Inſulis Barolitana Vrbs ſubeſt, facultatem impetrare. Erat is Antonius Aluarez, Vir è Dominicana familia à literis, ac literarum monumentis percelebris, virtutum preſertim fama inter paucos ſpectatus, ac noſtro Ordini addictiſſimus. Qui quidem, vbi rem Theatinę Congregationis agi intellexit, ſuffragatus incredibili quodam ſtudio eſt. Quocirca nihil cunctati noſtri, Barolum ingenti omniũ ordinum gratulatione conuenere: donatamque à Viſco domum, concinnata inibi pro modo ſacra ædicula, conformatiſque religioſum in morem conclauibus, iniere, ac ſtatim probare ciuibus in diuinorum cultu mundiciem, ac diligentiam, tùm ſacrorum miniſterio, ſacriſque concionibus animorum ſtudium cœpere. Proſpera hæc nimiùm initia excepere mox aduerſa. Turbo à religioſis viris: qui quòd nouæ eius familiæ acceſſione derogari non minimùm ſuis commodis in Vrbe quidem non tàm ampla, ſibi perſuaſerant, oppugnare totis conatibus initum contubernium decreuere. Afferre in medium Pontificias ſanctiones, ac poſtulare violati iuris noſtros. Incõſultis nempè cœteris Religioſorum Ordinibus haud fas eſſe; nouas induci in Vrbes diſciplioas: Non Antiſtitum facultatem in eiuſmodi fuodandis colniis ſatis eſſe; proindèque, qui nõ ritè ſedem fixerant, conſiſtere ibi nec ritè poſſe. Itaque reclamatum Romæ à paucis quidem: nam pleræque Regularium familiæ non modò non obniti cœnobio, verùm etiam fauere magnoperè viſę ſunt. Addidit verò controuerſiæ momentum Alexander Viſcus; qui ſuæ conſuetudini inſiſtens, cùm attemperari Religioſorum moribus, nihil penſi haberet, continuaretque in ipſo Regularium contubernio ſecularem viuendi rationem, offenderat non mediocriter apud noſtros, quibus cauere ſuæ diſciplinæ in primis curæ erat; cùmque & illi viri licentiam non diſſimularẽt, & pergeret viciſſim ipſe communem loci obſeruantiam interturbare; erupere breui in aperta diſſidia: cœpitque Viſcus fauere aduerſariis: vt veriſſimum tùm quidem fuerit

Quo ſpiritu ſe dat Religioni

Breui piè moritur.

Alexander Viſcus domicilium noſtris cedit.

Impetratque Antiſtitis conſenſu, Barolũ adeunt.

Turbo in noſtros excitatur

Quem auget Viſcus.

Aequa noſtra tum cauſa, & palma.

rit

Digitized by Google

rit illud Euangelii: Inimici hominis domeſtici eius. Et verò eò Romę deducta res eſt, vt qui ſigi Baroli noſtrum Inſtitutum nollent, penè vicerint. Verùm dum æquam cauſam, nec quidem impigrè, & cum Deo tuemur, mutata mox rerum facies, atque adiudicata nobis lis eſt: declaratumque, quando Archiepiſcopi nutus interceſſiſſet, iure initiſe locum, ac legitimè inibi conſiſtere Clericos Regulares. Quod quidem nulli moleſtum, niſi Religioſis iis viris, qui admotis machinis, impreſſionem ſumma ope adornauerant; atque euulgauerant iam, fore, vt breui victoriam canerent. Cœterùm gratulati vehementer ciues, quibus pronior in nos voluntas; vt qui perutilem animorum rei Theatinam operam nouerant; ac perſuaſerant ſibi, eorum contuberniũ ęquè ornamento, ac fructui futurum Vrbi ſuæ. Reſponderuntque communi huic beneuolentię noſtri homines ſingulari quadam domi, foriſque in ſacrorum cultu, ac reliquis proximorum opportunitatibus ſedulitate. Sodalitium pręcipuè non ita poſt multò Seruorum Diuæ Virginis conſcripſere. Deindè, vt in defunctorum animis iuuandis inſtitutum, moremque Ordinis vrgerent, Mortuorum montem, de quo dixi aliàs, excitarunt: inflammandęque magis, ac magis mortalium pietati, proponere ſingulis Dominicis diebus, quæ primæ in anni menſibus ſunt, Euchariſticum Chriſti Corpus, ac dicere de animorum cruciatibus, ac ſuffragiis ad multitudinem occœpere. Quod verò ad Alexandrum Viſcum attinet, qui ſanè non minimo religioſæ diſciplinæ impedimento erat; ita pactum cùm eo eſt, vt accepta annua à noſtris penſione, quoad viueret, liberam omninò domum relinqueret. Quo nihil accidere opportuniùs potuit. Seculares nempè viros nondum exuta ſeculi conſuetudine in Religioſorum contubernium admiſiſſe, nunquam ſine graui obſeruantiæ vulnere contigit. Si perturbatum rerum ordinem, imminutam religioſi moris diſciplinam, interciſa orationis ſpatia, remiſſum ſilentium, frugalitatem, modeſtiam in Regularium Congregatione breui velis, eiuſmodi contubernales habeas, quorum conuictu, vſuque nil propiùs eſt, quàm afflari quadam veluti lue cœnobitarum mores. Aliàs proſequutum id argumenti me, memini: atque vtinam à Regularium ſeptis hæc peſtis porrò abigatur, quam omni æuo ſeueritate legum, exemploque ſuo deprecati ſunt priſci Patres: rati tùm demum ſartam, ac tectam fore ſuarum inſtitutionum obſeruantiam, ſi non modò è tectis; ſed à nimia etiam familiaritate ſeculares excluderent. Et noſtros quidem cùm propria, tùm aliena pericula fecere cautos. Atque hæc de Barolitano cœnobio.

Nunquam ſine disciplinæ dãno ſecularium conuictus

Moramur autem adhuc in Apulia, vbi Viri pietas alteram aperuit hoc anno noſtrę induſtriæ aream. Fuit is Ioſeph Antonius Blancus à Foggia, honeſtis natalibus, ac fortunæ bonis commodè inſtructus, noſtræque potiſſimùm Sodalitatis percupidus. Ineunte Maio menſe ſupremo is morbo Neapoli decumbens, cùm feſtinare ſe ad exitum cerneret, propitiando Numini litari pietati fortunis ſuis conſtituit; ac patrimonium ſupremis tabulis ita diſtribuit, vt addicta quadam ſuperſtiti vxori parte, reliquũ noſtris Neapolitanis, viciniſque domibus cederet. Quod ſi immigrare Foggiam, atque inibi ſedem figere, Patribus placuiſſet: tùm quidem ea domus ex aſſe hæres cenſeretur. Reuocata ad calculum re, addubitatum diutiùs, an Fggiam accederent: ſcilicet, impar noſtro inſtituto locus videbatur. Nam qui vltronea ſtipe viuimus, nõ niſi frequentiores Vrbes incolere, vbi aſſidua multorum liberalitas adeſſe paupertati poſſit, opportunum putamus. At enim flectendis noſtratum animis viſæ maiorẽ habuiſſe vim rationes, quæ coloniam, acceſſumque ſuaderent. Locum eum eſſe Apuliæ totius emporium, regiis vectigalibus, ac nundinis nobilem, ex ſe quidem non infrequentem, ſed certis anni temporibus frequentiſſimum; proindèque eſſe, quos ipſi ſuis vigiliis demererent, & qui ipſos viciſſim iuuarent ſuis opibus. Addidere deindè ſtimulos vota ciuium, qui vbi legatas noſtro Ordini Blanci fortunas audiuere, vt qui non mediocri quidem fructui futuros inibi Theatinos homines intelligebant; interpellare ſummis precibus Patrem Generalem, ne flagrantiſſima popularium deſideria, ac ſpes luderet. Perſuaderent ſibi Patres, nihil ſuo ipſorum Inſtituto accommodatius, nihil charitati, Deique gloriæ congruentius facturos, quàm complecti eas curas; quando tàm pauci ibi eſſent operarii, qui ſegetem demeterent, ac ſacra, ani-

Ioſeph Antonius Blancus patrimonium noſtris legat.

mo-

Digitized by Google

moſque procurarent. Itaque id cœptum conſilii, vt accederent, fundarentque cœnobium, cui exædificando hæreditaria Blanci bona cederent. Nam quod ad quotidiana familię alimenta pertineret, non dubitabant, quin actuoſæ virtuti reſpondiſſet poſtea ciuium pietas. Deſtinatus ponendis initiis Auguſtinus Rubeus, Tarentinus, vir grauis æquè, ac eruditus; exceptuſque ſingulari cum omnium lætitia, affectuque fuit: adiuncti mox ſocii, qui rem animorum ad gentis vota ſtrenuè accurarent. Et verò conſilium, vti iam animo concep erant, benè cecidit; probauitque euentus eam inibi noſtratum ſedem. Etenim, quanquam, quod ad cœnobium attinet, tardiùs admota ſubſtructioni manus fuit, moram afferentibus pleriſque è Blanci hæreditate tricis; nihilo tamen minùs, inſtituto confeſtim ſpirituali ædificio, nimiùm quantùm communi pietati à noſtratum ſtudiis ſtatim accesserit. Nam præter publicum in Eccleſia, quà voce, quà Sacramentorum adminiſtratione fructum, inſtituti ſodalium cœtus, quod ibi inſolens; atque ad omnem virtutis laudem cœpti comminùs, priuatiſque adhortationibus informari mores. Ad hæc infirmis operam dare, eoſque ad tolerantiam, atque ad expiandas peccatorum ſordes egregiè animare; morientibus præſertim adeſſe; quæ maximè charitatis pars deſiderari Foggiæ videbatur: cumque ſatis idonei iis officiis viderentur noſtri, ac mirum in modum colluctantes in extrema ea vitæ palæſtra iuuarent, vocari paſſim contingebat; atque huc illuc interdiù, noctùque accurrere, vt operarum numerum longè maiorem aſſiduus hic labor poſceret. In tãto autem ciuium ſtudio, ac vigiliarum prouentu neſcio quonam fato excitari templum ac tecta iuſtæ familiæ nondum potuerint. Viſi in ſitus delectu diutiùs hærere Patres; fuitque non minimo quidem detrimento prolixior conſultatio, ac mutaſſe cæpti iam ædificii locum. Interim & alia huic cœnobio acceſſere piorum hominum adiumenta amplificandæ rei Theatinę, ſacrorumque cultui exaugendo. Etenim aliquot poſt annis Guglielmus Corcionus Neapolitanus, vtroque iure Conſultus, Regiarum magni vectigalis rationum Foggiæ Præfectus, lautiſſimum patrimonium ita noſtrę eccleſię legauit, vt ædicula ibi defunctorum ſuffragiis magnificè excitaretur; ſimulque ſacrorum numerum præſcripſit, quæ in ea ædicula quotidiè pro iiſdem ipſis defunctis celebrarentur. Addictiſſimus is nempè piis manibus vſque adeò fuit, vt ſpreto ſanguinis iure, hæredes ipſos ſcripſerit; atque interim vel mortuus procuraret ipſe mortuos ope nunquam intermoritura. Alius deindè non ita poſt multò eximium in noſtrum Ordinem ſtudium, ac liberalitatem probauit, qui, vt dicemus in loco, pecuniarũ ſummam, quæ decem aureorum nũmum millia excederet, in numerato ex teſtamento noſtris reliquit, quam ipſi cũ ſuo vſui, tũ defunctorum ſuffragiis impenderent. Planè quanto cum Religionis, morumque fructu operam ibi noſtri ponant, oſtendunt immiſſa iſthæc à Deo commoda, quæ quidem acerrimos addere noſtræ familiæ ſtimulos, faceſque debent, vt cœptos ibi labores, curaſque ſtrenuè proſequantur.

Cui deſtinatus Auguſtinus Rubeus

Noſtratium Foggię induſtria

Huic cœnobio Guglielmus Corcionus opes legat.

Neapolim modò reuocamur, vbi nouum hoc anno domicilium agitatur: quod quamuis ſucceſſum non habuerit, pretium erit, narraſſe: præſertim quòd mutato deindè ſitu, perfecerint Neapolitani Patres tribus poſt annis conſilium, quarta hac domo fundata, de qua, perturbato licet ordine hoc etiam loco opportunè dicam. Planè iis Neapoli incrementis viſa noſtra Sodalitas ſuboleſcere, vt quamuis tres omninò Ordinis domus, eæque ampliores in ea iam Vrbe eſſent, maior nihilominùs religioſorum numerus videbatur, quàm vt ea cœnobia caperent. Quapropter cùm pernéceſſarium ducerent nouum ibi conſtitui contubernium, iam inde ab anno huius ſeculi quinto decimo generalium comitiorum decretum manauerat, vt in id negotii incumberent. Id quod non minimæ etiam futurum vtilitati Neapolitanis, exiſtimarunt; ſi nempè ſitum deligerent, vbi rara operariorum nauitas: atque adeò indigere maximè vicinia religioſorum hominum opera, ac vigiliis videretur. Rem verò propiùs vrgebat Iſabellæ Carafę, Cerciæ maioris Duciſſæ, munificentia, quæ, miſſo rebus humanis nũtio, nomen in Sapientiæ monaſterio nuper dederat; ac non exiguam quidem ſuarum fortunarum partem ita legauerat, vt ſi quo tempore pecuniarum hæc ſumma exigeretur, quartum iam cœnobium extaſſet, illi cederet; ſecus Sanctorum Apoſtolorum domus potiretur. Quare ne corrumperet occaſionem mora, maturare noui huiuſce

Neapoli quarta agitatur domus.

Cui Cercię Duciſſa antici pata munificẽtia conſulit,

domicilii inſtitutionem Patres conabantur, vt acceſſione poſtmodum legati eſſet vnde excitando templi, tectique ædificio ſumprus ſuppeterent. Sed enim dum cunctari plus nimio oportuit, augeri iis bonis Sanctorum Apoſtolorũ domum contigit. Quod ſanè viſum reliquo huiuſce negotii ſucceſſui haud fauſtè ominari. Cœptis nihilominùs ex generalis Capituli decreto inſiſtitur, atque explorata pro loci delectu perquàm ſtudioſè Ciuitate, collimatum præcipuè in D. Ioannis Maioris baſilicam, veluti Inſtituto, atque animorum cultui opportuniſſimam. Templum id eſt, vti aliàs adnotaſſe me, memini, peruetuſtum perindè, ac amplum, ab Adriano Cœſare profanæ Deorum ſuperſtitioni excitatum, poſtmodum à Conſtantino Magno, & Conſtantia filia religionis, votique cauſa Diuo Ioanni Baptiſtæ, & Diuæ Virgini Luciæ dedicatum, auctumque ſplendidè, atque à Siluestro Pontifice inauguratum; Clericis olim Regularibus priſci æui, nunc ſecularibus addictum. Situs in frequentiore Vrbis parte, cui cũ nullæ adiacerent religioſæ familiæ, ita ſe poſſe diuino cultui, ac proximorum ſaluti nauare operam, putarunt noſtri, vt ſuum quidem ordinem amplificarent, aliorum non lęderent. Rem verò qui nonniſi ſummi Patris nutu peragi vellent, ne quid deindè impedimenti afferrent Romanorum Pontificum ſanctiones, exorato Gregorio quintodecimo, eius tandem aſſenſionem impetrarunt: cuius nomine Ludouicus Card. Ludouiſius, compoſitis ad Decium Cardinalem Carafam, Neapolitanum Archiepiſcopum literis, ſignificauit, eam eſſe Pōtificis mentem, vt aliud Neapoli cœnobium Clericis Regularibus contingeret, præcipuè D. Ioannis Maioris templum: daret proindè operam, vt illo potirentur Patres, in quo perſuaſerat ſibi Pontifex, communi illos pietati ſtrenuè operaturos. Nouerat Carafa noſtratum vota; & qui fauebat vnicè Ordini, viſus rem complecti inſigni voluntate, ac ſtudio. Et templum quidem D. Ioannis noſtris attribui, nihil ad eius dignitatem, ac decus accidere poſſe opportunius, putabat. Nam præter æui ſenium, ex quo laborabat, inſtauraſſentq. ad omnẽ magnificentiam, nitoremque Theatini Inſtituti homines; tùm ſordeſcere in eo diuini Numinis cultus, videbatur; vt neque pſalmodiæ, neque Sacramentorum procurationi ſua eſſet ratio, ac modus: faciebatque hoc etiam ad loci dehoneſtamentum, quòd ſicariorum perfugium plerumque eſſet, ſordeſque ab hominum ea fæce contraheret. Clericorum autẽ Regularium miniſterio, ac opera non dubitabat fore, vt refloreſceret ſacrorum inibi ſplendor, ac mundicia; ſtatimque illa ſceleratorum, ac ſcelerum colluuies inde faceſſeret. Illud potiſſimùm apud optimum Archiepiſcopum magni momenti erat, quòd frequentior cùm eſſet vicinia, ac pauci, qui rem animorum procurarent, indigere pręſenti religioſorum hominum ope, atque induſtria videbatur. Et verò, cùm eiuſdem Cardinalis iuſſu per aliquot in ea baſilica dies publicis concionibus, ac ſacramentorũ pœnitentiæ, atq. Euchariſtiæ adminiſtratione noſtri deſudaſſent, proceſſerat quidem ingenti cum omnium fructu labor; atque à quadam rerum diuinarum inſcitia, ab inueterata multorum prauitate, à gẽtis paſſim in myſteriorum vſu incurſa liquidè perſpexerant, quanto cũ pietatis incremento eò acceſſiſſent: ac ſimul conciliata cōmuni beneuolentia non mediocre ſui deſiderium concitauerant. Quæ cùm ſciret Carafa, ac in eo totus eſſet, vt accederet noſtro Inſtituto eccleſia, proficiſci Romam oportuit, elato Gregorio Pontifice; atque adeò negotium interturbari; cui mox ita fauit, qui ſucceſſit, Vrbanus Pontifex Octauus, vt, obſignatis breuibus literis, baſilicam noſtris ſupremo iure conceſſerit, Pontificiis ordinationibus, quæ refragari videbantur, abrogatis. Atenim in poſſeſſione capeſſenda, nec tàm citò, nec tàm ſecretò peragi res potuit, quin ad eorum aures peruenerit, qui ſuis rationibus officere plurimũ putabant, eò nos transferri. Obnitendum omni conatu ducunt; veluti noſtra duntaxat quæreremus, non quæ Ieſu Chriſti, & quæ proximorum commoda, ac ſalutem ſpectant. Neapoli primùm adminiſtrorum animos accupare, ac moras nectere: tùm Romæ reclamare, conqueri, ad Pōtificum decreta prouocare: vt facilè impetrauerint, differri negotium, quoad diligentiùs ad examen reuocaretur. Dilatio vehementiori aduerſariorum impreſſioni locum fecit; & quòd noua in dies accederent emendicata ab iis officia, ac loci potiſſimùm Rector lædi ſua iura conclamaret, impetrata ſemel à Pontifice adeundi Eccleſiam facultas, abrogata. Vſque adeò verum eſt, non ſemper, quæ maximè in Dei gloriam vertunt, ſuccedere: Siuè id prauum hominum

inge-

In templum D. Ioannis Maioris collineat Patres

Card. Ludouiſii ea ſuper re literæ ad Card. Carafam

Elato Gregorio fauet negotio Vrbanus Octauus.

Sed ab æmulis mora.

ingenium effecit, ſiue communis hoſtis inuidentia, cui nihil infeſtius, quàm animorũ adiumenta, ſiue Deus ipſe, qui arcana quadam mente abrumpi interdum ſua beneficia, vt mortales vindicet, permittit. Noſtris quidem cùm apertus adhuc propugnandæ cauſæ aditus videretur, ac ſuppeterent inſtaurandis iudiciis firmamenta rationũ; ſtandum nihilominùs ſententiæ, quam Dei nutu eueniſſe, non dubitabant, duxere. Carafæ autem Archiepiſcopo nihil moleſtius, quàm ab ea ſede, ac fructuoſiſſimis vigiliis excludi noſtros: quippè qui in ſpem venerat, fore, vt percelebris ea baſilica ſuæ dignitati quà parietum, quà Cleti cultu reſtitueretur: ac pro ſuarum ouium zelo bene iam eſſe illi vicinitati à præclaris operariorum ſtudiis, gratulabatur. Et quidem, quoad, re adhuc integra, licuit, adeſſe auctoritate, ac ſtudio, officii ſui duxit; ac literis præſertim efficaciſſimis, quarum exemplaria penes nos ſunt, Vrbanum Põtificem appellauit. In iis inculcare, æquam cauſam penes Clericos Regulares eſſe: momenta rationum afferre, Dei cultum, ſacrorum decus, eccleſiæ commodum, morum inſtitutionem vrgere: obteſtari denique Pontificis fidem, ac poteſtatem, vt Theatinis incumberet. Ab inſigni profectò in nos voluntate iſthæc ampliſſimi Cardinalis officia; ſed pulſabat vehementiùs pietatis ſtudium, ac ſuarum ouium vtilitas: vt incredibili deindè ſenſu exceperit vir flagrantiſſimus, amplificandæ religionis occaſionem, ac ſpem excidiſſe.

Grauì cum Carafa Archiepiſcopi ſenſu.

Quamquam, quæ eſt diuini conſilii ratio, in iis ipſis, quæ cadere improſperè videntur, præſtantiora ſemper moliri conſilia; compenſata non ita multò poſt huiuſce domicilii iactura ſede fuit, quę, & à celebriore ſitu, & ab eccleſiæ titulo, populorum pietatis magis accommodato, aliiſque de cauſis non pœnitendis opportunior profectò videri potuit: ita vt oppugnatum tanto cũ impetu D. Ioannis Maioris conſilium in beneficiis poſtea computauerint Patres. Fuit hæc Lauretana ædes ad Toletanam viam, ſitu non longè ab Apoſtolici Nuntii domibus, in cuius inſtitutione quicquid eſt enarrandum, hic expediam. Perſuaſerant ſibi, vti dixi, Patres, aliud Neapoli contubernium omninò neceſſarium, animumque in eo conſilio obfirmauerant. Eapropter excluſi Conſtantiniano tẽplo, quod modò ſignificaui, cũ alia, atque alia deſtinaſſent animo loca, tandem Toletanus ſitus, frequentiſſimus nempè, ac obuius placuit. Cautiùs agendum rati, ne iterũ velificationem ſcopuli retardarent, breues literas ab Vrbano Pontifice impetrant, quibus ea lege, quæ certam iubet inter religioſas familias diſtantiam, ſoluuntur. Nec mora: domus, quàm ſecretiſſimè potuit, opportuno quidem loco in eo regiæ viæ proſpectu coëmpta; vbi ſacra ædicula decenti quadam forma, cultuque compoſita, concinnatiſque pro modo excipiendis Patribus cellulis; impetrato item Franciſci Boncompagni Archiepiſcopi Neapolitani nutu, die Auguſti menſis decima anni voluentis ſeculi vigeſimi octaui eo ſe tranſtulere Patres, agente D. Pauli Præpoſitum Andrea Piſcara Caſtaldo, qui ſingulari quadam ſolertia negotium adminiſtrauit. Viſum profectò portenti ſimile, aperiri ex improuiſo id loci eccleſiam, celebrari ſolenni ritu ſacra, ac reſonare diuinis laudibus odeum, vbi nihil antea ſacri, ac ſancti aduerterant. Templo, vt fidelium pietatem nomenclatio adaugeret, factum à Deipara Lauretana nomen: collocatumq. ibi magnę Matris ſignum, illi omninò ſimile, quod in Piceno colitur; ſicuti & reliquum ædis ſchema ad celeberrimæ Lauretanę baſilicæ exemplar, quoad fieri potuit, conformatum. Ipſa ſtatim mortalium celebritas, cùm ſitus delectum, tũ Marianę Eccleſiæ appellationem probauit. Enimuerò Lauretani nominis religione excitati, viſi eo quidem ſtudio, ac frequentia concurrere Neapolitani, perindè ac ſi Picenam ipſam domum inuiſerent. Pręſertim, quòd præter diuini cultus ſplendorem, à noſtris quàm diligentiſſimè procuratum, celebrari ſinguli ſabbati dies cœperint muſicis in Auguſtæ Virginis laudem concentibus, ac ſacra ad multitudinem concione. Et probauit Deipara ipſa loci cultum, impenſumque ſibi in ea æde obſequium, collatis prona quadã benignitate beneficiis: veluti honorem templi, pietatemque rependeret munificentia. Viſa potiſſimũ exuuias quaſdam nobilitare, quę ſuum olim in Piceno ſimulacrũ conueſtiuerant. Adeptas pio quodam ſtudio, in pretioſiſſimis habebat, colebatque domi Iulia Brancacia, prænobilis fœmina Neapolitana. Sed quæ erat Theatini nominis cum paucis ſtudioſa, illas Lauretanæ huic ædi addixit; rata, nullum ſplendidius

Compenſat D. Ioannis Maioris Templum Lauretana ędes

Quæ ad Toletanam viam fundatur.

Lauretanę Virginis appellatio quã grata acciderit

Templum Marianis exuuiis ornat Iulia Brancacia.

Virgini, ac noſtris donum conferri potuiſſe, quàm Marianam eam veſtem: quæ cũ morbis depellendis vim quandam oſtendere confeſtim cœpiſſet, amplificata mirum in modum in illam religio eſt. Quare circumferri à noſtris oportuit; ſentiebantque paſſim ægroti, afflari ſibi eius attactu incolumitatem. Porro eius rudimenta domus iuuere maximè reliquæ Neapolitanæ ædes, collato, cùm domeſtico, ſacroque inſtrumento, tũ in domorum emptionem ære. Accidit tũ quidem commodùm, vt Frãciſcus Reuertera, Salandræ Dux, nomen Religioni dederit: & qui libare é lautiſſimis fortunis ſuis particulam Deo decreuerat, cũ alia in piũ vſum legauit, tũ hanc potiſſimùm ædem trium aureorum millium ſumma inſtruxit, aliiſque per interualla temporũ à ſylua quadã cædua pecuniis. Fuere & alii, qui naſcenti domicilio opem inſigni beneuolentia attulere. Inter primos Octauius Serra Genuenſis, Carouigni Princeps noſtros præſenti liberalitate demeruit. Nam præter ſitus partem, ſuo nomine, ſumptuque emptam, quotidiana deindè erogatione adſuit; nec lenta quidem manu; vt in hoc vnius ædis præſidio adiunxerit ſibi vir æquè nobilis, ac religioſus vniuerſi Ordinis ſtudia: eò vel maxime, quòd prætulerit & aliis facem, exemploque etiam huiuſce contubernii exordia promouerit.

Franciſcus Reuertera cœnobium iuuat.

Et Octauius Serra.

Iam verò, quòd ex Capituli generalis Conſulto decretæ iam fuerant noſtrarum extra Italiam expeditiones, intentus Vincentius Gilibertus Præpoſitus Generalis in omnem rei bene gerendæ occaſionem videbatur. Erectuſque eſt hoc potiſſimùm anno in ſpem, fore, vt in Germaniam ſuos allegaret, figeretque Viennę Auſtrię domicilium. Aderat tũ Romæ Card. Cleſſellius, Viennæ Epiſcopus, ad quem eius Vrbis preces deferebantur, vrgebantque, vt mittendos in meſſem operarios, curaret; quando immixta bonæ ſegeti nouatorum zizania, adduci communis pietas in diſcrimen videretur, indigeretque auxiliari opera Viennenſis præſertim religio. Et inſiſtere quidem Cleſſellius apud Auguſtos Patres, qui fidei propagandę præerant; qui, re expenſa, vt Gentis neceſſitati conſulerent, noſtratum phalangem ad eas vigilias deſtinarunt. Quo ſanè nihil ipſi Cleſſellio iucundius, qui impigram Clericorum Regularium operam nouerat, & peculiari quodam ſtudio, affectuque in Ordinem ferebatur; adeò vt ſuam etiam conſcientiam noſtris permiſerit, ac multus in ornanda paſſim Congregatione eſſet. Deſignata iam Viennæ primaria quædam eccleſia, quæ aduentantes exciperet. Catholicorum, ac bonorum omnium princeps cura, ac votum erat, maturari ſucceſſum. Aderat Gonzaga Imperatrix, quę Theatini nominis ſtudioſiſſima, negotium ſtrenuè iuuabat apud Auguſtum Coniugem, cuius duntaxat nutus conficiendæ rei deerat. Et conſenſurum quidem, cùm non dubitaret Pater Generalis, in procinctu iam eſſe viros, æquè doctos, ac virtute conſpicuos iuſſerat: vt inſtituerent deindè, nulla mora, iter. At enim, dum differt Cæſar, occaſionem corrupit mora: iuuitque iis tempus, qui interturbari rem, vellent; ne ſi noſtris ea pateret area, ac ſuam inibi diligentiam, atque induſtriam pobaſſent, Gentis ſtudia partirentur. Ægrè id in primis tulit Imperatrix, quæ diſſimulare ſenſum apud Coniugem noluit, conqueſta apertè, quòd in Theatinos, quos vnicè complectebatur, in obtinenda Viennenſi ea Sede adeò valuiſſet æmulatio. Cardinalis verò Cleſſellius, vt erat in noſtram diſciplinam, atque in ſuæ Eccleſię incrementa egregiè animatus; nunquam animum deſpondit; & quà Romę officiis, quà Viennę literis rem omni ope perurgebat, quoad præſtantiſſimi Principis, atque optimè de re Theatina meriti fatum negotium omninò præcidit.

In Germaniã prouocantur noſtri.

Rem apud Cardinales vrget Card. Cleſſellius.

Fauet Gonzaga Imperatrix

Euocamur nunc Taurinum, vbi fundatata nuper domus, ſubito quodam armorum turbine tacta, atque euulſa penè ſedibus fuit. Bellum in Genuenſes mouet Carolus Emmanuel, Dux Sabaudiæ. Lis erat de Zuccatelli Marchionatu; & quæ eſt inter Principes agendi ratio, vt iudicia, ac forum Mars regat, perorari armis cauſam, oportuit. Sabaudo id primum, quicquid creari in eo belli motu ſuſpicionem poſſet, longè auertere. Quocirca cautum edicto voluit, vt religioſi homines, qui non eſſent, aut Eccleſiaſticæ, aut Venetę Ditioni obnoxii, à ſua quàm primùm Dominatione faceſſerent. Id quod exhaurire Taurinenſe noſtrum domicilium fuit, in quo fermè omnes Neapolitani: regebatque familiam, quem aliàs memini, Caietanus Coſſus, & ipſe Neapolitanus, qui viſus ſtatim diſceſſum vnà cum ſuis adornare non ſine præclaro in

A Sabaudo in Genuenſes bellum.

ſuum

ſuum Regem fidei documento. Enimuerò qui ſummo loco in ea Aula erat, Mauritio Card. inclytis etiam Infantibus, ac Duci ipſi Carolo cum paucis carus, id cõmunis beneuolentiæ teſtimonium promeruit, vt cœteris abeuntibus, ſubſiſteret ipſe, quem non exterum, ſed ſtudio, affectuque popularem, ac ciuem reputabant. At enim hanc Principum beneuolentiſſimorum indulgentiam, quòd ſibi, ſuæque origini, ac fidei detrimento eſſet, renuit permodeſtè Coſſus, diſceſſitque ingenti cum Principum ſenſu Mediolanum, adhortante licet, ac vrgente etiam, atque etiam Catharina potiſſimùm Caroli filia, vt remaneret. Nempè ita ſe, inquit ille, Sabaudæ Domui addictum, vt illibatum omninò vellet in Auſtriacum nomen obſequium. Perindè autem eſſe, cœteris abeuntibus, Taurini hærere, ac Patriæ iura abdicare, inſitamque à cunis exuere in Catholicum Regem reuerentiam. Id quod adeò eius Aulę gratiam, ſtudiumq. in ipſum non imminuit, vt etiam magnoperè adauxerit. Et altera quidem ex Infantibus, quæ genio quodam pronior in Hiſpaniarum Regem erat, plenas officii literas ad illum Mediolanum dedit: in quibus hæc præſertim: *Magis quidem gaudeo, quòd Taurino exules, tanquam Hiſpani nominis percupidus, quàm ſi hic ageres, honorificè habitus, veluti Gallicarum partium homo.* Ipſe verò Dux Carolus Emmanuel conſilium non ſemel dilaudauit; ac probaſſe, oſtendit poſtea reipſa. Compoſito ſiquidem cum Genuenſibus bello, Coſſum Taurinum illicò reuocauit: honeſtauitque iis præſertim verbis: *Profectò, vt inſigniter fidus Regi ſuo fuit Caietanus, ita optimum etiam futurum adminiſtrum, amicumque noſtrum, nullus dubito.* Atque exindè proſequi illum maiore, vt ſtudio, ita amplitudine, ac liberalitate cœpit, adauctis eleemoſynis, mutatoque in ſplendidiorem viciniam noſtræ domus ſitu; præter rerum grauiſſimarum communicationem, atque honeſtiſſimam ad Catholicum Regem Legationem; vt florere Principum gratia, atque auctoritate in ea Aula videretur Caietanus, quorum cauſa auctus deindè Infulis, vt in loco exponam.

Caietani Coſſi in ſuum Regem fides.

Cumulatus beneficiis à Sabaudis Coſſus.

Obiicit ſe ſe modò enarrandum ſuſceptum ab Illuſtri Iuuene noſtri Inſtituti conſilium, quod pretium erit, vnà cũ eius virtute literis conſignaſſe. Eminebat in Neapolitana nobilitate Ioannes Villanus, Pollæ Marchio, Ioannis Villani Senioris, Conſilii, quod vocant, Collateralis olim Regentis, nepos: æuo, quod annum quintum & vigeſimum non excederet, ſuauiſſimis moribus, ingenio, atque ipſa oris ſpecie florentiſſimus. Sponſam à Caſtellioni Principibus, ac Gente Gioiena, Panormi cũ primis nobili, ſibi adiunxerat, ſplendidiſſimis planè nuptiis. Qua prematurè defuncta, vocatus is eſt ad ſanctioris vitæ frugem, cũ maximè deflexiſſe à pietatis orbita videri poſſet Iuuenis, cœteroqui naturę bonitate, atque egregia indole ſpectatus. Rem excipiet breui ſtylus, quemadmodum ipſemet, compoſitis ad Matthæum Sanctomangũ literis, virum ex noſtris, quem aliàs memoraui, laudatiſſimum, ſuumque conſanguineum ingenuè ſignificauit. Solutus quippè connubii legibus Ioannes, veluti frænũ abieciſſet, degenerare in quandam morum licentiam viſus eſt: eòque iam libertas peruenerat, vt nexu quodam longè periculoſiſſimo implicitus, nil propiùs erat, quàm exuere recti, ſanctique mentem prorsùs omnem. Nulla iam illi ſacrorum cura, ac vſus; nulla virtutis exercitia; ſurdæ item monitis aures, ac nullus conſcientiæ morſus. Id vnum ſibi propoſuiſſe videbatur: nempè ſuam perniciem ſequi, ac peſtilentiſſima voluptate adblandiri ſenſui: tùm ſi quæ fortè ſe ſe impedimenta obieciſſent, quæ genii ſui curſum retardarent, ea aliorum etiam exitio eluctari, conſtituerat. Dum ſic cœco rectori ſui habenas permittit, propiore iam caſu, ac ruina, non illum deſtituit diuina bonitas; ſed colluſtrata cœlitùs mente, reuocauit maturè ad mores, vnde detorſerat. Enimuerò die Domini Præcurſori ſacra illabi ex inopinato vim quandam animo ſenſit, qua odiſſe, ac velle coactus eſt, quicquid ſe tùm quidem potuiſſe aut velle, aut odiſſe, omninò negabat. Illecebras nempè, quæ merſerant, lachrymis, ac ſuſpiriis deprecari ſtatim cœpit: tùm non emendare vtcumq. mores conſtituit; verũ etiam, quòd vehementior quidem erat impetus ſpiritus, religioſi inſtituti mentem flagrantiore quodam animi ſtudio concepit. Recognoſcere perdiligenter, ac per pluſculos dies conſcientiam, illamque ritè expiare, ac myſteria vſurpare primò voluit; deindè, quòd gliſceret conceptus ſemel ardor, adeò vt iam ſibi imperare minimè poſ-

Vocatur ad Ordinem Io. Villanus.

Eius post elatã Coniugem vitę licentia.

Corrigitur diuina illuſtratione.

Ac regularis vitę mentem concipit.

poſſet, maturare ſeculi ſugam conſtituit: ac de ſacro Ordine, quem iniret, non diù deliberandum illi fuit. Nam tùm ſtudio quodam, ac propenſione in noſtram familiam; tū cuiuſdam eximia ſanctitate monialis, quam eam ſuper re conſuluerat, ſententia, animum ad noſtros adiecit. Itaque, datis Neapolim literis (Pollæ ſiquidem, ſuo nempè in Oppido morabatur) conſilium Sanctomango, qui in D. Pauli cœnobio agebat, aperit, rogatque impensè, ac ſumma quadam animi demiſſione, daret operā,

Petit à noſtris admitti.

vt Patres compotem voti facerent, aggregarentque ad ſuos. Qui quidem Iuuenem, quà opibus, qua affinitatibus, aliiſque corporis, animique bonis ſpectatum, quamquā futurum ornamento Ordini non dubitabant, vtendum nihilominùs prudentia, ac lenta quadam maturitate, duxere. Scilicet, viuida, ac in ipſo flore ætas, ſplendidè viuendi conſuetudo, ſubitus ille animi impetus, poſcere quoddam à mora periculum videbantur. Excitaſſe acrius deſiderium viſa hæc Patrum tardior deliberatio. Addere proindè literas, ardoris plenas Marchio: perorare vehementiùs cauſam ſuam: vrgere precibus. Ea ſe, aiebat, diuinæ charitatis habere argumenta, vt nullus iam eſſet dubitandi locus, an à Deo vocaretur. Præterea tres omninò menſes jam eſſe, ex quo id mentis conceperat, ac non modò propoſitum aliqua ſaltem ex parte non elanguiſſe, ſed aggeſta veluti materia, maiorem quotidiè in flammam exarſiſſe. Id

A mora vehementiùs accēditur.

quod diuinum profectò conſilium probat, cui adnata conſtantia, atque in dies vigor. Ad hæc, qui iam ſe quodam diuinorum ſenſu dignatum supernè, cognoſceret: nec planè ſciret, quam potiſſimū teneret in eo pelago velificationem, rectoris alicuius diſciplina indigere, qui ſyrtes, ſcopulos, curſumque inoffenſum oſtenderet: aliàs vereri maximè, ne ignarus viæ, atque iſtiuſmodi cœleſtium illecebrarum à recto tramite exerraret. Hæc, aliaque poſtremis ad Sanctomangum literis Ioannes, quas in hæc verba robuſtiore quodam ſpiritu finit. Propter Ieſu Chriſti amorem da operam, Pater, vt non meorum meritorum, ſed Dei charitatis, ſalutiſque animæ meę rationem habeant Patres. Siquid remorari negotium, atque obniti contingat; ſignificetis, rogo, mihi difficultates, quas abrumpam. Nam nulla licet mihi inſtrumenta naturæ, atque

Datiſque iterū literis impenſius efflagitat.

animi ſuppetant, vt Religioni inſeruiam, ſatis eſt virium ad conuerrendam ſaltem eccleſiam: firma mihi corporis habitudo, atque idoneum laboribus, vigiliis, curiſq. domeſticis omnibus robur: aſpirante pręſertim Dei gratia. Bona igitur me ſpes tenet, fore, vt impetrem; idque potiſſimū Beati Andreæ ope, cui me ex animo commendo. Hæc ille, cuius inſignem in ſuſcepto conſilio conſtantiam, ardoremque admirati Patres, certi iam, iniectam à Deo mentem, communi ſuffragio, gratanterque admiſere. Rei nuntium vbi ille accepit, incredibili quidem lætitia perfundi viſus eſt:

Recipitur.

Sed ſimul ingens quidam inceſſit timor, ne grandi hoc beneficio dignatus, minùs deindè reſponderet. Gratias Neapolitanis Patribus prolixiùs habuit. timorem hunc porrò noluit diſſimulaſſe, quem tamen à ſingulari in Deum fiducia erigi fatebatur. Planè, quod intimo quodam animi ſenſu, ac disertè hos animi motus exprimat, iuuat hic excerptam literarum particulam exſcribere. Timeo equidem, inquit, hæretque animus. Sed noui, dulciſſimum Dominum dare omnibus affluenter. Certè, cùm

Præclari eius animi ſenſus.

nihil à me huic operi acceſſerit, totumque à diuini Numinis bonitate fuerit, ſperare me, eiuſdem bonitatis abyſſus iubet, fore, vt agnoſcam, quanti faciendum ſit, ad crucis ſtipendia vocari, deturque mihi, vt aliqua ſaltem ex parte beneficio reſpondeam. Quid ipſe valeam, equidem ſcio. Memini ſiquidem, non ita pridem meis me auſpiciis, ductuque vixiſſe; atque adeò nihil præterea effeciſſe, quàm expreſſam, lucentemque meo in animo Dei imaginem corrūpere. Dominum ipſum precor, vt quando à meo ingenio, ac opere nonniſi mea pernicies exiſtit, admoueat ipſe manum, perficiatque, quod ipſe nequeo. Reſtat, vt alacri magnoperè animo ad ſuauiſſimum ſanctæ iſtius Religionis iugum inuolem: ea potiſſimùm erectus voce: Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Pręſertim, quòd qui non exigua aliquando, vt genio, communique aduerſario inſeruirem, perpeſſus ſum; abſterreri ſanè non debeo, quominùs aliqua pro Deo patiar. Hæc vir flagrantiſſimus, qui vbi rem domeſticam

Tyrocinium ponit Magiſtro Ioſepho Caracciolo

compoſuit, Neapolim venit, rectà quidem ad D. Pauli: quamuis eſſet inibi ſua domus, ad quam diuerteret. Nec poſt multò, quibuſdam etiam accuratis Neapoli commodis, ne quid reliquum deindè eſſet, quod receſſum, ſanctioremque vitam, quam

con-

conceperat, interturbaret, auſpicatus tyrocinium eſt. Magiſtrum habuit Ioſephum Caracciolum, virum ab omni virtutis laude inſtructiſſimum, atque in ſpiritus pręſertim formatione, fingendaque ad religioſam obſeruantiam indole cum paucis comparandum. Qui quidem ardens in prænobili Iuuene virtutis ſtudium, contentionemque in arripienda Inſtituti diſciplina admirari ſatis non poterat. Ea quippè facilitate, quæ difficillima ſunt, Religionis rudimenta, atque exercitia complecti videbatur, veluti non tū quidem corporis cultum, luxum, opes, libertatemque abieciſſet: ſed diù antea in perfectionis ſchola deſudaſſet. Voluntatem, eiuſque arbitrium, quo nihil in homine contumacius; & niſi bona fide expugnes, eniti ad virtutis poſſeſſionem omninò non potes; viſus Ioannes momento triumphaſſe: adeò vt diceret Caracciolus Moderator, nulla ſe agnoſcere in eo ſuæ voluntatis veſtigia: & ipſemet Ioannes qui in eo triumphandi ſui ſtudio totus erat, dicere ſolebat, ſe quidem gratias diuino Numini habere, quòd arbitrium conceſſerit, vt integram ipſi Numini eius libertatem dedicaret. Hinc obedientiæ addictiſſimus, ac nihil niſi ex eius pręſcripto, nutuque agere. Par illi humilitatis, ac modeſtiæ ratio, ad quam tyronum indoles potiſſimùm fingitur. Nihil domi, nihil in eccleſia abiectioris miniſterii recuſare: perpurgare pauimenta, altaria, atque altarium vaſa peropolire, ſordidari puluere, iucundiſſimum putabat. Scilicet, quicquid antea fuerat, titulos, omnemque exiſtimationem, ac faſtum mundi protriuerat, atque oblitus adeò fuerat, vt dixerit perſępè ſociis, videri ſibi, commoda, ac pompam nunquam vel minimùm deguſtaſſe: tantùm abeſt, vt conſuetudo, ac præteriti cultus memoria animum vellicaret, aut à religioſæ demiſſionis exercitio, vſuque retardaret. Illud etiam ad hanc ſui deiectionem maximè facit. Siquidem addictus cuiuſdam è ſodalibus miniſterio, qui à vehementi quodam morbo mente etiam laborabat, ita charitatem in diurna, nocturnaque eius cura probauit ſuā, vt exercere potiſſimū humilitatē oportuerit. Captus nanq. mente ęgrotus, actuſque vi morbi in furorem quendam, aſperè illum accipere, ac contumeliis etiam inceſſere ſolitus erat, quas ille; veluti iucunda auditu pronunciarentur, flexo ad hilaritatem vultu, inſigni cum modeſtiæ laude excipiebat. Iam, nihil in eo frequentiùs, quàm rerum cœleſtium meditatio, in qua perfundi mirificè ſupernis deliciis non ſine exceſſu mentis, videbatur; ita vt miraretur Magiſter, tàm breui, tàm intimum diuinorum ſenſum, nexumque cum Deo conſequi potuiſſe. Delibare arcana hæc in commentandis diuinis rebus gaudia vel in ipſo ſuæ vocationis initio cœperat, quæ adeò interdū exundarunt, vt cū non caperet ſinus copiam, egredi in campum coactus fuerit; vbi remotis arbitris, affuſos supernè eiuſmodi ſenſus gemitu, & clamoribus effunderet. Hæ poſtea in contemplando abalienationes, ac ſolatia viſa à Religionis ſilentio, ſeceſſuque excreuiſſe. Nec latere diù ſociorum oculos potuit: ex quibus vnus quiſpiam, vt tulit occaſio, ſemel, ac iterū, & tertiò cellulæ oſtium cùm pulſaſſet, nec reſpondiſſet Ioannes, ratus quid eſset, aperuit ipſe; ac nixum humi orantem vidit: tùm veluti è ſomno excitatum, ſurgere, eo quidem ardore vultus, vt indicaret planè redire ab Empyreo mentem, quæ hauſtam cœlo lucem, ac flammam in externam ipſam ſpeciem refundebat.

Tyrocinium ponit, Magiſtro Ioſepho Caracciolo

Fit in religioſa diſciplina alacrior.

Et cœleſtium contemplatio

Sub hoc religioſæ vitæ initium, tyrocinio nondum expleto, veluti iam emeritus, vocatus ad præmia eſt Ioannes, planè ingenti cum noſtratum ſenſu, qui, quòd acceſſiſſe Ordini non vulgare quidem decus à virtutum cultu, à diſciplinæ ſtudio, à prudentię laude, atque à flore quodam ingenii intelligerent, abripi deindè improuiſa ea morte ſpea ſuas, haud profectò poterant ferre non acerbiſſimè. Itaque correptus graui morbo, ſupremò decubuit: ſtatimque ad lapidem veluti lydium ſolida, ac vera virtus emicuit. Nam cùm non diſſimularent mali contumaciam, ac periculum medici, viſus illicò totum ſe ſe diuinæ voluntati permittere; vt nec vitam optaret, nec refugeret mori. Illud planè ſupra communem virtutem. Intrepidè nanque affirmabat, ſe quidem, quod ad gloriæ felicitatem attinet, non id cupere, vt Deum ęternùm videat, ſed vt Procreatoris ſui voluntas fieret, atque adeò ſubiturum ſe non grauarè inferorum pœnas, ſi ita Dominus iuſserit. Quam quidem mentis æternæ legi ſubiectionem inſigni patientia cumulauit. Non vultu, non voce teſtari morbum, ac diuexa-

Corripitur graui morbo.

Quem ſupremum eſſe, intrepidè audit

tus

tus peracuta dolorum vi, nullo ſe affici incommodo, aiebat: explicabatque mox dictum: nimirũ, quæ pateretur, nihil eſse, ſi culpas ſuas reputaret, amoremque Dei, qui tàm aſpera pro mortalium genere ſuſtinuit. Interim non modò ſerena ipſe fronte eſse; ſed alios etiam, ne ſui cauſa dolerent, monere. Marchionem fratrem, quòd triſti admodùm vultu aſſidere lecto vidit, primùm quidem, veluti per iocum, imitari eius triſtitiam: tùm liberali quadam oris ſpecie: æquo, inquit, animo eſto, frater, quid angeris? Et quòd eandem, quam ipſe, calcato ſeculi faſtu, orbitam preſſerat, promere & germanum fratrem, optaret; ſermonem de rerum humanarum inconſtantia inſtituit. Nihil hic, inquit, ſolidi, ac magni: fluxa omnia, & quæ nunquam pectora mortalium expleant. Ad æterna mente, ac opera collimandum: adhortari proindè, vt receptui & ipſe caneret, ac Deo ſe ſe, paupertatique, cui cœleſtes opes reſpondent, manciparet. Proſequi autem, atque vrgere prolixiùs cũ vellet, vetuit imbecillitas; rogauitque Caracciolum, qui aderat, vt vices ſuppleret. Morbo ingraueſcente, monitus vicinioris fati conceptis verbis fuit: qui nuntius viſus illum magis, ac magis exhilaraſſe: alloquutuſque lętitia, ac ſpe plenus, ſocios: fauſta, inquit, nuntiauit mihi Præpoſitus: ad exitum, ęternoſque in Domini complexus feſtinamus. Optatiſſimum, fratres, eſset, hac ſabbati die, magnæ Matri dicata, emori: ſed non hoc ego auſim poſtulare: neque dignam craſtina die mortem meam puto; quando neque decere intelligo, virum, peccatis coopertum, qualem eſse me, fateor, Dominica, hoc eſt, lætitię die mortalitatem deponere. Ergo poſtridiè, ſacra nempè D. Pauli Conuerſioni die, meiſque vitæ rationibus accommodata, defungar vita. Dum ſuos hoſce affectus impetu quodam flagrantiſſimi ſpiritus proſequeretur, allatum illi Euchariſticum Epulum, quod antequam ſumeret, intimè precatus Patres, ac Prępoſitum eſt, vt ſe Religionis profeſſione dignarentur, rata ſubindè habiturum vota, ſi fortè conualeſceret. Quod cùm Patres annuiſsent, conatu quidem ſupra vires, elataque admodùm voce, ſolennia cõpit vota: tùm refectus, munituſque Chriſti Dom. Corpore eſt, ſacroque inunctus ritè oleo ad ſupremam luctam; in qua quidem non defuit infernus antagoniſta, qui facta in illum impreſſione, viſus graui quodam animi motu ægroti mentem perturbare, ac valentiùs quatere. At qui cùm ab interna diuini Numinis præſentia, tùm ab externis monitis, atque officiis munitus abundè erat; repulit ſtrenuè hoſtem: arreptoque ſtatim Crucifixi Redemptoris ſigno, ſpe bona plenus: præſto, inquit, eſt diuina pietas, quæ immenſa, ac mortalium culpis longè maior: tùm reſpergi luſtrali aqua poſtulauit; rediitque ſuæ mox tranquillitati. Die verò, quam deſignauerat, quinta, & vigeſima Ianuarii menſis, cuidam è Sodalibus, velle ſe aliquantiſper quieſcere, ſignificauit; iret proindè, facultatemque à Magiſtro peteret, ne quid ageret vel in ſuprema ipſa vitæ linea ſine obedientiæ laude. Somnus nempè is erat mortis. Nam dum ſe ad quietem componit, agonem vltimum ſubiit; datoque mox ſigno, vt conuenirent, atque adeſſent egredienti animæ Patres, inter pias preces, atque in ſuorum complexu quàm placidiſſimè expirauit, quieſcenti ſimilis, relictis in vultu internæ virtutis veſtigiis: adeò vt intuentes mirificè oblectaret, excitaretque præclaro animorum motu ad pietatem. Nec diſſimulandum, viſam tùm quidem eius animam in cœlum ferri; Virgine Deipara, cui ille addictiſſimus, deducente. Scilicet, conſumatus in breui expleuit tempora multa: abiitque in æternorum poſseſſionem, coempta toto cenſu, nec quidem cariùs, gloria.

Eius tolerátia

Fati diem ſibi deſignat

Religionis vota nuncupat.

Vt tandem piè moritur.

Porrò editum hoc à Ioanne Villano Chriſtianæ humilitatis documentũ, vt à nobilitate nouum, ita omnes in admirationem adduxit: nec ſterile quidem fuit. Enimuerò non ita multò poſtquam is rebus humanis nuntium remiſit, Franciſcus Reuertera, Salandrę Dux, erepta lectiſſima Coniuge, è gente item Villana, Ioannis cõſanguinea, tùm recenti exemplo, tũ agente intùs Numine, eiuſdem Theatini Ordinis capeſſendi conſilium iniit: exceptuſque gratanter à Patribus eiuſdem Paulinę domus fuit, ingenti cum Neapolitanæ nobilitatis plauſu: Vir nempè à fortunę bonis inſtructiſſimus affinitatibus etiam illuſtris, ac florenti adhuc æuo. Exuit is confeſtim ſeculum, arctamque paupertatis, ac ſeuerioris diſciplinæ viam terere ea quidem humilitate, ac tolerantia cœpit; vt oſtenderit, cò ſeductum, diuino ſpiritu aurigante. Tyrociniũ

Frãciſcus Reuertera dat Clericis Regularibus nomẽ.

emen.

emenſo, antequàm vota nuncuparet; bona ita abdicauit: vt cũ addictum fratri lautiſſimum patrimonium, atque oppidorum dominatum voluerit; pleraq. etiam pauperum neceſſitatibus erogauerit; acceſſitque ab eius munificentia non mediocre ſanè commodũ D.Pauli cœnobio, ac noſtræ item Lauretanę domui, vti aliàs dixi. Fuit & is breuis æui: interceptus nanque fato eſt ſexto poſtquam Sodalitatem iniji, anno; ceu liberalis Dominus relictas pro ſe opes rependere, & quàm magnificentiſſimè, & quàm citiſſimè voluerit.

Breui moritur

Iam, quando horum funera anteuertit ſtylus, recenſendi modò ſunt, qui hoc anno, in quo narratione verſamur, ad meliores abiere. Et Aprili quidem menſe die quinta Ioannes Petrus Feulus Catacenſis Diœceſis, deuexa admodùm ætate, quippè qui ad annum nonageſimum proximè accederet, mortalitatem Neapoli in Diuæ Marię Angelorum domo exuit, non ſine eximiæ probitatis, ac ſanctimonię fama, quam ſibi ſtrictioris diſciplinæ obſeruantia, ac diuturna omnigenę virtutis exercitatione comparauerat. Antequam ſtipendia ſub Crucis vexillo faceret, ſequutus caſtra fuerat, profanus miles; ac bello Campano ſub Albani Ducis ſignis in Paulum Pontificem IV. militauerat. Id quod poſtea non ſine graui quodam animi ſenſu referre ſolitus erat: diuinamque viciſſim pietatem admirabatur, quòd nomen deindè inſtitutæ à Paulo Quarto militiæ dediſſet. Inerat Viro quædam morum ſimplicitas: nullus aut factis, aut verbis fucus: nihil ſecularis ſolertiæ, ſi mortalia pertractaret: contra verò vbi de animorum, rerumque diuinarum momentis agebatur, prudentiſſimus: valebatque in regendis aliorum conſcientiis, formandoque ſpiritu peculiari quadam arte: vt non honeſtæ duntaxat fœminæ, aut vulgaris ingenii viri eius ſe ſe clientelæ, fideique committerent; verùm etiam doctiſſimi quique, ac magni nominis conſilium de ſuis vitæ rationibus ab eo petere, non dedignarentur. Et ex exteris quidem pro comperto habemus, Patrem Mirandam, è Dominicana familia celebrioris eloquentię, ac doctrinæ, cum nullo libentiùs rem interioris hominis communicaſſe, quàm cũ Feulo, quem ſolidi, exertique iudicii in eiuſmodi ſpiritus formatione nouerat. Huic autem morum ſimplicitati, ac facilitati quædam etiam inerat zeli acrimonia, cùm in tuenda Ordinis diſciplina, ſi quid vitii in ea cerneret; tùm in procurando honore Numinis. Neapoli principis cuiuſdam fœminę excipere confeſſiones ſolitus erat; adibatque aliquando domum non ſine fructu. Accidit, vt ex quadam cum ſuo Epiſcopo controuerſia vindicari Coniugem publico anathematis fulmine oportuerit. Quod vbi reſciuit bonus ſenex, adire deinceps eam domum, ſæpiùs licet inuitatus, renuit. Neq. ea apud illum ratio valuit: in alijs nempè ab vxore conclauibus virum degere: proindèque abeſſe videndi, colloquendique periculum: ſtrictiore ſiquidem zelo obfirmauerat animum eò pedem non inferre, vbi is, cui interdictum ſacris fuerat, morabatur. Quod in cauſa fuit, vt indignata nobilis matrona, alium ſibi quæſiuerit confeſſarium; maluitq. ille tueri ſacrarum legum inſtituta, quàm principis domus gratiam. Atque eiuſmodi quidem procerum beneuolentiam ita viſus non affectare vt etiam ſperneret. Adiit aliquando ad D. Mariæ Angelorum Mirandæ Comes, qui Neapolitani Regni vices adminiſtrabat, vnà cũ nobiliſſima Coniuge, vt Ioannem Petrum pietatis cauſa alloquerentur, cuius ſanctimoniam commendari communi fama, nouerant. At is non ſummæ dignitatis rationem habere; intentuſque tuendæ humilitati, conuenire Principes renuit: vt non modò precibus, ſed ipſius etiam moderatoris vi agendum fuerit, vt in eorum ſe ſe conſpectum daret. Iterùm Clarici Caraſæ, Nuceriæ Duciſſæ modò quędam de fine hominis, ac de humanorum corporum corruptione monita inſtillaret, offendere apud delicatiorem fœminam, nihil penſi habuit. Quamuis, quæ eſt vis ſanctimoniæ, quę ſubiraſci viſa fuerat, poſtridiè eundem conuenire, ac ſuam illi aperire conſcientiam voluerit. Quod autem eminere inter præclaras eius virtutes videbatur, orandi ſtudium fuit; in quo neſcio, an aliquis frequentior, aut attentior. Fluere illi dies inter aſſiduas preces, quà voce, quà mente conceptas. Staret, iret, intra, aut extra cellulam, nunquam non aliquid piè ſubmurmurantem reperiſſes: vt ſeruare profectò illud Chriſti Dom. præceptum ad vnguem videretur: Oportet ſemper orare. In odèo oculis, aut in cœlum ſublatis, vt oſtenderet, vbi tũ quidem moraretur mens: aut clauſis, ne externa attentionem, animumque abriperent, pſallere. Sæpiùs abaliena-

Io. Petrus Feulus abit ad pauciores.

In re animarũ ſolertiſſimus.

Diuini honoris in eo zelus

Principũ gratię cõtemptus

Et orandi ſtudium.

Digitized by Google

Et in facienda re diuina ardor.

Inter sacrificādū correptus apoplexia, moritur.

Eius in extrema vita in Virginem pietas.

Inuocatur post mortem non ſine fructu

nari mentè exceſſu quodam, dum caneret, contigit: nec ſemel quidem ab ędituo, vt ad aram faceret, è choro vocatus, excuti, vt ad vitæ officia rediret animus, oportuit. Extra odèum, communemque pſalmodiam de genu preces horarias perſoluere. Ad Diuam item Virginem, Diuoſque Tutelares, nixus genibus quotidiè prolixiùs orare. Commentari diutiùs in eccleſia, atque in cubiculo demiſſus etiam in genua conſueuerat. Quocirca ab eo ſtatu corporis callum duxerat, ac labefactatis genibus medicas adhiberi non ſemel manus, oportuit: quamquā ipſe, quæ eius erat humilitas, prætextus adornabat, aliaſque ſimulabat mali cauſas. Miſſæ ſacrificium mirum, quo corporis, animique habitu obiret. Nunquam ſine profunda mentis cogitatione, atque ardore quodam vultus ea peragere myſteria videbatur. Summa ætate eò immolandę diuinę hoſtiæ deſiderii peruenerat, vt nihil torqueret illum acriùs, quàm mora. Adire proindè primo mane ſacrarium; rogare, vt aram permitterent; litabatque perquàm auidè. Quod quidem ſacrificandi ſtudium vel in ſupremis ipſis vitę momentis oſtēdit. Quippè dum vltimo anhelitu laboraret, obſeruatus à quodam ex noſtris fuit, recitare adhuc aliquas; qui dum aurcs propiùs admouet, audita ea verba: Ego volo celebrare miſſam, & conficere Corpus, & ſanguinem Dom. Noſtri Ieſu Chriſti. Et ſi non antea viuendi finem fecit, quàm ſacrificandi. Nam qui Beatum Andream Auellinum, à quo exceptus in Ordinem, educatuſque ſub eius diſciplina fuerat, imitari dū viueret ſtuduit, eodē dignari mortis genere meruit. Enimuerò, dū rē diuinam faceret, offerretque iam hoſtiam, correptus apoplexia eſt, ex qua dum paucis poſt diebus deſinit viuere; viſus ab ara ad Empyreum transferri, vt æternùm litaret. In eo vitæ cōfinio preſſus morbi atrocitate, ac viribus deſtitutus; non ſe, non pietatem deſtituit. Præcipuè, qui in cultu Auguſtæ Virginis Deiparæ multus fuerat, illamq. aſſiduis precibus celebrauerat; miſcere agonem vltimum, per ſummam, ſcilicet, contentionem cum Marianis laudibus voluit; monentibus fruſtra Patribus, vt interquieſceret, ac cederet tandem malo. Cuius quidem conſtantiſſimæ in Diuam Virginem obſeruātiæ viſus præmium tuliſſe: ſacra nanque illi Sabbati die, vt ipſemet non ſemel pronunciauerat, deceſſit. Quod peculiari quodam Deiparæ munere contigiſſe, ipſa medicorum admiratio teſtimonio fuit, qui percuſſum violenter eo caſu nonagenarium ſenem, exſpirare, non quidem poſt triduum, ſedea ipſa die debuiſſe, citra omnem dubitationem affirmarunt. Cohoneſtatum eximiis paſſim laudibus funus, ſuperſtite nimirùm inſigni probitatis, ac ſanctimonię fama. Et fuere, qui implorata eius ope à grauiſſimis morbis conualuere. Inter quos fuit Annibal Dentice, Vir patricius, qui impetratam boni Senis precibus incolumitatem argentea etiam tabella teſtatam voluit:

Panormi exceſſit hoc anno è viuis Marianus Agliata, pręcipui ſanguinis, ac ſpiritus

Marianus Agliata excedit ab humanis

ſacerdos, qui grandi quidem natu inſigni cū Panormitanæ nobilitatis approbatione nomen religioni dederat. Is flagrāte populari lue, mirum quo deſiderio vouendi pro ægrotantium incolumitate caput ſuum exarſerit. Veluti quid ſpecioſi officij affectaret, rogare, prenſare, vt publico valetudinario, hoc eſt, palæſtrę ipſi furentis morbi addiceretur. Tandem quo tempore deferbuiſſe commune malum, videri poterat: eiuſque extingui reliqnias, ne arderet iterū, veluti è cinere, calamitas, Magiſtratus Vrbis curabat; extinctus ipſe in laborioſo, ac ſummæ charitatis miniſterio eſt. Nam cùm compertum vſu eſſet, in defunctorum, eorumq. qui attacti peſtilentia fuerant, ſupellectili latere exitium: atque inde, veluti ab inſidiis, in communem cladem denuò prodire, tradendæ publico igni ad peſtilentiæ rogum eiuſmodi exuuiæ erant. Huic verò operi, ne quid peccaret venalis adminiſtrorum fides, admouendi pręclaræ virtutis, zelique viri fuere, qui perueſtigarent, abſtraherent, ac perſoluerent deindè dominis ſpoliorum pretia, quæ ignis abſumpſiſſet. In hanc igitur curam dum nauiter incumbit Marianus noſter, correptus febri, intra ſeptem omninò dies celeri quidem fato ſpiritū poſuit: viſus profectò flagrantiſſimo quodam fruendi Numinis deſiderio accerſere, ac feſtinare ſibimet mortem; reſponditque pręclarus hic exitus reliquæ vitæ, quam inter virtutis ſtudia tranſmiſerat. Etenim qui regulari nondum diſciplina authorarus piorum operum exercitatione exemplo ſui ſimilibus fuerat, mancipatus poſtea religioſo Inſtituto, niti velis, vt aiunt, remiſq. ad perfectionem ſtuduit; inſtituta nimirùm

vita

vita à morum innocentia, ab orationis ſtudio, ab humilitate, exactaq. legum noſtrarum obſeruantia laudatiſſima.

Neapoli item eodem hoc anno Ioannes Baptiſta Stironius, laici Ordinis frater, Caputaquenſis Diœceſis, deſiit viuere inſolito quodam mortis genere. Valetudinarius is erat, diùque munus inſigni cũ charitatis laude exercuerat. Ergo dum ab infirmorũ miniſterio neſcio quid in culina ad focum accuraret, ſæuiente immani quadam procella, excuſſum repentè fulmen, caminum tetigit, deſcenditque per vaporarium tubum cœleſtis flamma, quæ fratrem, inclamantem ſemel, ac iterũ opem, miſerandum in modum afflauit, abſumpſitque. Aſſuetis is ęgrotantium miniſterio; quòd viderat, laborare interdùm diutiùs moribundos, ac vltimam illam vitæ lineam ærumnarum, ac periculi plenam eſſe; auditus aliquando fuerat, cupere ſe ſubito quodam genere mortis defungi vita. Quod fortè à Deo petijt, ac impetrauit. Cœterùm, quòd Dominicus is eſſet dies, ſacra altaris myſteria manè vſurpauerat; tantumq. deindè ſpatij vixit ab eo ictu, quoad inũgi ritè oleo potuerit: vt nõniſi procuratus ſupremis ſacris è vita migrauerit. Vir erat prǫterea ęquè ſolitudinis, ac laboris amans, in procurandis ægrotis perquàm ſedulus. Singulis ſabbatis pane contentus, ac frigida, ſtrictiùs iejunabat. Modeſtiam in oculorum prǫtertim cuſtodia commendabat. E nobilibus, quæ frequentare eccleſiam conſueuerant, matronis, vix vnam, aut alteram de vultu cognoſcebat; quamuis adire ſæpiùs templum contingeret; quippè qui ianitoris interdùm munere fungeretur. Inerat & peculiaris quædam in Deiparam, ac cœlites pietas, ex qua piè credimus, ingreſſum illum in æternorum poſſeſſionem, ac ſi quid exſoluere in purgatorio igne deberet, cœlo tactum, expiaſſe breui præcipiti ea flamma.

Io. Baptiſta Stironius fulmine abſumitur.

Eius virtus.

Externum nunc funus annectimus Viri, cui ingenium, ac muſa nomen peperit celeberrimum. Nullibi non notus Ioannes Baptiſta Marinus Neapolitanus, poetarum ſui œui facilè princeps, qui à carminis venuſtate, ac flore, à perſpicua, facilique vena poeſeos, à quodam ſententiarum acumine, ac fulgure, à fertilitate, à copia triũphare in Etruſca lyra viſus eſt. Vtinam non tantũ tribuiſſet muſarum genio; actumq. veluti thyrſo ingenium, ac furorem caſtior, ac caſtigarior cura mitigaſſet: conſuluiſſet nimirũ egregiè præclaro nomini, famæque ſuæ. Nihil enim tàm inſolens honeſtis, ac pijs auribus, quàm in ipſo pedum nexu tàm ſoluta interdum oratio; ac tantũ liminitidiſſima in venam ferre. Sciuerint nempè poetæ, quàm malè operam ponant, cùm excogitatam non modò exhilarandis, ſed & erudiendis mortalium animis vetuſtiſſimam perindè, ac nobiliſſimam artem, ipſi medicato quodam vultu, cultuque meretricio inceſtandis moribus in ſcenam producunt, atque ea cogunt in vulgus effundere, quæ nemo libenter audit, niſi qui nuntium pietati, pudoriq. remiſerit. Serò id nouit Marinus; cuius mortem, quæ hoc anno die Martij menſis quinta & vigeſima cõtigit, ideò noſtris literis conſignandam ducimus, quòd & animum, & funus procurauerint noſtri homines, degantque excellentis Viri exuuiæ in noſtro Sanctorum Apoſtolorum Templo. Addictiſſimus is erat Theatino Inſtituto, & cum aliquibus præſertim ex noſtris non vulgaris eruditionis amicitiam conteſſerauerat. Quare reuerſus ſuperiore anno ex diuturna peregrinatione Neapolim, diuertere ad noſtros voluit, moratuſque in Sanctorum Apoſtolorum cœnobio eſt, quoad domicilium figeret; intenditque in Ordinem beneuolentiam ea hoſpitij communicatione, ac Patrum officiis, quibus exceptus perhumaniter eſt. Neapolitanos hæc principis Poetæ pręſentia, ac eruditio nimiũ quantũ oblectauerit; veluti excreſceret ab iis ſtudiorum elegãtijs natali ſolo amœnitas. Sed breues hi Patriæ amores fuere. Hoc ſiquidem anno correptus lethali morbo eſt; & quòd moneret melioris vitę propius fatum; ageretq. intus Numen, curare illicò immortalis animæ negotium, totiuſque anteactæ vitæ curſum recognoſcere inſtituit; delegitque Andream Piſcaram Caſtaldum, qui & cõſcientiam generali confeſſione expiaret, & morienti deindè adeſſet: apud quem inſtitutum, mores, calamum ſingulari quodam animi ſenſu, ac vi lachrymarum eierauit. Caſtitatem deindè vouit, ſi conualeſceret: obſtrinxitque ſe etiam Sacramento nunquam fore, vt profana deinceps pangeret. Qua quidem Chriſtianæ mentis teſtificatione munitus ritè ſacris, piè exceſſit; viſus deleuiſſe ſupremo gemitu maculas, quas

Io. Baptiſta Marinus moritur.

Eius muſæ elegantia, ac licentia.

Noſtro Ordini addictus.

Supremam eius vitam expiat Andreas Piſcara Caſtaldus.

Sepelitur in Sanctorũ Apoſtolorum templo.

liberiore olim ſtylo famę ſuæ inuſſerat. Proſequuti perquàm honorificè funus plerique è Neapolitana nobilitate, ſepultuſque eſt, vti modò ſignificaui, in Sanctorum Apoſtolorum templo; vbi excitari ſibi tumulum, atque è marmore ſimulacrum teſtamenti tabulis iuſſit. Quod dum differunt, quibus id curæ fuit demandatum, ne interim ſine nomine iacerent eruditi cineres, Ludouicus Antinorus, dum Præpoſitum in eo cœnobio ageret, ad commodum quendam cœmeterii ſitum monumentum illi opere tectorio pro modo adornauit; expreſſa ad viuum Viri imagine, inſcriptiſque ad eius commendationem literis. Bibliothecam, lectiſſimam eam quidem, & quam non mediocri planè induſtria, ſumptuque inſtruxerat, legare noſtris apud animum ſuum conſtituerat; ſed vicit Marchionis Manſi, amiciſſimi capitis, perſuaſio, legauitq. nobilium collegio, quod ille inſtituere cogitabat. Interim deponi apud noſtros in eadem Sanctorum Apoſtolorum domo iuſſit. Quod quidem neque exequutioni mandatum; diſſimulante noſtratum modeſtia; ne videremur, in eruditam eam ſupellectilem auidiùs collimaſſe.

Fit ibi pro modo ſepulcrum.

Bibliothecam deponi apud noſtros iuſſit.

Gradum ad annum ſextum ſupra vigeſimum voluentis ſeculi facimus: quo ſtatim ineunte Neapoli ampliſſimi Viri funus contigit. Mortalitatem ſiquidem depoſuit die tertia, & vigeſima Ianuarii menſis Decius Card. Caraſa, Archiepiſcopus Neapolitanus; poſtquam eam Eccleſiam ſingulari quidem ſapientia, incomparabili vitæ integritate, ſanctioris zeli fama, admirabili tùm religione, tũ amplitudine, inſigni item clementiæ, ac iuſtitiæ laude adminiſtraſſet. Nihil Neapolitanæ Ciuitati acerbius, quã ereptum ſibi tanti nominis, tantæque innocentiæ Antiſtitem. Teſtatus nobilium Ordo, ac Populus eſt ſtudium, atque exiſtimationem; quòd ea quidem frequentia exanime corpus celebrauerint, vt nullus penè Neapoli ex omni hominum gradu, eẽſuque fuerit, qui non ad pedum oſculum acceſſerit. Scilicet, hoc ſummis viris ſplendidiſſimum Mauſolęum, hæc æra, hæc marmora; nempè populorum deſideria, ac paſſim laudes. Abundè nanque poſteritati, ac memoriæ conſulitur, ſuperſtite morum fama. Addictus noſtro Ordini à puero fuerat Caraſa, hæreditario nimirum ſuæ domus ſtudio. Indolem, pietatem, mores formauerant noſtri homines: reſponditque is noſtratum induſtriæ in omni ſui ſtatu, ac loco ſingulari beneuolentia, vſus eorum opera in rerum conſultationibus, atq. in cõſcientiæ momentis. Et Neapoli quidem ab eius fuere confeſſionibus primò Benedictus Mandina, tũ Andreas Lanfrancus viri doctrinarum prę ſidiis apprimè inſtructi, quos in curarum etiam partem adhibebat: commendauitque hoc in nos ſtudium ſuprema etiam vita, legata Paulinæ domui quadam auri ſumma, addictoque Beati Andreę Sacello ſacro omni inſtrumento ex argento, quod ſibi vſui fuerat: quæ ſanè non vulgaris, neque exigui pretii ſupellex fuit. Id quod eodem hoc anno Iunio menſe Romæ contigit. Defunctus nanque Sanneſius Antiſtes, Card. Sanneſii nepos, ſepultuſque cum ſuis in noſtra Quirinali Eccleſia, quidquid ſacri, factique argenti, ac ſumptuoſæ ſupellectilis in domeſtico Sacello eſſet, baſilicæ illi addixit Splendidum ſanè legatum. Neque in poſtremis numerari in noſtris faſtis Sanneſius hic debet, qui id magnificentiæ, ac ſplẽdoris addidit Theatino illi ſacrario. Porrò in Neapolitano Sacerdotio Card. Caraſę ſucceſſit Card. Boncompagnus, hoc eſt, Viro laudatiſſimo Vir etiam in omni laudũ genere præſtantiſſimus, Gregorij Tertii decimi pronepos, Sãctiſſimo Pontifici, indole, religione, magnificentia proximus, vt ſanguine, ac purpura. E Fano fortunæ, cuius Infulas adminiſtrabat, translatus Neapolim, exceptuſque omnium ordinum gratulatione aſt; quippe quem præiuerat iam virtutis fama, ac pares ampliſſimæ dignitati, ac muneri eius animi partes euulgauerat. In noſtro Ordine ornando videri is potuit Deceſſori non impar. Nam eorum examini, qui initiandi ſacris ordinibus eſſent, atque animorũ procurationi admouendi, adeſſe noſtrates voluit; quos & rerum item ad cæteras eius Eccleſiæ curas pertinentium Congregationi aſcripſit. Secretis etiam colloquiis, priuatęque ſuæ inſtitutioni adhibebat. Vtebatur præſertim familiariter Andrea Piſcaſcara Caſtaldo, quem non modò à doctrinis, ac prudentia commendabat, verũ etiam à diuinorum guſtu, ſenſuque, ceu ſuę conſuetudini peridoneum in pauciſſimis habuit. Ad hæc, quòd impigros quidem in Chriſti vinea operarios reputaret noſtros, ſciretq. in D. Pauli domo erudiri à noſtratibus ad animorum quęſtus ſacerdotum etiam ſecularium

An. Dom. 1626

Cardinalis Caraſæ diem obit ſuum.

Quo Neapolitanorum ſenſu

Noſtri Inſtituti à puero ſtudioſus

Antiſtes Sanneſius legat noſtris ſacram ſupellectilem.

Card. Boncompagnus Card. Caraſæ ſuccedit.

Continuatque in noſtros beneuolentiam.

larium

larium manum,ſi quod hominum genus indigere peculiari in ſpiritu ope intelligeret; nihil illi gratius, quàm nauare eam operam homines Theatinos; quibus attributa integra ad id operis facultate,atque humaniter etiam adhortando, peracres addere ſtimulos videbatur. Atque hoc ſtatim Neapolitani Sacerdotii initio ſuſcepta à Paulinis Patribus expeditio eſt ad Vrbis nauale, vbi contractus toto Neapolitano Regno miles detinebatur. Laborioſum id quidem munus cũ à numero, tũ à militari hominũ ingenio,tũ denique,quòd concepta quadam ab ipſis veluti lue,curare etiam ægrotãtium corpora,planè non citra periculum,oportuit. Et verò, in promiſcua ea mortalium colluuie,& fæce,nihil prætermiſſum induſtriæ, curæque ab infracti ſpiritus viris fuit. Viſi monere ſtrenuè, declamare,ac tonitru quodam terrere,vt indormientes ſuæ indoli deplorati plerumque moris viri,ad pœnitentiam excitarentur. Nec finis operi impoſitus,antequam expiati ſacramentali confeſſione,refectique ſacro Chriſti Corpore ad vnum omnes, veterem hominem exuiſſent: impertita etiam infirmis ſingulari quodam ſtudio charitate, quibus recreara cum animis corpora. Hinc verò, vt pugnam,ac trophæa continuaret lecta ea acies, patentiorem in aream non poſt multò inuolauit,petente ipſo Boncompagno Archiepiſcopo. Alterius huiuſce miſſionis ſedes, Herculanum oppidum fuit, quod octo circiter paſſuum millibus Neapoli recedit; ſed perſonante per adiacentes paſſim pagos,ac villas claſſico, indictum toti illi regioni quà mari, quà terra bellum. Ex noſtris exiliere in campum non minùs octo, omnes tenentes gladium,&ad bella doctiſſimi: totidem ex iis,qui ſub Paulinę noſtræ Congregationis ſignis militant exteri ſacerdotes. Facti incredibiles ex omni mortaliũ cenſu, atque è circumiectis viciniis concurſus. Semel,ac iterum neruoſo dictionis genere ſingulis diebus conciones ad multitudinem habebantur: animorum inde motus depoſitæ peccatorum ſarcinæ oſtendebant. Nouenis quotidiè horis ingenti quadam audiendi contentione operam ſacris confeſſionibus nauabant. Celebrata ad triginta ritè connubia inter malè feriatos,ac diuturnæ libidini mancipatos. Libata alicubi orthodoxa religio, reſtituta. Edocti Chriſtiana myſteria rudes. Reſtincta inueterata longo iam vſu odia; initæque inter populares pacificationes. Quatuor,& viginti omninò dies præclarus labor tenuit;ſed is in morũ formatione,cultuq. pietatis fructus extitit,vt moratos inibi viros induſtrios ad diuturnum tempus,diceres. Operam etiã, atq.etiam probauit Boncompagnus: tùm ſingulos, qui tanto cum animorum compendio in ea inſudauerant,cognoſcere de vultu voluit; actiſq. prolixiùs gratiis, quòd ſuas curas egregiè iuuiſſent,eos non tàm dimittere, quàm inflammare ad eiuſmodi vigilias viſus eſt.

Inſtituta ad nauale expeditio militiæ expiandæ.

Eandemque operam Herculani nauant,

Boncompagni approbatione.

Poſita egregiè hæc Herculani opera, viſa continuò Surrentinos,ac AEquenſes incendere. Surrentum primò, petente Ioanne Antonio Angriſano Archiepiſcopo,qui noſtram olim Cõgregationem ſupremo iure adminiſtrauerat,conceſſit impigra operariorum manus,duce Iſidoro Macedonio,viro,vti aliàs monui,à popularis eloquentiæ laude per Italiæ Vrbes abundè celebri. Incredibile dictu eſt,quo labore, & cõſtantia,quo item fructu peractum id opus fuerit. A primo mane ad veſperam, nullo interdum ſpiramento,commonendis, edocendis, perpurgandiſque mortalibus inſiſtebant,habita bis in die publica alternis concione. Simul Ciuitatem erudire, ſimul ad pagos,ac villas excurrere. Infirmos in ipſis mapalibus, atque ad ipſa prærupta mõtium decumbentes,perueſtigare,inuiſere,expiare. Sacra Euchariſtia mirum,quo omnium ordinum frequentia ad ampliſſimam cœleſtium deliciorum indulgentiam obtinendam,ſũpta. Victus interea illis perquam tenuis,à noſtra,ſcilicet, Surrentina domo. Nihil à parœciis obſonii,nihil à pagis,priuatiſque hominibus ſubmitti,permittebant. Interdum verò, quòd longiùs abeſſent à noſtris,ad panem vix aliquid fructuũ adhibebant. Nec cubare molliùs aliquando videbantur. Id nanque loci pernoctare ſæpè extra Vrbem contigit,vt cùm nec aſſeres ad lectum ſuppeterẽt, ſtrata humi culcitra,ſomnos exciperent; eratque pro molli cubili exactus labor, atque à charitate tolerantia. Initium fructuoſiſſimis iis curis Aſſumptæ in cœlũ Virginis peruigilium fecit: finis eiuſdem incunabula fuere. Euocati deindè ab Æquenſis Vici Epiſcopo Viri præferuidi, eundem inibi ardorem ſpiritus, zelumque animorum probauere: excitatis ad pietatis cultum, Deique amorem non modò in Ciuitate mortalibus, verũ

Idem Surrentj labor,

Et in Vici Aequenſis diœceſi.

In omni etiam montana ea regiòne, vbi excolenda rudis omninò tellus, atque altâ agendum cum inſcitia fuit: creuitque à difficili cultura operarum, vt labor, ita & præmium.

Ab hiſce nunc excurſionibus Neapolim reuertimur, vbi nouum Sanctorum Apoſtolorum templum, iacto à Card. Bõcompagno primario lapide, die Nouembris quarta, ſolenni ritu fundatur. Celebrata incredibili procerum, ac populorum affluxu ſolennitas. Vias ad Archiepiſcopales vſque domos oppanſa pulcherrimè vela, bracteis interſtrepentibus, contegebant; culta etiam ſtragulis, aulæiſque vicinia. Conſalutatus æneis tormentis adueniens Antiſtes, quę iterũ diſploſa, cùm immiſſus angularis lapis fuit. Sed hæc alibi adnotaſſe me, memini, cum & de Iſabellæ Caraſæ, Cerciæ maioris Duciſſæ, in huiuſce baſilicæ ſubſtructione liberalitate, pietateque abundè dictum; neque eſt, cur hic eadem ſtylus repetat. Quamuis immorandum tantiſper in vetere templo ſit, vbi cœpta hoc anno, quę hic proſtat, Conceptæ Dei Matris Icon ſolenni ritu celebrari: Perualerat nempè in vulgus fama, ad hanc Imaginem ſolitum preces fundere, ac magna etiam impetrare Franciſcum Olympium, incomparabilis innocentiæ Virum. Quo nomine creuerat in illam Neapolitanorum pietas; vt eò paſſim accurrerent, opemque ſuis in neceſſitatibus peterent, non ſine Marianę liberalitatis experientia; vt pictæ pro parietibus tabulæ, ac ſuſpenſa ad effigiem argentea vota mox ſignificarunt. Igitur, vt communem religionem iuuarent Patres, colere ſolenni apparatu, ac pompa quotannis Deiparæ Conceptionem decreuere. Et, vt qui famam ſacræ Imagini conciliauerat, is ipſe ea ſolennia auſpicaretur, adaugeretque Olympius, cùm veſpertinas laudes, tùm mane ſolenne ſacrum celebrauit, eo quidem mortalium concurſu, ac pietatis ſtudio, vt penè innumeri ab eius potiſſimùm manu ſacrum Chriſti Dom. Corpus ſumere, in iucundiſſimis reputarint. Continuata ſubindè per octo conſequentes dies celebritas concentu vocum, ac quotidianis de Virginis laudibus ſermonibus. Inter has verò ferias illud accidit in communis annonę commodum, memoratu dignum. Neapoli quicquid frumenti inſumitur, Stabiis, ac Pompeiis molitur; inuehitur deindè mari nauigiis onerariis. Sub hoc autem tempus aſſidua quadam ventorum vi ita agitari pelagus contigit, vt neq. aſportari Neapoli Stabias frumentum, neque inde farinæ importari Neapolim poſſent. Tentauerãt Ciuitatis Septem Viri terreſtrè iter, ſed fruſtra; quando commonſtratum experientia eſt, fieri minimè poſſe, vt populoſiſſimæ longè Vrbi ſuffici terra tantùm farinæ poſſet, quæ quotidiano vſui ſatis eſſet. Menſem tenuit intemperies, creſcente in dies à cœli iniuria maris ira: atque adeò nil propiùs erat, quàm fœua fame premi Neapolitanos, inceſſitque is potiſſimùm metus, ne plebs, quę nihil vnquam tulit impotentiùs, quàm annonæ caritatem, turbas de more excitaret, ac redimeret impetu, ferroq. famem. Initę ſæpiùs ea ſuper re conſultationes; atque id vnum tandem opportuniſſimum malo remedium reputarunt, vt quando humana non ſuppeterent adiumenta, cœlum, ac Deiparæ præſertim patrocinium implorarent. Eſſe iis maximè diebus Marianam religionem, quæ ſpem faceret; præſertim ſi Franciſcus Olympius ad ſuam illam Imaginem, quam ſcirent frequentiſſimis Viri precibus adeò propitiam, orationem funderet. Itaque decretum, vt Sanctorum Apoſtolorum templum adirẽt: Olympium compellarent: aperirent ſtatum Vrbis, atque imminentem ciuibus famẽ: communi deindè nomine eius opem pro maris tranquillitate ad immaculatæ Virginis Conceptionem efflagitarent. Audiit ille ſingulari quadam animi modeſtia procerum vota; ac pollicitus operam, eo ſucceſſu Virginem interpellauit, vt inſequenti mox die, difflata vi turbinum, redierit ſua cœlo, & pelago ſerenitas; adeò vt velificare vltrò, citròque nauigia, atque enauigare annona, compoſito iam bona fide mari, potuerit. Nemo non id Olympii precibus tribuit, qui magnam Dei Matrem, maris, videlicet, ſtellam, ac arbitram flexerat. Magiſtratus ipſe Vrbis, qui id conſilii cœperat, gratulatus ſibi opportuniſſimum beneficium, teſtari eueſtigiò præſentem Deiparę opem perenni grati animi monumento voluit; obſignatoque mox decreto, ſtatuit, vt quotannis cereum viginti pondo Conceptæ Virgini, quæ in Sanctorum Apoſtolorum baſilica colitur, intra eius octauas dedicarent. Eiuſdem præterea cœnobii Præpoſitum conuenirent, rogarentque, vt pro ſuæ Ciuitatis incolumitate, annonæ præ-

ſer-

Noua SS. Apoſtolorum eccleſia fundatur.

Inſtituitur ibidem ad Conceptæ Virginis Imaginem ſolennitas.

Quam Franciſcus Olympius auſpicatur

Neapoli à maris iniuria annonæ caritas.

Sed implorata Olympii precibus Conceptæ Virginis ope.

Redit pelago tranquillitas

Neapolitanæ Ciuitatis votũ

Digitized by Google

ſertim copia ſingulis anni Sabbatjs Franciſcum Olympiū ad eam aram facere per-
mitteret. Extat hoc Septem Virorum conſultum die vigeſima Decemb. menſis con- Quid Olym-
ſignatum; liberantque pręſcripta die obſtrictam ſemel fidem, conſecrato Virgini do- pio Surrenti
nario. Quo quidem miraculo, quo publicæ felicitati tā oppotunè conſultum, incla- acciderit
ruit mirum in modum Marianæ Imaginis religio, creuitque communis in Olympiū
obſeruantia. De quo illud etiam recenſendum, quod Surrenti hoc eodem anno ac-
cidit; probauitque Viri ſanctimoniam, conſuetamque cum cœlitibus familiaritatē,
atque ab iis illecebras. Rem vti Clemens de Bonis, Surrentinæ eius domus Præpoſi-
tus ad Vincentium Gilibertum, Præpoſitum Generalem perſcripſit, excipiam ipſe ca-
lamo ſumma fide. Morabatur Franciſcus Olympius Surrenti ad animi quendam
ſeceſſum; & vt celebritatem, plauſumq. mortalium declinaret: vbi rerum diuinarum
contemplationi impensè addictus, perfundi ſupernis deliciis plus ſolito videbatur: &
interdum quidem ita abalienari mente contigit; vt cùm accurrerent eò Patres, vt orā-
tem tanto cum ardore, exceſſuque ſpiritus intuerentur, adſtantes ipſe minimè aduer-
teret. Illud autem ingenti admirationi noſtris fuit. Obſeruarunt ſiquidem quibuſdam
illum diebus feſtis, auocato à ſenſibus animo, muſicum quoddam organum in ſupe-
riore eccleſię choro pulſare: idque anxiè quidem, ac ſumma quadam contentione.
Nam, qui ſolus erat, ſimul folles tractare, ſimul aptare modulationi digitos videbatur.
Quod ſemel, ac iterum dum inſpiciunt, monendum Prępoſitum duxere: qui rem cùm
exploraſſet, incumbentem organo muſicum deprehendit: ac primo quidem, vt Viri
modeſtiam, humilitatemq. exerceret, ſeuerè increpare. Inſolens nempè id eſſe, neque
extra animi leuitatem; excitare etiam riſum imperitiam: domum denique commo-
ueri, perturbarique nouitate. Quod ille, poſitis repentè humi genibus, ac non me-
diocri quidem ſuffuſus verecundia, audiuit. Sed non poſt multò, vt rem propiùs co-
gnoſceret Prępoſitus: neque enim fieri poſſe, exiſtimabat, vt ductus leuitate Vir ſan-
ctiſſimus animum ad pulſandum organū adiecerit, illū interrogauit: quid potiſſimū
cauſæ eſſet, cur identidem id factitaret? qui reſpondit, ſemel dum in ſuperiore choro
oraret, inaudiuiſſe, nullo quidem pulſante, organum ſponte ſua reſonare; certè imperio
Numinis, atque angelica manu, ſiue affuſo diuinitùs ſpiritu: licuitque interpreta-
ri Deo voluntatem eam eſſe, vt funderet ipſe preces in chordis, & organo, ſicuti Re-
gius pſaltes conſueuerat, & vt Diua Virgo Cæcilia, cantantibus organis, Domino de-
cantabat. Eo igitur ſono diuinæ voluntatis commonefactum, cœpiſſe, vt ad illam ſe
ſe exactè componeret, ad organum preces ſuas canere: & interdum quidem ad
Chriſti vulnerum numerum quinquies organicos mouere ſolitum folles: interdum
ſepties, vt ſeptena magnæ Matris gaudia exprimeret. Organum verò ſiluiſſe
aliquando, nec ſemper per ductilea, canoraſque eas tibias perſonaſſe; nempè ad Dei
arbitrium. Hæc ille, adactus Præpoſiti iuſſu. Planè certare cum organi armonia Olym-
pii oratio videbatur: vtraq. ſcilicet, quodam ſpiritu plena: quamquam ſuauius quid
erat ille cum diuina voluntate concentus.

Excitata hoc anno Parmæ noua Ordinis colonia; fuitque noſtratibus pergratum
domicilium conſtitui in prænobili Galliæ Ciſalpinæ Vrbe, cui cùm præclaræ inſint à
ſplendore ciuium, atque à cœli, ſolique ingenio laudes, tùm Farneſiorum Principum
genius, atque inclytæ domus magnificentia, quæ nacta inibi ſedem eſt, illam in pri-
mis nobilitant. Eius tùm Dominationis faſces Margarita Aldobrandina, Princeps Parmæ Sedes
longè ornatiſſima, Clementis Pontificis Octaui proneptis adminiſtrabat, elato pridē conſtituitur.
Ranucio Farneſio coniuge, & mox Odoardo Card. Ranucii germano fratre. Ab Se-
reniſſima ea Duce, vt nunquam non Theatino nomini propitia Gens Aldobrandina,
polliceri quidem ſibi noſtrates eximiam, ſi quid poſtulaſſent, beneficentiam poterāt.
Sed accidit commodùm, vt eſſet, qui eius tū ſtudia vehemētiùs accenderet. Eò ſiqui-
dem Hippolytus Card. Aldobrandinus, Margaritæ germanus frater, officiī cauſa hoc
anno adiit, ſecumque à ſacris confeſſionibus duxit virum ex noſtris, quem aliàs cum
laude nominaui, Vincentium Riccardum; cui cùm ea potiſſimū mens eſſet, vt am-
pliſſimo Cardinali operā daret, tū id à Vincentio Giliberto, Præpoſito Generali in mā- Agente Card.
datis habebat, vt tanti patrocinii, gratięque opportunitate Parmenſe cœnobium ten- Aldobrad no-
taret. Et quidem tentaſſe rem, impetraſſe ab inclyta Principe fuit. Enimuerò, ſuſce-
pto

Digitized by Google

Et Parmenſi Ducissa annuē te.
pro à Card. negotio, allata vix Ordinis poſtulata ad illam fuere, cùm annuit hu-
maniſſimè; acceſſitque mox Vrbis non eximia modò voluntas, ſed plauſus. Etenim
cum agi de Theatino Collegio, Parmenſes intelligerent, coacto ſtatim Senatu, id vna-
nimi conſenſu inter ipſos conuenit, vt Clericos Regulares Ciuitate donarent, ac com-
munem approbationem, ardoremque ciuium Margaritæ repræſentarent. Itaque ſta-
Et Senatu.
tim à conuentu, nocte iam appetente, facto procerum agmine, creſcenteq. mox pro-
miſcua populorum celebritate, gratulabundi, ac multa face, veluti ad lætiorem quan-
dam pompam, Margaritam adeunt: alacritatem, propenſionem, acclamationem
Vrbis deferunt, petuntque adoptari Theatinos. Quo ſanè nihil Margaritę iucundius,
excepitque ampliſſimis verbis, nec mediocri ſanè cum noſtri Ordinis elogio adeūtes
teſtata & hæreditario quodam iure, & ſua ſponte complecti ſe Clericorum Regula-
rium familiam. Et quòd tùm quidem fratrum Minorum, quos Reformatos Cōuen-
tuales vocant, cœnobium, cui à D. Antonio Patauino nomen, vacaret, noſtræque
familiæ excipiendę opportunum pro tempore videretur, id ipſamet Margarita ab Vr-
bano Pontifice impetrauit, vt cederet noſtratibus locus. Obſignatæ ea de re Ponti-
Deſtinatur familiæ locus.
ficiæ literæ fuere die Septembris decima nona huius anni; atque inita mox à Vincē-
tio Riccardo poſſeſſio. Quamquam allegari familia non ante conſequentem (mox
annum ineuntem eò potuit: ac tùm quidem miſſi, qui grauitate morum, atque in di-
uinis rebus procurandis ſolertia ſpectati, rudimentum eius contubernii ponerent; re-
ſponderentque ampliſſimæ Principis, atque Vrbis votis: inter quos fuit Iacobus De-
luerme, vir quidem & animi bonis, & ſtirpe generis perindè nobilis, qui poſtea fla-
grante in eadem Ciuitate peſtilentia, inſigni cum laude conſtantiæ, & charitatis pro
communi ſalute caput deuouit ſuum, vt in loco dicam. Id autem in primis cu-
Cuius poſſeſſionem init Vincentius Riccardus.
ræ Patribus fuit, vt diuini Numinis cultus, noſtrum, videlicet, in morem, niteret. Ad-
dita quædam ſtatim mundicies templo: cœpta quàm decentiſſimè Sacramenta mi-
niſtrari, haberique ad populum conciones. Et in ipſa Quadrageſima ſingulis ſextis
feriis, expoſito quàm magnificentiſſimè, atque inſigni concentu vocum auguſtiſſi-
mæ Euchariſtiæ Sacramento, ſumptu nempè, ac magnificentia Prioris Aldobrandini,
Margaritæ, & Card. germani fratris, inſtitutus de Chriſti Dom. cruciatibus ſermo
eximia cum approbatione, fructuque ciuium: cùm interim per eoſdem magni ieiunii
dies declamaret in principe templo cum omnium aſſenſu, ac plauſu Franciſcus Ma-
rinus, Venetus, vir ex noſtris in eiuſmodi Chriſtianæ eloquentiæ facultate inter diui-
ni verbi præcones non ſanè poſtremus. At enimuerò ſita ad angulum Vrbis ea D.
Franciſcus Marinus agit ad populum.
Antonii eccleſia cùm eſſet; eòque Theatinis induſtriis, atque actuoſiori inſtituto mi-
nùs idonea, in id ſtatim curas adiecere Patres, vt opportuniorem in locum transfer-
rentur. Occurritque Diuę Chriſtinæ templum, non amplum illud quidem, ſed cele-
bri in ſitu, atque in ipſo ferè Ciuitatis vmbilico, vbi prouenire vberiore quidem fruc-
tu, ac feliciùs noſtratum ſtudia, ac labores poterant. Agendum cum Polidoro Caua-
gno Rectore primū fuit, cuius mox conſenſu impetrato, Romæ ſubindè breui tranſa-
cta res eſt; eademq. Ciuium gratulatione, qua biennio ante initum Franciſcanorum
cœnobium fuerat, ad alteram hanc ſe ſe eccleſiam tranſtulere: relicta priore ſede Di-
ſcalceatis è D. Thereſiæ regula Sanctimonialibus: probauitque in primis nobiliore
in vicinia locum Dux Aldobrandina: cui, quòd noſtram familiam incredibili planè
Transferuntur in D. Chriſtinæ templum noſtri.
voluntate, ac ſtudio Parmenſi in ſtatione exceperit, ſuoq. deindè patrocinio, animiq.
amplitudine fouerit, plurimùm Clerici Regulares debemus, ac perennabit profec-
ctò apud nos inclytę Heroinæ nomen, quam egregia pietas, religio, populorum ſtu-
dia, & quæ cœterarum virtutum chorum venuſtabat, incomparabilis forma apprimè
commendabat.

Licium excurrimus, vbi aliquod procellæ noſtros vexat. Occaſio, Franciſcus Per-
Franciſcus Perſone noſtri Inſtituti mentē concipit.
ſonè, ſexdecennis adoleſcens; Ioannis Baptiſtæ; Viri è fortunæ bonis apprimè inſtruc-
ti, & Franciſcæ Noiæ, nobilis fœminæ filius, eò Parentibus carior, quòd ſolus. Conce-
pit is religioſi, noſtrique Inſtituti mentem, petiitque admitti, noſtris quidem neque
annuentibus, neq. renuentibus; cū, vt adoleſcentis propoſitum probarent mora, tùm
etiam, vt maturè ſe in eo vnicę ſobolis conſilio egiſſe, videri poſſent: atque adeò Pa-
rentum inuidiam, quos optimè de Religione meritos nouerant, declinarent. Eo autem
ètiam,

Digitized by Google

etiam,atque etiam vrgente, admittere randem decreuere; ſed non antequam Patrē monuiſſent,vt ſiue explorandæ.ſiue expugnandæ filii voluntatis ſacultas illi fieret. Pat ri nihil antiquius fuit, quàm illum aliò amandare; veluti en laboraret morbo, quem aliud ſanaret cœlum: & quòd ſciret viuidam adoleſcenrum indolem otio,ac deliciis facilè aſſueſcere; atque adeò ſuccedente lætiore conſuetudine ſeuerioris diſciplinæ propoſitum facilè abiici; id ille in primis ſtuduit, vt vacaret genio filius, mentemque venationibus, atque id genus illecebris diſtraheret. Quæ quidem auncamenta viſa breui ita animum abſorbuiſſe,vt iacturæ veluti ſecurus iam Pater, Licium illum reuocauerit;cauebatque vel maximè,ne pateret ad Theatinos aditus.Sed non adeò valuit trimeſtre otium, quin rediret mox in adoleſcente pręclarus animi impetus. Ergò non ita poſt multò dilapſus fuga eſt; adiitque Irenianam ædem noſtram,obſirmato,videlicet,animo,nunquam inde diſceſſurum. Adhortari Patres, vt domum rediret: nempè, ſi à Deo conſilium eſſet,fore, vt ipſe difficultates emolliret. Suadere etiam reditum quidam,noſtri ſpetentibus, proceres. Surdo hæc fabula. Vocatus tandem Pater,qui noſtratium quidem facilitatem,officioſamque agendi rationem re ipſa probauit: tùm in frangenda filii conſtantia,pollicitationes, preces, minas, affectus denique omnes expertus, rem ſibi cum ſcopulo eſſe,aduertit, Eapropter,qui retundi ſua arma viderat,implorare Epiſcopi fidem, valentiorem nempè machinam, conſtituit. Hic enimuerò ſuſcipiendum noſtris adoleſcentis patrocinium fuit: vt, quando probatum abundè conſilium ad Patris affectus,ac ſtudium fuerat, ſuarum eſſe partium,exiſtimarint,religioſam tueri mentem,ne quid externa vis ſupra indolis imbecillitatem, atque ætatem poſſet. A Vicario primùm velitatio: aggreſſus deindè Antiſtes:cui non ſatis eloquentia,auctoritas,rationes fuere: aſportare etiam arte quadam ineluctabili reluctantem,reclamantemque voluit. Quid agerent noſtri homines? paterentur commendatum ſuæ fidei adoleſcentem, ipſis tacentibus,abire,ac non tàm ſua,quàm religionis,ac libertatis iura lædi? Vti igitur denunciatione oportuit: quod non ſine turbis accidit,adminiſtro,qui proteſtationem detulit,malè accepto. Apellatus proindè,noſtris quidem inuitis, Archiepiſcopus Brunduſinus, Metropolita. Anquiſitum. Delata Romam quęſtio. Inceula, diuiſa Vrbis ſtudia. Offenſus noſtris Præſul; adeò vt cùm ſæuiret turbo,maiora etiam interminaretur. Interim rerum ſcenam tempus ita commutauit,vt quando,ne Theatinum iniret Inſtitutum, innumeræ coniuraſse difficultates viderentur, alium Ordinem capeſſiuerit Franciſcus,in quo tamen conſtantiam non tenuit; actū quidem Pater noſtratum in eo negotio eximiam voluntatem,beneuolentiã,modeſtiam agnouit; eoſque Theatinos Pattes eſse intellexit,qui homines,non hominum fortunam adamarent,neque aggregarent ſibi, ſed Deo animas. Compoſita deindè res eſt cum Epiſcopo perhonorificè,inſtaurata in Congregationem beneuolentia; adaucta etiam in Irenianos Patres Licienſium exiſtimatione, apud quos communis deindè perſuaſio fuit; rem illos conſultò adgubernaſſe; ac nihilominò prætermiſiſſe,quo & tuerentur filii propoſitum, & Patris beneuolentiam minimè læderent; nec contemnere interim viderentur Religionis incrementa. Hæc Licii, vbi hoc anno die decima ſeptima Nouembris Marcellinus Oda,qui Generalem Ordinis Pręfecturam triennium procurauerat, ac tùm quidem Neapolitanæ Prouinciæ inſpectionis munus adminiſtrabat, interceptus morbo,diem clauſit ſuum, ętatis anno ſeptimo ſupra ſexageſimum; æuo quidem maturus,ſed cui firma corporis habitudo vitam longè prolixiorem pollicebatur. Vir fuit, vti aliàs commemoraui, prudentia nō vulgari; cuius æſtimatione nunquam ferè à publicis Ordinis muneribus vacauit. Diſciplinæ in primis retinentiſſimus, quam tueri perdiligenter, atque incredibili quodam zelo ſtuduit. Dicere ſolitus erat Franciſcus Olympius, idque non ſemel noſtro Antonio Caracciolo conſtanter affirmauit, Marcellinum Odam frui iam cœli gloria,eamque commeruiſſe ab inſigni ſuæ Religionis,atque obſeruantiæ zelo. Monitum illum ſui exitus Deus voluit, Enimuerò cùm in Sanctorum Apoſtolorum cœnobio moraretur, iniit aliquando ſanctiorem cœtum,qui exercendo ſpiritui ſingulis hebdomadis habetur. Diſtributis verò,vti moris eſt,in Orbem ſchedulis, contigit illi, quę mortem denunciaret. Quo ſtatim intellexit, moneri ſe diuinitùs in foribus lethum eſſe. Igitur in eo cogitationes

Obluctante admodum Patre.

Qui reuocando à propoſito filio ſtudet,

Fauet Patri Epiſcopus,

Hinc turbæ.

Alium Ordinē init Fräciſcus

Marcellinus Oda diem obit ſuum,

Fius animi partes.

Monitus fati Oda.

tiones omnes defigere: ea legere, quæ ſupremę vitę componendæ facerent, pias item lucubratiunculas commentari ad mortem perſanctè obeundam; quoad Licium, quæ erat ſui muneris ratio, excurrit; ibique non imparatus, atque adeò religioſiſſimè occubuit.

Benedictus Portus deſinit viuere.

Alterum huic funus annectimus. Panormi ſiquidem hoc anno omnium animos exulcerauit Viri planè illibatæ conſuetudinis, ac moris deſiderium; qui editus quidem in lucem non ſine ope, ac præſidio cœlitum; ita deindè vixit, vt hauſtam cœlo vitam probaret, quam exitu clauſit non impare. Fuit is Benedictus Portus, genere quidem inter præcipuos Panormitanæ nobilitatis, iterantque exaugendo natalium ſplendori auitæ opes. Mater illi Eleonora de Paratoribus, ornatiſſima fœmina, quę, quòd diù prole caruiſſet, pulſare precibus cœlum instituit, patronumque potiſſimùm adhibuit Diuum Franciſcum Aſſiſinatem, concepto nimirùm voto, vt ſi filium ſuſcepiſſet, Frãciſci nomine appellaret, ac quinquennium Capuccinorum habitu indutum vellet. Ergo voti compos, felici puerperio enixa puerum mater; cui adprimi ſanctior quædã à Diuo Franciſco indoles, præſertim in Chriſti è Cruce pendentis ſimulacrum pietas viſa eſt: quæ eò admirabilior, quòd cunæ ipſæ illam teſtarentur. Enimuerò cùm aliquando lac ſugere abnueret, nullæque valerent nutricis artes, ac blandiciæ, ad Crucifixi appellationem admouere ſtatim vberibus labra videbatur. Cuius quidem Crucifixi effigiem ita ſemper manibus terebat lacteus puer, vt indormire etiam illi cuperet, ſine qua nulla vnquam illi in cunis quies, ac ſopor: quam deindè conſuetudinem reliqua in vita tenuit. Illud etiam admiratione dignum. Elapſo nanque voti quinquennio, allata puero Damaſcena veſtis purpurea, auro elegantiſſimè prætexta; quam ille vt vidit, illachrymari, conqueri, ſuam tunicam poſcere. Subiit interim matri inſita à natalibus pietas: Et age, inquit, fili, annon vides Crucifixi ſanguinem repręſentare rubram hanc veſtem? ad quæ ille confeſtim acquieuit: nunquam deindè paſſus exorari, vt ſecularem alium habitum indueret: cumque talarem Clericorum ritu tunicam efflagitandi finem nullum faceret, tandem incredibili cum animi lętitia impetrauit. Id œui, nempè intra infantiam, orationis potiſſimùm ſtudio tranſigere, nullis planè non mirantibus pręcoces nimiũ, ac ſupra ætatẽ preces. Hi familiares illi luſus, ac ioci. Domeſticos pueros, exteroſque contrahere, atque agmen inſtruere ſolitus erat. Præire ipſe piis carminibus, atque orationibus ad Marianam Angelorum eccleſiam. Domo cùm deſcenderent, aut aſcenderent, ſingulis gradibus orationem Dominicam, ac ſalutationem angelicam recitari, ſimulque figi terræ oſculum, iubebat. Piis interim præmiis illos allicere, vt pertraheret. Creſcente œuo, addictus quidem humaniorum literarum ſcholis; ſed maiores interim in diuinorũ ſtudio progreſſus habere videbatur. Conſuetudo illi nonniſi cũ religioſis, piiſque viris, quibuſcum de procuratione, ac lucro animorum ſermo. Virorum cœtum inſtituit, qui in corporis afflictatione, cultuque pietatis toti eſſent. Cogi ſingulis ſextis feriis extra Vrbem in eccleſia, cui à Diuo Nicolao nomen, ſoliti erant. Diuina myſteria vſurpabant; diem deindè inter pias diuerberationes, aliaſque ſeuerioris pœnitentię exercitationes tranſigebant. Et ipſe quidem atterere iſtiuſmodi rigoribus corpus, in deliciis habebat. Præter Chriſti Domini Aduentum, quem ab omniũ Sanctorũ feſto inchoabat, quater in hebdomada ieiunabat: plerumque pane, ac frigida. Nudo aſſeri indormire, puluillo quidem molliore, nẽpè tegula. Gemino præcinctus cilicio, geminam item catenam, peracuta paſſim cuſpide interſtinctam, adhibere: cumulabatque hæc pœnarum inſtrumenta aſperum, ac rude inſuper ſagulum. E ciliciis verò, quod alterum quidem officere epati videretur, vetitum à confeſſario fuit: cui tamen ita paruit, vt ferreum eius loco cinctũ induceret. Ad hæc flagris ea quidem vi membra inceſſere, vt non modò pauimentũ, ſed parietes etiam exiliens inde ſanguis reſpergeret. Reſpondebat auſteriori huic vitæ rationi cætera eius virtus. Eximia nobili viro ſui demiſſio, ac humilitas inerat. Nihil illi moleſtius, quàm ab aliorum commendatione exiſtimatio, ac honor. Cum infimæ ſortis hominibus, quàm cum ſui ſimilibus libentiùs morari. Pauperibus præſertim immiſceri; in quos oppidò liberalis, inſtinctu nempè charitatis, à qua frequens in noſocomiis; gaudebatque operam decumbentibus dare, atque omni officiorum genere complecti. Detentos item in carcere inuiſere, iuuare; vtque plures ſimul in eorum

Ex voto naſcitur.

Eius à cunis in Crucifixi Imaginem pietas.

Robuſtior in firmiore ætate ſpiritus.

Corporis afflictatio.

Et humilitas.

opes

opes conſpirarent, ſodalitium inſtituit, à cuius ſedulitate, aut libertas, aut laxamentum aliquod vinctis exiſteret. Patientiam non ſemel probauit ſuam. Iniurias libenter pati, ac ſorbere; pręſertim vbi de vindicando honore Numinis agebatur. Semel, quòd

Et patientia

honeſtæ Virginis pudorem è petulantiſſimi iuuenis manu eripuit, nil propiùs fuit, quã vltima pro pulcherrimo opere ſubire. Fruſtratus nanque ille præda, vlciſci caſtimoniæ vindicem ſtatuit, aggreſſumque Portum, ferro confeciſſet, niſi diuina illum bonitas præſenti ope ſeruaſſet. In Chriſti Dom. cruciatus peculiari quodam ſenſu ferebatur: eò frequenter animus recurrebat; inflammabatque vehementiùs Dei amorem illa pœnarum cogitatio. Par in Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pietas. Quadraginta horarum orationi, quæ per Vrbem ad Chriſti Dom. Corpus per vices habetur, quotidiè adeſſe. Exemplo, ac voce alios etiam incitare; vt interim à nugis il-

In Euchariſtiã obſeruantia,

los, atque à Dei offenſis remoueret. Sępiùs per annum exercendæ impenſiùs virtuti, mentique rerum cœleſtium contemplatione vberiùs irrigandę, ſeceſſum in Suburbanis cœnobiis procul mortalibus adornabat: Quodam nempè genio addictus ſolitudini erat; noueratque accèdere propiùs Deo homines, quò abſcederent longiùs à celebritate. Cogitabat proindè Clericorum inſtitutum, qui diebus duntaxat feſtis diuina myſteria, ac ſacra palam celebrarent, reliquos deindè dies, clauſis cœnobii, rẽplique foribus, ſecum, & cum Deo agerent, ſecularibus omninò inacceſſi. Locum re-

Solitudinis ſtudioſus

motiore ſitu, aſperum quidem, ſed conceptæ menti opportuniſſimum, delegerat; habebatque pleroſque è præcipua nobilitate, conſilij plauſores, atq. imitatores. Atenim, quamuis ſucceſſu res caruerit, temperare tamẽ is ſibi minimè potuit, quominùs, quod animo adumbrauerat, aliqua ſaltem ex parte exprimeret. Sanctioris nanq. eius vitæ rudimentum vt poneret, ſeceſſit ipſe cum paucis in ſolitudinem, vbi aliquandiù vixit, qua mentis tranquillitate, quo interioris hominis profectu, qua cœleſtium deliciarum affuſione, abundè oſtendit latina quædam epiſtola, quę eſt in manibus, ab ipſomet ad

Capeſſendi noſtri Inſtituti occaſio.

Aluarum Agliatam conſcriptam, eo diuinorum ſenſu, ac guſtu plenam, vt nullus profectò legerit, quem non rerum humanarum faſtidium cœperit. Iam verò noſtrę Sodalitatis ineundæ occaſio ea fuit. Morabantur animi cauſa relaxandi quadam in villa Portus ipſe, Aluarus Agliata, quem modò nominaui, Franciſcus Oppizzinga, & Petrus Giardinus, amiciſſima inuicem capita: & quibus par genus, genius, æuum, pietas. Accidit, vt correptus quidam ex eo cœtu igne per imprudentiam, non mediocrem expreſſerit doloris ſenſum. Qua Portus occaſione arrepta, dicere de Inferno igne cœpit; valuitque adeò extemporanea ea vis facundiæ, vt eueſtigiò remittere rebus humanis nuncium omnes decreuerint, quibus ipſemet, qui impulerat, facem præluxit; inieruntque eodem ſimul die noſtrum Ordinem Viri, affinitatibus perindè, atque opibus ſubnixi; ætate item florentes, nempè intra iuuentam, ac paulò ſupra an-

Petrus Giardinus,

nũ quintum, & vigeſimum; planè vt ingenti admirationi, exemploque omnibus fuerit pręclarum nobilium iuuenum conſilium, atq. alia vitæ ratio. Ex his duntaxat ſuperſtes Petrus Giardinus, cuius vitæ inſtitutum, atq. in omnem mortalium conditionẽ promerita ſatis Panormi nota. Agliata, dixi iam, quo exitu laudabilem vitæ curſum clauſerit. Oppizzinga Neapoli in Paulino cœnobio moritur anno voluentis ſeculi tertio decimo peracerbo cũ omniũ ſenſu. Antequam Religioni ſe daret, choreis, ha-

Fráciſcus Oppizzinga Neapoli moritur,

ſtiludiis, atque id genus equeſtribus ſtudiis apprimè addictus; quæ tamen ita exercere videbatur, vt contra communem nobilium indolem, nihil modeſtiæ, pudorique detractum vellet, ac conſtans fama eſt, inter illos pudicitiæ ſcopulos nunquam naufragium feciſſe caſtimoniam. Mutato deindè ſtatu, viſus ad pietatem, legumque noſtrarum obſeruantiam factus. Ingenium etiam in ſcholis adprobauit. Iuſſus nanq. grauiora doctrinarum ſtudia perſequi, inter paucos in literaria palæſtra deſudauit. Eximium præſertim iudicii, religioſæque prudentiæ ſpecimen dabat, curis ingentibus iam maturus, ac par. Inerant & reliquę virtutes, opeſque animi, vt nullas profectò in eo viri abſolutiſſimi partes deſideraueris. Quare, qui nobis admodum breui; ſibi diù vixit. Redeo ad Benedictum Portum, qui aggregatus ad noſtros, Theatinum Inſti-

Porti ardor temperatur,

tutum ita arripuit, ac ſi eas vitæ rationes non tùm quidem iniret, ſed olim ſuſceptas, continuaret. Nihil addi Viro perfectiſſimo, ſed demi nonnihil oportuit. Temperatus ſiquidem maiorum iuſſu corporis rigor, vt Ordinis ſe ſe legibus, atque exercitiis

Malis genlis interitus

accommodaret. Inſignis, ac ſtrictior eius virtus inſenſa præſertim malis geniis. Pleroſque ab eorum obſidione liberauit, interdum Deiparæ duntaxat nomine. Nota hæc eius vis, atque in rebelles dæmones imperium, quos vt aliquando terrerent, Benedictum Portum nominabant, ac nimiũ quantùm formidinis iis afferret appellatio. Dum exacta morum diſciplina in omnium oculis, atque ore viueret, vocatus ad meliores eſt. Paulò antequam exuuias poneret, dum ad aram faceret, intima quędam vox illum inſtantis fati monuit; vti ipſemet Antonino Dianæ, qui retulit, ſignificauit. Morienti adſuit Dei Mater, quo ille aſpectu recreatus, expirauit die Auguſti mẽſis tertia huius anni. Commendare plerique omnes eximiam Viri virtutem, ac ſãctimoniam, cuius perſuaſione quicquid eius indumenti fuerat, veluti quid pretioſæ ſupellectilis aſſeruatum, nec ſine mortalium compendio. Feruntnanque, illarum attactu veſtium pleraque impetrata beneficia. Præſertim tonſor quidam, Aloyſius nomine, cùm graui hernia laboraret, vbi quandam Benedicti laciniam admouiſſet, in veſtigio temporis conualuit. Atque hæc de Porto, qui afflante, atque adgubernante clauum Numine, ad æternitatis portum ſecundiſſimè enauigauit.

Moritur, dignatus Deiparæ aſpectu.

Thomas Bargonus moritur

Inter egregiæ virtutis viros non diſſimulandus Thomas Bargonus, Genuenſis, qui ineunte hoc anno Genuę deſiit viuere. Vir fuit aſperioris cuiuſdam vitę, atque in ſui afflictationem acriore quodam ſtudio intentus. Ab ipſo ætatis flore ſui hoſtis, cauitque præmatura hac corporis cenſura, ne exorbitaret pręferuida, ac læta iuuentutis indoles. Et verò dum ſtudiis operam daret, ſi externum ipſum hominem inſpexiſſes, nihil in eo pręcipui ſpiritus apparebat, eandemque prorſus cum cœtera ſcholaſtica pube terere regularis obſeruantiæ orbitam dixiſſes; cũ interim, qui eius virtutẽ nouerant, magnoperè mirarentur, ea illum vti ſolertia, ac arte, vt eximia pietatis ſtudia, rigoremque præſertim vitæ aliorum obtutibus ſubduceret. Pernoctare perſæpè orãdo, ac contemplando conſueuerat. Ter in hebdomada mulctare flagellis corpus, ac ſingulis ſextis feriis ad Redemptoris imitamentum ſæuiebat ad ſanguinem verberatio. Diuexata eiuſmodi flagris membra, cilicio fouebat Carnium, ac piſcium vſus ſibi frequenter interdicebat, aliaque identidem ieiunia ſtrictiùs tolerabat. Quam quidem vitę rationem ita inſtituit, vt non modò annis ſubindè conſequentibus minimè dimiſerit, verùm etiam vehementer intenderit; atque ad ſupremum vſque ſpiritum conſtantiſſimè retinuerit. Nam quod ad abſtinentiam attinet, carnes, ac piſces, & quicquid irritare illecebra guſtum poſſet, penitùs ablegauit; addebatque pleraquę per annum ieiunia pane duntaxat, ac frigida, ad abſtinentiæ videlicet corollariũ: quo ſe cultu ad præcipuas anni ferias apparabat. Stramentitia in culcitra, ac nudo plerumque ſuper aſſere cubabat, breui quidem, vt vix naturæ ſufficeret ſomnus: reliquum tempus lucubrare, orare. Hinc primus ad matutinas laudes choro adeſſe; poſtremus poſt antelucanam meditationem in cellulam ſe recipere. Cùm cilicinos aſſiduè textus geſtaret, tùm horrido quodam ex ſetis induſio, quod totum fermè corpus operiret, frequenter vtebatur: qua quidem voluntaria, ac multiplici ſui caſtigatione crucis mortificationem in ſuo corpore iugiter ferebat. Inerat etiam eximium proximorum ſtudium: frequenter ad populum agebat fructuoſiſſimo quodam genere dicendi. Sacris præſertim confeſſionibus vacabat, ac viſa profectò nunquam defatigari in eo munere charitas. Complecti ex omni ordine mortales, quos ita ad pietatem informabat, vt cùm omnes vitæ rationem commutarent, pleriq. etiam eius hortatu religioſos ordines inirent. Bergomi commorari diutiùs ſumma cum ſanctimoniæ ac doctrinarum laude contigit: vbi excitati eius fama viri, ac mulieres, ad ipſum certatim accurrebant: prodiitque ex eius diſciplina Virginia Solzia, nobilis fœmina, ac lautiſſimi patrimonii, quæ orbata viro in ipſo æui flore, ita diuino ſe ſe obſequio Bargoni ductu mancipauit, vt ab omni rerum humanarum commercio, cœtuque hominum remotiſſimam vitam inſtituerit: ac nonniſi rudi quodam amictu, atque intra velum, nudoque veſtigio noſtram eccleſiam conueniret. Cum enatum inter Romanum Pontificem, ac Venetos diſſidium eſt, agebat in eadem ipſe Vrbe, excepitq. temporum procellam peculiari quadam religioſi pectoris conſtantia: planè vt admira-

Eius vitæ rigor.

In proximos charitas.

Virginia Solzia ſanctior Bargoni ductu

Plus in aduerſis fortitudo.

ra-

rationi omnibus fuerit Viri ſupra minas, ærumnaſque omnes generoſitas. Menſe antequam excederet, mortem ſibi disertè prænunciauit: mirantibus, qui audiebant, quòd incolumis, ac integer longè à communi neceſſitate abeſſe videretur. Interim apparare ſe ad illam inſigni religione: conceptoque mox graui morbo, cùm præclara in extremo eo ſpiritu edidiſſet exempla virtutum, diem clauſit ſuum. Communis Genuæ domi, foriſque perſuaſio fuit, exceſſiſſe perfectiſſimũ virum, & à corporis præſertim integritate puriſſimũ: idq. non vulgaris notæ viri in primis curarunt, vt aliquid ex eius lacinlis pietatis ergo ſibi ſeponerent. Et quidem ab inſigni paupertate vix repertum in cella, quod diſtribui in plures poſſet; vſque adeò arcta illi res, ac familiaris inopia.

Pie moritur

Euocamur nunc extra Ordinem, non extra lineam, iiſq. parentamus, qui ſtudio, ac clientela pertinere ad noſtrum Inſtitutum, atque annales, dici iure poſſunt. Defleuimus hoc anno longè nobiliſſimæ Heroinæ funus, qua nulla vnquam noſtræ Sodalitatis, ac Theatini nominis ſtudioſior. Iſabella Sabauda hæc fuit, Caroli Emmanuelis, Sabaudiæ Ducis, & Catharinę Auſtriacę filia, Alphonſi, Mutinenſium Principis Coniux; quæ Mutinę quidem non alios ſuæ conſcientiæ moderatores, quàm Theatinos adhibuit, quos appellare ſolita erat ſui ſpiritus delicias; fueruntque ſucceſſiuè eius à confeſſionibus, atque à ſanctioris vitæ conſiliis Vincentius Gilibertus, qui conſequenti mox anno vniuerſi Ordinis faſces poſuit, Paulus Areſius, celebrioris vir famæ, Ioannes Paulus Fornarius, vir doctiſſimus perindè, & eloquentiſſimus, & Marcellus Megalius, ſcriptis monumentis abundè notus. Nihil profectò Sereniſſimæ huic Principi prius, quàm noſtri Inſtituti dignitas, & commoda; ac par eſt, vt eius hic virtutem delibet calamus, quam citra ingrati animi notam haud vnquam ſanè noſtræ literæ diſſimulauerint. Educata in ſinu regię Matris, non modò indolem, mores, maieſtatem, comitatemque hauſit, quæ commendari in principe fœmina ſolent; verùm etiam conformatā ad pietatem, vitæque innocentiam eo quidem ſtudio fuit, vt videretur poſtea, vbi de cultu, exercitioque virtutum agebatur, naturę quodam inſtinctu, ac ſpōte ſua ferri. Id illi in primis curæ, ne quid vel leuioris culpæ animum afflaret. Mane idem erat expergiſci à ſomno, atque à Deo petere, ne labi permitteret; obfirmabatq. ex ſe quidem animum, nihil non æternæ legi conſentaneum, aut dictis, aut factis ea die patraturam. Hinc inoffenſus, atque illibatus vitæ curſus; adeò vt teſtati confeſſarii ſint, præſertim Megallus, nunquam ſe in ſacramentali eius confeſſione nonmodò lethiferum, ſed ne veniale quidem crimen, conſultò admiſſum, audiuiſſe. Hoc innocentiæ exemplo fingi ad omnem virtutem non modò lectiſſima ſoboles, verùm aula etiam omnis videbatur. Nihil enim faciliùs, quàm abire in mores Matris, ac Dominæ filios, ac ſeruos. In animi relaxationibus, in quibus admiſceri facilè labes ſolent, mirùm, quàm cauta, ne quid interioris ſpiritus delibaret externa remiſſio. Diebus lupercalibus rarò ſcenis intereſſe, aut perſonata gentis ritu incedere; deſcendebatque ad ea interdum otia, vt aliis morem gereret; ac nunquam ſine aliquo operæ pretio. Venationi aliquando indulgere, extra quidem ieiunii dies, ne famulitii gulæ patrocinati videretur labor. Id etiam in venatione cauere ſolita, ne quid excurſiones ſegeti inferrent detrimenti; ac ſemel quidem proteri ſata contigit; quod vbi illa reſciuit, ęſtimato ſtatim damno, compenſari ad vnguem iuſſit. Iam, quę labeculas tàm anxiè euitabat, quo ſtudio diuinis rebus, religionique incumberet, coniectari facilè poteſt. Tēpus maiore quidē ex parte animi pietas ſibi vendicauerat. Precibus, quę mente concipiuntur, duas quotidiè horas dabat; madebatq. plerumq. contēplatio piis lachrymis, quarum vena in ea facilis, ac vberior. In cœteris deindè diuinis laudibus, voce perſoluendis, aſſidua. Horarias, ac coronarias Diuæ Virginis preces quotidiè item percurrere: ſingulis menſibus integrum recitare Dauidicum pſalterium, in more habuit idque defunctorum animis iuuandis. A feſto Sanctorum omnium die ad Chriſti Dom. incunabula quædam ſibi ſepoſuerat orandi tempora, ac virtutum exercitia, vt ſanctioribus iis ſe ſe feriis compararet. Miſſæ ſacro vni quidem, & alteri ſingulari quodam corporis, animique habitu intererat: tertium etiam, & quartum, cũ ſacro Chriſti Corpori communicaret, addebat. Vſurpabat verò Euchariſtica altaris myſteria per hebdomadam non ſemel: & in magno quidem Quadrageſimæ ieiunio, Ad-

Iſabellę Sabaudæ funus.

Noſtratũ opera in formādo ſpiritu vtitur.

Eius conſcientiæ puritas.

In animi remiſſionibus quā cauta.

In precibus quàm aſſidua.

Fius in Eucharistiam ſtudia.

ueneruque Domini ter, præter ſolenniores in iis dies: idque eo deuotionis affectu, ardoreque mentis, vt cùm ora etiam quà fletibus exundarent, quà igne veluti quodam arderent, admirationi profectò eſſet intuentibus non mediocri. Planè affecta intimè erga diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum piiſſima Heroina. Vbi exponi per annum publicè, contingebat, eò ipſa accurrere; nec abire, quoad benedictionem ſacerdos impertiret. Proſtare ſacrum hoc ipſum Epulum ſingulis per annum diebus feſtis in Capuccinorum Patrum eccleſiâ, ſuo nempè ſumptu, iuſſerat, aderatq. celebrando, contemplandoque Numini. Nouendiales item ferias ante Infantis Dei puerperiũ in noſtra D. Vincentii eccleſia, propoſita ſolenni ritu, ac cultu Euchariſtia, inſtituendas curauit. Implere ipſa quotidiè celebritatem, dicenteſq. ad concionem incredibili quadam voluptate audire. Addictam verò ſummoperè auguſto Chriſti Corpori, illud inſuper commonſtrabat; quòd quicquid operis ſua manu lucubraret, eius cultui, atq. ornamento dedicaret: gaudebatque explendeſcere ab acu ſua aras. Hæc autem religionis ſtudia tùm frequentibus cum religioſis viris alloquutionibus, tùm aſſidua piorum librorum lectione vehementiùs incendebat, fouebatque. Atque eiuſmodi quidem libris, quos citra ſeruilem omnem aſſentationem, atque integra fide monitores appellabat, mirificè oblectabatur; profanis, hoc eſt, peſtilentiſſima animorum ea lue, omnino ablegaris; iuſſeratque exulare prorsùs aula, ne hauſta interdictionis mundicias impuritate, ac fœce, ſuorum mores corrumperentur.

Et in proximos charitas.

Ita verò hiſce pietatis ſtudiis, internoque ſui cultui vacabat Princeps religioſiſſima, vt aliorum etiam commoda quàm ſtudioſiſſimè procuraret. Peramplus illi charitatis ſinus, ac manus planè munifica. Nulla non pia opera iuuare beneficentia. Aderat, quæ corporis quæſtum eierauerant, fœminis, ne relabi neceſſitas cogeret; intenta interim, ſi quã ab ea vitę cõſuetudine, ac dehoneſtamẽto reuocaret. Cauere item Virginitati. Puellas, quas maximè in diſcrimen adduxerat forma, in tuto ponere: curabatque de ſuo, aut collocandas, aut clatris muniendas, ad Dei nuptias. Cõmunem deindè egeſtatem aſſidua, præſentique ope fouere. Pauperes, eos præſertim, quorum maior, atque acrior à pudore neceſſitas, inſigni liberalitate ſubleuabat. Illud in Iſabellæ charitate eò dignius plauſu, quò plauſum, lucemque ingenioſiùs fugeret.

Quam ſtudet occultare,

Diebus bacchanalibus perſonam aliquando induere; veluti ad animi remiſſionem imitari & ipſa laruatos vellet. Sed aliò pietas collimabat. Enimuerò diſſimulata ſic Principem, inuiſere ægrotantes, ac fouere eleemoſynis ſolita erat, accedebatque ſolida operi commendatio à larua. Planè ea eſt charitas, vt nihil oderit magis, quàm theatrum, ac pompam: quamuis latere, ne perſonata quidem poſſit. Ampliſſimæ verò Principis in eiuſmodi largitionibus munificentiam vel hinc lector intelliget, quòd

In erogationibus largior.

eius ærarii præfectus ſtatuendum illi modum cenſuerit, vt erogaret quidem eleemoſynas, ſed non profuſiore ea manu. Quod vbi reſciuit Iſabella, accerſitum Liuizzanum (hoc illi cognomentum) monitum voluit, nullam ipſi minuendæ ſuæ liberalitatis facultatem eſſe. Augeret, ſi libuerit, quas ipſa imperaret erogationes; cæterùm decerpendi ius nullum eſſe. Scilicet, hoc magnorum fluminum proprium, nullum pati in curſu obicem.

Eius humilitas

Inerant & aliæ in ea virtutes, in quibus non poſtrema humilitas, qua ita ſe communi hominum conditioni attemperabat, vt nihil planè faſtus, magnæque fortunæ retineret. Patientiam morborum acerbitas, ac difficillima puerperia ſæpè commendarunt.

Et patientia

Serena, atque eadem ſemper frons: non verbis, non geſtu dolorem muliebrem in morem ſignificare, vt planè geſtare ſupra fœminam animum videretur. Prudentiam neque in priuato ſui cultu, neque in publicis negotiis in ea deſideraſſes: valebatque conſilio, dexteritate, ac pondere quodam iudicii.

Et prudentia.

Adde pudicitiam, clementiam, comitatem, cæteraſque eius partes, dices profectò Iſabellam Sabaudam, ſua ſtirpe dignam, inter ornatiſſimas Principes iure optimo numerari. Recepta maturiùs cœlo eſt incomparabilis Heroina, intra iuuentam, non mediocri quidem cum inclytæ ſuæ domus iactura, ac vulnere, communique populorum ſenſu. Qui vitam, moreſque eius rexerant noſtri homines, adfuere ſupremo morbo, ac palæſtræ; præcipuè Megalius eius à confeſſionibus, & Ioannes Baptiſta Paſſarinus, à ſacra eloquentia commendatiſſimus. Hi quidem quòd ſurdæ Principis aures, ſcri-

Morienti adſunt noſtri,

bere

bere identidem pias cõmmẽtationes, ac decumbenti legendas obiicere curabant; quibus illa ad extremam eam luctam compoſita, cùm eximia tolerantiæ, pietatiſque argumenta edidiſſet, tranquilliſſimè, ac dormienti propior, exceſſit, die Auguſti menſis vigeſima ſecunda huius anni. Extincti corporis exuuias noſtris legauit; ac D. Vincentii templo religioſo, humilique Capuccinorum habitu, ac Capuccinis ſupra centũ deducentibus, inter pios ſuorum gemitus illata mox fuit. Sepulcrum illi pro modo, ac depoſiti loco inſtructum. Supremis nanque teſtamenti tabulis iuſſit, vt in eadem hac noſtra eccleſia Sacellum Beato Amedæo Sabaudo, Gentili ſuo, extrueretur, quò deindè transferrentur pii cineres. Huic verò Sacello conſtituendo deſtinata iam nouæ baſilicæ ara maxima; quam ornari ſplendidè Mutinenſes Principes decreuere, ibique tumulum excitari, qui & ipſammet Iſabellam excipiet, & geminam item eius ſobolem, nempè Obizum, Epiſcopum Mutinenſem, & Philibertum Mariam, Principes quidem inclyti nominis, ac regia planè virtutum indole laudatiſſimos, qui longo licet interuallo ſequuti religioſiſſimæ Matris funus, commune cum ea monumentum voluere: quo & eximium in noſtros homines ſtudium commonſtrarunt, commendato iis ſuo cinere, quos ipſi proſequuti inſigni beneuolentia, atque omni officiorum genere fuerant.

Noſtra in Eccleſia tumulatur.

At enimuerò in hac piiſſimæ Principis, eiuſque laudum commemoratione illud poſtremo loco perſtringendum, quod omninò prætermiſiſſe, neſcio, an fieri ſine eius iniuria poſſit. Conſtans nanque omnium perſuaſio eſt, ampliſſimi Coniugis Alphonſi commutatas vitæ rationes, atq. iniectã diuinitùs mentẽ eius, quà viuentis, quà defunctæ precibus tribuendam. Planè primam ipſam iuuentam per omnes virtutis, atq. innocentiæ gradus tranſmiſerat Alphonſus; vt ne fingere quidem ſibi elegantioris indolis virum poſſet Iſabella. Verùm, quòd nihil facilius, quàm Principem, ac iuuenem tranſuerſum agi, lenocinante præſertim aulicorum aſſentatione, breui naturæ morumque bonitatem abſorbuit nouus quidam præferocis ingenii ardor, ac impetus. Diceres, Principis animum continuiſſe diù vi quadam ſæuitiam, quæ, rupto veluti obice, effuderit tandem ſe ſe. Precipuus in eo vltionis guſtus, quo vehementiùs inflãmatus, moliri ferrum, ac cædes; metumque incutiebant peracres ipſi, turbatique ſemper vultus. Exulauerat proindè cum clementia pietas; abruptoque ſacrorum vſu, ſequi genium, & quicquid irritata dictaret indoles. Non latuere recentes Principis mores Iſabellam; & cui nihil potius, quàm Coniugis bona menssipire rationem cœpit, qua is reuocari ad frugem poſſet. Monita ab amantiſſimæ Coniugis affectu, ac ſtudio infra morbi contumaciam putabat. Quare agere eum Deo efficaciùs conſtituit; fuſiſq. precibus, ac lachrymis, nullas præterea nõ corporis afflictationes adhibuit, quibus etſi tùm quidem obfirmatum nimiùm pectus non expugnauit; attamen non antea ſpiritum poſuit, quàm recreata hoc maximè ſolatio fuerit. Ea ſiquidem morti proxima, intimo quodam allapſu Numinis reſtitutus ſuę menti, pietatique Alphõſus, ante Chriſti è cruce pendentis ſignum, & coram Marcello noſtro Megalio ſuſceptum vitæ inſtitutum, moreſque ſuos eierauit, decreuitque, expiare ritè animi labes. Cuius rei monita tùm quidem ab eodem Megalio piiſſima Princeps, mirum in modũ exhilarata, in ea ſtatim verba animam effudit: Nunc dimittis Seruam tuam Domine. Abiitque mox lęta, quòd ſuis tandem orationibus peperiſſet Deo virum. Et verò portenti ſimilis viſa ea Principis mutatio: ac momento quidem vim naturæ longè acerrimam, præfractamque, atque irę impotenter obnoxiam, deferueſcere, alioſque induci ab inſigni manſuetudine, ac pietate mores; ſingulari cuipiam admirationi omnibus fuit. Illud primum profligatæ indolis argumentum. Cuius voluntati periculoſum omninò erat, refragari, obſequi ipſe, ac ſubmittere genium ſuum aliis cœpit: & interdũ cùm maximè adhærere ſententiæ ſuæ videretur. Præterea, quos oderat ſãctiores in noſtro D. Vincentii templo cœtus, in deliciis habere: non à lethalibus modò noxis, ſed à leuiſſimis etiam cauere: honeſta ſibi oblectamenta perindè ac turpia interdicere: intentare pia quadam ſæuitia ſuo corpori flagra: precibus peculiari mentis attentione incumbere: in ſupernarum rerũ contemplatione, atq. in exercitio diuinorũ totus eſſe. Semel audiuit, religioſum quendã virum ex noſtris ita aliquando externis negotiis vacaſſe, vt Deiparæ pedibus affixus, ab iis nunquam diſceſſerit; cuius

Alphonſi Ducis religio Iſabellæ tribuenda.

Quę ſuis precibus, ac lachrymis.

Coniugem Deo peperit.

Alphonſi mutatio quàm admiranda.

lus ipſe æmulatione incenſus, ſingulari quodam mentis ſtudio id faciſſe obtinuit, vt per pluſculas horas grauiſſimis occupationibus implicitus, auelli ab eiuſdem Auguſtę Virginis pedibus minimè permiſerit. Ad hæc, qui neces olim, cladeſque agitabat, aliorum ſaluti cogitationes, curaſque ſuas omnes adiecit. Quos vitiorum cœno merſos, familiares, aulici, ſubditi illi fuerint, nouerat: exemplo, precibus agere, vt pietati redirent. Pertinaciſſimas hæbręorum mentes aggreſſus, nullum non mouere lapidem, vt religionem mutarent: planè non ſine operis fructu, pleriſque ad frugem conuerſis, quos munifica deindè alebat manu. Proſtitutas excepit gynecæo. Puellis, quarum propior caſui pudicitia, tempeſtiuè conſuluit. Aderat & alijs piorum operum curis. Amplificari cœnobium noſtrum iuſſit. Deſcriptam, inchoatamque anguſtiore quadam area D. Vincentii eccleſiam, quòd nihil vnquam illi anguſtum placuit, explicandam auguſtiorem quandam in formam curauit: attiguum huic templo oratorium, quod noſtris temperari auſpiciis contigit, coempto ſitu, magnificè ſubſtruxit. Nouenos ante Marianum puerperium dies celebrari principe cultu in templo item noſtro, inflammandæ videlicet communi pietati voluit, accerſito externo etiam muſicorum concentu non modico planè ſumptu. Eodemque ſymphoniæ illicio, cultuque magnifico proponi ibidem lupercalibus diebus ſacram Euchariſtiam imperabat, vt temporum, morumque licentiam ea religione refręnaret. Inter hęc maius opus mouebat, geſtabatque præclarũ in pectore conſilium, quod poſtea, religioſiſſimo Capuccinorum Inſtituto ingenti cùm orbis admiratione, ac documento Principum authoratus, perfecit. Id verò ſtrictioris diſciplinę, Iſabella ipſa Coniuge, recepta iam cœlo, agente, capeſſiuiſſe, non dubitamus. Argumento fuerit: eodem die, quo illa mortalitatem exuit, obieciſſe ſe ſe mœſtiſſimo viro, Capuccinorum habitu indutam, alteraſque eiuſmodi exuuias manu præferentem, illumque ſic alloquutam: Age, Alphonſe, quando vnanimi voluntate, affectuque viximus, cur non conſimili nunc indumento vtimur? Scias, præclarè tecum actum iri, ſi amiciri te intexto hoc cinere contigerit. Quibus dictis, euanuit. Scilicet, quæ ſuadere Viro ſanctiorem illum habitum ſtuduit, exiſtimandum ſanè, id ipſum, & poſtulaſſe à Numine, & impetraſſe: ita vt triumphauerit quidem mundum Alphonſus, Dux Mutinenſium, relicta florentiſſima ſobole, abiectoque peramplo Dominatu, ac ſplendore domus: ſed cui potiſſimũ accepta referri debeat percelebris hæc ſeculi fuga, ac palma, nulli dubium, eſſe Iſabellam, quę magnæ mentis ſemina ingenerauit, fouitque, ac precibus denique obtinuit.

Capeſſendi religioſi Ordinis conſilium ab Iſabella.

Huiuſce verò egregii conſilii aliquam ſibi noſtros homines partem vendicaſſe, pro comperto habemus: quod hic certè non diſſimulandum; quamuis eius vitę ſcriptor, qui ſcire hæc debuit, non meminerit. Vocari, accendique in dies vehementer ad regularis diſciplinæ laudem, ac præcipuè ad Capuccinorum Ordinem Alphonſus ſentiebat; incitabatque nunquam intermortua vox illa Iſabellæ, quę aures, animũq. aſſiduò pulſabat. Nihilò tamen minùs, quòd agi de ſumma rerum, ac difficillimo quidem opere, intelligeret, explorandam propiùs diuini Numinis voluntatem, vtendumque religioſorum hominum conſilio ſtatuit. Igitur, cui primùm arcanum pectus, & quicquid in eo agitaret, ac ouderet, aperuerit Alphõſus, Thomas noſter Carpineus fuit, Card. Carpinei germanus frater, vir, quem aliàs memini, genere, doctrinaque, atque ipſa in primis tractatione animorum ſpectatus. Nouerat illum Princeps; & quem ſæpè in ſanctiore eo D. Vincentii cœtu, cui à diſciplina nomen, flagrantiſſimè, ac nunquam ſine motu mortaliũ dicentem audiuerat, adhibere in priuata ſui inſtitutione ſolitus erat. Cum eo frequenter colloqui, interni hominis rationem ponere, virtutis incrementa, ſenſumque rerum diuinarum omnem communicare: planè vt intimus quidam in ſpiritu conſiliarius videretur Carpineus: qui quidem in hoc religioſi Inſtituti negotio, quippè in re grauiſſima, vim iudicii, atque eximiam quandam, religioſamque prudentiam Alphonſo apprimè commendauit. Moram ſiquidem ſuaſit, qua nihil interdum operoſius. Interim orandum, cœlumque ſeriò, ac conſtanter conſulendum: ac tandem quòd à Deo eſſe conſilium, cognouiſſet, ſtimulos ipſe, faceſque addidit. Re autem conſtituta, delectuque iam ſacro Capuccinorum Ordine, Saxolum, quod decem circiter paſſuum millibus Mutina diſtat, vbi abdicandus am-

Quod Carpineo primùm aperit.

Abdicanti adeſt Carpineus.

ampliſſimus Principatus, cõdendæ teſtamenti tabulæ, acceptandus ipſe ab Ordine, & vnde abiturus in Germaniam erat, vt tyrocinium poneret, Carpineum ipſum duxit; vt in eo theatro plauderet, ac teſtis eſſet generoſi pectoris, mutatique Principis, ac cõdecoratæ magnificè Seraphicæ paupertatis. Illum nempè ſupremo in ipſo ſcenę actu comitem voluit, quem in rei conſcientiam primò vocauerat, & qui grande conſilium diù texerat. Carpinei Comes fuit Caietanus Guindatius, ſolidi vir ſpiritus, vti ſignificatum alibi eſt, qui quotidiana Mutinenſis diſciplinæ ſtudia accendere & ipſe fructuoſiſſima, flagrantique facundia ſolitus, Aphonſi beneuolentiam, qui aſſiduus in iis exercitationibus erat, ſibi conciliauerat: audiebatque is libenter non modò publicam Guindatii vocem, ſed priuato etiam in conclaui monita. Is quidem Saxoli id ſibi curæ ſuſceperat, vt ſingulis noctibus ſtata hora Alphonſo lumen deferret, vt ſurgeret, atque vnà ſimul antelucanas laudes recitarent, mentemque diuinis contemplationibus exercerent: cuiuſmodi piis animi ſtudiis interdiù etiam, partitis horis, aderat ipſe, & Carpineus, quoad religioſus Princeps cutis omnibus perſunctus, atque aggregatus ad Capuccinos, in Germaniam ad aſperioris diſciplinę, vitæque tyrocinium conuolauit.

Et Caietanus Guindatius,

Inſpiciendum modò obiicimus patientiæ portentum quoddam, Neapoli communi admirationi diù expoſitum; quo neſcio, an vnquam aliàs iucundius Numini ipſi theatrum plauſerit. Siquidem, vt inquit ille. Nullũ ſpectaculũ Deo [a] dignius, quã vir cum mala fortuna compoſitus. Rediuiuum beatum illum Seruulum dixeris, quem membris omnibus captum, confectumque ærumnis ſub D. Clementis porticu diù Romæ iacuiſſe, ſacrarum hiſtoriarum faſti memorant. Igitur defunctus hoc anno Neapoli Octobri menſe Gregorius Paſſerus, eximii ſpiritus ſacerdos, qui ceremoniarum olim præfectos in principe Eccleſia iuuerat. Correptus is fuit corporis quibuſdam abſceſſibus, quibus cùm non idoneam adhibuiſſet curationem, inualeſcente vi morbi, eò tandem miſeriarum deuenit, vt quà obduratis, contractiſque neruis, quà detortis, aut corruptis fœdè partibus corporis, in enorme quoddam, horrendumque viſu monſtrum euaſerit. Præter linguam nihil omninò viro patientiſſimo incolume; vt diceret verè cum Iobo: Derelicta ſunt tantũmodò labia circa dentes meos. Caput veluti iam reuulſum à ceruice videbatur, adhærebatque reliquo corpori, ceu tenui quodam filo: adeò vt illigari, ſuſtentarique funiculo oporteret. In tanta membrorum clade, graſſantiſq. mali pertinacia nihil eius, aut animo lætius, aut vultu trãquillius. Conuenire illum ſępius, pii quique, ac nobiles viri, præſertim noſtri Ordinis ſtudioſi, qui vt exulcerari vehementer commiſeratione, ita inſigni eo tolerantiæ documento erudiri maximè videbantur; iuuabantque inopiam collata identidem ſtipe. Ad noſtratum nutum, vt conſcientiam, ita & cœteram vitam regebat. Aderant proindè illi aſſidui, mulcendæ piis ſermocinationibus miſeriæ, alendæque pietati. Ac Romę quidem impetrarunt, vt celebrari in eius conclaui miſſæ ſacrificium poſſet; quòd ſanè grande malorum leuamentum fuit. Quatuordecim omninò annos incredibili animi æquitate, manſuetudine ſingulari, aſſidua gratiarum actione in ea ſeſe palęſtra exercuit; quoad ſera tandem mors diù antea conclamatum, ac depoſitũ, cœlo intulit, ſua patientia coronandum. Eo defuncto, abreptus pietatis quodam impetu vulgus, diripere certatim domum, vt clauos ipſos deuotionis ergo è parietibus vellerent. Dux Albæ, qui tùm Neapolitani Regni vices adminiſtrabat, excitatus ea ſanctimoniæ fama, interulam contegendo extincto corpori noſtris miſit: ea nimirùm conditione, vt qua vir patientiſſimus vſus hactenùs fuerat, ſibi mitterent, vt ad eximiæ tolerantię monumentum ſeruaret. Corpus ad noſtram D. Pauli eccleſiam deductum, celebratumque promiſcua omnium ordinum multitudine fuit. Expreſſa ad poſteritatis documentum ab exemplari effigies; tùm exemplar ipſum citra velum contemplandum mortalibus expoſitum. Commendauit enimuerò deformata adeò ſpecies Viri patientiam, concitauitque pietatem vehementiùs: ita vt tangere ingenti quiſque ſtudio expolita ad ærumnarum limam membra; iiſque roſaria, ac ſudariola applicare niterentur. Ad veſperam, vbi populorum æſtus viſus deferbuiſſe, conſepulti in Diui Caroli Sacello pii manes fuere, & cum iis ærumna, ac dolor.

Gregorius Paſſerus patiẽtiæ portentum,

[a] Senec. epiſt.

Noſtratum clientelæ addictus,

Moritur, ac in D. Pauli ſepelitur.

Iam

Siluest. et Afflictus vota concipit.

Iam verò in altero hoc Vincentii Giliberti Præpoſiti Generalis triennio cùm plerique eximia indole,& qui poſtea Congregationem quà literis,quà moribus ornarunt, noſtræ diſciplinæ nomen dederint,illos duntaxat libabit hic ſtylus,quos Inſulæ cohoneſtarunt : reliquis ſua non deerit in tempore narratio. Igitur anno voluentis ſeculi quarto,& vigeſimo in Neapolitana D.Pauli domo ſolĕnia ſuſcepit vota Siluester Afflictus, Troianus,cui præcipua ab ingenio,atque eruditione commendatio. Romæ ſiquidem Philoſophiam,ſacramque Theologiam diù profeſſus; ita illas noſtræ iuuentuti tradidit, vt apud exteros etiam ingentem ſibi doctrinarum famam comparauerit. Inter hæc ſtudia admotus florente adhuc æuo ab Vrbano Pontifice Octauo Eccleſię Triuici fuit:poſtea Luceriam, quod luculentius ſacerdotium,translatus. Antiſtitis partes vtrobique cum laude egerit Afflictus ,procurata ſtudioſiua religio; expoliti ſuorum mores, exculta ſacrorum facies, ſubleuata pauperum inopia abundè docent. Superioribus annis flagrante inteſtinis turbis Regno Neapolitano, vim pectoris,conſtantiam,ſolertiam,atque in Regem potiſſimùm fidem probauit. Compoſito verò turbine, ſucceſſit grauior mali appendix,annonę charitas; vt egenis, honeſtiſque etiam familiis malè eſſet. Quid tùm poſceret munus,ac Inſula,oſtendit reipſa Afflictus. Diſtributa ſiquidem quotidiana pauperibus annona,paſcere quàm copioſiſſimè oues inſtituit; ac continuato ab horreis, ac pecunia prę ſidio,edidit præclarũ boni Paſtoris documentum. Pergit modò commendatam ſibi vineam excolere, ſui etiam Ordinis perſtudioſus.

Eius ſtudia.

Euectus ad Inſulas.

Antiſtitis partes implet.

Stephanus Quaranta ritè vouet.

Conſequenti mox anno Neapoli item in Sanctorum Apoſtolorum domo, poſtquã tyrocinium Romæ in D.Syluestri cœnobio poſuit, ſolenni ritu vouit Stephanus Quaranta Neapolitanus,qui ab vetuſta Gente Quaranta, patricii Ordinis, genus repetit ſuum, Archiepiſcopus nunc Amalphitanus. Studia ſingulari ingenii felicitate emenſus,traductus mox ipſe eſt ad earundem diſciplinarum magiſterium intra iuuentam, anno videlicet ætatis altero,& vigeſimo;quod ſanè præclaræ,ac viuacioris cuiuſdam intelligentiæ argumentum. Continenti ſtudiorum curſu naturalem, ſacramque Philoſopiam Neapoli tradidit. Inde Romam euocatus ,atque annos omninò duodecim in Theologię ſpatiis cum laude verſatus, ſumma apud viros doctos in exiſtimatione fuit. Quo tempore non modò noſtrates docuit,ſed religioſos etiam alieni Inſtituti viros,ac Prę ſules,& quoſdam ex Auguſtorum Patrum Collegio,qui,Quaranta præceptore, initiari grauioribus ſtudiis voluere. Ad hæc in Collegio de fide propaganda profeſſus Theologiam eſt: tùm, quod eſt perhonorificum Romę munus, adhibitus perſæpè eſt ad eorum ingenia exploranda,qui admittendi è D.Franciſci Minoritis in celebrem D.Bonauenturæ Academiam eſſent. Ab hac eruditionis opinione admotus officiis, curiſque non exiguis fuit. Etenim Neapoli cooptatus inter Sancti Officii Conſultores,id muneris etiam dum Romæ moraretur, retinuit, annuente Neapolitanæ Inquiſitionis poſtulationi,ac votis ſacra ampliſſimorum Patrum Congregatione. Romæ verò eiuſdem Sancti Officii,vt vocant, Qualificator ab Vrbano Pontifice Octauo renunciatur,ſucceſſitque Thomæ Afflicto,viro ex noſtris eruditiſſimo. Libris item emendandis,prohibendiſque Conſultoris nomine impoſitus. Quod non vulgare quidem ab eodem Pontifice doctrinæ teſtimonium videri potuit; quando & alter ex noſtris,nempè idem Afflictus,eo iam munere fungeretur. Sacrorum deindè rituum Conſultationibus adhibitus, Cōgregationis præſertim de Canonizatione Sãctorum; quod nulli adhuc ex noſtratibus contigerat: augetque muneria dignitatem ac grauitatem,quòd coram ipſo Pontifice hi conuentus celebrentur. Ad hæc, publico examini imponitur ab Innocentio Pontifice decimo, à quo tandem Archiepiſcopus Amalphitanus creatur: Idque, vti ipſemet ſacrorum Princeps in Pontificio diplomate diſertè teſtatur, ob accuratam, ac diuturnam in tot Romæ,foriſque vigiliis Chriſtianę rei nauatam operam; quo etiam nomine cùm ſolui de more vis pecunię non modica pro literis Apoſtolicis deberet,immunem illum magna ex parte voluit; quod & ampliſſimi etiam Patres, qui egregii viri labores in Vrbe Roma nouerant, probauerunt. Is verò, facto mox doctrinarum periculo communi cum approbatione, ac laude, ſuique Sacerdotii inſignibus honeſtatus,quam ſuſceperat adminiſtrãdam,Amalphienſem eueſtigiò Cathedrã petiit. Nihil illi antiquius, quàm ſuæ ſpon-

Diſciplinas profitetur, Neapoli,

Et Romæ,

Pleraque exercet cũ laude munera.

Renunciatur Archiepiſcopus Amalphitanus,

ſæ

ſæ ornatus; internum, hoc eſt, Cleri, ac reliquorum mores ęquè, ac aſpectabilem, externumque Eccleſiæ cultum procurare diligentiſſimè inſtituit. vitia, prauas conſuetudines, inceſtos thalamos illicò inſectari, facilitate nimirum, quæ ſuam etiam vim habet; non ſupercilio, aut acri vindicatione: abraſa præſertim auaritiæ labe, ac mulctatis, emendatiſque citra aurum, ac pecuniam moribus. Diœceſis diù iam ſuorum Antiſtitum præſentiam, cenſuramque optauerat. Adiit ipſe, luſtrauitque eo quidem ſui incommodo, vt eundem plerumque pedibus fuerit, quòd equos viarū abrupta minimè admitterent. Pietati verò amplificandæ pia quædam opera inſtituit. In defunctorum præſertim manes Ciuium ſtudia excitauit, inſtituto mortuorum monte, vt habeant; vnde & defunctis ſuis mortales conſulant. Conueniunt ſingulis Dominicis diebus in principe templo nobilitas, vulgus: preces vnà ſimul recitant, quas & muſicæ quędam illecebra identidem exhilarat: tùm ipſe Archiepiſcopus appoſitè ad animarum ſolatium, ac præſidium verba facit, planè cum fructu. Par illi in viuentes pietas. Communi ſiquidem inopiæ quotidiana erogatione ita adeſt, vt agnoſcant pauperes in amantiſſimo Antiſtite præeſſe pauperum Patrem. Illud hic non diſſimulandum: qui ab irriguis D. Andreæ Apoſtoli oſſibus fluit perenni ſcatebra liquor, vberius, Quaranta Archiepiſcopo manaſſe, veluti Antiſtitis ſui labores, vigilias, zelum ea ſalutaris vndę copia probet Apoſtolus; peruetuſtæ eius Eccleſiæ Tutela, ac genius: aut compenſare fructuoſiſſimas curas velit, quas idē ipſe Romæ, in altero videlicet D. Andreę templo, docendo, dicendoque ad populum, ac confeſſiones excipiendo adminiſtrauerat. At enimuero, vt intelligat diſtinctè lector, quid in ſua ſtatim ſede patrauerit Quaranta, elogium hic apponam, quod inſcribi ad œui memoriam conſpicuo in loco Canonicorum Ordo iuſſit. Sic verò habet.

D. Andreæ Apoſtoli liquor vberior.

Canonici inſcriptum marmor Quarantæ poſitū.

D. Stephanus Quaranta Neapolitanus ex antiqua nobili Neapolitana familia,
In præcipua Theatinorum Religione S. Theologiæ Lector, ac Doctor,
Neapoli Tribunali S. Officii Conſultor,
Romæ SS. Congregationum Emin. Card. S. Officii Qualificator,
Indicis librorum prohibendorum, ac SS. Rituum Conſultor,
Ac Apoſtolicus Examinator.
Ab Innocentio Decimo ob ſuſceptos pro Eccleſia labores
Amalphiæ Archiepiſcopus creatus,
Andreani Templi huius decori propenſiùs ſtudens,
Sacram turrim campanis etiam collabentibus abundè reparauit,
Cœmeterium, mortuorum oſſibus decentiori in loco repoſitis, religiosè inſtaurauit.
Sacriſtiam ſacra ſupellectili cumulauit,
Pretioſis mitris ditauit, mira rerum diſpoſitione ornauit:
Cryptam, odèo conſtructo, choroque ampliato, maximè illuſtrauit.
Baſilicam, ara maxima, & Icone honorificantiùs collocatis,
Parietum hinc inde pictura magnificentiùs innouata,
Sanctorum reliquiis auctis, & Iconibus in medium decentiùs translatis,
Sanctiſs. Euchariſtia in altero à dextris Sacello reuerentiùs collocata,
Archiepiſcopalis ſedis Throno commodiùs dilatato,
Maximè decorauit.
Tandem pius Paſtor viuorum memor, mortuorum non immemor,
In hac Metropolitana Eccleſia Montem pro animabus iuuandis ſanctè,
ac ſalubriter erexit.
Dignitates, & Canonici Amalphitani
Archipræſuli ſuo in ęternum memoriale,
Succeſſoribus eius in perpetuum exemplar,
Hunc lapidem poſuere.
Archiepiſcopatus ſui anno primo, ſecundo, ac tertio.
An. Dom. 1652.

Augustinus Dongus Aleriæ Epiſcopus.

Sub id tempus, quo vota nuncupauit Stephanus Quaranta, Genuæ dedit Religioni nomen Auguſtinus Dongus, nobili loco Genuenſis, Card. Dongi germanus frater, poſtea Aleriæ, quæ Vrbs eſt in Corſica Inſula Epiſcopus. Hauſit à fraterna purpura id honoris, ac lucis anno huius ſeculi tertio, & quadrageſimo. Nàm cùm pleraque Cardinalis in Romanæ rei commodum cum laude, ſumptuque non mediocri nauaſſet, vt ſibi ampliſſimas Inſulas promeruit, ita Auguſtino fratri Epiſcopalem eam Cathedram facilè impetrauit: quam ille non diù tenuit. Romæ ſiquidem dum ex graui morbo decumbit, breui moritur, ſepultus in noſtro D. Andreæ templo inter ſuos.

Petrus Aloyſius Caraſa.

Anneſtendus his Petrus Aloyſius Caraſa Neapolitanus, nunc Epiſcopus Tricaricenſis, qui anno ſeculi ſexto, & vigeſimo Romæ in D. Silueſtri domo tyrocinium poſuit. Illuſtri domo natus ex Auſæ Marchionibus, Principis Beluederii germanus frater, Petri Aloyſij Card. Carafæ, & Tyberii Biſinianorum Principis ex fratre nepos: planè, vt præter communem Gentis Carafæ claritudinem, ſatis habeat à titulis, ac purpura domeſtici ſplendoris. In Ordine præter cæteras animi partes, ſacræ in primis eloquentiæ operam dedit: & quà dictionis dignitate, & cultu, quà vultu, geſtuque ad grauitatem compoſito, nunquam non agere ad populum cum plauſu, fructuque videbatur; auditus in præcipuis Italiæ Vrbibus, Venetiis, Mediolani, Bononiæ, Parmæ, Neapoli; perueniſſetque exercitatione, ac vſu ad ſublimem quendam facundiæ gradum, ac famam, niſi inſtitutum declamandi curſum interciſiſſent mox Inſulæ. Euectus nanque ad purpuram ab Innocentio Pontifice Decimo Petrus Aloyſius Patruus, quam is ante annos duos, & viginti Eccleſiam Tricaricenſem procurandam ſuſceperat, auctus tùm quidem ampliſſima dignitate, cedere nepoti voluit; illumque Romam euocatum, renunciandum Epiſcopum, atque inaugurandum ritè curauit; planè non ſine Tricaricenſis eius Eccleſiæ felicitate: quando optimo Patruo proximè ſuccederet haud degener nepos: qui quidem in eius Cathedræ administratione, quòd propiora eſſent exempla, quæ imitaretur, reſpondere nauiter ſuo muneri inſtituit. Ipſa in primis vitæ innocentia, atque inculpata morum integritas auctoritatem illi, opinionemque conciliarunt: oſtenditque exemplo ſui, quam exigeret in aliis viuendi normam. Curare deindè communem inopiam, Eccleſiarum Rectoribus propoſitum eſſe, cum intelligeret, viſus in iuuandis pauperibus cùm publica, tùm priuata, ſecretaque eleemoſyna aſſiduus: & quo tempore, diuulſo inteſtina ſeditione Regno Neapolitano, egenis potiſſimùm à tàm perturbato rerum ſtatu malè erat, fouere præſentem tollerabilium perſonarum inopiam eà cœpit munificentia, vt cùm nec ſuemet parceret annonæ, ac aurum affatim erogaret, premi & ipſũ rei domeſticæ difficultate oportuerit. Quamquam in eo populorum motu patrandum quid laborioſius, ac generoſius fuit. Frangendi nanque emotæ plebis impetus cùm eſſent, nullã ipſe conſtantiam, ſedulitatem, ſolertiam, vim linguæ prætermiſit; adprobauitque præſertim eximiam ſuum in Regem fidem. Id quod ſuis deindè literis teſtatum Rex ipſe magnificè voluit. Et Ioannes quidem Auſtriacus, qui luctuoſæ admodùm ſcenæ præſens Neapoli aderat, quòd compertum Caraſæ obſequium, ſuſceptoſque pro regia dignitate labores, curaſque non exiguas haberet, dignum putauit, quem aut Siracuſanæ, aut Montis regalis in Sicilia Inſulæ cohoneſtarent: deditque ea ſuper re in Hiſpaniam literas, quæ, quòd deſtinata iam aliis ſplendida ea ſacerdotia repererint, ſucceſſu caruere. Sed tedeò ad Epiſcopales vigilias; In Eccleſia, quà inſtauranda, quà expolienda operam Petrus Aloyſius non vulgarem poſuit. Illam ſiquidem penè collabentem reſtituit; ſuſpenditque deindè laquearia, pulcherrimo ſanè opere cœlaturis, auroque culta, ſumptu quidem, qui duo aureorum nummum millia excedat. Canonicorum numerum ad eius ordinis, Clerique dignitatem amplificandam, adauxit. Theſaurarium etiam, cui ſacrum omne inſtrumentum curæ eſſet, inſtituit, deſtinato tuendæ dignitati cenſu annuo. Sacro huic porrò inſtrumento quàm decentiſſimè ſeruando ſacrarium ſuis pluteis, armarijſque, prægrandibus iis quidem, ac ſplendidis inſtruxit; adaucta non minimùm ex oloſerico, auroque Eccleſiæ ſupellectili. Deiparæ Puritatis

Dat operam ſacræ eloquentiæ.

Renunciatur Epiſcopus Tricaricenſis.

Eius in pauperes pietas.

In Neapolitanis turbis ſolertia.

Sumptus in Tricaricenſi Eccleſia.

vnà cum BB. Caietano, & Andrea ex Clericis Regularibus Sacellum in principe eodem templo dedicauit; commendauitque magnæ huic Matri defunctorum patrocinium, quibus & à mortuorum monte, qui in eodem ſacello excitatus, præſidium curauit. Epiſcopali item domui manum admouit; ac laxatis, ornatiſque conclauibus, addita iis ędibus perampla quidem, ingentique ſumptu appendix. Hęc, aliaque Petrus Aloyſius, quæ cùm Canonicorum ordo ad grati animi monumentum extare in æuum vellent, inſcripto ipſi, ac duobus Patruis, Diomedi, ac Petro Aloyſio Cardinali Carafæ, qui eas Infulas ſucceſſiuè rexerant, marmore, luculenter explicarunt. Quod ipſe poſitum præſigni Trium uitatui elogium proſtare hic voluis eſtque huiuſmodi. Teſtantur inſcriptis literis gratitudinem Canonici.

Inclytis Tricaricenſis huiuſce Eccleſię Epiſcopis,
Ex eadem Gente Carafa, iiſdemque Anſæ Marchionibus,
Vt ſanguine, ita & vitæ innocentia, religion e, ſapientia coniunctiſſimis.

Hoc eſt:

Diomedi Carafæ, qui adaucto munificè Canonicorum prouentu,
Subleuata pauperum inopia, accuratis ciuium commodis,
Infulas triennium adminiſtrauit.
Petro Aloyſio Cardinali Carafæ, Diomedis germano fratri,
Qui Cathedram annos omninò duos, & viginti
Rexit ſolertia, amplitudine auxit, ornauit moribus.
Eccleſiam ad elegantiorem formam reuocatam,
Sacra ſupellectili, pretioſis ex auro indumentis,
Diuorum reliquiis inſtruxit quàm ſplendidiſſimè.
Vel abſens ad tractum Rheni, & ad Inferioris Germaniæ Prouincias Apoſtolicus Legatus,
Organum ad ſacras modulationes magnificentiſſimum
Faciendum ære ſuo curauit.
Penſionem ſubindè pulſanti organum perpetuò conſtituit.
Quotidianas Cleri à ſacrorum miniſterio diſtributiones
Annuo centum aureorum additamento cumulauit.
Seminarium, attributo centum ſupra quinquaginta aureorum cenſu, excitauit.
Piis item locis, ac pauperum indigentiis proniore manu conſuluit.
Dignus planè ſua purpura,
Quam illi Innocentius Pontifex Decimus detulit, Maximus Optimo.
Petro Aloyſio Carafę ex Clericis Regularibus,
Petri Aloyſii Cardinalis, & Diomedis ex fratre nepoti,
Deuo, atque incorruptę vitæ moribus æquè florentiſſimo.
Eccleſiam is ex parte collabentem, inſtaurauit,
Laquearia, auro, ac cælaturis conſpicua, impoſuit.
Sacrum in ea inſtrumentum expoliuit, adauxit.
Sacrarium, procuratis non modico ſumptu armariis, magnificè inſtruxit.
Canonicorum Collegium capitum numero amplificauit.
Theſaurarium curandæ rei ſacræ, penſionemque illi annuam conſtituit.
Sacellum Diuæ Virgini à Puritate
Vna cum BB. Caietano, & Andrea Clericis Regularibus,
Ad defunctorum tutelam, dedicauit.
Domos itidem Pontificias laxauit, exornauitque.
Poſtremò quod in Antiſtite laudabilius, ac magnificentius,
Viuis Dei templis, hoc eſt, egenis, ſacriſque familiis.
Adfuit, adeſt munificè,
Canonicorum Ordo

Patruis, Nepoti benemerentiſſimis,
Ad æternum obſequii ſpecimen,
Vnum, idemque grati animi monumentum
Vnanimi conſenſione Poſuit.

Hæc de Petro Aloyſio, qui vegeta, vt ætate, ita & virtute pergit ornare ſuam Spartham.

LIBRI DVODECIMI FINIS.

HI.

Digitized by Google

HISTORIARVM CLERICORVM REGVLARIVM

LIBER TERTIVS DECIMVS.

VERSATVR adhuc narratio in anno labentis ſeculi ſexto, & vigeſimo, in quo ducendus extra Europam ſtylus, ac conſignandæ literis noſtratum in formanda barbarorum indole, ac religione non vulgares planè induſtriæ. Hoc ſiquidem anno diuini Numinis auſpiciis, Romanæque Sedis nutu ad Orientalem Iberiam, genteſque, alta quadam inſcitię caligine veluti conſepultas, morum omninò, ac ſacrorum rudes contigit expeditio. Planè initiatam Chriſtiano ritu nationē, excipiendis Euangelii ſatis naturę quadam facilitate peridoneam, non adeò ab Europæ finibus, noſtroque ab Orbe diſterminatam, ſuperiore quidem œuo non ſatis excultam, multis verò abhinc annis fuiſſe omninò neglectam, neſcio, quonam eius fato acciderit: quando ea eſt Romanorum Pontificum, atque ampliſſimi Senatus in fide amplificanda prouidentia, ac zelus, vt vel ad vltimas terrarum oras, atque ad ipſas, oceano, montibus, belluarum, hominumque feritate, ac monſtris inacceſſas orbis partes fundandæ Chriſtianæ rei Apoſtolicos viros, atque operas amandauerit. Verùm, vt eſt ſolius diuini Numinis conſilium, ac opus, affundi Euangelii lumen populis, ita deſignare tempus, eidem ſummo rerum Arbitro reſeruatur; vt nonniſi quando decretum æterno Diuinitatis conſulto fuerit, affulgeat cœleſtis ea lux; atque adeò, deſtinatam poſtremis hiſce temporibus hanc ad Georgianos Legationem, quòd non antea decreuerint Romani Patres, arcana profectò Dei mens fuit, quę rem animorum, ac religionis temperat ſuo nutu. Noſtri autem homines, quibus illa contigit, an officii ſui partes, ac numeros impleuerint, intelliget lector narratione, quam modò adornamus. Hanc autem hiſtoriæ partem diuelli à reliqua placuit, eique librum hunc ſepoſuimus, vt ſeparata, ac tota ſimul oblectet magis continenti rerum ſerie legentes, quos enimuerò, ſi per annos ducasidum conciſa, ac ſparſa in iis narratione, mutataque identidem materia, carptim, hauſtimque rem libant, non eam legendo capere voluptatem, neceſſe eſt, quæ exiſtere ab continuo hiſtoriæ filo videtur. Igitur quòd perturbari aliquantiſper ordinem, hęc Orientalis rei periodus poſtulet, quicquid ad Iberiam, eiuſque longè laborioſiſſimas vigilias pertinet, huc coniecimus. Rem verò, vt ea, quę hiſtoriam decet, peſpicuitate, ac ordine denarremus, Regionis ſitum, ingenium, mores, religionem, ſtatum denique omnem priùs explicabimus. In qua quidem narratione perſequenda, cùm apud Geographos pauca, ac vix leuia quædam earum gentium, locorumque veſtigia reperiantur, illorum relatu, ac fide vtar, qui cognoſcere diuturna ſtatione, vſuque eam mundi plagam potuere. Noſtratium præſertim commentarii adhibendi, quos peragrata diù Regio, fixumque non vnum inibi domicilium peritiores planè reddidit. Nam licet Petrus à Valle, qui ad eam expeditionem noſtros, Auguſtoſque deindè Patres impulit, rem omnem Ibericam prolixiùs deſcripſerit: nihilò tamen minùs, quòd Regionem, populoſque non ipſe inuiſerit, commentarii ex aliorum dictis; atque adeò pleraque hauſta ab iis commenta recenſere, illum oportuit, quæ ipſe noſtratum literis monitus, cauebo. Igitur, Aſiæ Regio Georgia, ad Septemtriones, ac ſub Ponti Euxini parallelo, eòque frigidiſſima: ab agrorum cultura cuius ſtudio addicta apprimè Gens, gręcum nomen inuenit. Orientalem Iberiam veteres dixere, à qua Hiſpanos, vt originem, ita & nomen duxiſſe, communi ferè ſcriptorum teſtimonio conſtat. Non iidem modò eius Regni fines, ac antea: œuo, ſcilicet, ac finitimorum Principum potentia carpente ſemper aliquid. Olim ab Euxino

Expeditio Iberica.

Quæ eius narrandę ratio

Orientalis Iberię ſitus.

Nomen.

Fines.

ad

Digitized by Google

ad mare Caſpium longitudo extendebatur: & quà Perſiam reſpicit, hoc eſt, ab Oriente Taurim vſque, quæ princeps olim in maiori Armenia Vrbs, Ecbatana vocabatur, procurrebat: ab Occidente vſque Arzerum intra Turcarum fines: ad Meridiem Trapezuntem attingebat: ad Septemtrionem Abcaſſos, alioſque ferocioris ingenii, moriſque populos complectebatur. Extant hodieque ampliſſimi huiuſce imperii longè, latèque veſtigia. Siquidem videre adhuc eſt pleroſque propè Arzerum Georgianorum pagos; & in Vrbe ipſa Georgianus Epiſcopus, quem Arzerumelium vocant, moraturque in propinquis villis, ſacra adminiſtrat. Peruetuſta item Georgiano more templa, ac codices Iberica dialecto, ac charactere conſcripti inter Abcaſſos viſuntur. Eædemque Eccleſiarum, pagorumque propè Taurim reliquiæ Iberiæ amplitudinem teſtantur.

Vnus olim in ea Princeps

Atque his quidem, quas dixi, terris vnus olim Rex dominabatur. Sedes illi in Imereti, ſiue in Baſciaciuchi Prouincia, quæ Iberiæ meditullium, regia in Vrbe, cui nomen Cotatis: celebri ea quidem, atque ab aeris ſalubritate percommoda, quam Phaſis fluuius diſſecat; iniecto deindè ad ſciſſæ Ciuitatis nexum, ac commercium ponte. Regni Prouinciæ, quæ plurimę, ac longè diſſitæ, cùm ex ſe quidem adminiſtrare minimè Rex poſſet, diſtributæ ſingulis Procuratoribus erant, quos Ariſtauos appellabant: parebatque vni quidem Regi, ſed pleriſque Ariſtauis Georgia; quoad diuiſum, ſubindè, diſtractumque à quodam Rege imperium fuerit.

Partitum deindè pluribus prouinciis.

Is nanque cùm præcipuas ampliſſimæ Ditionis partes, hoc eſt, Imeretum, Colchidem, ſiue Odiſcim, Gurielem, ac Samſchem, quibus ſui quique Ariſtaui, præerant, ſibi retinuiſſet, cœteras inauguratis nouo Principatu filiis, diſtribuit, ac poſſidendas iis dedit; ex quibus Gacheti, ac Carduli Principes fuere. Atque hac quidem ſpontanea in filios partitione, tùm violento ſubindè finitimorum Principum, Perſarum nempè; ac Turcarum ferro imminuta non minimùm Georgiani Regis potentia. Quod in cauſa mox fuit, vt, quos dixi, Ariſtaui occupandi & ipſi, quas regebant, Prouincias, conſilium agitauerint, atque, oblata demum occaſione, perfecerint. Rem ſi paucis explicauerim, non erit fortaſſe legentibus iniucundum. Kalendis Ianuariis ſolenne Rex epulum vnà cum optimatibus celebrabat; aderantque principe loco Dadianus, Colchidis, & Arthabechus Samſches Ariſtaui; tùm alii deindè Regni magnates. Mos apud eam gentem obtinuit, qui hodièque perdurat, vt ſub conuiuii finem pincerna optimi vini calicem Regi primùm, tùm reliquis in orbem propinet, à quibus aliquod viciſſim munus pro capitum dignitate referat. Ergò vbi Rex bibiſſet, donaſſetque baſilicè, Dadianus, qui ſecundus erat à Rege, ne quid inuidiæ inter æquales largitio crearet, Arrhabechum rogat, quid tũ pincernæ donare, animus eſſet? æquum nempè eſſe, vt ſicuti officio, ita & munere, ac magnificentia pares eſſent. Centum aureos elargiturum ſe, inquit, Arthabechus. Nec mora; totidem elargitus eſt Dadianus. Sed luſit ille Punica fide virum principem; oſtentandæque ambitioſiùs munificentiæ non centum, ſed mille pincernæ repræſentauit.

Inter Ariſtauos odia.

Quod adeò Colchum Ariſtauum permouit; vt non Regis, non tot Principum præſentiam reueritus, quà ira, quà mero calens, diſtricto opinione celeriùs pugione, arreptaque Arthabechi barba, illam per ſummam iniuriam præciderit. Facinus ob ingentem Dadiani potentiam vindicare Rex minimè potuit. Arthabechus autem, cui illatum inſigne dedecus fuit, concepto immani quodam odio, quod tùm quidem perficere, circumfuſa ea ſummorum capitum celebritas prohibuit, diſtulit: nec ita poſt multò opportuna obtulit ſe ſe vlciſcendi Principis occaſio. Accidit nanque, vt is venando, dum ceruum effuſo in curſum equo, perſequitur, abreptus à ſuis, in Arthabechi fines ſolus excurrerit: & quòd comperta inter eos Principes ſimultas; captus, adductuſque ad Ariſtauum fuerit; cuius iuſſu in teterrimum carcerem mox compactus. Atenim qui exerto, præſentique ingenio erat Dadianus, cùm decidiſſe de ſtatu videri poſſet, moliri ſibi imperium, ac ſplendidiorem longè fortunã ſciuit. Nactus ſiquidem alloquendi Arthabechum occaſionem, ſic ad illum: Quid iſthæc, frater, inter nos diutiùs odia, quando vtrique viam fortuna ad principatum aperit? Vides infra auitam, priſcamq. potentiam Regem? Quantùm hinc Perſa, quãtũ hinc Turca eius Ditionis decerpſit? Filiis item, quæ eius fuit intempeſtiua in illos charitas, diuiſo ineptiùs ſceptro, non exigua Regni pars ceſſit: contracta ad Imeretũ, & quas ſummo nos iure Prouincias temperamus, Dominatione. Ad hæc, inſignis

ſub-

ſubditorum in nos amor, vt non veluti Regis adminiſtros, ſed vt hæreditario quodã iure Principes ſuſpiciant. Itaque nihil promptius, quam excuſſo Domini obſequio, in ſupremos faſces inuadere. Præclaris conſiliis tempus, occaſio, fortuna impenſiùs fauent. Fœderatis deindè viribus, quicquid intulerit belli, ac procellæ Rex, eluctari mutua ope facilè poterimus. Gratiſſimum id Atthabechi auribus, vt qui id ipſum animo agitaret, cuperetque operis ſocium, aut adminiſtrum. Quare ſe complexi mutuò, inſitoque animorum fœdere, conſilium ſacramento ſanciuere. Nec mora: exuta in Regem obedientia, ac fide, ſuum quiſque Principatum ſibi aſſeruit. Quorum exemplo erectus Gurielis Ariſtauus, ſuo etiam Principe erecto, nouam & ipſe Dynaſtiam excitauit; creueruntque Principum nomina, diſſecta tot in partes Georgia. Illata, atque inſtaurata ſæpiùs ab Imereti Principe in perduelles arma; ſed contractis ſubindè affinitatibus, atque inuicem amicitiis, conſenuere tandem odia, ac relicta ſua cuique ſedes, ac dominatio. Qui quidem Principes ita aduerſùs exteros tueri deindè ſua viſi ſunt, vt dignum ſanè admiratione ſit, quòd diuiſi in tot capita populi, quibus nihil facilius, quàm abire inuicem in diſſidia, nullis inſtructi exterorum auxiliis, nullo bellicorum tormentorum, ac fiſtularum vſu potentiſſimis Perſarum, ac Turcarum Regibus, quibus ea potiſſimùm mens, illos delere funditùs, ſtrenuè reſtiterint, fractis non ſemel eorum conatibus, profligatiſque exercitibus. Noſtro autem hoc æuo non eadem iis pace, belloque felicitas: ſiuè hæc fuerit mutua inter ipſos diſcordia; ſiuè acre diuini Numinis documentum, vt diſcerent iuſtitiam moniti. Præcipuè in Theimurazium Cacheti, & Luarſabum Cartuli Principes procella detonuit: quorum regiones euerſę, vtrique exilio mulctati, Luarſabus etiam vita, vt in loco exponamus. Atque hæc à Perſis. Domeſticæ deindè clades eò acerbiores, quòd quos nectere charitas, ac Patria deberet, eos in mutuam perniciem furor armauerit.

Extera à Perſis bella.

Pulſata ideo tidem inteſtinis bellis Iberia: Sed nunquam acriùs, quàm poſtremis hiſce temporibus. Dadianus, eius cognomenti Quintus, cui nomen Leuan, Colchidis Princeps, ſpectaculum edidit cœterorum Principum clade oppidò luctuoſum; ſibique peracti vindicatione vt exiſtimationem, ita & imperium adauxit: Repudiata is lectiſſima ex Abcaſſis Principibus coniuge, Patrui vxorem, æuo, ac forma longè venuſtiſſimam, eo ſuperſtite, contra ſanguinis, ac connubii iura ſibi in matrimonium coniunxerat. Execratum paſſim apud omnes ſummos, infimos intemperantiſſimi Iuuenis facinus; arripuitque hinc vir inter Colchos primæ notæ, cui nomen Paponias, vindicandi Principis, cui apprimè infenſus, occaſionem. Nam qui vi dicendi valebat, id in primis non modò Abcaſſis, quos ſuæ Principis repudium altè vulnerauerat, ſed Gurielis etiam, ac Baſciaciuchi, ſiuè Imereti Principi perſuaſit, nihil ſcilicet communi rei fore opportunius, quàm ſi Leuan Dadianus Principatu amoueretur, ac Ioſephũ, minore natu germanũ fratrem ſũmę ſpei, regiæq; indolis iuuenem, ſufficerent. Hoc autem cùm exequutioni mandari minimè poſſe, cernerent, niſi faſcibus ſimul, & vita defungeretur Dadianus, coniuratum in eius caput; datumque negotium Abcaſſo cuidam, viro audaciſſimo, qui lancea illum ab inſidiis conficeret; corruptis etiam auro pincernis, vt opportuniſſimo inter epulas, ac vina tempore Abcaſſum iuuarent. Itaque dum prouecta iam nocte, ſolutus metu, ac ſuſpicione prorſùs omni ad cœnam diſcumbit Dadianus, adfuit condicto facinori Abcaſſus, qui intentum exſorbendo calici Principem, ad pincernæ nutum, excuſſa quanta maxima vi potuit, ferali ictu, à tergo petit: putauitq; tranſuerberaſſe, largoque vulnere ingentem aperuiſſe fugienti animę aditum. Verũ, vt eiuſmodi conſilia improſperè plerumque cadunt, luſus ferri impetus fuit. Vix enim Dadianus vibrari lanceam ſenſit, cùm pronum in pectus confeſtim lapſus, plenum ictum declinauit, excepitq; obliquè vulnus, cruentato leuiter humero. Abcaſſum fuga, ac tenebrę eripuere omnium oculis. At Princeps, dum frequenter obuerſatur animo atrox rei facies, ac parricidium, ira percitus, moliri vltima; & qui converteret in auctores exitium, meditari ſubindè cœpit. Quocirca vbi conualuit, nihil prius habuit, quàm de re accuratè inquirere. Obſeruatus tũ quidem pincernæ nutus fuerat; delatuſq; ac poſtulatus ad quęſtionem, nihil is adornatæ coniurationis, editis etiam conſpiratorum nominibus, reticuit. Ergò cœpta peracti criminis vindicatio. Pincernæ exculpti oculi fuere; nempè vt oculorum nu-

Et inteſtina

In Dadianum Coniuratio.

Qui lancea petitur.

Sed leui ab ictu conualuit,

Vindicantur coniurati

nutũ oculis penderet. Princeps operis auctor, Paponias, fractis primùm ceruicibus, tũ nouo crudelitatis genere, in tormẽtum bellicum incluſus, conceptoque mox igne, diſcerptus abiit in fruſta. Frater affectatæ dominationis pœnas oculorum tenebris, ac fortunarum iactura dedit. Gurielis Princeps non impunè & ipſe conſpirauit: illato ſiquidem à Dadiano bello, profligatus, captuſque, excœcatus mox fuit, priuatęque fortunæ, exuto Principe, mancipatus. Commeritus planè id ipſe ſupplicii fuerat, qui adhuc intra adoleſcentiam regnandi libidine abreptus, moræque impatiens, Patrem ipſum necauerat; ac vindicari grande ſcelus debuit principatus, opum, libertatis, oculorum clade. Debellato Gurielo, ad Abcaſſos animum, ac arma applicuit Dadianus. Ferociſſima ea gens eſt. Militarem natura indolem etiam inſtitutione ad arma informant. Equitare, haſta, ferroque ludere, palæſtram exercere, diſcos euibrare: hęc aſſidua illorum ſtudia. Turcarum potentiam, quibus inſenſiſſimi, luſere ſæpiùs ſtrenuè. Nam præter animi, ac corporis robur, tuentur etiam ſe loci ſitu, abruptiſq. montium iugis, quas arces natura illis ad præſidium ſtruxit. Hos tamen Colchidis Princeps incredibili armorum, animique contentione iis affecit cladibus inter ipſas cautes, ſaxorumque munitiones, vt dederint tandem manus, eiuſque ſe ſtipendiarios vltrò fecerint. Mulctandus poſtremò Imereti Princeps erat, quem etſi minimè profligauit, quòd munitiſſima Cotati Vrbi arx incubet, quæ hoſtiles impetus, conatuſque omnes ludit: attamen vſque adeò regionem omnem exercuit, vaſtauitque, vt corrupta penitùs camporum fertilitate, non ſeri, non meti queat; recenteſque inferantur quotidiè clades; attrita Principis potentia, incuſſoque triſtioris fortunæ metu. Hinc Dadiani imperium cœterorum calamitate excreuit. Atque hæc hodièque Georgiæ facies, in cuius exitium viſa domeſtica, atque extera ſimul bella coniuraſſe.

Iberorum lingua.

Pergimus reliqua ſcitu digna gentis, ac religionis deſcribere. Georgianis vna olim lingua. Varia nunc pleriſque ex iis populis dialectus. Verùm in ſacris, profaniſque codicibus, ac ſcriptionibus, priſca, & quam Georgianam vocant, lingua vtuntur paſſim omnes, quemadmodum latina Europæi. Quin & in Principum aulis eandem ipſam vſurpant viri nobiles, vt quæ purior apud ipſos, atque elegantior. Paucę in ingenti illo terrarum tractu vrbes, nec celebres; & in Colchide quidem nullę. Siquidem vt in pleriſq. Europæ regnis, præſertim in Gallia mos eſt, viri quiq. nobiles, Aſnauros vocant, ac Reges ipſi, relictis mercaturæ, atque opificiis Ciuitatibus, villis, ac campeſtri

Habitandi ratio.

tecto gaudent. Hinc diſſeminata paſſim domibus, ac templis arua. Ac tecta quidem plerumque lignea, nullis nempè clauis, ſed nexis inter ſe ſe aſſeribus, contignata. Nihil in iis elegantiæ, ac ſplendoris, nec diſtinctis ad habitantium commodum conclauibus; ſed magnæ cuiuſdam in modum aulæ, perampla in eius medio feneſtra, quæ diẽ excipiat, concinnantur. Ibi mixtim familia, ſerui, domini, interdum equus. A ſitu quędam iis venuſtas. Nullæ ſiquidem iſtiuſmodi ædium ſunt, quas, vtpotè in cam-

Tacit. de moribus German.

pis, non aliqua commendet loci gratia; atque has quidem in acclini colle, proſpectu peramœnas, illas ad amnium ripas; pleraſque videre eſt in pratis, arboribus in quincuncem conſitis, inſidere. Id quod de Germanorum ſedibus Tacitus narrat; quibus

Nobilitas. opes.

nullę olim Vrbes; ſed habitare, ait, diſcretos, ac diuerſos, vt fons, vt campus, vt nemus placuit. Plures iis pro opum modo domus, mutantque per anni vices. Atque in Colchide quidem ad Principis vſum quinque omninò, ac ſeptuaginta extant eiuſmodi ſparſa per ſuam Ditionem prætoria, quorum quod eſt pulcherrimum, Tugditim vocant, ſolido è ſaxo, ambulacris, ac porticibus ſplendidum, Perſarum in morem. Iam verò præter Orientalium barbarorum vſum certa Georgianis nobilitas, illamque mutuis inter ſe ſe connubiis, atque affinitatibus tuentur. Præcipuæ eorum opes ſubditi ſunt, in quos ſumma auctoritas. Ab iis ſtipendiaria ſtatis anni temporibus munera, & agrorum cultura, & quotidiana in domeſticis miniſteriis opera; quorum etiã filios, à complexu matrum diuulſos, exteris barbaris venditant. Princeps, atque inferiores Dynaſtæ ſummo iure, ac ſumma iniuria agunt. Non iudices, non forum: abſoluit, damnat, liteſque pro libito adiudicat Princeps. Si quæ controuerſiæ obortæ inter potentiores fuerint, armis dirimunt. Acies hinc inde inſtruunt, concurruntq. in mutuã cœdem; tùm ſegetes, arua, domos vaſtant. Nullæ vſquam inibi argenti, auriue

fodinæ. Hinc rei nummariæ caritas: vt non vendant, non emant, ſtipem non erogẽt, datiſque vltrò, citròque mercibus, vitę commodis conſulunt rerum commutatione. In quo quidem & cũ priſcis Germanis illis conueniũt. Nam, vt ait Tacitus idem, quẽ modò appellaui, argentum, & aurum propitii, an irati Dii negauerint, dubito. Non æqua iis terris glebæ fertilitas. Interior Iberia fructus, ac ſegetes fermè ad Italiæ vbertatem maturat, niſi quod oleis caret, quarum liquorem cera ſupplet. Apes nanque ad mellis opificium impenſiùs procurant. Quæ ad Euxinum pontum iacet Colchorum Regio inepta frugibus. Nullum ibi frumentum prouenit: vt cũ vino innatent, panis prorsùs inopia laborent Colchi. Frumenti loco panico vtuntur, ex quo polentæ genus conficiunt, quam gomum vocant. Pecuariis abundant, ac lanæ exercendi lanificii omninò rudes. Rei item ſericariæ apprimè ſtudent; ſed infectum ſericum in Perſidem amandant, cui elaborando, texendoque impares. Non artes bonę, non diſciplinæ, ac ſcientiæ Georgianis curæ. Bellicis ſtudiis quà corporis firmitate, quà naturæ quodam genio nati videntur. Cæterũ ingenii, indolis, animorũ cultus prorsùs nullus. Rara eorum factis, aut dictis fides. Quod ſemel dono dederunt, paſſim repetunt; nec indecorum, inſigniter, ac iurciurando mentiri. Familiare genti furtum. Dominatur hęc lues non modò inter infimæ ſortis viros; verũ inter proceres etiam, atque Eccleſiaſticos; laudanturque fures, veluti ingenio nobiles. Etſi ingenioſæ huiuſmodi Arpyę, ſi detegi contingat, non perfunctoriè à Principe vindicantur. Ventri plus æquo dediti, ac vino, cuius vſus vſque adeò apud ipſos frequens, vt, quamuis largior ſit iis vindemia, largiùs tamen bibant; ac per trimeſtre, antequam noua autumnitas vuas exprimat, exſiccatis omninò doliis, vino carent, eoque tempore omninò abſtemii, reliquum annum vino ad temulentiam perpetuò madent, honorique ducunt, inebriari. Par iis ingluuies, vorantque vna vice quicquid annonæ in pluſculos dies ſuffecerit. Ieiunium deindè tolerant, quoad iterũ gulam exerceant; nulla in craſtinum prouidentia. In Conuiuiis, quæ ſtatis anni feriis celebrant, prolixitas, ſordes, bibacitas certant. Veſtes, ſi plebem ſpectes, vix quæ cœli iniuriam arceant. Pleriſque curta quædam lacinia, quę pudorem vix tegat: & mulieribus quidem ad talos ſubucula pro indumento eſt. Nobilibus quæſitus oppidò cultus, ac pompa. Interula iis ſerica, cuius extremas oras auro, gemmiſque ad omnem elegantiam prætexunt, ſinuntque eiuſmodi lacinias oſtentandæ magnificentiæ è genu dilabi. Tunicis deindè oloſericis vtuntur, ſplendidè manicatis, & in itinere quidem ex auro, aut acu pictis ſcyticæ etiam pelles pretium adaugent; cuiuſmodi etiam pellibus & pileos ſubſuunt, auroque illuminant, vt mos eſt apud Tartarorum, Perſarumque proceres. Mulieres, quę procerâ apud ipſos ſtatura, ac viuidæ, communem in veſtium luxu ſuperbiam imitantes, vultus æquè, ac chlamydes pingunt. Lucet hęc maximè externa in indumentis vanitas, præſertim in Colchide, cũ ſolenne aliquod epulum celebrant: ac tùm quidem non vno veſtis genere nobiles fœminę, virique contenti, ſæpiùs inter pocula aliam alia pretioſiorem veſtem mutant. Ita verò formæ, atque elegantiæ ſtudent fœminę, vt maris cuiuſdam animi ſpecimen præſeferant. Nam grauiora domi, foriſque negotia ipſæ obeunt. Ad hæc, ocreatæ equitare, arcu, pharetraque inſtructæ euagari, paſſim venari, viris ipſis robore, ac dexteritate non impares, cernuntur. Porrò id vnum frequentiſſimum Genti exercitium, nempè venatio. Regio feras alit omnigenas, aueſq. præcipui nominis. Hinc venandi cupido, ac vſus. Eam potiſſimũ quiſque felicitatem ſummam putat: ſi ſtrenuus ſit domi canis, optimus accipiter, ac velociſſimus equus: peridonea, ſcilicet, venationi inſtrumenta. Sagitta, & arcu valent, quibus in ferarum ſtragem vtuntur. Principes vi canum, ac circumfuſa hominũ multitudine plenum aleæ venatum faciunt. Contingit nanque ſępiùs, in eo rerum æſtu, iactuq. telorum multiplici pro feris tranſuerberari ipſos homines. Illud Munacciaro, Colchidis Principi, Leuani Dadiani, qui modò regnat, Parenti, accidit. Ceruum is inſequebatur, quem ipſum pleriqne viri nobiles curſu petebant. Abreptus verò prædę guſtu dum ſibi in eo multorum mortalium concurſu non cauet, tanto quidem impetu, impulſuque in alium impegit, vt fractus, quaſſatuſque, momento expirauerit. Propenſionem verò in eiuſmodi ferarum, auiumque venationem illud Leuani Dadiani factum probat. Conſilium de grauiſſimis bellorum momentis cũ Regni primoribus

Soli genius.

Studia.

Furta.

Ingluuies, bibacitas.

Veſtes.

Fœminarum cultus.

Et virilitas.

Quid Colcho Principi venãdo acciderit.

Dadianus venationi addictiſſimus.

habebat; cùm nunciatum illi ad vicini cuiuſdam fluminis ripam peregrinam quandam auem ſtare. Ergo relicta bellica conſultatione, conuentuque Principum, in equo ſtatim fuit. Iuiſſe, cepiſſe accipitre prædam, idem penè videri potuit; rediitque mox ad comitia, quæ interpellari, quàm auolare occaſionem, auemque maluit. Iam, nullus inter ipſos medicæ artis conſultus, nulla item pharmaca. Morbos ſuperſtitionibus atque animalium laniena, quæ circa ægrotantium caput, conceptis carminibus agunt, curari putant. Concipiunt item ad Diuorum, præſertim Deiparæ, imaginem vota inepto planè ritu; aurumque veluti indigeant Diui bonis ſuis; pollicentur. Si conualeſcere ægrotos contigerit, amici, ac conſanguinei officii cauſa confluunt; exceptique perhonorificè, pecuniam, atque argenteas pateras, lætitiæ indices, donant: cuiuſmodi etiam in puerperiis donaria matres accipiunt. Si fato conceſſerint, incredibile dictu eſt, quo luctu funus excipiant. Confeſtim quotquot adſunt, inconditis quidem vocibus eiulatum excitant longè funeſtiſſimum: tùm vultus, comas horrendum in modum laniant; feruentiſque amoris argumentum eſt, ſæuior laceratio. Eiuſmodi verò luctum, ac ſcenam ad octo conſequentes dies ornant; temperata nonnihil, ac compoſita veluti ad numerum vociferatione, quam alternis choris matutinis, veſpertiniſque horis inſtaurant. Interea lugubres ipſi cœnas inſtituunt pro defuncti manibus, ciboſque item inferunt defuncto ipſi: putantque indigere alimentis, & quotidiana annona mortuos. Elapſo octiduo, funus efferunt, deducuntque nudi ad cinctum, ac nudis pedibus, iiſdemque excitandæ commiſerationi vlulatibus, quos ad tumulum, compoſiti in Orbem, vehementer intendunt, non ſine genarum, capillorumque dehoneſtamento. Aliquot poſt à ſepultura diebus Pater familias iterū ad tumulum, vbi nixus genibus, ac ſeminudus, vti dixi, adeuntes ſucceſſiuè, vultu quidem ad omnem mœſtitiam erudito, conſanguineos, amicoſque omnes iiſdem doloris imitamentis excipit. Perſolutis exequiarum iuſtis, cognati, ac ſubditi barbam, ac ſupercilium radunt; tegumentum capitis, ac calceos nonniſi caprina ex pelle per menſes aliquot adhibent. Per annum exulant eorum menſis carnes, piſces, & quicquid lacte conſtat. Et ſunt, qui ad amoris monimentum hæc ipſa diutiùs tolerant; trahuntque ad plures annos luctus, ac corporis incōmoda. Et Dadianus quidem Princeps, cui ante annos omninò quatuor erepta immaturo funere coniux fuerat, obſtinata quadam doloris obſeruantia carnibus, ouiſque abſtinuit; admiſeratque non niſi poſt triennium duntaxat piſces.

Vt morbos Iberi curent.

Hactenùs mores, ac indoles. Religionem aggredior, quo rerum cardine animorum ſalus nititur. Iam inde ab anno Chriſtiani Orbis ſeptimo, & vigeſimo ſupra trecenteſimum, Silueſtri Pontificis anno quartodecimo, & Conſtantini Magni Cæſaris vigeſimo ſecundo illuxit Chriſti nomen Iberis: feruntque fœminam, quam Ancillæ nomine Eccleſiæ faſti appellant, & Georgiani ſua lingua zmindam Ninonem, hoc eſt, ſanctam Chriſtianam vocant, quà vitæ aſperioris ſanctimonia, quà vi miraculorum, quà voce probaſſe iis populis Euangelium, fidemque orthodoxam, ac Regem ipſum, Baccurium nomine, ac Reginam, cui precibus ſanitatem impetrauerat, ad frugem, pietatemque conuertiſſe. Narrat hæc Cæſar Baronius, qui addit, legationem ad Cōſtantinum ab eo Rege miſſam, qua ſacerdotes efflagitauit, vt eorum inſtitutione, & cultu, quod D. Ancilla diſſeminauerat, in lætam ſegetem adoleſceret. Hæc autem narraſſe Baccurium ipſum Regem Ruffino, affirmat Baronius, cū is ad Conſtantinū adiens, renunciatus ab eo fuit honoris cauſa domeſticorūm comes. Perſuaſum verò habemus, amandatos eò à Conſtantino Cæſare græci nominis, ac ritus ſacerdotes, ac proindè ad græcum omninò morem ſacrorum cultu imbutos, quem hodièque cùm in liturgiis, tùm in reliquo rerum Eccleſiaſticarum vſu ſeruant. Sunt qui eorum ſacra curent ſacerdotes, Epiſcopi, ac Metropolitæ, quibus totius Iberiæ Patriarchæ duo, quos Catholicos vocāt, quorū alter in Cartuli Prouincia, alter in Colchide, ſiuè Mēgrelia reſidet, ſūmo iure præſūt. Et Epiſcoporū quidē electio penes ſuos Principes eſt: Patriarchā verò cū Epiſcopi, tū Princeps, inſtitutis comitiis legūt. Sed quæ eſt Principū potentia, atque in Eccleſiaſticos auctoritas, eorum ſemper nutu, atque arbitrio vtraque regitur. Metropolitas, ac Epiſcopos nonniſi è religioſis viris, quos Beros vocant, deligunt.

A Chriſtiana Ancilla Iberis fides.

a An. 327.

Græco ritu viuunt.

Eorum Epiſcopi.

Qui

Qui quidem Beti magno apud vulgus in honore habentur, quòd carnes nec guſtēt, nec vnquam ab incunabulis deguſtauerint. Quod inſtitutum Antiſtites, cœteris licet vitiis cooperti, cubilibus præſertim, atque ebrietatibus aſſueti, nunquam ſubindè violant. Inuoluta innumeris penè ſuperſtitionibus Gens, quarum aliquæ ſtrictim recenſendæ; ne ſi per omnes iuerit ſtylus, videar in nugis ſcriptionem, ac tempus terere. Pro infirmorum ſalute aures boui vellunt, rotantque per ægroti caput: tùm bouem ipſum per domum circumducunt; capiuntque hinc vitæ, aut mortis omen. Mos item illis, decumbentes ſuos rete, arcendo dæmoni, inuoluere. Putant nanque, id maximè formidare infernos hoſtes, ſcilicet, ne rete implicet. Thuri quandam ineſſe arcanam vim, etiam peccatis relaxandis, exiſtimant. Fictilibus vtuntur doliis, altè in terram defoſſis, quæ cùm primùm hauriunt, mirum, qua ſuperſtitione id peragant. Solenne ſacrum celebrant: tùm Sacerdos ab ara cellam vinariam ſtolatus petit: ceremonias ad dolium ritu ſacro obit, preceſque admurmurat: mox diſcumbunt, potant, commeſſantur; hiſque auſpiciis gulæ, atque ebrietati ſuæ litant. Pridie Kalendas Ianuarias magnates factum omne argentum ad Eccleſiam deferunt, cui indormire presbyterum, iubēt. Inſequente mox die, qui eſt renaſcentis anni initium, veluti conſecratum, domum reportāt. Nihil apud ipſos inauſpicatius, quàm lunę dies. Carnes ea die nonniſi extra domum guſtant. Perſuaſum ſiquidem habent, fore, vt ſi tùm comedant, pateat lupis domus. Non mutuant, non donant, non iter inſtituunt; idque potiſſimùm proximè poſt interlunium. Carne veſcentes, oſſa inſpiciunt: inde felicitatem, aut infelicitatem augurantur: animalium voces curioſiſſimè obſeruant: Somniis ſummam adhibent fidem. Sed hæc ſatis.

Quæ maioris profectò momenti ſunt, multiplices nempè circa Romanam fidem, ac ſacramenta, alioſque Catholicę Eccleſiæ ritus errores, paulò accuratiùs adnotanda. Planè, qui, vti ſignificatum eſt, inſtituti à Græcis fuere, adhæſiſſe iis Græcorum labes, eorumque hauſiſſe falſorum dogmatum fæcem, neceſſe eſt. Etſi, non omnis illos magiſtrorum nequitia infecit. Nam præterquàm quòd poſtremis quibuſdam Patrum Conciliis, quæ Græca fides obſtinatè abrogauit, Iberi minimè interſuere; atque adeò iis miſceri erroribus, non contigit: tùm Romanæ Sedis Primatum, qui præcipuus fuit ſuperbiſſimæ illius nationis ſcopulus, etſi non fatentur; neq. Romanum Pontificem, veluti ſummum Chriſtiani Orbis caput, ſacrorumque apicem, ac Parentem publicum agnoſcunt; tamen non obſtinatè auerſantur: neque ea pręfractæ mentis contumacia, qua notantur Gręci, & quæ hæreſum mater eſt, laborant; mitiore nimirùm indole, ac moribus longè facillimis. Igitur propinata iis venena, ac pro piſcibus ſcorpiones dedere filiis ſæui patres. Hos autem errores, qui ſanè multi, diligenter collegit Petrus noſter Auitabilis, Ibericæ miſſionis Præfectus, de quo mox dicam, qui à Theimurazio Georgiæ Principe ad Vrbanum Pontificem Octauum miſſus, tùm Regionis mores, tùm in primis eiuſmodi corruptæ religionis labes, adornato breui commentariolo, Pontifici latinè exhibuit. Elenchum hunc ad vnguem exſcribimus, qui ſic habet.

Errores Georgianorum circa Fidei articulos
Sacramenta, præcepta, & bonos mores.

I Negant, Spiritum Sanctum à Filio procedere.

II Purgatorium aſſeuerant, dari, non tamen per ignem; ſed tantùm animas cruciari in loco quodam obſcuro, & mæſtitudinis.

III Negant iudicium particulare animarum Chriſtianorum, ſiue iuſtorum, ſiue iniuſtorum. Itaque decedente aliquo, dicunt: per manus Angeli Cuſtodis ſui deferri illius animam ante Chriſtum in Paradiſum: & ſi quidem iuſtus fuerit, mitti in locum quēdā lætitiæ, vbi viridaria, & pulchra ſunt palatia: at ſi impius fuerit, in locū tetrū, & obſcurum demitti. In quibus locis volunt, eas detineri vſque in diem iudicii, ſiſtendas tunc poſt Reſurrectionem ante Iudicem, accepturas æternæ beatitudinis, aut dānationis ſententias. Si verò aliquis cum pœnitentia ex hac vita decedat, dicunt, hunc per aliquod tempus mitti ad locum illum horroris, & poſtmodum ad locum lætitiæ tranſmitti, vbi cum cœteris iudicii diem expectet.

IV Viſionem Dei ante corporum Reſurrectionem animabus non concedunt, vt ex pręcedenti patet errore.

V Infideles iudicari in iudicio particulari tantùm, aſſerunt, quando moriuntur; & nequaquam iudicandos in generali iudicio; ex loco illo Ioannis: Qui non credit, iam iudicatus eſt.

VI Inferorum pœnas non faciunt æternas. Nam ſi Chriſtianus decedit in peccato mortali, & ſine pœnitentia, ſi pro eo oretur, poterit, inquiunt, à pæna liberari. Vnde cum pœnitentia oritur & cœterorum operum bonorum tempus.

VII Fidei confeſſionem, quę ore fit ad ſalutem, etiamſi res ſit grauiſſima, negant eſſe neceſſariam, vrgente graui metu.

VIII Feſtos dies etſi multos agnoſcant, ab opere tamen ſeruili in illis non ſeruantur: etiamſi Natiuitatis Domini dies ſit.

IX De Baptiſmi Sacramento recipiendo non ſunt valde ſolliciti: Ignorant enim, illud eſſe ianuam Sacramentorum. Paucis ante noſtrum aduentum diebus accidit, Epiſcopum quendam ex primoribus compertum fuiſſe, nequaquam baptizatum. Cui cùm baptiſmum contuliſſent, ordines tamen nequaquam reiterato contulerunt.

X Baptizant reconciliatos fidei Chriſtianæ ab errore Apoſtaſię.

XI Tenent, baptiſmi miniſtrum eſſe ſolum Sacerdotem, etiam in articulo mortis; vnde eueniente caſu mortis infantis, ſi abſit ſacerdos, nemo illum baptizat.

XII In caſu, in quo infans non baptizatur propter abſentiam ſacerdotis, dicunt multi, ſufficere ſaluti infantis baptiſmum, matri collatum.

XIII Negant, poſſe conferri baptiſmum extra templum.

XIV Pueris, dum baptizantur, conferunt Euchariſtię Sacramentum.

XV Confirmationis Sacramentum ab ipſis confertur infantibus eodem tempore, quo eos baptizant.

XVI Peccata tùm primùm confitentur, cùm vxores ſunt ducturi.

XVII De integritate confeſſionis haud ſunt ſolliciti. Nam in ea prima confeſſione, quam vxores ducturi, faciunt, exacto lubrico adoleſcentiæ ſtatu, quatuor ſe verbis expediunt.

XVIII Iterum confitentur extremo vitæ tempore eodem verborum compendio.

XIX Si ſacerdos in carnis peccatum, vel ſecretiſſimè, labatur, confeſſarius in ſacramentali confeſſione priuat eum facultate celebrandi. Ex quo peſſima inoleuit cōſuetudo, vt ſacerdos in eiuſmodi peccatum lapſus, minimè confiteatur: eoque maculatus, non ceſſat vſque ad mortem celebrare.

XX Pueris morientibus Euchariſtiam præbent, dicentes, Chriſti eſſe præceptum, aſſerentis Ioannis cap. 6. Qui non manducat meam carnem, non habet vitam æternam.

XXI Eccleſiaſtici omnes, imo & ſacerdotes, & Epiſcopi ab bellum ire coguntur à Principe: iidemque ab inimicorum cœde reuertentes, miſſam celebrant, abſque vlla diſpenſatione ab irregularitate.

XXII Euchariſtiam rariſſimè in vita recipiunt; & multi ne in morte quidem.

XXIII Sentiunt, vno die vnicam tantùm miſſam in vno altari, vel in vna eccleſia poſſe celebrari.

XXIV Nec Epiſcopi, nec ſacerdotes omnibus diebus feſtiuis celebrant; neque alterius celebrationi interſunt. Vnde ſæpiſſimè iis diebus populus totus ſine ſacrificio miſſæ remanet.

XXV In miſſę celebratione ſordidiſſimis vaſis, ac veſtibus vtuntur, conſecrantq. in calice ligneo. Item, cùm Euchariſtiam ad infirmos deferunt, maxima id faciunt irreuerentia ſine comitatu, & luminibus. Cùm miſſa celebratur, ſeculares, & præcipuè mulieres extra fores eccleſię manent, riſui, ac vaniloquio vacantes; nec aliter ſe habent eccleſiam ingreſſi, immodeſtiſſimè aſſiſtentes.

XXVI In aliquibus diebus feſtiuis multi ſacerdotes; miſſæ ſacrificio adſtantes, com-

communicant: Sed Euchariſtiæ Sacramenrum ab Epiſcopo celebratē recipiunt in propriis manibus, quod ipſimet proprio apponunt ori,

XXVII Eccleſiaſtici in officii diuini recitatione in eo ſunt errore, vt non omnes illud recitent, ſed vnus tantū, vel duo, aliis multis audientibus. & ille, qui recitat, vt plurimùm non eſt ſacerdos. Quin etiam adſtanres ad ea, quæ dicuntur, minimè attēdunt, & negotiis aliis vacant. Cùm aurem ſoli ſunt Epiſcopi, vel ſacerdotes, ipſi totum officium recitant.

XXVIII Omnes, quamuis adultę ſint ætatis, rudimentorum fidei ignorantia tenentur: vnde nec Orationem Dominicā, nec ſalutationem Angelicam, fidei ſymbolum, præcepta Dei, peccata vitanda, & quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſciunt. Parentes quippè de educandis in Chriſtiana religione filiis non curant.

XXIX Si de vxore liberos non ſuſcipiant, de ſacerdorum licentia danr illi libellum repudii; & aliam ducunt Idem faciunt, ſi rixoſa ſit; ita vt cum ea pacem habere non poſſint; aut in adulterio eam deprehenderint.

XXX Dum quis in articulo mortis poſitus eſt; ita vt de eius ſalute deſperetur, accelerant eius mortem: primò in tali ſitu corpus illius collocando, vnde citiùs moriarur: Secundò, vicina magis morte, os eius, oculoſque claudendo, vt reſpirare non valeat. Aiunt enim, malum eſſe, moribundum diutiùs agonizando cruciari. Id munus à ſacerdotibus vt plurimùm exercetur.

XXXI Ieiunantes vnica comeſtione minimè ſunt contenti; ſed vel pluries comedunt, vel ſi vna tantùm vice, tota die vſque ad veſperam commeſſantur.

XXXII Vinum ita immoderatè bibunt, vt omnes temperantiæ terminos longiſſimè prætergrediantur. Vnde ſingulæ eorum actiones omni prorsùs ordine ſunt deſtitutæ; & in maxima confuſione inter eos viuitur.

XXXIII Bibentes immoderatè vinum, eo affectu Deum inuocant, talibuſque corporis geſtibus vtuntur, vt quædam ſpecies adorationis vino ab illis adhiberi videatur. Pudetque illos, ſi in aliquibus feſtiuis diebus non turpiſſimè inebrientur. Ex qua quotidiana ferè inebriatione integro quaſi vnoquoque die vſu rationis carent.

XXXIV Miracula remanſiſſe apud eos negant: &, ſi quæ à nobis illis narrata fuerint, ſiuè antiqua, ſiuè recentia, ſiuè per defunctos patrata, ſiuè per viuos, mentitos nos eſſe, dicunt.

XXXV De Pontificis auctoritate ſentiunt, illum in iure duntaxat poſitiuo diſpenſare poſſe, & in re leui; ſecus verò in graui.

XXXVI Quæcumque nos Catholici facimus præter eorum conſuetudines, ſiuè in ieiunorum obſeruatione, ſiuè in feſtorum celebratione, aut in modo orandi, aſſerunt, eſſe errores: hæreticorum tamen nomen adhuc nobis non appoſuerunt.

XXXVII Cùm tàm perditè à vera fide aberrauerint, ſuperbè tamen de ſeipſis ſentiunt: ita vt in omnium ore iſta verba paſſim reperiantur: Si Chriſtiana fides in toto orbe periret, apud nos vera Chriſtianitas pura, & intacta reperiretur. Atque hi quidem eius Nationis errores, quos æuo iam, & conſuetudine inueteratos, parum eſſet, niſi illos etiam foueret genus hominum, longè peruicaciſſimum; quos Caloceros vocant. Immitti hi quidem à pſeudo Patriarcha Conſtantinopolitano eò ſolent, dæmonum nimirū catuli, atque emiſſarii, vt quicquid inibi grçcæ frugis, atque impietatis naſcitur, alant ſubindè, atque ſtudio, curaque ſua excolant. Horum id in primis conſilium eſt, Romanum nomen delere: vtque Apoſtolicam Sedem, fidemq. à popularium animis conuellant, nullum non mendacium, commentumque adornant, nullis blaſphemiis parcunt. Quibus artibus non minimum Euangelii adminiſtris negotium faceſſunt, contenduntque pro viribus, ne aures, animoſque eius gentis afficiant ſalutis verba. Iam verò, illud poſtremò poſcit locus, vt quando de acceſſu ad eas gentes agimus, qua potiſſimùm adiri via, terra, marique poſſint, ſignificemus. Id quod ad reliquam deindè narrationis perſpicuitatem apprimè faciet. Et quidem aperta huic miſſioni videntur itinera omninò tria: primum Conſtantinopolitanum, quod menſe quidem conficies, ſi terra Trapezuntem petas conſueto cum mercatorum cœtus mari verò intra octonos dies, inſtituta per Euxinum pontum velificatione. Quod autem ſuſpectus Turcis hic noſtratum, præcipuè religioſorum hominum, ad Iberos tranſitus,

Græcorum in fouendis Iberorum erroribus ſedulitas,

Qua via adiri Georgia poſſit

ſitus, periculi plenum hoc iter; ac cautiùs, diſſimulata Inſtituti ratione, mutatoque habitu, ſuſcipiendum. Alterum per Perſidem: vnde ſiue per vrbes, quę ad Caſpii maris oram iacent, ſiue per Alingiam, quæ Catholicorum Armeniorum Prouincia eſt, tendas, Cartulum, quæ in Perſarum confinio eſt Regio, peruenitur: tertium per Poloniam Chioniam versùs, quam Tomim Ponti eſſe, vbi Ouidius exulauit, ſcriptores affirmant. Chionia verò in Pontum Euxinum excurrit: inde nauibus, quas ad Boryſthenis oſtia expeditas Coſachi habent, in Colchidem traiicitur. Quod iter percommodum, ac tutum; præſertim cũ inter Colchos, ac Georgianos, qui Euxino pelago obiacent, quidam cũ neceſſitudinis, tùm etiam ſanguinis nexus intercedat: ac cõmeantibus vltrò, citròque nauigiis, mutuò ſe ſe iuuent commercio. Quo etiam fœdere cum Polono Rege coniuncti Gurielis, ac Colchidis Principes cùm ſint, opportunaprofectò hęc erit è Polonia expeditio.

Atque hæc de Iberis proloqui, perneceſſarium fuit. Ad eius nunc excurſionis occaſionem, atque initia aggrediamur, dicturi à noſtris in Chriſtiana religione inibi fructum, ac laboris pretium. Petro Auitabili Neapolitano, Viro honeſtis parentibus, atque

Petri Auitabilis propagādæ fidei ſtudium.

inſigniter pio, inſitum à puero fuerat diſſeminandæ, amplificandæq. ad barbaras gentes orthodoxæ fidei ſtudium. Nam cùm vix duodennis audiret perſæpè religioſorum hominum in pręclaro eo opere induſtriam, ac contentionem; tùm pro Chriſto labores, ac cruciatus, datumque pulchra per vulnera ſanguinem; inflammari vehementer ad eam Chriſtianę fortitudinis laudem ſenſit: ita vt, creſcente tenero in pectore egregio ſpiritu, cogitauerit alicui è religioſis Ordinibus nomen dare, qui in eam operam incumberet, atque adeò pateret inde ad Indicam, atque alias gente, ac loco diſſitas illimas expeditiones aditus. Et fouebat quidem egregiam hanc mentem; cùm trahi ſe ad noſtram diſciplinam ſenſit, eo nimirùm impetu, vt quamuis non eſſe viam, intelliret, qua latiùs ſuas curas ad gentes ſpargeret; attamen ſequi inſtinctũ Numinis oportuit. Scilicet, deſtinauerat illum Deus non vtcumque Euangelii adminiſtrum, ſed primipilum, ducemque noui è noſtra Sodalitate manipuli, qui in expugnanda ſuperſtitione ſuam olim operam, ardoremque animi probaret. Igitur aggregatur ad noſtros Bitunti in D. Nicolai cœnobio, Chriſti anno ſeptimo ſupra milleſimum ſexcenteſimũ,

Ad Clericos Reg. aggregatur.

die Februarii menſis ſeptima, vbi conſequenti mox anno die Auguſti decima ſeptima ſolennia ſuſcepit vota. Amandatus Neapolim bonis artibus, ac diſciplinis capeſſendis, mores quidem, ac modeſtiam ſingularem; tùm in Diuos pietatem, ſtudiumque regularis obſeruantiæ apprimè omnibus commendauit; ingenii verò ſpecimen, quòd aſſiduo cum dolore capitis conflictari vehementiùs cœperit, edere nullum potuit: abruptoque ſtudiorum curſu, miſſus Meſſanam fuit; vbi ſacris Ordinibus initiatus, ad-

Meſſanæ in omnium oculis.

motuſque ſubindè aliorum conſcientiis, incredibilem cũm nobilium, tùm vulgi erga ſe beneuolentiam, atque exiſtimationem concitauit. Vellicabat verò maximè, quod dixi, tranſmittendi ad exteras nationes deſiderium; cumque nullum noſtra in Congregatione exitum cerneret, vnde ad id operis, gloriæque eniteretur: nihilò tamẽ minùs nunquam viſus ſpem abieciſſe; Deumque aſſiduò interpellabat, vt is ipſe, qui peracres illos lateri ſubiiceret ſtimulos, efficeret voti compotem. Nempè occultas diuini conſilii rationes nouerat; & modò faciat animos fiduciæ, ea ſæpius arcanis, ac miris modis fieri, quæ nullus reputaſſet fieri poſſe. Nec quidem ſatis diù incitatiſſimi viri vota, ac preces diſtulit Numen; affulſitque mox propior quædam ſpes, atque occaſio. Aegrotauit Auitabilis, ac præter corporis incommoda, ab animi quibuſdam ærumnis plus nimio laborabat. Accidit porrò, vt illum officii gratia quidam è Franci-

Pertere amplificandæ religionis in ea deſiderium.

ſcana ſtrictioris obſeruantiæ familia inuiſeret, cui nomen Bernardinus à Sinopoli: vir quidem ab inſigni virtute commendatiſſimus, & cul morum innocentia famam ſanctimoniæ non mediocrem conciliauerat. Orationis præſertim ſtudio addictiſſimus is erat, vt ſæpè abſceſſu quodam mentis teſtaretur, ſe propiùs cũ Deo agere. Qua quidem diuinorum contemplatione colluſtrari etiam ſuperna quadam luce videbatur: adeò vt futura prædiuinaret; Cumque alia aliis prædixiſſet, Meſſanæ Iſabellæ à Rocha, nobili fœminæ, Bauſi Comitiſſę, quę annos tranſmiſerat diù ſteriles, fore quàm primùm maris ſobolis matrem, apertè prænunciauit: quod intra annum accidit. Is igitur decumbentem adiit Auitabilem, valuitque non minimùm corporis, animique

mo-

Digitized by Google

moleſtiis mitigandis pii viri alloquutio; à qua illud in primis operæ pretium extitit. Nam cùm ſermones de diuinis rebus, ac de animorum ſalute ſererēt, traherentque, aperire illi Auitabilis, quo maximè flagrabat, deſiderium, conceptamque à puero amplificandæ ad alienas mundi plagas religionis mentem, conſtituit. Probare ille egregium viri ſtudium, ac ſe quidem eandem geſtare mentem affirmauit; tùm adhortari etiam atque etiam, vt rationem iniret, qua id conſilii exequeretur: adeſſe nempè diuinum Numen, quantum tū quidem aſſequi animo ipſe poſſet: nec ſaoè quid eſſe ſanctius, aut generoſius, quàm dare gentibus Chriſtum, aut ſanguinem. Similis ille in Seraphico viro ardor, additq. ab eo faces nimiū quantum Auitabilem inflammauerit, qui oratum illum impenſiùs voluit, vt exploraret ea ſuper re accuratiùs diuinæ mentis conſilium, certus id facturum ſe, quod ipſe à precibus retuliſſet, atque imperaſſet. Abiit Bernardinus, hæc pollicitus, nec ſine quodam inſtinctu Numinis rediit non poſt multò ex inopinato, cùm receſſiſſe, atque abeſſe iam longiùs videri poſſet. Sinopolim nanque, quod Oppidum eſt in Calabria, ſuū nempè in cœnobium iter intendebat, ac Rhegio dum ſoluit, cymbam, quam Sinopolim iotendere exiſtimabat, appulſam breui Meſſanam vidit. Factum hoc diuinitùs credidit: aditque mox Auitabilem. Viri conſpectus, vt improuiſus illi, ita iucundiſſimus; eo vel maximè, quod is, conſulto iam precibus Deo, bono eſſe animo iuſſerit. Conſignatam, videlicet, cœli tabulis expeditionem, ac fauſtè ſucceſſuram; inſiſteret proindè, curaretque ſtrenuè opus, vnde ſeges, prouentuſque exiſteret Romanæ rei non exiguus. Hæc vbi ille excepit, quòd afflatum supernè Bernardinum, perſuaſum haberet, agitare de ſociis; illumque conſulere de iis cæpit; qui quidem neminem licet ex noſtris ne de vultu quidem, aut nomine agnoſceret; veluti ſingulorum indolem, mores, opeſque animi probè ſciret, cùm nonnullos omninò improbaſſet, quoſdam ceu præclaris conatibus peridoneos, probauit. Fuere hi Franciſcus Aprilis Sipontinus, Celſus de Nigro Genuenſis; Iacobus de Stephano Neapolitanus, & Ioannes Philomia Lucanus: Viri ſanè ſuſcipiendæ iſtiuſmodi pro Domino legationi opportuniſſimi. Nam Aprilis, appetente licet ſenectute, robuſtiorem corporis habitudinem, laborumque tolerantem ipſo vſu, atq. arctiore potiſſimùm vita commonſtrabat. Celſus de Nigro maturus quidem æuo, adultam etiam, paremque operoſiſſimis vigiliis virtutem, ac vim animi afferebat. Philomiæ à vitę integritate, à continenti diſciplinæ ſtudio, à doctrinarum præſidio par inerat commendatio. Stephanium, ſi quis præclaras eius animi, ac corporis partes æſtimaſſet, dixiſſet profectò ad hoc Apoſtolatus, atque Euangelii miniſterium factum. Agedum de inſigni eius virtute in loco fuſiùs. Interim duo hic afferam ab ipſo rudimento, ac flore ætatis de eo vaticinia. Semel quidam graui ſpecie ſenex Neapoli in Diuæ Claræ templo orantem puerum conſpicatus, afflatuſque diuino quodam ſpiritu, hæc Matri: Gratulor tibi, promèrita præclaram iſtam ſobolem, Mater. Caue, ſemel, ac iterum caſuro; ac ſcias præſtantem virum, ac fructuoſiſſimum Orbi fore. Et quidem, quòd de gemino caſu pronunciauit, ad vnguem accidit. Præſtantiam verò, atque opportunam Chriſtianæ rei indolem ſuſcepti ad Orientalem Iberiam labores, curæq. inibi in profliganda cū barbarie, tùm ſuperſtitione exantlatæ, abundè docuere. Alterum Beati Andreę Auellini vaticinium fuit, ab eo non ſemel pronuntiatū. Enimuerò adoleſcentis modeſtia maximè delectatus Beatus Senex, vt qui intimā etiā, ſurgentemque virtutem inſpiceret, illum ceu filium vnicè diligebat; ac nominare frequenter ſolitus erat, ſementem, ac florem, vnde læta ſubindè exiſterent noſtræ Sodalitati, totique Eccleſiæ ſeges. His cū Sinopolitano ſociis deſtinatis Auitabilis, ſpem ſucceſſus conciperet: addiditque etiam animos quidā ex Italo Græcis Baſilianus Monachus, qui Meſſanæ agebat, pręclari vir ſpiritus, ac nominis, qui ea ſuper re conſultus, commendare etiam, atque etiam negotium cœpit; teſtatus deindè, in eiuſmodi ſermonibus nunquam non perfundi incredibili quodam gaudio pectus, atque accidere ad aures ſuauiſſimum quendam ſibilum auręque tenuis ſenſiſſe. Iam verò antequā rē propiùs aggrederetur Auitabilis, explorari hos ipſos, quos nominaui ſocios, oportuit, an eodem ipſi impetu conſilium probarent, iunctiſque vna viribus, ac animis, eo authorari militiæ ſacramento vellent, bellumque infidelitati indicere. Et quidem Aprili, & Nigro expeditionem perſuaderi facile fuit, prona quadam in animorum ſalutem.

Bernardino Sinopolitano aperit.

Qui poſt paulò vrget.

Et ſocios alioqui ignotos deſignat.

Franciſcus Aprilis.

Celſus de Nigro.

Io. Philomius.

Iacobus de Stephano

Inflammatur à Baſiliano monacho Auitabilis.

Digitized by Google

lut eın, ærumnaſque pro Chriſto ſubeundas voluntate. Cum Philomia, qui Meſſanam per id tempus maiorum, Deique nutu ſe contulit, prolixior quidem labor. Nam is humana quadam iudicii lance expendere opus, ac virium imbecillitatem cœpit; ac præterea indignum ſe ea laude cùm reputaret, abnuere primũ omni ope; præſertim quòd ſecum ipſe tũ quidem decreuerat, ablegatis actuoſæ virtutis exercitiis, atque inſtituta remotiore quadam vitæ conſuetudine, Deo vacare, ac ſibi. Verũ cùm alias, atque alias in dies ab rationum momentis, ac vi eloquentiæ admoueret obfirmato iã pectori machinas Auitabilis, illum expugnauit: iuuitque non minimũ viri cuiuſdam magni nominis, ac virtutum fama inter Meſſanenſes conſpicui, exhortatio, qui cùm initum tacitæ eius vitæ conſilium ſatis probare minimè poſſe, affirmaret, id tandem euicit, vt perſuaderet ſibi Philomias, ſoli, ac pulueri, non vmbræ à Deo deſtinatum. At enim, qui egregia quadam vi ſpiritus, ardoreque animi momentum ſanè non mediocre allaturus expeditioni videri poterat, Iacobus de Stephano, is alienam omninò geſtare mentem, profeſſus eſt. Monitus ſiquidem eius rei literis ab Auitabili, id ſtatim reſpondit: Caueret, ne quid in ſpecioſo eo conſilio lateret inſidiarum, ac fraudis. Cõmunis quidem hoſtis artes multiplices eſſe: idque ſolenne illi, ac longè periculoſiſſimum, honeſti, ſanctique ſpecie fallere. Rem proponi ſatis arduam. Pugnandum cũ locorum, ac climatum difficultatibus: Caucaſum, Taurumque veſtigiis edomãdũ: monſtra, non homines cominùs aggredienda altam vbique barbariem, atque efferatam paſſim indolem ferrum, cædes intentare: ac propterea verendum maximè, ne ſera ſubeat pœnitentia; &, ſi tormenta expediri contingat, quæ eſt humanorum pectorum imbecillitas, deſtituat in arena fortitudo, excidatque conſtantia, ac fides. Itaq. etſi habebat ipſe in optatis, pacìſci cœlum morte: tamen niſi luculentius diuinæ voluntatis argumentum moneret, putare ſe, non citra temeritatis, atque audaciæ notã aggredi id poſſe. Hæc Neapoli Iacobus, ac ſæpè aliàs ea de re quàm efficaciſſimè interpellatus, cùm Panormi, ac Platiæ moraretur; iterauit hæc eadem quàm conſtantiſſimè: tenuitque quatuor omninò annos, datis vltro, citròque literis, contentio, cui tandem hic annus vertentis ſeculi ſextus, & vigeſimus finem attulit; cùm maximè deſperatus viri conſenſus videri poſſet. Enimuerò cũ ineunte hoc anno Meſſanã trãſiret Iacobus, inſtaurare coram, quam toties literis fruſtra adornauerat, impreſſionem conſtituit Auitabilis. Et quidem, quæ eſt præſentis, viuæque dictionis efficacia, eò illum adduxit, vt dare adhortanti aures, ac cogitare ſeriò cœperit, an eſſet à Deo conſilium. Igitur id inter ipſos conuenit, vt manè ſacrificarent. Quicquid afflari diuinitùs ſenſerint, id ratum haberent: ita tamen, vt vltimò deliberarent, nullusque porrò eſſet perſuaſioni locus, ſi fortè nihil intimè moneret Numen. Factum ad aram, & Iacobus quidem, prolixiùs licet, ac flagrantiſſimè oraſſet, cùm nihil interni motus, ardoriſque aduertiſſet, adiit Auitabilem, ac ſe quidem, inquit, ſatis iam compertum habere, ad id præſtantiſſimi muneris minimè prouocari. Rem diuinam feciſſe, fudiſſe ex animo preces; ac ne leue quidem interim eius miniſterii deſiderium animum pulſaſſe: reliquum eſſe, vt quemadmodum inter ipſos conuenerat, explorata iam diuini Numinis mente, negotio ſilentium imponerent; quod vtrinque ſeruatum.

At enim verò ſunt certa quædam diuinis conſiliis tempora, atque incitamenta, quæ aliud plerumque agentes mortales attingunt, ac inflammant. Accidit nanque non ita poſt multò, Februario ſcilicet ineunte, vt Meſſanam appeteret Petrus à Valle, Vir patricius, qui Roma, quę illi patria, noſtroque ab orbe ſemel auulſus, terras, maria, moreſque multorum, ac vrbes peruagatus, dici Romanus Vlyxes poterat. Apud Perſas, Perſarumque finitimos aliquandiù is cõmoratus Iberos præſertim nouerat, quos maximè commiſerari apud noſtros homines cœpit. Chriſtiani quidem nominis eam gentem eſſe, ac facilis, mitiſque ingenii: cæterũ pleriſque erroribus inuolutam, adminiſtrorum nempè inopia, qui Euangelii prædicatione, ac luce diſpulſa ſuperſtitionum caligine, dormientibus in tenebris, & vmbra mortis diem faciant. Debere profectò illam hominum conditionem, ac miſeriam quemque mortalium afficere: ac ſe quidẽ quædam retuliſſe in commentarium monita; ac gentis ſtatum, moreſque afferre Romam, vt apud communem Orbis Patrem, Auguſtumque Senatum eorum cauſam

pe-

Explorantur ſocii.

Alienus à conſilio Philomiæ dat manus.

Cum Stephanio prolixius certamen.

Omninò ſe-uuit.

Petrus à Valle Georgiæ vigilias commendat.

Præſente Stephanio,

perorarer. Dicenti aderat Iacobus de Stephano, qui commoueri iis ſermonibus vehementer, ac quendam excitari in animo impetum, ac flammam ſenſit; vt iam nulla eſſet menti quies, flagraretque intimè peracri iuuandę eius gentis deſiderio. Ergo increpare primũ ſe, quòd admotos diù ſtimulos diſſimulaſſet: tũ Auitabilem cõuenit: ac dare ſe, inquit, manus. Illuxiſſe nempè animo Numen, eaque viri nobilis narratione ad Ibericam expeditionem inflammaſſe. Eapropter, ſi illas ipſe probaſſet ad Georgianos vigilias, futurum ſe operis ſocium, ac nulla fore viæ, laborumque incommoda, quę à conſilio abſterrerent. Auitabilis quamquam aliam tùm quidem agitabat, nempè ad Circaſſos, legationem: attamen tũ quòd Petri à Valle verba ſatis ardoris, ac nerui apud ipſum etiam habuiſſent; tùm verò, vt morem Stephanio gereret, facilè fuit velificationem mutare; initumque conſilium, vt vnà ſimul ſtrenuum virum conuenirent, ac ſe, ſuamque operam, alioſque etiam ſocios demetendæ apud eos populos ſegeti offerrent. Id autem quantæ Petro à Valle voluptati fuerit, haud facilè dictu eſt. Etenim qui apud animum ſuum ſtatuerat, hoc maximè à Romano Pontifice, Auguſtiſque Patribus Romæ contendere, vt operarii ad eam potiſſimũ areã mitterentur, dum offerri ſibi in itinere egregiam hominum manum cerneret, qui curas illas vltrò complecterentur, in omen proſperioris euentus, prouentuſque animorũ, atque orthodoxæ religionis non exiguũ rem trahebat: teſtatuſq. intimum animi ſenſum, atque habitis prolixiùs gratiis, pollicitus iis eſt, daturum ſe accuratam operam, vt probaret Romana aula negotium; eòque ipſi deſtinarentur, qui inſigni ea indole munus occupauerant. His cùm Petro à Valle peractis, nihil antiquius Auitabili, quã rem omnem Vincentio Giliberto, Præpoſito Generali perſcribere, cui iam ſuperiore anno, quo is conciones in magni ieiunii feriis Meſsanæ habuerat in principe templo, aperuerat coram ſuam mentem, ne quid moliri, vniuerſi Ordinis moderatore inconſulto, videretur. Et dilaudauerat quidem Gilibertus viri impetum; ſuamque illi fidẽ obſtrinxerat, fore, vt adeſset Romæ operi, quod & Sodalitati perhonorificum, & cõmuni religioni fructuoſiſſimum reputabat. Ad hęc, quòd ſuę etiam ad Purpuratos Patres, qui fidei propagandę præerant, literæ iuuare non minimùm negotium poſse duceret, illos item ſui, ac ſuorum conſilii monitos luculenta epiſtola voluit; quæ quidem Petri à Valle officia anteuertit, eorumque animos mirificè conciliauit. Literarum ea præſertim fuere capita. Zelum extendendæ ad Ethnicos fidei inſitum ſibi à puero: acquiſiuiſſe in dies, atque eundo vires; quod ſanè non exiguum diuinæ voluntatis indicium. Hanc autem Numinis voluntatem cùm ſuis, tũ aliorum precibus, duorum pręſertim ſanctiſſimorum hominum, quibus propiùs cũ Deo commercium, exploraſſe. Deindè quòd nullus certior diuinæ mentis interpres, quàm qui præeſt; communicatam etiam cum Præpoſito Generali rem, expreſſumque ab eo ſuffragium, ac nutum; poſtremò ſubdidiſſe currenti ſtimulos Petrum à Valle, qui remotiſſimas non tàm ſitu, quàm pietate Roma, Romaniſque ſacris terras, ac gentes ſuæ commiſerationi obiecerat, deplorandas eas quidem, quòd innumeris penè erroribus inuoluantur; ſed multò miſerabiliores, quòd nulla ſuppetant adiumenta ſalutis. Iam, ſocios in promptu eſſe, æuo, doctrina, moribus præclaro muneri accommodatos. Nõ eos quidem peregrinis linguis imbutos, ſed, ſi ſemel ſacra Congregatio votis annuerit, totos illicò in iis arripiendis futuros: nec dubitare ſe, quin gentium dialectos facilè, ac citò exhauriat alacritas. Teſtari præterea Deum, non alio ſe operæ pretio, quã animorum ſtudio, quæſtuque ad id laboris inuitari. Anquirerent ſummi Patres de ipſorum vitæ conſuetudine, atque in Ordine exiſtimatione, certè non animi leuitate ductos deprehendent. Neque hæc ambitioſiùs dici: ſed vt impedimenta, ac moras ab aliqua leuitatis ſuſpicione auerterent. Ad extremum, precari, obteſtari, vt eo Euãgelii miniſterio dignarentur, addicerentque, quibus colliberet, terris ituros via, ratione, commeatu, quo vellent. Hæc fermè, aliaque Auitabilis, quibus addita mox Petri à Valle narratio de Romanæ religionis in pleriſque Orientis regionibus, præcipuè in Iberia, ſtatu; quæ maximè qui rem Chriſtianam apud exteras gentes curant, Purpuratos Patres commouit. Quare in eam diſceſſere ſententiam, vt eò Clerici Regulares allegarentur: editiſque eorum nominibus, qui primùm mitti enixiùs efflagitauerant, Ibericæ expeditionis decretum fauſtè obſignatum. Id quod Ludouicus Card. Ludouiſius ſacræ de fide propaganda Congregationis Præfectus, compoſitis ad Pe-

Qui commotus intimè, opus complectitur.

Monet Patrẽ Generalem Auitabilis;

Qui et literas ad S. Congregationem cõponit.

Quæ Ibericã expeditionem decernit.

Card. Ludouiſii ad Auitabilem literę.

trum Auitabilem literis, confeſtim ſignificauit. Illarum exemplat hoc fuit. Perlectę in ſacra hac de propaganda fide Congregatione tuæ literæ fuere; ac ſimul recitata ſociorum nomina: cumque ſatis luculentã de virtute veſtra, de integritate, de moribus teſtificationem ediderit Pater Generalis, decreuere Auguſti Patres, vos ad Orientales Iberos amandare, de quibus cùm pleraque Petrus à Valle retulerit, tùm ipſam in primis in Apoſtolicam Sedem propenſionem, ſtudiumque commendauit. Maximo operi par eſt, ſacrificiis, ac precibus comparari te vnà cũ ſociis, quibus hæc ſignificabis, Romam verò vbi adieris; quod iuſſiſſe iam tibi Patrem Generalem, mihi perſuadeo, dabimus operam, vt opportunè monitis, ac facultatibus, Apoſtolico muneri peragendo inſtruaris. Vale. Hoc ipſum & Pater Generalis ſignificauit, iuſſitque Petro Auitabili, qui ſtrenuæ phalangis communi Cardinalium ſuffragatione renunciatus Dux fuerat, Romam vnà cum Franciſco Aprili accederet. Decreti item exemplar miſit, quod ſic habet.

Et Patris Generalis.

Decretum Congregationis de propaganda fide habitæ die 4. Maij 1626.

S. Congregationis decreti exemplar.

Sacra Congregatio miſſionem quinque Patrum Theatinorum, ab eorum Generali approbatorum, inſtituit cum inſtructione à Domino Petro de Valle facienda; miſſionique prædictæ Petrum Auitabilem Neapolitanum præfecit. Nomina autem reliquorum ſunt infraſcripta, videlicet, D. Celſus de Nigro, D. Franciſcus Aprilis, D. Iacobus de Stephano, D. Ioannes Philomias.

Ludouicus Card. Ludouiſius Præfectus.

Franciſcus Ingolus Secretarius.

Incredibilem planè omnibus voluptatem attulit nuntius, eò vel maximè, quòd non tàm citò expediendũ Romæ negotium, putarent. Etſi, quem dixi, Sinopolitanus hanc iis celeritatem conſtanter prænunciauit. Nam cùm literis Identidem Auitabilem appellaret, ac, conſulto ſuis precibus Numine, moneret vberrimi fructus, quem apud Orientis populos decerperet ipſorum labor, illud etiam prædixit, fore nempè, vt maturiùs ante Pentecoſtes ſolennia res conficeretur: decreta, ſcilicet, opportuniſſimè circa eas ferias legatione; vt poſtquam deſtinati ad gentium eruditionem, ac lumen fuiſſent, adeſſet illicò Spiritus Sanctus, qui eorum pectora ſuo igne, ac facundia compleret. Auitabili verò hic idem Bernardinus à Sinopoli diſertè enunciauit, fore, vt expeditioni ipſe præficeretur, eſſetq. cœterorum Dux; quod accidere minùs poſſe, videbatur, cùm cœteri quidem ſocii ipſo eſſent Auitabili & grandiore quidem natu, ſi ætatem ſpectes, & profeſſione ſeniores, ſi emiſſa in Ordine vota; nec cœtera deeſſent à literis, à morum grauitate, ab ardore zeli adiumenta.

Miſſionis Præfectus Auitabilis.

Iam, quòd iuſſus Auitabilis fuerat, quod modò innuimus, vt Romam accederet, confeſtim ſe ſe itineri commiſit, ingenti quidem cum Meſſanenſium ſenſu, qui viſi nihil ferre acerbius, quàm auelli à ſe virum, Vrbi ſuæ adeò fructuoſum. Neapoli non diù immoratus, Romam vnà cũ Franciſco Aprili curſum intendit; eòque die Maii decima peruenere. Admiſſi in Auguſtorum Patrum de propaganda fide cõuentum, cohoneſtati ſummis quidem laudibus ab iis fuere, quòd præclaro eo animi impetu negotium ſuſcepiſſent, quod tanto orthodoxæ religioni incremento verteret, tantæq. ſibi, ac ſuę Sodalitati glorię. Illud in primis ad operis decus inculcarunt: in Iberiam nullos vnquam antea à Romana Sede allegatos: omnium primos ipſos eſſe: veluti decreuiſſet Deus, vt eius gentis Apoſtoli Clerici Regulares eſſent; ſibique integram eam laudem vendicarent. Aequum proindè eſſe, vt prouinciam, velut ſuam, inſigni alacritate complecterentur, ac ſtrenuè adminiſtrarent: poſtremò gratiarum actione perorarunt, ac certo mentis augurio. Prædiuinare nanque ſe ab eo flagrantiſſimorum hominum ardore non mediocrem animorum prouentum, affirmarunt,

Qui Romam vnà cum Aprili contendit.

Excepti ab Auguſtis Patribus ſummis laudibus.

in-

Digitized by Google

interim ratam habuere decretam ſemel expeditionem: ſed imminutus tũ quidem numerus. Enimuerò, qui Ibericam hãc miſſionem perſuadebat, vrgebatque Romę negotium, Petrus à Valle, id eſſe opportuniſſimum cenſuit: nempè, ſi qui deſtinati operi fuerant, iter non omnes ſimul aggrederentur; ſed geminam diuiſis in claſſem, aliis alii ſuccederent; tùm quia, ſi quid grauioris moræ, ac periculi via Cõſtantinopolitana, quæ breuior, & quam tenere conſtituerant, offendiſſent primi; mutarent ſubindè iter alii; & aut per Poloniam, aut ſi quid eſset expeditius, aditum ſibi aperirent: tũ verò, vt ſi Conſtantinopolitanum iter primis ſucceſſiſset, documento ii eſsent aliis, inſtruerentque ſua experientia, ac vſu, quid agerent, quid declinarent; atque adeò altera ea claſſis gnara locorum, ac rerum, tutiùs iis monitis peregrinaretur: tũ denique, quòd diſſimulare religioſos homines, ac ſe Turcarum notitiæ ſubducere, oportet: idquod pauci, quàm plures ſimul, aptiùs, ac tutiùs faciunt. Contracta igitur ad tres prior miſſio. Fuere hi Petrus Auitabilis, Franciſcus Aprilis, & Iacobus Stephanius. At enim cũ de via in medium conſuluiſsent Auguſti Patres, ac ſtatuiſsent, Venetias eundum, atque inde Conſtantinopolim, maturandum item diſceſsum cenſuere, quòd appetente iam æſtate, incommodum terreſtre iter redderet mora. Eapropter, cùm ne Stephanium expectarẽt, qui tũ in Sicilia agebat, intercederet tempus, decretum, vt eius vicem aliquis è Romanis domibus impleret. Moleſtum ſanè Auitabili, ſtrenuo eo ſodali deſtitui; ſed commendata re Numini, ne quid iudicium peccaret, nõ ipſe deſignare quempiam voluit, ſed illum fore peridoneum, reputauit, quem Pater Generalis delegiſset. Aderat Romæ Ioannes Baptiſta Caracciolus Neapolitanus, genere, pietate, ingenio apprimè ſpectatus, ætate paulò ſupra annum quintum, & vigeſimum, qui in ſacræ Theologiæ ſpatiis cũ laude verſatus, tũ quidem curſum abſoluerat. Is, vbi primũ adiri à noſtris fidei cauſa amplificandæ remotiſſimas gentes inaudiuiſset, erigi ad eam laudem viſus, animi ſui ſenſum ita ſignificauerat, vt facilè quis intellexerit, eo ipſum deſiderio intimè flagrare. Perſpectũ id Patri Generali; quare cùm de ſufficiendo ſocio ageretur, animum ad Caracciolum ſtatim adiecit, putauitq; opportuniſſimum muneri; quippè quem animi ardor, atque alacritas: tũ tolerandis laboribus ætas, aliaque ab eruditione, ac moribus prȩſidia commendabant. Itaque explorari iuſſit, an eadem tunc egregio iuueni mens eſset. Qui quidem optatiſſimæ rei ex inopinato monitus, incredibile dictu eſt, quo flagrantiſſimi ſpiritus impetu cõceptum ſemel conſilium Patri Generali approbauerit. Nam à ſingulari quadam ſui demiſſione humi deiectus, manantibus vbertim lachrimis, indignum ſe eo munere reputare: gratias deindè Numini habere, quòd ad id miniſterii deſtinauerit: fateri poſtremò, haud pares ſibi opes animi, ac corporis: audere nihilominùs, diuino fretum auxilio, ac nullis non ærumnis pro Domino, Chriſtianæque religionis incremento paratum. Deſtinato Caracciolo, dum ſe viæ comparant, mutatum ab Auguſtis Patribus de Veneto itinere conſilium. Adeſse nimirum Venetiis pleroſque è Turcis exploratores, quos religioſorum hominum velificatio minimè latuiſset: monuiſſent hi quidem Conſtantinopolitanos adminiſtros; & aut vltima ſubiri, aut referri non mediocri cum incommodo gradum, oportuiſset. Cuiuſmodi metus cùm nullus omninò eſset, ſi per Siciliam iter inſtituerent, decreta inde enauigatio. Quòd quidem conſilium id interim effecit, vt noua etiam de ſociis ratio iniretur. Siquidem cùm Meſsanæ, quà erat pertranſeundum, Iacobus de Stephano, inter primos operi deſtinatus, moraretur; viſum, nihil iam eſse, cur is à prima ea expeditione excluderetur: proindèque reſtitutus ſuo loco eſt, reclamante Ioanne Baptiſta Caracciolo, qui, quòd probaſsent lectionem ſuam Auguſti Patres, eſsetque iam in procinctu, in tuenda ſua cauſa, quà voce, quà lachrymis totus erat. Verùm adiudicata Stephanio lite, id Caracciolus, obſignato ea de re decreto, impetrauit, vt alteri deindè, quæ ſubmitti deberet, claſſi, dato ipſe ſuo nomine, adſcriberetur. Quod factum: exemplumque eius decreti hic addimus, quod ſic habet.

Feſtinandam profectionem decernũt ſine Stephanio

Cuius loco deſtinatus Io. Baptiſta Caracciolus,

Sed mutato itinere, reſtituitur loco Stephanius,

Deſtinato alteri miſſioni Caracciolo.

Decretum Sacræ Congregationis de propaganda fide habitæ die 16. Iunij 1626.

Confirmatur ſenatus conſulto miſſio.

Sacra de propaganda fide Congregatio, vt iuxta munus illi incumbens, ſaluti omnium gentium,& præcipuè à Sancta Sede Apoſtolica remotiſſimarum,quantùm in Domino poteſt, prouideat, Georgianam Patrum Theatinorum miſſionem confirmauit; eamque ad tres Patres tantùm pro hac prima vice iuxta inſtitutionem Domini Petri à Valle reduxit: videlicet,ad Patrem Petrum Auitabilem Neapolitanum, miſſionis Præfectum,P.Franciſcum Aprilem Sipontinum, & P.Iacobum de Stephano Neapolitanum: animo eam poſtmodum augendi aliis tribus eiuſdem Ordinis: videlicet,P.Celſo de Nigro Genuenſi, P. Ioanne Philomia,& P.Ioanne Baptiſta Caracciolo Neapolitanis: mandauitque literas patentes miſſionis pro primis tribus Patribus expediri; & pro facultatibus neceſſariis Sanctum Officium adiri; & pro viatico decreuit ſcuta quingenta.

Cardinalis Ludouiſius Præfectus.

Franciſcus Ingolus Secretarius.

Patentes Patrum literæ.

Cum hoc decreto ſubſcriptæ & patentes literæ fuere, quas debere hic nolui. Sunt autem huiuſmodi. Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D.N.D. Vrbanus diuina prouidentia PP. VIII. omnium hominum ſaluti pro ſuo Apoſtolico munere prouidere cupiens,te Patrem Petrum Auitabilem Ordinis Theatinorum cũ duobus ſociis eiuſdem Ordinis,videlicet,P.Franciſco Aprili, Sipontino, & P. Iacobo de Stephano Neapolitano, ad Georgiam mittere decreuit,& mittit; vt in ea cum facultatibus,per alias literas concedendis, Euangelium D.N. Ieſu Chriſti annuncietis, & gentes illas doceatis ſeruare quęcunque Sancta Mater Eccleſia,Catholica,Apoſtolica,Romana præcipit; & præſertim vt iudicium vniuerſale futurum eiſdem conteſtemini. Vos igitur rei magnitudinem, & Apoſtolici muneris vobis commiſſi grauitatem ſeriò perpendentes,in primis cauete,ne ad infidelium ritus quoslibet quouis prætextu,vel cauſa accedatis: deindè omnem adhibete curam,vt miniſterium veſtrum dignè, & fideliter etiam cum ſanguinis effuſione,& morte ipſa,ſi opus fuerit,impleatis,vt immarceſcibilem coronam à Patre luminum recipere mereamini. Dat. Romæ ex ſacra Congregatione de propaganda fide an. Dom.1626. die verò decima ſexta Iunij. Pontificatus eiuſdem S.D.N. anno tertio.

Ludouicus Card. Ludouiſius Præfectus.

Franciſcus Ingolus Secretarius.

Et à S.Congregatione generalia quędam monita.

Inſtructi deindè Patres facultatibus, ac monitis fuere vt & conſulere animorum bono Romana auctoritate opportunè poſſent; & qua ſe potiſſimùm ratione cũ barbaris gererent,quidue agerent,quid declinarent,breui commentario condocefierent; Et monita quidem cũ ea exhibita,quæ generatim exhiberi omnibus Euangelii adminiſtris ad exteras nationes ſolent; tũ eorum propria, qui ad Iberos mittebantur. Generalium hæc fuere capita. Primò ſcirent,mitti ſe, vt ad Apoſtolicam, orthodoxam, Romanamque fidem gentes aggregarent; eòq. debere cogitationes ſuas omnes,neruoſque contendere. Abiicerent proindè,quæ ſunt mundi, negotia potiſſimùm, quæ concitare in ſe odium,atque inuidiam poſſunt: tũ cauerent,ne quid neque ad ſacram Congregationem,neque ad exteros quoſque publicos,priuatoſque viros ſecularium rerum,atque euentuum perſcriberent. Ad hæc,in deſtinatis ſibi Prouinciis id maximè curent,vt populares illos communes linguas doceant:pueri præcipuè, ii nimirũ, quibus ingenium promptius,dent operam,vt latinè ſciant: idque, vt gentibus,quæ fauore Numinis ad Catholicæ religionis cultum, Romanæque Sedis obedientiam perdu-

Digitized by Google

centur, facilius ſit eum eadem Sancta Sede commercium, ab eaque opportuna iuuari ope, piis, fructuoſiſque præſertim libris poſſint. Præterea de eorundem locorum, vicinarumque etiam gentium ſtatu, quoad religionem, docere quàm diligentiſſimè Sacram Congregotionem ſtudeant. Nempè, quæ inibi religiones, aut ſectæ; qui fideliũ, ac infidelium, qui hęreticorum, ac ſchiſmaticorum numerus: quibus conuelli ſuperſtitio, quibus item fundari, atque amplificari pręſidiis recta fides poſſit. Poſtremò, vt quàm ſæpiſſimè ad ſacram Congregationem perſcribant, additis etiam ſecundis eodem exemplo literis. Moneant, quos ibi proceſſus habeant, quæ maximè ſe ſe obiiciãt impedimenta, ne vberiorem fructum demetant; qua ratione amoueri hæc ipſa impedimenta poſſint. De libris item contra orthodoxam fidem, moreſque bonos, quos ibi repererint, doceant; eorumque exemplaria vnà eum interpretatione, ſi compoſita externa dialecto fuerint, mittant. Demum prauas omnes conſnetudines, quas inter Catholicos, ac religioſos præſertim viros aduerterint, ſignificent, cum iis perſonarum, rerumque attributis, quę neceſſaria reputauerint, vt adhiberi pro modo curationes poſſint.

Atque hæc quidem generatim. Peculiaria verò monita pro Georgianis Euangelii adminiſtris hęc fuere. Perdiligenter Iberorum Orientalium naturam, indolem, mores diſcerent. Quibus item in fide erroribus tenerentur, exactè ſcirent. Poſtremò in, quæ maximè incidere piacula, inueterata conſuetudine, gens ſoleat, accuratè explorarent. His enim perſpectis, accurari eorum facilè commoda poſſe. Nam quod ad mores attinet, attemperare ſe gentis ingenio, ſalua nimirùm religione, atque Eccleſiaſtica, diuinaque lege, debent; ad illam Apoſtoli normã: Factus ſum omnia omnibus. Errores verò fidei niſi probè nouerint, qui illos orthodoxæ veritatis luce diſpulerint? prauos denique vſus omnes veſtigandos, vt in illos priuatim, publicè inuehant, triumphentque cõfirmatos in malis ſuis animos. Præterea, cùm græco ritu Georgiani viuant, ab iis duntaxat religionibus abducere eos curarent, qui errorem aliquem à Romana Eccleſia, præcipuè à Concilio Florentino damnatum, continerent. Eorum verò liturgiam, quoad eam partem emendarent, in qua, Pontifice excluſo, hęreticos nominant, ac ſchiſmaticos, pro quorum ſolummodò conuerſione fundere ad Deum preces licet. In ſacramentis potiſſimũ, eorumque procuratione facile eſſe, vt errata quędã ex iis deprehenderent, quę Clemens Pontifex Octauus in eo Commentario adnotauit quem edi anno Chriſti 1597. iuſſit; cuius Commentarii exemplar ſecum deferant, neceſſe eſt. Deindè, vt eos populos ad Romanæ Eccleſiæ communionem, nexumque perducerent; ſtuderent, id illis perſuadere: cõmendari nempè ab Apoſtolica Sede græcum ritum, ſed intra Concilii Florentini normam. Quod Concilium vnà cũ Gennadii ſcholarii codice apologetico ſecum afferant, habeantque vnà cum his ipſis monitis ſemper in manibus. Facilius nanque deprehendere, atque emendare prauas gentis conſuetudines poterunt. Poſtquam autem Concilii, quod diximus, inſtitutiones, ac canones acceptauerint, dandam operam, vt orthodoxæ fidei profeſſionem concipiant ad Gregorii Pontificis Tertii Decimi formam, quam à S. Inquiſitione accipient. Reliqua ipſis Euangelii adminiſtris, eorumque prudentiæ permitti: quibus id etiam, atque etiam commendatum, vt, quod in generalibus monitis ſignificatum in primis fuerat, quàm ſæpiſſimè de ſucceſſu rerum, Chriſtianęque rei ſtatu monerent.

Et peculiaria.

His autem ſua etiam addidit documenta Petrus à Valle, qui à diuturna finitimarũ regionum peregrinatione, gentium, locorumque, vti monui, gnarus, ſi, quæ ipſe obſeruauerat, perſcriberet, ac Patribus traderet, facturum ſe non minimum quidem pretiũ operæ putauit. Commentarioli capita hęc fuere. Primum. vt non plures, quàm duo, vel tres expeditionem tũ quidem ſuſciperẽt, idque rationibus, quas ſupra innuimus. Secundum. Alterutri è Legatis, Gallo nempè, aut Veneto, qui apud Turcarum Principem Conſtantinopoli agunt, enixè ii commendarentur. Opportunius verò futurum Veneti patrocinium, quocum ita agendum, vt is intelligat, eius potiſſimùm ope, ac gratia hanc religioſorum hominum legationem niti; ac ſacram quidem Congregationem eo loco, quę impendiſſet officia, acceptura, vt quicquid deindè ſancti, ac pulchri ab horum vigiliis apud Georgianos extitiſſet, pietati, humanitatique ſuæ ac-

Petri à Valle documenta.

Digitized by Google

ceptum fore teferendum,exiſtimaſſet. Tertium, Quòd extra Europam ſumma apud regionum Principes ſit auctoritas,eorumque nutus cuncta prorsùs moderetur, allegari ad Iberos Orientales Patres,vt ſuam inibi operam cum fructu ponant, pernecesſarium eſſe,vt Romani Pontificis literas ad eorum Principes, ac Metropolitas ferant. Eorum ſumma hæc fermè fuerit. Agere ſe Chriſtiani Orbis Paſtorem,ac Patrem, ſibique communem mortalium ſalutem incumbere: ideoque eò Patres illos amandaſſe, vt iis veluti internunciis religionis quoddam commercium exercerent, atque amicitia necterentur. Commendatis deindè etiam, atque etiam Patribus, eorumque inſtituto, & quam profitentur, religione,intra communia officia epiſtola concluderetur. Ad Principem verò Theimurazium,ad quem etiam deferri literas, æquum eſt, ſi verba addidiſſet ſummus Pater, quæ exantlatas ab eo ærumnas conſolarentur, ac ſimul matris conſtantiam dilaudaret, quæ tuendę Chriſti fidei cauſa exilium,mortemque in Perſide fortiter obiuerat,conſentaneum ſanè paternę Pontificis charitati, ac benignitati foret. Quartum. Viitatum in Aſia ferè vniuerſa, vt nullus Principes adeat,prima præſertim vice,qui non aliqua ſaltem munuſcula honoris cauſa deferat. Laudandum propterea,vt huiuſmodi donariis illorum Principum,atque Antiſtitum animos Patres capiant,donentque aut ſuo,aut Ordinis ſui nomine. Neque vero à pretio,ſumptuque magnifica ea eſſe,oportere. Abundè nanque fuerit,ſi talia ſint,quę grata iis accidant. Gratæ autem erunt picturæ, ſiuè exemplaria ea fuerint,ſiuè exemplar cælaturæ item ex ebore,argentoque,ac gemmis; inter quas in pretio erit maximè coralium: horologia curioſi operis, & quicquid demum artis opificio,atque elegantia præſtauerit. Quintum. Iter Conſtantinopolitanum Europæis nauibus conficiendum. Venetiis eiuſmodi nauigia nunquam non in anchoris. Melitæ item ab Anglis, Gallis, Belgis prompta velificatio: inter hos nautæ Gallici, quòd Chriſtiani nominis, apportuniores. Meſſanæ, modò compoſitum inter Hiſpanos, ac Gallos bellum, terrarum, ac marium commercia reſtituat, non deerunt iſtiuſmodi tranſmittendis vectoribus naues: quæ niſi continenti itinere Conſtantinopolim curſum intenderent, ad Chium Inſulam ſaltem ducent, quod non incommodum. Etſi tutiùs omninò foret, rectà Conſtantinopolim pergere; ne, ſi alibi locorum conſpicerentur, pateret Turcis expeditio. Sextum. Conſtantinopolim vbi peruenerint, certiorem illicò Legatum facient,cuius ſe ſe clientelę commiſerint. Exſcenſum niſi quo ille iuſſerit modo, ac ope, ne moliantur. In ea Vrbe, quoad morari contigerit familiaritatem, conſpectumque gentium caueant. Septimum. Conſtantinopoli verò iter ad Iberos etſi peragi terra non tàm incommodè poſſit, mari nihilominùs,quòd breuius, atque expeditius,conficiendum. In Colchidem igitur,quæ Iberiæ pars eſt,& cũ qua frequens Conſtantinopolitanis commercium,inſtituendam nauigationem. Familiare hoc iter Chiotis Chriſtianæ religionis,quorum plerique Italicam etiam linguam callent. Horum ſocietas percommoda velificationi fuerit; aut cujuſdam è Græcis hominibus compertę fidei,quem Conſtantinopolitani Legati probauerint. Quamuis nunquam Conſtantinopoli deſint è Georgianis primæ notę viri, quibuſcum inire amicitiam,iiſque ſocios ſe in itinere præbere, opportuniſſimum. Octauum. Habitum haud mutent,niſi cùm Conſtantinopoli ſoluunt; eoque tùm veſtis genere vtantur, quod ductores iuſſerint,ſumpturi iterum in Iberia religioſorum de more indumentum. Et in hac quidem externi cultus ratione id omninò ſeruandum,quod locorum, ac gentium periti expedire pro tempore iudicauerint: tũ,quod ipſimet vſu deindè didicerint,vide͂dumque præſenti quadam prudentia. Nonum. Sit etiam ſeruorum delectus; ita vt,ſi in rerum externarum miniſterio vti alicuius opera, neceſſe ſit, nonniſi frugi, ac quadam indolis bonitate, facilitateq; hominem ſecum ferant. Accidit nanque nõ ſemel, vt contumax ſerui vnius ingenium in ſummum dominos diſcrimen adduxerit. Inprimis transfugas ſeruos,atque huiuſmodi farinę homines vitent. Nunquam enim nõ incommoda vtentibus creant. Interpretes verò linguarum omnium Conſtantinopoli non deſunt. Poſtremo loco,vt obnoxii ærumnis mortales ſumus,ſi quid procellæ acciderit,ęquo ſemper animo, præſentiq; excipiant,nec deſperent. Perſuaſum habeant, nihil vnquam,neq. proſperum,neq. aduerſum in ora Turcica conſtans. Atq. adeò, ſi quę læta illuxerit occaſio, non ſegniter arripiant: contra, rebus aſperis,luctantique

for-

fortunæ cedant aliquantiſper, animum verò minimè deſpondeant. Breui nanque rerũ faciem mutabit patientia; fluentq. ex voto omnia. Ad extremum in auariſsimis terris nihil non auro peruium.

Hæc Petrus a Valle ſanè commodùm, quibus eruditi noſtri homines, cautiq. aliena experientia, ac periculis in difficillimum iter ingrederentur. Vt autem Apoſtolicum munus cũ fructu animorum obirent, opportunas etiam facultates Vrbanus Pontifex Octauus, Auguſtorum Patrum, qui S. Officio præſunt, approbatione conceſſit. Fuere autem huiuſmodi. Ab Vrbano Pont. VIII facultates.

Abſoluendi, vbi non ſunt Epiſcopi, vel Vicarii: & vbi ſunt, de eorum licentia omnes vtriuſque ſexus ex partibus, in quibus hereſes impunè graſſantur, ab hæreſi, apoſtaſia à fide, & ſchiſmate, & alios pœnitentes ab omnibus caſibus, Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in Bulla Cœnę Domini clarè, vel dubiè contentis.

Diſpenſandi ſuper irregularitate, occaſione delicti occulti cũ pauperibus ſacerdotibus, prçterquàm ex homicidio voluntario, ſimonia reali, & bigamia vera, in Ciuitatibus, & Diœceſibus, quç non habent Epiſcopos reſidentes, aut Vicarios Apoſtolicos, vel cum eorum licentia, ſi adſint.

Diſpenſandi ob magnam neceſſitatem, & quando non poteſt haberi recurſus ad Epiſcopos in tertio, & quarto conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu ſimplici, & mixto etiam ante contractum matrimonium, & etiam in matrimoniis contractis inter cognatos poſt mortem alterius ex coniugibus, fratribus, vel ſororibus.

Concedendi Apoſtolicam benedictionem cum plenaria indulgentia iis, quos Eccleſia Catholica reconciliauerit, vbi non ſunt Epiſcopi, vel Vicarii Apoſtolici; & vbi ſunt, cum eorum licentia.

Concedendi indulgentiam plenariam quotannis in feſtis celebrioribus, & in mortis articulo; ac ſi quotannis generalem ſuorum peccatorum confeſſionem cõfecerint; & etiam indulgentiam quadraginta, & quinquaginta dierum ad libitum; & lucrandi eaſdem indulgentias, quas ſecularibus impartiuntur.

Benedicendi, vbi non ſunt Epiſcopi, vel Vicarii Apoſtolici, & vbi ſunt, de eorum licentia, paramenta, & conſecrandi ea, quæ ad cultum didinum ſunt neceſſaria, vbi non interuenit ſacra vnctio: nec teneantur inquirere, an altaria portatilia contineant reliquias, nec ne.

Celebrandi miſſam quocumq. loco decenti, etiam ſub dio, ac ſubtus terram tribus horis ante lucem, hyeme vna hora poſt meridiem; bis in die, vbi neceſſitas poſtulauerit, etiam coram hæreticis, aliiſque perſonis excommunicatis; aut ſine auxiliatore, aut miniſtro, ſi neceſſitas exegerit.

Commutandi vota ſimplicia.

Adminiſtrandi ſacramenta omnia, exceptis, cõfirmatione, ſacriſq. ordinibus, omiſſis pro neceſſitate ſolennitatibus, & cœremoniis ſolitis, non verò neceſſariis: ita tamen, vt baptiſmus, extrema vnctio, & matrimonium non adminiſtrentur in locis, vbi Paſtores inueniuntur ab Ordinariis, ſeu Vicariis Apoſtolicis inſtituti, abſque eorundem Paſtorum, ſeu Ordinariorum conſenſu.

Vtendi ſupradictis facultatibus in Prouinciis Georgiæ, & aliis vicinis regionibus.

Communicandi has facultates in toto, vel in parte aliis ſacerdotibus Catholicis, eaſdemque reuocandi, quoties eis viſum fuerit.

Præſentium tranſumptis, manu alicuius Notarii publici ſubcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutç, munitis, eadem prorſus adhibeatur fides, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. die 25. Iunii 1626.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis S.D.N. Papç Vrbanus conceſſit ſupradictas facultates ad decennium proximum futurum D. Petro Auitabili, & eius ſociis.

Ioannes Garſia Card. Millinus.

Præ-

Pontificis ad Iberiæ Principes literæ.

Præter hás pro ſacrorum, animorumque adminiſtratione facultates, literas, quas ad Iberiæ Principes, eorum nempè gratiæ, ac beneuolentiæ conciliandæ Petrus à Valle neceſſarias duxerat, Pontifex ſubſcripſit; ac dignæ profectò ſunt à Pontificiæ benignitatis ſtudio, atque ab ipſa dictionis elegantia, quæ hic integræ exſcribantur. Dixi, cùm de ea regione agerem, diuiſam Georgiam eſſe, ac ſingulas ſingulis Principibus partes regi. Ex iis, qui regnent, quatuor hodièque omninò ſunt, nempè Imereti, Colchidis, Gurielis, Cacheti. Quos omnes his ſingillatim literis Pontifex appellauit.

VRBANVS PAPA VIII.

Principi Imereti Georgiano
Nobilis Vir ſalutem, & lumen diuinæ gratię.

Ad Imereti Principem.

Nomen nobilitatis tuæ, quod inter Caucaſi iuga, & Caſpii fluctus colitur obſequio populorum, ignotum non eſt Principibus Vaticani, & Patri Chriſtianitatis. Quare decernimus, ad te literas dare conciliatrices beneuolentię, & obſides volũtatis noſtræ. Cupimus enim illuſtre aliquod beneficium deberi Nobilitati tuæ ab Vrbe Roma, quę cum Patria ſit nationum vniuerſarum, & magiſtra doctrinæ cœleſtis credatur, triumphalia Chriſtianæ obedientiæ tributa accipit à potentiſſimis Europæ Regibus, qui, depoſito diademate, Apoſtolicos Romani Pontificis pedes religioſis oſculis venerantur: quin & latè dominantes in Aſia, Reges Perſarum, amicitiam noſtram vltrò petiuere; & toto diuiſos Orbe Iaponios ſolenni legatione ætas noſtra vidit, abſentium Dynaſtarum officia Apoſtolicæ auctoritati pollicentes. Fortitudo noſtra, & laus noſtra Dominus, cuius omnipotẽtis clementiæ beneficium eſt, Romanæ Sedis Principatus. His tamen legibus Eccleſiaſticum hoc imperium commendatur, vt ſeruiens ſaluti mundi naufragantis, habeatur patrocinium generis humani. Ex altiſſimo enim Apoſtolicæ maieſtatis ſolio petimus proſpectum terrarum, atque vbicumque homines commorantur, petimus cœli fores pateſieri, & angelorum legiones militare cupimus. Neque inanibus raorſùm votis hanc cauſam agimus, qua diuini nominis gloria continetur. Ea enim conſilia dies, noctesque meditamur, quibus vel inuiti fateantur inimici, excubare in Romana ſpecula ſolicitudinem, quæ nationũ etiam remotiſſimarum felicitati proſpiciat. Neque deſunt ſacerdotes, qui vt charitati Pontificiæ obſequantur, longinqua exilia dulcibus patriis anteferant; & montium ſcopulos, mariſque procellas eluctati, ipſa penetrare non timeant antra draconum, & hominum ſæuitiam accendere, coronati ſcuto bonæ voluntatis. Hos autem vitę mortalis prodigos, & tot periculorum contemptores, vt alienę ſaluti famulentur, quæ gens tàm barbara vſpiam reperiretur, quæ eos, quaſi ex alio terrarum orbe ad ſe delatos, non excipiet hoſpitio; non complectatur charitate? Non enim theſauros quæritant, aut affectãt imperia, ſed triumphum arbitrantur, quærere felicitatem morte ſua gentibus, & gloriam dominantibus. Quinimò tanta vis nunquam inerit hoſtili crudelitati, vt odium in eorum animis accẽdant, qui ſciunt etiam inimicos diligere; & his, qui mortalem vitam adimunt, æternos principatus optare. Hanc doctrinam profitebuntur, qui à nobis in Georgianas regiones allegantur in præſentia religioſi ſacerdotes. Accepimus, eo eſſe ingenio nobilitatem tuam, vt potentiæ iſtius coronam arbitreris poſſeſſionem gloriæ, & tutelam innocentiæ. Quare ſperamus, fore, vt ſacerdotes noſtri conſolari nos poſſint teſtificatione eorum beneficiorum, quibus Romam, & Pontificem demereas. Fœneraberis Deo miſericordiam, qui in theſauris cœleſtis opulentiæ præmia ſempiterna ſeruabit Nobilitati tuę. Quòd ſi magnanimi Principes belli pericula toties ſuſceperunt, vt nominis ſui gloriam apud exteras gentes propagarent; non vile præmium Nobilitati tuæ Roma, beneficiorũ memor, pollicetur. Si enim hos ſacerdotes audieris, ſi patrocinio armaueris; ſi diuini Verbi ſemina in Georgianos agros ſpargi paſſus fueris, Princeps Imereti, & Balciaciuchi, ſenties nomen tuum eſſe in benedictione Romæ plaudentis. Porrò autem Parens Regum, & Cuſtos religionis Pontifex Romanus vnà cum Apoſtolico Senatu, & Ciuitate ſacerdotali preca-

cabitur Nobilitati tuæ populos obſequentes, & fauentes cœlites, vt tantus Princeps, diuino lumine fœcundatus, parias fructus ſalutis, & ſperatæ ſegetem beatitudinis. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die 4. Iulii 1626. Pontificatus noſtri anno tertio.

VRBANVS PAPA VIII.

Principi Odiſci Georgiano
Nobilis Vir ſalutem, & lumen diuinæ gratiæ.

Ad Mengreliæ Principem Pontif. literæ.

In Caucaſi Scopulis decorum Carmeli, & in Phaſidis fluctibus fluenta Iordanis inuenturos ſe ſperant, qui à nobis in Georgianam regionem allegantur, ſacerdotes, ſi eos muniat patrocinium, & conſolabitur humanitas Nobilitatis tuæ. Roma verò, Patria nationum, quam tanquam Matrem Chriſtianitatis, potentiſſimi Reges religioſis tributis venerantur, nomini tuo plauſus Vaticani, & Tyberis ſtudia pollicetur, ſi tanti ſolatii compotem effici volueris Eccleſiam. Neque poteſt illuſtrius ab Aſiatico Principe flagitare nunc Europa magnanimitatis argumentum, quàm beneficentia eos iuuare, qui deliciarum obliti, & contemptores periculorum regiones tuas propriæ Patriæ antetulerunt, Neque enim eos per iter, erroribus obſitum, iſthuc deducit potentiæ, aut pecuniæ cupido, quam illi aſpernantur, vt Dei gratiam quærant. Salus animarum, in qua Romani Pontificatus gloria collocatur, Dei nutibus obſequentes, iſthuc aduocat. Humanitatem planè, ne dum religionem abieciſſe videbitur, qui obuia charitate iſthic non excipiet eos ſacerdotes, qui in Regna tàm remota proficiſcuntur, vt veſtræ felicitati famulentur. Illuſtre habetur vbique documentum fidei, & amoris ſuam vtilitatem commodis amicorum poſt habere. Quam autem vos de Romanæ Eccleſiæ charitate ſententiam feretis, cum eos, quos à vobis non ſolùm locorum longinquitas, ſed etiam famæ taciturnitas diſgregauit, iſthuc deductos videbitis ob vnam eam cauſam, vt populis, ac Principibus Georgianis concilient patrocinium Dei, vt pariant theſauros æternitatis. Itinerum diſcrimina, hoſtium inſidiæ, maris procellæ, quæ omnia illi contempſerunt, veſtræ incolumitati conſulturi, petunt viris tàm bene meritis fauorem Nobilitatis tuæ, & beneficia Georgianæ nationis. Ea tamen nos Apoſtolicis literis flagitare voluimus, vt apud te extet luculentum hoc Pontificii amoris teſtimonium. Eos Nobilitas tua dum benignè audiet, & beneuolenter excipiet, audientur in hoc mundi conuentu laudes nominis tui. Porrò autem Deus miſericordiarum, qui ſe eiuſmodi beneficiorum debitorem allegari vult, illuſtri aliqua felicitate Principatum tuum decorabit. Quod ab eo dum nos poſtulamus, lumen Spiritus Sancti præfulgere cupimus Nobilitati tuæ, vt maius poſſit in cœlo, quàm in terra imperium poſſidere. Datum Romæ die 4. Iulii 1626. Pontificatus noſtri anno tertio.

VRBANVS PAPA VIII.

Principi Guriel Georgiano.
Vir nobilis ſalutem, & lumen diuinæ gratiæ.

Ad Curielis Principem.

Auri Cupido, quæ priſcis temporibus dicitur è Graiæ litore ad Phaſidis oſtia duxiſſe Argiuos heroes per iter, fabuloſis terroribus obſitum, non aduocat certè hoc tempore ſacerdotes Romanæ Eccleſiæ in Georgianas regiones. Quamuis enim iſthuc & agri fertilitas, & incolarum gloria poſſit peregrinantes adducere; qui tamen à nobis allegantur, ii inter maiores longioris vitæ difficultates non armantur ferro, non ſtipantur militibus, non petunt theſauros, ſed vnam ſitiunt ſalutem animarum: eoſq. par eſt, beneuolenter excipi, vbicumq. humanitas dominatur. Quæ gens enim tã ferrea, extra anni, ſoliſq. vias reperietur, quæ eos inhoſpitali feritate violet, quos ſuæ felicitatis curatores adeſſe cognouerit? Quare cùm Principatus tui decus habere credaris, velle beneficentiæ gloriam, & patrocinium innocentiæ, haud temere poſſumus ſacerdotibus no-

noſtris polliceri ea officia, quibus viris, tuam gloriam curaturis, Nobilitatis tuæ humanitas declarabitur. Certè, ſi perfeceris, ne nos huius ſpei pœniteat, fama tui Principatus Caucaſi ſcopulos, & Ponti limites prętergreſſa, Romam perueniet, auditura plauſus, quos nationes in hac Orbis Patria dare ſolent Principibus de Apoſtolica Sede merentibus. Chriſti Regum arbiter, qui pulchros eſſe vult pedes Euangelizantium pacem, cùm ſe in hoſpitibus excipi profiteatur, facilè eſt conücere, quæ præmia paret beneficentiæ, ac pietati tuæ. Ei autem dum Roma ſeruit, colitur tributis Prouinciarum, & obſequiis Regum. Digni tamen ſunt Vrbis mores, qui vbique filios Eccleſiæ Romanæ commendare poſſint. Hic enim hoſpitia pateſiunt exteris nationibus; patet aditus ad ſacros principatus peregrinę virtutis, & cùm diuerſę gentes hic commorentur, omnes tamen ſe, tanquam in Patria viuere teſtantur in Vrbe, Parente generis humani. Hanc Vrbem demerebitur Nobilitas tua iis beneficiis, per quæ efficietur, vt Romani ſacerdotes in Georgiam peruenientes, non ſe in exilium ablegatos, ſed in Patriam miſſos fateantur. Eos ergo audire poteris, teſtes charitatis noſtræ, quæ tibi ſemper diuinum patrocinium, & populorum beneuolentiam precabitur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die 4. Iulii 1626. Põtificatus noſtri anno tertio.

VRBANVS PAPA VIII.

Theimuraz Principi Kacheti.
Nobilis Vir ſalutem, & lumen diuinæ gratię.

Ad Kacheti Principem

Fœcunditas Georgianæ regionis largo ſyluarum, & ſegetum fœtu pubeſcens, inūdabitur fontibus æternitatis; ſi hac ætate fructus progignet Europæ notos, & Romæ ſalutares: Neque votum hoc ſine propinqua optati gaudii ſpe concipimus in præſentia. Allegamus enim iſthuc ſacerdotes, ſcientiam ſalutis edoctos, & populorum felicitati feruentes. Eos ſi iſthic tutò commorari volueris, armatos patrocinio Nobilitatis tuæ, ſi eorum verba, è charitatis fonte manantia, iſti populi pronis auribus acceperint, vix dici poteſt, quantū tibi, iſtiſque regionibus debebit hæc Ciuitas ſacerdotalis, culta Regum obſequiis, & celebrata domiciliis nationum. Famæ Italiæ intereſt, Principem Kacheti eorū patuiſſe conſiliis, qui paraſſe dicuntur viam Domino, & rectas feciſſe ſemitas eius. Quid ais, nobilis Vir? Leuis ne fructus eſt eorum beneficiorū, quæ à tua magnitudine ſacerdotes noſtri expectant, plauſus Romæ, & laudatio Pontificis? Certè, ſi excelſum ingenium oblectet gloria, facilè conücimus, quanti factutus ſis, nomen tuū celebrari in hac arce Chriſtianitatis, & Patria mundi. Atenim iiſdē officiis, quibus nos demereberis, parabis patrocinium Omnipotentis, qui ſe in peregrinantibus excipi, & in pauperibus paſci profitetur. Eum verò nos aſſiduò orabimus, vt tibi cœleſtes fores patefaciat, & per diuinæ legis ſemitas ambulanti, oſtendat Regna triumphantis immortalitatis. Verùm nec populos iſtos ſacerdotum noſtrorum, pænitebit. Non enim ſitientes pecuniarum, aut potentiæ auidi ex Europa in Aſiam commigrant; ſed iis vnum erit votum, & negotium, ſalus Prouinciarū, & gloria Principum. O te felicem, ſi populos tibi ſubiectos, ſalutaribus eorum doctrinis erudiendos curaueris. Ea enim vis eſt ſapientiæ, quam à Chriſti pectore hauſerunt, vt poſſit homines in angelos, & terram in cœlum conuertere. Audita Romæ eſt fama calamitatum, quę dum te diù conflictarunt, dicuntur illuſtraſſe virtutis tuæ vim, terroribus indomitæ. Scimus, quàm conſtans fuerit Genitricis tuæ pietas, quæ è Regno maluit exulare, quàm à Chriſto deſciſcere. Tàm laudatæ Parentis filius, & tantorum periculorum victor, crederis ſacerdotibus noſtris ea auxilia præbiturus, quæ videantur eſſe conſilia maternæ religionis, & decora fortitudinis fruſtra oppugnatæ. Ea quidem ſi pręſtiteris, felicitati, qua te remunerabitur Deus, plaudet Eccleſia. Nos autē fauentes laudibus nominis tui vnà cū Apoſtolico Senatu tibi victores exercitus, & propitios cœlites precabimur, vt inter mortalis vitæ triumphos progredi poſſis ad Patriam beatitudinis ſempiternæ. Datum Romæ &c.

Iam verò rebus expeditioni neceſſariis Romę peractis, nihil reliquum Patribus erat, quàm vt ad ipſum Pontificem aditum impetrantes, exoſculatiſque demiſsè pedibus, man-

Digitized by Google

mandata coram exciperent, omenque rei bene gerendæ in ſummi Patris beneuolentia, ac benedictione caperẽt. Qui illos in Pontificium conclaue induxerit, Card. Bandinus fuit, cui peculiare in noſtrum Ordinem ſtudium inerat, & rem illam Ibericam, Patrumque ſupra terrarum, ac marium pericula indolem vehementer probauerat. Complexus ſingulari comitate Viros Pontifex, nullum non iis paternæ charitatis ſpecimen dedit, Conſilium magnificè dilaudare: faces ab operis præſtantia, ac dignitate addere: Dei gloriam, orthodoxæ fidei decus, gentium longè diſſitarum ad Romanum Principatum additamentum mirificè inculcare: poſtremò quodam mentis augurio prædiuinare in iis regionibus ab hominum induſtria, ac contentione ſegetem longè vberrimam. Auitabilis, actis prolixè gratiis, quòd ſui Inſtituti viros, ac ſe potiſſimùm, ſuoſque ſocios pulcherrimo operi delegiſſet, illud in primis petiit, vt ſanctiore pro poteſtate hoc ipſum iuberet. Eo nempè ſacrorum Principis imperio, ſupremiſque obedientiæ legibus alacriores ſe per tela, per hoſtes ituros: tùm pleraque in ſui, aliorumque in ſpiritu commodum poſtulauit; quæ cumulatè obtinuit. Qua Pontificis humanitate, ac Patrum ampliſſimorum, qui Cõgregationi de fide propaganda præſunt, inſigni beneuolentia cohoneſtatus, Roma vnà cum Franciſco Aprili diſceſſit die Iunii menſis vigeſima tertia, peruenitq. maritimo itinere Neapolim die vigeſima octaua, planè non citra corporis incommodum, & cladem. Enimuerò quòd prouecta iam æſtate viam capeſſiuiſſent, & quòd neſcio quid noxii aeris ad oſtia Tyberina, vbi immorari aliquantiſper oportuit, hauſerant; ſtatim ab itinere in morbum vterque incidit; qui quidem principio vehementior; vt conclamata à medicis, vtriuſque ſalus fuerit; intendebatq. non minimùm luem quidam animi ſenſus, ac mœror, quòd cernerent, curſum incitatiſſimo deſiderio retardari, ac triumphare communem hoſtem, cui ſciuerant, nihil moleſtiùs, quàm ſuſcipi ad id gentium expeditionem. At enim implorata impenſiùs ope Numinis, dum cuncti ſecùs ominarentur, vterque breui cõualuit: ita tamen, vt Petrus Auitabilis reſtitutus mox perfectæ incolumitati fuerit, Aprilis verò, quippè cui labefactatæ etiam à ſenio vires, poſt paulò conflictari iterùm morbo contigerit. Quapropter, quòd grandi iam natu viro, affectoque ſemel, ac iterũ corpore, non tàm citò redire ſua ſanitas, ac virium firmitas poſſe, videretur; atque interim corrumpere occaſionem maturiùs tranſmittendi ea mora poſſet, id conſilii ceptum, vt ſocius mutaretur; aliuſque è triumuiris, qui deſtinati ſecundo loco fuerant, ſuccederet. Igitur ſignificatum, ſupplicatumque Romanæ Congregationi, vt vices Ioannes Philomias ſubiret: quod impetratum ingenti cùm eiuſdem Philomiæ lætitia, ſenſuque Aprilis peracerbo; qui defunctus mox febri, vbi confirmari opes corporis ſenſit, pulſare incredibili quodam animi ardore ampliſſimos Patres literis, ac precibus cœpit, ac per Deum obteſtari, ne locum alter præriperet; quando conſtarent iam vires, atque enauigando, ferendoque eſſet. Sed fruſtra hæc flagrantis viri vota: ſtatimque Auitabilis Neapoli Meſſanam ſoluit, vbi aderant iam ſocii, parati committere ſe ſe cœlo, & pelago. Hic verò præter opinionem, ac votum hærere diutiùs oportuit non ſine graui eorum moleſtia, quibus nihil prius, quàm emetiri curſu mare, quod animo, zelique auiditate iam tranauerant, ac ſorbuerant. Siquidem, vti mox ſignificabo, quam putabant, breui in Siciliam appulſuram, quę ipſos Conſtantinopolim tranſueheret, nauis, excitata non quidem à ventis, ſed à mortalibus procella, luctari, moranque opinione prolixiùs viſa eſt.

Pontificem Patres adeunt.

Qui humaniter excepit, ac munificè

Diſcedunt Roma.

Neapoli ægrotant.

Aprili interdicta à morbo nauigatio.

Implet locum Philomias.

Meſſanæ moræ.

Interea temporis arrepta ea moræ occaſione Lucretia Iuniana, Iacobi de Stephano mater, piiſſima fœmina, quæ Aquediæ, ſuo nempè in oppido, agebat, id etiam atque etiam à P. Generali cõtendit, vt filium, quem perſuaſum habebat, non ampliùs viſurum, adire Aquediam ſineret. Par eſſe, vt quãdo id per tempus liceret, nouiſſimos amplexus amantiſſima mater expediret. Quod vbi P. Generalis annuit, certam, atq. expeditiſſimam, quæ filium veheret, cymbam Meſſanam miſit Lucretia. Nec eò digredi tantiſper Iacobus renuit, vt id officii pietati, ac matri perſolueret: præſertim quòd nullum à vi naturæ, maternoque affectu periculum, ſucumque metueret. In itinere, oborta ventorum impetu tempeſtate, precariis globulis fluctus compoſuit: cœpitque ingenti fide imperare ventis, ac mari. Domi nullam à domeſtico fletu, ac precibus procellam offendit. Enimuerò non modò non illum de gradu mouere mater

ſtuduit; verùm etiam inſigni pietate, ac ſupra maternæ indolis ſtudium adhortari viſa eſt, vt cœptum ſemel conſilium ſtrenuè vrgeret. Quo ſanè nihil ad ornatiſſimæ matronæ laudem dignius: accenditque Iacobi alacritatem vehementiùs virilis hic eius vigor, ac ſtimulus. Quandiù autem inibi morari illum contigit, non à publicis cóciónibus, non à priuata mortalium inſtitutione abſtinuit: gaudebatque operoſioris induſtriç rudimentum patrio in ſolo ponere. Cumque formandis familiæ moribus, ordinandç rei familiari, expoliendæque pietati documenta reliquiſſet matri oppido opportuna, reuerſus Meſſanam eſt quàm citiſſimè. Illud hic porrò ex noſtri Franciſci Maggi fide, qui de Iacobi vita commentariolum eleganter concinnauit, romaniſque typis edidit, non omiſerim. Nam cùm mater ſub ipſum diſceſſum diſſimulare naturam minimè poſſet, ac vultu quidem ſubtriſti diſertè pronunciaſſet, ſibi iam nihil ſpei reliquum eſſe, ipſum ampliùs videndi; conſtaret illi filius: æquo, ait, ſis animo, Mater. Nam non ante vita excedes, quàm me videas. Nec dicto euentus defuit. Enimuerò cùm ſupremò illa Aquedià decumberet, Iacobus, vita licet functus, vt fidem liberaret ſuam, ſpectandum ſe moribundæ dedit. Quo illa aſpectu mirificè recreata, animam efflauit.

Meſſanam reuertit.

Quid matri pronúciauerit.

Iam, religioſi Viri, in Georgianam expeditionem egregiè animati, nihil impenſiùs cupere, quàm profectionem maturare. Meſſanæ ſimul erant, nauemque, cui à Redemptione nomen, expectabant. Præerat Coſmus Orlandus, Florentinus, ſpectatis vir moribus, rerumq. præſertim Orientalium, ac pelagi cum paucis ſciens, qui, ducta Conſtantinopoli vxore, domicilium ibi fixerat. Huius ſe ſe fidei credere noſtri homines decreuerant, quem petere Conſtantinopolim rectà nouerant; eiuſque præterea eſſe nominis, vt paterent eius nauigio ex publica fide cuncti Turcicæ oræ portus. At enim necti velificationi moras æquo longiores, oportuit: planè non ſine mali dæmonis malis artibus, qui quò ſanctius, ac diuinius eſt opus, eò vires acriùs intendit, vt aut omninò abrumpat, aut ſaltem differat: frangatque præclaros animi impetus cúctatio. Atque hęc quidem egregii conſilii initia, illata cominùs vi, non ſemel impedire, morarique conatus eſt. Enimuerò dum, accuratis Ligurino in portu mercibus, niſi ſoluiſſe feliciùs, ac Numine aſpirante, credit Orlandus, ecce tibi ab inuidia ſcopulus. Fuere ſiquidem, qui offenſo in Orlandum animo, Proregi Neapolitano, compoſitis ad eum literis, ſignificarunt, mercium, quas ille veheret, magnam partem Turcarum eſſe. Et, qui eſt Principum in eiuſmodi commercia zelus, monuit illicò Prorex regios in Sicilia adminiſtros, vt illas interciperent: & quoad perſpecta res fuerit, apud ſequeſtrem deponerent. Quod factum, nulla mora. Igitur circumuentus inſigni calumnia vir probus, remetiri vacua naui eundem Ligurinum in portum iter, coactus eſt: vt crimen ſignatis teſtibus dilueret: ceſſitque benè res. Conſtitit nanque liquidò, mercimonia partim ſua eſſe, partim magni Etruriæ Ducis, qui & abſoluit ipſe Orlandum, & eius patrocinium ita ſuſcepit, vt monito Prorege Neapolitano, ac Siciliæ adminiſtris, reddita mox illi in Sicilia ſua fuerint. Hoc autem confici non niſi poſt pluſculos menſes potuit. Interea verò temporis cùm Auitabilis, ac ſocii, tùm præcipui quidam ſpiritus viri id ſummis apud Deum precibus contendebant, vt, re benè geſta, rediret citò nauis. Et vero, viſa penetraſſe nubes, ac cœlum oratio. Egregia ſiquidem vſus tempeſtate, Meſſanę portum intra nouem non ampliùs dies poſtliminiò renuit Orlandus: ex quibus quatuor duntaxat, ventis aſpirantibus, velificauit: cùm alii, qui tùm quidem, aut paulò ante ab eodem portu peruenerant, ſeptem omninò, ac triginta dies, incommodo nimirùm vſi pelago, enauigaſſent. Et illud quidem admiratione dignum, quòd quibus diebus ſiluere venti, impediebatque malacia, quominùs progrederentur, ſenſim ad ſeptuaginta paſſuum millia confecerint: ita vt, Franciſcus Verrazzanus, Florentinus, vir nobilis perindè & pius, conſtanter Orlando affirmauerit, aliquem è cœlitum numero, ſine dubio, adeſſe, qui nauim vrgeret: quando in ſummo eo pelagi otio mouere ſe loco minimè deberet. Quam diuini Numinis tutelam experti etiam in aduerſa fortunâ ſunt. Oborto ſiquidem graui turbine, euerſoque à fundo mari; vt nil propriùs eſſet, quàm ſoberi nauigium, iactis in mare Diuorum lipſanis, rediit tranquillitas. Planè ab iis religioſorum hominum precibus proſperi hi cùm in procella, tùm in ſerenitate euentus extitere: vt dici profectò poſſit, triumphare

Coſmum Orlandum noſtri oppeciuntur.

Cui obiectum crimen.

Sed diluit.

Fluit iter iuuãt Miſſionarii precibus.

Digitized by Google

phare vtium que tempus orationem. Superata itaq. inuidia, ac mari, Orlandus, Meſſanam peruenit die Nouembris menſis ſexta. Cumque ſoluere maturiùs, ac propè diem crederent, ecce tibi noua velificationi impedimenta. Verrazzanus, quem modò nominaui, ante annos circiter ſeptem Chio, quæ in Aegæo Inſula eſt, pertranſiens, geminum ab amico quodam balanitē acceperat, vt in Italia diuenderet, merceſq. deindè aliàs coëmeret. Gemmarum nempè par id erat, fœminarum inauribus conficiendis, non exigui ſanè pretii, quæ niſi lucem, coloremque mentirentur, æſtimari octo circiter aureorum millibus poterant. Verùm, ſiuè quòd magni, ſiuè quòd nullius reuera pretii illæ eſſent, cùm emptorem non reperiſſet, reddere domino Verrazzanus decreuerat. Ergò Meſſanæ commodùm amici germanū fratrem, cui exigendi quicquid eſſet fratris, facultas inerat, cùm offendiſſet, illi reſtituit; qui recognitis, exploratiſque peritorum iudicio gemmis, adulterinas comperit. Quare fraudem apud Prætorē Vrbis, fucumque inclamare, ac poſtulare furti hominem; ceu mutatis callidè gemmis, falſas per ſummam iniuriam exhibuiſſet. Nec mora; mancipatus carceri Verrazzanus. Quod Orlando longè moleſtiſſimum: quippè in anchoris iam nauis: nec liberum erat vela facere; quando id potiſſimùm in mandatis à Magno Etruriæ Duce acceperat, ne ſine Verrazzano ſolueret. Noſtris etiam, qui ſatis diù, ac veluti ad deliquium expectauerant, ſupra modum incommoda mora accidit; ac conniti pro viribus cœpere, vt controuerſiam quoquo pacto componerent. Quod mox nobilium quorundam gratia, ac vi quadam pecuniæ actori perſoluta, contigit. Sed hanc alia ſtatim à mari procella excepit. Enimuerò dum in procinctu vectores, ac nauię eſſent, mutata repentè aeris, ac pelagi tranquillitate, dominari iniquum tempus cœpit: eòque detineri in portu nauim ſolidum menſem oportuit; quoad ea intemperies tenuit. Qua diſſlata, iterùm impedimenta; adeò verū eſt, quod ſignificaui, nihil non conari in magnis auſibus dæmones, vt cœpta interturbent. Siquidem Turca quędam præcipuæ notę fœmina redemerat tùm quidem ſeſe, ac tranſmiſſura in Patriam, admitti in nauim poſtulabat. Publicam nondum fidem impetrauerat; atque adeò recipi ſine Rectoris fraude minimè poterat. Præſtolari, quoad Panormi facultas obſignaretur; grauiſſimum omnibus, adulta præſertim hyeme, qua nihil inconſtantius. Quod ſi porrò deſererent, aderat Conſtantinopoli nobilis quidam Turca, qui minas iam intentauerat, atque vlturum fœminam denunciauerat, niſi ea nauis excepiſſet. Dum hiſce anguſtiis premerentur, viſus nodum ſoluere veluti è machina Deus: mutata nempè muliere, quę cùm non defuturam ſibi occaſionem, perſuaſum habuiſſet, abire Orlandum permiſit.

Meſſanæ iterùm moræ Verrazzani cauſa.

Tertiò à mari impedimentū

Et quartum à præcipua Turcarum fœmina.

Igitur indicta ad alteram Decembris menſis diem profectio: curſumque Melitam verſus intendunt. Sed obſecundare ventis coacti, Siracuſas applicuere. Incredibile dictu eſt, quo ſtudio Auitabilis, ac ſocii excepti à Siracuſanis Patribus fuerint, qui nullum etiam in Orlandum, ac Verrazzanum humanitatis genus diſſimulatum, voluere. Commoratos inibi hoſpites decem omninò dies, illud non mediocre quidem facere operæ pretium, contigit. Elato ſiquidem non ita pridem Vrbis Epiſcopo, eius nōnihil, ſiuè pretioſæ ſupellectilis, ſiuè pecuniæ apud D. Luciæ ſanctimoniales conſanguinei clam depoſuerant; quæ cū euulgare, quicquid id eſſet, adigerentur, ac recuſarent, in magna profectò perturbatione verſabantur. Adiere gynæcèum noſtri hoſpites, vt earum conſcientiis operam darent: valuitque adeò illorum auctoritas, ac facundia, vt tranquillauerint momentò omnia: omenque hinc cepere ſequuturæ ſerenitatis, aſpirantibus præſertim earum ſanctimonialium precibus. Maturo dein tempore vela Siracuſis facientes, Melitam die Decembris decima ſeptima tenuere. Prompta hic piiſſimorum Equitum beneficentia, & charitas excipiendis Patribus fuit: certatumque inter ipſos de eorum hoſpitio ſtudiis, planè humaniſſimis: Pręſtolari hic aliquandiù idoneam tempeſtatem oportuit; atque interim dilabi ſine proximorū fructu dies minimè permiſere. Equitibus, apud quos morabantur, præcipuę curæ erat Conuertitiarum mulierum gynæcèum, quod tùm quidem peculiari quadam induſtria, ac opera indigebat. Enimuerò, qui nunquam in mortalium exitium non excubat dæmon, impreſſionem in eam diſciplinam fecerat, ac penè euerterat. Ex iis nanq. monialibus pleræque, quibus forma adhuc, atque ætas conſtabat, pertęſę, quod olim

Tandem ſoluunt.

Siracuſas appellunt non ſine operæ pretio.

Melitæ humaniter excipiūtur.

ſuſce-

ſuſceperant, inſtituti, eò dementiæ, probrique deuenerant, vt dicerent, ſe non ritè vota nuncupaſſe, atque adeò, vt ſui adhuc iuris, deſerere ſtrictiorem eam diſciplinam acriùs contendebant. Non preces, non minæ cum obſtinata fæminarum indole valuerant, vrgente nimirùm vetere illecebrarum memoria, quæ illarum animos altè occupauerat, præcludebatque ſanctioribus conſiliis, ac bonæ menti aditum. Igitur cōmodū, ac diuino quodam inſtinctu appuliſſe eò Theatinos homines, cœnobii Rectores putant; ac explicato, quo laborarent morbo fœminę, vt facerent ipſi medicinā, etiam, atque etiam rogant. Qui quidem prouinciam aggreſſi, breui quà priuatis in ipſa ſacramentali confeſſione monitis, quà publica in concionibus adhortatione, rem item apud diuinum Numen aſſidua prece perorantes, edomuere contumax malum; mutaruntque Melitenſes moniales mentem, ac mores, abdicato, quicquid induxerant luxus, ac pompæ, reuocata iterū religioſa paupertate, ac communi vita, inſtauratiſque ſolenni ritu votis ingenti cum omnium plauſu, qui abalienatas ab ſuo inſtituto mulieres, corruptumque eo fermento contubernium nouerant. Aderat porrò in eo cœtu, vt euenire, vel inter ſolutiſſimas interdùm ſodalitates ſolet, monialium longè piiſſimarum ternio, quæ ſuperiore quodam lumine Patrum in eam Inſulam aduentum prænunciauerant; Ex iis vnam Iacobi de Stephano operam in eluendis noxis adhibuit. Aſſiduis hæc cœli gaudiis perfundi ſolita erat; reſpondebatque huic diuinorum affuſioni reliqua vitæ ratio. Etenim modeſtiæ ſtudioſiſſima, nihil non abiecti operis domi obibat, culinamque diutiùs ſingulari quodam ſtudio, ac cōſtantia procurauerat. Corpus quotidiana abſtinentia, ſummiſque rigoribus atterebat; demum nullis non virtutum documentis ſanctimoniam probabat ſuam. Iam, quòd ſæpè contemplanti Chriſtus Dominus, aliquando Virgo Deipara; nonunquam Cuſtos Angelus, aliique Diui ſe ſe obiiciebant, addubitare maximè cœperat, ne quid fraudis ſub ea cœlitum luce tenebrarum Princeps ſtrueret: angebatur proindè vehementer, animumque verberabat incertitudo. Ergo, vti ipſamet Stephanio narrauit; ſemel, dum ea ſuper re cœlum conſulit; facto mentis exceſſu, Dei Matrem vidit, quæ facto propiùs ad illam gradu: bono, inquit, ſis animo. Poſt annos non ampliùs tres adibit has terras confeſſarius, qui tuę vitæ rationes recognoſcet; ſedatiſque animi fluctibus, docebit, vnde iſthæc tibi oſtenta, è cœlo, an ab inferis. Iterū eiuſmodi ad eā Inſulam Patrum acceſſus certior facta, dum eandem Dei Matrem impenſiùs oraret, vt ferret cœnobio opem, cuius diſciplinam ſororum aliquæ turbulentioris ingenii, ac vitæ non minimùm læderent. Nam hæc ſtatim à Deipara: Scito, filia, propiùs remedium eſſe: religioſis quibuſdam viris, exteris iis quidem, huc aduentantibus, quos emendandæ veſtræ iſtius diſciplinę manet prouincia. Menſibus verò ſex antequam aduenirent, monita ab eadem magna Matre eſt, homines quàm primùm adfuturos. Ex iis vnum Iacobum de Stephano appellari; hunc ipſa à confeſſionibus deligeret. Ipſa verò die, qua Melitenſem portum tenuere: iterū ad illam Virgo; atque appuliſſe iam confeſſarium, ſignificauit. Quare (quòd ſanè mirum) cùm ad monaſterium poſtera luce, facturi ad aram Patres, vnà ſimul adiiſſent, agnouit illa Stephaniū, ceu ſuis lineis deſcripta ſibi viri effigies fuiſſet. Is verò admotus monialis cōſcientiæ, nil prius habuit, quàm aſſidua ea viſa, ac colluſtrationes ad ſolidioris cuiuſdam iudicii, doctrinæque libram examinare: non ignarus, quàm ſæpè eiuſmodi blanditiis, veluti Siren cantu, incautos merſerit infernus veterator, cuius id potiſſimùm conſilium, ſuperbiam, nimiamq. ſui fiduciam ingenerare; quo nihil ruinæ propius. Ergò à fœminæ moribus, vitæ actibus, ab oſtenſis ipſis, ab adiunctis, ab euentibus re diligenter æſtimata, adeſſe diuinum Numen comperit. Viſum nihilominùs ſeueriore quodam iudicio rem periclitari. Quare illam iuſſit, vt ſi quando Virgo Deipara ſe ipſi de more obieciſſet, contemneret, abigeret; ni faceſſeret, expueret. Paruit illa. Nocte ſiquidem Diuo Ioanni Euangeliſtæ ſacra ſub ipſum conticinium ecce tibi pulcherrima quidem ſpecie, ac liquidiſſimis fulgoribus circumfuſa Dei Mater. Terga vertere, atque abiicere è confeſſarii præcepto monialis: cumque perſtaret illa, audacter in os eius expuit. Qua quidem contumelia non modò non indignata cœli Regina, ſed proniore quodam affectu, ſerenoque vultu illam complexa, obedientiam ſummoperè dilaudauit. Agnouitque Stephanius, ſolida virtute niti piiſſimæ fœminæ viſa, atque

Strenuè in gynæceo operā ponunt.

Eximia ſanctimonialis in eo pietas.

Quæ Patrum aduentus diuinitùs monita.

Præcipuè Iacobi de Stephano.

è cœ-

Digitized by Google

Nicolaus à Marra fauet noſtris Melitæ

Et Amponius Commẽdator

è cœlo dona; illamque opportunis monitis, ac præceptionibus, è ſanctorum nempè Patrum ſchola, informare, ac confirmare ſtuduit. Quod ipſum Auitabilis cum duabus alijs eximij ſpiritus, quas diximus, monialibus perfecit; atque omnes vnà ſimul Patres in eo toti fuere, vt quoad Melitæ morarentur, aſceterium illud ad omnem pietatis laudem, legumque obſeruantiam erudirent. Porrò prolixiùs eſſet, qui præcipuè ex equeſtri Ordine beneficiis illos affecerint, percenſere. Inter primos non diſſimulandus Nicolaus à Marra Neapolitanus, Meſſanæ Prior, Vir, qui non minimum quidem lucis militari indole, animi magnitudine, geſtis ſingulari cum modeſtiæ famа magiſtratibus, incomparabili religionis ſtudio, ac cultu, regiis denique moribus cùm illuſtri ſuę familiæ, tùm inclyto Ordini addidit. Is nihil moleſtius tulit, quàm aliò illos diuertiſſe, quos vt ipſe hoſpitio retineret, nullam non adhibuit contentionẽ, ac preces. Eos nihilominùs perſæpè familiari epulo, ac colloquio excepit; & quotidiana beneficentia, humanitateque eſt proſequutus. Singulari item ſtudio complexus illos eſt Amponius Commendator, Gallus, vir à multis animi partibus commendatiſſimus, qui & morantes pręclaris officiis honeſtauit, & abeuntes nulla non liberalitatis ſignificatione cumulauit. Etenim nonnihil iis facti argenti donauit, horologium non vulgaris quidem pretii, lintea, tabulas coſmicas, quas mappas vocant, panes nauticos, bellaria, quædam etiam ad longum iter obſonia; addiditque commendatitias ad regium Oratorem Gallum literas, eximię beneuolentiæ teſtes.

Nicephorus Georgiani Regis Legatus.

Quem ſimulaſſe Legatum, alii dixere,

Sed falsò.

Quid in mandatis haberet.

Meſſanæ noſtratum in illum officia,

Et Neapoli,

Sed antequam Melita hi ſoluant, redeundum calamo eſt Meſſanam; ad quam Vrbem paulò poſtquam inde velificaſſent noſtri, quidam Georgiani Regis Legatus peruenit, iturus in Hiſpaniam, poſtea Romam, atque in reliquam deindè Italiam. Erat hic profeſſione monachus è D. Baſilii diſciplina; nomen Nicephorus Erbacius; aſpectus, qui inſigni grauitate, ac modeſtia reuerentiam conciliaret; vitæ rationes, quæ religioſum virum decerent; cum primis nobilis, cuius Pater exercitus Imperator, Georgiana arma in Perſarum Regem adminiſtrauerat; ac ſemel percelebri victoria Perſas ſtrauerat, trucidatis eorum millibus non minùs nonaginta, cũ è Georgianis longè intra viginti millia ceciderint; iiſdemque nunc ſupremis armorum faſcibus pręerat germanus frater. Modicus illi comitatus, ac religioſum in morem. Nam præter duos eiuſdem profeſſionis monachos, & interpretem, nemo præterea hęrebat lateri. Scio, manaſſe deindè famam, illum non quidem ab Iberiæ Rege miſſum; ſed Oratoris perſonam, ac nomen induiſſe, vt illuſtri appellatione viam ſibi ad corrogandas pro Georgianis, qui Hieroſolymis morabantur, largiores eleemoſynas faceret: literas, ac regia ſigna adulteraſſe; idque Patriarchæ Hieroſolymitani verſutiſſimi viri ope, ac opera. Quod ego, vt ſimile vero putem, adduci non poſſum: quando exceptus is perhonorificè fuerit à ſummis per Europam Principibus, ac Regi ſuo cũ Pontificiis deindè literis redierit, vti teſtati noſtri homines ſunt, qui præſentes tunc aderant, cũ defunctus legatione, in Iberiam reuerſus eſt, ac Regis in ſe beneuolentiam ab eius auctoritate, & commendatione mirum in modum adauctam tũ quidem ſenſere, vt in loco ſignificabitur. Igitur verum, non perſonatum Oratorem ſtylo proſequimur; ac par eſt, legationem illam perſtringere, plenam nempè noſtratum officiis, quę poſtea non mediocri vtilitati rei noſtrę Georgianæ fuit. Legati mandata, ac monita hæc erant. Hiſpanam primùm aulam adiret: conueniret Catholicum Regem: amicitiam offerret, ac poſceret: imploraret in Perſas, ac Turcas armorum ſubſidia; tùm ad Catholicæ religionis in ſuis regnis propagationem opem. Deindè Pontifici ſe ſiſteret; obſequium illi à ſuo Rege deferret; ſtudium in Sanctam Sedem, votumque amplificandæ in ſuis terris fidei profiteretur, animaretque ad Chriſtianæ gentis tutelam ſummum Patrem. Meſſanam vbi is deuenit; quòd ſuſpecta naui vectus, explorari ſanitas debuit: proindèque excipi à noſtris minimè potuit: qui tamen & frequenter inuiſere, & adeſſe omni officio, ac munera etiam pro modò ſubmittere ſtuduere: monueruntque interim Neapolitanos Patres, vt quando propè diem tranſmiſſurus Nicephorus in eam Vrbem eſſet, pergerent ipſi beneuolentiæ argumenta. Qui quidem impleuere egregiè partes ſuas, præſertim Franciſcus Boluitus, vir ſanè communis rei ſtudioſiſſimus, qui exiguo eo tempore, quo is moratus Neapoli eſt, nulli obſequio defuit. Cum rum pręcipuis Ciuitatis templis, locisque inuiſendis curauit,

dedus

deducebatque ipſe aſſiduus comes. Prandia, munera, ac cœtera eiuſmodi xenia adornauit. Hoc ipſum vt Genuæ præſtarent Patres, datis ad eos literis, fecit. Genua Matritum confeſtim ſoluit: tulitque Boluiti eiuſdem ad Placidum Mirtum epiſtolam:

Et Genug.

atque hic enimuerò experiri, vt eũ maximè, noſtratum beneuolentiam contigit. Nã quæ eſt Principum, ac magnæ potiſſimùm illius aulę in excipiendis tàm remotæ regionis viris prudentia, ac religio, ſuſpendi iudicia cœpere, atque vniuerſim ſuſpecta Legati fides habita. Quippè neque ipſe agnitus à quoquam erat, nec qui regias literas interpretaretur, aderat; nec vllis præterea argumentis legatio conſtabat. Eapropter coactus is eſt, menſes non ſanè paucos exiguo in contubernio obſcurus agere, vitamq. in anguſtia ſumma rerum tolerare. Mirtus, poſtquam non ſemel rei domeſticę difficultatem, quà pecunia, quà annona iuuit, munus conciliandę illi magnatum, atque aulæ beneuolentiæ ſuſcipere, eiuſque pro viribus cauſam agere, conſtituit: ratus nempè opportunum id officii fore, vt cùm Georgiani Regis legatum, tùm Regem ipſum in noſtros obſtringeret: præſertim quòd ingenuos in eo mores, atque indolem longè gratiſſimam cerneret: quando quę in ipſum officia noſtri impenderant cùm Neapoli, tũ Meſſanæ, ac Genuæ, aſſiduis ſermonibus, ac magnificè vſurparet. Itaque, vt ipſemet Mirtus ad Philippum Mariam Guadagnium Præpoſitum Generalem ſignificauit, eo ſtudio, ardoreque vrgere negotium cœpit, vt id demum per ſummam contentionem impetrauerit, vt tres uiri è ſupremo ſtatus Conſilio Legationem, legatumque recognoſcerent. Fuere hi Dux Feriæ, Comes Lemonſium, & Didacus Mexia, quibus, vtpotè Mirti ſtudioſiſſimis, adhibere & ipſum Mirtum in ea conſultatione placuit: cumque eo ſtrenuè perorante, ac noſtratum literis agente, rem accuratè expendiſſent, admiſſus tandem eſt Legatus, exceptuſque per honorifica domo, degere Matriti regio ſumptu, famulitio, curruque cœpit: potuitque ſtatim quicquid in mandatis haberet, tranſigere cum adminiſtris, quoad inſigni cum Regis voluntate, nec ſine ingenti itineris, atque operis fructu dimiſſus, Romam petiit: vbi exceptus beneuolè, ac proniore quidem aure à Pontifice eſt; ac nihilò ſtudioſiùs noſtri illum ſunt proſequuti. Literas Vrbano reddidit ſui Regis fidei effectrices, atque obſequii pleniſſimas, quas, ne legentes fraudemus, in latinum translatas, publici iuris hic facimus. Sic verò aiunt.

Marki potiſſimũ Mirtus illum omni ope iuuat.

Romam petit Nicephorus.

Magno Romæ Pontifici.

Sui Principis ad Pontificem literæ.

In Nomine Dei Patris, Filii, Spiritus Sancti. Vnam naturam, vnam Diuinitatem, vnam potentiam adoramus. Ad ſanctitatem tuam accedimus ea fide, iiſque omninò inſtitutis, quæ nos Apoſtoli docuere: ac læti quidem, gratanteſque accedimus, collocati iam in regio noſtri Iberiæ Regni ſolio. Ab oriente Romam perſcribimus, vbi tu, ceu ſol fulgentiſſimus Orbi illuces, & veluti Cherubim, & Seraphim Sanctiſſimã Triadem intueris: acceptumque refers à Deo id, quo lucem mundo facis. Chriſti honor, ac fidei firmamentum ipſe es. Quicquid Prophetæ, atque Apoſtoli prædicauerunt, tu vides. Petrus mundum docuit, & colluſtrauit. Idem Sanctitati tuæ munus; eadem nempè auctoritate præditus, es omnium Maximus, ac Parens. Per has literas intimè veneror, atque exoſculor Apoſtolicos pedes tuos, qui immortalem aquam ad æternitatem omnibus propinas. Benedictionem, ac peccatorum veniam à te petimus, quies, columna religionis, atque imperii Oecumenici, ac prima Sedes. Scimus, te, quicquid petimus, libenter annuere. Iam, fauore Numinis, ac Sanctitatis tuæ benedictione regiam dignitatem capeſſiuimus, vt eãdem tuo nutu confirmes, obteſtamur, ac ſimul obſequium tibi, ac reuerentiam pollicemur. Cum Turcis, ac Perſis nobis res eſt: conſerere cum iis manus ſæpè contingit: nulli tamen, Deo fauente, paremus. Tibi obnoxii ſumus: Quicquid iuſſeris exequemur. Vt creaturarum omnium Parens eſt Deus, ita tu fidelium. Fœdus cũ Hiſpano Rege initurum me, ope tua ſpero. Scripſimus ad illum nos; vt hoc ipſum ab eo tu contendas, etiam, atq. etiam rogamus. Nicephorus Sacerdos has ad te literas cãdidiſſimè exaratas, perferet. Ea nobis votorũ ſumma: gratiam à Sanctitate tua inire, qui es prima ſedes, ac ſuprema poteſtas. Iube, & paruiſſe nos, ſtatim, intelliges. Cartuli die 20. Nouembris 1626.

Hic

Huic epiſtolę luculenter quidē, atq. egregia paternę charitatis teſtificatione reſpōdit Vrbanus Pontifex, vt in loco exponam. Ab ampliſſimis item Patribus, qui Congregationi de fide progaganda pręſunt, ab recenti noſtratium in Iberiam expeditione in Georgianum nomen oppidò propenſis, mirum, quāta auditus beneuolentia fuerit Nicephorus; atque vniuerſim, vt nihil in noſtris hominibus deſiderare is cupiditatis, ac ſtudii potuit, ita, iis adnitentibus, feliciter illi omnia in Romana aula ceſſere. Iam, legationibus fauſtè peractis, qui ſemel in Italiam traiecerat, illam per otium obire, atque aliquot Italici nominis Principum adire, eorumque amplitudinem cominus agnoſcete, ac ſimul de ſui Regis cū potentia, tùm teligione illos docere, in animum induxit ſuum; impetratiſque cū à Pontifice, tùm à Barberinis literis, iter inſtituit. Florentiam paulò ante Natalitias Chriſti ferias eius anni voluentis feculi octaui ſupra vigeſimum tenuit, exceptuſq. à noſtris eſt humaniſſimè, à quibus ad Anglonæ Epiſcopum, Apoſtolicum in ea Vrbe Nuntium mox deductus, literas illi Franciſci Cardinalis Barberini detulit, quarum teſtimonio habitus ab eo eſt perhonorificè, curru, ſeruis, xeniis ad omnem magnificentiam cohoneſtatus. Quod verò Pontificias ad Ferdinandum magnum Ducem literas deſerret, aditum ad Principem Nuntius ipſe impetrauit. Adfuit condicta die, & cū eo Angelus Maria Adimarius, qui tū cœnobio noſtro præerat; admiſſuſque ſingulari honoris ſignificatione, hæc ſtatim ad magnum Ducem. Se quidem Oratorem ad ſummum ſacrorum Pontificem, atq. Hiſpaniarum Regem miſſum. Quo munere expleto, antequàm ad ſuum rediret Principem, facturū ſe operæ pretium, putaſſe, ipſum adire: vt quam fama longè, latèque inclitę domus magnitudinem deprædicaret, propiùs ipse inſpiceret, ac ſuo poſtea Regi denarraret: cuius auribus non dubitabat, gratiſſimas fore præſtantiſſimi Principis laudes: aliaque id fermè argumenti cùm addidiſſet, Pontificis literas illi exhibuit. Habuit ingentes quidem gratias Ferdinandus, ac poſt pleraque officii verba inſtitit plura de Georgiano Rege, de eius Ditione, populis, pietatis cultu interrogare: quæ cùm expediri ægrè per interpretem poſſent, Adimarius, ratus, opportunum fore, ſi ipſe eloqui inſtituiſſet, quicquid ſcitu, audituque iucundum exiſtimauit, diſſerere promptiùs de ea gente, eiuſq. moribus cœpit: acciditque ad Magni Ducis palatum Præpoſiti oratio. Eadem deindè humanitate, traductus ad Magnam Ducem Legatus, exceptus ab ea fuit; reſponditque in eo ornando pari quidem comitate Card. Medicèus. Quod nonniſi vitis præcipuis Florentiæ cōtingit, vt ſalutatæ ab Angelo Deiparæ Effigies, quam efformatam diuinitùs, fama eſt, amoto velo oſtendatur, id Nicephoro tributum ſumma cum eius animi voluptate. Non defuere ſubindè regium planè in morem munera: pręſertim è celebri Medicèa officina pretioſa ad medicamentum vnguenta, ac balſama. Et magnus quidem Dux equum inſuper magnificè inſtratum, quo ipſe in Germanico itinere, quod non ita pridem confecerat, vſus fuerat, donauit. Florentia Bononiam diſceſſit, diuertitq. item ad noſtros. Eius Vrbis Legationem Card. Spada tū procurabat, qui illum, veluti regium Oratorem deductione, ac pompa, quæ munus decebat, excepit. Quo ipſo honore habitus Ferrariæ à Cardinali Saccherto Legaro, & Epiſcopo Cardinali Magalotto. Inde Mantuam tranſiit; obiuitque Ferdinandus Gonzaga Dux inclyti Principis in homine magnificè honeſtando partes, Aderant verò noſtri ſemper, apud quos ille morabatur: data nimirùm ab vna ad aliam è noſtris domibus hoſpitali teſſera; vt ſanè cumulauerint in viri obſequio omni humanitatis genere officia.

Noſtratum Romæ in illū opera,

Et Florentiæ,

Et Bononiæ, Et Mantuæ.

Is verò dū iter perſequitur, reuertimur ipſi ad Petrum Auitabilē, ac ſocios, qui ineūte anno ſeculi ſeptimo, & vigeſimo, die Epiphaniæ Domini ſacra, Melita diſceſſere cōmoda quidē tēpeſtate. Sed aduerſis mox ventis tenuere vix portū propè Zacynthū, vnde cōpoſito poſt quartū decimū omninò diem mari, Nouarinū applicuere, vbi diutiùs ſe ſe, quà pelagi, quà piratarū metu continuere. Et verò ex iis, qui piraticam facerent, quidā non Turcæ, ſed alienæ Ditionis erant, apud quos nulla publicæ fidei ratio. Sed hos, quę eſt diuini Numinis tutela, propiùs ſuis ipſi oculis inſpexere, vi tempeſtatis tranſuerſos agi. Nouarino extremis bacchanalibus ſoluerunt. In Cerici promontorio eluctando, vt in eiuſmodi flexibus accidit, non modicus ſanè iis labor. Incerti ſemper flatus, ac mutata ſæpiùs vela: vt in ipſo acceſſu, receſſuq. inſumpti dies, noctesq. fuerint omninò ſeptem. Quo loco nō diſſimulandus cœli fauor, ac ſecūdiſſima mox à precibus aura. Enimuerò dū ſic eūdo, redeundo ventorū luſus videri nauis

Melita ſoluunt Miſſionarii,

poterat, obloqui vectores Turcę, ac palam ſpargere, eius moræ, atque iniqui temporis cauſam non aliam, quàm Deiparæ, ac Diuorum ſigna eſſe, quæ Chriſtiani homines aſportarent. Perculit impia hæc perſuaſio vehementer noſtros. Quocirca vocatis Nauarcho, ac reliquis catholici nominis, rogant, vt Lauretanas D. Virginis preces vnà recitent, orentque prolixiùs maris ſtellam, vt quæ temperare pro arbitratu

Diuæ Virginis in itinere præſidio, ſemel.

ventos poterat, illam hominum impudentiam confunderet. Audiit in veſtigio temporis preces magna Mater. Siquidem antequàm Marianas eas laudes inchoarent, acti ventorum impetu vltra Nouatinum fuerant, ac ſpem etiam abiecerant, fore, vt Zacynthum capeſſerent, regreſſuri procul dubio vi turbinis Melitam, aut Meſſanam. Sed vix litatum Virgini, cũ, ſcilicet, adhuc humi procumberent, ſecundiſſimę aſpirauere ventorum animæ; adeò, vt modò quidem remiſſiùs, modò vehementiùs flantes, perpetuo quodam curſu ad trecenta paſſuum millia nauim propè Chium propulerint. Poterant hinc ſanè Turcæ agnoſcere, Diuorum ſimulacra haud quidem prouocare maris iram, ac ventos; ſed vrgere velificationem, ſi fides adſit. Tenuere deindè Chium ſub magni ieiunii initium poſt menſem circiter cum dimidio, ex quo Melita ſoluerant: exceptique humaniſſimè à Dominicanis Patribus, grates Deo perſoluerũt, mactata diuini Corporis hoſtia. Hinc verò die Martii octaua ventis Conſtantinopolim verſùs vela commiſere. Nec traiectus hic, vt periculo, ita pręſenti etiam diuini

Et iterum.

Numinis auxilio caruit. Inſequenti ſiquidem nocte, adaugentibus horrorem tenebris, atrox procella in nauim incubuit, vt vel expertiſſimi ipſi nautæ ab eo furentium ventorum certamine, vndiſque inſanientibus vltima pertimeſcerent. Imploratum illicò à noſtris cœli patrocinium, Mariana in primis tutela vnà cũm Andreæ Auellini nomine, vt iniicerent ſęuienti pelago frænum. Quamquam, inducta mox tranquillitate, acceptam illam retulere Franciſco Olympio, viro, quem aliàs memini, eximia ſanctimoniæ fama, cuius ſe ſe precibus Neapoli, vbi is degebat, commendauerant. Enimuerò cũ aliquot ex eius capillis repoſitos religionis cauſa haberent, eò omnes fiduciæ deuenere, vt putauerint, quod eſt in homine leuiſſimum, frangere ſuperbiſſimum, atq. indomitum mare poſſe. Ergo, concepta vnà ſimul quodam voto, capillos in efferatos eius fluctus proiecere. Nec mora: tempeſtas deſedit: atque adeò capillus, quem de capite iuſtorum non periturum, Saluator dixit, effecit ipſe modò, ne alii perirent.

Et à Franciſco Olympio tranquillitas.

In quo rerum diſcrimine id etiam accidit, quod de Iacobo de Stephano Verrazzani fide narratur. Sic enim verba, ex Italico, ne quis fucum timeret, in latinum tranſtulit noſter [a] Franciſcus Maria Maggius: Conſtantinopolim vehebamur; & Pater D. Iacobus Stephanius in ſeceſſu puppis B. Mariæ Virginis horarias preces græcè reddebat: cùm tamen nunquam græcè didicerit. Sed dum quatitur nauis, ab ingentibus fluctibus verberata, procidit Pater, & vitreum atramentarium labitur, & frangitur minutatim. Ipſe accurro: vitri fruſtula, & minutias, quæ quidem plurimæ erant, omnes in lance colligo. Querebatur Pater, ſe comitem ſuum amiſiſſe, ſed tamen peragit ſignum crucis; quo ſtatim particulæ illæ redintegrantur, & atramentarium, quale erat antea, reſtitutum eſt. Hæc Verrazzanus. Simile quid de Sanctiſſimo Benedicto, & Aretino Epiſcopo Donato legimus, qui fractum calicem ſalutari item ſigno inſtaurauit. Sed nos pergimus. Conſtantinopolim poſt tot pelagi caſus die eiuſdem Martii menſis tertia decima bono cum Deo peruenere. Et Orlandus, qui ſingulari

Quid Stephanio in eo itinere acciderit.

[a] Vit. Iacob. de Steph.

beneuolentia noſtros in eo itinere habuerat, non aliò diuertere illos voluit, quã ſuam in domum, quę iis, non vt aduenis, ſed vt dominis patuit. Viſum in primis, alterius ex Oratoribus, Veneti nimirùm, aut Galli, vti moniti Romę fuerant, gratiam occupare; vt eſſet, qui conſiliis, ac cœptis auctoritate, ac patrocinio opportunè adeſſet. Et quidem Venetus, & ſi animatus in eorum tutelam videri poterat, negauit, ſe nihilominùs nauare, inconſulta Republica, quicquam poſſe. Certos eſſe officii ſui fines; vt niſi quod ampliſſimi Patres disertè iuſſerint, complecti minimè fas eſſet. Conuenere mox Gallum, qui quòd ſuſpecta inibi omnia, nec tutum omninò, in clientelam Italos recipere, operam item excuſauit, ingenti cum Patrum ſenſu; ſed non deſperata prorsùs re, quando reſtaret adhuc ſacra iis anchora: nempè ad Deum preces, rerum difficillimarum nunquam non effectrices. Et verò, Oratorem dum alloquerentur, vocatus hic ad rem diuinam eſt, cui & ipſi dum interſunt, commendare

Conſtantinopolim perueniũt Patres.

Eorum patrocinium ſuſcipit orator Gallus.

ex

ex animo diuino Numini negotium inſtitere. Mirum ſanè dictu; expieto ſacro, qui
paulò ante patrocinium obfirmato quidem animo negauerat, induiſſe mentem lon-
gè humaniorem, viſus eſt: euocatiſque ad ſe viris, operam ſuam omnem inſigni
voluntate, ac magnificè exhibuit. Dimiſſi hinc Patres, eo aucti præſidio, ac gratia,
de proſequendo in Iberiam itinere tranſigere ſtatim cœpere. Etiam fluere cuncta
ex animi ſententia videbantur. Enimuerò aderat Conſtantinopoli è Georgia vir
princeps, qui legationem ad eam aulam obiuerat, ac remetiri tùm quidem iter,
re confecta, cogitabat. Ad hunc ſe ſe Patres adiungere, opportuniſſimum vide-
ri poterat: quando flagrante iam inter Turcas, ac Perſas bello, obſidebantur
vndique ab immani bellatorum hinc inde numero itinera, quæ eluctari cum Geor-
giano facilè poterant: ac præterea ſciens viarum Gens erat, aſſueta nimirùm vaſtiſ-
ſimis iis regionibus vltrò, citròque peragrandis. Agente igitur Gallo, qui ſemel con-
ciliandæ Georgiani Oratoris in noſtros beneuolentiæ ſolenni illum epulo vnà cum
iis excepit, eò deducta res eſt, vt certi iam de Iberi Principis voluntate, ad iter ſe ſe Pa-
tres compararent.

Inter hæc planè lætiſſima ecce tibi alia ex inopinato rerum facies, ac nihil non
Patribus aduerſum, ac triſte. Scilicet, qui ſummam ſibi tolerantiam, ac nihil nō atrox
pro Catholicę religionis incremento, ac ſalute animarum propoſuerant, eò nunc aleę
ſunt adducti, vt quod eſt malorum vltimum, imminere ceruici ſuæ viderint. Fuere
hi quidem ſupremi dæmonum conatus, vt egregium conſilium, atque ab ea expedi-
tione quæſtus, ac palmas præciderent. Attamen haud dubitandum, permiſſam à
Deo calamitatem, vt diſcerent viri fortes aſpera vſu contemnere, durarentque ad
tyranni minas, atque intentos iugulo gladios virtutem ſuam. Igitur, vt plures ſunt re-
gnantium aures, ac oculi, nempè exploratores, delatum ad Conſtantinopolitanum
Præfectum (erat is tùm Caimus Acchamus, qui ſupremi Moderatoris, Viſirem nun-
cupant, Perſico bello impliciti, vices adminiſtrabat) Coſmi Orlandi nauem, miſſum
à Romano Pontifice Patriarcham eò aduexiſſe; ac præterea religioſos viros, qui
fidei quidem cauſam prætexerent, cœterùm concitandis populis, ac perturbando
rerum ſtatui; tùm vt Turcarum conſilia explorarent, inoſque deindè Principes mo-
nerent, aduenißent. Nil æquè dominantium animos pulſat, quàm turbari ſceptra,
ac ſtrui Regnorum felicitati inſidias. Quocirca excandeſcere vehementer Præfe-
ctus Vrbis, atq. in Orlandum ea primùm procellæ vis detonuit. Conqueſtus nanque
minaciter, atq. aſperè cum eo is eſt, attuliſſe Roma Patriarcham: viros etiam ſpecie
quidem religioſi inſtituti, re autem vera exploratores, factioſique ingenii, atque ex-
citandis turbis idoneos. An ignoraret, creari ſibi potiſſimùm ab eo capitum aduen-
tu perniciem, ſuamque maximè dignitatem, ac vitam, ſi perſiſterent illi Conſtan-
tinopoli, periclitari? Traderet proindè homines, aut caput ſuum. Ad hæc Orlandus:
quod ad Patriarcham attinet, Epiſcopum Smyrnenſem illum eſſe, qui eò, non vt Pa-
triarcha, ſed vt religioſorum hominum Præſes, aduenerat, quorum controuerſias cō-
poneret; ac par eſſe, vt haberent eius regionis monachi, qui ius diceret. De Religio-
ſis verò non inficiari ſe, aliquot ex iis ſua naui vectos, ſed ignorare, quò ſe poſtea
proripuerint. Illud autem monitum ipſum velle, ſi ad pœnam repoſcerentur Na-
uarchi, qui aduenas eò adducerent, breui Conſtantinopolitanum commercium, ac
iter abruptum iri. Neque verò vſque adeò accuratum, ſolertemque Rectorem eſſe,
qui vectorum rationes omnes, ac negotia penitùs dignoſcat. Dimiſſus poſt hæc ea
conditione Orlandus, vt viros conquireret; qui domum reuerſus, rem omnem Patri-
bus intimo quodam animi ſenſu ſimul expoſuit, ſimul eos, vt æquo animo eſſent, eſt
adhortatus. Certum nempè ſibi eſſe, pro ipſorum ſalute fortunas ſuas profundere, ac
filium ipſum, familiamque omnem diuendere: ſperabatque fore, vt diuinum Nu-
men tantam hominum innocentiam, ſuamque in primis fiduciam non deſtitueret.
Iis ita monitis, rectà ad Regium Francorum Legatum, quicum id conſilii initum, vt
Hæbræum quendam virum, quadam cum Orlando amicitia initiatum, ſed qui ſum-
ma tùm apud Viſirem floreret gratia, atque auctoritate, conuenirent; idque in pri-
mis cū eo agerent, vt quando nullum compendioſius, ac certius, quàm à munifica
manu præſidium ſcirent, venalem Principis animum veſta ab Italia ſerici operis ſup-

Atrox in eos procella incubuit.

Delatique veluti exploratores.

Expetuntur ad ſupplicium.

Gallus Orator, & Orlandus de eorum ſalute, ſolliciti.

pellectili, ac pretioſis veſtibus caperent: in quã etiam ſpem intimos aulicos erigerẽt. Habręus, quem & ſua etiam ab opere manebat merces, nauauit ſtudioſè rem: quo ſtatim viſa, veluti inſperſis ſuccis melioribus, mitigata Caimi Acchami aſperitas: ac

Quo oris habitu morti ſe comparant.

tùm quidem ad illum iterùm adiit Orlandus, ac reperiſſe in publica hoſpitali domo religioſos eos viros, affirmauit. Cui ille: bene eſt: adduces, cum iuſſero. Interim manauit rumor, Præfecti mentem eam eſſe, vt homines capitis damnaret. Id quod & ad Patrum ipſorum aures peruenit. Qui quidem ad inſignem quandam, Chriſtianamque fortitudinem, hilaritatemque compoſiti, ſupplicii famam eo vultu excepere, ac ſi quid ſibi gratiſſimum, ac iucundiſſimum accideret. Dedere ſe ſtatim precibus, ac candidis vtcumque veſtibus induti, vt externo etiam habitu lætitiam præſeferrẽt; Principis nutum, ac mortem expectabant. Illud hic de Petro Auitabili non prætereũdum. Deſtinatus is, vti ſignificatum eſt, eius miſſionis Præfectus fuerat, locumque muneri conſentaneum modeſtiæ cauſa etiam tùm recuſauerat, ceſſeratque Iacobo Stephanio, qui ſenior profeſſione erat. At, vbi allatum eſt, agi de capite; ac nihil

Auitabilis principe loco mori optat.

propiùs eſſe, quàm poſci ad ſupplicium vnà omnes; tunc enimuerò reſtitui ſibi pia quadam ambitione principem, ac debitum officio locum voluit, vt omnium primus iugulum daret. Quod permoleſtum Iacobo accidit, qui non eam ſibi præripi laudẽ peroptaſſet: atque adeò quoddam de ſupplicii primatu excitatum inter ipſos certamen, neſcias generoſiùs, an ſanctiùs? Hic autem propioris lethi rumor cùm inualeſceret, Gallorum Orator, qui homines ſuam in fidem receperat, quamuis perſuaderet ſibi, ex vano iactatum: tamen, quòd rara Genti fides, addubitare vehementer cœpit: & non ſe, non illos deſtituere, apud animum ſuum ſtatuit. Planè, qui egregia in primis indole, ac ſingulari clementia, pietateque præditus erat, vſque adeo viſus commiſerari Patrum calamitatem, vt ab intimo eo ſenſu temperare vberrimis lachrymis minimè potuerit. Ergo intendere in eorum ſalutem conatus, neruoſque omnes. Viſirem adiit, quem cùm negotiorum mole preſſum compeřiſſet, præſtolari penè ad veſperam impranſum, oportuit. Impetrato deindè aditu, ſubire eius animũ

Apud Viſirem eorum cauſam perorat Gallus.

nullis non argumentis ſtuduit. Viros eos eſſe omni morum laude ſpectatos. Nihil ab eorum inſtituto magis alienum, quam Principum facta, aut populorum turbas. Pietatem eò illos, atque ad præcipua religionis per Orientem loca pertraxiſſe. Quicquid ſecùs inſuſurratum in eius aures fuiſet, ſciret, inuidiam euomuiſse, vt innocentiam perderet. Cœterùm teſtari ſe, religioſorum hominum conſilium, mentem, actus, vitam denique omnem longè ab ea criminatione eſſe. Valuit Oratoris apud illũ

Non ſine fructu.

facundia, ac ſtudium; effecitque, vt is, quam de iis admiſerat perſuaſionem, omninò detergeret: pollicitus, incolumes eos fore, modò Conſtantinopoli faceſſerent, atque in Italiam, vnde tranſmiſerant, redirent. Vix abiit Orator, cũ accerſito Caimus Orlando, vt homines ad ſe perduceret, iuſſit. Poſtulati ad pœnam vulgus credidit; & ipſimet Patres ſibi perſuaſerant, qui ſcire, quid Legatus cum Turca tranſegerat, nondũ poterant. Egreſſoſque Galatea, quæ Vrbs eſt propè Conſtantinopolim, vbi Catholici nominis viri degunt, plerique, quoad licuit, commiſeratione, ac lachrymis ſunt proſequuti; qui in templa ſe ſe poſtea recepere, vt funderent pro iis preces, quos pro certo habebant, ſuprema ſubituros. Dies is erat, quem Inuentę Crucis ſolennia proximè inſequuntur; vt ſanè obuerſari illorum animis Chriſti Domini cruciamenta, ac probra commodùm poſſent, quorum memoria aſpera quæque miteſcerent. Vt eos

Siſtuntur Viſiri Patres.

Caimus inſpexit, modeſtiſſimos quidem, & quorum vultus partim ab ærumnis pallor deuenuſtauerat, partim grata quędam generoſitas exhilarabat, diſertè pronunciauit, perſuadere ſibi minimè poſſe, tales eos eſſe, quales ſibi delineauerant. Emicare nempè ab ingenua oris ſpecie internam hominum probitatem. Nihilò tamen minùs vti inſita genti ſeueritate viſus eſt; illoſque eo quidem verborum apparatu interrogauit, vt denunciauerit, niſi verũ faterentur, ſolenni quodam ſupplicii genere documento vniuerſo Orienti ipſos fore. Sed aſpectui, atque eximię, quam præſeferebant;

Abſoluuntur, modò Conſtantinopoli faceſſerent.

modeſtiæ non diſſona fuere Patrum verba; ac ſumma quidem cũ animi æquitate, conſultòque cũ reſpondiſsent, eos omninò abſoluit Præſes, iuſſitque mox Orlãdo, qui a ſerat, vt ſuo nomine detineret, quoad Italiæ, iiſdem nempè terris, vnde aduenerant, reſtitueret. Illud ſanè dignum admiratione fuit, quòd qui Caimi latus tùm quidem

ſtipa-

ſtiparent, præcipuiTurcæ (humanitatis officiis minùs idonea quidem gens) cõmoueri ſingulari quadam ad vnum omnes commiſeratione viſi fuerint, ac muſſitare inuicẽ, eius indolis, atque inſtituti viros falsò delatos; quando pro eorum innocentia vultus ipſi perorarent. Reuixere igitur viri, qui ſe ſupremò mulctandos iam iam putabant. Cumque plurimũ ſe Francorum Legato debere profiterentur, qui, vti modò ſignificaui, incredibili quodam ſtudio ipſorum cauſam apud Vrbanum Præfectum propugnauerat; tùm Orlando potiſſimũ ſenſere ſe obſtrictos, qui præter cœteram diligẽtiam in diſcrimine ſummo rerum, explendæ Turcarum Charybdi opès non ſanè parcè effuderat. Nam, vt ipſemet poſtea Orlandus Franciſco noſtro Bolujto narrauit, redimendæ Patrum incolumitati ad tria fermè aureorum nummũ millia tunc inſumpſit; cumulauitque beneficentiam, ac pietatem longiore quodam hoſpitio. Siquidẽ ſoluere Conſtantinopoli non ante Septembris menſis exitum nauis potuit: quo tempore illos domi ſuæ habuit munificentiſſimè: cũ interim ipſi aduerſam eã fortunam excelſo, erectoque animo ferrent; nec deſperarent, fore, vt mutato ſubindè itinere, Iberiam tandem tenerent; atque adeò afflicti quidem, ſed non penitùs fracti, ac bona ſpe pleni, in naufragio velificationem generosè meditabantur; atque in eo toti erant, vt linguam cũ Turcicam, tùm græcam perdiſcerent, quarum vtramq. ad Apoſtolicæ Legationis munus, quod ſuſceperant, apprimè neceſſariam nouerant.

Quid operæ, ac æris inſumpſerit Orlandus.

Iam, ſimul atque maturum Coſmo viſum eſt, die nempè Septembris vigeſima octaua commiſere ſe pelago, ac perpetuo in Italiam curſu, intra ſeſquimenſem Meſſanã tenuere. Qua nocte applicita eſt ad eum portum nauis, Carolo Quarantæ, Sacerdoti ex noſtris religioſi moris id accidit. Quieti ſe dederat, cùm repentè excitari, atque inſuſurrari ad aures verba ſenſit: Surge, rediere iam Conſtantinopoli Patres. Simul ipſe expergefactus, ſimul oſtium domus inſonuit. Nec mora: primò quidem ad Præpoſitum Quaranta; & aduenifſe, ait, Conſtantinopoli Patres: deindè rectà ad ianuam, certumque hominem, ab Auitabili, ac ſociis miſſum cum literis reperit, quæ aduentum nunciarent: fuitque ingenti admirationi ea vox, ſiuè ſomnus eam expreſſerit, ſiuè quid ſuperioris nuntii, ac moniti inſomnii loco fuerit. Exſcenſus haud ita facilis vectoribus fuit; quòd graſſari Conſtantinopoli luem, rumor ſparſerat; & quæ eſt Meſſanenſium in eo portu diligentia, ac zelus, explorare accuratè rem voluere. Sed comperto, leui ſuſpicione famam niti, admiſſi vectores, ac nautæ; ac præter rem veſtiariam merces omnes. Meſſanenſes Patres cùm Auitabilem, ac ſocios, veluti morti ereptos, ac rediuiuos intimè, ac certatim complecti viſi fuerint; tùm ipſum in primis Coſmum Orlandum, qui incolumes duxerat, ac reduxerat, ac ſtrenuam adeò operã, tãtoque cũ ſui incommodo in tuenda eorum vita poſuerat, dici vix poteſt, quo ſtudio exceperint. Scilicet tantam hominis beneficentiam, ardoremque animi haud facilè compenſari vllis officiis poſſe, cũ exiſtimarent, ſuarum nihilominùs partium eſſe, agnoſcebant, velle, & conari. Moratus is eſt apud noſtros vnà cum filio, cui nomen Sebaſtianus, & Franciſco Verrazzano, quem memini, dies omninò tres, & viginti. Neapolim poſtea petiit, vbi par in ipſum à Neapolitanis Patribus ſtudium. Romam mox iter intendit; & à noſtris item munitus illi ad ampliſſimos de propaganda fide Patres, & ad Pontificem ipſum aditus, quibus quicquid Conſtantinopoli procellæ acciderat, ex ordine expoſuit, inſigni planè cũ elogio Auitabilis, ac ſociorum, qui tanta cũ pietatis, ac conſtantiæ laude turbinem exceperant. Demeruerat is porrò cùm præclara hac in noſtros, atque adeò in rem Chriſtianam opera, tũ aliis eximiè pietatis argumentis Romanam Sedem. Nam vti obſignatis Pontificii Patriarchæ Vicarii literis, eorumque, qui religioſis familiis Cõſtantinopoli præerant, teſtimoniis, quæ ſecũ attulerat, conſtabat, amplificandam apud latini nominis hoſtes catholicam religionẽ curauerat: tùm aliquas vetuſtate collabentes, aut in totum, aut ex parte ſuo ſumptu eccleſias reſtituerat. Ad hæc, pleraq. etiam Turcarum Principis cõſilia, quę atterendæ Romanæ rei cudebantur, ſubmiſſis clàm monitis, detexerat, aliaque digna laude id genus facinora patrauerat, Vir morum etiam præſtantia, atque integritate ſpectatiſſimus; quæ ſanè aliquod à Romana munificentia præmium meruiſſent, cũ ne rectè facta ſua deſtitueret merces, tũ etiã, vt incitamento, exemploque aliis eſſet remuneratio. Sed, vt hæc in magno rerum æſtu, ac negotiorum multitudine rarò diligentiùs examinan-

Iter in Italiã intendunt.

Quid iis, Meſſanã aduentãtibus, Carolo Quarantæ acciderit.

Orlandus humaniter exceptus à noſtris.

Eius apud Romanam Sedem promerita.

nantur, abiecit illicò ſpes ſuas, ac Florentiam ſe recepit; vt exhauſtus penè iam annis, poneret in Patriæ ſinu ſpiritum, quem tàm diuturno maris commercio, totque procellis, ac variis caſibus exerçuerat.

Reuertimur modò ad noſtros. Sub id fermè tempus, quo Otlandus vela Neapoli fecit, acceptis illi Roma ab Auguſtis Patribus de propaganda fide literis, iuſſi, Melitam iterũ remearent. In anchoris ibi nauigium eſſe, quod ipſos Alexandretã, quæ Vrbs eſt in Syria, tranſueheret. Intempeſtiuus hic ſanè Ioanni Philomiæ nuntius accidit; qui, quòd Conſtantinopoli grauiter ægrotauerat, ac longa deindè enauigatione affectas adhuc vires maris incommoda magis attenuauerant, committere ſe tùm quidem laborioſiſſimo iterũ itineri abſque aperto vitæ diſcrimine minùs poterat. Ergò, quòd iuberent Romani Patres, & præſto eſſet Melitæ nauis, vt ſimul, & obſequi promptè viderentur, & occaſionem maturè arriperent, relicto Philomia, ſoluerũt Meſſana Auitabilis, & Stephanius, ineunte Decembri menſe. Profectioni adornari prætextum oportuit, vt conſilium clàm haberent. Sçpè enim magna rerum momenta rumor corrupit: tùm vt Meſſanenſium procerũ, qui abire amantiſſimos Patres, ægrè ferebant, proces luderent: ac ſe quidem ad paucos dies excurrere Melitam euulgarũt: ita iubere Patrem Generalem, vt quædam inibi pœnitẽtium mulierum, quas instituere olim cœperant, commoda accurarent; reuerſuros, vbi aſceterio pro modo conſuluiſſent. Melitæ eodem, ac antea hoſpitio, iiſdemque excepti Equitum ſtudiis fuere. In Amponio præſertim, quem ſupra memoraui, nihil ſuperioris munificentiæ, ac ſplendoris deſideratum: cumque commeatu abundè illos inſtruxiſſet, veſtes etiam Gallicum in morem conficiendas expenſis ſuis, curauit. Vti ſiquidẽ eo indumentorũ genero oportebat, vt tutiùs mercatorum habitu ſuas merces, hoc eſt, Chriſti Euangeliũ ad remotiſſimas eas nationes aſportarent. Præter hęc, ſeruus Amponio erat, Claudius nomine; homo Gallus, Turcici ſermonis non ignarus, fidus quàm qui maximè, ac commodis omninò moribus. Hunc, vt ſuæ diſciplinæ adiungerent, opportunum nempè domeſticis miniſteriis, non mediocri quidem cum ſui incommodo iis perſuaſit. Admiſſus iam is fuerat communi ſuffragio à Diſcalceatis Patribus, ac propè erat, vt habitum indueret. Sed, quam ſupra commemoraui, addicta Iacobo de Stephano excellentis ſpiritus monialis in pœnitentium cœnobio, illi prædixerat, non ad illum, ſed ad alium fore Ordinem cooptandum. Quod modò ex inopinato accidit; exceptuſque egregia volunrate à noſtris eſt: qui tamen, ne inſitus Gallorũ genti ardor, ac impetus deciperet, probare diuturniore periculo illum voluere; ac nonniſi longo poſt interuallo Theatino habitu induerunt. Melitæ non diù morati, Alexandretam ea, qua dixi, naui curſum intendunt, ac feliciſſimè enauigatum. Hinc ſtatim Hierapolim, Alepum vocant, ſe contulere. Gratulari hic ſibi propitium oppidò Numen, contigit. Agebat hic ſiquidem è Gallorum gente Conſul, cum paucis pius, atque eiuſmodi præſertim ad barbaras nationes expeditionibus, religioſiſque viris, qui tanta cũ laborum perpeſſione eas procurant, addictiſſimus. Huic Patres ſui conſilii rationes omnes expoſuere: qui non opportunis modò monitis, ſed inſigni etiam opera, atque officiis adfuit: ita vt cum, obſtrictos ſe omnigena egregii viri benignitate cernerent, ne deeſſe gratitudini viderentur, quæ deſtinauerant Iberiæ Regi munera, dare illi decreuerint. Sed recuſauit Conſul, cui propoſitum opus, non operis pretium erat. Alterũ hic præſentiſſimum à religioſo viro præſidium iis fuit. Etenim cũ exhauſtis iam penè magnis ſumptibus, ac vectigalibus, quæ ſoluere in iis terris peregrini coguntur, conficiendo reliquo itineri non ſufficerent nummi, Franciſcus Quareſmius è Franciſcana familia, quam ab Obſeruantia appellant, qui eius tùm Vrbis cœnobio præerat, corrogata à pleriſque familiaribus pecunia, ſupra ducentos nummos aureos iis mutuo impetrauit: Quæ poſtea nomina diſſoluta Romæ ſunt à ſacra de propaganda fide Congregatione, tranſmiſſumque Hierapolim aurum. Porrò Hierapoli, vbi quatuor omninò menſes ea tenuit commoratio, operam Turcicę linguæ eo ſtudio nauarunt, vt non modò expeditè ipſi loquerentur, verùm etiam grammaticas eius linguæ inſtitutiones, ac dictionarium accuratè lucubrauerit Stephanius. Quę deindè commentaria miſſa ad ſacram Congregationem fuere. Porrò arduũ hinc ad Georgianos iter. Diſſecãda nanque Perſis, atque Armenia, ac primo loco terenda Arabię deſertus. Quo

Remetiuntur Melitam iter. Patres.

Melitæ eadẽ in illos Equitũ officia.

Adſcriptus inter fratres laicos Claudius Gallus.

Alepũ ſoluunt.

Gallorum Cõſulis in ipſos ſtudium.

ſanè

ſanè tranſitu à longiore regionis tractu,ab æſtu, à cœli grauitate, ab Arabum latrocinijs,ab omni ęrumnarum genere nihil eſſe mortalibus infeſtius poteſt. Mos eſt, inſtructa ſtatis anni temporibus hominum multitudine,cateruatim,nec ſine armorum pręſidio iter conficere: cùm vt leniat viæ faſtidium numerus, tùm vt graſſatores Arabes terreat armatorum agmen. Hoc autem anno, qui inſtitui Maio menſe huiuſmodi mercatorum curſus debuerat,differri ad Iunium, ſeriùs profectò, quā par erat, oportuit. In cauſa fuere, quos dixi, Arabes,quos,quòd rumor attulerat,in ingentem quandam vim excreuiſſe, expectare aliquandiù opus fuit, quoad viatorum etiam phalanx,adaucto in dies numero,ad latronum metum,ſuamque ſecuritatem excreſceret. Numerati in eo commeatu cameli circiter octingenti,vt ſanè veluti ad quandam bellorum expeditionem exercitum exprimeret,diuiſum in centurias, ac cohortes agmen: cui aggregati noſtri homines,Iunio exeunte anno huius ſeculi vigeſimo octauo itineri ſe ſe bono cū Deo commiſere. Tenuit id per deſertum iter dies circiter quinquaginta,quanto cū corporis, viriumque diſpendio,quo angore animi, ac penè deliquio haud facilè dictu eſt. Grauiſſima vel aſſuetis ea quidem incommoda. Quibus autem inſolens omninò cœlum,aer, atque aſſidua cū ærumnis lucta; coniectari facili negotio quis poteſt,quantū eos affecerit prolixa per difficillima loca peregrinatio. Calor, mordente nimirùm feruentiſſimo ſole,ſupra hominum tolerantiam: ſitis immodica: nullæ niſi peſtilentiſſimæ aquæ, atque adeò fæculentæ, vt ne abluendis quidem manibus adhiberent: quas tamen exſorbere aliquando, ne ſiti enecarentur, oportebat: camelis deindè vehi,planè moleſtiſſimum: noctu habere plerumque iter horroris plenum: ſparſa identidem fama,adeſſe Arabum turbas,nimium quantū animos ſolicitaret: ad hæc,languere interdùm, tentarique morbo accidit,nec datum ſubſiſtere aliquantiſper, ac ſpiritum mora recipere, ne ſe maiori cū diſcrimine à reliquis disiungerent. His, aliiſque ſtipati ærumnis, Arabiam emenſi, Babyloniam peruenere: nec mitior ſanè meta,quàm curſus fuit; ita vt teſtetur Auitabilis, datis ad noſtros,ac ſororem literis, viſum ſibi in ipſo Babyloniæ aditu inferórum loca inireſcui & eo potiſſimū nomine moleſtiſſima ea Vrbs fuit. Nam cū ſub id maximè tempus populare inibi ſanguinis profluuium mortales vexet,ac plerumque conficiat,interceptus hac lue Auitabilis,periculosè decubuit. Sed quòd tū Magnæ Dei Matris in cœlū Aſſumptæ recurrerent feriæ,eius ope intimo quodam animi affectu implorata, conualuit,ſurrexitque è morbo ea quidem die,quam deſignauerat: quo pergere cùm reliqua multitudine, ac continuare iter potuit. Itaque Babylonia egreſſi die Auguſti duodetrigeſima, Diuo Auguſtino ſacra,in Perſidem iter intendunt. Id hic adnotandū, Babyloniam, Caſbiam, Aſpahanum,pręcipuas quidem Vrbes,& quam poſtremo loco nominaui,Perſarum Regum ſedem,ad trigoni formam collocatas inter ſe ſe eſſe, ac diſtare inuicem trecentis circiter milliaribus. Georgiam verò Babylonia petentibus, cum per Caſbiam,tū per Aſpahanum æquè expeditum iter patet. Ac primò quidem Patres Caſbiam cogitabant, iamque illam versùs non exiguam vię partem vnà cum reliqua multitudine confecerant. Verū cùm allatum eſſet, in ea tunc Vrbe Perſarum Regem cum exercitu eſſe,vt belli exitum,quòd tùm quidem Turca quibuſdam cum perduellibus gerebat,inſpiceret; moniti ſtatim à pleriſque catholici nominis Armeniis fuere,vt mutato commodū conſilio,ac itinere, Aſpahanum contenderent. Georgianū ſiquidem nomen ſuſpectum,inſenſumque Perſis tunc erat, ardebatque inter eos Principes odium, ac bellum; ac proindè fore, vt ſi in Regem inciderent, aut plecti capite contingeret,aut certè reuerti eius iuſſu cogerentur; feciſſentque id etiam operę pretium, quòd Aſpahani Diſcalceatos Patres conueniſſent, quos alloqui, non ipſos profectò pœnituiſſet. Præſertim quòd inibi ageret ex eadem diſciplina Ioannes Thadæus à S.Eliſæo, Perſicæ olim miſſionis Pręfectus, qui elata aliquot ante annis Theimurazii, Iberiæ Regis Coniuge, legationem ad illum Perſæ nomine obiuerat, exceptuſque ſingulari quadam honoris ſignificatione, quà legatus, quà homo religioſus fuerat,à quo non pauca quidem de itineris ratione, tū de religionis, ac gentis moribus cognouiſſent. Quod ſanè conſilium iis ſedit; flexaque ad Septemtriones via, Aſpahanum die Septembris quarta, & vigeſima peruenere. Rectà ad Auguſtinianorū cœnobium ducti. Sed qui nonnihil offenſi Abbanti Perſarum Regi Patres tūc erant, di-

Viæ ſe ſe per Arabiæ deſertum committunt,

Babyloniæ tētatus morbo Auitabilis.

Sed implorata Maſsana ope, cōualuit.

Babylonia Caſbiam petunt.

Sed mutato dein conſilio, Aſpahanum flectunt

diuertere ad illos noſtri recuſarunt. Regiæ indignationis cauſa ea erat. Luſitanorum Oratores apud Perſarum Regem Auguſtiniani agunt. Accidit porrò, vt Luſitani in Ormuziano, quod tũ quidem flagrabat, bello Perſas Oratores iure, an iniuria ceperint, ac detinuerint. Quod vbi Regi nunciatum eſt, vt par pari referret, Luſitanos viciſſim Oratores, hoc eſt, Auguſtinianos Patres, carceri mancipau t. Iam, quòd Regum inuidia, ceu popularis quædam lues facilè ab vſu, ac communione in alios tranſilit, abſtinuere prudenter ab eorum conuictu noſtri, atque ad Diſcalceatos ſe le Patres tranſtulere. Viſi profectò in religioſiſſimorum hominum complexu, ac beneuolentia reſpiraſſe: ac recreandę quidem vires erant à prolixiore eo itinere, quod nihilo ſanè mitius fuerat, quàm per deſertum. Confici nanque clitellariis equis oportuit, quibus nihil ignauius, ac moroſius; vt pedibus interdùm ire ad leuamentum aliquod libuerit. Ad hæc, quà rerum, quà nummorum difficultate ad panem vix paucos aliquot fructus adhibuerant: ærumnaſque id maximè cumulauerat, quòd ęgrotare ſucceſſiuè omnes contigerit, morbumque in doſſuariis iis, quæ dixi, iumentis, veluti in molli culcitra, nunquam intermiſſa peregrinatione, benignè accurauerant. Et Auitabilē quidem tàm atrox, ac pertinax inuaſit ſemel febris, vt deſperarēt omninò fore, vt iter continuarent. Sed orata iterum Deipara, paſſa eſt exorari, ac ſupra medicas rationes adfuit tempeſtiuè cœleſtl pharmaco, liberauitque morbo quidem clientem ſuum, ſol citudine reliquos. E regia hac Vrbe die Septembris vndecima digreſſi, Taurim peruenere die nona Nouembris: Cùmque ab omnigena ærumna hoc iis iter acciderit moleſtiſſimum; tùm maximè præfractę, inurbanęque indolis mulio illos vehementer exercuit. Supra pactam iumentorum mercedem alios perſæpè nummos poſtulare: ni confeſtim ſoluerent, nullis non incommodis afficere; ſolos interdum deſerere; vt ſarcinas ipſi equis imponerent, ipſi deponerent: verborum deindè contumeliis illos identidem petere; aliiſque huiuſmodi blandiciis inceſſere: quibus cùm ipſi ſingulari beneuolentia reſponderent, nihilò melior barbarus efficiebatur, ab officiis, atque humanitate longè contumacior. Adhæc, cubare humi frigidiſſimo cœlo, appetente iam hyeme, atque inſtrata interdum niue terra, ſua duntaxat penula coopertos, oportuit. Laborare à ſtomacho, ac ſolui Auitabili aluum contigit; vrgendumque nihilominùs iter fuit, vt reliquorum veſtigiis inſiſteret. Semel is ipſe aberrauit noctu via; quo nihil in ignota ea regione periculoſius; ac tùm quidem, vt ipſemet ſuis ad noſtros literis teſtatur, inuocato Tutelari angelo, admirandum in modum reſtitutus viæ regiæ, ac ſociis fuit. Illud non vltimum ſanè eius viæ incommodum: miſceri cum eo viatorum cœtu militares copias, quas Perſarum Rex Casbiam euocabat. In iis Georgiani plerique, ac Armenii Catholicæ religionis deſertores, perditiſſimi omnino ingenii viri; qui quòd Europæos eſſe noſtros, nouerant, cùm excuſare impietatem ſuam apud ipſos importuniſſimè conabantur, tùm eorum iter, conſilium, intentionē inueſtigare omni ope contendebant. Quapropter vereri ſibi maximè ab ea hominũ fæce; ac nihil propriùs eſſe, intelligebant, quàm deferri ad Regem, ac ſuprema pati; quæ illos ſolicitudo Taurim vſque diuexauit. Hinc verò die vigeſima ſecunda Nouembris profecti, Alingiam petiuere. Prouincia ea eſt in Armenia, quam etiam Naxiuanum vocant, ab orthodoxa religione, atque à Dei, morumq. cultu florentiſſima. Ingens planè diuini Numinis beneficium, quòd in tanta vicinarum nationum ſuperſtitione, ac caligine terrarũ hic angulus tanta cum pietatis laude Romanum nomē, lucemque fidei ſeruet. Dominicanę familię ea præcipuè ſeges, ac gloria. Ex eo nēpe Ordine ſacrorum ibi Antiſtes, Archiepiſcopi nomine rem Chriſtianam adminiſtrat: tùm diſtributi per cœnobia, ac pagos religioſi ex eo etiam cœtu Viri, per ſummos quidem labores, ac ſingulari induſtria populorum inibi indolem, mores, fidem ſtrenuè informant. Armenio idiomate hi laudes perſoluunt, ac rem diuinam conficiunt. Cæterùm ad Romanum ſe ſe ritum, quoad fieri poteſt, gentemque ſuam componunt. Præcipua eorum ſedes Abrehenum oppidum, vbi frequentiſſimum eius diſciplinæ monaſterium. Defunctus tùm quidem fuerat gentis Archiepiſcopus: eapropter regi Georgianum conſilium opportunè potuit. Euulgatum ſiquidem, ſubmitti homines in Alingiā à Romano Pōtifice, vt elato pridē Archiepiſcopo, Chriſtianā in ea Prouincia religionē auxiliari ea ope iuuarēt. Porrò excepti in eo cœnobio charitate, huma-

nita-

Ad Diſcalceatos Patres diuertunt.

Auitabilis itero à Mariana ope conualeſcit.

Aſpahano Taurim iter longè moleſtiſſimũ.

Alingiæ Prouincia.

Cuius religionem Dominicani Patres procurant.

nitateque planè incredibili. Exoſculari certatim eorum manus Dominicani Patres; pedes in eccleſia conſeſtim abluere: aram deindè ad miſſæ ſacrificium concinnare; quòd ſanè, collachrymantibus præ gaudio, qui aderant, obiuere. Qui Aſceterium tùm procurabat, Auguſtinus nomine, illos etiam, atque etiam rogare, vt ibi conſiſterent, vineamque, conſociatis operis, excolerent. Non defuturum templum, ac tectum; vitæque tolerandæ victum ſe etiam ſuffecturum. Sed qui deſtinati Romani Pontificis iuſſu ad ſuam Prouinciam fuerant, fungi ea legatione, ac ſequi ſuam Sparthammaluerunt.

A quibus excepti noſtri religioſiſſimè.

Ab Alingia per Erauanẽ, quæ Vrbs eſt Armeniæ, in Georgiam iter; quod quia inſolens, nec adeſſent, vti per reliquum Orientem cuneatim comites, duos ex eius cœnobii Patribus viæ duces impetrarunt. Atque in eo quidem itinere probata vel cũ maximè eorum conſtantia, ac robur; fuitque plena omninò timoris, ac periculi vltima hæc ſcena. Rati ſiquidem Patres viam contrahere, dum aliquantiſper deflectunt, in grauiſſimum diſcrimen incidunt. Militum phalangem offendunt; qui cùm illos in Georgiam tendere cognouiſſent; ſuſpicari illicò cœpere, eſſe vix poſſe, quin homines Europæi Iberiæ Regi vim auri ab Europæ Principibus ferrent, vt bellum contra Perſarum Regem continuaret. Quare ſarcinas euoluere, anquirere, diuexare. Sed abrupta ea inquiſitione à loci Præfecto in ſpem quidem pecuniæ: nam rarò non in pecuniam collimat ea gens; abiere quidem milites: ſed Erauane apud eius Prouinciæ Præſidem, Canum vocant, magnam iis calumniam, atque inuidiam conflarunt; vrgebatque cæteris impotentiùs accuſationem Armenius quidam, cui nomen Iannazzarius, vir improbus, qui è fide orthodoxa in Mahometi caſtra nuper transfugerat, deditque non ita poſt multò ſcelerum pœnas ſupplicio: Ergò vix Erauanem peruenere, cum detenti ipſi quidem fuere; & ex Dominicanis, qui eos comitabantur, altero quidem fuga elapſo, alter vinculis etiam eſt mancipatus. Perſuaſerant nempè ſibi Perſæ, extorqueri ab eo poſſe noſtratum cùm conſilium, tùm opem, aurumque, quod Georgiano ferrent. Planè ſuppetias hoſti ire, atque in Perſarum Regem præſenti ope illum concitare, nihil enimuerò iis obiici capitalius crimen poterat; eòque triſtari vehementer, ac premi; ſuſceptoque pro periculi magnitudine voto, Deo polliciti ſunt, fore, vt annum integrum prima ſinguli cuiuſque menſis ſexta feria ieiunium pane, & frigida ſeruarent, ac corpus cruenta verberatione inceſſerent: quod ſemel, ac iterum, creſcente nimirum animi anguſtia, vitæque diſcrimine, inſtaurarunt, atque ad tertium etiam annum prorogarunt.

Hinc Erauanẽ tendunt,

Vbi ſupremũ periculum ſubeunt.

Procellæ deprecandæ votum concipiunt.

Adducti mox ad Præſidem: ac tũ reliqui milites, tũ ipſe in primis Iannazzarius peracri criminatione inſiſtere, atque id etiam, atque etiam inculcare: prolixiùs illos in Perſarum legem inuexiſſe, quod quamuis conſtanter ipſi repellerent, ea nihilominùs eorum, qui aderant, ſententia fuit, vt veluti criminis manifeſti, capitis damnarentur. Ea verò potiſſimũ de cauſa actum de ſe Dei ſerui, exiſtimarunt. Nã vbi adducti ad Præſidẽ fuere, id in primis ex eis ſciſcitatũ, quando in Iberiam contenderent, an ad Mouram irent, aut literas ad eum ferrent? Negarunt ipſi, cum reuerà eas ferrent. Petentibus ſiquidem noſtratibus, Nicephorus, quem ſupra nominaui, Georgiani Regis Orator Meſſanæ eas ad illum conſcripſerat, ac miſſæ deindè Auitabili Melitam fuerant', quas Mouræ redderet. Erat is Georgianus quidem patria, ſed qui auitam fidem impiè deſeruerat, vi bellica inter paucos clarus, Perſiſque infenſiſſimus; ac ſemel quidem viginti eorum millia ex inſidiis trucidauerat. Eapropter nil oderat Perſarum Rex vehementiùs, quàm Mouræ nomen; ac non ſemel pronunciauerat, daturum ſe quidem vltrò Regni dimidium, modò vlciſci illum pro libito daretur. Ergò cùm certò ſcirent Patres, exploranda quàm attentiſſimè ſua omnia, non dubitabant, fore, vt quàm negauerant epiſtolam, Perſæ reperirent; atque adeò, iis acriùs concitatis, peroratam iam cauſam, ac ſe morti proximos, reputare. Quamquam qui ſupra mortalium conatus, ac potentiam Deum nouerant', freti præſidio ſuperum, nunquàm eò ſunt adducti, vt animum deſponderent. Iam, qui ſibi perſuaſerant Perſæ, opes, ac vim pecuniæ in Georgiam illos afferre, diſquirendum quàm accuratiſſimè quicquid rei veherent, duxere. In Iannazzarii contubernio, in quod, veluti in cuſtodiam traducti religioſi viri fuerant, quæſtio inſtituta. Explicatæ contemptu quodam ſarcinæ: nihil non euoluere, miſcere, perſcrutari. Præter pauca, ac vilia ad corporis, vitæq. cultum, nihil niſi dicatum ſacrorum vſui, atque altarium

Ducuntur ad Præſidem.

Præcipuus à Mouræ literis timor.

Mouræ nomẽ infeſtũ Perſis.

Euoluuntur Patrũ ſarcinæ.

miniſterio in ea ſupellectili erat; quam, quæ eſt improborum impudentia, profanis ſtatim vſibus animo deſtinarunt: vt calicem quidem pro cratere adhibere cogitarent, pyxidem pro ſalino, pro mulieris ornamentis vela, pro militum Laciniis ſacerdotum indumenta, aliiſque ad alia detortis: quæ poſtea mirum quo ludibrio, ac militari licentia, geſtuque ad Canum detulere. Exarſit tùm quidem vehementer Iacobi de Stephano vel inter barbarorum manus, & contumelias zelus. Icon in iis ſarcinis apparuit Sanctiſſimę Trinitatis non eleganti quidem ſchemate, ſed quam principe cultu venerabatur Stephanius eò maximè nomine, quòd illam, quo die aggregatus ad noſtram Sodalitatem eſt, dono à piiſſimo Viro, Franciſco Olympio acceperat. Hãc vt quidam ex iis tenebrionibus, religione Turca, inſpexit, auerſari, contemnere, afflixitque deriſus gratia in terram. Tunc ille procumbere in genua, ac demiſſiùs adorare: mox vultu, ac verbis ſupra captiui conditionem improbum intrepidè arguere: qui non inflammari iracundia, aut mulctare ſuperbè hominem viſus eſt; ſed compoſitus ad quandam modeſtiam, ac venerationem, adorare & ipſe Iconem cœpit. Id quod non ſine ingenti omnium admiratione contigit. Seruatur hodieq. penes noſtrum Franciſcum Mariam Maggium hæc effigies non ſine mortalium fructu, ac beneficiorum experientia, quæ in illam religio, ac fides impetrant. Illud verò in hac rerum peruestigatione pręſentiſſimi Numinis opem, ac tutelam oppidò luculenter oſtendit. Enimuerò cùm plurimi, iiq. intentiſſimi in rem inſpicerent; vt aliquid tot oculos effugeret, impoſſibile omninò videri poterat; tamen, quas dixi, ad Mouram literæ eorum obtutibus, ac diligentiæ penitùs ſubductæ; vt nonniſi diuina id ope factum, putarint Patres. Quocirca abeuntibus ad Præſidem militibus, nihil illis prius fuit, quàm igne excitato, illas inter gratiarum actiones, hymnoſque, ac vberrimos fletus comburere: quo ſanè veluti magnam periculi partem euaſiſſent, aliquantiſper in ſumma ea rerum difficultate reſpirarunt. Adfuit verò mox difflando omninò turbini Deus. Siquidem vbi ſacram eam ſupellectilem, ac pauperes religioſorum in morem amictus Canus inſpexit, ſuſpicari fucum cœpit; ac quiduis aliud afferre illos Iberiæ, quàm theſauros, ac continuando bello adiumenta, ac nummos putauit. Quare abſoluendos cenſuit, iuſſitque libertate donari, ac reddi iis cuncta pręter ſacras quaſdam imagines, quas ipſe, earum captus elegantia, ſibi retinuit. Nec mora è Iannazzarii domo, vbi interim detinebantur, in Armeniorum quorundam monachorum cœnobiũ, quò primò diuerterant, ſe tranſtulere: qui quidem graui eo periculo defunctos, ac ſibi reſtitutos, viſi incredibili gratulatione, atq. humanitate cõplecti. Paucos hic dies morati, vt aliquãtiſper ab ea ſe ſe tẽpeſtate, atq. incõmodis reciperent, die Decẽbris ſexta iter cõtinuarũt. Teflim, quæ Vrbs eſt Cartuli, Turcarũ Regi obnoxia, die duodecima peruenere: tũ intra biduũ in Themurazii Iberiæ Regis principẽ Ciuitatẽ, cui nomen Goris, ſe intulere; die videlicet, eius menſis quarta decima: qua die Diuę Chriſtianæ Ancillæ, quã dixi, Cõſtantini magni Cęſaris tempore Georgianos populos ad Chriſti fidem cõuertiſſe, peruigiliũ Eccleſia celebrat. Traxere hinc quidem omen ponendę cũ fructu, ac fauſtè operæ: veluti adeſſet præclaris iis cœptis ſanctiſſima fœmina, ac ſimul polliceretur, fore, vt quod ipſa olim diſſeminaſſet, ingenti ipſi cum fœnore poſt circumuoluta tot annorum, atque ætatum ſpatia demeterent.

Stephanii pro ſacra Icone zelus.

Requirentium oculos fugiunt Mouræ literæ.

Dimittuntur Patres.

In Georgiam perueniunt.

Biennium & eò amplius hoc iter tenuit, ex quo primò ab Italia ſoluerunt Apoſtolici ii viri: atque in eo nihil non aduerſi toleratum. Coniuraſſe pelagus, venti, barbarorum ferocia, morbi, dæmones viſi, vt viam Euangelio intercluderent. Supra vires, & communem hominuum patientiam fuere ærumnæ, quę dum aliæ alias excipiunt, nullus iis reſpirandi locus fuit. Verũ inſpirata generoſa quædam à Deo indoles, atque arcanus vigor, quo nullæ non emollitæ locorum difficultates, ac nulla non cœli, turbinum, gentium monſtra inuicto pectoris robore, ac firmitudine profligarunt. Iſthæc autem eluctati, quæſitam tot corporis, animique anguſtiis Iberiam quo animi ſenſu tenuerint, dici vix poteſt. Gratulari vehementer perindè ac ſi reſtituti patriis laribus fuerint: grates Deo maximo agere: excidere ſtatim animo regionum vaſtitatea, iuga montium, æſtus, hyemes, efferatæ nationes, ac reliqua, quæ exantlauerant, ſiuè incommoda, ſiuè portenta. Adaugebat verò magnoperè gaudium; quòd in Iberiam ab ea quidem parte penetrauerint, vbi Thei-

mu-

murazius regnaret, qui auita quadam in Sanctam Sedem obſeruantia, cum quicquid Romana ſacra pręciperent, tū Romanum ipſum Pontificem peculiari ſtudio venerari videbatur. Quo quidem fore, ſperabant, vt qui à ſummo eo ſacrorum Principe mittebantur, faciles cū Regis, tùm populorum aures, animoſque ſuæ legationi reperirent. Quamquam ſi regionis, ac publicæ rei ſtatum ſpectes, nihil vſpiam terrarum ea erat tempeſtate calamitoſius, quàm illa Iberiæ Prouincia. quam Perſicus furor immani quadam clade, ac depopulatione longè, latèque deuaſtauerat. Quam ſupra innuimus hiſtoriam, hic commodiorem nempè in locum, nec quidem fuſiùs, denarrandam duximus. Implacabile quoddam odium in Theimurazium, ac Luarſabum, illum Cacheti, hunc Cartuli Principem, vti in loco ſignificatum eſt, cōcepit Perſarum Rex Abbas; quòd ardente inter ipſum, & Turcas bello, medii ſe ſe, dubiique præſtiterint viri, in id potiſſimùm intenti, ne in vicino eo bellorum incendio partium ſtudiis alterum ex iis in ſe concitarent. Iram vt effunderet Perſa, adornare, atque arripere maturè occaſionem. Luarſabi ſororem Theimurazius in matrimonium duxerat, quam ſibi antea pollicitam, Rex contendebat. Igitur, ceu graui iniuria laceſſitus, inſtructo florentiſſimo exercitu, atq. ad Iberiæ fines ex improuiſo caſtrametatus, hunc ad Principes nuntiū miſit. Adirent ipſum vterque: habere, quid eos moneret: atq. interim nuptam Theimurazio, Luarſabi ſororem ad ſe perducerent: ſuam eam eſſe, ac ſibi velle, qui nuptias, ac thalamum anteuerterat. Perculit improuiſum hoc fulmen Principes. Irent, recuſarent; vtrumque plenum aleæ. Propius erat malum quàm vt arceri prouidentia, atque aliquo armorum apparatu poſſet: idque maximè animum pulſabat, quòd plerique è Georgiana nobilitate, quos antea ſibi beneficiis, ac ſtudiis Rex Perſarum aggregauerat, infenſi Patriæ, ac Dominis, erectique ſpe luculentioris fortunæ, à Perſis ſtabant; iiſque viam munibant; atque opportuniora traducendis ad intima Iberiæ copiis loca edocebant.

Iberiæ tùm ſtatus luctuoſiſſimus.

Occaſio, & cauſa.

Et Luarſabus quidem metu, ac præcipiti conſilio Regi ſe ſe credidit, qui ſtatim in interiorem Perſidis partem ad mare Caſpium ab eo eſt amandatus: vnde mox reuocatus, cùm reſtituendum ſuis faſcibus, ac terris, ſibi quiſque perſuaderet, iuſſus dare iugulum, ærumnas, ac vincula fato aſperiore cumulauit.

Luarſabus Cartuli Princeps a Perſa plectitur.

Theimurazius verò ſuæ dignitati, vitæque cauendum etiam, atque etiam ratus, prætextu in ſpeciem adornato; acceſſum bellè excuſauit. Interim Matrem, piiſſimam Principem, Keteuanam nomine, ſororeſque duas, duos item è priore coniuge liberos ad illum miſit: cùm vt obſequium, ac fidem iis carorum capitum vadibus teſtaretur; tū maximè, vt Mater, quę prudentiſſima erat fœmina, ac Regem aliàs conuenerat, moreſque, ac indolem nouerat, illum filio propitiaret. Quod ſecùs accidit. Lōgè ſiquidem implacabilius Regis odium erat, quàm vt mulceri fœminæ eloquentia, ac lachrymis poſſet. Efferbuit itaque Rex vehementer. Nobilis illa caduceatrix, ſororeſque, quas dixi, ac Principis filii quàm longiſſimè ab Iberia, Scirazii, quæ Vrbs eſt in vltimis Perſidis finibus, exulare iuſſit: atque interim facto ipſe gradu, ac impetu, Georgiam ferro, ac igne aggredi.

Theimurazius allegata ad Perſam matre,

Quod vbi Theimurazius cognouit, cui non ſubditorum fides, non copiæ, ac nulla prorsùs retardando turbini præſidia erāt, ſuæ incolumitati fuga conſuluit, atque vnà cum lectiſſima Coniuge apud Imereti Principem, in interiorem, ſcilicet, Iberiam ſe recepit, relictis hoſtium excurſionibus, furorique ſuis terris, in quas nulla non illata incommoda. ac vaſtitas. Sæuitum nullo delectu, atque vltra vulgaris ferociæ modum. Corrupta vbiq. ſegetum, ac cāporum vbertas; euerſa penitùs oppida; diruta à fundo tecta, direptæ opes, aut exuſtę; & ne quid Iberiæ in ipſa remaneret Iberia, aſportati in Perſidem non homines, ſed hominū natio: integræ nempè familiæ, viciniæ, populi; inducta in regionem ſolitudine, relictiſque duntaxat cautibus, ac fumante vbique Georgiæ buſto.

Fugam arripit.

Eius verò tranſmigrationis facies miſerabilior planè fuit, quàm vt exprimat ſtylus. Acti ante Perſicum exercitum catervatim, ac mixtim, viri, fœminę, pueri, ſenes. Quoſdam laſſitudo, nonnullos ferrum, pleroſque neceſſitas, dum irent, necauit; vt ſtratum cadaueribus ſolum inſequentes militum phalanges, equitatus, cameli protererent. Diſtracti deindè, ac diſtributi in Prouincias captiui: A parentibus filii, à matribus puellę, ab ſponſis viri diuulſi. Porrò nobilibus Georgianis, qui viam ad publicam hanc direptionem Perſis ſtrauerant, vt rarò indecori facinoris auctor placuit, non ea contigit fortunatum, ac regiæ bene-

Georgiæ vaſtitas,

uolentiæ poſſeſſio,quam conceperant: illoſque,tortos facti conſcientia,ac Patria extorres,ii etiam conſequuti ſunt fructus,nempè inopia, ac dedecus. Theimurazii vero Mater Ketevana,Sciraziumvti dixi,amandata, haud quidem indignè vnà cum nepotibus, ac filiis primùm habita: ſed poſtea cùm nullis non argumentis illam ad Mahometi ſuperſtitionem pertrahere conarentur,atque obiiceret viciſſim ipſa inſignem, ac dignam Chriſtiana Principe conſtantiam,Regis iuſſu capitis damnata,exilium,religionem,patientiam,atque omnigenam virtutem præclara morte laureauit. Nec ſanè mitiùs cū regia Theimurazii ſtirpe,ac ſororibus actū, compertum habemus. Etſi quid iis præcipuè acciderit,ignoramus: niſi quòd euiratos ſtatim pueros, vt poſteritatem præciderent,ac generoſos,auitoſque animi igniculos extinguerent,fama euulgauit. Ipſum verò Theimurazium multiplices poſtmodùm exercuere ęrumnæ; cumque per reliquam Georgiam aduerſę fortunæ ludus,ac documentum,diutiùs pereraſſet,tandem ad Turcas confugit,quod Perſæ vlciſcendi, ſuæque Ditionis recuperandæ propior inde affulgere ſpes videretur. Et verò vſque adeò eius apud Turcarum Regem incitamentū valuit,vt is anno vertentis ſeculi duodeuigeſimo ingentem exercitum è promiſcua Tartarorum,Turcarumque gente conflauerit, qui in interiorem Perſidem penetrauit,eòque peruaſit,quò nunquam retrò alius: peruenitque felicitate, celeritateque incredibili vſque Ardebilem: quam quidem Vrbem,quòd veluti quoddam Perſarum ſacrarium eſt,vbi Regum cineres iacent, Theimurazius, qui præſens bello aderat,incēdere,atque ęquare ſolo vehementer cupiebat,vt eadem flamma vindice Iberiæ templa vlciſceretur,quę Perſæ exuſſerant. Sed profligatum hoc bellum nullo operæ fructu. Quare cùm non ſucceſſiſſe conſilium,ac Turcarum tutelā,Theimurazius aduertiſſet,aliò animum adiecit,tranſiuitque ad Moſchos; qui iactatum, fractumque ęrumnis Principem complexi; tùm eius Matris calamitate, quam nuntius attulerat,vehementer commoti, tueri æquam eius cauſam, ſuumque illum in Principatū aſſerere,in animū induxere.Igitur,quà Caſpii montes,ac Circaſſi Iberiam à Moſchouia diuidunt,viā fortiſſimis copiis aperiunt:ac breui nō modò in Cacheti,verū in Cartuli etiam dominationem,quæ Luarſabi fuerat,immiſſus eſt Theimurazius: iuuitque in primis expeditionem Moura ille,quem ſupra nominaui,qui Patrię olim, atque orthodoxę religionis deſertor,ad Perſas transfugerat,ac pleraq. creauerat Georgianis ſuis incommoda; indignatus præſertim in Luarſabum, quem quòd iam à rerū culmine deiectum miſerè viderat, veluti ea cæde abundè exſaturatus,redierat tādem ad mentem,atque à Perſis ad ſuos iterū tranſierat, exuto nempè Mahometo, ac recepta,quam impiè eierauerat, Chriſti diſciplina. Atque hoc potiſſimū adnitente, non ſine inſigni Turcarum,ac Perſarum ſtrage ſuum Theimurazius Principatū, hoc eſt, funeſtiſſimam depopulatæ regionis faciem,ac ferri, flammarumque reliquias recuperauit.

Theimurazii Mater morte afficitur.

Ipſe Perſis cū Turcis impetit.

Regnum recuperat,Moſchis adnitentibus.

Et Moura;

Hunc potiſſimùm principem, aſſiduis licet cladibus, atque omni ęrumnarum genere quaſſatum conuenire, Auitabili, ac Stephano placuit; quòd Romanæ rei, vti ſignificaui,ac tùm quidem præſeferebat,addictiſſimū fore,vt non tam reſtituendis Prouinciis,ac coloniis,quā colendę religioni cogitationes intenderet,ſibi perſuaderent.Goridem vbi peruenere,nihil habuere antiquius,quā illic ſe ſiſtere. Morati quidem aliquātiſper ſunt apud Ambroſium, laudatiſſimis moribus ex Auguſtinianā familia,ac Regi Theimurazio in primis carum, eo pręſertim nomine, quòd non ita multò ante piiſſimæ Matris oſſa Aſpahano,vbi illa mortem pertulerat, in Georgiam reuexerat:exactiſque cū eo Chriſti Domini incunabulis,Principem ſtatim adiere, qui tùm quidem cōficiendo in præpotentem quendam Turcam, quem & poſt paulò profligauit, bello intentus,in caſtris morabatur. Miſſos eò viros à Romano Pontifice, eorumque de Catholica religione diſſeminanda,procurandaque conſilium vbi is audiuit, gratulatus ſummoperè eſt,excepitque illos ſingulari quadam humanitate. Pontificiis item literis,ac ſacræ Congregationis de fide propaganda peculiarem exhibuit venerationem. Facta proindè iis facultas in eo Regno commorandi,templum aperiendi, conciones habendi: ædes inſuper, vbi degerent,eximia munificentia dono dedit. Aderat Zacharia Patriarcha,ſtudioſiſſimus & ipſe Romani nominis,qui, acceptis etiam

Goride apud Auguſtinianos diuertunt noſtri.

Regem inuiſunt.

ſummi

ſummi Patris ,ac Sacræ Congregationis epiſtolis, eadem animi propenſione viros cõplexus,viſus profectò in iis ornandis cum Principe certare. Non eadem Metropolitæ cui nomen Allauerdelius,mens,qui,quòd Græcis impenſiùs faueret, Romani Pontificis poteſtatem , ſupremumque eius in Orbem imperium haud æquo animo audiebat. Quarè nonnihil ab eo,ac Græcis mox turbatum,cum agi de reſpondendo Romanis literis cœpit. Dictare epiſtolam ipſi voluiſſent,aut negari omninò reſponſionẽ: quorum alterum quidem inurbanum,alterum verò ſuſpectum, ac ſuę in ſacrorum Principem reuerentiæ minùs conſentaneum, cũ Rex exiſtimaſſet, mulctata peracri reprehenſione hominum confidentia ,conſcripſit ipſe cũ ad Pontificem , tùm ad Auguſtos S. Congregationis Patres literas,officii,atque obſequii pleniſſimas, quarum ſumma ea fuit. Beatitudinis ſuę Epiſtolam à Petro Auitabili , & Iacobo de Stephano opportunè,ac fauſtè ſibi redditam , atque intimè exoſculatam, capiti impoſuiſſe. Patres excepiſſe perhumaniter: attribuiſſe iam iis ſedem,ac templum , vt diuino cultui Romano ritu vacarent. Monere Sanctitatem ſuam , vt ſalutaria eorum monita cùm ipſe,tùm populi facili aure exciperent: facturos nempè id ſe; ſed ſciret,auitam Chriſti fidem,vel ab ipſo Conſtantini magni tempore, quo ipſis affulſit diuina ea lux,illibatã ſartamque,ac tectam in ea regione ſemper fuiſſe . Vaſtaſſe quidem Perſas miſerabili clade oram eam omnem ; ſed in tanta rerum inclinatione nullum feciſſe vitium religionem,quam ſperabat,fore,vt & fauore Numinis , & Romani Patris auſpiciis ad extremam vſque humanarum rerum lineam ſeruarent . Matrem,dum in Perſide in id maximè curas intenderet,vt qui in Perſarum poteſtate erant Iberi, ſuis terris , ac ſuæ fidei redderentur,iuſſu Regis ſupplicio affectam,tuliſſe eximiæ charitatis pretium,illuſtrem palmam: cuius percara ſibi pignora,ac oſſa non ita pridem in Georgiam attulerat Ambroſius Auguſtinianus,qui & ipſe domicilium in ſuo eo Regno fixerat . Inſpexiſſe ſuis oculis Patres crudelitatis veſtigia,atque Iberiæ faciem planè luctuoſam. Nihil in templis,nihil in aris cultus,ac ornamenti reliquum eſſe. Eapropter rogare ſe etiam,atque etiam,vt aliquid ſacri inſtrumenti,ac ſupellectilis mitteret. Nihil ſibi gratius,atque optabilius futurum. Tũ ſi quid ipſe viciſſim ab ea Regione cuperet,iuberet; ſciretque,ſuarum eſſe partium,parere ſummo Patri . Hęc ad Pontificem Rex , & in eandem fermè ſententiam ad ampliſſimos S.Congregationis Patres , quos id præſertim rogat,vt qui pręclaros animorum medicos miſerant , qui corpora etiam curent, eò allegare dignarentur: abſtuliſſe Perſicam rabiem , vt artem omnem,ita & medicã: atque egere eiuſmodi præſidio mortalium vitam. Reſpondit etiam Patriarcha cùm Maximo Pontifici,tùm S.Congregationi , eiuſdemque fermè argumenti fuere literæ, quas idcireò recitare hic parcimus.

Et horum ad Rom. Pontificis literas reſponſio.

Iam verò,vbi officii ſui partes Auitabilis , ac Iacobus cum Rege , ac Patriarcha perſoluerunt,Goridem ſe recepere. Vrbs ea eſt in perampla quadam,amœnaque planitie,quam conſiti cupreſſibus,ac pinetis montes pulcherrimè coronant ; alluitq. geminus hinc inde fluuius: & alter quidem mœnia ad meridiem allambit ; alter ad Septentrionem Vrbem interſecat,qui aquarias molas verſat,commendantque vtrumq. magni piſces. In Ciuitatis medio collis aſſurgit, cuius in faſtigio arx,ac princeps Iberorum eccleſia: ad radices verò Armeniorum templum cernitur . Pręclari operis, ſectoque ex lapide vbique ædificia . Sed quæ iam belli furor difiecit , molium veſtigiis ad oculi documentum relictis. Populoſa olim Vrbs,nunc paſſim ſolitudo , ac vaſtitas . Artifices,nauandis vitæ adiumentis nulli. Aer, aqua ſalubres: ſoli adiacentis fertile quidem ingenium,ſed exciſæ ſtirpitùs arbores ab eo, quem dixi, Perſarum turbine: atque adeò fructus, optimi ii quidem,pauci,aut nulli; ac vini , quod inibi probi guſtus,ſumma caritas. Denique omnium penè rerum inopia laborat gens,nondum reſtituto Perſarum,ac vicinarum gentium commercio. In hac vrbe ædes inſigni Principis beneuolentia ſtatim noſtris contigere . Sed vix concinnauerant , cùm reſtitui domino oportuit . Ablatæ perduelli cuidam fuerant , qui vbi reconciliatus Regi eſt, non illas repetere opus fuit: nam dimiſere illicò Patres; vacuamque inibi à Rege aream impetrant,vbi ipſimet ſibi exiguum habitationi tectum,atq. ędiculam , Apoſtolorum Principi dicatam,exædificarunt. Cognouere ſtatim in ea vineæ procuratione,ac cultu non mediocres quidem ſibi perferendos labores. Ac primò quidem

Goris Ciuitas deſcribitur.

tole-

tolerare in ſumma egeſtate vitam, oportuit. Enimuerò vbi communis inter populares inopia, ac tanta vbique annonæ difficultas, nonniſi extrema pati religioſos viros, neceſſe erat; qui in eo potiſſimùm animum obfirmauerant, vt cũ à reliquis Inſtituti ſui rationibus, tũ maximè à Theatina paupertate, quæ nullis precibus mortaliũ

Re domeſtica laborant.

aures ſolicitat, ne tranſuerſũ quidẽ vnguem diſcederent. Itaq. quotidianus iis cibus campeſtres herbæ, quas ipſimet legebant, coquebantque modico ſale. Humi, inſtrata pelle, cubabant; ligna ipſi ſibi ad proximum nemus cœdere; ipſi ad flumen purgare lintea; veſtes conſuere, ſarcire; nec abhorrere interdũ à colo viriles manus, vt idoneum ſuis vſibus filum pernerent. Quæ quidem ea alacritate obire, vt id ſolummodò viros egregios angeret, quod non integrum inſumerent in ſalute animarum tempus; ſtudiumque præſertim Georgianæ linguæ, quæ difficillima, iis miniſteriis fraudarent. In iuuandis autem mortalibus, quòd vnum propoſitum habebant, mirum eſt, quo ſtatim ardore operam collocauerint.

Aegrotis dant operam.

Aegrotos potiſſimùm inuiſere. Nam qui cernerent, nullis medicorum præſidiis propulſari decumbentium mala; ac quędam ipſi adhibere adiumenta, quæ ſcripta ſecum attulerant, poſſent incumbere ſerio in hanc pietatis partem cœpere: cumque precibus potiſſimũ, atq. ope Superum agerent, ſuccedere mirum in modum pharmaca, contingebat: vnde ſoluti eorum opera inueterati quidam, atque inſanabiles penè morbi. Non eos labor, locorumq. aſperitas detinebat, quominùs longè poſitos adirent; ac manante latiùs per Iberiam fama, adibant ad ipſos paſſim languidi, qui ſuæ plerumque incolumitati reſtituti, homines, nullo præſertim cũ ſui compendio, ac pretio hominibus adeò perutiles, veluti è cœlo delapſos, ſummis laudibus celebrabant. Experiri & Reginam contigit conceſſam iis diuinitùs medendi artem. Diù ſiquidem intimis doloribus cruciata, cũ

Reginam curant.

fruſtra eſſent medicorum conſilia, quos è Perſide accerſiuerat, noſtros tandem, quos adeò rumor dilaudabat, euocare, eorũq. ſe ſe fidei, ac remediis permittere, conſtituit. Succeſſitque ingenti cũ omnium admiratione curatio; ſoluto penitùs morbo, vt Rex poſtea appellare illos Diuos Coſmam, & Damianum, ſolitus eſſet. Hac porrò corporum medicina facilis iis aditus inſtaurandæ animorum ſaluti, quæ potior, & in quam intentiſſimi. Nullam formandæ, augendæque pietatis occaſionem, præterire viri im-

In rem animorum incumbunt.

pigri: allicere ſacrorum cultu, ac nitore: concionibus, ac monitis mores aggredi; inſtillare rudibus Chriſtianæ fidei capita: Romanæ potiſſimùm Sedis maieſtatem, ac Maximi Pontificis in Orbem, vniuerſamque Eccleſiam Principatum inculcare. Et quidem genti alta licet barbaries, ac inſcitia, prona nihilominùs iis indoles; & quod ad Chriſtianas præceptiones attinet, & audire, & arripere libenter videbantur. Verũ, ſuperſeminata ſtatim zizania, induſtriam omnem, laboreſque deludebant. Quidam

Græcis obluctantibus.

nanque græcæ fidei homines, quos, vti ſignificatum eſt, Caloceros vocant, atque dilatandæ per Orientem perfidiæ immitti à Conſtantinopolitano Patriarcha identidem ſolent, nimiũ quantũ operæ in corrumpenda recta religione, ac gente ponant; vt quos ebibunt ab incunabulis errores Iberi, alant, foueantque Caloceri, fauente præſertim Metropolita, quem dixi ea doctrina initiatum, atque à Græcis ſtare. Conferre cum eiuſmodi veteratoribus pedem perſępè noſtros, oportuit. Semel id Petro Auitabili coram Patriarcha accidit. Quidam eius farinæ, Philippus nomine, lingua græco-Italus, qui nauaſſe literis operam inter Catholicos videbatur, cùm pleraque in rectam

Quid Auitabili cum Calocero acciderit.

Chriſti fidem palàm euomeret, tũ maximè in Romanum Pontificem inuehi impuriſſimis contumeliis, ac mendaciis cœpit. Commeſſari, ludere, hæc eius Romæ ſtudia. Vxorem item ducere, ac filios procreare, quibus deindè Eccleſiæ patrimonium profunderet. Ferre viri impudentiam Auitabilis minùs potuit, actuſque Numine, ac acerbis ſtatim verbis illum appellauit. Audi, fili diaboli: tũ Maximi Pontificis ſanctitatem, dignitatem, mores explicare. Orationem deindè ad Conſtantinopolitanum Patriarcham conuertare; ac compertum ſibi, ait, quo tempore Conſtantinopoli captiuus ipſe moraretur, edictum ab eo manaſſe; quo piacularem confeſſionem abrogaret; quod, tumultuantibus Græcis orthodoxis, refingi mox oportuit. Ad hæc, in Hollandiam inſtituendos præclara ea diſciplina iuuenes, naui impoſitos miſiſſe. Officinam præterea typographicam Conſtantinopoli curaſſe, vt Sanctorum Patrum monumenta pro libito corrumperet; aliique hæreticorum libri ad morum cladem excu-

Digitized by Google

cuderentur: & ipſum quidem Caluino doctrina, indole, moribus omninò ſimilem. Furere ad hęc Colocerus, ac iam baculum intentare, cũ Auitabilis demiſſus in genua, caput vulneri obiecit: id ſibi, inquiens, ex Euangelii forma præſcribi. Prohibitus ille quidem, ne læderet; Sed factum Regina cũ reſciuiſſet, acriùs Colocerum increpauit; interminata, ſi Patres dehoneſtare, ac rem Romanam pergeret, effecturam ſe, vt Regno faceſſeret. Atque hęc quidem noſtratium in Iberia rudimenta; quibus non minimùm quidem opportuna in eo rerum initio accidit Nicephori Erbacii, quem ſupra loquuti ſumus, ab Europę legatione reuerſio. Anno ſiquidem ſeculi vigeſimo nono Auguſto menſe, in ipſo Aſſumptæ in cœlum Deiparæ peruigilio Goridem is appulit; obiecitque ſe ſe ex inopinato noſtris, eoſque incredibili gaudio perfudit. Salutem iis plurimam à noſtratibus dixit: de felice Congregationis ſtatu pleraque enunciauit: Beati Caietani Thienæi, Conditoris noſtri Apotheoſim, honoreſque publicos, Pontificis nutu propè diem obſignandos, attulit. Poſtridiè ad Regem ſe contulit, ac legationem, qua functus fuerat, ſucceſſumque ex ordine denarrauit. Pontificis præſertim voluntatem, ac ſtudium explicauit: tũ eius epiſtolam reddidit, quam debere hic nolui, vt qua tandem ratione cum Ibero Principe, qui Romano Capiti non integram adhuc reuerentiam, honoremque exhiberet, actum ſit, intelligat Lector. Sic verò habet.

Nicephorus Goridem reuertitur.

VRBANVS PAPA OCTAVVS

Dilecto Filio Regi Iberiæ.

Potentiſſime Rex, ſalutem, & lumen diuinæ gratiæ. Regna terrarum, quę ſempiterno Imperatori vectigalia ſunt, parũ firmis innituntur fundamentis, niſi in eius petræ ſoliditate conſiſtant, aduersùs quam nunquam præualere portas Inferni, decreuit Omnipotens. Quare cœleſtes regnandi artes, & perfectam ſcientiam ſalutis edocti videntur Chriſtianæ Reipublicæ Principes, qui muniti legationum robore, & triumphorum gloria coronati, ad Apoſtolicos Romani Pontificis pedes procumbunt, religioſæ obedientiæ tributum perſoluentes. Catholicis eorum conſiliis inſeri dum cupit in præſentia Celſitudo tua, videtur ad noui Principatus defenſionem centuriari militia cœleſtis exercitus. Conſilium adeò ſalutare è diuinæ Sapientiæ theſauris ad te per cuſtodientes angelos nuper delatum; certiſſimum argumentum eſt clementię cœleſtis in rem Iberam. Non obliuiſcitur Deus miſericordias ſuas, qui diſperſiones Iſraelis congregat, & ſanabiles facit nationes Orbis terrarum. Quare paterna charitate complexi ſumus dilectum filium Nicephorum Erbacium, Sancti Baſilii monachum, quem ad nos cũ tuis literis legaſti, teſtem potentiæ tuæ, & ſponſorem. Nunc autem ſupplici oratione Deum rogamus, in cuius manu ſunt corda Dominorum, vt pias Celſitudinis tuæ cogitationes optatum ad exitum peducat. Vt autem quàm primùm comitantibus angelis ad maternum Romanæ Ecclesiæ gremium peruenias, volumus, te cenſurarum laqueis abſolui, iiſque Eccleſiaſticæ indulgentiæ fructibus recreari, quibus perfrui ſolent, qui Beato Petro, in Romanis Pontificibus regnanti, ſacramentum dicunt. Sacra hæc beneficia deferri tibi volumus per venerabilem fratrem Archiepiſcopum Myrenſem, ſi in Naxiuana Diœceſi commorabitur. Eius autem abſentis vices ſupplebunt Theatini ſacerdotes, quos in regiones iſtas allegauimus prædicatores Euangelii. Quod ſi aliquod impedimentum iis etiam aditum ad Regiam tuam intercluſerit, euocari iuſſimus è Perſide cœnobitas Auguſtinianos, vel Diſcalceatos Carmelitas, quorum miniſterio venias ad adoptionem filiorum Dei. Vbi ſolennem fidei orthodoxæ profeſſionem iis ritè declaraueris, & publicum tuæ obedientiæ teſtimonium ad nos peruenerit, Apoſtolica auctoritas, per quam Omnipotens regnantium arbiter, opportunè transfert regna, atque cõſtituit; regale tui Principatus ſolenni Pontificia benedictione muniet. Porrò autem Celſitudini tuæ conciliare conabimur fraternam Chriſtianorum Principum beneuolentiam, præcipuè verò Hiſpani Regis optatam amicitiam. Sacra Cardinalium Congregatio, quæ propagãdæ fidei negotia curat, Nicephorum ipſum monuit, quid præcipuè à Celſitudine tua

Pontificiam epiſtolam Regi tradit.

exi-

exigat, atque expectet Roma. Omninò danda tibi eſt opera diligentiſſimè, vt Antiſtites, & ſacerdotes, qui Paſtores animorum in Iberia habentur, ambulantes in domo Domini cũ conſenſu, tecum Principatum Petri, & viſibile Eccleſiæ caput in Romana Sede venerentur. Nihil enim videtur excogitari poſſe, vel ad muniendam Iberię quietem vtilius, vel opportunius ad promerendum patrocinium cœli. Nos certè, qui in animorum ſalute gloriam Pontificii Imperij conſtituimus, pio triumphantes gaudio, laudabimus Patrem miſericordiarum, ſi te Principem, armorum gloria, & ingenti virtute clarum, complecti poterimus brachiis Apoſtolicæ charitatis, atque iis ornare beneficiis, quæ Catholici Regnatores piè ſolent cœteris humanæ potentiæ titulis anteferre. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die ſecunda Decemb. 1628. an. Pontif. noſtri ſexto.

Eius commendatione augetur Theimurazii in Patres ſtudium.

Pontificis his literis perlectis, noſtratũ deindè Nicephorus cũ in Italia, tũ in Hiſpania beneuolentiam, atque in tota ea legatione opem mirificè apud Regem commendauit. Quo Rex ſuam in Auitabilem, ac Stephaniũ voluntatem magnoperè adauxit; ac tũ quidem, vt ſtudium indicaret, non mediocri eleemoſyna eos iuuit: proximè verò, vbi ab ipſum adiere, incredibili beneuolentiæ ſignificatione excepit; ac ſe quidẽ, ait, quicquid in Europa in Legatum ſuum Theatini impendiſſent, non antea reſciuiſſe: effecturum in poſterum, vt vſu cognoſcerent, quanti ea beneficia, atque eiuſmodi Inſtituti homines faceret: iuſſitque interim, vt cùm annona, tũ etiam pecunia Goride ſuo iis nomine erogaretur. Quod quidem incitatis ex ſe viris ad omnem laborum tolerantiam, ſtimulos addidit acriores: ita vt ſimul Goride interdiù, noctùq. in Dei vinea laborarent, ſimul pagos, villas, regionemque omnem Apoſtolico planè ritu circumcurſarent, benefaciendo, ſanando, inſtruendo omnes.

Altera in Georgiam miſſio.

Seges autem cum in dies excreſceret, augeri etiam operas oportuit. Quare Auitabilis, qui miſſioni pręerat, compoſitis ad Auguſtos Patres literis, quæiam decreuerant ſubſidia, atque auxiliares manus opportuniſſima fore, ſignificauit; vt eſſent, qui bonæ Regis menti, ac diductis, ſparſiſque in perampla ea regione populis, eorumque neceſſitati ex ęquo reſponderent. Et annuit quidem ſacra Congregatio, duoſq alios operi deſtinauit. Qui quidem dum expeditioni ſe comparant, Auitabilis ab Rege Theimurazio ad Pontificem allegatus, Romanum iter capeſſit. Fuitque ita quidem diuinitùs adgubernata vtrinque itineris ratio, vt Melitam ſimul applicuerint. Quo factum, vt & mutuo ſeſe aſpectu, complexuque recreauerint, & non minimũ vtilitatis in Georgiam velificantibus attulerint Auitabilis monita: cũ à nemine poſſent ii de re tota Georgiana, ac de viæ potiſſimũ ratione condoceſieri, quàm ab eodem ipſo, qui oculorum fide, vſuque, ac perpeſſione didicerat. De vtriſque ſucceſſiuè nobis dicendum, ſed priùs de Auitabili. Igitur Theimurazius gratias Romano Pontifici per literas, venerationis, ac ſtudii plenas egiſſe, quòd eximia charitate, ac clemètia complexus remotam illam terrarum Orbis partem fuerit, minimè contentus; vt beneficiũ ſummoperè ęſtimare videretur, certum hominem ad illum mittere, qui ad eius pedes prouolutus, id officii coram, ſuo nomine perſolueret, apud animum ſuum ſtatuit: neque alium fore opportuniorem, quàm alterutrum ex iis Patribus, quos à virtute, ac pietate ſibi commendatiſſimos, ac Romæ notos, non dubitabat, munus cum dignitate, ac fructu exequuturos. Certatum aliquantiſper inter egregios viros; cedebatque alter alteri ab inſigni modeſtia officium. Sed dedit tandem Auitabilis manus,

Allegatur ad Pontificem à Rege Auitabilis

ſubiitque haud grauatè quidem prouinciam; nec terruit laborioſum, ac plenum diſcriminis iter, cuius iam aſperitatem, atque omnem periculorum faciem emolliuerat vſus. Profectus Goride die Auguſti menſis tertia anni trigeſimi vertentis ſeculi, Melitam die ſecunda Decembris tenuit, planè quà mari, quà terra auſpicatiſſimè. Nacruſque peridoneam tempeſtatem, Neapolim ſtatim ſoluit; vbi recepto vix ſpiritu, Romam curſum intendit. Admiſſus inſigni beneuolentia ab Vrbano Maximo Pontifice, ac redditæ illi cùm Theimurazii Regis, tùm Patriarchæ literæ, quibus in eandem fermè ſententiam ſummum ſacrorum Principem intimò conſalutant, ac venerantur: tùm de egregia erga ſe, ſuoſque populos humanitate immortales gratias perſoluunt. Miſerabilem à belli motibus terrarum, ac gentium conditionem memorant. Medicinæ artis peritum, qui communem ſalutem procuret, iterum poſcunt: pictorem item, qui deuenuſtata hoſtium incurſione templa Diuorum

ima-

imaginibus exornent, ac ſacrent, vt mittat, rogant: aliaque ad venerationis argumentum ſubdunt. Auitabilis, vt muneri examuſſim reſponderet, exhiberetq. communi Parenti excitandæ nimirũ commiſerationi regionis illius faciem, diſtributam in præcipua quædam capita narrationem, quę Georgianæ religionis errores, ac cæteram, deinde indolem, ac mores exactè, ac fusè contineret, illi tribuit. Et errores quidem, inſitoſque Genti mores nos ſupra retulimus. Quæ inibi videmur prætermiſiſſe, ad cōmune regimen pertinent, iuuatque hic ab ipſa Auitabilis narratione iiſdem nempè verbis exſcribere. Quæ ſic habent.

In Regimine politico Iberiæ Principes Eccleſiaſticam libertatem nihili faciunt. Sacerdotibus enim veluti mancipiis in placita ſua omnia vtuntur. Epiſcopos paruipendunt: huc, illucque eos ſocum pertrahunt; & ſi quid erroris commiſerint, in eos animaduertunt. Neque ipſi etiam ſupremo Iberiæ Patriarchæ, qui Catholicus ab iis nominatur, obediunt, aut eius mandata exequuntur. Quarè primũ locum in ſpiritualibus non Patriarcha, ſed Princeps obtinet. Quod Princeps de omnibus ſacerdotibus, & Epiſcopis facit, idem nobiliores alii in ſua quiſque Ditione de Sacerdotibus, & Epiſcopis, qui ſibi ſubditi ſunt, faciunt. In iudicando, & puniendo tyrannico iure vtuntur. Iudices apud eos nulli ſunt, qui cauſam cognoſcant, & examinent: teſtes non recipiunt: leges non habent: quod princeps iubet, illud exequendum, ſiue iuſtum, ſiuè iniuſtum: ſtatque pro ratione voluntas. Subditos tàm graui iugo ſeruitutis premũt, vt non ſolũ eorum rebus ad beneplacitum ſuum vtantur, nulla eis ſoluta mercede; ſed etiam perſonis, eos ſibi adinuicem vendendo; & quod miſerabilius eſt, & nunquā ſatis deplorandum, ipſis etiam infidelibus. Quod Princeps de ſuis, idem alii nobiliores in eorum Ditionibus perpetrant. Potentiores, & nobiles quàcumque iter faciunt, cogunt oppidanos ad alimenta ſibi, & equis miniſtranda abſque mercede. Licitum eſt cuique de hoſte vindictam ſumere: vnde fit, vt ſemper à fortiore, & validiore ſtet victoria. Si læſus apud principem pro illata iniuria non inſiſtat, Princeps neque ex officio in rerum inquirit. Porrò vindicta ſic ſumitur, vt ſi læſus inimici perſonam offendere non valeat, bona illius aggrediatur; vnde paſſim interfectum bouem, aut ſuem inimici in fruſtra concidentes, amicis & conſanguineis in publicis epulis apponunt. Eò ignorantiæ deuenere, vt nulla ſit apud eos ſcientiæ addiſcendæ, ſeu docendæ forma, ſeu modus, ne apud ipſos quidem Epiſcopos. Liberalium porrò artium ſeculares penitùs ſunt ignari: ſeruilium verò vix pauca veſtigia ſeruant. Quod ad mutua fœdera, omnes hi Georgiani Principes inter ſe nec amicitię fœdere coniuncti, nec inimicitię odio ſunt diſſiti. Si quis eorum bello vrgente prematur, ab aliis auxilium expectare fruſtra ſperare poteſt. Noſter Theimurazius cũ Turcis omnibus inimicitias gerit. Cum Perſa benè ſe habet, cum quo metu conſtrictus, pacem iniit. Et his diebus, qui nunc rerum in Perſide potitur, per Legatos ſuos filiam Theimurazii ſibi in vxorē ſponderi petiit. His, aliiſque Pontifici expoſitis Auitabilis, quæ ille magnoperè probauit; peculiari item commentario ampliſſimos Patres de propaganda fide eſt alloquutus: quos enimuerò affici, ac de Georgianæ religionis ſtatu edoceri, intereſſe plurimi, cognoſcebat. Igitur, vt quam ipſi inſtituerant, atque impetrauerant Ibericam expeditionem, fouere, atque vrgere etiam, atque etiam pergerent, in id maximè incubuit Auitabilis, vt capita exponeret, quibus non ludi operam, intelligerent; ſed ſpem fructus in eius regionis cultura conciperent non exiguam. Ea ſunt.

Quid de gentis moribus Pontifici.

Sacram item Congregationem docet de re tota Iberica.

1 Theimurazii Regis pietas, qui vbi eò miſſos à Romano Pontifice Patres intellexit, vt animorum, ſacrorumque procurationem inibi nauarent, incredibili illos voluntate excepit: Cuius quidem in rem Chriſtianam propenſionis argumento id fuerit; quòd cùm Græci ad Romanum nomen tumultuarent, curarentque apud Regem, vt qui aduenerant, Patres illicò eiicerentur, eò ardoris deuenit Theimurazius, vt illos conuiciis, diriſque mulctauerit, admota etiam ad enſis capulum manu, ceu euibrere animus eſſet; eaque diſertè enunciauerit, promptum nempè ſe, ipſos potiùs ad vnum omnes contrucidare, quàm religioſos eos viros expellere: appellauitque apertè ſchiſmaticos.

2 Eius ingenii præſtantia, ac eruditio. Verſatus quippè eſt in ſacro vtroq. inſtrumento, ſacriſque Conciliis, ac veterum Patrum monumentis.

3 Quamquam ſuaſerant Græci, ne cũ ipſis in diſceptationem de rebus fidei deſcenderet: quod dicerent, Philoſophiæ conſultos homines, atque argutari ſolitos, peracutis ſuis rationibus decipere facilè poſſe: ipſe nihilominùs diſſerere ſumma cũ animi voluptate cum iis voluit; cumque rogaſſet, quid de Spiritus Sancti proceſſione Latini ſentirent; vbi explicatum: non admodum diſcrepare ſe, ait, ab eorum ſententia. Quod ſi ea de re planiùs, ac certiùs quid edocerent, fore, vt in reliqua religione inter ipſos facilè conueniret.

4 Quòd præclarè de latinis ſentit; veluti Euangelicæ diſciplinæ ſeruantiſſimis, diuinique cultus apprimè ſtudioſis: commendatque magnoperè tùm Sacramentorum frequentiam, tùm quotidianam Chriſti Domini litationem. Maximè verò conſtantiam admiratur, animoſque fidelium in propugnanda Chriſti fide, pro qua vulgare iis eſt fortitudinis ſpecimen, dare vitam, ac ſanguinem: quod rarò in Oriente, aut nunquam accidit, abiecta paſſim, leuique ex cauſa auita religione.

5 Cùm Matrem is habuerit longè piiſſimam, quę tuendę fidei cauſa Perſarum Regis iuſſu mortem intrepidè ſubiit, ſuo ſanguine condecorata: ſperatur fore, vt tantę genetricis merito, ſuperiore lumine colluſtratus, gentiles tandem errores exuat, iuretque vnà cũ ſuis ſubditis in Romanæ Eccleſiæ verba. Quam ſanè ſpem illud magnoperè adauget, quòd ad hunc potiſſimũ Georgiæ Principem adire Romani nominis viros, diuinum Numen voluerit; cùm alioqui quid aliud dictare prudentiæ leges viderentur; vaſtata nimirum, atque euerſa funditùs Theimurazii regione, ac liberum eſſet, quem libuiſſet, ex Iberiæ Principibus conuenire.

6 Quod non impar in pleriſque è popularibus in Chriſtianam diſciplinam animi propenſio, quam affectus, ac lachrymæ probant, quibus noſtra audiunt: idq. præcipuũ iis votum fuit, vt Eccleſia Romano ritu, quò conuenirent, excitaretur.

Hæc capita, quibus proſperiores ſibi euentus polliceri ab ea expeditione Auguſti Patres poſſent, Auitabilis ſcripto expoſuit. Nec diſſimulauit, qua potiſſimũ ratione induci, atq. amplificari recta in Deum fides, erroreſque diſpelli apud eas gentes poſſint, hoc eſt, ſi operarum numerum augerent. In perampla ſiquidem regione meſſis ſeſe multa obiicit, in qua plurimorum ſtudia, vigiliæ, curæque deſudent, neceſſe eſt. Deinde, ſi iis ipſis operariis quid certi in ſingulos annos ſubſidii ab Romana beneficentia accederet; ſine quo tolerari paupertatis iniuria in ea temporum, ac locorum clade vix poteſt. Acciſa nanque omni ex parte re Iberica, nullus ex ea gente nõ eget. Nec lautior Regis ipſius fortuna, cui titulus quidem ineſt, ac dignitas; cæterũ aula, ac ſplendor longè intra priuati Principis conditionem eſt. Qua quidem annua pietate ſuffulti Euangelii adminiſtri, non eſſent iis populis graues; qui ſanè abalienari ab eorum conſuetudine, vſuq. facilè poſſent, ſi cernerent, in eo illos rerum ſtatu verſari, vt adeſſe quotidiana ope, atque erogatione opus eſſet. Quòd verò promouendę cõmuni pietati, ac diuino cultui procurando, vrgentibus potiſſimùm popularium precibus, ſacram quandam ædiculam, à Perſis dirutam, inſtaurauerat, perficiendoque operi quinque, & quinquaginta ſupra centum nummos aureos mutuò acceperat, ac iam ſoluendi dies interpellaret; Sacrę Congregationis Patres rogat, vt hanc ſibi repręſentari ſummam iubeant; ac perſuadeant interim ſibi, non ad alium quidem vſum, quàm ad eius templi ædificium inſumptam; quando nullam non illi rei domeſticæ difficultatem interea temporis tolleraſſent, tunicis malè ſartis, ſiuè centonibus induti, herbiſque ad cibum contenti, coacti nudis interdùm pedibus ambulare: compoſiti verò ad nocturnam quietem, neque ſtramentitiam aliquam culcitram, ſed pellem ſternere ad delicias, ſoliti eſſent. Quædam etiam Auitabilis, cùm vt Georgiani ad frequentandum, quod dixi, templum allicerentur, tũ vt noſtratum in ſpiritu commodis conſuleret à S. Congregatione poſtulauit. Nempè, vt traducto in Armeniam, Ibericamque dialectum Romano miſſarum codice, liceret miſſionis adminiſtris ſemel quotidiè in ſua eccleſia, ſaluo nimirũ catholico ritu, in iis linguis ſacra facere. Sic enimuerò fierent omnia omnibus, eoque inuitamento accederent alacriùs ad ſacram ædem populi, in qua Dei verbum præterea audirent. Ad hæc concederent Auguſti Patres, vt in eorum eccleſiis iiſdem linguis, aut latinè operari ſacris latini viri poſſent, ſi quando inuitari ab iis contingeret. Nec minimum ſanè ad gentis inſitu-

Et rationem fidei amplificandæ exponit

Quædam in commune cómodum ab Auguſtis Patribus poſtulat.

ſitu-

Digitized by Google

ſtitutionem ,veramque religionem conduceret, ſi eorum ſacerdotes litare ſuo ritu in latinis Eccleſiis permitterent ; cũ, videlicet, eo ipſi deſiderio flagrare impenſiùs commonſtraſſent. Deindè cùm non ibi Gregoriani Kalendarii obſeruantia vigeat, ſed priſcæ temporum rationi, ac ſupputationi ſtetur, atque adeò in celebrandis Eccleſiæ ſolenniis ab eorũ inſtituto lõgè diſtẽt Romani nominis viri, pernęceſſariũ videri poſſet, facultatem iis facere, vt anniuerſarias celebritates ad illorum temporum, faſtorumq; normam celebrent : idque cũ vt ad eorum Euangelia accommodari conciones per annum poſſent, tùm etiam, ne admirationem iis pariat, veſci alios carnibus, cũ ipſi ieiunant; ac contra. Præterea, vt quæ per decennium conceſſa priuilegia fuerant, prorogari vellent. Scilicet, vt tùm quidem inciperet decennale hoc ſpatium, cum ipſi vacare perfectè ſuo muneri, diuinoque cultui cœpiſſent : facultates verò Præfecto miſſionis tributæ, ad eius etiam Vicarium tranſirent, quoties abeſſe Pręfectum contingeret. Poſtremò id petiit, vt quando non ita promptum eſſet, renouari quotannis ſacrũ Chriſma; ſeruare illud ad plures annos poſſent. Corollarium harum petitionum fuit, monere ampliſſimos Patres incredibilis ſtudii, pietatis, beneficentiæ Petri Oliuerii, qui Gallicę nationis Conſulem Hierapoli cum ageret, nihil officii prætermitteret in tuendis, iuuandiſque religioſis viris, qui ad laborioſiſſimas Orientis vigilias, ærumnaſque fidei cauſa amplificandæ tranſirent. Virum nempè eſſe, cui Euangelium, ac Chriſtiana res potior, quàm ſua dignitas, ac commodum, infracti ſpiritus, conſilio, manuq; opportuniſſimum. Idcirco commendare etiam, atque etiam apud Chriſtianiſſimum Regem egregium hominem, dignum laude, atque è re Catholicę religionis eſſet: tũ quia acriores ipſi faces ad id beneficentiæ ſubderentur; tùm verò, quòd aliis, qui in Oriente agunt, non minimo quidem incitamento eſſet, vt eandem ipſi in Apoſtolicos viros pietatem impendant, ſi cohoneſtari beneficiis Oliuerii charitatem, ac munificentiam cernerent.

Hactenùs Auitabilis. Et Purpurati quidem Patres, vt ipſum ſingulari humanitate, ac perhonorificè acceperant, ita viſi proniore quadam voluntate poſtulatis magna quidem ex parte annuere. Inſtituto ſiquidem Maximi Pontificis nutu coram Card. Vbaldino iis de rebus doctiſſimorum hominum conuentu, inter quos & ipſe Auitabilis fuit, & ex noſtris etiam Thomas de Afflicto, vir in omni literatura conſumatiſſimus, cùm reuocata ad calculum ſingula accuratè fuerint, ac relata poſtmodum ad ſacram ipſam Congregationem, obſignata inſigni cum omnium approbatione pleraque decreta fuere. Et quidem, facultatem celebrandi ſacra ritu quidem latino, ſed Georgiano, Armenioque ſermone, tùm quidem concedendam putarunt, cùm ratio hæc eſſet conuertendi Georgianos potiſſima : Cœterùm, hæc diſertè ſciuere; vt vetere vti Kalendario liceret, etiamſi contingere in eius vſu poſſit, quemadmodum ante Gregorianas tabulas nobis contigerat, vt Paſcha ante plenilunium proximè poſt vernum æquinoctium celebretur, contra decretum Concilii Niceni primi. Item, vt cõceſſæ ad decennium facultates ad alterum decennium prorogentur. Vt has ipſas facultates communicare miſſionis Præfectus ſuis valeat. Vt, eo abſente, ad eius ſtatim Vicarium deuoluantur. Vt ſeruare ad triennium vetus chriſma poſſent. Vt operarum numerus pro regionis, curarumque magnitudine augeretur. Vt iidem ipſi operarii ęre annuo ad decennium iuuarentur: ac centum tũ quidem aurei ipſi Auitabili ad itineris commeatum ſoluerentur. Alia itidem, quæ ad legitimam cum ſchismaticis communicationem, atque ad Georgianorum errores ex ſacrorum Conciliorum, Patrumque normam confutandos pertinent, perdiligenter examinata, atque in commentarium relata; ad quorum ſe ſe normam Apoſtolici viri conformarent. Quibus ex animi ſententia peractis, gratulatus vehementer eſt Auitabilis; quòd non minimùm Georgiana ea Legatione fecerit operæ pretium, factaque à Romano Pontifice, atque ab ampliſſimis Patribus redeundi facultate, datæ illi ad Iberiæ Regem, ac Patriarcham Pontificiæ literæ, quæ humaniſſimæ perindè, ac diſertiſſimæ opportunè quidem ad legentium voluptatem hic apponentur. Sic verò habent.

Qui, re maturiùs expenſa.

Pleraque benignè annuunt

VRBANVS PAPA OCTAVVS

Iberiæ Regi.

Pontificis ad Iberiæ Regē literæ

Illuſtris, & potentiſſime Rex, ſalutem, & lumen diuinæ gratiæ. Nauigat mediterraneos fluctus, perambulat varias Europæ Prouincias fama, nuncia meritorum, quæ cùm in Aſiatica Iberia fuerit illuſtrium victoriarum ſpectatrix, Romani Pontificis curas laudibus Iberi Regis conſolatur. Planè videtur Maieſtas tua nouum Principatum circumuallare propugnaculis cœli, & munire legionibus angelorum, dum in iſtis regionibus excubare gaudet ſacerdotes è Vaticano tabernaculo prodeuntes. Religio enim, quam ipſi docent, tutela Regum eſt, & ſalus populorum. Ea ſi in tuis Prouincijs omninò dominabitur, videbis iſtbic exarmari furorem, ſeditiones meditantem, & conquieſcere pacem, de vitiis triumphaturam. Tàm ſalutaria conſilia deferri ad Maieſtatem tuā è theſauris regni cœleſtis nuper declarauit dilectus filius, Theatinus Sacerdos, Petrus Auitabilis, qui tuas literas reddidit. Benedicat ſceptris Principatus tui, & adſter gladiis regalium legionum dextra omnipotentis, quæ fecit virtutem cū magno illo Conſtantino, quem ſuæ religionis auctorem agnoſcit Iberia. Is enim dum ſacerdotes coluit, profligauit hoſtes, & verū victoriæ omen intueri potuit in nubibus cœli, coruſcantem crucem, quam in Romani Pontificis diademate Eccleſia veneratur. Quando illa dies affulſerit, dies lætitiæ, & ſalutis, qua Maieſtatem tuam, Conſtantini imitatione eruditam, complecti poterimus, accidentem per regios Legatos ad Apoſtolicos pedes, Regum oſculis nobiles, & ambulantes in ſemita diuinæ legis? Quando te potentiſſimi Chriſtianæ Reipublicæ Reges fratrem in Eccleſia poterunt appellare? Profliga tandem omnia impedimenta: poſt quæſitum victricibus armis in Iberia Regnum, fiat theatrum religionis tuæ Vaticanum Sanctuarium, vbi inter Romæ plauſus audiatur exoptata legatio, perſoluens piæ obedientię tributū Beato Petro, perducenti Reges ad triūphale imperium beatitudinis ſempiternę. Speramus, fore, vt Pontificia vota optatos ad exitus perducat Omnipotens, cui accuratiſſimis orationibus te, ac Regnum tuum ſemper commendamus. Interea iſthuc redire volumus eundem Sacerdotem Petrum Auitabilem, cui Euangelicę charitatis zelus, & patrocinii tui ſpes incommoda videri non paritur itinera, tot naturæ, atque iniquitatis periculis obſeſſa. Is certè, atque alii ſacerdotes, tùm Auguſtiniani, tùm Theatini digni ſunt, qui Maieſtatis tuæ beneficiis perfruantur. Patrias, affluentes deliciis, conſanguineos, charitate blandientes relinquunt, non vt aurum iſthic congerant, aut voluptates in alterius propè mundi noualibus metant; ſed vt animas tuorum popularium, ex infernalium luporum faucibus ereptas, ad ouile Chriſti perducant. Idem Petrus prolixè mentem noſtram declarabit Maieſtati tuæ, cui felicitatem precamur, quæ Spiritus Sancti beneficium babeatur. Datum apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die 21. Iunii anno 1631. Pontificatus noſtri octauo.

VRBANVS PAPA OCTAVVS

Zachariæ totius Iberiæ Metropolitæ nuncupato.

Et ad Patriarcham,

Venerabilis frater. Exoriatur Chriſtus ſol iuſtitię in cordibus iſtorum populorum. Conſolamini conſilia iuſtorum: en apparent flores diuinę gratię in Aſiatica Iberia. Speramus, fore, vt iſthic quàm primùm matureſcant fructus ſuaues gutturi noſtro, atque adeò digni, qui conuiuiis angelorum inferantur. Audiuimus ex remotis iſtis prouinciis redeuntem dilectum filium, Theatinum ſacerdotem, Petrum Auitabilem, nec ſine eximio Apoſtolicę charitatis gaudio audiuimus. Teſtatus enim eſt luculentiſſimè, quibus beneficiis per manus Regis, & Metropolitæ declaretur iſthic miſericordia Omnipotentis ſacerdotibus Romanæ Eccleſiæ, ad vos proficiſcentibus. Deum, qui diſperſiones Iſraelis congregat, oramus, vt tandem perficiens, quod operari cœpit

pit in vobis, Principes, ac populos Iberiæ deducere velit ad hunc montem Sanctum Vaticani. Eum enim elegit Dominus habitationem ſibi, vt in hoc Sanctuario religionis pateſaciant Pontificiæ claues fores Regni cœleſtis nationibus credentibus. Interea dum tantùm ex iſto Regno ſolatium Roma, nationum parens, expectat, perfruitur fama nominis tui plauſu Italiæ. Porrò autē Senatus Apoſtolicus, coronatua purpura Regum, & ex vniuerſis Catholicæ Eccleſiæ Regnia ſelectua, gauiſus eſt non mediocriter, vbi pateſactum eſſe in Iberia templum, curante auctoritate tua, ſacerdotibus noſtris audiuit. Ibi certè nō modò cōmorabuntur virtutes è cœlo petitæ, & ſaluti terrarū ſeruientes; ſed etiam excubabit oratio, Regnorum cuſtos, quę legiones angelorum deuocare ſtudebit ex arcibus æternitatis, vt eodem tempore, ac duplici victoria de vitiis triumphetis, & hoſtibus. Volumus eundem Petrum ad vos redire, teſtem Pontificiæ ſolicitudinis, & beneuolentiæ; dignus planè eſt, quem omni officioſi genere colat natio Ibera, cuius ſaluti vt ſeruiat, patriam, & propinquos obliuiſcitur. Ex eo cognoſces, cur optatos pictores, & medicos, tàm periculoſi itineris comites non deducat. Ei autem non modò fidem haberi, ſed etiam omnem, qua polles, opem cupimus adiungi. Huius verò beneficū debitorem tibi allegare poſſumus ipſum Deum, qui ſemetipſum in ſacerdotibus coli, & in peregrinantibus excipi profitetur, Cœteros verò Auguſtinianos, ac Theatinos ſacerdotes, virtutibus opulentos, & charitate æſtuantes dum patrocinio tuo iuueris, promereberis beneficentiam Altiſſimi, à quo tibi precamur, felicitatem, Iberico Regno, & Catholicę religioni ſalutatem; Datum Romę apud Sanctum Petrum &c.

Atenim morati diutiùs cum Auitabili, ad Ibericam miſſionem, quam eodem hoc anno trigeſimo impigrum hominum par adauxere, ſtylum conuertimus. Dixi iam, decretam Auguſtorum Patrum ſuffragio auxiliarem in Iberia operam, vt eſſent, qui iis laboribus, curiſque ſufficerent. Ex iis verò, qui deſtinati nominatim fuerant, duos quidem, nampè Celſum de Nigro, & Ioannem Baptiſtam Caraeciolum ita aliæ occupationes cùm quidem diſtinebant, vt de iis ad Iberiam allegandis cogitari minimè potuerit. Ioannes autem Philomias, quem, vti ſignificaui, valetudo detinuerat, quominùs cū Auitabili, & Stephanio iter denuò in eas terras intenderet, deſignatus quidem expeditioni Cardinalium conſulto nunc eſt; ſed cùm pergerent acciſæ corporis vires exercere hominem, neque tū polliceri ſibi tantùm roboris potuit, vt in eas iterū curas, viamque longè laborioſiſſimam ingrederetur. Ergo ex pleriſque aliis, qui dedere certatim nomen, lecti Ioſeph Iudices Mediolanenſis, & Archangelus Lambertus, Auerſanus. Et huic quidem, cū cœtera ad præclarum opus ineſſent animi ad umenta, tū vires maximè à florente adhuc æuo conſtabant, quas vehementer adaugebat charitatis ardor, atque animatus ad religionis incrementum, omnemque laborum tolerantiam ſpiritus. Neque alius profectò contingere Ioſepho Iudices ſocius debuit, Viro quidem robuſtiſſimę virtutis, qui ad lydium peſtilentiæ lapidem in Sicilia probatus, percuſſuſque ſemel, ac iterū ea lue, ſuę charitatis luculentum ſanè periculū fecerat. Ac tùm quidem cum de altera hac Iberica expeditione conſilia agitabātur, Romæ morabatur: cùmque rumor attuliſſet, afflatam populari morbo Galliam Ciſalpinam, graſſarique longè, latèque malum, eò perquàm auidè, ad nota nimirùm pericula, aſſuetus eiuſmodi luctę vir, inhiabat; inſtititque apud Patrem Generalem anxiùs, vt voti compotem faceret. Sed interclusum ſtatim iter, mutare velificationem coēgit; vouitq. ſe barbarorum terris, vt nobiliore quidem inſtituto animorum, non corporum peſtilitatem curaret. Igitur obſignata Cardinalium decreta. Et Pontifex quidem cùm alia recentibus Euangelii adminiſtris beneficia concesſerit, tùm duo in primis, ſubſcriptis breuibus literis, indulſit. Alterum, vt pręter Clericorum Regularium inſtitutum petere ad ſacrorum cultum ſupellectilem, calices, altaris ornamenta, etiam pecunias ab amicis poſſent: alterum, vt medicæ artis peritum liberum iis eſſet in Iberiam ſecum ducere, qui initiari ſacris poſſet, ſacriſque ita initiatus, exercere citra Eccleſiaſticarum animaduerſionum iudicia medendi facultatem, valeret. Petrus a Valle, qui, vti ſignificatum in loco eſt, Auitabilem, ac ſocios opportunis ſanè monitis ad expeditam itineris rationem inſtruxerat, deeſſe in præſentia iſtiuſmodi documentis noluit; ac commentarium de iis, quę in rem miſſionis, totiuſque in Georgia Chriſtia-

Ioſeph Iudices, et Archangelus Lambertus deſtinatur Ibericæ miſſioni.

Quædam ità Pontifice beneficia.

Petri à Valle monita.

ſt anæ rei maximè ſiocreut, oxarauit. Præcipua in iis capita, vt Hierapoli per Arzerum in Iberiam tenderent: quippè via breuior, ac tutior; nec tot ſe ſe obiiciunt difficultates, ac rerũ diſcrimina, in quæ induere ſe ſuperiore expeditione Patres, oportuit. Id verò potiſſimùm vrget, vt poſtquam in Iberiam peruenerint, darent operam, vt rationem vnà cum Rege inirent, quà mitti literæ vltrò citròque poſſint. Id verò, ait, continget, ſi in iis, qui ſunt in Iberia ad Pontum Euxinũ portus, vbi frequentior eſt mercatorum vſus, ac proindè traiiciendi in Europam paſſim opportunitas, cũ perſpectæ fidei viris familiaritas contrahatur, quibus literæ commendẽtur, qui deindè Conſtantinopolim mittant, vnde per Principum Legatos Romam, ac per reliquam Italiam per facilè transferentur. Quem quidem per Euxinum aditum ſi aperiri contingeret, nihil futurum miſſioni vtilius; cũ frequenti eo literarum commercio, & ſignificari opportunè progreſſiones omnes, & quicquid in dies acciderit, & peti ſtatim, ſubmittiq. adiumenta, ac monita, & conſuli præſenti ope Georgianæ rei hinc indè poſſit. Pontus autem Euxinus, vt literis permeabilis, ita perſonarum tranſmiſſioni oppidò ſuſpectus; quando nihil propius eſt, quàm Conſtantinopoli, vbi plena delatorum omnia, poſt nauigationem naufragium religioſi viri ſaciant; vt experientia pridem docuit. Atque eiuſmodi quidem pericula cũ ad Georgiam proficiſcentibus à Turcis, ac Perſis per reliquum Orientem non deſint, idcircò enitendum putat Petrus à Valle, vt ab aliquo Iberiæ portu iter per eundem Euxinum ad Poloniam, atque vtrinque commercium inſtituatur. Perſuaderi Iberię Regi facilè id poſſe, propoſita ad Regni opulentiam importatione, atque aſportatione mercium. Tractus quidem pelagi ad Boriſthenis oſtia, vbi Coſachi degunt, Polono Regi obnoxii, non adeò prolixus; quin exhauriri intra octo omninò dies poſſit. Hinc verò ad Italiam etſi longius videri iter poteſt; attamen certum, ac procul Turcis, ac barbaris per Chriſtianorum Principum terras longè tutiſſimum. Hæc ille etiam, atque etiam inculcat; cùm pleraque deindè ſubdiat, quę ne ſim æquo longior, abſtineo recenſere.

His inſtructi monitis, peractiſque, quę tranſigenda Romæ fuere, Neapolim, antequàm ſe ſe ęſtas intenderet, Ioſeph Iudices venit. Indè Panormum ſoluit, vbi abundè notus ſummis, infimis; ac proindè experiri multorum mortalium pietatem, ac beneficentiam contigit. Ac pridie quidem, quã inde diſcederet, accidit, vt per quandam viri nobilis domum pertranſiens, vocatus ab eo fuerit. Sermo inter ipſos non vltra officii verba: ſed mane adiit ad cœnobium vir nobilis, ac non mediocrem quidem vim auri Ioſepho elargitus, ſe quidem, inquit, heſterna die, cũ ipſum vocauit, monitũ interna quadam voce, ac impetu fuiſſe, vt faciem, quod ſibi inſolens, feneſtra exereret. Cognouiſſe deindè, factum id inſtinctu Numinis, vt hominem alloqueretur, muniretque ad itineris ſubſidium pecunia. Panormo Meſſanam diſceſſit, vbi Archangelum Lambertum præſtolari diutiùs oportuit; planè non ſine quadam animi ſolicitudine. Enimuerò cũ explicare maturiùs quædam negotia minimè potuiſſet, ac cœli deindè intempeſtas obſtiterit, quominùs vela faceret, quidam pleroſq. afflauit rumor, Lambertum conceptę mentis pœnituiſſe. Nec minimũ ſanè ſuſpicionem adauxit, quòd cũ Meſſanam velificaſſet Archiepiſcopus Myrenſis, quicum ſoluere Lambertus commodùm poterat; quæ illum cauſa detinuerit, ſubſiſtere adhuc Neapoli aliquantiſper oportuit: atque adeò vt omnium quidem perſuaſionem, ita Ioſephi potiſſimùm deſiderium, ac triſtitiam intendit mora. Myrenſis is Archiepiſcopus ille eſt Auguſtinus è Dominicana familia, qui celebri in Alingiæ, ſiue Naxiuani cœnobio pręerat, cũ Auitabilis, & Stephanius in Iberiam tranſiere, illoſque, vti in loco memoraui, omnibus religioſæ charitatis officiis exceperat. Vocauerat illum Romam Vrbanus Pontifex, vt Myrenſibus Infulis conſecraret, regeretque in Alingia, atque adminiſtraret ſacra. Nam quem triennio ante eius Prouinciæ Archiepiſcopum inaugurarat, ita Roma in Orientem diſceſſerat, vt nullus deindè allatus de eo nuntius fuerit, atque incompertum omninò erat, viueret, an interceptus fato in itinere eſſet. Quocirca ne deeſſet in ea Armeniæ ora, qui Chriſtianam Religionem procuraret, id ceptum conſilii fuerat, vt Myrenſis Eccleſiæ titulo, atque appellatione eò accederet Auguſtinus, ac gereret Archiepiſcopi Alingienſis vices, quoad ille tandem emerſiſſet. Genuam is primò applicuit: & qui ſciuerant Genuenſes Patres quid officii impenderat

Pulchre Panormi munera concedit.

Fiorum in ipſum munificentia.

Meſſanæ de Lamberti aduentu ſolicitus.

Auguſtinus Dominicanus Myrenſis Archiepiſcopus.

no-

noſtris in remotiſſimis iis terris vir egregius, excepere humaniſſimè hoſpitio: ac po-
ſtea, cũ eodem hoc tempore Paulus Spinola, eius domus Præpoſitus, Romam & ipſe
peteret, ita ſe illi comitem exhibuit, vt nihil in itinere ab eo fieri ſumptus permiſerit.
Genuina noſtratum in illum humanitas.
Neapoli, poſtquam Inſulas capeſſiuit, idem in ipſum noſtratum ſtudium, qui in id po-
tiſſimũ incubuere, vt aliquot illi contingerent à piis viris eleemoſynæ. Et à Sanctimo-
nialibus quidem D. Gregorii Armenii, quod celebre eſt Neapoli ab earum Virginum
Et Neapoli.
genere, ac diſciplina gynæcèum, præter reliquam munificentiam, thecam etiam im-
petrauit, vbi eiuſdem D. Gregorii caput incluſum diù fuerat, antequam pretioſis iis
lipſanis ſumptuoſum ex argento ornamentum efformandum, curaſſent. Quod ille
munus, eius attactu, ac mora capitis longè magnificentiſſimum, in præcipuis habuit.
Sub hoc verò tempus redire in Alingiam Antiſtitem, quo velificare noſtri homines
in Iberiã deberent, opportuniſſimum iis accidit; cùm à præſtantiſſimi Viri conſuetudi-
ne, ac ſocietate, tùm verò maximè, quòd viris Italis, linguarum adhuc ignaris, nihil
Georgiani Patres comites ſe ſe illi exhibent,
omninò optabilius, quàm fidus adeò interpres. Itaque rebus tandem Neapoli con-
fectis, Meſſanam ſeſe contulit Lambertus: & quidem in tempore. Nam cùm Archie-
ſcopus, & Ioſeph venturum iam ipſum, deſperaſſent, diſceſſum propè diem cogita-
bant. Complexi ſe mutuò incredibili quodam ſtudio; atque adornata illicò nauiga-
tione, Melitam ſoluerunt: vbi cùm Auitabilem, vti ſupra monui, reperiſſent, cumulata
profectò hæc itineris rudimenta ingenti quodam gaudio ſunt; vt tùm quidem cogno-
uerint, quo tandem reſpicerent Lamberti moræ, atque alia viæ Impedimenta. Mo-
liebatur ea ſcilicet, Deus, vt vnà Melitam appellerent, atque exiſterent inde commo-
da, quæ in loco ſignificaui. Melitæ non diù morati, primò quidem extremam quan-
dam Chil Inſulæ oram cogitabant, oblata naui, quæ illuc tenderet. Sed conſilium ex
ſe quidem non ſatis commodum. Nam portus intutus, nec vltrò, citròque com-
meantibus apertus, ac liber. Per Aegèum deindè enanigandum, quod tùm quidem
piratarum latrociniis infeſtiſſimum. Poſtremò æquo longiùs iter inde per minorem
Aſiam inſtituendum, tadendumque diutiùs Smyrnenſe littus, vt ad viatorũm mul-
Quædam inibi de itineris ratione ſolicitudo.
titudinem Orientis more aggregarentur, ac tutò pergerent. Quocirca hoc iter cùm
non ſatis probarent noſtri, tùm id maximè illos diuexabat, quòd eius conſilii Archie-
piſcopus Myrenſis auctor eſſet, commendaretque vehementer, cui refragari, niſi vere-
cundè, ac remiſſiùs minimè audebant. At enim dum in hac animi anguſtia verſã-
tur, atque interim nauis, quòd vetuſta admodum eſſet, ſarcitur, ecce tibi appulſum
Melitam Gallicum nauigium, quod intra paucos omninò dies Sidonem, Saidam nũc
vocant, Phœniciæ Vrbem, rectà tenderet. Sedes ea eſt illius Regiones Dynaſtæ, quem
Emirem appellant: iſque tunc erat vir quidam ſtrenuus, qui Neapoli, ac Florentiæ
olim fuerat, Italis, ac Chriſtiano nomini non infenſus. Magnus Melitenſium Equitũ
Magiſter conteſſerauerat cum eo amicitiam, cuius commendatitię ad illum literæ
iuuare noſtros apprimè poterant. Ad hæc, magna Dux Etruriæ non ita multò ante
eò virum nobilem, qui ſuo nomine inibi ageret, allegauerat; eratque is Franciſcus ille
Verrazzanus, quem vnà cum Petro Auitabili, & Iacobo Stephanio Conſtantinopoli-
tanum iter dixi emetitum, ac remetitum, noſtri Ordinis longè cupidiſſimus, cui ſanè
nihil fuiſſet iucundiùs, quàm noſtros excipere, ac veterem iis beneuolentiam hoſpitio,
Dant Sidonem verſùs vela.
atque officiis probare. Itaque Numine aſpirante, viſa Gallica ea nauis Melitam per-
ueniſſe: ſtatimque arrepta noſtri occaſione, atque ipſo in primis Archiepiſcopo cõ-
mendante etiam, atque etiam, conſilium, ac velificationem commutarunt. Die Ia-
nuarii ſecunda anni primi, & trigeſimi eius ſeculi dedere ventis vela. Initium nauiga-
tionis haud quidem proſperum. Nam quos idoneum innitanerat coelum, redire
oborta mox tempeſtas coëgit. Sed inſtaurato ſubindè itinere, ſecundè enauigatum:
niſi quod dum tenere Sidonem putant, aquilone vehementiùs flante, infra illam ſe-
xaginta circiter paſſunm millibus, Actis, quam olim Ptolemaidam vocabant, portum
tenuere: planè non ſine operę pretio. Excurrere ſiquidem hinc in patrios Chriſti
Dom. lares, nempè Nazareth, quæ non longè diſtat à Ptolemaide, facilè potuere. Tũ,
Excurrunt in ſacra Palæſtinæ loca.
quòd propiùs etiam aberat mons ille, non tàm ſuo faſtigio, quàm Saluatoris tran-
sfiguratione, ac gloria præcelſus, conſcendere & illum, ac diuina inibi cernere, atque
adorare Chriſti veſtigia voluere. Qua quidem inſigni locorum religione, piiſq. mo-

tolerare in ſumma egeſtate vitam, oportuit. Enimuerò vbi communis inter populares inopia, ac tanta vbique annnnæ difficultas, nonniſi extrema pati religioſos viros, neceſſe erat; qui in eo potiſſimùm animum obfirmauerant, vt cũ à reliquis Inſtituti ſui rationibus, tũ maximè à Theatina paupertate, quæ nullis precibus mortaliũ

Re domeſtica laborant.

aures ſolicitat, ne tranſuerſũ quidē vnguem diſcederent. Itaq. quotidianus iis cibus campeſtres herbæ, quas ipſimet legebant, coquebantque modico ſale. Humi, inſtrata pelle, cubabant; ligna ipſi ſibi ad proximum nemus cœdere; ipſi ad flumen purgare lintea; veſtes conſuere, ſarcire; nec abhorrere interdũ à colo viriles manus, vt idoneum ſuis vſibus filum pernerent. Quæ quidem ea alacritate obire, vt id ſolummodò viros egregios angeret, quod non integrum inſumerent in ſalute animarum tempus; ſtudiumque præſertim Georgianæ linguæ, quæ difficillima, iis miniſteriis fraudarent. In iuuandis autem mortalibus, quòd vnum propoſitum habebant, mi-

Aegrotis dant operam.

rum eſt, quo ſtatim ardore operam collocauerint. Aegrotos potiſſimùm inuiſere. Nam qui cernerent, nullis medicorum præſidiis propulſari decumbentium mala; ac quędam ipſi adhibere adiumenta, quæ ſcripta ſecum attulerant, poſſentincumbere ſerio in hanc pietatis partem cœpere: cumque precibus potiſſimũ, atq. ope Superum agerent, ſuccedere mirum in modum pharmaca, contingebat: vnde ſoluti eorum opera inueterati quidam, atque inſanabiles penè morbi. Non eos labor, locorumq. aſperitas detinebat, quominùs longè poſitos adirent; ac manante latiùs per Iberiam fama, adibant ad ipſos paſſim languidi, qui ſuæ plerumque incolumitati reſtituti, homines, nullo præſertim cũ ſui compendio, ac pretio hominibus adeò perutiles, veluti è cœlo delapſos, ſummis laudibus celebrabant. Experiri & Reginam contigit conceſſam iis diuinitùs medendi artem. Diù ſiquidem intimis doloribus cruciata, cũ

Reginam curant.

fruſtra eſſent medicorum conſilia, quos è Perſide acceſſiuerat, noſtros tandem, quos adeò rumor dilaudabat, euocare, eorũq. ſe ſe fidei, ac remediis permittere, conſtituit. Succeſſitque ingenti cũ omnium admiratione curatio; ſoluto penitùs morbo, vt Rex poſtea appellare illos Diuos Coſmam, & Damianum, ſolitus eſſet. Hac porrò corporum medicina facilis iis aditus inſtaurandæ animorum ſaluti, quæ potior, & in quam intentiſſimi. Nullam formandæ, augendæque pietatis occaſionem, præterire viri im-

In rem animorum incumbunt.

pigri: allicere ſacrorum cultu, ac nitore: concionibus, ac monitis mores aggredi; inſtillare rudibus Chriſtianæ fidei capita: Romanæ potiſſimùm Sedis maieſtatem, ac Maximi Pontificis in Orbem, vniuerſamque Eccleſiam Principatum inculcare. Et quidem genti alta licet barbaries, ac inſcitia; prona nihilominùs iis indoles; & quod ad Chriſtianas præceptiones attinet, & audire, & arripere libenter videbantur. Verũ, ſuperſeminata ſtatim zizania, induſtriam omnem, laboreſque deludebant. Quidam

Græcis obluctantibus.

nanque græcæ fidei homines, quos, vti ſignificatum eſt, Caloceros vocant, atque dilatandæ per Orientem perfidiæ immitti à Conſtantinopolitano Patriarcha identidem ſolent, nimiũ quantũ operæ in corrumpenda recta religione, ac gente ponant: vt quos ebibunt ab incunabulis errores Iberi, alant, foueantque Caloceri, fauente præſertim Metropolita, quem dixi ea doctrina initiatum, atque à Græcis ſtare. Conferre cum eiuſmodi veteratoribus pedem perſæpè noſtros, oportuit. Semel id Petro Auitabili coram Patriarcha accidit. Quidam eius farinæ, Philippus nomine, lingua græco-Italus, qui nauaſſe literis operam inter Catholicos videbatur, cùm pleraque in rectam

Quid Auitabili cum Calocero acciderit.

Chriſti fidem palàm euomeret, tũ maximè in Romanum Pontificem inuehi impuriſſimis contumeliis, ac mendaciis cœpit. Commeſſari, ludere, hæc eius Romæ ſtudia. Vxorem item ducere, ac filios procreare, quibus deindè Eccleſiæ patrimonium profunderet. Ferre viri impudentiam Auitabilis minùs potuit, actuſque Numine, ac zelo, his ſtatim verbis illum appellauit. Audi, fili diaboli: tũ Maximi Pontificis ſanctitatem, dignitatem, mores explicare. Orationem deindè ad Conſtantinopolitanum Patriarcham conuertere; ac compertum ſibi, ait, quo tempore Conſtantinopoli captiuus ipſe moraretur, edictum ab eo manaſſe; quo piacularem confeſſionem abrogaret: quod, tumultuantibus Græcis orthodoxis, refingi mox oportuit. Ad hæc, in Hollandiam inſtituendos præclara ea diſciplina iuuenes, naui impoſitos miſiſſe. Officinam præterea typographicam Conſtantinopoli curaſſe, vt Sanctorum Patrum monumenta pro libito corrumperet; aliique hæreticorum libri ad moxum cladem ex-

cu-

Digitized by Google

cuderentur: & ipſum quidem Caluino doctrina, indole, moribus omninò ſimilem. Furere ad hęc Colocerus, ac iam baculum intentare, cū Auitabilis demiſſus in genua, caput vulneri obiecit; id ſibi, inquiens, ex Euangelii forma præſcribi. Prohibitus ille quidem, ne læderet; Sed factum Regina cū reſciuiſſet, acriùs Colocerum increpauit; interminata, ſi Patres dehoneſtare, ac rem Romanam pergeret, effecturam ſe, vt Regno faceſſeret. Atque hęc quidem noſtratium in Iberia rudimenta; quibus non minimùm quidem opportuna in eo rerum initio accidit Nicephori Erbacii; quem ſupra loquuti ſumus, ab Europę legatione reuerſio. Anno ſiquidem ſeculi vigeſimo nono Auguſto menſe, in ipſo Aſſumptæ in cœlum Deiparæ peruigilio Goridem is appulit; obiecitque ſe ſe ex inopinato noſtris, eoſque incredibili gaudio perfudit. Salutem iis plurimam à noſtratibus dixit: de felice Congregationis ſtatu pleraque enunciauit: Beati Caietani Thienæi, Conditoris noſtri Apotheoſim, honoreſque publicos, Pontificis nutu propè diem obſignandos, attulit. Poſtridiè ad Regem ſe contulit, ac legationem, qua functus fuerat, ſucceſſumque ex ordine denarrauit. Pontificis præſertim voluntatem, ac ſtudium explicauit; tū eius epiſtolam reddidit, quam debere hic nolui, vt qua tandem ratione cum Ibero Principe, qui Romano Capiti non integram adhuc reuerentiam, honoremque exhiberet, actum ſit, intelligat Lector. Sic verò habet.

Nicephorus Goridem reuertitur.

VRBANVS PAPA OCTAVVS

Dilecto Filio Regi Iberiæ.

Potentiſſime Rex, ſalutem, & lumen diuinæ gratiæ. Regna terrarum, quę ſempiterno Imperatori vectigalia ſunt, parū firmis innituntur fundamentis, niſi in eius petræ ſoliditate conſiſtant, aduersùs quam nunquam præualere portas Inferni, decreuit Omnipotens. Quare cœleſtes regnandi artes, & perfectam ſcientiam ſalutis edocti videntur Chriſtianæ Reipublicæ Principes, qui muniti legationum robore, & triumphorum gloria coronati, ad Apoſtolicos Romani Pontificis pedes procumbunt, religioſæ obedientiæ tributum perſoluentes. Catholicis eorum conſiliis inſeri dum cupit in præſentia Celſitudo tua, videtur ad noui Principatus defenſionem centuriari militia cœleſtis exercitus. Conſilium adeò ſalutare è diuinæ Sapientiæ theſauris ad te per cuſtodientes angelos nuper delatum; certiſſimum argumentum eſt clementię cœleſtis in rem Iberam. Non obliuiſcitur Deus miſericordias ſuas, qui diſperſiones Iſraelis congregat, & ſanabiles facit nationes Orbis terrarum. Quare paterna charitate complexi ſumus dilectum filium Nicephorum Erbacium, Sancti Baſilii monachum; quem ad nos cū tuis literis legaſti, teſtem potentiæ tuæ, & ſponſorem. Nunc autem ſupplici oratione Deum rogamus, in cuius manu ſunt corda Dominorum, vt pias Celſitudinis tuæ cogitationes optatum ad exitum peducat. Vt autem quàm primùm comitantibus angelis ad maternum Romanæ Eccleſiæ gremium peruenias, volumus, te cenſurarum laqueis abſolui, iiſque Eccleſiaſticæ indulgentiæ fructibus recreari, quibus perfrui ſolent, qui Beato Petro, in Romanis Pontificibus regnanti, ſacramentum dicunt. Sacra hæc beneficia deferri tibi volumus per venerabilem fratrem Archiepiſcopum Myrenſem, ſi in Naxiuana Diœceſi commorabitur. Eius autem abſentis vices ſupplebunt Theatini ſacerdotes, quos in regiones iſtas allegauimus prædicatores Euangelii. Quod ſi aliquod impedimentum iis etiam aditum ad Regiam tuam intercluſerit, euocari iuſſimus è Perſide cœnobitas Auguſtinianos, vel Diſcalceatos Carmelitas, quorum miniſterio venias ad adoptionem filiorum Dei. Vbi ſolennem fidei orthodoxæ profeſſionem iis ritè declaraueris, & publicum tuæ obedientiæ teſtimonium ad nos peruenerit, Apoſtolica auctoritas, per quam Omnipotens regnantium arbiter, opportunè transfert regna, atque cōſtituit; regale tui Principatus ſolenni Pontificia benedictione muniet. Porrò autem Celſitudini tuæ conciliare conabimur fraternam Chriſtianorum Principum beneuolentiam, præcipuè verò Hiſpani Regis optatam amicitiam. Sacra Cardinalium Congregatio, quæ propagādæ fidei negotia curat, Nicephorum ipſum monuit, quid præcipuè à Celſitudine tua

Pontificiam epiſtolam Regi tradit.

exi-

exigat, atque expectet Roma. Omninò danda tibi eſt opera diligentiſſimè, vt Antiſtites, & ſacerdotes, qui Paſtores animorum in Iberia habentur, ambulantes in domo Domini cũ conſenſu, tecum Principatum Petri, & viſibile Eccleſiæ caput in Romana Sede venerentur. Nihil enim videtur excogitari poſſe, vel ad muniendam Iberię quietem vtilius, vel opportunius ad promerendum patrocinium cœli. Nos certè, qui in animorum ſalute gloriam Pontificii Imperij conſtituimus, pio triumphantes gaudio, laudabimus Patrem miſericordiarum, ſi te Principem, armorum gloria, & ingenti virtute clarum, complecti poterimus brachiis Apoſtolicæ charitatis, atque iis ornare beneficiis, quæ Catholici Regnatores piè ſolent cœteris humanæ potentiæ titulis anteferre. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die ſecunda Decemb. 1628. an. Pontif. noſtri ſexto.

Eius commendatione augetur Theimurazii in Patres ſtudium.

Pontificis his literis perlectis, noſtratũ deindè Nicephorus cũ in Italia, tũ in Hiſpania beneuolentiam, atque in tota ea legatione opem mirificè apud Regem commendauit. Quo Rex ſuam in Auitabilem, ac Stephaniũ voluntatem magnoperè adauxit: ac tũ quidem, vt ſtudium indicaret, non mediocri eleemoſyna eos iuuit: proximè verò, vbi ab ipſum adiere, incredibili beneuolentiæ ſignificatione excepit; ac ſe quidẽ, ait, quicquid in Europa in Legatum ſuum Theatini impendiſſent, non antea reſciuiſſe: effecturum in poſterum, vt vſu cognoſcerent, quanti ea beneficia, atque eiuſmodi Inſtituti homines faceret: iuſſitque interim, vt cùm annona, tũ etiam pecunia Goride ſuo iis nomine erogaretur. Quod quidem incitatis ex ſe viris ad omnem laborum tolerantiam, ſtimulos addidit acriores: ita vt ſimul Goride interdiù, noctùq. in Dei vinea laborarent, ſimul pagos, villas, regionemque omnem Apoſtolico planè ritu circumcurſarent, benefaciendo, ſanando, inſtruendo omnes.

Altera in Georgiam miſſio.

Seges autem cum in dies excreſceret, augeri etiam operas oportuit. Quare Auitabilis, qui miſſioni prę erat, compoſitis ad Auguſtos Patres literis, quæ iam decreuerant ſubſidia, atque auxiliares manus opportuniſſima fore, ſignificauit: vt eſſent, qui bonæ Regis menti, ac diductis, ſparſiſque in perampla ea regione populis, eorumque neceſſitati ex ęquo reſponderent. Et annuit quidem ſacra Congregatio, duoſq alios operi deſtinauit. Qui quidem dum expeditioni ſe comparant, Auitabilis ab Rege Theimurazio ad Pontificem allegatus, Romanum iter capeſſit. Fuitque ita quidem diuinitùs adgubernata vtrinque itineris ratio, vt Melitam ſimul applicuerint. Quo factum, vt & mutuo ſeſe aſpectu, complexuque recreauerint, & non minimũ vtilitatis in Georgiam veliſicantibus attulerint Auitabilis monita: cũ à nemine poſſent ii de re tota Georgiana, ac de viæ potiſſimũ ratione condocefieri, quàm ab eodem ipſo; qui oculorum fide, vſuque, ac perpeſſione didicerat. De vtriſque ſucceſſiuè nobis dicendum, ſed priùs de Auitabili. Igitur Theimurazius gratias Romano Pontifici per literas, venerationis, ac ſtudii plenas egiſſe, quòd eximia charitate, ac clemẽtia complexus remotam illam terrarum Orbis partem fuerit, minimè contentus; vt beneficiũ ſummoperè ęſtimare videretur, certum hominem ad illum mittere, qui ad eius pedes prouolutus, id officii coram, ſuo nomine perſolueret; apud animum ſuum ſtatuit: neque alium fore opportuniorem, quàm alterutrum ex iis Patribus, quos à virtute, ac pietate ſibi commendatiſſimos, ac Romæ notos, non dubitabat, munus cum dignitate, ac fructu exequuturos. Certatum aliquantiſper inter egregios viros; cedebatque alter alteri ab inſigni modeſtia officium. Sed dedit tandem Auitabilis manus,

Allegatur ad Pontificem à Rege Auitabilis.

ſubiitque haud grauatè quidem prouinciam; nec terruit laborioſum, ac plenum diſcriminis iter, cuius iam aſperitatem, atque omnem periculorum faciem emolliuerat vſus. Profectus Goride die Auguſti menſis tertia anni trigeſimi vertentis ſeculi, Melitam die ſecunda Decembris tenuit, planè quà mari, quà terra auſpicatiſſimè. Nactuſque peridoneam tempeſtatem, Neapolim ſtatim ſoluit; vbi recepto vix ſpiritu, Romam curſum intendit. Admiſſus inſigni beneuolentia ab Vrbano Maximo Pontifice, ac redditæ illi cùm Theimurazii Regis, tùm Patriarchæ literæ, quibus in eandem fermè ſententiam ſummum ſacrorum Principem intimè conſalutant, ac venerantur: tùm de egregia erga ſe, ſuoſque populos humanitate immortales gratias perſoluunt. Miſerabilem à belli motibus terrarum, ac gentium conditionem memorant. Medicinæ artis peritum, qui communem ſalutem procuret, iterum poſcunt: pictorem item, qui deuenuſtata hoſtium incurſione templa Diuorum

ima-

imaginibus exornent, ac ſacrent, vt mittat, rogant: aliaque ad venerationis argumentum ſubdunt. Auitabilis, vt muneri examuſſim reſponderet, exhiberetq; communi Parenti excitandæ nimirũ commiſerationi regionis illius faciem, diſtributam in præcipua quædam capita narrationem, quę Georgianæ religionis errores, ac cæteram deindè indolem, ac mores exactè, ac fusè contineret, illi tribuit. Et errores quidem, inſitoſque Genti mores nos ſupra retulimus. Quæ inibi videmur prætermiſiſſe, ad cõmune regimen pertinent, iuuatque hic ab ipſa Auitabilis narratione iiſdem nempè verbis exſcribere. Quæ ſic habent.

In Regimine politico Iberiæ Principes Eccleſiaſticam libertatem nihili faciunt. Sacerdotibus enim veluti mancipiis in placita ſua omnia vtuntur. Epiſcopos paruipendunt: huc, illucque eos ſecum pertrahunt; & ſi quid erroris commiſerint, in eos animaduertunt. Neque ipſi etiam ſupremo Iberiæ Patriarchæ, qui Catholicus ab iis nominatur, obediunt, aut eius mandata exequuntur. Quarè primũ locum in ſpiritualibus non Patriarcha, ſed Princeps obtinet. Quod Princeps de omnibus ſacerdotibus, & Epiſcopis facit, idem nobiliores alii in ſua quiſque Ditione de Sacerdotibus, & Epiſcopis, qui ſibi ſubditi ſunt, faciunt. In iudicando, & puniendo tyrannico iure vtuntur. Iudices apud eos nulli ſunt, qui cauſam cognoſcant, & examinent: teſtes non recipiuntur: leges non habent: quod princeps iubet, illud exequendum, ſiuè iuſtum, ſiuè iniuſtum: ſtatque pro ratione voluntas. Subditos tàm graui iugo ſeruitutis premũt, vt non ſolũ eorum rebus ad beneplacitum ſuum vtantur, nulla eis ſoluta mercede; ſed etiam perſonis, eos ſibi adinuicem vendendo; & quod miſerabilius eſt, & nunquã ſatis deplorandum, ipſis etiam infidelibus. Quod Princeps de ſuis, idem alii nobiliores in eorum Ditionibus perpetrant. Potentiores, & nobiles quàcumque iter faciunt, cogunt oppidanos ad alimenta ſibi, & equis miniſtranda abſque mercede. Licitum eſt cuique de hoſte vindictam ſumere: vnde fit, vt ſemper à fortiore, & validiore ſtet victoria. Si læſus apud principem pro illata iniuria non inſiſtat, Princeps neque ex officio in rerum inquirit. Porrò vindicta ſic ſumitur, vt ſi læſus inimici perſonam offendere non valeat, bona illius aggrediatur; vnde paſſim interfectum bouem, aut ſuem inimici in fruſtra concidentes, amicis & conſanguineis in publicis epulis apponunt. Eò ignorantiæ deuenere, vt nulla ſit apud eos ſcientiæ addiſcendæ, ſeu docendæ forma, ſeu modus, ne apud ipſos quidem Epiſcopos. Liberalium porrò artium ſeculares penitùs ſunt ignari: ſeruilium verò vix pauca veſtigia ſeruant. Quod ad mutua fœdera, omnes hi Georgiani Principes inter ſe nec amicitię fœdere coniuncti, nec inimicitię odio ſunt diſſiti. Si quis eorum bello vrgente premātur, ab aliis auxilium expectare fruſtra ſperare poteſt. Noſter Theimurazius cũ Turcis omnibus inimicitias gerit. Cum Perſa benè ſe habet, cum quo metu conſtrictus, pacem iniit. Et his diebus, qui nunc rerum in Perſide potitur, per Legatos ſuos filiam Theimurazii ſibi in vxorẽ ſponderi petiit. His, aliiſque Pontifici expoſitis Auitabilis, quæ ille magnoperè probauit; peculiari item commentario ampliſſimos Patres de propaganda fide eſt alloquutus: quos enimuerò affici, ac de Georgianæ religionis ſtatu edoceri, intereſſe plurimi, cognoſcebat. Igitur, vt quam ipſi inſtituerant, atque impetrauerant Ibericam expeditionem, fouere, atque vrgere etiam, atque etiam pergerent, in id maximè incubuit Auitabilis, vt capita exponeret, quibus non ludi operam, intelligerent: ſed ſpem fructus in eius regionis cultura conciperent non exiguam. Ea ſunt.

Quid de gentis moribus Pontifici.

Sacram item Congregationem docet de re tota Iberica.

1 Theimurazii Regis pietas, qui vbi eò miſſos à Romano Pontifice Patres intellexit, vt animorum, ſacrorumque procurationem inibi nauarent, incredibili illos voluntate excepit: Cuius quidem in rem Chriſtianam propenſionis argumento id fuerit; quòd cùm Græci ad Romanum nomen tumultuarent, curarentque apud Regem, vt qui aduenerant, Patres illicò eiicerentur, eò ardoris deuenit Theimurazius, vt illos conuiciis, diriſque mulctauerit, admota etiam ad enſis capulum manu, ceu euibrare animus eſſet; eaque diſertè enunciauerit, promptum nempè ſe, ipſos potiùs ad vnum omnes contrucidare, quàm religioſos eos viros expellere: appellauitque apertè ſchiſmaticos.

2 Eius ingenii præſtantia, ac eruditio. Verſatus quippè eſt in ſacro vtroq. inſtrumento, ſacriſque Conciliis, ac veterum Patrum monumentis.

3 Quamquam ſuaſerant Græci, ne cũ ipſis in diſceptationem de rebus fidei deſcenderet:quod dicerent, Philoſophiæ conſultos homines,atque argutari ſolitos,peracutis ſuis rationibus decipere facilè poſſe: ipſe nihilominùs diſſerere ſumma cũ animi voluptate cum iis voluit: cumque rogaſſet, quid de Spiritus Sancti proceſſione Latini ſentirent; vbi explicatum: non admodum diſcrepare ſe,ait, ab eorum ſententia. Quod ſi ea de re planiùs,ac certiùs quid edocerent, fore, vt in reliqua religione inter ipſos facilè conueniret.

4 Quòd præclarè de latinis ſentit; veluti Euangelicæ diſciplinæ ſeruantiſſimis, diuinique cultus apprimè ſtudioſis: commendatque magnoperè tùm Sacramentorum frequentiam, tùm quotidianam Chriſti Domini litationem.Maximè verò conſtantiam admiratur, animoſque fidelium in propugnanda Chriſti fide, pro qua vulgare iis eſt fortitudinis ſpecimen,dare vitam,ac ſanguinem: quod raro in Oriente, aut nunquam accidit, abiecta paſſim, leuique ex cauſa auita religione.

5 Cùm Matrem is habuerit longè piiſſimam,quę tuendę fidei cauſa Perſarum Regis iuſſu mortem intrepidè ſubiit, ſuo ſanguine condecorata: ſperatur fore,vt tantę genetricis merito,ſuperiore lumine colluſtratus, gentiles tandem errores exuat, iuretque vnà cũ ſuis ſubditis in Romanæ Ecclesiæ verba. Quam ſanè ſpem illud magnoperè adauget, quòd ad hunc potiſſimũ Georgiæ Principem adire Romani nominis viros,diuinum Numen voluerit: cùm alioqui quid aliud dictare prudentiæ leges viderentur; vaſtata nimirum,atque euerſa funditùs Theimurazii regione;ac liberum eſſet,quem libuiſſet, ex Iberiæ Principibus conuenire,

6 Quod non impar in plerisque è popularibus in Chriſtianam diſciplinam animi propenſio,quam affectus,ac lachymæ probant, quibus noſtra audiunt: idq. præcipuũ iis votum fuit, vt Eccleſia Romano ritu,quò conuenirent, excitaretur.

Hæc capita, quibus proſperiores ſibi euentus polliceri ab ea expeditione Auguſti Patres poſſent, Auitabilis ſcripto expoſuit. Nec diſſimulauit, qua potiſſimũ ratione induci atq. amplificari recta in Deum fides, erroreſque diſpelli apud eas gentes poſſint,hoc eſt,ſi operarum numerum augerent. In perampla ſiquidem regione meſſis ſeſe multa obiicit,in qua plurimorum ſtudia,vigiliæ, curæque deſudent,neceſſe eſt. Deinde, ſi iis ipſis operariis quid certi in ſingulos annos ſubſidii ab Romana beneficentia accederet; ſine quo tolerari paupertatis iniuria in ea temporum, ac locorum clade vix poteſt. Acciſa nanque omni ex parte re Iberica, nullus ex ea gente nõ eget. Nec lautior Regis ipſius fortuna, cui titulus quidem ineſt,ac dignitas; cœterũ aula, ac ſplendor longè intra priuati Principis conditionem eſt.Qua quidem annua pietate ſuffulti Euangelii adminiſtri,non eſſent iis populis graues; qui ſanè abalienari ab eorum conſuetudine,vſuq. facilè poſſent, ſi cernerent,in eo illos rerum ſtatu verſari, vt adeſſe quotidiana ope,atque erogatione opus eſſet. Quòd verò promouendę cõmuni pietati, ac diuino cultui procurando, vrgentibus potiſſimùm popularium precibus, ſacram quandam ædiculam, à Perſis dirutam, inſtaurauerat,perficiendoque operi quinque,& quinquaginta ſupra centum nummos aureos mutuò acceperat, ac iam ſoluendi dies interpellaret; Sacrę Congregationis Patres rogat,vt hanc ſibi repręſentari ſummam iubeant; ac perſuadeant interim ſibi, non ad alium quidem vſum, quàm ad eius templi ædificium inſumptam; quando nullam non illi rei domeſticæ difficultatem interea temporis toleraſſent,tunicis malè ſartis,ſinè centonibus induti, herbiſque ad cibum contenti; coacti nudis interdùm pedibus ambulare: compoſiti verò ad nocturnam quietem, neque ſtramentitiam aliquam culcitram,ſed pellem ſternere ad delicias, ſoliti eſſent. Quædam etiam Auitabilis, cùm vt Georgiani ad frequentandum, quod dixi, templum allicerentur, tũ vt noſtratum in ſpiritu commodis conſuleret à S.Congregatione poſtulauit. Nempè,vt traducto in Armeniam, Ibericamque dilectum Romano miſſarum codice, liceret miſſionis adminiſtris ſemel quotidiè in ſua eccleſia,ſaluo nimirũ catholico ritu, in iis linguis ſacra facere. Sic enimuerò fierent omnia omnibus, eoque inuitamento accederent alacriùs ad ſacram ædem populi, in qua Dei verbum præterea audirent. Ad hæc concederent Auguſti Patres, vt in eorum eccleſiis iiſdem linguis, aut latinè operari ſacris latini viri poſſent, ſi quando inuitari ab iis contingeret. Nec minimum ſanè ad gentis inſtitu-

Et rationem fidei amplificandæ exponit

Quædam in commune cõmodum ab Auguſtis Patribus poſtulat.

Digitized by Google

ſtitutionem, veramque religionem conduceret, ſi eorum ſacerdotes litare ſuo ritu in latinis Eccleſiis permitterent; cũ, videlicet, eo ipſi deſiderio flagrare impenſiùs commonſtraſſent. Deindè cùm non ibi Gregoriani Kalendarii obſeruantia vigeat, ſed priſcæ temporum rationi, ac ſupputationi ſtetur, atque adeò in celebrandis Eccleſiæ ſolennĳs ab eorũ inſtituto lõgè diſtẽt Romani nominis viri, pernęceſſariũ videri poſſet, facultatem iis facere, vt anniuerſarias celebritates ad illorum temporum, faſtorumq. normam celebrent: idque cũ vt ad eorum Euangelia accommodari conciones per annum poſſent, tùm etiam, ne admirationem iis pariat, veſci alios carnibus, cũ ipſi ieiunant; ac contra. Præterea, vt quæ per decennium conceſſa priuilegia fuerant, prorogari vellent. Scilicet, vt tùm quidem inciperet decennale hoc ſpatium, cum ipſi vacare perfectè ſuo muneri, diuinoque cultui cœpiſſent: facultates verò Præfecto miſſionis tributæ, ad eius etiam Vicarium tranſirent, quoties abeſſe Pręfectum contingeret. Poſtremò id petiit, vt quando non ita promptum eſſet, renouari quotannis ſacrũ Chriſma; ſeruare illud ad plures annos poſſent. Corollarium harum petitionum fuit, monere ampliſſimos Patres incredibilis ſtudii, pietatis, beneficentiæ Petri Oliuerii, qui Gallicę nationis Conſulem Hierapoli cum ageret, nihil officii prætermitteret in tuendis, iuuandiſque religioſis viris, qui ad laborioſiſſimas Orientis vigilias, ærumnaſque fidei cauſa amplificandæ tranſirent. Virum nempè eſſe, cui Euangelium, ac Chriſtiana res potior, quàm ſua dignitas, ac commodum, infracti ſpiritus, conſilio, manuq. opportuniſſimum. Idcirco commendare etiam, atque etiam apud Chriſtianiſſimum Regem egregium hominem, dignum laude, atque è re Catholicę religionis eſſet: tũ quia acriores ipſi faces ad id beneficentiæ ſubderentur; tùm verò, quòd aliis, qui in Oriente agunt, non minimo quidem incitamento eſſet, vt eandem ipſi in Apoſtolicos viros pietatem impendant, ſi cohoneſtari beneficiis Oliuerii charitatem, ac munificentiam cernerent.

Hactenùs Auitabilis. Et Purpurati quidem Patres, vt ipſum ſingulari humanitate, ac perhonorificè acceperant, ita viſi proniore quadam voluntate poſtulatis magna quidem ex parte annuere. Inſtituto ſiquidem Maximi Pontificis nutu coram Card. Vbaldino iis de rebus doctiſſimorum hominum conuentu, inter quos & ipſe Auitabilis fuit, & ex noſtris etiam Thomas de Afflicto, vir in omni literatura conſumatiſſimus, cùm reuocata ad calculum ſingula accuratè fuerint, ac relata poſtmodum ad ſacram ipſam Congregationem, obſignata inſigni cum omnium approbatione pleraque decreta fuere. Et quidem, facultatem celebrandi ſacra ritu quidem latino, ſed Georgiano, Armenioque ſermone, tùm quidem concedendam putarunt, cùm ratio hæc eſſet conuertendi Georgianos potiſſima: Cœterùm, hæc disertè ſciuere, vt veterе vti Kalendario liceret, etiamſi contingere in eius vſu poſſit, quemadmodum ante Gregorianas tabulas nobis contigerat, vt Paſcha ante plenilunium proximè poſt vernum æquinoctium celebretur, contra decretum Concilii Niceni primi. Item, vt cõceſſæ ad decennium facultates ad alterum decennium prorogentur. Vt has ipſas facultates communicare miſſionis Præfectus ſuis valeat. Vt, eo abſente, ad eius ſtatim Vicarium deuoluantur. Vt ſeruare ad triennium vetus chriſma poſſent. Vt operarum numerus pro regionis, curarumque magnitudine augeretur. Vt iidem ipſi operarii ęre annuo ad decennium iuuarentur: ac centum tũ quidem aurei ipſi Auitabili ad itineris commeatum ſoluerentur. Alia itidem, quæ ad legitimam cum ſchismaticis communicationem, atque ad Georgianorum errores ex ſacrorum Conciliorum, Patrumque normam confutandos pertinent, perdiligenter examinata, atque in commentarium relata; ad quorum ſe ſe normam Apoſtolici viri conformarent. Quibus ex animi ſententia peractis, gratulatus vehementer eſt Auitabilis; quòd non minimùm Georgiana ea Legatione fecerit operæ pretium, factaque à Romano Pontifice, atque ab ampliſſimis Patribus redeundi facultate, datæ illi ad Iberiæ Regem, ac Patriarcham Pontificiæ literæ, quæ humaniſſimæ perindè, ac diſertiſſimæ opportunè quidem ad legentium voluptatem hic apponentur. Sic verò habent.

Qui, re maturiùs expenſa,

Pleraque benignè annuunt

VRBANVS PAPA OCTAVVS

Iberiæ Regi.

Pontificis ad Iberiæ Regẽ literæ

Illuſtris, & potentiſſime Rex, ſalutem, & lumen diuinæ gratiæ. Nauigat mediterraneos fluctus, perambulat varias Europæ Prouincias fama, nuncia meritorum, quæ cùm in Aſiatica Iberia fuerit illuſtrium victoriarum ſpectatrix, Romani Pontificis curas laudibus Iberi Regis conſolatur. Planè videtur Maieſtas tua nouum Principatum circumuallare propugnaculis cœli, & munire legionibus angelorum; dum in iſtis regionibus excubare gaudet ſacerdotes è Vaticano tabernaculo prodeuntes. Religio enim, quam ipſi docent, tutela Regum eſt, & ſalus populorum. Ea ſi in tuis Prouincijs omninò dominabitur, videbis iſthic exarmari furorem, ſeditiones meditantem, & conquieſcere pacem, de vitiis triumphaturam. Tàm ſalutaria conſilia deferri ad Maieſtatem tuã è theſauris regni cœleſtis nuper declarauit dilectus filius, Theatinus Sacerdos, Petrus Auitabilis, qui tuas literas reddidit. Benedicat ſceptris Principatus tui, & adſtet gladiis regalium legionum dextra omnipotentis, quæ fecit virtutem cũ magno illo Conſtantino, quem ſuæ religionis auctorem agnoſcit Iberia. Is enim dum ſacerdotes coluit, profligauit hoſtes, & verũ victoriæ omen intueri potuit in nubibus cœli, coruſcantem crucem, quam in Romani Pontificis diademate Eccleſia veneratur. Quando illa dies affulſerit, dies lætitiæ, & ſalutis, qua Maieſtatem tuam, Conſtantini imitatione eruditam, complecti poterimus, accidentem per regios Legatos ad Apoſtolicos pedes, Regum oſculis nobiles, & ambulantes in ſemita diuinæ legis? Quando te potentiſſimi Chriſtianæ Reipublicæ Reges fratrem in Eccleſia poterunt appellare? Profliga randem omnia impedimenta: poſt quæſitum victricibus armis in Iberia Regnum, fiat theatrum religionis tuæ Vaticanum Sanctuarium, vbi inter Romæ plauſus audiatur exoptata legatio, perſoluens piæ obedientiç tributũ Beato Petro, perducenti Reges ad triũphale imperium beatitudinis ſempiternç. Speramus, fore, vt Pontificia vota optatos ad exitus perducat Omnipotens, cui accuratiſſimis orationibus te, ac Regnum tuum ſemper commendamus. Interea iſthuc redire volumus eundem Sacerdotem Petrum Auitabilem, cui Euangelicç charitatis zelus, & patrocinii tui ſpes incommoda videri non patitur itinera, tot naturæ, atque iniquitatis periculis obſeſſa. Is certè, atque alii ſacerdotes, tùm Auguſtiniani, tùm Theatini digni ſunt, qui Maieſtatis tuæ beneficiis perfruantur. Patrias, affluentes deliciis, conſanguineos, charitate blandientes relinquunt, non vt aurum iſthic congerant, aut voluptates in alterius propè mundi noualibus metant; ſed vt animas tuorum populariũ, ex infernalium luporum faucibus ereptas, ad ouile Chriſti perducant. Idem Petrus prolixè mentem noſtram declarabit Maieſtati tuæ, cui felicitatem precamur, quæ Spiritus Sancti beneficium habeatur. Datum apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die 21. Iunii anno 1631. Pontificatus noſtri octauo.

VRBANVS PAPA OCTAVVS

Zachariæ totius Iberiæ Metropolitæ nuncupato.

Et ad Patriarcam,

Venerabilis frater. Exoriatur Chriſtus ſol iuſtitiç in cordibus iſtorum populorum. Conſolamini conſilia iuſtorum: en apparent flores diuinç gratiç in Aſiatica Iberia. Speramus, fore, vt iſthic quàm primùm matureſcant fructus ſuaues gutturi noſtro, atque adeò digni, qui conuiuiis angelorum inferantur. Audiuimus ex remotis iſtis prouinciis redeuntem dilectum filium, Theatinum ſacerdotem, Petrum Auitabilem, nec ſine eximio Apoſtolicç charitatis gaudio audiuimus. Teſtatus enim eſt luculentiſſimè, quibus beneficiis per manus Regis, & Metropolitæ declaretur iſthic miſericordia Omnipotentis ſacerdotibus Romanæ Eccleſiæ, ad vos proficiſcentibus. Deum qui diſperſiones Iſraelis congregat, oramus, vt tandem perficiens, quod operari cœpit

pit in vobis, Principes, ac populos Iberiæ deducere velit ad hunc montem Sanctum Vaticani. Eum enim elegit Dominus habitationem ſibi, vt in hoc Sanctuario religionis patefaciant Pontificiæ claues fores Regni cœleſtis nationibus credentibus. Interea dum tantùm ex iſto Regno ſolatium Roma, nationum parens, expectat, perfruitur fama nominis tui plauſu Italiæ. Porrò autẽ Senatus Apoſtolicus, coronatus purpura Regum, & ex vniuerſis Catholicæ Eccleſiæ Regnis ſelectus, gauiſus eſt non mediocriter, vbi patefactum eſſe in Iberia templum, curante auctoritate tua, ſacerdotibus noſtris audiuit. Ibi certè nõ modò cõmorabuntur virtutes è cœlo petitæ, & ſaluti terrarũ ſeruientes; ſed etiam excubabit oratio, Regnorum cuſtos, quę legiones angelorum deuocare ſtudebit ex arcibus æternitatis, vt eodem tempore, ac duplici victoria de vitiis triumphetis, & hoſtibus. Volumus eundem Petrum ad vos redire, teſtem Pontificiæ ſolicitudinis, & beneuolentiæ; dignus planè eſt, quem omni officiorũ genere colat natio Ibera, cuius ſaluti vt ſeruiat, patriam, & propinquos obliuiſcitur. Ex eo cognoſces, cur optatos pictores, & medicos, tàm periculoſi itineris comites non deducat. Ei autem non modò fidem haberi, ſed etiam omnem, qua polles, opem cupimus adiungi. Huius verò beneficii debitorem tibi allegare poſſumus ipſum Deum, qui ſemetipſum in ſacerdotibus coli, & in peregrinantibus excipi profitetur, Cœteros verò Auguſtinianos, ac Theatinos ſacerdotes, virtutibus opulentos, & charitate æſtuantes dum patrocinio tuo iuueris, promereberis beneficentiam Altiſſimi, à quo tibi precamur, felicitatem. Iberico Regno, & Catholicę religioni ſalutarem. Datum Romę apud Sanctum Petrum &c.

Atenim morati diutiùs cum Auitabili, ad Ibericam miſſionem, quam eodem hoc anno trigeſimo impigrum hominum par adauxere, ſtylum conuertimus. Dixi iam, decretam Auguſtorum Patrum ſuffragio auxiliarem in Iberia operam, vt eſſent, qui iis laboribus, curiſque ſufficerent. Ex iis verò, qui deſtinati nominatim fuerant, duos quidem, nempè Celſum de Nigro, & Ioannem Baptiſtam Caracciolum ita aliæ occupationes cùm quidem diſtinebant, vt de iis ad Iberiam allegandis cogitari minimè potuerit. Ioannes autem Philomias, quem, vti ſignificaui, valetudo detinuerat, quominùs cũ Auitabili, & Stephanio iter denuò in eas terras intenderet, deſignatus quidem expeditioni Cardinalium conſulto nunc eſt; ſed cùm pergerent accisæ corporis vires exercere hominem, neque tũ polliceri ſibi tantùm roboris potuit, vt in eas iterũ curas, viamque longè laborioſiſſimam ingrederetur. Ergò ex pleriſque aliis, qui dedere certatim nomen, lecti Ioſeph Iudices Mediolanenſis, & Archangelus Lambertus, Auerſanus. Et huic quidem, cũ cœtera ad præclarum opus ineſſent animi ad umenta, tũ vires maximè à florente adhuc œuo conſtabant, quas vehementer adaugebat charitatis ardor, atque animatus ad religionis incrementum, omnemque laborum tolerantiam ſpiritus. Neque alius profectò contingere Ioſepho Iudices ſocius debuit, Viro quidem robuſtiſſimę virtutis, qui ad lydium peſtilentiæ lapidem in Sicilia probatus, percuſſuſque ſemel, ac iterũ ea lue, ſuę charitatis luculentum ſanè periculũ fecerat. Ac tùm quidem cum de altera hac Iberica expeditione conſilia agitabãtur, Romæ morabatur: cùmque rumor attuliſſet, afflatam populari morbo Galliam Ciſalpinam, graſſarique longè, latèque malum, eò perquàm auidè, ad nota nimirùm pericula, aſſuetus eiuſmodi luctę vir, inhiabat; inſtititque apud Patrem Generalem anxiùs, vt voti compotem faceret. Sed interclusum ſtatim iter, mutare velificationem coëgit; vouitq. ſe barbarorum terris, vt nobiliore quidem inſtituto animorum, non corporum peſtilitatem curaret. Igitur obſignata Cardinalium decreta. Et Pontifex quidem cùm alia recentibus Euangelii adminiſtris beneficia conceſſerit, tùm duo in primis, ſubſcriptis breuibus literis, indulſit. Alterum, vt pręter Clericorum Regularium inſtitutum petere ad ſacrorum cultum ſupellectilem, calices, altaris ornamenta, etiam pecunias ab amicis poſſent: alterum, vt medicæ artis peritum liberum iis eſſet in Iberiam ſecum ducere, qui initiari ſacris poſſet, ſacriſque ita initiatus, exercere citra Eccleſiaſticarum animaduerſionum iudicia medendi facultatem, valeret. Petrus a Valle, qui, vti ſignificatum in loco eſt, Auitabilem, ac ſocios opportunis ſanè monitis ad expeditam itineris rationem inſtruxerat, deeſſe in præſentia iſtiuſmodi documentis noluit; ac commentarium de iis, quę in rem miſſionis, totiuſque in Georgia Chri-

Ioſeph Iudices, et Archangelus Lambertus deſtinatur Ibericæ miſſioni.

Quædam iis à Pontifice beneficia.

ſtia-

VRBANVS PAPA OCTAVVS

Iberiæ Regi.

Illuſtris, & potentiſſime Rex, ſalutem, & lumen diuinæ gratiæ. Nauigat mediterraneos fluctus, perambulat varias Europæ Prouincias fama, nuncia meritorum, quæ cùm in Aſiatica Iberia fuerit illuſtrium victoriarum ſpectatrix, Romani Pontificis curas laudibus Iberi Regis conſolatur. Planè videtur Maieſtas tua nouum Principatum circumuallare propugnaculis cœli, & munire legionibus angelorum; dum in iſtis regionibus excubare gaudet ſacerdotes è Vaticano tabernaculo prodeuntes. Religio enim, quam ipſi docent, tutela Regum eſt, & ſalus populorum. Ea ſi in tuis Prouinciis omninò dominabitur, videbis iſthic exarmari furorem, ſeditiones meditantem, & conquieſcere pacem, de vitiis triumphaturam. Tàm ſalutaria conſilia deferri ad Maieſtatem tuã é theſauris regni cœleſtis nuper declarauit dilectus filius, Theatinus Sacerdos, Petrus Auitabilis, qui tuas literas reddidit. Benedicat ſceptris Principatus tui, & adſtet gladiis regalium legionum dextra omnipotentis, quæ fecit virtutem cũ magno illo Conſtantino, quem ſuæ religionis auctorem agnoſcit Iberia. Is enim dum ſacerdotes coluit, profligauit hoſtes, & verũ victoriæ omen intueri potuit in nubibus cœli, coruſcantem crucem, quam in Romani Pontificis diademate Eccleſia veneratur. Quando illa dies affulſerit, dies lætitiæ, & ſalutis, qua Maieſtatem tuam, Conſtantini imitatione eruditam, complecti poterimus, accidentem per regios Legatos ad Apoſtolicos pedes, Regum oſculis nobiles, & ambulantes in ſemita diuinæ legis? Quando te potentiſſimi Chriſtianæ Reipublicæ Reges fratrem in Eccleſia poterunt appellare? Profliga tandem omnia impedimenta: poſt quæſitum victricibus armis in Iberia Regnum, fiat theatrum religionis tuæ Vaticanum Sanctuarium, vbi inter Romæ plauſus audiatur exoptata legatio, perſoluens piæ obedientię tributũ Beato Petro, perducenti Reges ad triũphale imperium beatitudinis ſempiternę. Speramus, fore, vt Pontificia vota optatos ad exitus perducat Omnipotens, cui accuratiſſimis orationibus te, ac Regnum tuum ſemper commendamus. Interea iſthuc redire volumus eundem Sacerdotem Petrum Auitabilem, cui Euangelicę charitatis zelus, & patrocinii tui ſpes incommoda videri non patitur itinera, tot naturæ, atque iniquitatis periculis obſeſſa. Is certè, atque alii ſacerdotes, tùm Auguſtiniani, tùm Theatini digni ſunt, qui Maieſtatis tuæ beneficiis perfruantur. Patrias, affluentes deliciis, conſanguineos, charitate blandientes relinquunt, non vt aurum iſthic congerant, aut voluptates in alterius propè mundi noualibus metant; ſed vt animas tuorum popularium, ex infernalium luporum faucibus ereptas, ad ouile Chriſti perducant. Idem Petrus prolixè mentem noſtram declarabit Maieſtati tuæ, cui felicitatem precamur, quæ Spiritus Sancti beneficium habeatur. Datum apud Sanctum Petrum ſub anulo Piſcatoris die 21. Iunii anno 1631. Pontificatus noſtri octauo.

Pontificis ad Iberiæ Regẽ literæ

VRBANVS PAPA OCTAVVS

Zachariæ totius Iberiæ Metropolitæ nuncupato.

Venerabilis frater. Exoriatur Chriſtus ſol iuſtitię in cordibus iſtorum populorum. Conſolamini conſilia iuſtorum: en apparent flores diuinę gratię in Aſiatica Iberia. Speramus, fore, vt iſthic quàm primùm matureſcant fructus ſuaues gutturi noſtro, atque adeò digni, qui conuiuiis angelorum inferantur. Audiuimus ex remotis iſtis prouinciis redeuntem dilectum filium, Theatinum ſacerdotem, Petrum Auitabilem, nec ſine eximio Apoſtolicę charitatis gaudio audiuimus. Teſtatus enim eſt luculentiſſimè, quibus beneficiis per manus Regis, & Metropolitæ declaretur iſthic miſericordia Omnipotentis ſacerdotibus Romanæ Eccleſiæ, ad vos proficiſcentibus. Deum, qui diſperſiones Iſraelis congregat, oramus, vt tandem perficiens, quod operari cœpit

Et ad Patriarcham,

Digitized by Google

pir in vobis, Principes, ac populos Iberiæ deducere velit ad hunc montem Sanctum Vaticani. Eum enim elegit Dominus habitationem ſibi, vt in hoc Sanctuario religionis patefaciant Pontificiæ claues fores Regni cœleſtis nationibus credentibus. Interea dum tantùm ex iſto Regno ſolatium Roma, nationum parens, expectat, perfruitur fama nominis tui plauſu Italiæ. Porrò autē Senatus Apoſtolicus, coronatus purpura Regum, & ex vniuerſis Catholicæ Eccleſiæ Regnis ſelectus, gauiſus eſt non mediocriter, vbi patefactum eſſe in Iberia templum, curante auctoritate tua, ſacerdotibus noſtris audiuit. Ibi certè nō modò cōmorabuntur virtutes è cœlo petitæ, & ſaluti terrarū ſeruientes; ſed etiam excubabit oratio, Regnorum cuſtos, quę legiones angelorum deuocare ſtudebit ex arcibus æternitatis, vt eodem tempore, ac duplici victoria de vitiis triumphetis, & hoſtibus. Volumus eundem Petrum ad vos redire, teſtem Pontificiæ ſolicitudinis, & beneuolentiæ; dignus planè eſt, quem omni officiorū genere colat natio Ibera, cuius ſaluti vt ſeruiat, patriam, & propinquos obliuiſcitur. Ex eo cognoſces, cur optatos pictores, & medicos, tàm periculoſi itineris comites non deducat. Ei autem non modò fidem haberi, ſed etiam omnem, qua polles, opem cupimus adiungi. Huius verò beneficii debitorem tibi allegare poſſumus ipſum Deum, qui ſemetipſum in ſacerdotibus coli, & in peregrinantibus excipi profitetur. Cœteros verò Auguſtinianos, ac Theatinos ſacerdotes, virtutibus opulentos, & charitate æſtuantes dum patrocinio tuo iuueris, promereberis beneficentiam Altiſſimi, à quo tibi precamur, felicitatem, Iberico Regno, & Catholicę religioni ſalutatem; Datum Romę apud Sanctum Petrum &c.

Atenim morati diutiùs cum Auitabili, ad Ibericam miſſionem, quam eodem hoc anno trigeſimo impigrum hominum par adauxere, ſtylum conuertimus. Dixi iam, decretam Auguſtorum Patrum ſuffragio auxiliarem in Iberia operam, vt eſſent, qui iis laboribus, curiſque ſufficerent. Ex iis verò, qui deſtinati nominatim fuerant, duos quidem, nempè Celſum de Nigro, & Ioannem Baptiſtam Caracciolum ita aliæ occupationes tùm quidem diſtinebant, vt de iis ad Iberiam allegandis cogitari minimè potuerit. Ioannes autem Philomias, quem, vti ſignificaui, valetudo detinuerat, quominùs cū Auitabili, & Stephanio iter denuò in eas terras intenderet, deſignatus quidem expeditioni Cardinalium conſulto nunc eſt; ſed cùm pergerent acciſæ corporis vires exercere hominem, neque tū polliceri ſibi tantùm roboris potuit, vt in eas iterū

Ioſeph Iudices, et Archangelus Lambertus deſtinātur Ibericæ miſſioni.

cutas, viamque longè laborioſiſſimam ingrederetur. Ergò ex pleriſque aliis, qui dedere certatim nomen, lecti Ioſeph Iudices Mediolanenſis, & Archangelus Lambertus, Auerſanus. Et huic quidem, cū cœtera ad præclarum opus ineſſent animi ad umenta, tū vires maximè à florente adhuc œuo conſtabant, quas vehementer adaugebat charitatis ardor, atque animatus ad religionis incrementum, omnemque laborum tolerantiam ſpiritus. Neque alius profectò contingere Ioſepho Iudices ſocius debuit, Viro quidem robuſtiſſimę virtutis, qui ad lydium peſtilentiæ lapidem in Sicilia probatus, percuſſuſque ſemel, ac iterū ea lue, ſuę charitatis luculentum ſanè periculū fecerat. Ac tùm quidem cum de altera hac Iberica expeditione conſilia agitabātur, Romæ morabatur: cùmque rumor attuliſſet, afflatam populari morbo Galliam Ciſalpinam, graſſarique longè, latèque malum, eò perquàm auidè, ad nota nimirùm pericula, aſſuetus eiuſmodi luctę vir, inhiabat; inſtitirque apud Patrem Generalem anxiùs, vt voti compotem faceret. Sed intercluſum ſtatim iter, mutare velificationem coēgit; vouitq. ſe barbarorum terris, vt nobiliore quidem inſtituto animorum, non cor-

Quædam iis à Pontifice beneficia.

porum peſtilitatem curaret. Igitur obſignata Cardinalium decreta, Et Pontifex quidem cùm alia recentibus Euangelii adminiſtris beneficia conceſſerit, tùm duo in primis, ſubſcriptis breuibus literis, indulſit. Alterum, vt prçter Clericorum Regularium inſtitutum petere ad ſacrorum cultum ſupellectilem, calices, altaris ornamenta, etiam pecunias ab amicis poſſent: alterum, vt medicæ artis peritum liberum iis eſſet in Iberiam ſecum ducere, qui initiari ſacris poſſet, ſacriſque ita initiatus, exercere citra Eccleſiaſticarum animaduerſionum iudicia medendi facultatem, valeret. Petrus a Valle, qui, vti ſignificatum in loco eſt, Auitabilem, ac ſocios opportunis ſanè monitis ad expeditam itineris rationem inſtruxerat, deeſſe in præſentia iſtiuſmodi documentia noluit; ac commentarium de iis, quę in rem miſſionis, totiuſque in Georgia Chri-

noſtris in remotiſſimis ijs terris vir egregius, excepere humaniſſimè hoſpitio: ac poſtea, cũ eodem hoc tempore Paulus Spinola, eius domus Præpoſitus, Romam & ipſe peteret, ita ſe illi comitem exhibuit, vt nihil in itinere ab eo fieri ſumptus permiſerit.

Genuæ noſtratum in illum humanitas.

Neapoli, poſtquam Inſulas capeſſiuit, idem in ipſum noſtratum ſtudium, qui in id potiſſimũ incubuere, vt aliquot illi contingerent à piis viris eleemoſynæ. Et à Sanctimonialibus quidem D. Gregorii Armenii, quod celebre eſt Neapoli ab earum Virginum genere, ac diſciplina gynæcèum, præter reliquam munificentiam, thecam etiam impetrauit, vbi eiuſdem D. Gregorii caput incluſum diù fuerat, antequam pretioſis iis lipſanis ſumptuoſum ex argento ornamentum efformandum, curaſſent. Quod ille munus, eius attactu, ac mora capitis longè magnificentiſſimum, in præcipuis habuit.

Et Neapoli

Sub hoc verò tempus redire in Alingiam Antiſtitem, quo velificare noſtri homines in Iberiã deberent, opportuniſſimum iis accidit; cùm à prꝗſtantiſſimi Viri conſuetudine, ac ſocietate, tùm verò maximè, quòd viris Italis, linguarum adhuc ignaris, nihil omninò optabilius, quàm fidus adeò Interpres. Itaque rebus tandem Neapoli confectis, Meſſanam ſeſe contulit Lambertus; & quidem in tempore. Nam cùm Archieſcopus, & Ioſeph venturum iam ipſum, deſperaſſent, diſceſſum propè diem cogitabant. Complexi ſe mutuò incredibili quodam ſtudio; atque adornata illicò nauigatione, Melitam ſoluerunt: vbi cùm Auitabilem, vt ſupra monui, reperiſſent, cumulata profectò hæc itineris rudimenta ingenti quodam gaudio ſunt: vt tùm quidem cognouerint, quo tandem reſpicerent Lamberti moræ, atque alia viæ impedimenta. Moliebatur ea ſcilicet, Deus, vt vnà Melitam appellerent, atque exiſterent inde commoda, quæ in loco ſignificaui. Melitæ non diù morati, primò quidem extremam quandam Chil Inſulæ oram cogitabant, oblata naui, quæ illuc tenderet. Sed conſilium ex ſe quidem non ſatis commodum. Nam portus intutus, nec vltrò, citròque commeantibus apertus, ac liber. Per Aegèum deindè enauigandum, quod tùm quidem piratarum latrociniis infeſtiſſimum. Poſtremò æquo longiùs iter inde per minorem Aſiam inſtituendum, radendumque diutiùs Smyrnenſe littus, vt ad viatorũm multitudinem Orientis more aggregarentur, ac tutò pergerent. Quocirca hoc iter cùm non ſatis probarent noſtri, tùm id maximè illos diuexabat, quòd eius conſilii Archiepiſcopus Myrenſis auctor eſſet, commendaretque vehementer, cui refragari, niſi verecundè, ac remiſſiùs minimè audebant.

Quædam inibi de itineris ratione ſolicitudo.

Georgiani Patres comites ſe ſe illi exhibent,

At enim dum in hac animi anguſtia verſãtur, atque interim nauis, quòd vetuſta admodum eſſet, ſarcitur, ecce tibi appulſum Melitam Gallicum nauigium, quod intra paucos omninò dies Sidonem, Saidam nũc vocant, Phæniciæ Vrbem, rectà tenderet. Sedes ea eſt illius Regiones Dynaſtæ, quem Emirem appellant: iſque tunc erat vir quidam ſtrenuus, qui Neapoli, ac Florentiæ olim fuerat, Italis, ac Chriſtiano nomini non infenſus. Magnus Melitenſium Equitũ Magiſter conteſſerauerat cum eo amicitiam, cuius commendatitiꝗ ad illum literæ iuuare noſtros apprimè poterant. Ad hæc, magna Dux Etruriæ non ita multò antè eò virum nobilem, qui ſuo nomine inibi ageret, allegauerat; eratque is Franciſcus ille Verrazzanus, quem vnà cum Petro Auitabili, & Iacobo Stephanio Conſtantinopolitanum iter dixi emetitum, ac remetitum, noſtri Ordinis longè cupidiſſimus, cui ſanè nihil fuiſſet iucundiùs, quàm noſtros excipere, ac veterem iis beneuolentiam hoſpitio, atque officiis probare. Itaque Numine aſpirante, viſa Gallica ea nauis Melitam perueniſſe; ſtatimque arrepta noſtri occaſione, atque ipſo in primis Archiepiſcopo cõmendante etiam, atque etiam, conſilium, ac velificationem commutarunt. Die Ianuarii ſecunda anni primi, & trigeſimi eius ſeculi dedere ventis vela.

Dant Sidonem verſùs vela.

Initium nauigationis haud quidem proſperum. Nam quos idoneum inuitauerat cœlum, redire oborta mox tempeſtas coëgit. Sed inſtaurato ſubindè itinere, ſecundè enauigatum: niſi quod dum tenere Sidonem putant, aquilone vehementiùs flante, infra illam ſexaginta circiter paſſuum millibus, Acris, quam olim Ptolemaidam vocabant, portum tenuere: planè non ſine operꝗ pretio. Excurrere ſiquidem hinc in patrios Chriſti Dom. lares, nempè Nazareth, quæ non longè diſtat à Ptolemaide, facilè potuere. Tũ, quòd propiùs etiam aberat mons ille, non tàm ſuo faſtigio, quàm Saluatoris transfiguratione, ac gloria præcelſus, conſcendere & illum, ac diuina inibi cernere, atque adorare Chriſti veſtigia voluere. Qua quidem inſigni locorum religione, piiſq. mo-

Excurrunt in ſacra Palæſtinæ loca.

nas

numentis mirificè recreati, Ptolemaidam rediere. Quamquam is maximè ſenſus animum vellicabat, quòd Hieruſalem, trium duntaxat ab eo portu dierum itinere, quominùs adirent, ingentes planè ſumptus, ac tributa pendi ſolita, prohiberent. Sidonem deindè curſum intendunt, vbi ab Emiris, quem dixi, ac Vertazzani beneuolentia fluxere ex voto omnia; cumulatique à Franciſcanis ſtrictioris obſeruantiæ Patribus inſigni charitate; atque omni officiorum genere fuere. Hinc verò per Damaſcum intra quindecim circiter dies Hierapolim peruenere.

Hierapoli Gallorum Consul, et Diſcalceatorum in illos beneuolentia

Conſul Gallus, quem aliàs cum laude nominaui, idem omninò in excipiendis his modò Patribus fuit; certaruntque cũ eo Diſcalceati Patres, diuiſa inuicem humanitate, vt interdiù quidem cum religioſiſſimis iis viris noſtri degerẽt, noctu verò apud Cõſulem diuerterent. Quæ quidem piiſſimorum capitum charitas perſpecta luculentiùs eſt, tentata periculosè Lãberti valetudine, Conflictari ſiquidem graui febri, aliiſque corporis incommodis cùm is cœpiſſet, nihil ab iis officii, pietatis, ſubſidiiq. deſideratum.

Quorum ope Lambertus a morbo conualuit.

Decumbebat quidem inter religioſos homines; ſed aderat aſſidua erogatione Conſul, peregrinis præſertim, ſumptuoſiſque alexipharmacis. Quo in genere beneficentiæ commendandus item Venetorum Conſul Sagredus, qui ſtudio quidem, ac ope Gallo non impar, religioſum virum, noſtrumque Ordinem inſigniter demeruit.

Cui et Sagredus Venetorū Conſul adiuit

Hiſce præſidiis reſtituta breui Lamberti ſanitas: quem quidem, ac ſocium non mediocriter affecit, quòd Myræ Archiepiſcopus ſuarum ouium ſtudio, zeloque abreptus, diſceſſum maturauerit, quocum, quod inſtituerant, pergere, ac perficere iter peroptaſſent. Sed percommoda præſtantiſſii Antiſtitis conſuetudo compenſata mox abundè eſt. Nam præterquàm quod ſtatim ac Lambertus conualuit, in procinctu viatorum cœtus, isque confertiſſimus fuit: tùm Veneti duo in ea hominum multitudine præcipui nominis, efficaci Sagredi commendatione nulli ſe officio in eo itinere defuturos, Patribus promiſere. Quod ipſum pollicitus ex animo eſt Armenius quidam, Italici ſermonis ſciens, Diſcalceatorum Patrum amiciſſimus. Atque his quidem adiumentis, freti maximè diuino Numine, atque auſpiciis etiam D. Ioſephi, ſacra Mariano huic ſponſo die vndeuigeſima menſis Martii Hierapoli Arzerùm verſùs diſceſſere: quò intra menſem voratis incommodis ſanè non paucis, peruenere. Morati Arzerum aliquantiſper: tũ

Hierapoli diſcedunt.

die prima Mai continuato itinere, duodecima Goridem tenuere. Qua quidem die translato ob ſolennia Paſchatis D. Georgii feſto, horariæ eius preces recurrebãt. Quod illi quidem inter fauſta reputarunt. Neque enim ſine Numine factum exiſtimarunt, eius D. auſpiciis Iberiam tenuiſſe. Planè quòd die Chriſtianæ ancillæ ſacra, vt in loco monui, primi ex noſtris, eius nempè expeditionis anteſignani eò appulerint, conſequentes verò inter D. Georgii laudes; rem in omen traxere: veluti Sancti illi Georgiæ Tutelares, & quos præcipua religione Gens colit, legationem illam probauerint, ac fructus nõn mediocres iis curis, ac vigiliis adpromitterent.

Goridem perueniunt.

Confecti iam itineris lætitiã quidam tùm interturbauit animi ſenſus, ac peracre deſiderium. Enimuerò ad ripam fluminis, quod Goride non longè præterfluit, cũ perueniſſent, vergente iam in veſperam die, nullæ, quæ traiicerent, cymbæ repertæ. Quare ad conſpectum Vrbis pernoctare ſub Ioue oportuit. Adiit quidem eadem veſpera ad amnis crepidinem, allato rei nuntio, Iacobus de Stephano, ac ſe ſe mutuò conſalutarunt. Quæ ſanè officia, exundãte licet lætitia, animos vtrinque non minimùm vellicarunt; vt dicere Ouidianum illud poſſent: Non montibus altis, exigua prohibemur aqua. Poſtera luce, traiecto flumine, ruere in amplexus, ac oſcula, gratulatique inuicem incolumitatem, illud primum iis fuit, Deo Maximo, Diuiſque omnibus, quorum ope tot locorum difficultates, atque à mortalibus pericula, ærumnaſq. ſuperauerant, grates Euchariſtico hymno, atque ad aras perſoluere. Solatio quidem non mediocri nouis hoſpitibus fuit communis Goridenſium beneuolentia. Etenim nullus ex omni hominum gradu in ea Vrbe fuit, qui non illos ſalutatum veniſſet. Ipſe in primis Armeniorum Epiſcopus, ac ſacerdotes eius omnes incredibili ſtudio, affectuque complexi Patres, teſtati egregiè ſunt ab eorum aduentu gaudium. Atque in eo quidem gratulationis æſtu abundè cognouerunt, quando in eo biennio, quo noſtri homines commorati in Iberia ſunt, nihil præterea nauaſſent, quàm quòd popularium voluntates tanta ſibi cum cupiditate, ac propenſione animorum adiunxiſſent, non mediocrem quidem eius miſſionis

fru-

Digitized by Google

fructum,ac pretium feciſſe. Ea nempè præcipua in perſuadendo cura,vt beneuolum quiſquè ſibi auditorem reddat: facile deindè in dicentis verba is conſenſit, cuius animum ſtudium,atque affectio idoneum,pronumq. fecit. Poſt biduò Regem, qui quadraginta circiter paſſuum millibus aberat, conueniunt; munera cū ipſi,tū Reginæ,ac filiis à Maximo Pontifice,à Sacra Congregatione,à Petro à Valle,ac ſuo etiam nomine deferunt: pictas nempè tabulas,roſaria,lipſanothecas,præcipui operis horologium, ad fœminarum vſum vela,aliaq.ad Italicā elegantiam ſanè pulcherrima, quæ gratiſſima iis fuere. Rex ſuo in conopèo inſigni humanitate Patres excepit, interprete Iacobo de Stephano.qui illi inter primos caros produxitq. ad horam prandii ſermonē; ac tùm quidem diſcumbere vnà ſecum iuſſit perhonorificè, digniore iis nempè loco, quàm cœteris dynaſtis,cohoneſtaris. Regi quidem cultus aliquantò quàm antea ſūptuoſior,veluti qui lenſim ſuam dignitatem,opeſque inſtauraret. Nam conopèum intimè non vulgare ſanè ſtragulum conueſtiebat, inſtratis elegantiſſimi operis tapetis, quæ Rex Perſarum dono miſerat: attalicum deindè velum, aliaque ex auro, ac ſerico ornamenta,vbi is præcipuè ſederet,locū exornabant. Amictus verò illi Perſarum more: villoſa nimirū ad ſuram tunica colore viridi, tùm extima veſtis breuior acu picta,ac ſcythica ex pelle capiti integumentum. Et adaugenda tùm quidem erat aulę magnificentia,collocata in matrimonium filia Baſſaciuchi,ſiue Imereti Principi, quem dixi ex Iberiæ Regibus,recto quidem ſtipite, ac ſanguine cœteris antecellere. Celebrandæ verò cū eſſent propè diem nuptiæ,ſubſiſtere noſtros Rex iuſſit, vt functioni adeſſent,ac benè precarentur. Quod illi inuitamentum permodeſtè recuſarūt, cauſati itineris laſſitudinem;reuerſique Goridem ſunt. Maturè autem & Patriarcham conuenere, ad quem ampliſſimorum Patrum literæ, & munera,quæ perferrent, habebant. Et quidem à Sacra Congregatione ſacerdotale amiculum, ac mitram,Pontificia nempè inſignia,non mediocri planè ſumptu; ſuo verò nomine pia quædam teſtando obſequio,captandæque beneuolentiæ xenia obtulere. Et viſus profectò Antiſtes,& homines,& dona excepiſſe quàm humaniſſimè. His officiis perfuncti Patres, acuti iam numero incumbere ſtrenuè in animorum procurationem,honoremq.diuini cultus cœpere. Impigram eorum induſtriam is ſtatim conſequutus eſt fructus. Nā qui priùs templa rarò, nec ſatis modeſtè adibant; poſtmodum exquiſito cultu ſacrorum, ac verbis etiam moniti à noſtris, frequentare ſumma cū animi reuerentia Eccleſias,rei diuinæ intereſſe videbantur. Et vniuerſim quidem in fingenda Gentis indole, ac pietate ingeneranda, feliciſſimè velificabant, aſpirante potiſſimùm Regis beneuolentia,quæ apud populos magnum ſemper momentum habuit. Adaugebat nempè Rex commune in noſtros ſtudium aſſidua commendatione. Semel Metropolitam lecto decumbentem, quem dixi græca imbutum fide,ac lue, ac Catholicis ſemper infeſtiſſimum,Rex,& Regina inuiſebant. Aderant plerique virorum principum: ex noſtris verò Iacobus de Stephano,& Archangelus Lambertus. Rex,vbi plura à noſtratibus de Romana aula, & Maximo Pontifice interrogaſſet, ad ipſos demum conuerſa oratione,hæc ad Reginam: Hi verè angeli,indole,moribus,inſtitutione,qui intimè, ac longè pluſquàm nos Deum amant. Quod vt modeſtiſſimos viros non mediocri verecundia ſuffudit,atque adſtantes proceres ad eorum admirationem, amoremque flexit,ita Metropolitam,cui nihil moleſtius, quàm Romanos homines adeò diſertè cōmendari,ſubito quodam telo percuſſit,intenditq.viri morbum extemporaneum illud elogium. Atque eiuſmodi quidem tàm honorificus de noſtris ſermo familiaris Regi erat,cū apud populares,tùm apud exteros,ſi qui officii gratia aduentarent. Illud in primis præclaræ in nos voluntatis ſpecimen dedit. Enimuerò hoc maximè tempore, quo auctā familiā vidit, ac fore,vt alii breui cū Petro Auitabili eò aduenirent,cognouit,noſtros Grimium transferre cogitauit. Vrbs ea eſt in Kacheti Prouincia,auita illorum Principum hæreditas, à Ciuitate Goridenſi quatuor circiter dierum itinere, cui vnicè addictus Themurazius, ſed quam communi ea clade inuoluerant Perſæ,euerſam funditùs,ac ſolo ęquatam. Hanc modò Rex, euocatis quibuſdam Armeniorum familiis inſtaurabat,cogitabatque domicilium inibi figere,redingratis, quas Maiores ſui excitauerant olim magnificè ędibus. Noſtratum potiſſimùm conſuetudinem optabat, ſignificauitque proindè Iacobo de Stephano, gratum ſibi fore, ſi ſedem ipſi

Regis cultus.

Patriarcham deindè inuiſunt

Fructus in Iberia à noſtratum induſtria

Quos laudibus paſſim Rex ornat

Precaturque, vt Grimii coloniam ſundent.

in ea Vrbe conſtituerent, vbi ſuam ipſe ſtationem animo iam deſtinauerat. Planè non
Annuit Stephanius. id Stephanio ſedebat: quando coloniam conſtituere, templum, tectum exædificare
videretur præſenti rerum anguſtię omnino diſſentaneum. Attamen vt regiæ huma-
nitati reſponderent, annuit. Ac Rex quidem, nulla mora, datis ad Vrbis Præfectū lite-
ris, id in primis iuſſit, vt certam quandam ſedem pulcherrimo eam quidem ſitu pro-
pè Prætorium Patribus tribueret. Qui quidem locus, etſi proſpectu, ac regiæ domus
propinquitate percommodus videri poterat, tamen illum vt inſpexit, haud ſatis pro-
bauit Iacobus, eo potiſſimū nomine, quod extra Vrbis mœnia cū eſſet, latronum ex-
Deligitur ſitus. curſionibus pateret, quarundem præſertim vicinarum gentium, Laſghiſſos vocant,
Mahometani ritus, quæ furtis innutritæ, rapto viuunt; inuolanteſque huc illuc, regio-
nem expilant, metuque complent. Quocirca ſupplicandus Rex fuit, vt locum intra
Ciuitatis ſepta deligerent. Qui quidem repertus: fuitq. Armeniorum quædam Eccleſia,
Hortos Rex amplificat. peragendis myſteriis, ſacriſque functionibus percommoda, cui adiacebat ſubſtruen-
dis tectis area: & ad quandam etiam vtilitatem, amœnitatemq. horti, quos poſt pau-
lò Rex inſigni liberalitate amplificauit. Accidit nanque ſub id tempus, vt is, quos
dixi, Laſghiſſos, qui regionem illam inuaſerant, luculenta clade affecerit: cùmque
triumphanti ſimilis reuerteretur, deflectere Grimium voluit, eo præſertim fine, vt te-
ſtatus ipſemet Iacobo eſt, vt noſtram coloniam vrgeret, locūq. inſpiceret, vbi degerēt
Patres. Cumque inaudiuiſſet, iuſta quadam ſoli menſura excitandis hortis contentos
eos eſſe, addi tantundem vltrò, ac munificè iuſſit. Dum hæc agerentur, & quà con-
ſtruere, quà concinnare locum cogitarent, ecce tibi à morbis moræ. Nam Claudio
primùm fratri laico, decumbere diutiùs contigit, qui vbi conualuit, Lambertus, qui
Claudio in ſūma rei domeſticę difficultate, inſigniq. animi contentione miniſtrauerat,
tētatus graui febri eſt, cui dum Claudius viribus nō adhuc confirmatis inſeruit, decū-
Sed rem diſtulit morbus. bere iterum oportuit: eratque eò vtriuſque morbus moleſtior, quòd aberat Iacobus
de Stephano, quem Gorideņſes curæ reuocauerant; atq. adeò cū alter alteri, ſuo quiſ-
que malo implicitus, adeſſe minùs poſſet, remetiri iter Goridem, obluctante licet
morbo cogitarunt. Goride verò haud quidem clementior aer. Nam continuata Lā-
berti febri, ęgrotarunt ſubinde Stephanius, & Ioſeph Iudices; tenuitq. menſes aliquot
iſthæc in orbem valetudo, & communis corporis clades. Eapropter appellere ad Gri-
menſe domicilium animum, vrgente licet etiam, atq. etiam Rege, minimè potuere,
ſtatueruntq. ad Petri Auitabilis aduentum, quem ſciuerant propediem reuerſurum,
rem differre.

Ad quem ſtylum modò reuocamus; ac poſtquam alteram ad Iberiam miſſionem
Tertia in Iberiam miſſio. incolumem deduximus, redimus Romam, vt tertiam auſpicatò proſequamur. Per-
functus, vti ſignificatum eſt, ſua legatione Petrus Auitabilis, in id maximè contendit,
vt idoneos vnà ſecū operarios duceret, augeretque familiam; quando tā ingens ſe-
ſe laborum materia in iis barbarorum terris obiiceret. Et quidem non ſegnis noſtratū
virtus. Viſi certatim ſacerdotes, Clerici, laici in eas vigilias inuolare: quorum haben-
dus delectus fuit: ac plerique, vt inimici hominis domeſtici eius, conſanguineos in eo
gloriæ curſu infenſos habuere. Ex iis fuere Hieronymus Carafa, Decii Card. Carafæ ex
Plerisque à cōſanguineis bellum. fratre nepos, Seraphinus Filingerius, & Carolus Tomacellus, prænobili genere Nea-
politani, quos in ipſo iuuentæ flore propagandæ orthodoxæ religionis ardor mirificè
inflammauerat. Sed illata apud ampliſſimos Patres, ac Patrem Generalem à cognatis
vi, luſa eorum vota, defuitque maiorum nutus, non conſtantia, aut animus. Inter hos
Antonius Ardizzonius Neapolitanus item fuit, cui parentum charitas æquè tū quidē
infenſa; ſed qui deindè maturiore iam æuo, incitatoque vehementiùs ſpiritu in In-
diam inſtinctu Numinis traiecit; eritque ſuus de viro flagrantiſſimo dicendi locus.
Iam ex iis, qui Petro Auitabili adhæſere eximii ſpiritus viri, ac commodæ omninò
Vincentii Carafæ virtus. in rem Georgianam indolis, principe loco nominandus Vincentius Carafa, ſuo qui-
dem cognomento clarus, ſed commendatione virtutis, ac præſtanti quodam vigore
animi clarior. Aetas illi media, & conſtans. Mores in obeundis in Ordine officiorum
muneribus egregiè probauerat. Studiū formandæ alienæ pietatis, ac fingendorū ani-
morū in Vulturariæ Epiſcopatu cōmonſtrauit. Quas Infulas cū Thomas Carafa, ſpec-
tati moris Antiſtes, germanus eius frater adminiſtraret, nonnihil profectò adiumenti

ex-

expertus eſt à fratris induſtria per aliquot ſubindè eius excurſiones. Adibat is nanque identidem Epiſcopum; non tàm vt fraternæ beneuolentiæ, amorique faceret ſatis, quàm vt in publicis iis curis auxiliares illi manus adiiceret, & quà verbo, quà exemplo in ſacrorum cultu, ac vſu, atque in omni religione cuiuſque ordinis mortales inſtitueret.

Et in Vulturãriæ Epiſcopatu curæ,

Celenſæ præſertim, quod eius Epiſcopatus, ac gentis Gambacurtæ oppidum eſt, eximiam planè operam nauauit in ſacrarum Deo Virginum monaſterio, quod ibi Andreas Gambacurta, Celenſæ Marchio, Caroli, viri pace, belloque clari filius, excitauerat. Excelluit is quidem in omni diſciplinarum genere, ac liberalium ſtudiorum laude; in mathematicis præſertim verſatiſſimus; Optice etiam, ac picturæ addictus, quibus & literarum amœnitatem addidit, poëſeos, ac reliquæ eloquentiæ cùm primis ſtudioſus. At verò ingenium ita exercuit, vt in hoc ſtudiorum concentu pietas emineret: conſtruxitque in primis iſthuc, quod dixi, ſanctimonialium gynæcèum, ſumptu quidem, qui magnorum Principum curas, animumque exæquaret.

Andreas Gambacurta Celẽſæ Marchio

Huic cœnobio, cui nihil ab externo cultu deeſſe ad commodum, ornatumque videbatur, aſſerenda conſtans quædam diſciplinæ ratio erat; admotuſque Vincentius Caraſa, quo de loquor, qui loci mores præclaris inſtitutis, ac legibus formare, naſcentemque firmare obſeruantiam ſingulari prudentiæ genere, animique contentione viſus eſt.

Gynæceũ magnificè excitat

Idque eius potiſſimùm ſolertiæ deſeruiit, quòd eo tempore adhibitus monaſterii inſtitutioni eſt, quo moniales frenum non dum acceperant; ac tùm quidem, miſcente rem dæmone, quiduis aliud fœminarum ingenia, quàm ſtrictiorem diſciplinam cogitabant. Quos ille fluctus, inſtillato regularis obſeruantiæ ſtudio, ſenſim compoſuit; ac mox præſcriptis legibus, earum vitæ rationes ad omnem ſanctimoniæ normam attemperauit: quo nunc ſpiritu, ac pietate florent Virgines illæ.

Quod Vincẽtius Caraſa ad pietatem informat.

Igitur qui flagrantiore quadam virtute, atque animi robore ſemper valuit, ex quo cœpta inſtitui noſtratum in Iberiam expeditiones, viſus hoc potiſſimum genere charitatis vehementer pulſari. Sed qui explorare diutiùs rem vellet, diſtulerat, quoad, reuertente Petro Auitabili, conſilium tandem illi aperuit, nec perfunctoriè quidem, ſed vultu, qui conſtantiam, atque ardentiſſimum mentis propoſitum præſeferret. Enimuerò cùm in noſtro Lauretanæ Virginis domicilio Neapoli ageret Caraſa, vbi quodam mane ad aram feciſſet, intimè inflammatus, Auitabilem, qui in eodem ſortè cœnobio tũc aderat, ſuam in cellulam euocauit; remotiſque arbitris, ante Redemptoris in Cruce pendentis imaginem, quam diù geſtauerat, Georgianæ miſſionis mentem, illi explicauit: factoque mox impetu, ac manantibus vberrimè lachrymis, eidem diſertè denunciauit, niſi daret Romæ operam, vt in tanti muneris ſocietatẽ adhiberetur, fore, vt in ſupremo iudicii die ſui conſilii rationem ab ipſo repoſceret.

Qui Georgianæ miſſionis mentem concipit.

Quo quidem agnouit luculenter Auitabilis, miſſum ab Excelſo ignem; nec fieri vnquam poſſe, quin tanta pectoris, animique firmitudo præclarè ſuccederet. Quocirca pollicitus ille operam, rem poſtea apud Patrem Generalem ita tranſegit, vt impetrauerit.

Et cum Auitabili communicat.

Agendum ſecreto fuit. Nam cui Neapoli plurima, ac præcipuæ notæ propinquitas, verendum maximè erat, ne domeſticum illi bellum ſtruerent conſanguinei. Et conſilium quidem egregiè rectum; ſed euitari deindè cognatorum impetus minùs potuit. Nam cũ in anchoris eſſet triremis, quæ Meſſanam peteret, adornatus bellè prætextus: Et oportere ſe, inquit, ſuis Vincentius, Meſſanam contendere, vt quædam inibi ex Patris Generalis mandato negotia maturè conficeret, nec prætereũdam opportuniſſimam in Siciliam traiiciendi occaſionem.

Mox voti compos

Conſcenſa verò triremi, ſub ipſum diſceſſum literas ad matrem, ac fratres dedit; nunciauitque apertè, ſe longiùs, quàm Meſſanam cogitare. Vocari nempè ad Iberiæ vigilias; idque eſſe diuini Numinis conſilium, cui obluctari nefas. Scirent, non id mentis temerè ſuſceptum; nec tumultuariò deliberaſſe; quando præiuerant aſſiduæ piorum hominum preces, ac pleraque præſertim explorandæ Dei voluntati miſſarum ſacrificia. Adprobarent proindè inditos à Deo præclaros impetus, ac ſuis affectibus imperarent.

Qua ſolertia conſilium tegit,

Interim non maria, non montes, non remotiſſimas regiones effecturas, quin animos iungeret charitas, ac fuſæ ad Deum preces. Contigit hoc iis vulnus eò acerbiùs, quod inopinatum. Et quæ eſt in coniunctiſſimis ſanguinis vis, temperare ſibi nõ potuere, quominùs Romanam aulam officiis efficaciſſimis pulſarent. Datæ ad Auguſtos Patres literæ non priuato duntaxat nomine, ſed è Nea-

Conſcenſa iã naui matrem monet.

politana etiam Vrbe, quæ & Hiſpanum Oratorem interpellauit, vt cũ apud Cardinalium Congregationem, tũ apud Pontificem ipſum rem ageret, impediretque viri diſceſſum. Et Pater quidem Generalis ea circumuentus virorum principum vi fuit, vt ſcripſerit Carafæ, ſe quidem, modò ipſe ſubſiſtere, ac reuerti Neapolim vellet, addere ab obedientia ſtimulum; nempè vt eodem, quo pergeret obedientiæ merito, rediret ad ſuos. Sed impetiuiſſe illum hos fluctus, addidiſſe veluti ſcopulo cuidam fortitudinem fuit. Siquidem non modò eas terras adeundi, moraſque omnes abrumpendi propoſitum voti religione confirmauit, verũ etiam ad ſubeundam pro animarum ſalute, ac Chriſti fide mortem, ſi quando id poſceret occaſio, eodem ſe voto adſtrinxit. Qua conſtantia victi fratres, ac mater, dedere tandem manus, euntemque comitati ſua liberalitate ſunt, miſſa ad commeatum pecunia. Ac Mater quidem Maria Catharina Grimalda, nobiliſſimis perindè moribus, ac natalibus matronaſque fœminam, ac matrem ſtrenuè probauerat, tanta deindè cum animi moderatione filii conſilium eſt proſequuta, vt exuiſſe omninò affectum, ac naturam dixeris: viſa profectò religioſæ vitæ diſciplinæ, quam ſuſceperat, ad vnguem reſpondiſſe. Quippè non ita pridem quicquid vſpiam eſt commodi, atque illecebrarum pertæſa, Cruci, ac voluntariæ ſe ſe paupertati in D. Andreæ monaſterio mancipauerat; vbi inter ſacras Deo Virgines ad eximiam vitæ perfectionem per virtutum gradus contendit; defuncta paulò antequàm hæc ſcriberem, œui plena, atque emeritis religioſi inſtituti, pietatiſque ſtipendiis.

Voto propoſitum firmat Carafa.

Cuius mater ad moniales aggregatur.

Alter, qui miſſionem hanc tertiam adauxit, fuit Teramus Caſtellus, patria Genuēſis, ſed qui donatus Panormitana Ciuitate fuerat, Galiani Comitis ex fratre nepos. Hic Genua Panormum cũ aduenisset, vellicari animorum ſtudio, prouocarique ad barbaras potiſſimùm nationes ſenſit. Obiiciebant ſe Iuueni incitatiſſimo pleríque religioſorum Ordines, quorum habitu ea ſtipendia faceret. Et quoad diſciplinam deligeret, mentemq. confirmaret diuinum Numē, nauare literarum ſtudiis operam cœpit. Philoſophiam emenſus, initiatus ſacra Theologia eſt. Quo tempore inſtillatus illi à Petro Giardina, Viro ex noſtris, quem aliàs memini, robuſtæ virtutis, quidam Ibericæ expeditionis amor fuit ſouebatque vſqueadeò deſiderium Caſtellus, vt cùm intelligeret, viro in ea regione opus eſſe, qui medicam artem exerceret; nec mediocri ad animorum curationem adiumento eam facultatem fore, incumbere in id etiam ſtudii omni conatu cœperit. Studia hæc porrò ita vrgebat, vt quæ ad animi ornatũ maximè faciunt, pietatis, virtutiſque exercitiis interea temporis ſtrenuè inſiſteret. In omnium admiratione ab innocentia vitæ, à probitate, à modeſtia Panormi erat Caſtellus. Corpus quà ieiuniis, quà cœtera afflictatione macerabat; vt neque ferreis catenis parceret, edomandæ videlicet refractariæ ſenſuum contumaciæ. Cœleſtium cōtemplationi addictiſſimus, continuabatque de genu preces ea quidem contentione, vt callum genibus obduxerit; nec deerant piis commentationibus cœleſtes illecebræ. In fouenda aliorum inopia planè multus erat. Vbi pecuniam omnem erogaſſet, e penu ſubſidium petere: vt onuſtus perſæpè annona pauperum domos adiret; eoſque opportunè quidem, ac perquàm ſecretò, recrearet. Inter hæc pietatis opera dum excreſceret in dies dilatandæ orthodoxę religionis ſtudium, allatum, Petrum Auitabilē Neapolim perueniſſe: nec tatus cunctandum Caſtellus, Neapolim confeſtim ſe contulit, vt ſuam cum illo mentem communicaret. Conſilium nempè erat ad noſtros aggregari; tũ in Iberiam mitti, vt in eo nouali proſcindendo labores ſuos vnà cũ eius inſtituti viris conferret. Verùm, quod Romam Auitabilis iam diſceſſerat, ita rem per literas egit, vt interim feriandum ſibi minimè duceret. Eapropter Cryptalias, quod eſt in Salentinis, ac Patrui ſui Ditionis oppidum; excurrit. Exercere priuata quadam palæſtra, ac meditatione hic cœpit, quod operoſiore olim cura, emiſſus veluti in ſolē, ac puluerem, conficeret. Siquidem informare mortalium pietatem, inuehere mores bonos, Sacramentorum vſum probare indigenis, inſigni quadam animi ſedulitate inſtituit. Præcipuum verò illi ſtudium, pueris fidei rudimenta tradere, atque inſtituto certamine, pulcherrima illos ęmulatione ad Chriſtianæ religionis præcepta perdiſcenda accendere: inflammabatque acriùs ſpe præmii, collatiſque nummulis; planè non ſine incremento pietatis. Initiari prętereа ſacris ordinibus hic voluit, cœpitque con-

Teramus Caſtellus miſſionis ſtudio flagrat.

Præcipuè Ibericæ.

Eius virtus.

Cryptaliis pro curationi animorum vacat.

confitentibus aures dare. Quo tempore cùm nihil iam illi ad Euangelicum operariũ deeſſet, probaſſetque feruentiſſimum in procuranda animorum ſalute impetum, Patris Generalis nutu admiſſus in Ordinem eſt in Neapolitano D. Pauli cœnobio, eo quidem conſilio, vt cũ Auitab ili ſubindè ad Orientalem Iberiam traiiceret: homo ad id omninò muneris factus: quippè cui pleraq. cũ animi, tùm corporis adiumenta inerant, ætas, vires, eruditio, mores: nec ſanè in poſtremis erat pingendi ars, quæ, quòd in regionibus inſolens, adiungere illi gentis beneuolentiam, atque admirationem poterat. His acceſſit Iuſtus Pratus, nobili genere Licienſis, praclari vir ſpiritus, ac regularis diſciplinæ tenax, cui ineſſe generoſam quandam ſupra mortem indolem, Panormitana lues abundè oſtendit. Facta namque in ipſum impreſſione, incuſſoque vulnere, non animum, non corpus proſtrauit. Is, euulgandi Euangelii cupiditate incenſus, efflagitandi finem nullum fecerat, ac tandem voti compos, addictus præclaro operi, ac miniſterio eſt. Par ſtudium Antonio Giardinæ Panormitano, Petri Giardinæ nepoti fuit. Actas illi infra muneris grauitatem, vt conſecrari ſacerdotem extra legitima Eccleſiæ tempora oportuerit. Cæterùm, ingenium, ac flagrans Chriſtianę rei ſtudium viſum œui florem longè pretergreſſum; meruitque ampliſſimorum Patrum nutu, ac Patris Generalis ſuffragio ad hunc cœtum aggregari. Quem deindè numerum duo laici fratres auxere: alter, cui nomen Caietanus Corlittus, Samnis, à Petrabollente, qui Neapoli in Paulina domo profeſſionis vota emiſerat, commodis omnino moribus, qui cultu pietatis, laborum aſſiduitate, facilique ad domeſticas curas omnes ingenio eius domus ſtudia apprimè demeruerat: alter Mediolanenſis, cui nomen Matthæus Florenus, faber cœmentarius, qui profeſſionem non dum emiſerat. Opportunus is quidem inſtaurandis, ſubſtruendiſque in diruta ea regione ædificiis. Iam, quòd medicum Rex Iberiæ enixè efflagitauerat, repertus quidam hac arte non mediocriter conſultus. Verùm, qui opes ſibi propoſuerat, ac præterea ingenii quædam inerat leuitas; poſtquam nonnihil negotii querimoniis, atque inconſtantia Patribus faceſſiuiſſet, tandem dimiſſus ab iis eſt. Nam qui religioſorum cœtum perturbauerat, is enimuerò non medicus, ſed aſſidua quædam morbi cauſa, ac lues ipſa videri poterat.

Neapoli dat Congregatio. nomen.

Iuſtus Pratus Euangelii miniſterio addicitur.

Et Antonius Giardina

Et laici fratres duo.

Hoc igitur lectiſſimo quidem agmine inſtructo, Auitabilis Meſſana Melitam ſoluit die nona Octobris menſis anni Virginei partus trigeſimi primi ſupra milleſimum ſex centeſimum. In freto Melitenſi pene in piratarum poteſtatem veniunt. Obiecere nanque ſe, dum ſecundè nauigant, ſeptem Turcarum nauigia, quæ dum velis, remiſq. ac miſſili etiam telo in eorum ratem incumbunt, vix euadendi ad proximum litrus locus fuit. Et nautæ quidem in ſummo eo diſcrimine non ſe deſeruere. Vectoribus nāque in tuto poſitis, rueri ipſi fiſtulis, ac minoribus quibuſdam tormentis ſtrenuè ſua occœpere, eo quidem exitu, vt deſiſtentibus ab incœpto piratis, libertatem, ac ſaluam rem omnem gratulati mox fuerint. Dies recurrebat D. Tereſiæ ſacra, quę cùm eſſet nauigii tutelaris, præſenti eius patrocinio beneficium acceptum retulere. Cœpiſſe à metu, ac periculis iter omen Patribus fuit auſpicatiſſimæ nauigationis. Melitæ à Nicolao à Marra, Meſſanæ Priore, quem aliàs nominaui, excepti quàm humaniſſimè. Subſiſtere hic diutiùs oportuit, quoad commoda ſe ſe daret traiiciendi occaſio. Nouembri exeunte quidam ex Africa nobilis Turca, qui accepta à magno Melitenſi Magiſtro publica ſecuritate, ſemel, ac iterũ Melitam aduenerat, ſuam Patribus operam, ac nauigium obtulit, pollicitus, Alexandretam incolumes ductùrum. Sed viri fidei neutiquam credendum cũ ipſi, tùm alii, eorum ſalutis percupidi, exiſtimarunt. Nihil quippè frequentius, quàm Punicam in Turca fidem; nec quiduis ab gente, Chriſtiano nomini adeò infenſa, magis pertimeſcendum, quàm fraudem, ac ſupremum exitiũ. Atenim cũ hic potiſſimùm metus eos, ne vela tunc facerent, detinuit; tũ diuini Numinis conſilium fuit, aliquantiſper adhuc morari, vt extrema pietatis officia beneuolentiſſimo hoſpiti, ac viro planè incomparabili perſoluerent. Decembri ſiquidem mēſe die vigeſima tertia fato conceſſit Nicolaus à Marra, cuius virtutem, religionem, pietatem, munificentiam conſequutæ communes lachrimę luculenter commendarunt. Parentem publicum occidiſſe, omnium ſenſus tunc fuit: ductumque funus nō quidem communem in morem, ſed ea magnificentia, ac ſyrmatum pompa, quæ cele-

Auitabilis cũ ſociis Melitā ſoluit,

A piratis eripitur.

Fauſore D. Tereſiæ patrocinio.

Nicolai à Marra domum diuertunt.

Qui paulò poſt moritur.

celebrari ipſorum Principum parentalia, ac iuſta Melitæ ſolent. Fuit hic eius exitus planè religioſiſſimus. Viſus inſigni quadam oris, animique firmitudine, ac deuotione complecti mortem, quam mitiorem illi reddiderant, traducti per ſummam innocẽtiam vitæ dies. Munitus ſupremis ritè ſacris, cũ inſtare iam obitum aduerteret, ſublatis in cœlum manibus, oculiſq. in Crucifixi Domini ſignum intentis, animam exhalauit. Decumbenti, morientique adfuere interdiù, noctùque noſtri, ea quidem ſedulitate, ac ope, quæ opportuniſſima ſupremò laborantibus accidit. Illos extrema proſequutus beneficentia eſt Vir vbique magnus, ac ſemper ſui ſimilis. Continuare nanq. domi ſuæ hoſpitium, quoad Melitę perſiſterent, iuſſit: tũ certam ad victum pecuniã in

Eius in noſtras poſthuma beneficentia.

dies repręſentari: cellæ itẽ cũ penariæ, tũ vinariæ vſum legauit; vnde & inſtrui cõmeatu ad iter poſſent, aliiſque præterea donariis non pœnitendis affectos voluit: quæ, vt illi plauſum conciliarunt, ita commiſerationem excitarunt in noſtros, quibus id præſidii, tantumque beneuolentiæ, amoriſque ereptum Melitæ erat. Iam, viſus profectò Deus, vti innui, eo conſilio moras itineri innexuiſſe, vt nobiliſſimo Viro parentarent. Siquidem ſtatim ab eius funere eò appulſa ex Gallia eſt nauis apprimè inſtructa, ac prægrandis, quæ Alexandretam peteret; pactoque cum Nauarcho tranſitu, præſtolati idoneam tantiſper tempeſtatem, ineunte mox anno, die Ianuarii octaua, vela ventis dedere: octo videlicet numero: nempè Petrus Auitabilis, Vincentius Caraſa, Iuſtus Pratus, Antonius Giardina, Chriſtophorus Caſtellus, qui nomen habitu mutauerat, laici fratres duo, & Georgianus quidam, nomine Pirbudachus, vir probus, qui

Vincentius Caraſa iterùm conſtantiam probat ſuam.

ex Iberia cũ Auitabili aduenerat, redibatque ab hac peregrinatione, atque à ſacrorum cũ Romæ, tùm Neapoli cultu, quem viderat ad omnem magnificentiam, nitoremq. exerceri, planè religioſior. Nec diſſimulandum, eximium hic conſtantiæ, ac feruentiſſimi ſpiritus periculum feciſſe Vincentium Caraſam. Enimuerò antequã nauim conſcenderet, correptus vehementiſſimis laterum doloribus fuit, qui cùm ſeſe vehementiùs intenderent, ſeuerè medici pronunciarunt, niſi cum ingenti vitæ diſcrimine committere ſe itineri minimè poſſe. Vis à conſanguineis, ac popularibus, quã à morbo acrior. Aderant ſiquidem plerique eius Ordinis Equites, illi coniunctiſſimi, qui malum commiſerati, in eo toti fuere, vt illum à propoſito remouerent. Morbum ex ſe grauiſſimum adaugeri ſupra modum nauigationis incommodis: nihil remedii, nihil in pelago leuamenti eſſe. Quando ſub ipſum diſceſſum impreſſionem dolor feciſſet, apertam eam eſſe diuinæ voluntatis ſignificationem, quæ ſubſiſtere iuberet. Cederet proinde Numini, neceſſitati imbecillitati. Tùm precari impenſiùs, obteſtari, ac penè conuicns etiam agere. Excipiebat hæc ille vberrimo fletu; quòd acriter, ac totis naturæ viribus ſuam impugnari conſtantiam cerneret: attamen diuino fretus auxilio, non preces, non præſentem corporis cladem moratus, obfirmatoque ad omnem patientiam animo, pergere conſtituit. Et adfuit tàm generoſæ viri menti Deus, remiſſa contra medicorum ſententiam in itinere vi doloris.

Hierapolim tenent.

Porrò nihil hac velificatione videri felicius potuit. Nam die Ianuarii octaua profectis Melita, die duodecima in conſpectum ſeſe dedit Creta Inſula: die verò decima ſeptima Cyprum appulſi, vigeſima quinta Alexandretam tenuere: vbi quindecim omninò dies morati, inſequentis Februarii die tertia decima Hierapolim peruenere. Aliquid hic procellæ Patres diuexauit, excitato in terris turbine, qui pepercerat pelago. Enimuerò cũ plerique etiam è Dominicana familia vnà cum noſtratibus Hierapolim perueniſſent, occaſionem ab eo religioſorum hominum numero ſtruendi, ſuas de more calumnias Turcę arripuere. Familiare, ſcilicet, genti, circumuenire hoſpi-

A Turcis moleſtiæ.

tes, falſiſque iis adornare criminationes, ſpecie quidem publicæ tuendæ tranquillitatis, re autem vera, vt aurum exculpant. Eò nanque tempeſtas ea omnis ſpectat, vt eiectę opes voraciſſimas Charybdes impleant. Et noſtris quidem haud paruo conſtitit hæc Alepi ſycophantia, perſolutis redimendæ libertati centum nummis aureis. Nec minimum ſubindè moleſtiæ attulit Pirbudachi morbus, qui eò tandem deuenit, vt conclamata penè medicorum iudicio ſalus fuerit. Adfuit certatim noſtratum charitas; & quà animæ, quà corporis curationi nihil præſentis adiumenti ab iis prætermiſſum: à quibus ingenti deindè alacritate perſolutæ Numini gratiæ, quòd reſtituta homini ſua incolumitas fuerit. Prolixior hæc Hierapoli mora. Expectandum nempè

via-

Digitized by Google

viatorum agmen fuit : quo tandem inſtructo, Atzerum verſùs iter cœptum, Maio ineunte, die Inuentæ Cruci ſacra. Quæ ſanè dies non ſine cruce Patribus contigit. Enimuerò Hierapoli vix egreſſi, iuſſique tributa iterùm ſoluere, quæ iam ad vnguem ſoluerant, nullam non conuiciorum, ac verberũ iniuriam non ſuſtinuere; quoad exhauſta pecunia fermè omni, Petrus Auitabilis, qui præerat, atq. in ea potiſſimùm palæſtra decertabat, ceruice intrepidè exporrecta, hoc ſibi reliquum, inquit: amputarent, atque acciperent vnà cum auro ſanguinem. Quo viſa hominum improbitas, atque auaritia temperari, ac ſiſtere. Continuare deindè iter, vitamque per ſummam tolerare inopiam oportuit; ac nonniſi diuenditis identidem, quæ aſportabant, vectigalia ſoluebantur, quæ ex ſe quidem magna, ſed Europæis, ac religioſis viris augebantur. Arzerum peruenere die tertia Iunii, excepti benignè ab Armeniis; vbi quòd quædam è ſuis ſarcinis diuendere opportunè potuerint; ac fuerit preterea, qui non modicam quidem pecuniam, Goride reſtituendam, iis crediderit, conflare ęris ſummam non mediocrem contigit, quæ poſtea momentò erepta, vt mox dicam. Præſtolari Atzerum, quoad viatorum numerus coaleſceret, oportuit: ac die vigeſima ſecunda eiuſdem Iunii menſis Teſlim curſum intendunt. Iter ſuum ſtatim habuit incommodum, cuius tùm quidem noſtri immunes, ſed quod poſtea moleſtiam iis, ac iacturam peperit non mediocrem. Per oppidum, cui nomen Ardanum, in quo Georgianus quidam Princeps dominabatur, pertranſeundum iis erat, ſoluendumque de more tributum; cuius penſionem, vt euitarent, deflectere aliquantiſper via voluit agminis ductor. Quod vbi Georgianus Princeps reſciuit, expediri confeſtim lectiſſimam armatorum phalangem iuſſit, eo quidem mandato, vt ſi decernere armis rem ii voluiſſent, omnes ad vnum contrucidarentur: ſi manus dediſſent, haberent mitiùs, atque ad ſe ducerent, daturos luſi, læſique vectigalis pænam. Ergò circumuenti maiore longè numero viatores, obniti præpoſterum omninò putarunt; ac reliquum iis fuit, Ardanum petere, ac ſiſtere ſe Principi: quem quòd auſteriſſimum, atque efferati oppidò ingenii nouerant, aurique percupidum, veteri vehemẽter, et vitæ, & bonis ſuis cœpere. Et quidem inſtiturum ea ſeueritate iudicium, vt videretur, quicquid in eo cœtu pecuniæ eſſet, eradere ſe velle, intentatis conficiendo negotio minis, ſupremiſque ſuppliciis. Maior eius procellæ pars incumbere in noſtros homines, quippè latinos, debebat. Sed adfuit iis ex inſperato præſidium, ac diuina bonitas. Florebat tùm quidem apud Principem gratia Iuuenis quidam, cui nomen Ioannes Porſellius, natione Gallus, patria Maſſylienſis, profeſſione medicus, orthodoxæ in primis religionis, fideique tenax, quam candidi etiam mores commendabãt, patriamque ingenuitatem, ac indolem facies ipſa liberalis; ac oris elegantia, teſtabatur. Euocatus is ſuperiore anno Goridem fuerat, vt ægrotanti grauiter Reginæ operam daret: vbi inita cũ noſtratibus amicitia, vſus familiariter iis fuerat, eorum moribus pietati, beneuolentiæ magnoperè addictus. Igitur vbi rumor attulit, in eo captiuorum cœtu Europæos quoſdam eſſe; adfuit illicò homo Gallus, inſpecturus, an aliquem è ſua gente calamitas inuolueret. Vbi Theatini nominis viros eſt cõſpicatus, mirum eſt, qua alacritate occaſionem arripuerit iis gratificandi, quorum ſociis, eorũque humanitati plurimùm ſe debere, profitebatur. Eapropter commendare etiam, atque etiam apud Principem inſtitutum, ac mores; tueri bona; beneficiis afficere; ſemel, ac iterũ, importata eò loci annona, vbi Patres detinebantur, diſcumbere ad menſam cũ iis voluit, elargitus etiam pecuniam; & antequam diſcederent, conſcientiam iis quàm religioſiſſimè ſacramentali confeſſione aperuit. Quòd verò ad mulctam viatoribus irrogatam, fuit ea quidem nõ modica, vt mille quingentorum aureorum nũmum ſummam excederet: ſed medici opera immunes noſtri, ſyngrapham etiam Principis impetrarunt; qua is, ne quid poſtea moleſtiæ ſubirent, diſertè ſignificabat, ſe quidem ſeorſim, atque abũdè accepiſſe à Patribus mulctæ partem. Quin immo cum illi neſcio quid attalicæ veſtis, quam Theimurazio Regi ferebant, Georgiano Principi teſtãdæ gratitudini donaſſent, exegit is ab ea multitudine chirographum, quo fidem ſuam ad eius veſtis pretium Patribus ſoluendum obligarent. At enim verò tanta in ipſos clementia, atque immunitas communem omnium inuidiam concitauit; irritabatque acriùs auri iactura, quam compenſare omninò noſtratum quà iniuria, quà

Arzerum perueniunt.

Ardani viatoribus procella

Noſtris à Gallo medico præſidium.

Eius in illos beneſacta.

damno

damno in animum induxere. Scilicet, tunc acerbior ab infortunio dolor, cùm non
Virorum in Patres impetus.
omnes ęque afficit caſus; intenditque vehementer vnius moleſtiam alterius exemp-
tio. Itaque poſt biduò, vbi ad magni cujuſdam lacus ripam, quem Exſeſiam ap-
pellant, vt interiungerent, peruenere; facto in noſtros impetu, ſtrictiſque enſibus,
lymphatis, ac furentibus ſimiles, primũ, quas dixi ſyngraphas efflagitare, quas illicò
diſcerpſere. Tũ ſarcinas, ac quicquid in iis ſupellectilis, ac religioſarum veſtium, ſa-
crique inſtrumenti erat, furore quodam, contemptuque extrahere euoluere; miſceres
cũ neque nuſquam appareret, quam vorauerant animo, pecunia, iniicere violentas
Et direptio.
in homines manus; iuſſiſque expoliari, quicquid argenti ſuis vſibus ſepoſuerant, ex-
pilarunt. Et Petrus quidem Auitabilis, quòd verbo tenùs tueri ſua, ac monere bar-
baros voluerit, vulnus tulit; valuitque in iis æquè auri fames, ac ſanguinis ſitis. E ſo-
ciis verò alius quiſpiam, quòd cerneret, rem eſſe cũ auariſſimis, ac immaniſſimis, ce-
leri quadam vſus ſolertia, quiddam pecunię clàm proiecit; quod ſedata deindè tem-
peſtate repertum, viris ingenti ea clade conſternatis, atque omni ope deſtitutis, con-
ficiendo reliquo itineri vſui fuit. Excepta ſumma quidem animi ęquitate, alacrita-
teque calamitas, ac gratulati ſummoperè ſunt, quòd non antea iter perfecerint, quã
id contumeliæ, ac detrimenti paſſi pro Chriſti nomine fuerint.

Goridem die Iulii decima peruenere; compleuitque incredibili gaudio familiam
optatiſſimus Patrum aduentus, & capitum acceſſio. At enim haud mitiorem domi
Goridem perueniunt.
rem offendunt: veluti exantlatis in itinere malis erudire ad alia illos infortunia amã-
tiſſimum Numen voluerit. Enimuerò Theimurazius, quem dixi in noſtros egregiè
animatum, eoſque inſigni beneuolentia vſque tùm proſequutum, detracta veluti per-
ſona, indolem exercere aliam cœpit. Sparſerat nempè rumor, auexiſſe Roma no-
ſtros ſummam auri non modicam. Quare vellicare eius animum cœpit amor num-
mi, cuius partem exſculpere vi, aut ſponte, in animum induxit ſuum. Incitabatque
Alia Theimurazii indoles.
Regem Patriarcha, qui cũ perſuaſum haberet, bis mille nummos aureos à Romano
Pontifice ſibi miſſos, augebat in maius famam, illoſque adueniſſe benè nummatos,
conſtanter affirmabat. Ergò, vt violenta eſt cupiditas omnis, præſertim pecuniæ,
accerſiri, nulla mora, Auitabilem Rex iuſſit: atque eo quidem ſupercilio, quod grauia
denunciaret, niſi obſecundaret confeſtim votis, ab eo petiit, vt duodecim aureorum
Qui aurum petit.
nummum millia mutuò daret. Scire ſe, quas opes Europa attulerit; ac nullum fore,
vt incommodum ipſis exiſteret, ſi Regi gratificarentur. Viſa Auitabili res monſtri ſi-
milis, ab iis eam auri vim poſci, quos ſumma inopia diuexabat. Excuſare ingenuè
paupertatem, atque obæratam etiam familiam; nec vnquam tantũ pecuniarum coa-
ceruari ſolitum in ſuo Ordine, cui pręcipua ſupellex, egeſtas. Præterea à viris imma-
niſſimis tàm malè in itinere acceptos, vt quicquid à vectigalibus, atque à parſimonia
ſupererat, per ſummam iniuriam abſtulerint: proindèque nihil vrgere moleſtiùs Pa-
tres, quàm rei nummariæ difficultatem. Repulſam Rex credidit; dimiſſoque Auitabi-
li, poſt biduò militari apparatu, vt terreret, ac vi etiam ageret, Goridem venit: fixiſq;
conopèis, denunciari Patribus iuſſit, mitterent tũ quidem mille aureos, aliàs Regno
facesserent. Planè, qui pro certo haberet, theſauros in noſtris ædibus altè defoſſos;
Increpatis etiam minis.
inquirere, coſilium erat, vt iis tandem exuuiis auaritia triumpharet. Mulcendo aui-
diſſimo Principi opportunum duxere Patres Iacobum de Stephano, quem ſciebant
illi percarum, Et is quidem, negato non ſemel aditu, tandem admiſſus, quadam dicẽ-
di ſuauitate, argumentiſque ad fidem accommodatis ita ſubire eius animum viſus
eſt, vt quamuis cupiditatem, conceptamque ſemel ſpem compendii non omninò ex-
tinxerit, fregerit nihilominùs impetum; atque eò deducta res eſt, vt quando nihil re-
liqui iis eſſet, niſi ſpes recuperandi, quod viatorum agmen illata vi abſtulerat, quæ
ſanè non tenuis pecunia, id ſibi auctoritate, qua valebat, ſed noſtratum nomi-
ne exigeret: deditque ſtatim operam Rex, datis ad amicos literis, miſſiſque huc il-
luc ſuis qui inſtitores cogerent ablatum aurum reſtituere. Sed non impunis hæc eius
Auaritiæ pœnas dat Theimurazius
in religioſos viros, ac ſummè pauperes abiit iniuria: adfuit nempè ſtatim quædam,
ceu monitrix, ac vindex criminis pœna. Eadem ſiquidem die, qua cum eo armatorũ
ſtrepitu terrori noſtris fuit, trucidati à Laſghiſſis, quos ſupra nominaui, trecenti è
Georgianis ſuis fuere. Quamquam, quę mox affecit Principem calamitas, longè
gra-

Relig. 103

grauiot fuit, ad eius procul dubio mulctam; quippè bonam mentem, pietatem, iuſtitiam exutus, non is erat, qualem ſe antea prætulerar. Mutatus enimuerò in virũ alterum videri poterat: populis difficilis, aſper, quos etiam ad viuum tondebatı imminuta ab eo ſactorum iura: nulla æqui, rectique ratio: leges auaritia, cupiditas figebant. Quæ quidem in cauſa fuere, vt alteram conſequenti anno cladem, longè luctu oſiſſimam, Deo vindice, ſubiret. Recenſere hic ſtrictim occaſionem, cauſam, ac rei ſeriem, non abs re, puto, erit, ac quid etiam voluptatis afferet legentibus. Gangiã, quæ Perſidis Prouincia eſt, moderabatur vir quidam princeps, Dauthus nomine: huic germanus frater erat, Imanculius appellatus, magni nominis, vt vocant, Canus, qui Scirazii regionem, quæ princeps in Perſide præfectura eſt, adminiſtrabat, ea quidem ingenii, ac morum facilitate, comitateque, vt non modò, quos temperaret populos ſibi vnicè deuinxerit; verùm etiam cũ optimi Principis manaſſet latiùs fama, in Perſarum omnium oculis, atque animis eſſet: vt certare iam populorum obſequio, ac potentia cum Rege ipſo videretur. Ruinæ proxima sũma hęc ſubditorũ fortuna ſemper fuit. Suſpectam igitur Rex tantam viri potentiam habuit; & qui ipſum communi beneuolẽtia, atque armis etiam abundè munitum, circumuenire minùs poterat; fratrem, qui Gangiæ præerat, tollere è medio conſtituit. Diſtrahere nempè, ac deterere vnius cœde alterius auctoritatem erat; ac facile deindè fore, vt ipſum Imanculium perderet, ſublato germano fratre, exiſtimauit. Hoc autem cœdis conſilium, vt raro non intima quæque Regum arcana euulgat aula, Dautho Gangiæ Præſidi perlatum, nimium quantũ fellis, atque iracundiæ in eius animo excitauerit: vt ſimul, & conſulere maturiùs ſuę vitæ, & vlciſci acriùs Regem cogitauerit. Quapropter Theimurazium, ſibi familiariſſimum, conuenit. Capitis periculum, & quid ipſe animo agitaret, communicat. Coniungeret vnà ſecum vires, ac arma. Gangiam ſuam eſſe, ſi velit. Arriperet occupandæ Prouinciæ occaſionem, quam ipſe offerret: mulctarentque vnà Regem, cùm & ipſe ſuas ab eo iniurias, ac clades numeraret. Probat præcipiti quodam conſilio rem Theimurazius, contractoque ſtatim milite, inuadit cum perduelli Principe Perſidem; Gangiam præcipuè, quã Georgianus ignis, ac ferrum percurrit. Quo loco haud quidem diſſimulandum, quod noſtri homines in ea armorum impreſſione pertulerint. Morabatur tũ Gangiæ domeſticæ cuiuſdã rei perficiendę cauſa Petrus Auitabilis vnà cum Matthæo Floreno, fratre laico, quem ſupra nominaui: cùmq. rumor percrebuiſſet, rebellaſſe Perſarum Regi Dauthum, ac fore, vt propè diem vnà cum Theimurazio in regionem, vrbemque irrumperet, ac popularetur, cunctis huc illuc fuga dilabentibus, declinare & ipſe militarem impetum ſtatuit; arripuitque cum quorundam Armeniorum agmine pleno gradu iter. Sed alterum poſt diem ecce tibi in armatorum exercitum ex inopinatò offendunt; perculſique metu ex eo cœtu omnes, equos, ſarcinas deſerentes, pendentes montium cautes, reptando per ardua, conſcendere maturarunt. Nec temperatum proindè cædibus. Enimuerò cũ inſequerentur Georgiani, & Armenii ab editis iis rupibus ignea ſe grandine ſtrenuè tuerentur, edita hinc inde ſtrages non mediocris. Et noſtri quidem prægrande quoddam, concauum à tergo ſaxum cõſpicati, factam veluti à Numine latebram ſubiere, moratiq. inibi ſunt, quoad pertranſiit turbo: cũ interim & ſuis ipſi armis certarent, ac precibus agerent. Affecit eos poſtea cæſorum corporum commiſeratio, ſtratoſque vtrinque mortales proſequi lachrymis, atque horrore quodam viſi ſunt. Continuare autem in Alingiam iter apud Dominicanos Patres cogitant, viri eo metu conſternati, enectique fame, & quibus nihil reliquum, quàm baculus, ad vię leuamentum: eratque potiſſimùm moleſtiæ corporis imbecillitas. Nam cũ vterque Gangiæ ægrotaſſet, dare ſe fugæ oportuit, cũ non dum bona fide conualuiſſent. Igitur pergunt via, qua nulla ineptior: ac defectis omninò viribus, laſſari vſque ad deliquium Auitabili ſemel contigit: vt niſi vir quidam pius humeris ſuſtuliſſet, exhalaſſet dubio procul in ea ſolitudine animam. Iterum pomorum reliquię, quas caſus obtulit, collegitque è luto, fuere illi pro deliciis, deficientemq. iam iam ſpiritum refocillarunt. Matthæo grauior calamitas, quæ ſuprema illi fuit. Rediit nanque morbus ea quidem contentione, vt diuertere ad quendam Armeniorum aſperrimo quidem in loco pagum, neceſſitas coegerit: vbi infirmitate ingraueſcente, omni ærumnarum genere confectus, atque

Dauthus Gangiæ Præſes.

Vnà cũ Theimurazio Perſarum Regi rebellat.

Diem obit Matthæus Florenus.

humi cubans, ſpiritum Deo reddidit vir patientiſſimus in complexu Auitabilis, qui optimo fratri lachrymis, ac precibus parentauit, cohoneſtauitque quàm potuit decenter ad ſepulturam corpus.

Interea temporis cùm hoſtilem in morem Gangiam excurriſſet cũ Theimurazio Dauthus, reuerſus vterque Goridem eſt, vbi Gangienſis noſtratum conſuetudine, ac moribus vſque adeò affici eſt viſus, vt nihil eſſet noſtri nominis illo ſtudioſius; iuuitque non ſemel, nec tenui quidem liberalitate domeſticam inopiam. Cùmque illos ſolicitos admodũ de Auitabili cerneret, reuerſurus propè diem Gangiam, daturũ ſe operam, pollicitus eſt, vt rediret incolumis Auitabilis. Quod ſanè præſtitit. Nam cũ reſciuiſſet, vbi is moraretur, equum miſit, & qui comitaretur. Et ille quidem, mutato Alingiæ conſilio, Gangiam illicò ſe tranſtulit; exceptuſque à Dautho eſt inſigni beneuolentia, quocum Goridem repetiit, vbi is munificentiam, ſtudiumq. in noſtros ſplen-

Reſtituitur ſuis Auitabilis

didiſſimè continuauit. Quamquam non diù agere ibi contigit. Siquidem cũ fama euulgaſſet, Perſarum Regem ob acceptam iniuriam deſtinaſſe ſupremæ cladi Georgiã, ac ſuum potiſſimùm caput peti, excedere iis terris, ac ſe nonniſi tutiſſimis locis credere, oportuit. Iam verò, concepto immani quodam furore, quanto armorum apparatu inuaſerit Iberiam Perſa, dici vix poteſt. Exceſſiſſe exercitum centum & quadraginta militum millia, magnam partem equitum, ferunt, quo quidem à luxu Perſico, auroque armorum, tũ ab armatorum furore, ac ſtrepitu nihil cerni pulchrius, nihil ferocius poterat. Viſus momentò quadam veluti eluuione effundi miles; vt tota in Georgiam illata Perſis, ac vis bellica videretur. Occupata latè regio, ac funeſtata bellorum incendiis. Nullis temperatum cœdibus, euerſa funditùs ędificia, exciſæ iterùm arborum ſtirpes, corrupta anni fertilitas, vbique iterùm vaſtitas. Rex Theimurazius quamuis propulſare ſtrenuè, ingentique animo impetum cogitaret: attamen à ſuis, qui incumbentem Regno procellam ſiſti vi poſſe, deſperauerant, deſtitutus, rebuſque iam conclamatis, fuga denuò ſibi conſuluit; conuenitque vnà cum coniuge Imereti Principem, cuius filio ſuam non ita pridem ſobolem in matrimonium collocauerat: exceſſitque laribus, ac Ditioni ſuę infelix Princeps, irritatæ fortunæ exem-

Fugam arripit Theimurazius

plum, ac magnatibus documentum, quos ſcire enimuerò neceſſe eſt, eſſe cœlo Nemeſim, quæ Dei nutu magnos vindicet, ac ſuo loco moueat, ſi exorbitent. Scilicet, hoc Perſarum Regis conſilium: Principem, qui ſuo perduelli opem tulerat, Regno pellere, quod amiciſſimo capiti, cui Roſtuano nomẽ, donauerat. Erat hic Roſtuanus Perſa quidem patria, ſed oriundus ex Iberia, auitæ religionis deſertor, atque ex eo Principum ſtipite, qui in Cartulo, altera ex iis Prouinciis, quas Theimurazius obtinebat, regna-

Nouus Iberiæ Rex Roſtuanus

uerãt. Quo quidem nomine ad ſe pertinere Cartulum, veluti tranſmiſſum à ſuis patrimonium, contendebat. Huic etiam ſummoperè obſtrictum ſe Rex Perſarum profitebatur; quòd cùm de Regno adipiſcendo ageretur, diſtractis hinc inde procerum ſuffragiis, Roſtuanus Georgianorum ſtudiis, quorum partes validiſſimæ in Perſide ſunt, in ipſum incubuit, euexitque in ſolium. Quapropter & quòd hæreditario iure ſpectaret ad Georgianum Principem eius Dominationis pars, & vt ingentis beneficii gratias referret, Georgiæ faſcibus Roſtuanum deſtinauit Rex Perſarum, miſitque cũ florentiſſimis iis copiis, ſuum vt Principatum iniret, firmaretque. Quod autem ad noſtros attinet, qui Goride morabantur, cũ nihil non aſperum polliceri ſibi à Mahomettanis viris Latini homines poſſent, vt turbinem declinarent, fugam meditabantur. Verũ, quòd fulminis in morem repentè eò adfuit Perſa, coacti ſubſiſtere, diuini Numinis tutelæ ſe, ac ſua omnia permiſere: addiditque animos priſcum noſtrorum Conditorum exemplum, quos ingenti fiducia, Deique prouidentia ſubnixos, immanis ea Borbonii clades de conſtantię gradu non mouit; hęſeruntque Romæ intrepidè inſigni cũ tolerantiæ

Opem noſtri adeunt.

laude, fructuque mortalium. Igitur cũ in tanta rerum trepidatione minimè ſe Patres deſtituiſſent, vbi non procul abeſſe exercitum cognouere, officii duxit Auitabilis eò mittere, qui aduentantẽ Roſtuanũ Regem cõſalutarent; allegauitq. Iacobũ de Stephanũ, & Archangelũ Lambertũ, qui dum irent, regii ſtabuli Præfectũ offendunt, ab Rege miſſum, vt quando vehementer metueret, ne fugam cum aliis arriperent Patres, ſecuritatem iis ſuo nomine offerret, inuitaretque, vt ad ipſum adirent. Hoc illi nempè iu-

cun-

cundiſſimum ,agere in ſuo Regno Europæos,quos maximi ſemper fecerat, & quibus impenſiùs optaret, ſuam beneuolentiam, atque eximiam voluntatem coram teſtaris adhortatus proindè eſt,vt irent,ac pro certo haberent, fore omni humanitatis genere ab ſtudioſiſſimo Europæi nominis Principe excipiendos. Fuere hæc iis non mediocri quidem incitamento; ac dum pergunt,in conſpectum exercitus venere , ducebatque agmen vnà cum præcipuis ducibus, ac Canis inauguratus nuper regiis inſignibus Roſtuanus. Facto gradu, deſcendere honoris cauſa noſtri parant ; ſed prohibiti ab eo ſunt , excepitque pro tempore,ac loco omni verborum officio; vt agnouerint illicò regio in vultu,ac fronte quaſdam ingenui pectoris notas, & quā animo conceperant, viri comitatem,ac ſtudium. Quod quidem ſtudium viſus mox Goride intendere ; vt adeuntes beneuolētiſſimè complecteretur,beneficiis ornaret,oneraretque magnificè pro miſſis,edito impunitatis chirographo,ne quid militaris licentia in pios peccaret. Ad Regis exemplar honeſtare certatim & reliqui viri principes familiam , adire Ecclesiā,ac domū,frui Patrum cōſuetudine. Fuit pręcipui nominis Canus,qui D.Georgii effigie,quam Lambertus eleganter effinxerat, donatus à noſtris , gratias primùm habuit,poſtea retulit,collata ſemel,ac iterū non mediocri quidem ſtipe , eademque beneficentia plerique ex iis exercitus Ducibus,qui identidem ad Patres aduentabant,ipſorum inopiam iuuere; tantùm abeſt, vt aliquid ab iis incommodi,aut iniuriæ tolerauerint: planè vt præſentiſſimum Dei , ſuorumque Tutelarium præſidium luculenter religioſi viri agnouerint; quando id eſſe cœlitum duntaxat opus poſſet , vt de comedente exiret cibus, & de forti dulcedo. Quin immò , quòd euerſa contrmenti eaprocella regione ferè vniuerſa , Goridi, vbi noſtri morabantur , nihil damni intulerit Perſicus furor, populorum perſuaſio acceptum id iis retulit, qui & precibus diuinum Numen, & externo oris habitu,modeſtia,vitæ inſtituto,pietatis,ac ſacrorum vſu barbarorum admirationem,venerationemque, & ſibi,& ciuibus conciliarunt. Id vnum accidit,quod non ſanè prætereundum , & quod adducere in diſcrimen familiam faciſè potuiſſet. Eximiæ formæ mulierem , vt eſt Marti amica Venus , ſuum in conopèum duxerat militum manus; nec longè à noſtris ædibus aberant: ita vt inſpicere perſæpè pios viros poſſet fœmina,quorum aſpectu , exemploque monita, abiicere conſuetudinem,noſtramque in domum , tutiſſimam veluti in arcem ſeſe aſſerere cogitauit. Ergò induta militem, ac ſagum,vt falleret,intendentibus ſeſe tenebris, clàm omnibus dilapſa conopèo,noſtris ędibus impetu quodam ſucceſſit. Militem ſubire ex improuiſo noctu domum, timori quidē non mediocri fuit. Vix enim opinari aliud poterant, quàm rem domeſticam peti. Sed ementita virum fœmina, iuſſis bono eſſe animo,quid patrauerit, vtque è proximo conopèo fugerit,aperuit : nullum ſibi perfugium viſum opportunius,quàm apud viros ſanctos; commendare proindè ſe etiam, atque etiam; tuerentur mulierem,pudicitiam, vitam. Periculi plena res iis viſa. Nihil enim propiùs erat,quàm irrumpere in domicilium Perſas quos libido,ira, atque à fœmina iniuria vehementer irritabat. At enim,quòd auſu quidem magnanimo virilis animi mulier honeſtati conſuluiſſet, quamuis imminere exitium cernerent , haud deſerendam in tanto rerum diſcrimine,duxere. Id illicò loci collocant , vbi lateret opportuniùs ; atque interim ita rem Deo precibus commendarunt ; vt diuino poſtea patrocinio tribuerint , quòd nulla de vicinis iis ædibus ſuſpicio milites ſubiiſſet.

Atque hæc de Perſica tempeſtate , quæ anno tertio , & trigeſimo huius ſeculi in Georgiam detonuit , quo eodem anno peracerbam iſtem noſtris, totique rei Ibericæ calamitatem attulit Iacobi de Stephano mors, viri planè robuſtiſſimi, atque Apoſtolici ſpiritus, qui ad animorum quæſtum , ad Catholicę religionis incrementum, ad Georgianæ gentis eruditionem, ac bonum natus videri poterat: vt à zelo fidei, à diuini verbi prędicatione, ab aſſidua eius Regionis luſtratione audiuerit merito Iberiæ Orientalis Apoſtolus. Iam appingendum hic ſuum præclaro viro elogium , atque enarrandę opes animi,ac facta,quorum nonnulla iam curſim perſtrinximus . Aquediæ,in paternæ nimirū Ditionis oppido in Regno Neapolitano ortus Iacobus, honeſta quidē domo,ac diuitesparentibus Petro Antonio de Stephano,& Lucretia Iuniana, quos æquè nobilitas, ac pietas commendabat. Ioannis Angeli nomine ad luſtra-

Excepti perhumaniter.

Et fauent mirificè exercitus Duces.

Iacobus de Stephano abit ad meliores.

Eius Patria, & Parentes.

lem fontem affectus: ac documentum id fuit, fore, vt angelos moribus, atque ipſo in primis caſtimoniç flore exprimeret. Illud in pueritia præclaræ, incorruptæq. indolis, ac ſuccedentis deindè probitatis ſpecimen dedit. Dicentem pro ſuggeſtu religioſum virum, atque in peccati potiſſimùm labem vehementiùs declamantem, ſemel audiuit: deſcenditq. in intimum pectus dictio, eo quidem horrore animi, vt demiſſus ad proximam aram in genua, votum illicò conceperit, fore, vt nunquam ſe lethali culpa adſtringeret: tũ, vt lectiſſimum corporis, atque animi decus in tuto collocaret, inſigni quadam pietate Virgini Deiparç dedicauit: vt mirum non fuerit, ſi facta non ita poſt multò ab improba muliere impreſſione, expugnari minimè potuerit caſtiſſimum adoleſcentis pectus, quod illibatç iam Virgini oppignorauerat. Hinc præcipuam, cur religioſum inſtitutum capeſſiuerit, cauſam, aiebat ipſemet, timorem fuiſſe, ne quem ſemel magnæ Matri conſecrauerat pudicitiç florem, ſeculum decuteret, atque occaſio; quem poſtea quòd ad ſupremam vſque vitam intactum ſeruauerit, gratias Deo habuit, dum ſupremo ſpiritu laboraret. Reſpondit huic porrò votorum religioni in egregio adoleſcente vitæ cultus. Myſteria ſæpiùs vſurpare, & nonniſi apparatu, qui ſacra deceat: vt ad preces adderet etiam excitandç deuotioni pias diuerberationes. Si quæ fortè hilarior eſſet ſuorum æqualium conſuetudo, illicò deuitare. Gulam ſtrennè frangere, præter adoleſcentum morem, ac ipſam naturæ vim temperantiſſimus; erogabatque pauperibus, quibus vnicè addictus, quicquid ſubduceret genio. Nihil item pueris carius, quàm veſtium illecebræ; quam ille aſpernari mirum in modum videbatur, veluti qui religioſç paupertati proluderet. Excedunt hæc quidẽ ætatis facultatem. Sed illa à puero maturioris quidem charitatis, ac zeli: Viros nẽpè moribus perditos perueſtigare, vt ad frugem corrigeret: Turcas comiter adire, rectam iis fidem propinare, adhortari, docere: ac contigit quidem ſemel, vt ab eius monitis daret Chriſto nomen mancipium, quod vndis ſalutaribus expiatum, ipſemet ad fontem ſuſcepit. Viſa profectò in maius opus viuida hæc virtus adoleſcere, quæ, vt ſe ſe magis explicaret, ac ſua veluti in areola floreret pulchriùs, translata in domum Domini eſt, atque anno à partu Virginis nonageſimo ſeptimo ſupra ſeſquimilleſimũ dedit Clericis Regularibus nomen Iacobus: ſic deindè appellatus, qui Ioannis Angeli nomen exutus, quicquid angelicum erat, ab animo, ab actibus, à dictis nunquam dimiſit. Magiſtrum in eo ineuntis diſciplinæ curſu Franciſcum Olympium habuit; qualem Virum, ad cuius præceptiones graſſari per omnes religioſæ obſeruantiæ numeros ad excellentem quandam virtutem viſus; vt Olympius ipſe eximiam in florente ætate rerum diuinarum peritiam, ac ſenſum contemplatus, magiſtrum illum interdũ appellaret: plaudebatque creſcenti huic pietati Andreas etiam Auellinus, qui mentis luce, qua valebat, perfectum quendam diem in ipſo præclari adoleſcentiæ crepuſculo inſpicere ſibi videbatur: atque indolem deprædicabat, quam ſummæ dignitati, vtilitatique futuram olim noſtro Ordini, totique Eccleſiæ conſtanter affirmabat, vti in loco ſignificaui. Naturalis, ſacræquè Philoſophiæ ſtudia exhauſit cum laude ingenii, addebatque diſcendi ardorem, quòd perſuaſerat ſibi, fore, vt fingendis mortalium moribus, promouendęque animorum pietati opportuniſſima eſſet eruditio. Scilicet, totus deindè fuit in hoc charitatis ſtudio. Publicas in eccleſiis, priuatas habere in Sodalitiis conciones: præbere confitentibus aures; diſſidia, iraſque componere: morientibus adeſſe: hæc eius paſſim exercitia; excipiebantque vigilias aliæ alias nullo ferè ſpiramento. Vrgebat nempe virum impigrum proximorum ſalus. De eiuſmodi verò zelo cùm pleraque memoratu digna recenſeri hic poſſint, vnum duntaxat ex Petri Amtabilis testimonio referam. Meſſanæ morabatur Stephanius, vbi vir quidam aliòqui probus, cui nomen Marianus Tuſcanus, neſcio qua cõtumelia laceſſitus, imperare ſibi minimè potuit, quominùs ad arma confugeret, vt iniuriam vindicaret. Dum iret, obiecit ſe ſe illi Iacobus, & ceu ſciret iam, quò pergeret, increpare illum graui oratione, quòd momentò pietatem abieciſſet, traductamque cũ laude vitam eo facinore contaminaret: cogitaret ſeriò Dei potiſſimùm offenſam; tùm famam ſuam, & quam ſubiret aleam: contigit nanque ſæpiùs, vt tulerit ipſemet necem, quam alteri inferre quis ſtuduit. Admiſit Dei verba, ac lucem Marianus; ac mentem, quam conceperat, confeſtim execratus, teſtari pœnitentiam lachrymis. Interim dum viro,

Virginitatem vouet.

Vitæ ratio ante initum Ordinem.

Religioſum Inſtitutũ init.

Præceptore Franciſco Olympio.

Auellini de eo iudicium.

Studiis vacat.

Ad animorum queſtum.

[illegible]

e Litter. ad P. Generalem 2. Februar. 1634.

[illegible]

qui

qui tempeſtiuè monuerat, habere gratias, eiuſque exoſculari manus parat, aduertit, euanuiſſe; vt defixus admiratione, exanimis penè remanſerit: ac teſtati poſtea noſtri ſunt, ea die non egreſſum domo Iacobum. Neque verò ſine præſenti quodam Dei munere hæc eius charitatis opera aliquando fuere. Aquediam popularis quædam lues inuaſerat, vt turmatim Oppidani decumberent. Computari profectò in beneficiis debuit, quòd ibi tū fortè ageret vir ſtrenuus, Adeſſe, nullo delectu omnibus, conſolari, ſupremis officiis iuuare: percuſſusque tandem ipſe vi morbi, periculosè ægrotauit. Sed Viri curationem ipſa ſibi depoſcit magna Dei Mater. Delapſa ſiquidem cœlo, lecto adſtat, ac clientem ſolata, ſanitati reſtituit: planè vt pretium fuerit ægrotaſſe; quando Mariana deindè ope contigit conualeſcere. Externa verò pietatis exercitia cùm interiore ſui cultu mirificè coniungebat. Orationi præſertim, rerumque diuinarum cōtemplationi vacabat: quo autem cordis affectu, amoreque in Deum, id apprimè declarat, quod iurata fide conſtat. Ad Euchariſtiæ Sacramentum in Odèo orabat, cùm ab Euchariſtico ipſo tabernaculo emicare radius, viſus eſt, qui telo perſimilis, rectà Iacobi cor petiit, ſauciauitque eo quidem ſenſu, vt inter voluptatis, ac doloris vices exanimis penè conciderit; inſcripto etiam arcanis quibuſdam notis pectore. Profectò nonniſi amantiſſimis hæc vulnera. Quantū verò ignis in eius pectore accendebat cōtemplatio, tantundem lucis inſpergi menti contingebat, qua & futura, & longè poſita, & ipſa humanæ cogitationis ſecreta aſſequi videbatur, prædicebatque, ſicubi animorum ſalus poſceret. His item precibus vis quædam inerat flectendi Numinis, morboſque propulſandi: vt pleræque imploratæ diuinitùs curationes de eo ferantur. Inter noſtri Inſtituti regulas, quarum ipſe ſeruantiſſimus, paupertas potiſſimùm cordi erat. Nihil non obſoletum, ac detritum in veſtibus, quarum ea illi carior, quæ centoni ſimilior: idemque in cellulæ ſupellectili, cultus, planè ad omnem religioſæ inopiæ formam. Huic autem ſeuerioris ingenii virtuti conſentanea reliqua vitæ aſperitas, ac rigor. Siquidem præter quotidianam victus parſimoniam, & alia addebat atterendo corpori ieiunia, pane interdū, ac frigida contentus. Somni menſura digna prorſus admiratione. Quieti nanque binas, aut ternas ad ſummum horas dabat: idque aut humi, aut in aſſere. Antelucanas laudes, quibus nunquam deerat, anteuertere precibus, ſcriptione, ſtudio ſolitus erat; vt nunquam proximè à ſomno chorum adiret: quod etiam tempus flagris ſeponebat; cùm interdiù cilicia, ac ferrum, atque eiuſmodi membrorum detrimenta, ſiue ſupplicia adhiberet. Illa duntaxat viro grauiſſimo æquè ac piiſſimo animi remiſſio: aues ad cuiuſdam obſequii diſciplinam erudire: planè vt eo præceptore quandam induere docilitatem, facilitatemque ingenii videri poſſent, ita ſe ſe promptè ad eius vocem, nutumq. attemperabant. In columbis præſertim effingendis incredibili quadam arte valebat, vt epiſtolas interdum per ipſas miſerit.

Adeſt ægrotātibus.

Ægrotus ipſe D. Virginis opem experitur.

Oranti à diuino amore vulnus.

Paupertas.

Abſtinentia.

Vigiliæ.

Corporis afflictatio.

Aues ad animi remiſſionem erudit.

At enim verò, ſunt adhuc, quæ de egregii viri virtute, & quidem longè præſtantiora adnotentur. Viſus nanque in religione ad exteras gentes propagandā, inſtituendiſque barbarorum moribus nulli pepercisse induſtriæ, ac nullas non flagrantiſſimi viri partes Iacobus peregiſſe. Inſitus illi penè ab incunabulis hic animorum zelus: vt puer adhuc Turcarum ſuperſtitionem peteret, ac aliquando triumphauerit, vt in loco monui. Huc deindè labores eius omnes, ſtudia, vigiliæ collimarunt. Sed oblata demum tranſeundi ad Iberiam occaſione, quòd de Chriſtiana re dilatanda, ſeruandiſque mortalibus, in alta errorum caligine conſepultis ageretur: viſus vehementer inardeſcere, eoq. ſtudio prouinciam complecti, vt nullis cum opibus, ac titulis Apoſtolicum munus commutaſſet. Teſtatus id ipſe disertè eſt. Enimuerò cū permoleſtè Meſſanenſes proceres ferrent, eripi adeò proficuum ſuæ Vrbi virum, quidam ex eis primi nominis, ratus cū vulgari indole agi, Iacobum conuenit, ſubiitque Inſulis animum: pollicitus, ſi conſilium mutaret, ſiſteretq. Meſſanæ, daturum ſe operam, vt quā primùm is illi Epiſcopatus honor contingeret. Cui, obfirmato ad conſtantiam vultu, vir ſtrenuus vbi gratias habuiſſet, non modò, inquit, Epiſcopatum, verùm etiam dignitates ſimul omnes, & quicquid in pretio eſt genti mortalium; ſi conferri vni poſſent, fore, vt ipſe libenter abiiceret, ne diſſeminandi ad gentes Euangelii, ac fundendi pro Chriſto ſanguinis labi occaſionem fineret. Quæ verò ad inhoſpitales eas terras

Fidei zelus.

Inſulis tentatur.

Quæ eius in Georgiano itinere toleranda.

eunti inerat alacritas, ipſa itineris incommoda commonſtrabant. Vorare ſiquidem pericula, hyemes, montes, flumina videbatur. Bonus, an malus contigiſſet conficiendæ viæ equus, nihil penſi habebat; niſi quòd ſuum, ſi fortè melior, cum ignauo commutabat, vt ſociorum commodo ſtuderet. Babylonia vſque ad Iberiam iter, quà diuturnitate, quà locorum aſperitate longè teterrimum, magna quidem ex parte pedes confecit equorum vitio; nec viſus vnquam, aut conqueri, aut petere, vt mutarentur. Quinimmò, veluti acquireret eundo vires, recenti ſemper ſpiritu, vultuque alacri ambulabat; planè vt niſi ab ingenti in Deum charitate, ac proximorum ſtudio vis illa, ac progrediendi tanta eſt contentione facultas exiſtere minimè potuerit. Georgiam vbi peruenit, viſus profectò reſpiraſſe; non quidem, quòd impoſitus longiſſimæ peregrinationi finis eſſet; ſed quòd ſuam iam palæſtram, laborumque aream, quam peroptauerat, iniiſſet. Vt viro impigro, ac flagrantiſſimo ſuppeterent ad animorum procurationem ad eas gentes inſtrumenta, duo conceſſa illi diuinitùs fuere: alterum idonea quædam propè ad miraculum facultas, ſiue facilitas linguas addiſcendi. Deiparæ munus id fuiſſe, affirmat Auitabilis. Etenim cùm ab ea, dum Melitæ moraretur,

Linguis peritus D. Virginis beneficio

hæc linguarum adiumenta enixè poſtulaſſet, pollicita magna Mater eſt, id illi à filio impetraturam; liberauitque mox fidem, elargita incredibilem eam docilitatem, capacitatemque memoriæ, qua breui Græcam, Turcicam, Perſicam, Armeniam, Ibericam linguam arripuit: quibus ea quidem verborum proprietate, ac copia vtebatur, vt iiſdem ipſis, quorum dialectos vſurparet, admirationi eſſet. Alterum, quod illi peculiari quodam diuini Numinis beneficio tributum dixi, ea fuit gratia curationum. Planè cùm

Gratia curationum.

deſtitutam medicorum ope gentem noſtri homines cernerent, in hanc potiſſimùm incumbere charitatis partem cœpere. Sed ipſe in primis Iacobus, cùm nihil eius vnquam facultatis in ſcholis, atque ex medicorum præceptis didiciſſet, hauſta veluti è cœlo ſcientia, totus in inſtauranda mortalium ſalute erat. Morbos peracuto, præſentique iudicio dignoſcere: tùm ſua cuique malo remedia, petita ex herbis, quarum exactè vim nouerat, admouere. Qui deindè conualeſcere, qui confici ea lue, & qua potiſſimùm die deberent, conſtanter enunciare, nec falli. Negare interdum in ipſis rerum initiis medicinam, ac ſeuerè pronunciare, breui moriturо, fruſtra eſſe artis adiumenta: quæ cùm ad vnguem acciderent, nimiũ quantum eius creuerit apud omnes exiſtimatio: vt lapſum è cœlo hominem, D. Coſmæ, & Damiano parem, dicerent. Conſtans autem noſtratum opinio eſt, hæc ipſa non tàm peritia, ac naturæ vi, quàm ſuperna quadam ope, ac precibus Dei Seruum patraſſe; quando & corpora interdum reſtituerit, quæ euocati è Perſide medici deſtituerant, & quædam aliquando prædiuinauerit, ad quæ nulla vnquam ars pertingeret. Porrò qua ſe ſe charitate ægroris imper-

Stephani in curandorum corporum ſtudio charitas

tiret, quo ardore animi, ac impetu accurreret, haud facilè dictu eſt. Nulla itineris longinquitas, aut cœli inclementia virum detinebat, quominùs accerſitus, e veſtigiò adiret. Ruentes cœlo imbres, geluque, atque à flagrantiſſimo ſydere caloris vehementia alacriorem reddebant. Rarò equo vectus, plerumque pedes, frequenter ieiunus, ac nullo commeatu viam capeſſere, vigore quidem, ac fiducia ſupra pericula, ac metus. Semel fluuium, qui Goridem allabitur, vt ægrotum inuiſeret, nullo duce ingreſſus, ignarus vadi, penè mergi viſus eſt; non ſine præſenti Tutelaris angeli ope ad alterã mox ripam appulſus. Iterum ſumma hyeme, ac nocte intempeſta ita illum medio in itinere intercepit frigus, vt nihil propiùs eſſet, quàm extingui prorsùs vitam. Aberat quatuor circiter paſſuum millia Armenius quidam, qui diuino inſtinctu monitus, ſuccurrit; Iacobum, confectum frigore, ac propè depoſitum, reperit; domum reduxit; reuixitq. vir ſtrenuus, cuius ardentiſſimam pectoris flammam nihil minùs lædere debuerat, quàm acris hyems. Hæc autem charitatis ſtudia tanta cũ animi ſedulitate ideò vrgebat vir incitatiſſimus, vt curandorum corporum occaſione in animorum ſe ſe compendia inſinuaret. Siquidem, quos ſibi depulſis morborum incommodis eo collatæ ſanitatis beneficio obſtringeret, aderant deindè proni, ac faciles excipiendis Chriſtianæ pietatis monitis; aditumque ſibi per externam eam curationem ad internam animi luem perſanandam faciebat. Scilicet, hic ærumnarum, ac laborum ſcopus, Romanam fidem inuehere, propinare, dilatare. Hinc publicè, priuatimque alloquutiones, in templo ſingulis Dominicis diebus dicere ad multitudinem Turcico ſermone ſolitus

tus erat: frequenter oborta occaſione, ſubitaria concione in foro declamare: catechiſmum deindè, atque orthodoxæ religionis capita explicare: diſceptationes inſtituere, ac rem Catholicam ſtrenuè propugnare: Regem ipſum, ac Principes intrepidè alloqui, ac docere. Semel magni nominis Dynaſta Goride pertranſiens, ac Iacobum cōſpicatus, æternam Numinis generationem, quam ille aſſiduò deprædicabat, quodā ioco petiit, riſitque ſine connubio, ac thalamo ſobolem. Sed facto ipſe gradu, arreptoque equi fræno, inſigni cū ſpiritus altitudine: ſiſte, inquit, Princeps, & quæ Latini homines de immortali Deo, eiuſque fæcunditate ſentimus, accipe: tùm proſequutus orationem, audiri ſine admiratione, ac neruoſæ cuiuſdam facundiæ laude non potuit.

Ad hæc, vt lucem genti faceret, ac mores etiam expoliret, vicos, pagos, atque inacceſſa queque loca adibat.

Adit longè poſitos.

Nulla inibi humanitatis veſtigia, aut naturæ cultus: homines, cautibus, ac feris, quibus erant innutriti, ſimiliores, quos manſuefacere, atque ab inſita morum barbarie ad quandam vrbanitatem traducere; tū inſtillare documenta fidei, ac pietatem ſtudebat; redibatque nunquam ſine ingenti eius operæ, atque induſtriæ pretio. In hoc verò Euangelii euulgandi ſtudio pleraque à nefariis hominibus aſpera ſuſtinere oportuit; ac tantùm abeſt, vt indignari viſus aliquando fuerit, vt ſerena etiam fronte ipſa contumeliarum plauſtra exciperet; eademq. animi æquitate quicquid ſubindè moleſtum accideret, tolerabat. Accerſitus aliquando à Rege, dum, re confecta, Gotidem rediret, qui ipſum Regis iuſſu comitabatur, in ipſo itineris initio, eo relicto, aliò ſe cū equis proripuit.

Iniurias conſtanter ſuſtinet fidei cauſa.

Regredi, ac viri iniuriã, improbitatēq. apud Regē expoſtulare, facilè poterat, cū vix quatuor ab eo paſſuū millia diſtaret. Sed quod ſciret, non impunè facinus abiturū, ne quid noceret, progredi maluit; continuauitque quatuor omninò dierum iter pedes: atque id Februario menſe, fœda nimirum anni tempeſtate, &, vt ipſemet affirmabat, præaltis ſupra genu niuibus. Ab inſigni etiam humilitate, contemptuque ſui hæc, quam ille potiſſimū virtutem nimiùm quantùm æſtimaret. Senior ipſe familiæ, renunciatuſque Præfecturæ Vicarius fuerat: at nil oderat magis, quàm cœteris præferri; rogabatque enixè Patres, vt ab ea Vicarii appellatione abſtinerent.

Eius animi demiſſio.

Tùm quicquid vilioris operis conficiendum domi eſſet, nauabat ipſe ſedulò. Fratrum lintea abluenda ſibi ſuſceperat, aſſiduus fullo: aquam è flumine conuehere, purgare pauimenta, veſtes farcire: atque hęc plerumque cū alii quieti ſe darent, ne quid de modeſtiæ laude, ac de præclaro operum miniſterio decerperet oculus. Neque hęc ipſa aliquando fractus laboribus intermittere. Nam iis veluti exercitiis interſpiraret, ſumma quidem alacritate, ac recenti ſemper cùm animi, tū corporis robore conficiebat. Scilicet, quandam ſecum ipſe ſimultatem, odiumque exercebat, veluti in perpetuam ſui cladem, ac ærumnam iuraſſet.

Vitæ aſperitas.

Non otium, non illecebram illi aliquam indulgere. Poſt aſſiduos interdiù, noctùque labores, vt vires cibo repararet, olera, ac frigidam ad delicias adhibebat; lectus illi æquè commodus: nunquam niſi per menſem, antequam fato concederet, exhauſtis nempè omninò viribus, vt ſtramentitia ſaltem culcitra ad quietem vteretur, exorari paſſus eſt: inſtrata duntaxat cubabat pelle, quam vetuſtas depilatam reddiderat molliorem. Veſtis deindè prorsùs obſoleta, ac malè farta: vt ſummæ quidem admirationi Georgianis eſſet, virum honeſtiſſimum, ac non vno ſpectatum nomine, tolerare tàm paupere tunica cultuque vitam.

Martyrii cupidus.

Sed exigua hæc viro forti, vt qui nihil impenſiùs optaret, quàm ſanguinem pro Chriſto fundere, teſtarique Chriſtianā religionem ſua cœde. Id quod ita animo reuoluebat, martyrii candidatus, vt abalienatus inter orādum à ſenſibus, cū hac mortis imagine, intimè repræſentata, colluderet. Accidit ſiquidem aliquando, vt inter preces veluti lictores ob oculos haberet, certaretque in palæſtra, diſertè pronunciaret: Occidite, occidite. Quam deindè pugnam, reſtitutus mox ſenſibus, quòd vmbratilem fuiſſe aduertiſſet, ac citra cruorem, mœrore quidem non mediocri excepit, cui præcipuum votum, reipſa non in ſpeciem cadere in arena. Inter hæc autem virtutum exercitia attigit maturiùs vitæ metam Vir incomparabilis, qui naturali quadam manſuetudine, morum ſuauitate, eximia virtutis indole, zelo pietatis, ingentibus denique beneficiis omnium animos ſibi adiunxerat, eamque ſibi famam comparauerat, vt vulgò vir ſanctus, Dei Apoſtolus, angelus, propheta apud Georgianos audiret.

Stephanii à Georgianis appellatione.

Et Theimurazius quidem Rex, qui nunquam ſine elogio de Iacobo loquebatur, vi-

rum

Digitized by Google

rum impeccabilem appellare illum ſolitus erat. Graui correptus pleuritide, cùm ſu-
premum illum eſſe morbum præſenſiſſet, viſus, non tàm ſe morti comparare, quàm
rudimentum quoddam inire immortalitatis, hilari nimirũ fronte, atque inſolita qua-
dam vultus ſuauitate, ac forma, qua intuentes mirificè afficiebat. Vbi decumbere,
ac feſtinare ad exitum virum, fama euulgauit, incredibiles ad illum concurſus facti, vt
eius ſe ſe quiſque precibus, ac familiam ſuam commendaret, audiretque nouiſſima ab

Moritur.

eo verba. Veſtem, quam ipſo ſolennis profeſſionis die induerat, geſtaueratque ad vl-
timam fermè laciniam, ſeruabat adhuc ad votæ paupertatis, ac reliquorum votorum
monimentum. Hanc extremo ſpiritu eleemoſynæ nomine poſtulauit, vt ea aduolui
defunctum cadauer contingeret, in qua tenatus ad ſanctiorem olim vitam fuerat. Vr-
gente dein malo, refectus ſacræ Euchariſtiæ viatico, ac mox ritè inunctus, cũ præclara
patientiæ, ac pietatis documenta edidiſſet, inter preces, ac pſalmos animam exhalauit
ætatis anno quadrageſimo nono, Virginei partus milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo

Funus frequentiſſimum

tertio, die Decembris menſis ſexta decima, poſtridiè nempè eius diei, qua D. Chriſtia-
nę Ancillæ Iberiæ Tutelaris ſolennia celebrauerant: vt adfuiſſe clienti ſuo peculiari
quadam ope eam Diuam, perſuaſum habeamus. Neque enim ſine eius beneficio fieri
potuit, vt qui ante quinquennium pridiè eius feſti Iberiam inierat, poſtridie de-

Laudatur pro concione.

inde ab humanis inibi exceſſerit. Ductum funus inſigni celebritate, Iberis, Armenis,
Perſis, atque omnium ordinum mortalibus, qui certatim confluxerant, communem
iacturã effuſè complorantibus. Inter exequiarum iuſta Ambroſius de Angelis, vir Au-
guſtiniani Ordinis integerrimus, de re Chriſtiana, ac noſtra potiſſimùm Sodalitate
in Iberia optimè meritus, qui ſuperſtitem Iacobum nullis non laudibus cumulare ſo-
litus erat, defunctum luculenta oratione publicè cohoneſtauit, tentauitque peracerbè
vulnus inſignium virtutum recordatione. Nec ſine præſenti munere fuere Petro Aui-

Auitabilis morbus interquieſcit.

tabili religioſi Viri exequiæ. Siquidem, vt ipſemet, ſcriptis ad Patrem Generalem lite-
ris, narrat, diſtrictus moleſtiſſimo quartanę morbo, qui tres ampliùs menſes perdura-
uerat, quo die ſuprema illi perſoluit, interquieuit: veluti abſtinuerit inter ea parentalia
deſæuire pertinax malum; aut rependerit officium, pietatemque potitus iam cœlo,
Dei ſeruus. Porrò, locus, vbi depoſitum cadauer fuit, ſterile alioqui ſolũ, flores dein-

Ad tumulum flores.

dè niueos, ac purpureos edidit; vt verum ſit, iuſtum germinare ſicut lilium, ac florere
in æternum ante Dominum. Alia item ab eo mira narrat, ac plura etiam Italicè ſcrip-
turum pollicetur Franciſcus Maria Maggius, qui quadrienniò poſt Goride in Italiam

Aſportantur Meſſanam cineres.

rediens, eius oſſa per ſumma rerum terra, marique diſcrimina Meſſanam tranſtulit;
ignarus tùm quidem, prædixiſſe Iacobum, fore, vt ad eam poſtliminiò Vrbem rediret:
quod ex inſperato cõtigit ingenti Meſſanenſium gratulatione, qui ad grati animi ſpe-
cimen, parentare mox pio Cineri magnificè voluere, vt in loco exponam.

Atque hæc de Iacobo de Stephano, cuius obitum anno conſequenti, repetito vul-
nere, excepere Vincentii Carafæ. & Caietani Corlitti, fratris laici funera, ingenti cum
noſtratium luctu, ac rei Georgianę incommodo. Suſtulit vtrumque peſtilentia, quæ

Goride peſtilentia.

bellorum in ea regione luctuoſa quædam appendix fuit, vt reſiduum bruci comede-
ret locuſta. Goridem Auguſto menſe inuaſit, atque inter primos Auguſtinianos Pa-
tres, quos omnes præter vnum domus Præfectum ſtrauit morbus. Mos eſt apud eam
gentem, vt ſtatim, ac decumbere quempiam à populari lue cognouerint, aut in cam-
pum educant, ibique appoſito pane, ac aqua, nulla præterea ope, atque exuta prorsùs
humanitate, deſerant, aut domi eodem commeatu ſolum relinquant, coniunctiſſimis

Auguſtinianis Patribus Caietanus Corlittus inſeruit.

ipſis aliò abeuntibus. Non hæc inter religioſos viros, quos generoſior Chriſti charitas
nectit, tenuit conſuetudo. Eapropter viſi noſtrates in ſumma ea calamitate nullam
non operam Auguſtinianis impendere, quos intimè, affectuq. ſingulari proſequeban-
tur. Caietanus præcipuè, quem modò nominaui, veluti oborta præclari operis occa-
ſione, nihil cunctatus, ab Auitabili petiit, vt eorum miniſterio addiceretur, inſiliitque
præſenti quodam animo, ac ſtrenuè in areã. Nihil eò ſtudioſius, aut ardentius: quoad
concepta ipſe lue, pretium eius operæ tulerit præclaram mortem; quæ die vndeci-
ma Octobris, procuratis nempè extremis ſacris, ſumma cum eius alacritate contigit,
nec ſine cœleſti quodam inuitamento. Ferunt namque, eos ipſos Auguſtinianos, qui

iam

Digitized by Google

iam ex peſtilentia deceſſerant, & quibus ipſe inſeruierat, obieciſſe ſe ſe illi; monitũque inſtantis fati, inuitaſſe, ac duxiſſe mox, facto agmine, ad ſyderã. Ortus Petrabolte in Samnio, nomen Congregationi dedit in Neapolitana Diui Pauli domo. Vir non vulgari quidem ſpiritu, quem abundè in ſuſcipiendis, obeundiſque Georgianis laboribus commonſtrauit. Præcipua illi in cultu animi cura. Humilitatis apprimè ſtudioſus, paupertatis amantiſſimus, in precandi ſtudio aſſiduus, prona ſemper ad maiorũ imperiũ aure; impiger, ac nullis vnquam laboribus fractus. In Georgia, adire nemus, lignari, onuſtum præ ſe iumentum agere, ac vadare intrepidè flumina, nulla vt terreret aquę vis: nihil deindè domeſticæ rei non diligenter accurare. Illud omninò admirationi omnibus fuit: virum alioqui rudem, & quàm citò, & quàm benè Georgianam linguam, quę non adeò facilis, didiciſſe. Iuuit nempè naturæ facultatem charitas, qua ie flagrabat, ſtudiumque inſtituendi pro modo gentem. Id enim illi familiare, ſi quos offendiſſet, Chriſtianæ religionis rudes, ſubſiſtere, fidei rudimenta tradere, orationem Dominicam, ac ſalutationem angelicam docere, monita item addere. Pleraque pia carmina ex Italico rhythmo in Georgianam linguam tranſtulerat, quæ deindè vt vnà ſecum populares modularentur, inuitabat; nempè vt ea cantus illecebra hærerent faciliùs, ac tenaciùs ſacra. Dum ſic in eo Eccleſię agro laborabat vir ſtrenuus, meſſuit illum peſtilentia, vti dixi. Quæ quidem mors grauiorem mox attulit Patribus moleſtiam, quòd in cauſa fuerit, cur Vincentius Carafa, eadem afflatus lue, ſpiritum depoſuerit. Vbi fœda glande percuſſum Caietanum, atque inſiluiſſe in familiam communem eam tabem, aduertit Petrus Auitabilis; quòd eſſet Pater familias, ſibique potiſſimũ commendatos ſuos nouerat, ſuatum eſſe partium putauit, per ſeipſum decumbenti miniſtrare; ac primam eam charitatis palmam ſuę vitæ diſcrimine cœteris pręripere. Id conſilii haud tulit Vincentius Carafa, qui ſibi inſigni quadam animi fortitudine munus depoſcebat: ac rationibus primũ ſtrenuè agere. Perperam nempè exponi periculis caput. Nihil prius in bellorum alea, quàm turari Ducem qui cõſilia deindè, opemque in omnem partem ſubmittat. Eo ſublato, nihil certius, quàm confuſis, diſſipatiſque ordinibus, communis clades. Pręfecti munus eſſe, iubere, quando adeſſent, qui parerent: aliàs perturbari officia, quo nihil in re cõmuni pernicioſius. Siſteret proindè vir flagrantiſſimus, ſeruaretque ſe familiæ bono; ſciret, in vno ſuo capite verſari ſalutem omnium. Prærerquamquòd ſua ipſi non deerat curarũ, ac laborum ſeges, in qua charitatem, ſedulitatemq. probaret ſuam. Id autem poſtremò, atque impenſiùs orabat Carafa, vt eam ſibi prouinciam demandaret, ad quã impetu quodam non ſine Deo vocari ſentiebat. Quæ cũ minùs grata accidere Auitabilis auribus cerneret, ſuaque illum in ſententia perſiſtere, aduolutus ad eius pedes, apprenſaque veſtis lacinia, obteſtari per Deum cœpit, ne volentem, orantemque impenſiùs eo fraudaret miniſterio. Sineret adeſſe fratri: ſi inuaſerit morbus, ac lethum, illud fore mercedis loco. Ergò dedit manus Auitabilis: nempè propior iam erat ſuus viro forti exitus, ac palma, Fratri eo quidem charitatis ſtudio, ac diligentia adeſſe Vincentius cœpit, vt nulli quidem deeſſe remedio, aut leuamento, conſolationiq. videri poſſet, veluti qui in exiguo opere immenſum metiretur à munificentia Numinis præmium. Biduum ea Viri pietas tenuit, feſtinato nimirum exceſſu fratris; ſed intra octo circiter dies, qui in inguine tumor apparuit, vicinioris ipſum fati monuit. Nec mora: quę fuit morbi vis, intra paucas omninò horas ad exitum orantem, pſallentemque lues perduxit in ipſo Sanctorum omnium peruigilio; adfuitq. maturiùs iis cœli ſolenniis, relicto peracerbo ſuis deſiderio, atque incomparabili mœrore animi: quippè cui ſacta ad Apoſtolicæ eius miſſionis labores, & curas indoles, induſtria, pietas, zelus, ac ſupra omnem tolerantiam mens inerat. Vbi in Iberiam peruenit, nihil omninò laborioſo itineri quietis, ac ſpiramenti viſus tribuiſſe: ſtatim adhibere auxiliares operi manus: externa quæque domus miniſteria, vt cœteris tempus perdiſcendis linguis ſuppeteret, ipſe obire; facientibus ad aram ſacerdotibus ſemel, ac iterum in die inſeruire: domum conuerreres cibos interdũ coquere: cũ excitare ampliorem eccleſiam cogitarent Patres, calcem, nempè immixtum paleis lutũ (hoc enim pro calce vtuntur Georgiani) ſolus ipſe nudis pedibus ſubigere, ac macerare, cũque à diurnis hiſce laboribus nihil deindè ſupereſſet linguarum ſtudio temporis,

Vincentius Carafa offert ſe ſe ægrotantiũ miniſterio.

Qua ſpiritu

Qui breui ſpiritũ ponit.

tum impeccabilem appellare illum ſolitus erat. Graui correptus pleuritide, cùm ſupremum illum eſſe morbum præſenſiſſet, viſus, non tàm ſe morti comparare, quàm rudimentum quoddam mire immortalitatis, hilari nimirū fronte, atque inſolita quadam vultus ſuauitate, ac forma, qua intuentes mirificè afficiebat. Vbi decumbere, ac feſtinare ad exitum virum, fama euulgauit, incredibiles ad illum concurſus facti, vt eius ſe ſe quiſque precibus, ac familiam ſuam commendaret, audiretque nouiſſima ab

Moritur.

eo verba. Veſtem, quam ipſo ſolennis profeſſionis die induerat, geſtaueratque ad vltimam fermè laciniam, ſeruabat adhuc ad votæ paupertatis, ac reliquorum votorum monimentum. Hanc extremo ſpiritu eleemoſynæ nomine poſtulauit, vt ea aduolui defunctum cadauer contingeret, in qua renatus ad ſanctiorem olim vitam fuerat. Vrgente dein malo, refectus ſacræ Euchariſtiæ viatico, ac mox ritè inunctus, cū præclara patientiæ, ac pietatis documenta edidiſſet, inter preces, ac pſalmos animam exhalauit ætatis anno quadrageſimo nono. Virginei partus milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo

Funus frequentiſſimum.

tertio, die Decembris menſis ſexta decima, poſtridiè nempè eius diei, qua D. Chriſtianę Ancillæ Iberiæ Tutelaris ſolennia celebrauerant: vt adfuiſſe clienti ſuo peculiari quadam ope eam Diuam, perſuaſum habeamus. Neque enim ſine eius beneficio fieri potuit, vt qui ante quinquennium pridiè eius feſti Iberiam inuerat, poſtridie deinde ab humanis inibi exceſſerit. Ductum funus inſigni celebritate, Iberis, Armenis,

Laudatur pro concione.

Perſis, atque omnium ordinum mortalibus, qui certatim confluxerant, communem iacturā effuſè complorantibus. Inter exequiarum iusta Ambroſius de Angelis, vir Auguſtiniani Ordinis integerrimus, de re Chriſtiana, ac noſtra potiſſimùm Sodalitate in Iberia optimè meritus, qui ſuperſtitem Iacobum nullis non laudibus cumulare ſolitus erat, defunctum luculenta oratione publicè cohoneſtauit, tentauitque peracerbè vulnus inſignium virtutum recordatione. Nec ſine præſenti munere fuere Petro Aui-

Auitabilis morbus interquieſcit.

tabili religioſi Viri exequiæ. Siquidem, vt ipſemet, ſcriptis ad Patrem Generalem literis, narrat, diſtrictus moleſtiſſimo quartanę morbo, qui tres ampliùs menſes perdurauerat, quo die ſuprema illi perſoluit, interquieuit: veluti abſtinuerit inter ea parentalia deſæuire pertinax malum; aut rependerit officium, pietatemque potitus iam cœlo, Dei ſeruus. Porrò, locus, vbi depoſitum cadauer fuit, ſterile alioqui ſolū, flores dein-

Ad tumulum flores.

dè niueos, ac purpureos edidit; vt verum ſit, iuſtum germinare ſicut lilium, ac florere in æternum ante Dominum. Alia item ab eo mira narrat, ac plura etiam Italicè ſcripturum pollicetur Franciſcus Maria Maggius, qui quadriennio poſt Goride in Italiam

Aſportantur Meſſanam cineres.

rediens, eius oſſa per ſumma rerum terra, marique diſcrimina Meſſanam tranſtulit; ignarus tùm quidem, prædixiſſe Iacobum, fore, vt ad eam poſtliminiò Vrbem rediret: quod ex inſperato cōtigit ingenti Meſſanenſium gratulatione, qui ad grati animi ſpecimen, parentare mox pio Cineri magnificè voluere, vt in loco exponam.

Atque hæc de Iacobo de Stephano, cuius obitum anno conſequenti, repetito vulnere, excepere Vincentii Caraſæ, & Caietani Corlitti, fratris laici funera, ingenti cum noſtratium luctu, ac rei Georgianę incommodo. Suſtulit vtrumque peſtilentia, quæ

Goride peſtilentia.

bellorum in ea regione luctuoſa quædam appendix fuit, vt reſiduum bruci comederet locuſta. Goridem Auguſto menſe inuaſit, atque inter primos Auguſtinianos Patres, quos omnes præter vnum domus Præfectum ſtrauit morbus. Mos eſt apud eam gentem, vt ſtatim, ac decumbere quempiam à populari lue cognouerint, aut in campum educant, ibique appoſito pane, ac aqua, nulla præterea ope, atque exuta prorsùs humanitate, deſerant, aut domi eodem commeatu ſolum relinquant, coniunctiſſimis

Auguſtinianis Patribus Caietanus Corlittus inſeruit.

ipſis aliò abeuntibus. Non hæc inter religioſos viros, quos generoſior Chriſti charitas nectit, tenuit conſuetudo. Eapropter viſi noſtrates in ſumma ea calamitate nullam non operam Auguſtinianis impendere, quos intimè, affectuq. ſingulari proſequebantur. Caietanus præcipuè, quem modò nominaui, veluti oborta præclari operis occaſione, nihil cunctatus, ab Auitabili petiit, vt eorum miniſterio addiceretur, inſiliitque præſenti quodam animo, ac ſtrenuè in areā. Nihil eò ſtudioſius, aut ardentius: quoad concepta ipſe lue, pretium eius operæ tulerit præclaram mortem; quæ die vndecima Octobris, procuratis nempè extremis ſacris, ſumma cum eius alacritate contigit, nec ſine cœleſti quodam inuitamento. Ferunt namque, eos ipſos Auguſtinianos, qui

iam

Digitized by Google

iam ex peſtilentia deceſſerant, & quibus ipſe inſeruierat, obieciſſe ſe ſe illis monitũq; que inſtantis fati, inuitaſſe, ac duxiſſe mox, facto agmine, ad ſyderâ. Ortus Petrabolte in Samnio, nomen Congregationi dedit in Neapolitana Diui Pauli domo. Vir non vulgari quidem ſpiritu, quem abundè in ſuſcipiendis, obeundiſque Georgianis laboribus commonſtrauit. Præcipua illi in cultu animi cura. Humilitatis apprimè ſtudioſus, paupertatis amantiſſimus, in precandi ſtudio aſſiduus, prona ſemper ad maiorũ imperiũ aure, impiger, ac nullis vnquam laboribus fractus. In Georgia, adire nemus, lignari, onuſtum præ ſe iumentum agere, ac vadare intrepidè flumina, nulla vt terreret aquę vis: nihil deindè domeſticæ rei non diligenter accurare. Illud omninò admirationi omnibus fuit: virum alioqui rudem, & quàm citò, & quàm benè Georgianam linguam, quę non adeò facilis, didiciſſe. Iuuit nempè naturæ facultatem charitas, qua is flagrabat, ſtudiumque inſtituendi pro modo gentem. Id enim illi familiare, ſi quos offendiſſet, Chriſtianæ religionis rudes, ſubſiſtere, fidei rudimenta tradere, orationem Dominicam, ac ſalutationem angelicam docere, monita item addere. Pleraque pia carmina ex Italico rhythmo in Georgianam linguam tranſtulerat, quæ deindè vt vnà ſecum populares modularentur, inuitabat; nempè vt ea cantus illecebra hærerent faciliùs, ac tenaciùs ſacra. Dum ſic in eo Eccleſię agro laborabat vir ſtrenuus, meſſuit illum peſtilentia, vti dixi. Quæ quidem mors grauiorem mox attulit Patribus moleſtiam, quòd in cauſa fuerit, cur Vincentius Caraſa, eadem afflatus lue, ſpiritum depoſuerit. Vbi fœda glande percuſſum Caietanum, atque inſiluiſſe in familiam communem eam tabem, aduertit Petrus Auitabilis; quòd eſſet Pater familias, ſibique potiſſimũ commendatos ſuos nouerat, ſuarum eſſe partium putauit, per ſeipſum decumbenti miniſtrare; ac primam eam charitatis palmam ſuę vitæ diſcrimine cœteris pręripere. Id conſilii haud tulit Vincentius Caraſa, qui ſibi inſigni quadam animi fortitudine munus depoſcebat: ac rationibus primũ ſtrenuè agere. Perperam nempè exponi periculis caput. Nihil prius in bellorum alea, quàm tutari Ducem qui cõſilia deindè, opemque in omnem partem ſubmittat. Eo ſublato, nihil certius, quàm confuſis, diſſipatiſque ordinibus, communis clades. Pręfecti munus eſſe, iubere, quando adeſſent, qui parerent: aliàs perturbari officia, quo nihil in re cõmuni pernicioſius. Siſteret proindè vir flagrantiſſimus, ſeruaretque ſe familiæ bono; ſciret, in vno ſuo capite verſari ſalutem omnium. Præterquamquòd ſua ipſi non deerat curarũ, ac laborum ſeges, in qua charitatem, ſedulitatemq. probaret ſuam. Id autem poſtremò, atque impenſiùs orabat Caraſa, vt eam ſibi prouinciam demandaret, ad quã impetu quodam non ſine Deo vocari ſentiebat. Quæ cũ minùs grata accidere Auitabilis auribus cerneret, ſuaque illum in ſententia perſiſtere, aduolutus ad eius pedes, apprenſaque veſtis lacinia, obteſtari per Deum cœpit, ne volentem, orantemque impenſiùs eo fraudaret miniſterio. Sineret adeſſe fratri: ſi inuaſerit morbus, ac lethum, illud fore mercedis loco. Ergò dedit manus Auitabilis: nempè propior iam erat ſuus viro forti exitus, ac palma. Fratri eo quidem charitatis ſtudio, ac diligentia adeſſe Vincentius cœpit, vt nulli quidem deeſſe remedio, aut leuamento, conſolationiq. videri poſſet, veluti qui in exiguo opere immenſum metiretur à munificenti Numinis præmium. Biduum ea Viri pietas tenuit, feſtinato nimirum exceſſu fratris; ſed intra octo circiter dies, qui in inguine tumor apparuit, vicinioris ipſum fati monuit. Nec mora: quę fuit morbi vis, intra paucas omninò horas ad exitum orantem, pſallentemque lues perduxit in ipſo Sanctorum omnium peruigilio; adfuitq. maturiùs iis cœli ſolennitas, relicto peracerbo ſuis deſiderio, atque incomparabili mœrore animi: quippè cui facta ad Apoſtolicæ eius miſſionis labores, & curas indoles, induſtria, pietas, zelus, ac ſupra omnem tolerantiam mens inerat. Vbi in Iberiam peruenit, nihil omninò laborioſo itineri quietis, ac ſpiramenti viſus tribuiſſe: ſtatim adhibere auxiliares operi manus: externa quæque domus miniſteria, vt cœteris tempus perdiſcendis linguis ſuppeteret, ipſe obire: facientibus ad aram ſacerdotibus ſemel, ac iterum in die inſeruire: domum conuerrere: cibos interdũ coquere: cũ excitare ampliorem eccleſiam cogitarent Patres, calcem, nempè immixtum paleis lutũ (hoc enim pro calce vtuntur Georgiani) ſolus ipſe nudis pedibus ſubigere, ac macerare, ſũque à diurnis hiſce laboribus nihil deindè ſupereſſet linguarum ſtudio temporis,

Vincentius Caraſa offert ſe ſe ægrotantiũ miniſterio.

Quo ſpiritu

Qui breui ſpiritũ ponit.

noctem iis cũ fraude oculorum ſeponebat. Cum hiſce religioſæ modeſtiæ, animique demiſſionis exercitiis coniuncta eximia paupertas. Nouas attulerat ex Italia veſtes, quas adhibere, piaculum duxit, tribuitque vltro aliorum vſui: tunicam etiam, qua vtebatur, mediocrem eã quidem, vt pauperior contingeret, alteri cuipiam ex noſtris

Paupertatis in eo ſtudium

prætextu quodam elargitus. Extincto Iacobo Stephanio, quam ille ægrotantibus operam nauabat, quod non vulgare pietatis genus id eſſe cognoſceret, atque ab ea corporum incolumitate non minimum quidem emolumenti in rem animorum manaret, complecti impensè cœpit. Itaque nullo temporum, nullo etiam locorum, aut mortalium delectu adire ſummos, infimos; non montibus, non fluminibus detineri;

Et in decũbentes charitas

hyemes, æſtus, atque incommoda demum omnia emollire charitate: à qua vito quidem ingenium, ac facultas, remediis verò inſolita vis quędam accedebat: vt percelebris iam eſſet in ea regione Vincentius, honeſtiſſimo apud omnes loco. Hactenus eius virtus, ac noſtratum funera anno eius ſeculi quarto, & trigeſimo.

At enimuerò anno ſuperiore nouam inſtitui è Cartuli Prouincia in Colchidem expeditionem contigit, fixa inibi colonia, quæ non improſperè planè cecidit, nec ſine ingenti rei Chriſtianę fructu: quod ibo modò enarratum. Colchidem, quæ Georgiæ

Colchis deſcribitur.

pars eſt, Mengreliam nunc vocant, eamque geminam in Prouinciam diuidunt, alterã Odiſcim vocant, Gurielem alteram, quas ab ortu, ac meridie reliqua Iberia, ab occaſu Pontus Euxinus, ab aquilone Coracius mons claudit. Eas verò inter ſe Phaſis percelebris fluuius diuidit, qui Caucaſo deſfluẽs, primũ ab Odiſci Imeretũ, ſiue Baſſaciucbũ deindè Odiſcim ipsã à Guriele diſſecat; quas quidem vnus, idemq. ſermo nectit, alius quidẽ à reliqua Georgia; Georgianis licet characteribus vtantur. Huc vnà cũ lectiſſima Græcorum manu Iaſonem enauigaſſe, vt Phryxæo vellere potiretur, fabulata eſt mendax Græcia; excitãtq. hęc modò figmẽta Chriſtianorũ hominũ pectora, vt audeant ipſi, quod luſit fabula; atq. ad animorum adeptionem, quibus nil pretioſius, eò velis, remiſq. contendant. Eſt autem Regio, ſoli genio fertilis, ſed incolarum inertia penè ſteri-

Aureum in ea vellus.

lis. Expectare annum piget: vnde frumenti caritas, aut nullum: ita vt cũ vino abundent, pane prorsùs careant Colchi. Cœlũ ibi humidiſſimum, eòque inſalubres emendantque aeris vitium aſſidua ferè peregrinatione, motuque corporis. Nullæ prætea fulgurationes, tonitrua, grandines; aut ſubitæ cœli faces, quas ſicci terræ halitus

Soli, ac cœli ingenium

creant. Ob id inſuper hebetata naturæ indoles; vt nec ſua vis herbis, nec odor floribus, nec frugibus ſapor inſit. Sed Gentis, ac loci, mores, inſtitutionem, ſtudia, bella, pacem, religionem abundè explicaui, cùm de Georgia ſermo fuit. Deductam nunc eò coloniam aggredior. Dixi Cartuli, & Kacheti Prouincias in Roſtuani Principis poteſtatem deueniſſe, qui quòd cerneret, perutilem ſibi firmandę potentiæ, frangendiſque Theimurazii conatibus Dadiani amicitiam, atq. affinitatem fore, eius ſibi ſororem in matrimonium poſtulauerat. Fuerat hæc olim Simonis, Gurielis Principis

Inuitantur in Colchidem noſtri.

coniux, quem Dadianus ipſe, quòd in ſuum caput cũ aliis coniuraſſet, bello victum, captumque, ac Principatu exutum excœcauerat. Ergò obſignandis regiis nuptiis mitti à Dadiano ad Roſtuanum Oratores oportuit, quibuſcum Nicephorus ille monachus, quem ſæpè nominaui, noſtri Ordinis ſtudioſus, Goridem venit: qui quidẽ præterquàm quòd, collata non mediocri ſtipe, rem noſtram domeſticam iuuit, tũ Patres in Colchidis expeditionem arrexit: pollicitus, ſe quidẽ nulla defuturũ apud Principẽ

Deſtinantur Iudices, & Lãbertus.

operã atq. in id potiſſimũ operam daturũ, vt ſedes contingeret diſciplinæ, ſtudioque proximorũ percõmoda. Et Legati quidem cũ gratiſſimã fore ſuo Principi coloniã & ipſi affirmaſſent, in eo fuere noſtri, vt occaſionem arriperent, ac complecterentur curis ſuis hanc etiã Georgiæ partem. Deſtinati Ioſeph Iudice, & Archangelus Lambertus, qui die Octobris tertia, & vigeſima vnà cũ Oratoribus, ac Nicephoro viæ ſe cõmiſere. Conficiendum iter fuit, vt longiſſimũ, ita prorsùs incomodũ per Caucaſi nempè iuga, atq. inacceſſas nemorum ſolitudines. Rectà ſiquidem per Imeretum ire, quæ via intra octo circiter dies conficitur, quòd tũ apud Imereti Principem ageret Theimurazius,

Vtuntur difficillimo itinere

Roſtuano infenſus, inconſultum putarunt. Maior proindè opinione labor, ac ſupra vires, opeſq. corporis ærũnæ. Equi omninò ignaui, ac vix modicæ ſupellectili pares, Quocirca pedibus plerumq. ire oportebat; & cũ tranſeũda infeſta latrociniis, atq. hoſtibus loca eſſent, etiam cutreret aderatq. qui nullo quidem humanitatis ſenſu flagris vrgeret,

Digitized by Google

ret, ne agmen deſererent: idque præſertim, vbi fœdiora à cœno, aut aſperiora à montium rupibus itinera: atque adeo, quòd deſperarent, enectos fame, ac ſiti, ac defecto penitùs corpore ſequi agmen pleno gradu poſſe, equorum interdùm caudas apprehendere, atque ita raptari potiùs, quã pergere videbantur. Semel dum Caucaſum conſcenderent, non adeo valuere flagra, vt feſtinarent, quin relicti ab reliquo cœtu fuerint, viatum quidem ingnari, feriſque, ac latronibus perindè obnoxii. Ad hæc, Lambertum ita vires deſtituerant, vt linqui etiam animo videretur; atque vna illi ſalus, ſi quid vini tempeſtiuè ſorbuiſſet: quod quidem in vaſta ea regione, vt optaret, ipſa ſuadebat calamitas, ſperare, dementia protectò erat. Attamen ecce tibi ex inſperato inſtructus pharetra, arcuque Turca, quem dum latronem putant, ac nouæ ſe cladi comparant, viſus ille extemporanea, ac rara in iis terris, atque à pharetrato potiſſimũ barbaro charitate, non infirmum quidem panem, nuces etiam, ac probi guſtus vinum offerre: quo illi munere opportunè recreati, præcipuè Lambertus, pergere ſuũ iter potuere. Angelum exiſtimarent, ſi Turcę vultus, ac arma induere angelum, nõ infra cœlitum dignitatem putaſſent. Atque id quidem diuini patrocinii genus non ſemel in præcipiti ea Caucaſi via experti Patres ſunt. Nã quoties, aut equorum vitio, aut ad ſarcinas concinnandas ſiſtere ipſos, ac præcedere reliquum viatorum agmen contigit, toties deſtitutis ope, ac ſpe viris adfuit, qui conſilio, manuque iuuarent; vt planè ſine pręſenti quadam vi Numinis miteſcere efferatam barbarorũ indolem minimè potuiſſe, ſecum ipſi reputarent.

Opportuniſſima Numinis prouidentia peregrinãtibus

Emenſi per iſthęc animi, ac corporis incommoda Caucaſum, quædam iis quies in Gurielis Prouincia, ac laxamentum contigit. Legati, ac Nicephorus excepti perhonorificè fuere à Patriarcha, quem Catholicum vocant, eſtque, vt aliàs ſignificatum eſt, Regionis Princeps. Hunc & noſtri officii, atque honoris cauſa adiere. qui gratulatus ſummoperè, Europæos eò appuliſſe, nullis non beneuolentiæ argumentis homines cohoneſtauit. Facere ad aram latino ritu iuſſit; rogauitq. vt ipſorum alter è ſuperiore loco diceret. Euocata ſtatim confertiſſima ex Epiſcopis, ac magnatibus, atque omnium ordine celebritas. Adfuit ipſemet Catholicus, & cũ pręcipuis matronis Princeps vidua. Aſſueti Græcorum ritibus, miſſam incõcinno quodam geſtu, motuque corporis celebrantium, admirati vehementer ſunt modeſtiam, grauitatem, nitorem, atque ad omnem elegantiam ceremonias. Concionem deindè habuit Iudices, Italicè quidem; quando neque ipſe vernaculam Gentis linguam, neque ii Turcicè ſcirent. Itaque gratuſa voce duntaxat, geſtuque ſermo, hoc eſt, auribus, atq. oculis tenus; attamen hunc publicè dicendi apud Europæos morem effusè commendarunt. Secundùm hæc, ad ſolenniores, ſtructas nempè legatis epulas illos ſemel, ac iterum Patriarcha inuitauit; impertita iis identidem è ſuis ferculis particula, quod honori ducitur. Illud ceremoniarum inter epulas riſum mouit. Catholicus poſt aliquot pocula ſurgit, & cũ eo, qui adſunt, Epiſcopi. Is prægrandem vini pateram accipit: bibit ipſe, mox aliis tradit, vt in orbem bibant. Interea feſtis quibuſdam carminibus compotationi plauditur: tùm ſuo quiſque loco redit; nec finis menſę imponitur, quin hunc eundem iterum, ac tertiò bibendi ritum inſtaurent. Iam verò opportuna hæc Patribus reficiendo corpori quies, atque animi remiſſio.

Gurielem perueniunt.

Coram Patriarca ſacris operantur.

Et concionem habent.

Bibendi ritus.

Continuatum deindè in Colchidem iter, à Caucaſo, à rupibus, à cœno nihilo profectò facilius, ac mollius. Regionem vbi attigere, rectà ad Principem, qui tũ in celebrandis D. Georgii ſolenniis totus erat. Vſurpare ſuis oculis ipſo ſtatim aditu popularium ſuperſtitionem contigit. Addicti nanque præcipua quadam religione Diuo Georgio, celebritatem profano ritu, ac ſacrificiis commaculant. Eius autem feſti peragendi ratio hæc eſt. Pridiè eius diei D. Georgii templi fores, quæ laborato argento nitent, claudũt, obſignantque Principis anulo. Mane, confluente vi mortalium, aperiunt; bouem, quem in atrio reperiunt, ſolenni ritu ſacrificant, ac populo diſpertiunt; vt beatum ſe putet, cui victimæ particula contigerit. Perſuaſum ſiquidem habent, Diuum ipſum Georgium quotannis eò bouem ferre, vt publicè immolent. Tùm diem ſolidum epulis, vinoque exhilarant; ac præcipua iis religio, ac laus eſt, mergi poculis, ac fœdè inebriari. Fraus quidem eſt mali dæmonis, vt populos in eo ſacrificandi more impiè detineat: fouentque anniuerſariam ſuperſtitionem templi ſacerdotes, qui captandi lucri gratia bouem aliundè clàm omnibus inducunt: ornantque eam ſcenam tanta eſt

Colchidem tenent

Diui Georgii feſti celebrandi ratio.

Chriſtiani nominis contumelia, Principem hiſce ſolennis implicitum, & quod Roſtuani Oratores eius etiam aures occupauerant, adire tùm quidem, ac alloqui minimè potuere. Nicephorus inſigni beneuolentia, ac magnificè illum de hominum indole, inſtituto, moribus edocuit. Europæos eſſe, ac religioſi nominis, quos eò rectæ fidei, atque animorum ardor perduxerat: viros omni virtutum genere ornatiſſimos; non auri, aut opum cupidos, eruditione, ac bonis artibus, ſacris præſertim literis inſtructos. Sedē id loci quærere, vt ſuam diſciplinam vrgeant, doceantque ſacrorum cultū, ac vſum populos: certè vt ſummæ vtilitati gentiū moribus, ita non mediocri quidem loco, ac Principi ipſi ornamento futuros. Ad honorificam Nicephori teſtificationem probat ſummoperè eiuſmodi hoſpitum aduentum Didianus Princeps. Excipi comiter iubet, atque ad beneuolentiæ ſpecimen cibos è ſua menſa argenteis in lancibus mittit: tùm monitos eos voluit, in locum ſe non longè diſſitum poſtridiè conceſſurum; eò ſi & ipſi accederēt, fore, vt per otium, ac libenter audiret. Adiere, nec quidē vacui, vt Principis animum ſubirent, caperentque aliqua muneris illecebra. Res elegātia magis, ac ſpecie, quā pretio cōmendabiles attulere: Marianam nempè ex lapide alabaſtrite effigiem, quam partim natiuus, partim aſcititius color pulcherrimè efformabat, augebatq. picturæ gratiam ex ebeno, argentoque ornamentum. Roſariū ex chryſtallo affabrè tornatum: fiſtulam opticam, Teleſcopium vocant, inſolens gentibus conſpicilii genus, quod æquè euocet, auocetque, quæ in conſpectum cadunt. Hæc aliaq. attulere Italici operis dōnaria: addideruntq. ad fœminarū nempè vſum, ac guſtum ſua lectiſſimæ coniugi dona, quæ quidem nimiùm quantùm probauerit; excepitque deindè vterq. Patres incredibili humanitate, gratulati magnoperè ſuis populis, tibique hominum aduentum: ac pollicitationibus quidem, ac ſtudiis viſi inter ſe ſe certare inclyti coniuges. Situm percommodum, vbi tectum, ac templum celebrando Numini conſtruerent, promiſere. Sed hæc antequam obtinerent, illud magnoperè eos exercuit. Nam, cùm, vt aliàs monui, non certa domo Princeps habitet, ſed ita ſubindè mutet, vt nunquā eadem in ſede triduùm expleat, ſequi illum aliquādiù, quà pedibus, quà in equis oportuit. Regio, vt quæ non vrbibus, non oppidis, ſed per familias, domoſque incolitur, ita crebris diſtinguitur ſyluis, vt tota ferè vnum nemus ſit: atque adeo non viæ ibi conſulares, ſed viarum diuerticula, eaque difficillima, ac cœno plerumque fœda: vt nihil profectò moleſtius iis eſſet, quàm aſſidua hæc cū Principe peregrinatio: præſertim quòd traiiciendi aliorum humeris amnes eſſent, planè non ſine metu. Semel accidit, vt dum flumen vadarent, eò ſuis cum fœminis Regina perueniret, quæ ſtatim præcipuam matronam deſilire equo iuſſit, illumque Patribus commodare, vt traiicerent; ac tùm quidem mirari, quòd tanto cū ſuo incōmodo itinera obirent; atque excuſare ingenuè ſe, ac Principem: monere item, æquo eſſent animò, daturam nempè ſe operam, vt alicubi tandem conſiſterent; egitq. mox cum Principe, vt ſtationem attribueret, qui eximia quidem voluntate locum deſignauit, ſitu clementer edito, camporum, ac maris etiam proſpectu longè amœniſſimum. Ad hæc, duodennem indole bona puerū dono dedit; quo nihil iis gratius, quòd educare ad Catholici ritus, fideique normam poſſent: victum item adiacentibus ſubditorum domibus in orbem imperauit. Mora, quam in accolui, ac pulcherrima ea loci hilaritate perpetuam noſtri vellent, nō diù tenuit. Iterum euocati à Principe; quod in cauſa fuit, vt eius in ſe beneuolentiam adaugerent, viamque ſibi ad aliud mox domicilium, ac quaſdam ad vitæ commodum opportunitates compararent. Quinquennis filia illi erat, quam ita vis morbi occupauerat; vt detortis à neruorum contentione manibus, ac pedibus, moliri ſe minimè poſſet: ablatus item linguæ vſus, ac præter alia affecti corporis corollaria, comitialis identidem lues corripiebat: vt defunctā, quā ea malorū Iliade exerceri puellulam, Parentes mallent. Ergò qui & medica valere arte Patres inaudiuerant, illos etiam, atque etiam rogant, vt in id maximè curas intenderent, vt incolumem ſibi cariſſimam ſobolem reſtituerent. Illi ſupra facultatem ſuam multiplicem morbum, cùm cernerent, rem precibus magis, quàm vi naturæ agere conſtituunt: ceſſitque adeò feliciter curatio, vt breui gratulari redditam magna ex parte filiæ ſanitatem, Parentibus contigerit. Ergò homines tàm benè de ſe meritos, complecti ſolito magnificentius cœpere; atque ipſa in primis

Coloſſidis Principem noſtris conciliat Nicephorus.

Qui Principē ipſum adeunt, ac dona ferunt.

Per regionem cum Principe vagantur.

Percommodū locum impetrant.

Principis filiā curant.

Digitized by Google

mis Regina auctor apud Dadianum fuit, vt geminum è ſaxo templum, atque adiacēs ſolum, fertile id quidem, atque arboribus conſitum, concederet: tū reliquo victui quatuor ſubditorum domos, à quibus certa quotannis tolerandæ vitæ penſio. Splendidam hanc Principum liberalitatem viſua mox Græcorum liuor, ac ęmulatio oppugnaſſe. Nam quibus nihil antiquius, quàm latinos ritus, atque homines euertere, Regem cōueniunt, Eccleſias græcas eſſe, ac ſuæ religioni obnoxias, contra ius, faſque latinis tradi. Nihil æquè Principi diſſentaneum, quàm lædi aliorum iura; præſertim vbi de auita religione agitur, quam ſartam, tectam ſeruari æquum eſt. Qui maiore quodam impetu rem vrgeret, fuit vir ille audaciſſimus, quocum, collato comminùs pede, confligere Anitabili Goride contigit, & qui intentare in illum fuſtem non dubitauit. Fugā is vnà cum Theimurazio in Perſica ea clade arripuerat; ſed ab illo, oborta neſcio qua offenſione, mox diſcedens, Colchidem apud Dadianum venerat: vt perpetuus eſſet fato quodam noſtri Inſtituti hoſtis. Is igitur obluctari vehementer huic Principis conſilio, atque illud in primis inculcare: caueret maximè à peregrina hominum religione, ac conſuetudine: fore nanque, vt ſi figere ſua in Ditione ſedem iis permitteret, breui de Regno, ſtatuque caderet florentiſſimus Princeps, ac peſſum omninò iret Dadiana res, ac potentia. Ita accidiſſe Theimurazio, quē vehementiſſimus turbo ſuis auulſum ſedibus, aliò tranſtulerat: certè non aliam ob cauſam, quàm quòd Romanos hoſpites templo, tectoque excepiſſet. Geri ſiquidem rem infeliciter oportuit, irritato per id hominum hoſpitii Numine. Valuit apud Dadianū petitum à proximo Rege documentum, neque efficacior excogitari perſuadendi ratio poterat, quàm ſi in diſcrimen adduceret opes, ac Principatum. Differre proindè gratiam, ac templorum munus placuit, ac tandem diſertè abrogare. Id quod noſtri ea quidem animi æquitate pertulere, vt non deſperarent, fore, vt alteram ſaltem ex iis eccleſiis opportunè impetrarent. Et oborta mox occaſio eſt. Correptus nanque morbo Dadianus, cùm ad noſtros confugiſſet, eorumque ſtatim ope conualuiſſet, inſtaurata Principis beneficētia, ac fide, templum vltrò, nullo Græcorum reſpectu, metuque denunciatæ magnificē cladis, conceſſit. Vbi ſua in ſede conſtitere Patres, non ideò peregrinationibus temperatum. Nam cùm ea ſit eius Regionis ratio, vt non ſimul habitent, ſed ſparſim per agros, ac fixo vbilibet compactili domicilio, vagari ad aliorum commoda, prout ſe ſe daret occaſio, ac poſceret proximorum opportunitas, oportebat: vt nihil ea vitæ ratione, atq. in tanta itinerū aſſiduitate eſſet actuoſius, ac laborioſius. Sydera dixiſſes, mortalium bano nunquam non errantia: hoc diſcrimine, quod aſtra ficta cœlo monſtra, ac nullas in ſuo curſu moras, ęrumnaſque offendunt: non ſic in Colchide, atque in cœtera Georgia noſtri homines, quos perpetuò ambulantes, conflictari cum omni calamitatum genere contingit; coniurantque in eorum ſtudia cœli inclementia, itinerum aſperitas, abrupta locorum, iuga montium, nemorum, ſyluarumque vmbræ, ac metus imbrium eluuiones, prææltæ niues, ſaxa, cautes, flumina, atque ipſa barbarorum fides, ac indoles, quæ nunquam peregrinantibus non occurrunt. Atenimuerò ita circumuagari videbantur, vt in domeſticam etiam diſciplinam, & quicquid in Eccleſia diuini cultus, ac ceremoniarum nauari per ipſos poſſet, diligenter incumberent. Nam pſalmodiam ſimul, antelucanis etiam horis obire; etſi eundum ſub dio, ac pluuio interdū cœlo, aut per niues erat, diſiūcto nimirū ab æde ſacra cōturbernio. Singulis Dominicis diebus fidei rudimenta explicare: feſtis per annū ſanctioribus frequenti cāpani æris pulſu euocare ad eccleſiam populares: quibus alliciendis ornare pro modo aras, cultumque diuinorum ad omnem elegantiam procurare. Et Natalitiis quidem Chriſti feriis excitare Italicum in morem naſcentis Dei cunabula; eidemque deindè Numini, adornata ſepulcri mole, ac ſcena, maiore in hebdomada parentare accurebantque non modò è vulgo, ſed Princeps ipſe Dadianus, ac cœteri viri principes, quos quidem non minimùm nouitas, atque externa illa ſacrorum facies permouebat. Illud ingentem vim mortalium pertraxit; pęgrande videlicet Redemptoris è cruce pendentis ſignum, quod ab Auguſtinianis Patribus Goride dono acceperant. Inſolens gentibus ſpectaculum, atque ignota omninò effigies: vt certare in iis commiſeratio videretur. Ad hoc ſuffixi Numinis ſimulactum inſtituta pro communi populorum ſalute ter in hebdomada pia deuerberatio: ac primò quidem ad eam corporis afflictationem

Hinc geminū templum obtinent.

Atque obluctantibus licet Græcis.

Alterum ex iis retinent.

Eorum for: labor.

Ac domi ſtudia.

Expoſitū Crucifixi Redemptoris ſignum.

tationem perculſi ſtupore Colchii poſtea fuere, qui & tractare cum noſtris flagra, & mulctare culpas ſuas occœperint. Ad hæc, conciones, cœtus cogere, atque in vitia, prauaſque conſuetudines publicè declamare.

Porrò quid potiſſimùm in Mengreliana hac expeditione ad Catholicæ religionis incrementum, morumque barbariem conuellendam patrauerint noſtri, paucis expediam. Georgiani Dynaſtæ, quod in loco explicaui, ita rerum potiuntur, vt ſe, & fortunarum, & hominum dominos gerant; diſtrahunt proindè arbitratu ſuo, ac diuendũt obnoxias ſibi familias, viros, fœminas, pueros. Quod cũ in reliqua Iberia ſit maximè deplorandum, tũ in Colchide paſſim accidit; vbi, quæ eſt Euxini Ponti opportunitas, hę præcipuè merces à Turcis inſtitoribus, aut pretio emuntur, aut rebus aliis cõmutantur: vt ſubducta ratione, è pueris pręſertim, ac puellis tria, aut quatuor eorum millia quotannis Conſtantinopolim aſportentur. Hoc verò quanta cum animorum pernicie, ac Chriſtiani nominis dehoneſtamento fiat, nemo non videt. Mahometanæ ſiquidem poteſtati, auulſa matrum ſinibus pignora, mancipantur; quibus deindè, vt tenera adhuc indoles facilè ſequitur eò, quo velis, Mahometes pro Chriſto obtruditur, abeuntque in nefarios ritus, amplificata pſeudoprophetæ impietate. Ergò in hoc primùm noſtri inſurgere: cauſam infantium ſtrenuè perorare; cumque publicè morem hunc carperẽt, tùm à priuatis monitis vberior ſeges extitit. Enimuerò cùm ab Aſnauris, hoc eſt, à nobilibus viris, ac Dynaſtis, curandis ſuis morbis euocari ſoliti eſſent, arripere ipſi occaſionem, ac vehementer inculcare, ea potiſſimũ de cauſa à Deo plecti, quòd venalis eius regionis pueritia Turcis proſtaret; &, ſi pergerent forum hoc continuare, perſuaderent ſibi, grauiùs diuinam Nemeſim facinus vlturam. Viris præſenti malo conſternatis, aut ipſa facti conſcientia perculſis, mirum eſt, quo fructu adhortatio acciderit. Quare ex iis præcipui, quorum deindè exemplum in vulgus valuit, aut parciùs diuendere, aut temperare omninò ab execrandi operis vſu viſi ſunt. Inter quos Cortuas quidam primę notæ Princeps, ſolitus puerorum greges Conſtantinopolim quotannis amandare, monitus à noſtris piaculi, non modò ab eo quæſtu abſtinuit, verùm ex iis etiam, quos annis ſuperioribus vendiderat, aſſerere pleroſque in libertatem ſtuduit. Princeps ipſe Dadianus, cui non mediocre hinc aurum prouenit, & execratus ipſe eſt hoc à puerorum ſeruitute lucri genus, & alios etiam, ne venderent, perindè eſt adhortatus, vt penè præciperet. Quorum verò libertatem voce noſtri tuebantur, illos etiam reipſa ſeruare ſemel contigit. Appulſis nanque in Colchidẽ nauibus, quę eiuſmodi mercimonia Cõſtantinopolim tranſueherent, noſtratum domicilium commune quoddam perfugium, ac ſecuritas fuit. Eò ſiquidem Parentes pueros ſuos adduxere, commendaruntque Patrum tutelæ, ac fidei; rati, nullibi tutiùs ſeruari poſſe ea pignora, quàm in illorum contubernio, quos nouerant ſtare pro infantia; & qui cùm apud Dadianum, tùm apud reliquos Dynaſtas auctoritate valebant maximè. Et ipſi quidem inſigni charitate excipere ad vnum omnes, complectis alere per pluſculos dies, tutati egregiè, quę duo ſunt in diuinis, atque in humanis pretioſiora, nempè religionem, ac libertatem. Planè quando nihil præterea in Mengrelia, totaque Iberia nauaſſent noſtri, quàm modum aliquem prauæ huic conſuetudini ſtatuiſſe; non mediocre quidem pretium operæ, laborumque, quos in difficillima ea expeditione exantlarunt, feciſſent.

Mos ſubditos diuendendi.

Quem conuellere conantur noſtri.

Venalitios tuẽtur pueros.

Illud etiam in re animorum eò fructuoſiùs accurarunt, quòd de baptiſmo, hoc eſt de ſalutis initio, cœterorumque ianua ſacramentorum agitur. Etenim cùm inueſtigare noſtri perdiligenter Gentis errores cœpiſſent, aperrè cognouere, à Colchis neminem ritè perlui. Quippè, vti ex eorum libris compertum eſt, præter orationes, ac preces quaſdam, nullam eius ſacramenti formam pronunciant; vt abluant quidem, ſed nulla accedat à verborum efficacia vis aquæ. Id ipſum doctus quidam, ac melioris notæ Epiſcopus affirmabat, dolebatque adeò palmarem in Eccleſiaſticis inſcitiam, vt ignorarent tanta cum mortalium fraude idonea conficiendo baptiſmati verba. Ergò rem grauiſſimam eo quidem zelo, quem poſceret communis ſalus, aggreſſi noſtrates, conſulere huic malo; ac luſtrare ſacro fonte pueros, idque clam omnibus, curandique corporis prętextu, ne præclarum opus Græci homines interturbarent. Et quidem ea diuini Numinis approbatione, ac ope ſuccedebat induſtria, vt eodem interdum latice,

Baptiſmus apud Colchos nullus.

Occurrere huic malo curant noſtri.

ce,

ce,quo ablui animum contingeret, rediret affecti corporis incolumitas. Infantes verò,quos ita expiarunt,ferunt exceſſiſſe ſex mille. Sic enim è Colchide Romam ſuperiore anno rediens Archangelus Lambertus, qui moratus inibi ad annos circiter decem,& ſeptem fuerat,edito de eius religionis ſtatu ſcripto, Auguſtis Patribus retulit; quorum ferè ſexcenti cùm ante rationis vſum è vita migraſſent,rectà cœlum petierãt. Ad hæc,nihil cum adultis induſtriæ prætermiſſum,vt perſuaderent tandem ſibi,nullo ſe baptiſmo initiatos; valuitque adeò frequens à zelo adhortatio,vt paſſi plerique fuerint ſe exorari, ac permiſerint ad veteris hominis naufragium ſalutari vnda iterum mergi. Inter quos nonnulli fuere Epiſcopi, atque è præcipua nobilitate ſatis multi; primarius item magiſtratus,quem Viſitem vocant, ipſumque ſecuta penè vniuerſa familia eſt: nec leues quidem ſtimulos admouit ipſa Princeps, quæ cœleſti hoc lauacro expiata,pleroſque exemplo ſuo coegit. Fuere præterea,qui cùm obſtinatam omninò mentem hiſce monitis obieciſſent, tamen ad ſupremam vitæ lineam adducti, vocari ad ſe Patres iuſſerint,ac luſtrali fonte latino ritu intingi ab iis petierint. Sed & curiones ipſi,à quorum inſcitia manabat malum,edocti; ac verſa in Georgianum germana verborum forma,tradita iis eſt, vt ad communem deindè Eccleſiæ formam ritè abluerent. Quod plerique in morem iam induxere: conſultumque opportunè eſt principi huic ſacramento, ac primæ tabulæ poſt naufragium. Nam de ſecunda nihilò minùs ſoliciti fuere noſtri. Res erat apud eam Gentem inſolens piacularis confeſſio;vt neque extremam ipſam vitam expiarent. Agere proindè ſtrenuè oportuit; atque eò efficacius,quòd arduum omninò iis videretur,intimi pectoris ſecreta, ac ſcelera alteri aperire. Cœptum igitur exerceri hoc aurium officium, animorum ſaluti adeò neceſſarium; & ad quos noſtratum voces peruenere,hi quidem bis,hi verò ſæpiùs in menſe peccata confitebantur; ac niſi ſacramentali confeſſione expiati,Euchariſtico Chriſti Corpori minimè communicabant. Pleraque deindè Chriſtiani Inſtituti dogmata, quæ apud ipſos obſoleuerant,noſtratum voce inſtaurata. Inferni pœnas neque de nomine vnquam audiuerant, ingeneratuſque iis eſt ab æterno eo igne timor. Luſtrales item Purgatorii flammas,quas Græci extinxerant;excitare ipſi conati ſunt. Spiritum Sanctum à Patre,filioque procedere,nihil iis abſurdius. At inſtitutis Chriſtianæ doctrinæ ſcholis, æternam ab vtroque proceſſionem non modò imperitæ multitudini; verùm iis etiam,quibus quædam inerat eruditio,probarunt. Neque diſſimulandum hic,quod iis cum percelebri viro accidit,cui nomen Allauerdelius. Archiepiſcopus is erat primi inter Antiſtites nominis,; ac ſecundus à Patriarcha, valebatque facundia,atque eruditionis fama: quòd verò ad religionem attinet, nihil illo Romanæ rei infenſius: clàm,palam illam proſcindere; Græcorum ritum deprædicare; noſtros, nẽpè latinos homines,carpere confidentiùs;& quoties in ipſos offenderet,ceu quid inauſpicatum,atque execrabile conſpexiſſet,vultus auertere, ac crucis ſigno ſe munire. Tentare ſemel pugnam cum iis voluit de Spiritus Sancti proceſſione, de qua tàm ſeriò,ac copioſè,allatis à ſuiſmet libris argumentis,diſceptantes illos audiuit,vt agnouerit ſtatim,ſuis ſe armis peti,& confici. Quocirca commendata prolixiùs hominum eruditione, etſi manus omninò non dedit,complecti nihilominùs præcipuo ſtudio illos cœpit: ita vt ingenti cum omnium admiratione, qui auerſari Patres ſolitus erat, poſtea vti iis familiariter, in conſilium adhibere, menſa excipere viſus fuerit; ac ſuprema quidem valetudine non alios, quàm noſtros adeſſe animæ momentis voluit; teſtatus, viros eos eſſe æquè probos, ac doctos, qui de Deo quàm veriſſimè ſentirent.

Cum adulti.

Inſtaurata ſacramentalis confeſſio

Quædam docentur Chriſtianæ religionis dogmata,

Allauerdelius infenſus noſtris

Atque hæc quidem in ea Colchidis parte,quam Odiſcim Iberi vocant,cũ interim alii item è noſtris in Guriele,quæ altera eſt eiuſdem Mengreliç Prouincia,non ſegniùs populorum ſalutem, moreſque procurarent. Rerum hic potiebatur Malachias Patriarcha,ſacrorum ſimul,ac populorum Princeps, Vir æuo,ac moribus grauiſſimus. Exceperat is perhumaniter, vti dixi,Ioſephum Iudice, & Archangelum Lambertũ, cùm in Colchidem tranſirent,quorum tunc religionem,doctrinam, modeſtiam cùm raptim delibaſſet,incendi vehementi quodam noſtratum deſiderio viſus eſt: ratuſque nihil accidere Ditioni ſuæ opportunius,ac fructuoſius poſſe, quàm ſi latini homines eò adirent,ac populos inſtituerent,compoſitis ad Petrum Auitabilem literis,impenſius,

Malachias Gurielis Patriarcha.

ſiùs efflagitauit, vt aliquot illùc è ſuis mitteret, futuros ſibi quidem adiumento, ac ſolatio: cæteris exemplo, ac fructui. Ille, quòd exiguam ſociorum manum diſtrahi in tot domicilia, minùs commodum putaret, negauit tùm quidem amandari coloniam poſſe. Verùm cùm deducendæ Principi, quæ Roſtuano Regi nupſerat, vnà cum cæteris Prouinciæ Epiſcopis, ac primaria nobilitate Malachias ipſe Goridem acceſſiſſet, ita cum Auitabili poſtulata, ac vota inſtaurauit, vt impetrauerit; lectique Antonius Giardina, & Chriſtophorus Caſtellus, & Claudius frater laicus, qui redeuntem Patriarcham proſequerentur; & quam ipſe ædem ſacram, ac contubernium tribuiſſet, inirent, vacarentque ſubindè animorum ſtudiis. Accidit hoc ineunte Iulio menſe anno huiuſce ſeculi quarto, & trigeſimo. Iam, quæ pollicitus Patriarcha noſtris fuerat, ad vnguem præſtitit, iuuitque in dies liberaliter rem domeſticam; vt in ſumma Regionis inopia, ac rerum difficultate, haberent, vnde vitam tolerarent. Situm præſertim non longè à Prætorio conceſſit, vbi in cœnobii formam excitata pauca quædam ex ligno conclauia: adiuncta iis eccleſia, quam ad eam quidem elegantiam, nitoremque picturis, ac velis adornarunt, vt omnis circùm regio, non tantùm ex vulgo, ſed cuiuſque etiam Ordinis viri, Epiſcopi ipſi, ac Principes ſpectandæ ædiculæ conuenirent. Patriarcha, & adibat ipſe ſæpiùs, & vt alii adirent, ac tùm loci cultum, tùm religioſiſſimos Patrum mores contemplarentur, adhortabatur. Ad hęc, adeſſe eorum ſacris, differentes de diuinis rebus frequenter audire, ad exaugendam famam nominis palam commendare; & quòd irritum baptiſmum deprædicarent, facultatem etiam iis fecit ſacro fonte publicè abluendi. Quæ quidem vt eorum animos ad ardua quæque erigere videbantur, ita aliorum æmulationem, atque inuidiam vehementiùs concitarunt. Nullibi ſiquidem non infenſa Catholicis Græcorum fides, qui cùm ſatis per ſe Principis gratia, communique beneuolentia instructos noſtros homines, ac nullum proindè patere vulneri locum cernerent, deſperato quodam conſilio ſupremum iis exitium igne, ac flamma machinantur. Ergò, captato opportunè tempore, cùm Patriarcha Odiſcim diſceſſerat, noctu admota face, contubernium, templumque incendunt. Aberat Giardina: Caſtellus euadere è feneſtra vix potuit; vt nil propiùs fuerit, quàm flamma abſumi, relicta re domeſtica, libellis, picturis, artium inſtrumentis, quę ſimul omnia conflagrarunt, ſuperſtite paupertate, atque inſigni in Deum fiducia, quam illuſtriorem fecere flamma, & cinis. Qui incendium excitarunt, domicilium labefactare, ac perdere, non animum, potuere. Nam veluti acriùs inflammaſſet ignis, maiore quidem contentione formandis gentis moribus, fideique amplificandæ operam, ac cogitationes ſuas omnes admouere.

Noſtros in Guriclem euocat. — *Et commodè in ſede conſtituit.* — *Et mirificè iis adeſt.* — *Abſumitur incendio Guriclis domus.*

Porrò conſtitutis hiſce in Colchide coloniis, ſubmitti auxiliares operas, oportuit, vt ſufficeret ſparſis iam longè, latèque curis capitum numerus. Ergò efflagitare adminiſtros Petrus Auitabilis; & quòd feſtinatò opus erat, vt propiùs rem vrgeret, Alepum venit: vnde cum Auguſtos ſacræ Congregationis Patres, tùm Præpoſitum noſtrum Generalem pulſare efficaciſſimis literis, ac frequenter cœpit. Inter primos obtulit ſe ſe Petrus Giardina Panormitanus, de quo dixi aliàs, maturioris vir æui, atque animorum zelo flagrantiſſimus. Sed luctandum illi fuit cum primaria ſuæ Vrbis nobilitate, ac magiſtratibus, atque ipſo Cardinali Doria Archiepiſcopo; qui, quòd cernerent, fructuoſiſſimam Panormi poni ab eo operam in emendandis moribus, omni ope conati ſunt, vt ipſum à propoſito dimouerent. Romæ præſertim nullis non officiis communia proponere Vrbis vota, ac profectionem abrumpere ſtuduere. Sed cùm is nihil de conſtantia remitteret, ſuamque cauſam ſtrenuè apud ampliſſimos Patres literis tueretur, eorum conatus diù luſit. Et quem vehementer vrgebat ardor, ac impetus, id etiam conſilii feliciùs, quàm conſultiùs cepit. Meſſanam ſiquidem tranſmiſſurus, cùm Magiſtratus iuſſu nulli adeſſent in portu lembi, qui veherent, piſcatoriam cymbulam malè ſartam conſcendere non dubitauit; ſubiitque plenam aleæ velificationem, vt ſpes ſuas, in tuto poneret. At enim, quæ eſt arcana diuini Numinis agendi ratio, virum, tàm egregiè ad eam Iberiæ expeditionem animatum, obfirmatumque, aliàs inire conſilii rationes Deus iuſſit.

Quarta liberis miſſio. — *Petri Giardinæ in Georgiano conſilio conſtantia.*

Digitized by Google

Relig. 103.

iuſſit. Enimuerò qui probè nouerat ad aliorum iudicium, ac lancem egregios impetus eſſe examinandos, addubitare vehementer cœpit, an abunde rem grauiſſimã ad maiorum ſenſum ipſe expendiſſet. Adrepit nanque facilè humana voluntas, ac magnæ præclari operis partem decerpit plerumque genius. Itaque quòd & hoc ipſum alii, qui diſcedere ipſum nollent, ſuaderent, cùm propè eſſent Congregationis comitia, id mentis cepit, vt vocationem Generalis Capituli Patribus aperiret: conſulerent ipſi in medium, ac de re pro arbitratu ſtatuerent: futuros nempè diuinæ voluntatis interpretes, ac facturum deindè ſe, quicquid ipſis ſediſſet. Et Patres quidem cùm maturè expendiſſent incredibilem Panormi fructum, ac tantam perditorum hominum Giardinæ opera inibi frugem: tùm ſupra laborum, atque ærumnarũ tolerantiam ætatem, linguarum præſertim vſum diſſeminando Euangelio pernecessarium, quas niſi viuida quędam, ac recens, florente adhuc œuo, memoria, haud facilè addiſcit; decreuere, facturum Giardinam rem Deo gratiorem, ſi Panormi ſuam Spartham vrgeret; ad quorum ille ſuffragium fluctuantis diù animi æſtus compoſuit, agnouitque, vbique locorum ſuam cuique eſſe Colchidem; modò diuinæ ſe ſe voluntati ſubdat.

Deſtinantur ſacerdotes quatuor.

Interim cùm ſe muneri certatim plerique offerrent, datiſque Alepo literis, Auguſtos Patres prolixiùs interpellaret Auitabilis, vt mitterent in Chriſti vineam operarios, lecti ab iis fuere ſacerdotes quatuor, nempè Hieronymus Carafa Neapolitanus, Clemens Galanus Surrentinus, Ioſeph Arcamonus Neapolitanus, & Franciſcus Maria Maggius Panormitanus, quos & ipſe ætatis flos, & ardens quædam indoles, & eruditio, & pietas apprimè commendabant.

Et totidem laici.

His additi totidem fratres laici, qui, pulſatis aſſidua petitione maiorum auribus, ſatis conſtantiã probauerant ſuam. Fuere hi Bonauentura Bobbius Neapolitanus, Franciſcus Floronus è Gallia Ciſalpina, Franciſcus Arena à Caſtro Veterano, & Franciſcus Piſtoia Neapolitanus. E ſacerdotibus Carafa, cui erectus ad hanc palæſtram mirificè animus, neſcio, quonam à ſuis impetu, auocatus ab eo conſilio eſt, ac mutata velificatione, alteram ſubindè Iberiam, nempè Hiſpaniam petiit.

Carafæ, & Arcamoni impedimenta.

Arcamonus, cui, vt mens generoſior, ita & ſua etiam impedimenta fuerant, atque inſigni præſertim ſolertia Patrem, ne profectionem interturbaret, luſerat, naturæ vim non vicit. Graui ſiquidem morbo correptum, ſeuera medicorum interminatione ſubſiſtere Meſſanæ oportuit. Horum in locum ſuffecti Vincentius Gilibertus iunior, Lucanus, Vincentii Senioris, vniuerſi olim Ordinis Præpoſiti Generalis nepos, ab ætate, à literis muneri peridoneus: Et Angelus Maria Verricellus, Neapolitanus, cui pleraque inerant ab ingenio præſidia.

Subſtituuntur Gilibertus, & Verricellus.

Quippè antequam daret Ordini nomen, operam Ciuili, ſacroque iuri cum laude nauauerat, aſſequutus vtriuſque facultatis lauream; & aggregatus poſtea ad noſtros, naturalis, diuinæque Philoſophiæ ſpatia ita exhauſerat, vt docendo par eſſet. Imbecillior illi quidem corporis habitus; neque is, quem poſcerent ſolennes, atque omnigenæ Orientis ærumnæ, vigor. Quapropter Thomas Tironus, auunculus, vir perindè probus, ac eruditus, & cui ingens in nepotem charitas, zelo quodam abrumpere id conſilii in animum induxit ſuum.

Verricello ab Auunculo non leue negotium.

Neapoli quicquid adhiberi induſtriæ potuit, ſtrenuè confecit: tùm Romæ, adnitente ipſo inprimis Neapolitano Pontificis Nuntio, apud quem Tironus oppidò gratioſus, id maximè contendit, vt perſuaderent ſibi ampliſſimi Congregationis Patres, haud è re miſſionis fore, virum allegari, quem in ipſo ſtatim initio deſtituerent vires, eſſetque aliis impedimento affecta, atque acciſa penitùs valetudo. Atenim eò ſpectare conatus hi viſi, vt eluceret pulchriùs Verricelli conſtantia, cui, eùm non ſegniùs pro ſe ſtaret, adiudicata lis eſt. Et auunculus ipſe, quòd cerneret, fruſtra in cœli decreta conari homines, ceſſit; ac pecunia amantiſſimum nepotem iuuit. His iam Colchidis expeditioni deſtinatis, additus mox ſocius peculiari Cardinalium decreto: nempè Antonius Correrus, è Patricio ordine Venetus. Id quod admirationi planè fuit, quando is orationi addictiſſimus, atque à rerum humanarum conſuetudine abhorrens, recollectæ cuiuſdam vitæ, ac ſolitudinis ſtudio teneri videretur: atque adeò nihil eſſe ab eius inſtituto magis alienum, quàm in publica gentium commoda euocari. Et Veneti quidem Patres, qui indolem, moreſque nouerant, adhorta-

Eidem expeditioni deſtinatur Antonius Correrus

ri maximè, ne ſe tacitis vitæ rationibus aſſuetum, arduis adeò curis, ac longè difficillimis permitteret; nempè actuoſiorem, ac viuacioris ſpiritus virum munus poſcere. Sed narrata hæc ſurdo. Concepta ſiquidem diù antea præclara ea mente, Veronæ non ita pridem Correrus vehementer incaluerat. Agebat is in ea Vrbe, vbi, flagrante à Mantuano bello Italia, ſub Venetis ſignis miles Dalmata morabatur, iiſque immixti Turcæ. Neque dilabi occaſionem paſſus vir impiger, Turcicam linguam tùm quidem addiſcere, ac Turcas ipſos Chriſtianis præceptionibus inſtituere, eo quidem ſucceſſu cœpit, vt multos ad rectam religionem perduxerit. Quod ipſum & Bergomi continuauit; atque ab eo fructu ad animorum ſalutem magnoperè incenſus, quando & zelo acceſſerat linguæ vſus, in longè poſitas regiones cogitationes ſuas extendit: nec vllis dimoueri, aut amicorum adhortamentis, aut propinquorum precibus de loco, ac mente potuit. Illud compoſiti, ac ſupra humanatum rerum ſpeciem animi argumentum. Nam cum Neapolim, Meſſanam tranſmiſſurus, aduenisset, ita ſe ſe domi continuit; vt nulla ſpectandæ ampliſſimæ Ciuitatis vellicauerit cupido, ac ſtimulus. In D. Pauli cœnobio ad ſanctiſſimi Parentis noſtri Caietani Thienæi, & B. Andreę Auellini monumenta morari diem ſolidum voluit inter preces: auerſuſque cœteris, ſecum egit, quoad nauim conſcenderit.

Eius Veronæ in animorum lucro ſtudium

Flagrabant hi quidem ingenti quodam deſiderio maturiùs traiiciendi: ſed quæ fuere alia ex aliis impedimenta, morari plus ſolito oportuit: atque interim dilapſæ pleræque nauium opportunitates. Quocirca ne longior adhuc mora Orientis deindè itinera, quæ niſi certis anni temporibus vnà cum reliquo viatorum cœtu confici minùs poſſunt, perverteret; onitendum fuit, vt quantò citiùs ſoluerent; atque id conſilii cepere, vt diuiſo agmine, ſacerdotes ex iis duo, totidemque laici fratres Melitam excurrerent, exploraturi, an aliquod ibi in anchoris eſſet in Syriam nauigium: reliqui Meſſanæ ſe continerent. Accidit porrò, vt ſimul Melitenſibus, ſimul Meſſanenſibus oblata velificandi peropportuna occaſio fuerit; qua gratanter arrepta, diuerſo itinere Melitenſes Alepum, Meſſanenſes Cretam, tùm Conſtantinopolim tenuere; quod Septembri menſe contigit anno voluentis ſeculi ſexto, & trigeſimo. Atque hæc de Iberica expeditione, cuius reſumenda ſeries eſt, cùm ad ea deindè tempora perueniet ſtylus. Quo etiam tempore ad Indos deducenda narratio eſt, apud quos fundata à noſtris Colonia, amplificata Romana religio, excitata mortalium pietas, inductus ſacrorum vſus; obſoleta præſertim Chriſti Corporis refectio vſque adeò inſtaurata, vt ſubducta ratione, centum circiter hominum millia frequentare diuinam ſynaxim cœperint; quibus nullus ibi antea ad id Euchariſtici epuli acceſſus: idque opera præſertim Antonii Ardizzoni, Neapolitani, Viri, quà doctrinarum præſidiis, quà zelo fidei remotiſſima in ea Regione percelebris. Ad hæc, factus ſtrenuè gradus ad obſeſſa barbarie, ac ſuperſtitionibus Regna; ac domita non armorum impetu, ſed Euangelii vi, atque impoſitum iis iugum ſuaue. Quam quidem ad vaſta iſthæc terrarum, ac gentium loca expeditionem ſuſcepit in primis Franciſcus Mancus Licienſis, Apoſtolici Spiritus, ac nulli impar operi, laborique ſacerdos, qui Idalcani primùm, deindè Golcondæ Regnum peruaſit. Quid inibi rei, ac pietatis nauauerit; quæ confecerit impietatis monſtra, quantùm animorum Chriſto adiunxerit, quæ templa excitarit, quot labores exhauſerit, vt ſpiritum deindè in medio ipſo rerum curſu poſuerit, eſt qui poſteritati cum laude commendauit, noſtraſque hiſtorias anteuertit homo exterus. Temperata hæc Petri Auitabilis nutu, qui cùm ad Iberos, tùm ad Indos noſtri Inſtituti homines deduxit; vtriuſque Miſſionis Præfectus, ac Dux Anteſignanus; Cuius quidem, dum hæc ſcribo, allata mors ab India eſt ingenti cùm vniuerſæ Congregationis luctu. Obiit non planè immaturus, ſexagenario maior, laboribus, ac rigore quodam vitæ incredibili confectus. Goæ, vbi mortalitatem exuit, ductum funus inſigni omnium ordinum celebritate, communiſque ea erat perſuaſio, Viro parentari ſupra vulgarem probitatem, atque ad vnguem facto. Promeruerat nempè ea hominum iudicia vir in Orthodoxæ religionis incrementum,

Iter Miſſionarii intendunt.

In India fundata à noſtris colonia.

Antonius Ardizzonus.

Franciſcus Mancus.

Petrus Auitabilis.

Digitized by Google

tum, quæſtumque animorum incitatiſſimus, ſui Inſtituti apprimè tenax, animi æquitate, ac patientia cum paucis comparandus; ab innocentia morum, pietate, modeſtia, atque ab omni virtutum vſu commendatiſſimus.
Sed de egregia eius indole, atque animi partibus ſuus erit
dicendi locus. Interim piget, alteram hanc
noſtrarum hiſtoriarum partem hac
præclari capitis iactura, ac
funere abſolui.

Secundæ Hiſtoriarum Partis finis.

Digitized by Google

AVCTORIS ADMONITIO.

LECTOR aduerte, in elogijs mulierum, ac virorum illuſtrium, quos hoc Libro Complexus ſum, nonnulla me obiter attingere, quæ ſanctitatem ipſis videntur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab ijs geſta, quæ cum vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt: præſagia futurorũ, arcanorum manifeſtationes, reuelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi: beneficia item in miſeros mortales eorum interceſſione collata diuinitùs: demùm nonnullis ſanctimoniæ videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia ita meis Lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi, tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquam quę à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant; atque adeò non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Proindè Apoſtolicum S.Congregationis S.R. & vniuerſalis Inquiſitionis decretum anno 1625. editum, & anno 1634. Confirmatum, integrè, atque inuiolatè iuxta declarationem eiuſdem decreti à S.D.N. Vrbano PP. VIII. anno 1631. factam ſeruari à me omnes intelligant! nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare; vel famam, & opinionem ſanctitatis inducere, ſeu augere, nec quicquid eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem: ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocumque longiſſimi temporis curſu. Hoc tàm Sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi.

Ego Ioſeph Silos Cler. Regul.

INDEX RERVM NOTABILIVM

Quæ in hoc Opere continentur.

A

ADAMVS Makouſkius Poloniæ Regis ad Philippum Hiſpaniarum Regem Legatus Placidum Mirtum in Hiſpaniam ducit. pag. 453. Noſtros in Poloniam inuitat. 456. Deſtinatur Creſcentius Viuus: qui in eo in itinere, elato Makouſkio, reuertitur in Italiam. ibid.

Adriana Franconia Theatinæ diſciplinæ addictiſſima, pag. 6. Moritur Licij. 13. Ac de eius ſepultura controuerſia. ibid.

Aenaria Inſula à balneis percelebris, ac ſalutaris. 118. Montis Miſericordiæ inibi appendix. ibid.

Agathæ Albertinæ virtus, & religioſa mors. 326.

Agnellus Arcerius fœdiſſimæ ſectæ auctor. 336. mulctatur 339.

Alexander Card. Eſtenſis fauet noſtris Mutinæ. 342.

Alexander Card. Montaltus D. Andreæ templi ſubſtructionem Romæ proſequitur. 26.

Alexander Capycius decumbentibus ex peſte adeſt. 491.

Alexander Garganus Capituli Generalis Præſes. 479.

Alexander Maffæius adſcribitur inter noſtros. 144.

Alexander Peregrinus Ordinis priuilegia colligit, digerit, ac luci dat. 359.

Alexander Porrus renũciatur Epiſcopus Bobienſis. 204. In Germaniam à Franciſco Card. Barberino allegatur. ibid.

Alexander Trotrus offert ſe ęgrotantium ex peſte miniſterio. 491. Eius in eo munere charitas. 495. Mira in Noſocomio ſedulitas. 496. Inſeruit penè moribundus. Ibid. Peſtilitate abſumitur. ibid. De eius vitæ innocentia opinio. ibid.

Alexander Viſcus fundando Barolitano domiciliò ſuas ędes vltrò concedit. 525. Improſperè res cadit. ibid. A noſtratum contubernio abſcedit. 526.

Alingię Prouincia in Armenia. 592. Cuius religionem Dominicani Patres curant. ibidem. Ab his excepti perhumaniter noſtri. 593.

Allauerdelius Archiepiſcopus in Colchide infenſus noſtris, mox beneuolus. 631.

Aloyſius de Franchis creatur Epiſcopus Æquenſis, mox Neritonenſis. 203. & 296. Moritur. 383. Eius diuini cultus ſtudium. 384. Eccleſias ſtrenuè procurat. ibidem.

Aloyſii Nouarini opera prodeunt in lucem. Agelliani in Salomonem Commentarii. 205. Et decades Antonii Caraccioli. ibid.

Alphonſus Cardin. Geſualdus templum D. Andreæ Romæ inchoat. 26. Iacto angulari Lapide Potificis nomine. ibid.

Alphonſus Luparus dat ſe Religioni. 95. Bellum illi à Patre. ibid. concipit vota, affulgente è cœlo lumine. 96.

Alphonſus Palçottus domicilium Bononiæ figendum curat. 92.

Alphonſi Mutinenſium Ducis morum mutatio, & religioſæ diſciplinæ conſilium. 549. Iſabellæ Coniugis precibus tribuendum. 550. Regularis Inſtituti mentem Thomę Carpineo primùm aperit. ibidem. Qui & abdicanti adeſt ibid. Oratorium à diſciplina frequentat, commendatque. 345.

Amponius Commendator Miſsionatiis noſtris adeſt Melitæ. 583.

Andreæ Aſſari Platiæ in noſtrum Inſtitutum ſtudium. 195.

B. Andreas Auellinus abit ad meliores. 215. Mortem ſibi prænunciat, & illi ſe comparat, ibid. Apoplexia corripitur. 216. Lucta cum communi hoſte. ibid. Energumenæ, & Iacobi Torni teſtimonio. ibid: Ad funus celebritas, & miracula. 217. Quæ ipſe prædixerat, 219. Deſcribitur multiplex eius virtus. 220. & deinceps. Eius ſcripta enumerantur. 221. Eius in Deum, & proximos charitas. 219: & ſequent. Patiendi deſiderium. 222. In nepotis cœde potiſsimùm patientia. 223. Sui hoſtis. 224. Abſtinentia,

tia, & eius de gula ſententia. ibid. Quid illi in Hoſtiliani Principis domo. 225. Paupertas. 226. Humilitas. ibid. Honores deprecatur. 227. Cardinalis Cuſani operã ludit. ibid. Et Gregorii XIV. Conſilium ibid. Orandi ſtudium. 228. Et aſſiduitas, à qua tumor in genibus. 229. Adſunt orãti. Angeli. ibid. Precum efficacia. 230. Et ab ijs futurorum prædictio. 232. Religio in Diuos. 233. Mariano Roſario addictus. ibid. Perſicæ arboris Roſariũ, & mira. 234. In dæmones imperiũ. 235. Miracula à baculo, à calceo, à capillis, à veſtibus &c. 237 & deinceps. Ab eius imagine mirabilia. 240. Cum Gregorio XIV. familiare colloquium. 18. Quod ille Nuceriç Duciſſæ perſcribit. ibid, Tentatur morbo. 47. Conualeſcit viliore annona. ibid. Adeſt Antonio Card. Caraſæ morienti. 18. Futuram Ioſephi Caraccioli virtutem præuidet. 182 Iuliæ de Marco, & ſociorum impudicos cœtus deprecatur. 337. Dum remedium, parat, moritur. 338.

B. Andreæ ſanctitas cœpta publicè celebrari 298. Rei ſeries. ibid. Efferueſcit in anniuerſaria eius luce ſanguis, 299. De Virtutibus, & miraculis eius acta tranſmittuntur Romam. ibid. Accenduntur ad eius tumulum lampades. ibid. Exponitur populorum venerationi icon, 300. Noſtratũ in eius die feſto modeſtia cœli prodigio compenſatur. ibid. Aliquid procellæ Romæ de Andreæ cultu. ibid. Qui creſcit. 301 Eius prędictio de publicis honoribus ſibi habendis. ibid. Inſpicitur corpus, & abluitur vino, à quo mira. 449. Decentiorem in locum transfertur, accurritque incredibilis populorum vis. 450. Eius Apotheoſim Neapolitani vrgent. ibid. Eius ſanguini inſpiciendo deſtinatur Io. Baptiſta Pãphilius, Neapoli Nuntius, nunc P. M. ibid. Panormi de eius virtutibus acta. 451. Diſpulſus in illum liuor. ibid.

B. Andreæ decreti honores publici, 499. Romanæ Rotæ Auditorum de eius ſanctitate ſententia. ibid. Et S. Congregationis Decretum. 500. Et Breues Vrbani Pontificis literæ. ibid. Communis per Ordinem lætitia. ibid. Corpus ſublimiore in loco collocatur, ibid. Tarſiæ Princeps ſolemniorum apparatum omnem in ſe ſuſcipit, 503, Tẽpli ornatus, & inſcriptio. 504. Per reliquũ Ordinem ſolennia, & mira. 505. Eligitur publicis comitiis Neapolitanæ Ciuitatis Patronus; 514. Conceditur officium, & miſſa reliquorum inſtat Tutelarium. ibid. Eius ad templum maximum reliquiarum translatio. 518.

B. Andreas eligitur Panormitanæ Vrbis Patronus. 503. S. Congregationis de eius inibi officio, ac miſſa decretum. ibid. Celebrandæ anniuerſariæ eius memoriæ annuã centum aureorum penſionem decernit Senatus Panormitanus. 493. Renunciatur totius Siciliæ Patronus. 523. Platiæ ab eo mirabilia. 393. Publicis tabulis conſignantur. ibid;

Andreas Corduba ſoluenda Ioanni Pegnæ iuſta cum laude curat. 90.

Andreas Filingerius aggregatur ad noſtros. 52.

Andreas Gambacurta Celenſæ Marchio gynęcęum excitat. 611. Quod Vincentius Caraſa ad pietatem informat. ibib.

Andreas Lanfrancus iunior inauguratur Epiſcopus Vgentinus. 204. Regius in Hiſpania Eccleſiaſtes. ibid. Immaturè moritur ſua in ſede, ibid.

Andreas Molſeſius B. Andreæ Auellini monitis ad Religionis frugem impellitur. 144. Deſinit viuere. 418. A Cunis in Deiparam religio, ibid. Eius ſtudia. ibid. A forenſibus iudiciis reuocatur Auellini voce, ibidem. Theatinum Inſtitutum deligit, initque auſpice Dei Matre, ac D. Thoma Aquinate. 419. Eius à ſtudiis exiſtimatio, & coniuncta cum iis pietas. ibid. Mortem ſibi prænunciat; 420. Eius literarum monumenta numerantur, ibid.

Andreas Mormilius fato concedit. 156. Eius virtus. ibid.

Andreas Piſcata Caſtaldus de Sacris ceremoniis ſcribit. 81. Bituntinam domum fundat 114. Dat operam, vt impuriſsima Neapoli hæreſis puplico iudicio iuguletur. 338 Quid illi ea de re Paulus Pontifex V. 339. Renunciatur Præpoſitus Generalis. 352. Probat electionem Paulus Pontif. V. Eius luſtrandi Ordinis ratio. 352. In eius regẽdi rationes inquiritur. 386. Comperta Viri virtute, reficitur Generalis. ibidem. Mortuorum Sodalitium Neapoli inſtituit. 489.

Andreas Riccius è viuis migrat. 105. Eius animi partes. 106.

D. Andreæ Neapoli gynæcęum Confeſſarios ex noſtris petit. 389.

Angelus Barbaricus ſe dat Religioni, 143. A Patre lucta, quæ mox profligatur. ibidem.

Angelus Bonellus optimè de Ordine meritus. 155. Tumulus. ibid.

Angelus Surgentius D. Hieronymi ope conualeſcit. 171.

Angelus Maria Verricellus deſtinatur in Iberiam. 633. Moræ ab auunculo. ibid. Quas eluctatur. ibid.

Anna Palmeria è Venerab. Vrſulæ Congreg. 410. Eius diſciplinæ zelus, & in contemplatione ardor. ibid.

Annibal Capua Archiep. Neap. Vrſulæ Benincaſæ addictus. 404.

Anſelmus Griſius attactis peſte Panormi inſeruit. 491.

Anthea à mortuis de Florentina domo optimè merita. 37. Eius patria, mores, & in mortuos potiſſimùm ſtudium. ibid. Mantuæ ſummo loco apud eos Principes. 38. Taurini Xenodochium, & gynæcèum curat. 39. Piè moritur, & curatur à Sabaudis Principibus funus. ibid.

Antonii Ayoſſæ eruditio, & literarum monumenta. 421.

Antonius Agellius Antonii Card. Carafæ ſtudia iuuat. 19. Renunciatur Epiſcopus. 64.

Antonius Cardinalis Sancti Cæſarii ſtudiis. 67. Inſulas abdicat. ibid. Romæ moritur. 204. Eius in Salomonem Commentarii editi Nouarini opera. 205.

Antonius Ardizzonus operam ſtrenuè ponit in India. 634.

Antonius Borſus attactorum peſte ſeruitio Panormi addicitur. 491.

Antonius Card. Barberinus Capuccinus Collegium de fide propaganda amplificat exædificatione, ac cenſu. 458.

Antonius Card. Carafa Romæ moritur. 18. Morienti adſunt B. Andreas Auellinus, & Marcellus Toloſa. ibid. Sepelitur in Quirinali æde 19. Quàm luctuoſum noſtræ Cōgregationi funus. ibid. Eius caſtimonia, carnis afflictatio, munificentia. ibid. Et ſcriptorum monumenta. ibid. Eius ſtudia iuuat Antonius Agellius. ibid. Nouam regiminis ſpeciem noſtro Ordini impetrat à Pontifice. 2.

Antonius Caracciolus deſtinatur Epiſcopi Potentiæ Coadiutor. 85. Reſpuit. 86. Eius ad Conſtitutiones notæ. 149. Et ad D. Antonini Abbatis vitam, 197. Eius in ſacram ſcripturam Decades in Nouarini Cōmentariis lucem aſpiciunt. 205.

Antonius Caſtriota Religioni dat nomen. 56.

Antonius Correrus in Georgiam deſtinatur. 634. Eius de animorum ſalute curæ, ac ardor. ibid.

Antonius Giardina in Georgiam allegatur. 613.

Antonius Mazzapintus noſtros Meſſanæ excipit hoſpitio. 194.

Antonius Priulus Capuccinus aggregatur ad noſtros. 75. Patrui Cardinalis precibus, & Clementis Pontif. auctoritate. ibid. Ea de re Pontificiæ literæ, 77. E Theatino iterùm Capuccinus. 76.

Antonii Scappinelli in Mutinenſi Oratorio à diſciplina partes. 346.

Antonius Veſpulus Epiſcopi Potentiæ Coadiutor. 86. Prouinciam ſtrenuè ſubit. ibid. Breui moritur. ibid.

D. Antonii templum Cremonenſi cœnobio accedit. 270.

D. Antonii Patauini Arimini mirabilia. 129. Ponitur illi templum, ac noſtris tribuitur. ibid.

D. Antonini Abbatis templum noſtris Surrenti tribuitur. 197. Eius Diui vitā à quo conſcripta. ibid. Antonii Caraccioli notis illuſtratur, & luci datur. ibid. Eius in energumenos vis admiranda. ibid.

SS. Apoſtolorum ædes Neapoli fundatur. 540. Ad Conceptę Virginis Imaginem in ea Celebritas, Franciſci Olympii auſpiciis. ibi. mox ad Neapolitanæ Ciuitatis votū ingēs, tranquillato mari, beneficium. ibid. Conſecratur hæc ædes. 141. In ea nouendiales in honorem D. Virginis feriæ. 291.

Aquilanum domicilium recuſant Patres. 612.

Archangelus Lambertus in Iberiam mittitur. 605.

Arimini fundatur domus. 127. Deſtinatur noſtris D. Georgii templum. ibi. Quod poſtea in D. Antonii Patauini Eccleſiam commutatur. 129. Quæ in ea Diuorum Lipſana. 130.

Ariſtaui in Georgia qui. 558. ſuo Principi rebellant. 559.

Arthabechus Sāpſches in Georgia Princeps. 558. Eius in Dadianum odium, & cauſa. ibid.

Aſcanius Card. Columna Prænestinæ Eccleſiæ vices Gregorio de Sanctis commendat. 174.

Aſcanius Card. Philamarinus Sanctorum Apoſtolorum templum conſecrat. 141.

D. Athanaſius muſicam à ſua Eccleſia eliminat. 311.

Athenienſibus Principes temporarii. 30.

Auenionenſis Senatus de Bernardi Pinelli

Epi-

- Epiſcopi virtute teſtimonium. 297.

Auguſtinus Adornus Clericorum Regular. Min.Inſtitutor. 9.

Auguſtinus Cataccíolus Clericorum Minor. Inſtitutor. 9.

Auguſtinus Card. Valerius Theatini nominis ſtudioſus.23. Noſtros Veronam inuitat,& excipit humaniſſimè.24.

Auguſtinus Dongus Aleriæ Epiſcopus.554.

Auguſtinum Dominicanum Myrenſem Archiepiſcopum noſtri excipiũt Genuę.506. Georgiani ex noſtris Miſsionarii dant filii Comites.507.

Auguſtinus Maynerius Diœceſis Genuenſis pagos,ac villas inuiſit.394. Quanto cum Eccleſiaſticæ rei,ac morum incremento. ibid. Sodalitium à Sacramento Genuæ inſtituit, 271. Exuit mortalitatem.512. Multiplex eius virtus recenſetur. ibid.

Auguſtinus Paparus nominatur cum duobus aliis Præpoſitus Generalis.4. Romæ moritur.26. Eius virtus deſcribitur. ibid.

Aurelia Sturdia decepta à Vachetano,deducetur à noſtris. 172.

Aurelius Tullianus è Romanis cœmeteriis Martyrum corpora effodit.341. Ab eo Io. Baptiſta Caſtaldus pleraq. ex iis dono accipit. ibid. Quæ Neapolim in Paulinam Eccleſiam amandantur. ibid. Et nonnulla etiam Genuam ad D.Syri. 340.

B

Bacchanalium dierum vbique licentia. 198. Huic temperandæ inſtituuntur Neapoli à noſtris publicæ quadraginta horarum preces,ibid.

Baptiſmus apud Colchos nullus,630. Occurrunt huic malo noſtri. 631.

Baroli à Ieſuitis controuerſia de domicilio. 32.

Baroli fundatur cœnobium. 524. Turbo in eius domus initiis. 525. Difflatur Romæ. 529. Noſtratum curæ Barolitana in domo. ibid.

Bartholomęi Gauanti de altera Theatinorũ palla opinio refellitur.392.

Bartholomæi Malumbræ domus Venetiis incenditur ad diuinę iuſtitię documentum. 25.

Baſilius Cacacius creatur Archiepiſcopus Epheſinus.508. Rauennatis Eccleſię Suffraganeus.ibid. Moritur Neapoli. ibid.

Baſilius Pignatellus adeſt Clericorum Minorum diſciplinæ.9. & 10. Eius in Minoritas ſtudium. 11.& 43. Renunciatur Aquilę Epiſcopus.44. Doctrinæ periculum cum laude. ibid. Eius in pauperes munificentia, ibid.

Beatrix Rangonia Ferratiæ rem noſtram auro iuuat.376.

Bellum inter Galliarum Regem,& Sabaudiæ Ducem, 99.

Benedictus Baſſus inter noſtros adſcribitur. 57.

Benedictus Mandina ſenior deſtinatur Infulis Melfitanis.67. Renuit. ibid. Imponitur Caſertanæ Eccleſię, 68. Literarum periculum cum aulæ approbatione.ibid. Eius in Epiſcopatu mores. ibid. Morum cenſor de vita periclitatur. ibid. In pauperes pietas, cui creſcunt ab erogatione opes. 69. Mittitur in Poloniam Nuntius. ibid. Perorat in Verſauię comitiis proſperiore euentu. Commendatur à Cardinali Aldobrãdino; & à Poloniæ Rege. ibid. Adauget Eccleſiæ vectigalia. 70. Fato concedit. 156. Eius ingenium, & virtus. 157. Commendantur illi Neapolitanę Eccleſię vices. 158.

Benedictus Mandina iunior adeſt Ioãni Lopez, cum infernis hoſtibus in vitę confinio pugnanti.306. Iuliæ de Marco, ac ſociorum impuriſſimos conuentus, ac hæreſim detegit. 338.

Benedictus Portus vita fungitur. 544. Ex voto naſcitur: à Cunis in Crucifixum pietas. corporis afflictatio, humilitas, & cætera virtus. ibid. Capeſſendi noſtri Inſtituti occaſio. 545. In morte dignatur Deiparę aſpectu. 546.

Benedictus Rubeus renunciatur Epiſcopus Motulẽſis.109. Eius virtus, & in excolenda vinea ſtudium.110. Neapoli moritur. 459.

Bergomi figitur domicilium. 82. Attribuitur ædes D.Michaeli Sacra. 83. Tranſitur in Diuæ Agathę.ibid. Cum Carmelitis inibi diſceptatio de ſitu.ibid. Adiudicatur noſtris lis ſemel, ac iterũm. ibid. Altera Bergomi domus ſuburbana. 84. Occaſio, & cauſæ, ibid. Deſtinatur Sanctorum Simonis,& Iudæ ædes.85. Quædam de baptiſmo hęreſis à noſtris inibi profligatur,137.

Bernardinus Maffæius Marianam Eccleſiam à Glarea Theatino Inſtituto Veronæ concedit. 24. Eius in noſtros beneficentia. ibid.

Bernardinus Mazzalorſa moritur. 123. Eius virtus. ibid.

Bernardinus Sinopolitanus egregie pius, Ibericam expeditionem Petro Auitabili probat.567.

D. Ber-

D. Bernardus morienti Matthæo Bencio adeſt. 54.

Bernardus Iuſtinianus abit ad pauciores. 462. Eius in proximos ſtudium. ibid. Eius opera vtuntur Epiſcopi Genuenſes. ibid. Scribit de Cambiis. 463. Impugnatur, & propugnatur. ibid.

Bernardus Pinellus publica Religionis vota concipit. 297. Renunciatur Epiſcopus Aueniouenſis. ibid. Breui moritur. ibid. Senatus Aueniouenſis luculentum de eius virtute teſtimonium. ibid.

Bernardi Saraceni Neapoli in Oratorio Conuerſionis peccatorum curæ. 335.

Bernardus à Summa naufragio liberatur, & votiuam tabellam, quæ omnium prima, B. Andreæ dicat. 236.

Bibliothecæ Florentino Cœnobio legantur. 32.

Biretum, & cætera B. Andreæ veſtis propulſandis morbis efficax. 239.

Bituntifundatur cœnobium. 114. Deſtinatur familiæ D. Nicolai eccleſia. ibid. Praui vſus inibi à noſtris conuelluntur. 115. Numinis cultus noſtratum opera reſtituitur. 116. Ruſticorum præcipuè pietas formatur. ibid. Mutatur cœnobii ſitus. ibid. Occaſio. ibid. Deſignatur noua eccleſia. 117. Iacitur primarius lapis ſolenni ritu. ibid. Deſcribitur eccleſia. ibidem. Mortuorum mons inibi excitatur ab Eugenio Rubeo. 394. Inter eius Vrbis Patronos adoptatur B. Andreas. 520.

Blaſius Bottus Romæ piè moritur. 368. In pingendi arte conſpicuus. ibid. eius in Dei Matrem pietas. ibid. Otij fuga. ibid. Veteris diſciplinę tenax. 369. Pleraque de eius virtute teſtimonia. ibid.

Bonauenturæ Caltaieronenſis, Meſſanæ Archiepiſcopi in noſtrum Ordinem ſtudium. 194.

Bonifacius Card. Caietanus Rauennæ fauet noſtris 193.

Bononiæ agitatur domicilium, 91. Quod olim Card. Boncompagnus tentauerat. ibid. Vrget Card. Palæottus. 92. Et Card. Montaltus. ibid. Clemens Pontifex. VIII. fauet, ibid. Et Horatius Spinola Prolegatus, & Alphonſus Palæottus. ibid. Allegantur Bononiam noſtri. 93. Tribuitur D. Bartholomæi ædes. ibid. Noſtratum inibi ſedulitas, 94. Piorum operum in Bononienſi Eccleſia contentio, & numerus. ibid. Viri proceres, matronæq. in noſtros benefici. 95.

Braccius Michelotius noſtri Ordinis ſtudioſus. 154.

Breuiarii B. Andreæ odor, & mira. 240.

Brixiam euocantur noſtri. 61. Succeſſu res caruit. ibid.

Burgheſii Theatino nomini addicti. 167.

C

CÆSAR Amphora Surrentinum cœnobium iuuat. 198.

Cæſar Argentius monialium gynęcèum Capuæ excitat. 65.

Cæſar Ferraus S. Agathæ Princeps Coſentinæ domus rudimenta iuuat. 481. Eius Neapoli in D. Pauli templo Sacellum, Ibid.

Cæſar à Matra Prætorias Bitunti ædes noſtris cedit. 116.

Cæſar Mazzonus, poſtea Geminianus ad noſtros adiungitur. 139.

Cęſar Priulus Licii moritur. 13. Hæredes noſtros homines ſubſtituit. 14. Qui, elato mox filio, hæreditatem capeſſunt. ibid. Inde lis, ac poſtmodum victoria. ibidem. Suæ familiæ inſignia cruce, quæ noſtrum ſtemma, cohoneſtat. 6.

B. Caietani cultus impetitur. 360. Sed appellato Pōtifice, diſflatur procella. 361. Eius ope Cardin. Sfortia periculoſo defungitur morbo. 124. Quod ille donariis teſtatur ibid.

Caietanus Corlittus in Iberiam mittitur. 613. Ægrotantium ex peſte miniſterio addicitur. Quo in munere decumbit. Eius virtus. ibid.

Caietanus Coſſus adſcribitur in Ordinem. 106. Eius genus, eloquentia, ſtudia. 445. Mantuæ in omnium oculis, Eleonoræ Auguſtæ percarus. 446. Taurinenſem domum fundat. 442. Sabaudiæ Principū in illum beneuolentia. 446. Allegatur in Hiſpaniam à Carolo Emmanuele Sabaudiæ Duce. ibid. Comitis Oliuarii de eo iudicium. ibid. Nominatur Epiſcopus Hydruntinus à Philippo IV. Rege. ibid. Ad quem iterum Legatus à Victorio Sabaudię Duce. ibid. Inauguratur Romæ Epiſcopus. 447. Vrbani Pontificis iudicio dilaudatur. ibid. Sacellum in noſtra Licienſi Eccleſia excitat. ibid. In ſuum Regem fides. 531.

Caietanus Guindatius B. Andreæ ſanctitatis præco adhuc puer. 217. Eius eloquentia ibid.

Digitized by Google

ibid. In Panormitana iue egregiam operam poni t.491.& deinceps. Sodalitium Seruorum D. Virginis Taurini inſtituit. 444.
Caietanus Indelicatus Panormi ex peſte moritur.492.
Calceus B. Andreæ ægrotantibus ſalutaris. 238.
Camillæ Lomellinæ in Ordinem ſtudiũ. 201. Præcipuè in Romanam D. Siluestri domum liberalitas, ibid.
Camilla Lucarella Bononienſem rem iuuat. 94.
Camillus Caracciolus Princeps Abbellinenſium extruere SS. Apoſtolorum templum cogitat.255. Conſilium effectu caret, ibid.
Capilli B. Andreæ ſalutares Panormi, & Neapoli.238. Igne probantur. ibid. Separantur veri ab adulterinis.239.
Capitulum repræſentans diù in Ordine. 2. Eius poteſtas. ibidem. Quàm apta initiis eiuſmodi gubernatio. ibid. Mutatur eius forma; & multiplex cauſa. ibid.
Capitulum Generale Genuæ celebratur. an. Dom. 1588. pag. 4. Et Romæ. an. 1589. 11 & an. 1592. 30. Quid in eo definitum: 59. & an. 1595. 58. Et an. 1589. 80. & an. 1601. 110. an. 1604. 147. & an. 1607. 190. & an. 1610. 254. & an. 1615. 352. & an. 1618. 386. & an. 1621. 438. & an. 1624. 479.
Capreæ B. Andream Patronum ſibi aſciſcunt. 520.
Capuæ monialium cœnobium ad Sapientiæ Neapolitani monaſterii formam inſtituitur. 65. Sed ſucceſſu caret. ibid.
Carauagii Marchioniſſa D. Caroli Borromei reliquias noſtro D. Mariæ Angelorum templo donat. 269.
D. Caroli Borromæi ope cõualeſcit Paulus Toloſa. 132.
D. Caroli Borromæi reliquiæ in Mariano Angelorum templo Neapoli ſolenni ritu collocantur. 269. Eius Icon in Genuenſi Diui Georgii eccleſia. 484.
Carolus Antonius Puteus noſtri Ordinis ſtudioſus. 34.
Carolo Aualos mortem præſignat ſudor in B. Andreæ imagine. 241.
Carolus Barberinus alteram Genuenſem coloniam iuuat. 482.
Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ noſtrã familiam Taurinum euocat. 441. Remcum Vincentio Giliberto Præpoſito Generali tranſigit. 442. Arma in Genuenſes mouet. 482. Quid in ea expeditione noſtri. 483.
Carolus Emmanuel Card. Pius Ferrariæ noſtro Inſtituto impenſiùs fauet. 375. Beati Andreæ Apotheoſi fauet. 500.
Carolus Rangonius immaturè moritur. 343
Carthuſiani Cochleari in Miſſæ ſacrificio vtuntur. 393.
Caſtrum Ioannis in Sicilia noſtros homines poſtulat. 260.
Caſtronoui Patronus renunciatur B. Andreas. 520. Sacro B. Andreæ numiſmate extinguitur inibi incendium. 240.
Caraneenſium de fundanda noſtrarum colonia poſtulata ſucceſſu carent. 396.
Catharina Medicèa Mantuanum cœnobiũ iuuat. 440.
Catharina Palmeria Vrſulæ Benincaſæ neptis. 411. A cunabulis pia, futuras calamitates præuidet. ibid. Eius in Deum amor. ibid.
Catharinæ Sabaudæ in Anthèæ funere pietas. 39.
Celſus de Nigro Inſtitutũ capeſſit. 144. Amplificandæ in Iberia Orientali fidei pro. uinciæ deſtinatur. 567.
Cenſura, & præcepta, noſtris ordinationibus annexa abrogantur. 439.
Cenſus annui noſtris legati à quibus exigẽdi. 438.
Centurioni Sacellum in D. Syri templo Genuæ ornant. 202.
Ceremoniale Andreæ Caſtaldi lucem aſpicit. 260. Matriti in regio ſacello, & apud regias Diſcalceatas eſt vſui. ibid.
Ceremoniarum liber noſtratum vſui conſicitur. 81.
Chriſtoſtoma Caracciola Oratoriũ cõuerſionis peccatorum annuo cenſu iuuat. 334.
Chriſoſtomæ Carafæ Abellinenſiũ Principi prędicit mortem B. Andreas. 232.
D. Chriſtinæ templum noſtris Parmæ additur. 542.
Chriſtinę Benincaſæ Venerab. Vrſulæ ſororis virtus. 409.
Chriſtinæ Borboniæ Sabaudiæ Ducis in noſtros beneuolentia. 440. Cunarum Chriſti partem Taurinenſi templo addicit. 444.
Chriſtinæ Lotharingiæ magnæ Ducis Etruriæ in nos ſtudium. 34. Defunctorum opus inſtituit. 35. & in noſtram Eccleſiam trãſfert. ibid. Cui continuando cenſum annuum conſtituit. ibid.

Chri-

Chriſtophorus Memolus renunciatur Epiſcopus Rubenſis.437. Eccleſiam,ſacrorū cultum,Clerum format.ibid.
Cingulum B.Andreæ decumbentibus ſalutare.239.
Claræ Diotalleuiæ virtus.130.
Clara Genuina Vrſulæ Benincaſæ neptis. 411. Eius vitę aſperitas, ſolitudo, patientia. 412.
Claudii Aquauiuæ Præpoſiti Generalis literę ad ſuos de ſeruanda cum noſtris charitate litere.169.
Claudius Rangonius Epiſc.Placentinus Sacram Euchariſtiam ad nouam eccleſiam transfert.97.
Clemens Alonſus diem obit ſuum.349. Ingenium, & morum ſanctitas. ibid. In Deiparam pietas,humilitas,charitas.349 Quædam prenunciat. ibid. In mortis articulo viſa. ibid. Odor ab ore poſt mortē. ibid. Dum ad ſepulturam effertur, mirum quid accidit. ibid. Vincentio Odæ apparet. 350. Eius oſſa diù pòſt intermicant. ibid.
Clemens Galanus in Georgiam allegatur. 633.
Clemens Peſtius dat Religioni nomen.566. Legatur in Germaniam ſemel,ac iterùm, & tertiò. ibid. Epiſcopus Porphyrienſis, poſtea Aquilanus, poſtremò Srabienſis. ibidem. Sacellum B. Caietano dedicat. ibid.
Clemens Pontifex VIII. creatur. 28. Pauli IV. de eius Pontificatu vaticiniū. ibid. Ædem D.Mariæ ab Arcu noſtris deſtinat.41. Eius ne Clerici Regul.in Clericos Min.aut hi in illos tranſiliant, decretum 10. Eius ad Genuenſem Senatum literę pro Cleric.Regul.72. In noſtrum Ordinem beneuolentię argumenta.78.& 79 Bononienſe cœnobium iuuat.92.Syluium Antonianum noſtra ad Comitia mittit 58.Capituli Conſulta probat.59. Eius in anno ſeculari ſacro pietas. 98. Moritur. 166.
Cleri Neapolitani commoda curat Hieronymus Ferrus,17.
Clerici Regulares aliorum Religioſorum Ordines iuuant. 8. Vt Carmelitæ Diſcalceati Neapoli domicilium figant,curant. ibid. Clericorum Regularium Minorum Inſtitutioni adſunt.9. Ne Clerici Reg. in Minoritas,aut hi in illos immigrent,cantum.10. Clericorum Regul. nuncupatio peculiaris noſtro Ordini,10. Simplex Clericorum Reg. Inſcriptio præcipitur ibid. Eorum Conſtitutiones acri examine expenduntur.148.Pontificis auctoritate cōfirmantur. ibid. Excuduntur.149. Fœdā Neapoli hæreſim detegunt.326.Commēdantur à Paulo Pontifice V.339.In Georgiam allegantur.
Clericorum Minorum Ordo inſtituitur. 9 Laudatur. ibid. Aliquid illi adiumenti à noſtris. ibid.
Clericorum ac laici ordinis fratrum ſcrutinium inſtituitur. 388.
Codnæ Comes agitcum P. Generali de Theatina familia in Poloniam deducenda.457.
Cœmeteria Martyrum,quæ Romæ extant, deſcribuntur. 340.
Colchis deſcribitur. 620. In quam inuitantur noſtri.,ibid. Et petunt difficillimo itinere 627. Principem inuiſunt non ſine munere. 628. Sedem impetrant.ibidem. Principis filiam curant. ibid.Eorum inibi vigiliæ.629.
Collegium de propaganda fide inſtituitur ab Antiſtite Viues.458.Addicitur noſtrarum rectioni. ibid.
Columba Gualanda in Sapientiæ Monaſterio piè moritur.329. Eius virtus.ibidem. Oculorum tenebras ſtrenuè tolerat 330.
Columba ad Matthæi Bencii funus. 54.
Comacſenſe domicilium ſucceſſu caret. 430.
Confeſsio ſacramentalis inſtauratur apud Colchos noſtratum opera. 621.
Coniugium cum virginitate coniunctum. 184.
Conſpicilia B. Andreæ morbis depellendis opportuna.240.
Conſtantia Barberina publica mortuorum ſuffragia Romæ in D.Andreæ templo inſtituit.35.
Conſtantia Carafa piè obit in monaſterio Sapientiæ,123. Deſcribitur eius virtus, ibid.
Conſtantia Caretta extremum diem claudit.16. Eius in ſuprema vita munificentia 20. Maximè in noſtrum Ordinem, & in D.Mariæ Angelorum cœnobium. ibid. Sepelitur in D.Pauli cœmeterio,16. Eius pietas.precandi ſtudium,& cętera virtus. ibid.
Conſtantia à Falconibus noſtris addicta. 6.
Conſtantia Piccolominea .281. Ineūdæ Religionis conſilium.ibidem. Excipi

inter ſorores Laicas optat. 282. Eius humilitas, ibid. Contemplatio, Charitas, tolerantia, ac cætera virtus, 283, & deinceps.

Conſultores à Capitulo generali inſtituuntur. 11.

Conſtitutiones Clericorum Regular. concinnantur. 60. Ad examen reuocantur. 81 Quo iterùm ſtudio expenſæ. 148. Pontificis auctoritate confirmantur. ibid. Romanis typis excuduntur. 149. Antonii Caraccioli ad illas notæ, ibid.

Cornelius à Lama Platiæ domus rudimenta ponit. 105.

Cornelii Roſæ Ord. Min. in noſtros Bononiæ beneuolentia. 93.

Coſentiam euocantur noſtri. 480. Fundandæ Coloniæ deſtinatur Silueſter Sclauera. ibid. Noſtratum Coſentiæ vigiliæ. 481. B. Andream Patronum ſolenni ritu Ciues eligunt. 521.

Coſentinorum in noſtros liberalitas. 521.

Coſmus Orlandus per Orientis oras notus. 580. Eius velificationem Miſsionarii noſtri precibus iuuant, ibid. Noſtros excipit naui, ac Melitam ſoluit. 581. Eius Conſtātinopoli curæ, ac ſumptus pro noſtris. 589.

Coſmus Philiarchus Muſæum ſuum noſtris legat. 37.

Cræmonę excitatur à fundo domus. 151. Attiguum D. Antonii templū noſtris addicitur. 270. Inſignes in eo reliquiæ. 271. Lauretanæ Virgini ædicula conſtruitur. 484. Auctor Io. Petrus Ala. 485. Perſimilis Picenę domui ędes. ibid. Perſimile item ſimulacrum, & quid pictori acciderit. ibid. Deducta ſolenni ſolenni ritu Mariana Icon. 486. A qua in Cremonenſes beneficia. ibid. Oppugnatur fruſtrà hæc ædes. 487. Inuehit in noſtros Io. Petrus Ala. Sed ipſa Deipara increpatus, redit menti, ac beneuolentię. ibid. In ea ædicula cœmeterium, & multiplex religio. 488. Coronatur ritè Lauretanum ſimulacrum. ibid.

Creſcentius Viuus Placidi Mirti Comes in Hiſpanica expeditione. 453. Fundandæ in Poloniam, Colonię mittitur. 456. Sed, elato Polonię Legato, qui ducebat, in Italiam reuertitur. ibid.

Crucifixi imaginem pingit Vrſula Benincaſa, pingendi omninò ignara. 400.

Crucifixi Sodalitium Neapoli die exaltatæ Cruci ſacra ſolennitatem inſtituit. 198. Quæ poſtea ad extrema bacchanalia, frænandæ communi licentiæ transfertur. ibid.

Crucis ſacroſanctæ fruſtum Paulinę Lipſanothecæ Neapoli additur. 199.

Cuſani Cardinalis opera collatas Infulas B. Andreas reſpuit. 227.

D

DAdianus Colchidis Princeps Lancea petitur. 599. Coniuratos vlciſcitur. 560. Eius venandi ſtudium. 561. Noſtros excipit, ac ſede donat. 628.

Dauthus Gangiæ Præfectus Perſarum Regi rebellat. 617.

Decius Cardinalis Caraſa quartę Neapoli domui fauet. 528. Diem obit ſuum ingenti populorum ſenſu. 538. Noſtri Inſtituti à puero ſtudioſus. ibid.

Decius Memolus Paulo V. carus. 437.

Definitores creantur, qui vnà cum P. Generali domorum rectores eligunt.

Didacus Ayedus Archiepiſc. Panormitanus noſtri Inſtituti cupidus. 135.

Didacus à Sylua rem noſtram Siracuſanā beneuolentia, ac liberalitate iuuat. 261. & 262.

Dignitatum moleſtiæ Gregorii XIV. teſtimonio 18.

Dionyſius Dentice Ferrariæ Theatinum domicilium figit. 375. Qua ſolertia. ibid. Declamat inibi cum plauſu. ibid.

Dionyſius Vulponus Bituntinam Eccleſiam deſcribit. 117. Commendatur à ſtudiis, ac diſciplina, ibid. Piè moritur. ibid.

Diſcalceatæ cuiuſdam monialis dictum de aſsidua precum recitatione. 228.

Domibus noſtris fundandis modus ſtatuitur. 353.

Dominicus Miſcius miræ vit ſimplicitatis moritur. 191.

Dominicus Ridolfus Epiſcopus Vritanus.

Dorothea Villana deſtinatur fundando Capuano monialium collegio. 65.

E

ECcleſię rurales Genuenſis Diœceſis à noſtris cum fructu inuiſuntur. 394.

Eleemoſynæ opes adaugent. 69.

Elena Bonſia Florentini cœnobii rudimentis adeſt. 36.

Eleonoræ à Leiua in defunctos pietas. 396.

Eliſabethæ Bonſiæ Capponiæ Sacellum, & tu-

tumulus.185. Hebræam Virginem ad frugem reuocat noſtratum opera. 155.
Excedit è viuis,284. Eius in œui flore modeſtia. ibid. Marcelli Tolofæ monitis in Spiritu proficit,& Pauli fratris.285. Eius orationis ſtudium. ibid. Genibus inſiſtere illi familiare. ibid. Exceſſus in ea mentis. 286. In Euchariſtiam religio.287. Amor in Deum, & Martyrii cupido.288. Charitas in proximos. ibid. Alienæ pudicitiæ perſtudioſa.289. Moribundos iuuat.290. Pauperibus adeſt: qua arte. ibid. Humilitas.291. Corporis afflictatio.292. Mariæ Magdalenæ de Pactiis exemplo fortior. ibid. Florentinis Patribus benefica.36.
Eliſabetha Sancia Marcellum Toloſam, iam extinctum videt ſemel, iterùm,& tertiò.75.
Eliſæus Nardinus renunciatur Præpoſitus Generalis.30. Regularis diſciplinæ in eo ſtudium.31. Barolii abortum de domicilio cum Ieſuitis diſſidium, componit peramicè.32. Perorat apud Clementem Octauum, ne noſtris D. Mariæ ab Arcu templum tribueretur.41. Eius in inſpectione Ordinis cenſura. 42. Et communis vitę ſtudium. ibid. Quid illi Genuæ acciderit. ibid. Abdicat generalem Ordinis Præfecturam.58. Qui mox reficitur. 60. Diſciplinæ regularis vindex.71. Clementis Octaui literas ad Genuenſem Senatũ impetrat.72. Ne Priulus Capuccinus in noſtrum Ordinem tranſeat, ſtrenuè curat.75. Eligitur generalis Capituli Prȩſes, ſemel 147. Et iterùm. 295. Conſultoris munus recuſat.254.
Eliſæus Nardinus piè moritur.378. Eius in tuenda diſciplina zelus. ibid. Quid illi cũ Clemente Pontifice. ibid. Diuini cultus perſtudioſus. 379. In orando lachrymæ. 380. In Chriſti Domini cruciatus, ac B. Virginem deuotio. ibid. Mentis in eo eãdo. ibid. Humilitas.381. Communi Ordinis humilitati cauet. ibid. Mortem prȩſentit,ac dignatur aſpectu Virginis. 381.
Eloquentiæ ſtudium quàm neceſſarium. 257.
Entius Marchio Bentiuolus adeſt Ferrarenſis templi ſubſtructioni.376.
Epiſcopi tres germani fratres ex noſtris ſimul in Regno Neapolitano. 71.
Epulæ in ſolenni noſtratum profeſsione, atque in primis miſſis proſcribuntur. 80.
Eremus fœminarum Neapoli excitanda. 407.
Euchariſtiæ quàm conſentanea ſymphonia, & cantus.
Eugenius Rubeus mortuorum Montem Bituntì excitat,& ordinat. 396. Eius in dicendo ardor,397. Viri zelum geminum eius factum commonſtrat. ibid. Piè moritur. ibid.
Euphraſiæ Diotalleuię pietas.130.
Euphroſinæ à Sylua monaſterium SS. Trinitatis fundat.101.
Exequiæ anniuerſariæ à Patribus D. Mariæ Angelorum Conſtantiæ Carettæ.20.
Exercitium ſcriptionem iuuat.1.

F

FAbritius Caraſa Dux Andriæ, Mariæ Magdalenæ Carafæ coniux.315. Vitæ exitus peracerbus. 317. Pœnitentiam Viro impetrat cõiux.316. De eius animę ſalute teſtimonia. ibid.
Fanum fortunæ Ciuitas familiam ex noſtris petit,ſed renuunt Patres.296.
Fauſtina Capycia reliquias D. Pauli templo donat.199.
Ferdinandus Magnus Dux Etruriæ Florentini cœnobii initia iuuat magnificè.33.
Ferdinandus Gonzaga Guaſtallæ Dux noſtrum Ordinẽ cogitat, 252. Noſtratum coloniam poſtulat.372. Nouam Deiparæ ab Arce eccleſiam ponit.373.
Ferdinandus Dux Mantuæ domum cœnobio amplificando noſtris donat. 440. Beneuolentia in Fulgentium Gemmam. ibid.
Ferdinandus Spinellus Tarſiæ Princeps publicos B. Andreæ honores,elato fratre, celebrandos magnificentiſsimè ſuſcipit. 504.
Ferrariæ figere domicilium noſtri curant. 374. Rem agitat Placidus Filingerius. ibid. Fauet Antiſtes,& Margarita Gonzaga Ferrariæ Dux. ibid. Dionyſius Dentico rem conficit, adnitente Cardinali Pio. 375. Qui ſitum deſignat. ibid. Conſtruitur inibi templum. 376. Subſtructionem qui iuuerint. ibid. Cur dicatum Virgini à Pietate, ibid. Sacra ſupellectili matronæ Principes ornant.377. Diuinæ prouidentiæ in eo domicilio ſubſidia. ibid.
Fides hiſtoricis neceſſaria.1.
Figaraſſarum prędium Panormi Legatur

Digitized by Google

noſtris,154. Deſcribitur.ibid. Patrum in iis diſtrahendis curæ.357.
Filibertus Sabaudus Siciliæ Prorex ſupremũ diem claudit.490.
Flaminia Cæſis Romæ moritur.293. Hæredes ſcribit noſtros.ibid. Sacrificia quotidiana in D. Andreæ templo iubet. ibidem.
Flammettæ Datæ manes in Florentina D. Michaelis eccleſia,153.
Florentiam euocantur noſtri,33. Eò concedit Paulus Toloſa. ibid. Situm deſignat Ferdinandus Magnus Dux. ibid. Qui & ampliando ædificio publicam viam donat.34. Deſcribitur familia; & initur cœnobium D.Michaelis.ibid Initiis fauet Chriſtiana Lotharingia.ibid. Fauent Eliſabetha,Elena,Petrus Bonſij matronæq. aliæ,ac viri proceres. 36. Fundatur inibi noua eccleſia 152. Quam deindè proſequutus Carolus Cardin. Medicæus. ibid. Sacella, & Diuorum in ea reliquiæ. 153.
Florentiæ externa Sodalitia noſtri curant, 307.
Foggiæ in Apuliæ Oppido excitatur domicilium. 526. Ioſephi Antonii Blanci fortunis.525. Quæ inibi noſtratium vigiliæ. 527. Augetur Guglielmi Corcioni legato ea domus. ibid.
D. Franciſcus Vincentiam de Oda Chriſti Corpore reficit.164.
Franciſcus Aprilis Georgianam expeditionem complectitur.567. Profectionem vetat morbus.579.
Franciſcus Arcuccius Neapoli diem obit ſuum. 27. Nouiſsima eius ad Patrem verba.ibidem. Et cæleſtes deliciæ.ibid.
Franciſcus Balſamus Neapoli moritur.272 Ingenium,& cætera viri virtus.ibidem,& deinceps. Mortem illi prædicit Iacobus Tornus,248.
Franciſcus Baucius nouo ſacrarum Virginum Inſtituto Capuam auget.65.
Franciſcus Caracciolus Clericorum Minor. Inſtituto t.19.
Franciſcus Card. Boncompagnus Neapolitanæ Eccleſiæ præficitur. 538. Addictus noſtris,quorum opera vtitur in procuratione animorum 539.
Franciſcus Damorius diem obit ſuum.113.
Franciſcus Dux Mantuæ moritur.307. Bellũ inde Italiam exercet. ibid.
Franciſcus Francus Bononiæ diem obit. 813. Eius virtus deſcribitur.ibid.
Franciſcus Gonzaga admittitur. in Ordinem 253. Poſtea Epiſcopus Gariatenſis. ibid.
Franciſcus Iunius optimè de noſtra Sodalitate meritus.136.
Franciſcus Mancus animorum ſtudiũ probat in India.634.
Franciſcus Maria Caſtriota Theatinum Inſtitutum capeſsit.57.
Franciſcus Maggius in Georgiam mittitur. 633. Iacobi de Stephano oſſa Meſſanam transfert.624.
Frãciſcus Maria Spinola renunciatur Epiſcopus Sauonenſis.509.
Franciſcus Maria Taurusius, poſtea Cardinalis, Ioanni Baptiſtæ Tufo in Coimobiorum Patrum Montis Virginis Præfectura adeſt.8.
Franciſcus Morta Epiſcopus Aletienſis. 297.
Franciſcus Olympius Conceptæ Virginis Imagini addictus.540. Ad eam effigiem ſolennia. ibid. Quid illi Surrenti acciderit.541. In pauperes charitas. 115. Eius de Io.Galeotæ æterna ſalute teſtimoniũ. 156. Eius patrocinio in mari tranquillitas 586.
Franciſcus Oppizzinga Neapoli moritur. 545. Eius animi partes. ibid.
Franciſcus Perſonè noſtri Inſtituti mentem concipit,542. Inde aliquid diſsidii. 543.
Franciſcus Rauenna deſinit viuere.350. Eius orationis ſtudium, & cętera virtus. ibid.
Franciſcus Reuertera pecuniarum ſummã noſtræ Lauretanæ domui legat. 350. Qui dat Religioni nomen.534. Et breui moritur. ibid.
Franciſci Sales Epiſcopi Geneuenſis de libello Pugnę ſpiritualis teſtimonia.278.& ſequen.
Franciſcus Surgentius renunciatur Archiepiſcopus Brundufinus, tùm Epiſcopus Monopolitanus.367. Eius in Inſulis mores. ibid. In noſtrum Ordinem beneficentia. ibid. Eccleſiaſticæ libertatis zelus. ibid.
Feranciſcus Verrazzanus inſimulatur. diluitque mox crimen.581.
Friderici Card. Sfortiæ in Ariminenſe cœnobium beneuolentia.128. Splendido donario gratum animum in B.Caietanum teſtatur. ibid.
Fridericus Tana Taurinenſi rei noſtrę fauet. 445.

Fulgentius Gemma dat Congregationi nomen. 57. Mantuanis Principibus percarus.440. Poſtulatur Epiſcopus Licienſis. 509. Renunciatur à Mantuæ Ducibus Sãctæ Barbaræ Abbas.509. Honeſtatur Gõzagæ domus inſignibus. 510.
Fulienſes Monachos inſtruit Matthæus Bencius. 51.

G

GAbriel Lotherius Neapoli decedit.510. ſtudia,mores,pietas.511.
Gabriela Gambalunga in noſtros munifica. 131.
Garſias Cardin. Mellinus mittitur à Paulo Pontifice Quinto ad Càpituli Patres. 355.
Gaſpar Sillingardus Mutinenſis Epiſcopus curat, noſtratum Coloniam deduci Mutinam.139.
D.Gaudentius Epſc.Ariminenſis D. Gregorii corpus ad ſuam eccleſiam non ſine miraculo perducit.130.
Generalatus Præfectura reducitur ad ſpatiũ octuenne.30. Eligitur Eliſæus Nardinus. ibid. Reducitur ad triennium. 59. Inſtituitur eius cenſura. 110. Quàm rationi conſentaneum. ibid. Comitiorum ratio præſcribitur.60.
Genuæ celebrantur generalia comitia an. Dom.1588.pag 4.
Genuæ altera fundatur domus. 482. Fauet Carolus Barberinus.ibid.Sed oborta pro.cella, loco cedunt noſtri. ibid. Redeunt Senatu annuente.483. Ineunt D.Georgii eccleſiam.ibid. Turbo à vicinia.ibidem. Qui Romæ difflatur. 484. Noſtratum in turbarum auctorem beneuolentia. ibid. Eorundem in D.Georgii templo ſtudia. ibid.
Genuæ lis oboritur.21.Cauſa ibid. Tuetur cauſam Archiepiſcopus. ibid. Et componitur Romæ ibid. Altera inibi controuerſia.139.& 176.Sũburbanum inibi domicilium excitatur. 64. Templum inibi D. Ioanni Baptiſtæ ſacrum,ibid. Noſtratum in eo nauitas.ibid. Villarum inibi magnificentia. 64. Rurales Eccleſias Antiſtitis iuſſu noſtri inſpiciunt. 393. Quanto cum gentis fructu. 394.
Genuæ diuturna lis componitur cum Ieſuitis. 378.
Genuenſium in noſtros liberalitas. 177.
Genuenſis Senatus ad Cardin. Sfondratum literas. 21. Et ad Clementem Octauum 23.
D.Georgii Lipſana miraculo illuſtrantur. 484.
D.Georgii feſti celebrandi ritus apud Colchos. 627.
Georgii de Afflicto in pietatis operibus ſtudium.334.
Georgiæ,ſiuè Iberiæ Orientalis,nomen, fines, Principatus, bella inteſtina, ac extera,lingua,habitandi modus,nobilitas,ſoli, & cæteræ regionis partes.555.& deinceps. A Chriſtiana Ancilla iis terris fides. 562. Superſtitio,& errores in fide.563. & deinceps. Græcorum in iis fouendis erroribus induſtria. 565. Qua via initi Georgia poſſit.ibid. Eius Regni Prouinciæ in plures diuiſę Principes.558.Eò noſtri perueniunt.594 Georgiæ ſtatus cùm eò noſtri peruenitunt.595.Vaſtatur à Perſis. ibi. Augentur inibi operę altera noſtratum expeditione.600. Et tertia miſsione.631. & Quarta.632.Fructus inibi à noſtratum induſtria. 609.
Georgiani Principes plures.558.Vrbani Põtificis Octaui ad illos literæ. ibid.
Germaniam noſtri cogitant,adnitente Cardin.Cliſsellio.530.Sed ſucceſſu res caruit. ibid.
Gineutę Catanea religio. 130.
Goris Georgiæ Ciuitas deſcribitur. 597. Graſſatur inibi peſtilentia, & noſtros abſumit. 624.
Granç Marchioniſſa de noſtris Mantuam euocandis agit. 149.
Græci noſtris infeſti in Colchide. 629. & in Guriele igne in eos ſæuiunt. 632.
D.Gregorii corpus in noſtra Ariminenſi Eccleſia. 129. Quis hic fuerit Diuus Gregorius. ibid. Illata illi mors miraculis illuſtratur. ibid.
Gregorius XIV. creatur Pont. Max. 15. Noſtro Ordini addictiſsimus. ibid. Summo apud illum loco Hieronymus Ferrus. Familiare eius colloquium cum Andrea Auellino.18. Moritur.27.
Gregorius XV. renunciatur Pontifex. 435. Eius, ac domus Ludouiſiæ in noſtrum Ordinem voluntas.ibi. Priuilegia confirmat. ibid. Fato concedit.451.
Gregorius Adamantius Clericis Regularibus adiungitur.57.
Gregorius Carafa vota concipit.125. Eius ſtudia, & literarum monumenta. ibid. Vniuerſi Ordinis Præpoſitus Generalis. ibid.

ibid. Epiſcopus Caſſanenſis, ibid. Quid Caſtellæ Admirantes de eò ad Philippũ Hiſpaniarum Regem. ibid. Inſignibus D. Roſaliæ reliquiis Paulinum templum donat. 200.

Gregorius Cardona Romę moritur: 469. Iacobum Vachetanum hæreticum detegit, 172.

Gregorius Caſtellus in Georgiam allegatur. 613. Et in Gurielem. 632.

Gregorius Nauarrus Deiparæ Conceptioni templum ędificat. 401.

Gregorius Paſſerus patientiæ portentum. Neapoli moritur. 551.

Gregorius de Sanctis Prçneſtinæ Eccleſiæ ſuffraganeus. 174. Poſtea Belicaſtrenſis Epiſcopus. ibid.

Guaſtallam euocantur noſtri. 372. Fundãt ibi domicilium. ibid. Imago Virginis ab Arce in noſtram Eccleſiam transfertur. 373. Eius in Padum fluuium vis. ibidem. Excitatur illi templum à Ferdinando Gõzaga Duce. ibid.

Guido Bentiuolus Sodalitium de bona morte Taurini excitat. 444.

Guiglielmus Curcionus Foggiæ domicilio opes ſuas legat. 527.

Gula præcipuè edomanda. B. Andreæ ſententia. 224.

Gurielem transferuntur noſtri, Patriarca inuitante. 631. Sedem inibi conſtituũt. 632. Quæ incendio abſumitur. ibid.

H

Hebræa Virgo ad fidem inſtituitur Eliſabethæ Bonſiæ, & noſtratum cura. 155.

Hæreſis quædam de baptiſmo profligatur à noſtris Bergomi. 137.

Hæreſis quàm fœdiſſima Neapoli à noſtris detegitur. 336. Auctores. ibid.

Hector Pignatellus Montisleonis Dux dat operam, vt Hieronymus Pignatellus Infulis honeſtetur. 364.

Hieronyma Guazzaluta à malis geniis conflictata, B. Andreæ opem ſentit. 235. Qui eius vices ſubit. ibid.

Hieronyma Homodèa B. Andreę ſolea, & capillis curatur, 238.

Hieronymæ Palazzinæ vitæ inſtitutum. 130.

D. Hieronymi Sodalitium noſtratum tutelæ ſe ſe dat Arimini. 131.

Hieronymus Buzacarinus vita fungitur. 86. Mortem præſciuit, 87. Indoles, & virtus. ibid.

Hieronymus Carafa Georgię deſtinatur. 633. Mutatur deinde velificatio. ibid.

Hieronymus Caſtriota adoptatur in Ordinem. 56.

Hieronymus Coleta moritur, cum ſpem faceret perfectiſsimi Eccleſiaſtę. 124.

Hieronymus Confalonerius Religionis habitum induit. 83.

Hieronymus Cornelius Bergomenſe domicilium poſtulat. pag. 83.

Hieronymus Ferrus Gregorio XIV. Pont. carus. 16. Accerſitur ab eo Romam, admoueturque rerum grauiſsimarum tractationi, ibid. Eius in propaganda re Eccleſiaſtica conſtantia. ibid. Cultum D. Ianuarii Romæ curat. 17. Eius in inclytum Martyrem pietas. ibid. Commodis Neapolitani Cleri incumbit. ibidem. Eius auctoritate priuilegia Cler. Regul. confirmãtur. ibid. Innocentio Nono carus. 28. A quo Vmbriatici Infulis deſtinatur. ibid. Sed recuſat. ibid. Elato Innocentio, Mediolanum concedit. 28. Vbi religiosè moritur. ibid.

Hieronymus Gentilis forenſibus Genuenſis Diœceſis Eccleſiis inuiſendis deſtinatur. 394.

Hieronymus Lanfrancus Neapoli diem obit ſuum. 45. Eius ſtudia, & vis dicendi. ibid. In Patris exequiis vis pectoris. ibid. Noſtratum inuitamento cœlum petit. ibidem.

Hieronymus Pallanterius Epiſcopus Bituntinæ Eccleſiæ primarium lapidem conſecrat. 117.

Hieronymus Pignatellus cum affectu matris ſtrenuè pugnat. 364. Roſſanenſi Cathedræ imponitur. ibid. Renuit. ibidem. Sed agente Lucio Sanſeuerino acceptat. ibid. Pium opus inſtituit in Inſula AEnaria. 118. excedit è viuis. 424. Eius in ſacerdotii curis ſedulitas. ibid. Sanctimonialium diſciplinam reſtituit. 425 Clemẽtia, & in tempore acrimonia. ibid. In pauperes charitas, ac multiplex virtus. 426. Dum Religionem iterum cogitat, fato interc ipitur. ibid.

Hieronymus Serra Sacellum Genuæ in D. Siri templo excitat. 202.

Hieronymi Stincæ Bitunti conciones. 113. Quid pii operis inibi excogitauerit in sãctiore hebdomada. ibid.

Hieronymus Thomaſius B. Andreę aurem inci-

Digitized by Google

incidit. 218. Cutem ſibi ſeponit, à qua pueroſanitas.219.
Hieronymus Toraltus diem obit ſuum. 463.
Hilarius Corteſius Eccleſiã Polycaſtrenſem reg't.173. Poſtea eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus. ibid.Sua in ſede moritur.204.
Hippolytus Cardin. Aldobrandinus Parmenſi cœnobio adeſt.541.
Hippolytus Galantinus cœtus ad virtutum frugem inſtituit. 344. Et Mutinæ fundat. ibid.
Hippolytus Riua renunciatur Epiſcopus Stabienſis. 174 Extremum diem clauſit.459.
D.Hireniæ corpus donatur Licienſi eccleſiæ 168. De eo controuerſia dirim'tur.169. Obiicit ſe Licienſi Sindico Diua Virgo.170 Eligitur in Licii Patronam.ibid.Celebratur Patrocinium.171.
Hiſpanica expeditio ſtatuitur.452.Occaſio aliàs omiſſa. ibidem. Deſtinatur operi Andreas Caſtaldus. ibid. Mutato commodùm conſilio, deſignatur Placidus Mirtus cum Creſcentio Viuo. 453. Ingens in negotio difficultas.ibid.Quid cōſilii Mirtus ceperit. 454. Cœptis fauet Margarita Auſtriaca è Diſcalceatis monialibus 455. Et Innocentius Maximus Nuntius.454.Qui Italorum Xenodochiũ tribuendum noſtris curat.446.
Honorum appetentiæ ſeuerè cauetur.191.
Horatius Spinola Bononienſe cœnobium vrget.92.
Horti Cenuę diſcordiarum ſemina.21. in eos abaduerſariis impetus. 22.Excoluntur ad omnem elegantiam à noſtris. ibi. Deſcribuntur. ibid.
Horti à Ioanne Antonio Torno legantur noſtris.244. Qui abdicantur. ibid.

I

IAcobus Fornarius Genuæ moritur. 313. Exponitur viri virtus.ibid.
Iacobus Capycius Piſcicellus Comitiorum Præſes. 190.
Iacobus Mola Barolitanus quo ſe ſpiritu Religioni vouet.525.
Iacobus de Stephano dat Religioni nomen 506. De eo vaticinia. 567. Conſiliũ amplificandæ in Orientis regionibus fidei primò non ſatis probar.568.Tùm ſtudioſiſſimè complectitur. 569. Ante profectionem Aquediam excutrit. 579,M ater in itinere componit.ibid.Quid matri prænunciauerit.580.Melitę moniale inſigniter probam inſtruit.582. Quid illi in Cōſtantinopolitano itinere acciderit. 586. Eius pro ſacra icone Erauane in Armenia zelus. 594. Diem obit ſuum.619.Eius Patria,parentes.620. Virginitatem vouet. ibid. Andreę Auellini de eo iudicium. ibid. Ægrotus D. Virginis opem experitur.621.Oranti à diuino amore vulnus. ibid. Paupertas, abſtinentia, vigiliæ. ibi. Aues ad animi remiſſionem erudit. ibid. Inſulis tentatur. ibid. Eius in Georgiano itinere toleranria. 622. Linguas à D. Virgine impetrat. ibid.Eius gratia curationũ ibid. Iniuriæ fidei cauſa 623. martyrii cādidatus. ibid. Eius à Georgianis appellationes ibid. Celebranturparentalia, ac publicè laudes.624 Eius ad tumulum flores.ibi.Aſportantur Meſſanã oſſa,ibid.
Iacobus Tornus vita fung'tur. 242. Ortus, ingenium, ſtudium. 243. Aggregatur ad noſtros. ibid. A Patre Bellum ibidem. Naturam à virture abhorrentem triumphat 245. Multiplex eius virtus, ibidem. & deinceps. B.Io. Marinonii ope eius ſcrupuli faceſſunt. 246. Dæmonem in Auellini morte videt, & enunciat. 216. & 248. In extremis laborans Franciſco Balſamo mortem prædicit. Ibid. Funus populorum frequentia celebratur. ibid. Eius corpus incorruptum ibid.
Iacobus Tornus iunior piè moritur. 248. Eius in extrema vita cum Diuis colloquium. ibid.
Iacobus Vachetanus hæreſis poſtulatur, & damnatur. 172.
Iacobus Valdaura deſinit viuere. 90. Eius probata ad ærumnas charitas. ibidem. AEquanimitas, & in ipſo ſupremæ vitæ actu obedientia. ibid.
Ianuarius Philanarinus renunciatur Epiſcopus Caluenſis.507. Conceditfato. 508. libatur eius virtus. ibid.
D.Ianuarii cultum amplificat Hieronymus Ferrus. 17.
Iberia. Vide Georgia.
Ieſuatorum Ordinis Origo. 361. Et nomen, & Inſtitutum. ibid. Sacrorum ordinum vſum impetrant à Paulo Quinto.ibidem. Inſtruuntur nouis legibus noſtratum auſpiciis. 362. Generale tyrocinium Romæ inſtituitur. ibid. Vnde in reliquum Ordinem noua diſciplina, & rerum facies. 363. Tyronum modeſtia oble-

Nnnn ſta-

ſtatur Paulus Quintus. ibidem.
Ignatius Fugiolus Neapoli moritur. 44. Eius partes, & mores, & ſcripta. ibidem.
Imago B. Andreæ admiranda. 240. Ab illa odor. ibid. Et lux, & motus. 241.
Innocentius Maximus ad Philippum Hiſpaniarum Regem Nuntius Matriti Theatinæ rei fauet. 456. Italorum Xenodochiũ addicendum noſtratibus curat. ibidem.
Innocentius Paleſcandalus Genuæ piè moritur. 249. Eius virtus. ibidem. Bononiam fundando domicilio allegatur. 93.
Inſpectio. Vide Viſitatio.
Ioannettinus Spinola D. Syri odèum cultu marmorum Genuæ exornat. 478.
Ioannes Alphonſus Henriquez Caſtellæ Almirantes Gregorium Carafam Hiſpaniarum Regi probat. 175.
Io. Ambroſius Confalonerius ſpiritum piè ponit. 467. A D. Carolo Borromæo tonſura initiatus. ibid. Hieronymi fratris exẽplo Religionem concipit. ibid. Eius vitæ aſperitas, præcipuè abſtinentia. ibid. Paupertas, humilitas, preces. 468. Septem Eccleſias nudis veſtigiis inuiſit. ibid. In proximos charitas. ibid. Adeſt energumenis. ibid. Et morientibus; vnde concepta lue moritur. 469. Sub vitę finem futura prænunciat. ibidem. Teſtimonium eius gloriæ à malis geniis. ibidem. Poſt mortem adeſt ope mortalibus. ibidem.
Io. Andreas Afflictus abit ad meliores. 91. Eius humilitas, opportunum Laicis fratribus exemplum. ibid. Morienti D. Andreas Apoſtolus ſe ſe illi obiicit. ibid.
Io. Antonius Angriſanus eligitur Præpoſitus Generalis. 190. Eius prudentia. ibidem. Studia promouet. 192. Reficitur Præpoſitus Generalis. 254. Creatur Archiepiſcopus Surrentinus. 294. Generalatus faſces deponit. habita ad Patres oratione. ibidem. Confirmationem priuilegiorum impetrat. ibidem. Eius in Inſulis mores. 396.
Io. Antonius Pratus vita fungitur. 104. Eius à B. Caietano inſtitutio. ibid.
Io. Antonius Tornus Iacobi Pater filium à Religionis conſilio reuocare conatur. 243. Noſtris eo nomine infenſus. ibid. Reconciliatur filio, & noſtris. 244.
Ioan. Baptiſta Bandinus bibliothecam, & aurum noſtris legat. 37.
Io. Baptiſta Bottus adeſt Florentino cœnobio non mediocri pecuniarum vi. 36. Noſtrum Ordinem init, probante conſilium Lotharingia, magna Duce. ibidem.
Io. Baptiſta Brancaccius Ordinem capeſſit. 57.
Io. Baptiſta Caracciolus Ibericę miſſioni deſtinatur. 571. Eripi ſibi locum, conqueritur. ibid.
Io. Baptiſta Caſtaldus Vicentinam Eccleſiam exornat. 63. Et aliquot D. Stephani ſanguinis guttis donat. 64. Neapoli D. Pauli templum pleriſque Martyrum corporibus munit. 341.
Io. Baptiſta Iuſtinianus aggregatur ad Clericos Regulares. 57.
Io. Baptiſta Milanus eligitur Genuæ primus Præpoſitus Generalis. 4. Eius Patria, genus, & vitæ ſecularis ratio. ibidem. Publicis muneribus à Veneta Rep. admouetur. 5. Religioni ſe dat. ibidem. Ordinem inuiſit. 6. Quo animo Licium acceſſerit. ibidem. Creatur Epiſcopus Bergomenſis. 29. Qua moderatione Cathedram adminiſtrauerit. ibidem. Ab humanis excedit. 382. Summis Pontificibus, ac Venetæ Reip. carus. ibid. Eccleſiaſticæ diſciplinæ zelus. 383. In pauperes munificentia. ibid.
Io. Baptiſta Magnauacca dat Ordini nomẽ. 57. Vita fungitur. 466. Pietas à ſcriptis voluminibus. ibid. Et in aduerſis patientia. ibid.
Io. Baptiſta Marinus deſinit Neapoli viuere. 537. Eius muſæ elegantia, & licentia. ibidem. Addictus noſtris, in quorum complexu moritur. ibidem. Sepelitur in SS. Apoſtolorum cœmeterio. ibidem.
Io. Baptiſta Morcaldus Martyrum corpora Ioanni Baptiſtæ Caſtaldo donat, qui Neapolitano D. Pauli templo addicit. 341.
Ioan. Baptiſta de Nigro pecuniam extruendo templo legat. 64. Quod noſtris tribuitur. ibidem. Oboritur lis, & dirimitur. 177.
Io. Baptiſta Pamphilius Apoſtolicus Neapoli Nuntius, nunc Pont. Max. inſpiciendo Beati Andreæ Auellini ſanguini deſtinatur. 450. Quid Romam perſcripſerit. ibid.

Io.Baptiſta Sanctaflorius Bitunti ſtrenuè deſudat. 114. Egregium eius zeli documentum. 115.

Io.Baptiſta Stâga D.Antonii templum Cremonenſi noſtro cœnobio addicit. 270. Et bibliothecam. 271.

Io.Baptiſta Stironius fulmine abſumitur. 537.

Io.Baptiſta Tufus Acerrarum Epiſc. D.Pauli templum conſecrat. 140. Cui conditas ſplendidè reliquias addicit. 199. Præſes Comitiorum Patrum Montis Virginis. 7. Inſignibus Diuorum reliquiis ab iis donatur. ibid. Fato concedit. 459. Eius animi partes. ibid. Nominatur Archiepiſcopus Materanus. ibid. Recuſat, & Acerrenſes etiam Infulas abdicat. 460. Romæ inter Epiſcopos Aſſiſtentes adoptatur. ibid.

Io.Baptiſta Viues Collegium de propaganda fide inſtituit. 458. Vtitur Michaelis Ghislerii opera. ibid.

Io.Bernardinus Labella Theatina familia augere Siracuſas ſtudet. 261.

Io. Dominicus Iacobinus, vt noſtro inſtituto D. Ioſephi ædes addiceretur, curat. 135.

Io.Franciſcus Palumbus deſinit viuere. 460. Ingenium, doctrina, eloquentia. ibid. Et pietas, & caſtimonia, quam ſtrenuè tuetur. 461. Humilitas. 462.

Io. Franciſcus de Ponte diem obit ſuū. 370. Eius doctrina, magiſtratus, ſcriptorum monumenta. ibidem. Conſilium abdicandi, & Religionis vota, & virtus. 371.

Io. Iacobus Imperialis fato concedit. 477. Pietas, & in noſtros munificentia. ibid. Sacellum in D.Syri templo conſtruit, & magnificè inſtruit. 202.

Io. Maria Tagliafetrus B.Andreæ mortem, eo pronunciante, cognoſcit. 215.

Io.Paulus Fornarius diem extremum claudit. 417. Eius eruditio, eloquentia, prudētia. 418.

Io. Paulus Maggiolus mortalitatem Mutinæ exuit. 417. Vitę aſperitas, preces, charitas. ibid.

Io. Petrus Ala in noſtro Cremonenſi cœmeterio ædem Lauretanam fundat. 484. A noſtris auerſus, ad noſtros iterum conuertitur. 485.

Io. Petrus Caraſa Hoſtunenſem Cathedram reſpuit. 173.

Io.Petrus Feulus excedit è viuis. 535. In rē animorum ſolertiſsimus. ibidem. zelus, preces, in re diuina ardor, pia mors, & poſt mortem beneficia. 535. & 536.

Io. Petrus Verardus laude morum ſpectatus. 7.

Io.Thomas Pinellus creatur Epiſcopus Molfectanus. 298.

Io.Vincentii Imperialis in noſtros beneuolentia. 477. Ingenium, & poëſis. ibidem. Muſicam, legato cenſu, noſtrę Eccleſiæ addicit. 498.

Io.Vitellius creatur Epiſcopus Calenēſis. 29. Eius in adminiſtranda Eccleſia ſolicitudo. ibid. Inſignibus D.Martii Solitarii reliquiis D. Pauli Lipſanothecā adauget. 199.

Ioannes Villanus, Pollæ Marchio vocatur ad Ordinem. 531. Eius poſt elatā Coniugem vltæ licentia. ibid. Sed mox è cœlo lux, & religionis ineundæ conſilium. ibid. A mora ardor intenditur; & à Patribus recipitur. ibid. In tyrocinio virtus. 533. Supremo corripitur morbo, nuncupatiſque Religionis votis, piè moritur 534.

Ioannes Scurconillus eligitur Præpoſitus Generalis. 80. Indoles, grauitas, regularis obſeruantia. 82. Quid illi in Lauandis linteis acciderit. ibid. Alia eius lenitatis exempla. ibid. Generalatum abdicat, & reficitur. 110. Excitatam à paucis procellam diſpellit. 142.

Ioannes Rocca Mutinenſis in ipſo æui flore deſinit viuere. 250. Pretioſa eius mors. 251

Ioannes Philomias dilatandę ad exteras gē tes orthodoxæ religionis mentem concipit. 568. Deſtinatus alteri claſsi, primæ aggregatur. 579.

Ioannes Pegna piè moritur. 88. Æquè contemplationi, vitæque actuoſæ addictus, ibid. Eius præcipuè in deprecandis honoribus humilitas. ibid. Vitæ aſperitas. 85. Mortem ſibi prædicit ſemel, ac iterum. ibidem. Ad eius funus celebritas. 90.

Ioannes Mauritius, quo tempore flagraret peſtis, mitti Panormum poſtulat, ægrotis inſeruiendis. 491.

Ioannes Galeota piè moritur. 156. De æterna eius ſalute Franciſci Olympii teſtimonium. ibid.

Ioannes Gonzaga Religioni mancipatur. 252. Vota Guaſtallæ nuncupat. ibidem. Poſtea Præpoſitus Generalis. ibid.

Ioannes Lopez ſuprema vitā cum malis

geniis colluctatur. 105.

D. Ioannes Apoſtolus Vincētiæ de Oda Euchariſtiam defert, 164.

Iodoci Lorichii de libello, cui nomen, Pugna ſpiritualis, elogium, 278.

Ioſeph Antonius Blancus fortunas ſuas noſtris legat. 526. Quarum adiumentis cœnobium Foggiæ inſtituitur. 527.

Ioſeph Arcamonus in Georgiam deſtinatur. 633. Sed diſtinetur valetudine, quominùs adeat. ibid.

Ioſeph Caracciolus Religioſum inſtitutum capeſſit. 181. Natales, parentes, ac ſpiritus rudimenta. ibid. & deinceps. Iſabellæ Caracciolæ nubit. 183. Pacta cum illa pudicitia. 184. In coniugio pietas, charitas. 185.

Ioſeph Caſtriota Clericis Regularibus adſcribitur. 57.

Ioſeph Iudice dat Religioni nomen. 144. Infirmis ex peſte miniſtrat. 491. Mitti in interiorem Siciliam, perſeguendis peſtilentiæ reliquiis poſtulat. 494. Iberiæ expeditioni deſtinatur. 605. Piorum in ipſum munificentia Panormi. 606.

Ioſeph Mignia laborantibus ex peſte Panormi inſeruit. 491. Generalis Vicarii de eo dictum. 497. In noſocomio Turcam ad fidem conuertit. ibid. Luem non ſemel concipit. ibidem. Piè moritur, dignatus cæleſti concentu. ibid. Panormitani Senatus de eius morte ſenſus. 498.

Ioſeph Scarſella Panormi percuſſus lue moritur. 498. Charitas, & in vitæ exitu ardor ſpiritus. 499.

Ioſeph Vicarius ſpurciſſimæ hæreſis auctor 336. Eius partes. ibid. Plectitur Quæſitorum ſententia. 339.

D. Irenes templum Licii fundatur. 14. Qua pompa primarius lapis iacitur. ibidem. Ciuium in eo ædificio liberalitas, & pietas. ibidem. Equitis Fontanæ de ea ſubſtructione iudicium. ibid.

D. Irenes reliquiæ in controuerſiam veniūt. 168. Dirimitur Romę lis. 169.

Iſabella Barilis fungitur vita. 470. Theatinæ Religionis vota pro modo nuncupat. ibi. Eius vitæ moderatores Sanctomangus, & Albertinus. 471. Vis in ea diuini amoris, & exceſſus. ibid. Cum proſtitutis fœminis charitas. 472. Et cum ægrotantibus. ibid. Eximium charitatis ſpecimen. 473. Fœminas exulceratas ſanat, dum lambit ibid. Humilitas. ibid. Pietas in D. Virginem, in Sanctos, præcipuè in D. Auguſtinum, & Tutelarem angelum. 474. Pleroſque ex noſtris euolare in cælum videt. ibi. Precandi ſtudium, ac mentis illuſtrationes. 475. Dominicę paſſionis inſignia impreſſa in eius corde. 476. Collata poſt mortem beneficia. 477.

Iſabella Caracciola Ioſepho Caracciolo nubit. 183. Mores, virtus, pacta deindè cum viro pudicitia. 184. Regularis diſciplina, & pia mens. 189. Legatis opibus mulierū pudori conſulit. 203.

Iſabellæ Caraſę Cerciæ Duci B. Andreas mortem ſuam, & ipſius regularem diſciplinam prædicit. 215.

Iſabellæ Genuinæ Vrſulę Benincaſæ neptis virtus. 421.

Iſabella Gonzaga Hoſtiliani Princeps Beati Andreæ globulis ſanatur. 217. Collegium fœminarum iuuat ſuo auro. 203.

Iſabella Pignatella Licii moritur. 13. Quid in ea ſepelienda acciderit. ibid.

Iſabella Sabauda, Mutinenſium Princeps rem noſtram Mutinenſem iuuat. 343. Noſtro Ordini ſummè addicta. 358. Sacræ Sindonis effigiem à Patre impetrat. 359. Cuius exemplum Andreæ Caſtaldo donat. ibid. Supremæ neceſſitati concedit. 547. Noſtratum opera in formando ſpiritu vtitur. ibid. Deſcribitur multiplex eius virtus. 548. Alphonſi Ducis commutati mores, & religioſum Inſtitutum Iſabellę precibus tribuenda. 549.

Iſabella Tingula SS. felicitatis, & Irenes pignora Arimini noſtris donat. 130.

Iſidorus Macedonius ſe dat Religioni. 57. Mortuorum ſuffragia publica eloquentia inflammat. 489.

Iudicia eruditorum ſcriptionis norma. 1.

Iulia Agneſia noſtro Inſtituto addictiſſima. 116.

Iulia Brancacia Lauretanæ Virginis veſte noſtros donat: quæ beneficiis claret. 530.

Iulia de Marco deſcribitur. 336. Cœtus inſtituit impuriſſimos. ibid. Truditur in monaſterium Quæſitorum decreto. ibid. Neapoli exulat. 337. Reuertitur, inſtauratque cœtus. ibid. abhorret à noſtris. ibi. A quibus detegitur. 338. Hinc in Theatinos criminationes, ibidem. Sed comperto ſcelere, punitur Iulia cum ſociis. 339.

Iulius Berzettus D. Virgini templum ſtruit

Mu-

Mutinę. 139. Quod noſtro inſtituto addicit. ibid. Noſtrum Inſtitutum capeſſit. Ex morbo abſcedit. 140.
Iulii Cæſaris Salicini Epiſcopi Ariminenſis in noſtros ſtudium, & beneficentia. 127.
Iulius Diotalleu lus D. Philippi Nerli Lipſanis noſtram Eccleſiam Ariminenſem donat. 130.
Iulius Iaſolinus extincti B. Andreę cranium incidit. 219. vnde cruor. ibid.
Iuſtinus Barnaba Clericorum Minorum inſtitutioni deſtinatur. 9. Abit ad meliores. 279.
Iuſtus Pratus Ibericæ miſſioni addicitur. 613. Panormitana lue percuſſos iuuat. 491.

L

LAcedemoniorum regimen mixtum. 11.
Ladiſlaus Card. de Aquino moritur, ſummæ infulæ canditatus. 436. Eius mortem qua conſtantia exceperit Thomas Aquinas germanus frater. ibid.
Laicis fratribus prę clarum documentum à Io. Andrea Afflicto. 91. Eorum ſcrutiniũ inſtituitur. 318.
Lauiniæ Albergatæ pietas. 435.
Laurentius Berna definit viuere. 470. Eloquentiæ facultas. ibid.
Laurentio Card. Blanchetto obiicitur Marcellus Toloſa in ipſo extremo ſpiritu. 25.
Laurentius Felinus diem obit ſuum. 367. Eius eloquentia. ibid.
Laurentius Inurea Sacellum in D. Syri templo exornat. 202.
Laurentius Priolus Card. primarium Lapidem iacit Venetæ noſtræ Eccleſiæ. 25.
Laurentius Scupulus moritur. 277. Probatus ad Lydium ęrumnarum lapidem. 278 Pugnę Spiritualis auctor. ibid. Eius libelli laudes à Iodoco, & Franciſco Sales. ibid. & ſequ.
Laurentius Valente extremum diem claudit. 249. Olim Margaritæ Auſtriacæ à ſecretis. ibid. Inſignis eius virtus deſcribitur. 249. Franciſca Vrſina monialium cœnobium eius conſilio, ac ope iuſtituit. 250.
Lauretana Neapoli domus fundatur. 529.
Excitatur ad Piceni templi formam ędes. ibidem. Quæ Lauretanæ Virginis exuuiis ornatur. ibid.
Lauretana domus. vide Cremona.
Lazarus Caraſinus Epiſc. Nonocomen. D. Abundii coſtulam Cremonenſibus Patribus donat. 271.
Legum Conſtituendarum facultas nulla penes Patrem Generalem. 12.
Leo Pontifex Vndecimus creatur. 166. Breui moritur. ibid. Eius in rem noſtram ſtudium. ibid.
Leonardus Lauredanus inſtitutum capeſſit. 57.
Leonardus Lucenſis ædem Diuæ Mariæ ab Arcu procurat. 41.
Leonardus Onuphrius adoptatur in Ordinẽ 46. Humilitas, & modeſtia, & orationis ſtudium, & pia mors. ibid.
Licii noſtrarum ſedulitas, præcipuè in morientes charitas. 6. Oboritur de ſepeliendis mortuis lis. 13. Dirimitur. ibidem. Mira inibi inter B. Andreæ Apotheoſis ſorias. 505.
Licienſium in noſtros homines beneuolentia. 6.
Lichinetta Centuriona D. Io. Baptiſtę templum noſtris addicit. 64.
Linguarum peritia & vſui, & ornamento. 258.
Lis Genuæ oboritur. 21. Et Baroli de domicilio. 32. Quæ componitur P. Generalis beneuolentia. 32. Et Licii de reliquiis D. Irenes, & de corpore D. Hireniæ. 168. iterum Genuæ. 137. Et tertiò. 176.
Literæ Apoſtolicę Sixti Quinti de Præpoſito Generali eligendo. 3.
Literæ Vrbani Pont. Octaui ad Georgianos Principes. 576. & deinceps. Aliæ ad Theimurazium, & Metropolitam. 604.
Literas B. Andreæ plurimi faciunt matronæ, & viri principes. 221.
Lucius Sanſeuerinus, Archiepiſcopus Salernitanus. poſtea Card. Hieronymum Pignatellum hortatur, vt Epiſcopi onus ſuſcipiat. 365. Commendatur. 424.
Lucretia Mannella quàm in noſtros munifica. 36.
Lucretia Palaotta laudatur. 130.
Ludouicus Antinorus piè moritur. 273. Genus, ſtudia, vita auſterior, & in extrema ægritudine virtus. 274. & deinceps.
Ludouicus Antinorus iunior Pauli Toloſæ Cineres decentiùs condit. 424.

Lu-

Ludouicus Perſichellus Cremonæ moritur, 416. Perſtringitur,eius virtus. ibid.
Ludouicus Thomaſius publicè vouet. 57. Romæ moritur. 368. A Pontificiis concionibus. ibidem. Eloquentia, & modeſtia. ibid.

M

MAgiſtratus temporarius, an perpetuus potior. 30.
Magiſtri nouitiorum partes. 356.
Malachias Gurielis Patriarcha noſtros in Gurielem euocat. 632. Sedem iis conſtituit. ibid. Quæ igne abſumitur Græcorū opera. ibid.
Mancipium noſtris legatur. 244. Quorum ſtudio Chriſtianis ſacris initiatur, ac piè inter ipſos moritur. ibidem.
Mantuę Cœnobium agitatur. 149. Et figitur. 150.
Marcellinus Oda renunciatur Præpoſitus Generalis. 295. Votum de non acceptandis, ambiendiſque honoribus concipit. ibid. Eius in tuenda communi diſciplina curæ ibi. In dicendo efficacia, & vis. 296. Generalatū inſigni modeſtia abdicat. 352 Licii moritur. 545.
Marcellus Megalius publica emittit vota. 57.
Marcellus Pignatellus Epiſc. Æſinus creatur. 384. Vita fungitur. 459.
Marci Antonii Caretti Melfienſium Principis cineres transferuntur Neapolim in Paulinum cœmeterium. 20.
Marcus Magnacerbus creatur Epiſcopus Luceriç. 43. Eius curæ. ibid. Moritur. ibid. & 103.
Marcellus Surgentius vita fungitur. 463.
Marcellus Toloſa quanta cum approbatione Liciì declamet. 6. Et Florentię. 33. Domicilium Vicentinum fundat. 62. Definit viuere. 73. Eloquentia, doctrina, mores, lucubrationes. 74.
Marcus Paleſcandalus in monialium inſpectione Neapoli deſudat. 32. Illarum reformationi inſiſtit. ibid. A confeſsionibus Petri Card. Aldobrandini, qua modeſtiæ laude. 123. Cum Card. Aldobrandino Rauennam concedit. 167. Eius inibi ſtudia. ibid. Inuehitur in Latifundium Panormitanum. 355. Pontificem ſemel, ac iterum ea de re interpellat. ibid. Rei conficiendæ deſtinatur ipſemet. 356. Negotio inſiſtit, re tamen infecta. 357. Ab humanis excedit. 463. Penè ab incunabulis Cleric. Reg. ibid. Ingenium, & doctrinarum adiumenta. 464. Virtus ab Auellini ſchola ibid. Prudentia, zelus, 465. Commendatur à Paulo V. 466. Cardinalis Aldobrandini, & Baronii de eo teſtimonia. ibid.
Margarita Aldobrandina Parmæ Duciſſa noſtrum Inſtitutum Parmæ excipit. 542.
Margarita Auſtriaca è Diſcalceatis monialibus Theatinæ rei Matriti fauet. 455. Eligitur mirè Dei ſponſa. ibid. Placido Mirto addictiſsima. ibid.
Margarita Carma Chriſti Domini Sindonem Sabaudæ domui addicit, miraculo monita. 358.
Margarita Caſalia piiſsima fœmina. 155.
Margarita Gonzaga Mantuę noſtro inſtituto ſedem tribuit. 150. Clariſſarum gynæcēum inſtituit. 151. Syluii Bruni opera vtitur in eo formando. ibid. Et in ſuę animę momentis. ibid. Ferrarienſi domicilio ſauet. 374. Quid de Marcello Toloſa, 74.
Margaritæ Sabaudæ humeris effertur Anthææ corpus. 39.
D. Mariæ Angelorum Neapoli templum noucndiali Virginei puerperii ſolennitate celebratur. 302. Abſoluitur Eccleſia, 269. Cœpta diuinis officiis celebrari. ibid. D. Caroli Borromęi reliquiæ eò transferuntur inſigni pompa.
D. Mariç ab Arcu propè Neapolim ædes. 48. Creſcit illi à miraculo nomen. ibidem. Quę ad illam celebritas, ibid. Deſtinatur noſtro inſtituto. 41. Renuunt noſtri. ibid. Eliſæi Nardini ad Pontificem ea ſuper re oratio. ibidem. Tribuitur Dominicanis Patribus ędes. ibid.
S. Mariæ in Capuani agri Oppido dimittitur domicilium. 354.
D. Mariæ à Catena templum, Siciliæ Regū opus 133. Eius conſtruendi occaſio. ibid. Deſcribitur. ibid. In illud apud Panormitanos religio. ibid. Dimittitur à noſtris. 16. Reſumitur. ibid.
Mariç Rangoniæ in noſtros beneuolentia. 343.
Maria Sabauda in Anteæ exequiis humeros commodat. 39.
Maria Franciſca Caſtalda B. Andreæ baculo curatur. 237. Quę in morbum nouo mi-

miraculo relabitur,& curatur. ibidem. De B.Andreę virtutibus, & miris non ſine miraculo pro teſtimonio dicit.449.
Maria Ioanna Villana ſpiritum ponit in ſapientiæ monaſterio. 125.Eius mores ſcribendi ad cęlites epiſtolas.ibidem. Pro ea certant D.Franciſcus, & D.Thomas Aquinas. ibid.
Maria Magdalena Caraſa, olim Dux Andriæ in monaſterio Sapientię piè moritur 314. Eius vitam Io. Baptiſta Caſtaldus deſcripſit. ibidem. Natales, parentes. Puellæ pietas,& in pauperes charitas.315 In monaſterio educatio. ibidem. Andriæ Duci in matrimonium collocatur. ibid. Eius in matrimonio mores. 316. Inter charitas ipſas pietas.ibid. Carnis afflictatio,preces myſteriorum vſurpatio. 317. exercetur aduerſis.ibid. Viri caſum qua conſtantia pertulit. ibid. Eiuſdem pœnitentiam in ſupremo rerum articulo impetrat.318. Viduam agit inſigni cum laude.319. Filios, ac familiam ſanctè inſtituit. ibid. In regendis populis prudentia. ibid. In Euchariſtiam deuotio. 320. Et in Dominicam paſſionem, & in Dei matrem.ibid. Garganum montem qua religione adit. 321. In affligando corpore contentio. 322. in Egenos, atq. ægrotos charitas.322. Fami, ac ſiti ciuiū cõſulit,nõ ſine admiratione.ibi.Monaſteriū cogitat,&ingreditur.324.Quid in ipſo aditu acciderit & in tyrocinio pugna. ibidem. Eius inter ſanctimoniales virtus. 326.Veli obtegendo vultui quàm tenax. ibid. Humilitas, preces, charitas, ſcrupuli. 327. Patiendi ſtudium, moriendi deſiderium. ibid De eius gloria teſtimonium.329.
Marianus Agliata concedit fato .536. Eius in populari lue charitas,& reliqua virtus. ibid.
Martinus de Cardenas Puteolanus Epiſc. noſtratum opera vtitur in erudienda Diœceſi. 335.
Martiæ Carneſecchæ in noſtros liberalitas. 36.
Martiæ Palmeriæ virtus.409. Virginitatem in matrimonio vouet.ibid.Orationis efficacia,& in dæmones vis.ibid.
D.Martius Solitarius.199.Eius reliquiæ, & catena in D.Pauli Lipſanotheca. ibid.
Martyrum corpora Neapolitano D. Pauli templo addicit Io. Baptiſta Caſtaldus. 341. Quæ ſolenni ritu exponuntur. ibidem.
Maſona ſuburbana Bergomi domus.85.Dimittitur poſt decennium. ibid.
Maſſæ Principum B. Andreæ ſacellum in S.Syri templo.202.
Matriti ſolennia de B.Andreę apotheoſi inſtituuntur.506.
Matthæus Bencius vita fungitur.47.Genus, educatio, ſtudia, ibidem. Qua mora de Religione deliberat.48. Qua arte miſſionem à Cardinali Madrucio petit. ibid. Eius in tyrocinio progreſſiones. 49. Priuatim religionis vota nuncupat. ibidem. Charitas & manſuetudo.50.Prudentia. 51. Eius in fingenda aliorum indole ſolertia. ibidem. Fulienſes monachos inſtruit.52. In regendis domibus ſedulitas. ibid. Humilitas. ibid. Votum de Eccleſiaſticis dignitatibus non acceptandis. ibid.Paupertas, orandi ſtudium,verborū efficacitas. 53. Nominatur cum duobus aliis ad ſummum Congregationis regimen.4.Modeſtia in munere deprecando. ibid. Mortem ſibi prænunciat.53. Cupit die D.Bernardo ſacra mortem obire. & impetrat.54.Morienti adfuere è cœlo noſtri homines.ibid. Populorum frequentia in funere. ib dem. Columba ad eius exequias. ibid. Apparet ſororibus. 52. & 53.
Matthæus Corſus noſtros excipit Siracuſis 261.
Matthæus Cudner vita fungitur.346. Eius animi partes. ibid.
Matthæus Florenus in Georgiam mittitur. 613.diem obit ſuum.617.
Matthæus Sanctomangus Iſabellam Barilẽ in ſpiritu regit. 471. A qua mirè curatur. 475.Eius monitu epiſtolas reperit, quas purat excidiſſe. 476.
Mauritius Card. Sabaudus habitu Marianã Seruitutem profitetur.120.
Maximus Gratiolus ſpiritū ponit. 171. Eius mores,& virtus, ibid. & deinceps.
Meſſanæ fundatur Colonia. 193.Vrbis laudes. ibidem. Dux Feriæ negotio fauet. ibidem.Meſſanenſium ardor, & liberalitas. 194.
Michael Ayoſſa dat Religioni nomen. 57. Neapoli moritur.420. literarum ſtudia, & eloquentia. ibid.
Michael à Conſulibus Epiſcopus Soranus. 203. Eius ſtudia,& pietas. ibid.

Mi-

Michael Angelus Campanarius alteram Genuenſem domum oppugnat.483. In illum à noſtris beneficia.ibid.

Michael Ghiſlerius aliquid operæ in fundando Collegio de propaganda fide ponit.458.

Michael Priulus Epiſcopus Vicentinus ſigi Vicentiæ noſtratum domicilium curat. 62.

Miſsio in Georgiam inſtituitur, 570. Augetur altera Patrum deſtinatione.600. Et tertia. 631. Et Quarta. ibid.

Miſſiones à noſtris Neapoli, Herculani, Surrenti,& in Vici Æquenſis diœceſi. 339. Quo fructu, & Cardinalis Boncompagni approbatione, ibid.

Miſſionarii ex noſtris in Orientalem Iberiam deſtinantur. 570. Inſtruuntur Romæ monitis,ac facultatibus.573,& deinceps, Siracuſas appellunt non ſine operæ fructu.581. Melitæ humaniter excipiuntur. ibid. Strenuam inibi in monialibus erudiendis operam ponunt. 582. Nicolaus à Marra Prior fauet noſtris. 583. Et Amponius Commendator. ibid. Atrox in eos procella Conſtantinopoli.587. Reuertuntur in Italiam. 589. Iterum iter in Orientem. 590. Excipiuntur perhumanite in Alingia à Dominicanis Patribus. 593. Erauane ærumnę.ibid. In Georgiam perueniunt. 594. Regem inuiſunt. 596. AEgrotis dant operam, & Reginam curant.598. In rem animorum incumbunt. ibid In altera expeditione à Turcis Sycophantia. 614. Grauis in itinere ærũna. 615. Quam Galli medici ope eluctantur. ibidem. A viatoribus impetus, & direptio.616 Et à Theimurazio Goride moleſtiæ, ibid.

Mixtum ex Ariſtocratia, & Monarchia regimen commendatur. 11.

Monarchia perfectiſſimum rectionis genus. 2. in Ordinem inducitur. ibid. In conſultationem venit apud noſtros iuſſu Clementis Octaui. 29. Sed continuatur. ibid.

Monaſteriũ fœminarum libati pudoris Neapoli inſtituitur.303. Quid in eo præfracti ingenii fœminæ acciderit.304. Eccleſia à Scipione Card.Burgheſio illis conceditur ibid. Eiusmodi proſtitutarum monaſteria curantur à noſtris Patauii, Venetii s, Neapoli. 563.

Moniales excipiendis confeſſionibus noſtros poſtulant Genuæ, Neapoli, Mantuę 389.

Montes mortuorum à noſtris primo excitantur. 394. Bitunti,& Neapoli.395. Quid inde fructus. 394.

Mons Miſericordiæ Neapoli inſtituitur.118. Pręclara illi à Hieronymo Pignatello appendix in inſula AEnaria. ibid.

Morales ſcholæ inſtituuntur. 387. Quàm noſtro Inſtituto conſentaneum. ibid.

Morbi à Religioſis viris haud delicatiùs curandi. 47. Quid ea de re Andreas Auellinus. ibid.

Mortuorum ſuffragia Florentię inſtituuntur à Lotharingia magna Duce.35. Quàm antiqua hæc pietas, ibid. Dilatantur per Ordinem emortuales preces. ibid. Romæ præſertim à Conſtantia Barberina in noſtrũ D. Andreę templum inuehuntur. ibid. & 484. Et Neapoli in Paulino templo celebrantur. 484.

Mortuorum Montes à noſtris. 394.

Moura Georgianus infonſus Perſis. 593.

Mulierum Proſtitutarum monaſteria noſtri curant. 303.

Munacciaro Colchorum Principi quid venando acciderit. 561.

Muſicæ laudes,& bona. 111. Quàm conſentanea ſacræ Euchariſtiæ. 112. In noſtris olim Eccleſiis nulla. 111. Inducitur. ibid. Quando in communem Eccleſiam inuecta. 111.

Mutinæ excitatur domicilium. 138. AEdes Mariana à Paradiſo noſtris tribuitur. 139. mutatur ſitus, & in D. Vincentii immigrant, 343. Sanctiores in ea Eccleſia à noſtris cœtus. 344. Qua ſi uge animorũ. ibidem. Debetur iis Alphonſi Ducis mutatio. ibid.

N

NAtum Siciliæ oppidum noſtro Ordini domicilium offert, 260.

Neapolitana Ciuitas ad Conceptæ Virginis Imaginem vota concipit præſenti ope. & fructu. 540.

Neapolitani Patronum Vrbis dicunt Beatũ Andream Auellinum. 514. Conſignatis publicis tabulis, quæ recitantur. ibidem. Prænunciatur hoc patrocinium. 517. Lis cum Patricianis Virginibus de nono Patrocinii loco. 318. Transferuntur B. Andreę Lipſana ad templum maximum,

col-

collocanda inter reliquos Vrbis tutelares.ibid. Supplicationis ritus,& pompa. 519
Neapoli quarta agitatur domus.527. In D. Ioannis Maioris templum noſtri colliſeant.528. Succeſſu res caruit. ibidem. Et in Lauretanum cœnobium incumbunt.529.
Nepotianus laudatur à D.Hieronymo à tēpli munditie.110.
Nereus Ardinghellus Theatini nominis ſtudioſus.36.
Nicephorus Herbacius Georgiani Regis Legatus. 583. Noſtratum in illum officia. Meſſanę,Neapoli,Genuæ,Marriti,Romæ, & alibi.583. & deinceps. Gotidem reuertitur.598.
Nicolaus Antonius Spinellus publica emittit vota.107. Epiſcopus deindè Alexani. 296.
Nicolaus Caleſinus Stultoſapiens.123.Eius virtus. ibid.
D.Nicolai cœnobium Veronæ fundatur. 102. Oboriuntur lites, quæ dirimuntur. 103.
Nicolaus Puſcatus Cardieſes Infulas recuſat.173.
Nicolaus Lomelinus adſcribitur inter noſtros,145. Multiplex eius virtus.ibidem. In ipſo tyrocinio moritur.146.
Nicolaus à Marra Melitę noſtros excipit.613 qui paulò poſt moritur. ibidem. Poſthuma eius in noſtros beneficentia.614.
Nicolaus Stalburges in ruralibus Genuenſis Diœceſis Eccleſiis operam ponit.394.
Nicolaus Tutius Vicarius Generalis Genuæ breues Sixti V. literis de Præpoſito Generali eligendo Patribus tradit.4.
Nicolaus Zecca extremum diem claudit. 55. Solitudinis perſtudioſus.ibid.In B.Virginem pietas,lachrymę,humilitas,in miſſæ ſacrificium veneratio, & communis vita.ibid.
Nicoſia Siciliæ oppidum noſtram familiam expetit.260. Caruere ſucceſſu vota. 261.
Nola Ciuitas Patronum ſibi B. Andream adoptat.520.
Nouendiales in honorem Virginei partus feriæ celebrantur in SS. Apoſtolorum templo.301, Earum origo.ibidem. Ex Sicilia Neapolim inuectæ.302. Eadem in D.Mariæ Angelorum templo celebritas. ibid.
Nouitiorum recipiendorum, atque educandorum ratio.256. & 296. Eorum Magiſtri quales eſſe debeant.ibid.Vacent literis nouitii. 257. Nouitii Laici olim cum Clericis educabantur. 258. Scitum deindè, vt ſeorſim educentur.ibidem. Non ante quinquennium ad habitum admittantur.ibid.

O

OBlatæ Matris Dei Romæ, 121. Confeſſarium è Theatino Ordine poſtulāt, ibid. Voti minimè compotes. 122.
Octauius Aragonius rei noſtræ Meſſanenſi adeſt beneuolè. 194.
Octauius Serra Neapoli Lauretanæ domui adeſt munificentia. 530.
Oliuellæ Patres noſtros excipiunt Panormi. 131.
Olympia Palmeria ex Vrſulæ Benincaſæ diſciplina.410. Solitudo, preces, in Euchariſtiam religio.ibid.
Opes eleemoſynis creſcunt.69.
Optimi quique Principatum adminiſtrent.5
Oratorium à Conuerſione peccatorum appellatum, Neapoli inſtituitur. 330. Noſtratum clientelam poſtulat. 331. Exercitia,& fructus.ibid. Fruſtra oppugnatur. 332. Probat Card.Carafa. 333. Qui illorum operam ſuburbiis deſtinat.ibidem. Cenſu auget Chriſoſtoma Caracciola. 334. Georgii de Afflicto in eo ſedulitas. ibid. Excurrit ad vicina etiam oppida ea charitas.335. Bernardi Saraceni in eo Oratorio nauitas.ibid.
Oratorium,quod à diſciplina nuncupatur,à noſtris Mutinę regitur. 344. Qui animorum in eo motus. ibid.
Ordinis Minorum Patres hoſpitio noſtros excipiunt Siracuſis.261.
Organi ſonus ab Vrſulæ Benincaſæ pectore. 401.
Oſuualdi Vigormienſis Epiſcopi exequias columba circumuolitat.54.

P

PAcifici Capuccini de Mariæ Magdalenæ Andriæ olim Ducis gloria. 329.
Pallę vſus in miſſę ſacrificio Siracuſis noſtris obiicitur.389. Propugnatur per antiquam conſuetudo. 390. Inducta à noſtris Conditoribus palla. ibid. Quinam illa vſi aliquando ſunt viri præcipui.ibid. A Cardinali Baronio teſtimonium.391. Commoda ab ea palla.ibid.Græci duplicem vſurparunt pallam.ibi. Non eſt contra Pii V.

Oooo de-

decreta.392. Quid ſignificet palla. ibid.
Panormi cœnobium fundatur.131. Conſilium iuuant Terranouæ Duces. ibidem. Quorum ſtudio tribuitur noſtris D.Mariæ à Catena templum. 134. Altera inibi initur ædes,D.Ioſepho Sacra.134.Agente Io.Dominico Iacobino.ibidem. Qui mox ad noſtros aggregatur.136. Transfertur ad D.Ioſephi Euchariſtia ſolenni ritu.135 In ea Eccleſia fundanda lis.302. Dirimitur ab Oſſunenſium Duce,& iacitur inſigni pompa primarius lapis. ibidem. Deſcribitur templi magnificentia. ibid.
Panormi legatur noſtris Figaraſſarum prædiū.354. In eo diuendendo diū, ac fruſtra laborant Patres.357.
Panormi graſſatur peſtilentia.490. Inuoluitur ea Lue Filibertus Sabaudus,ibidem. Inſeruiendis ęgroris offerunt ſe ſe certatim noſtri. ibid. Ex quibus alii percuſſi, alii abſumpti.492 Propulſando malo indicitur ſupplicatio ad D. Mariæ à Catena.ibid. Noſtratum in ea Eccleſia ſtudia. ibid. Communi egeſtati noſtri conſulunt. 493.Petri Gueuaræ in eo rerum diſcrimine prouidentia,ibid.Panormitanus Senatus noſtratium charitatem remuneratur ibi, Et de eorum ſedulitate teſtimonium. ibid.
Panormi de publico B. Andreæ cultu lætitia.502.Eligitur Ciuitatis Patronus.503, Celebrandæ anniuerſariæ eius memoriæ aonua centum aureorum penſio ab eo Senatu decernitur.493.
Parmæ ſedem noſtri figunt, agente Cardinali Aldobrandino. 541. Et annuente Parmenſi Duciſſa. 542.Loci poſſeſſionem init Vincentius Riccardus,ibid.Noſtratiū inibi ſeduliras.ibid.In D. Chriſtinæ transferuntur. ibid.
Patauii collata à B. Andrea beneficia in ſolenni eius Apotheoſi.505.
Patentes literę Georgianæ miſſionis Patribus dantur.572.
Patronus Neapolitanæ Vrbis eligitur B.Andreas Auellinus ſoleoni ritu,514. Controuerſia cum D. Patriciæ monialibus de nono patrocinii loco. 518. Ad principis templi ſacellum, reliquis Tutelaribus ſacrum,transferuntur inſigni cultu eius reliquię.519.Patronus itidem Caſtronoui eligitur B.Andreas.520. Et Bituntinæ Ciuitatis.ibid. Et Nolanæ, & Caprearum, ibid. Et Vici Æquenſis, & Coſentiæ, & Capuæ,521. Et totius Siciliæ.523. & Ciuitatis Platiæ 524.
Pauimenta Eccleſiarum verrendi vſus apud noſtros.112. Confirmatur à vetuſtate. ibid.
Pauimentum Eccleſiarum ſanctum vocatur ab Ambroſio. 113.
D. Paulinus emundare templa cupit,112.
Paulus Areſius Derthonenſis Epiſcopus renunciatur.428. Quo ſenſu. ibid, Eius ingenii in adoleſcentia ſpecimen, ibidem. Pauli Mariæ Ardizzoni de eius acumine iudicium,429. Eruditio, & in dicendo facultas.ibi. Artem cōcionādi euulgat.ibid. Enumerantur eius ingenii monumenta. 430Humilitas,Comitas,abſtinentia, pietas.431. Eius in Epiſcopatu curæ. 432. Graſſante lue,& bello charitas.ibid.Dicit pro concione, cùm primùm noua initur Eccleſia à noſtris Placentiæ. 97.
Pauli de Aretio ab inuento eius corpore ſanctimoniæ fama excitatur. 507. Ab eius lipſanis mira.ibid.De eius virtutibus conficiuntur ritè acta. ibid.
Paulus Caluinus fracto crure, mox curatur B.Andreæ ope 236.
Paulus Card.Sfondratus noſtri Ordinis ſtudioſus.271. Eius ad Genuenſem Senatum literæ in Theatinæ rei commendationem.21.
Paulus Maſius Marianum Vicentiæ Sodalitium regit.97.Quæ id loci pietas.ibid.
Paulus Palumbus Ordini aſcribitur. 57. Dicitur Epiſcopus Veſtanus, poſtea Caſſanenſis,poſtremò Arianenſis. 365. Rem noſtram Coſentinam iuuat. 481.
Paulus Philamarinus Mantuanum cœnobium fundat. 150. Inauguratus Ioſulis Caiacenſibus,moritur.384.
Paulus Pignatellus eligitur generalium comitiorum Præſes, 80.E vita migrat. 104. Ejus virtus 105.
Paulus Quintus renunciatur Pontifex.167. Nomen à Paulo IV. ibid. Theatinę rei ſtudioſus.ibi. Theatinæ paupertati cauet, 455.Diē claudit ſuū.434. Eius in noſtros beneuolentia. ibid. In noſtra D. Siluestri Eccleſia epiſcopos conſecrat. ibid.
Pauli IV. Pontificis de Clementis Octaui Pontificatu prędictio.28.
Paulus Toloſa Genuæ ſuburbanum domicilium fundat.64. Bononiæ cum laude declamat 92. Romæ aono ſacro palmam omnibus præripit.99. Cardinalem Aldobrandinum in Galliam Legatum comitatur 100. Lugduni coram Gallię Regibus de-

declamat, ibid. Quid de eo Petrus Matthæus.ibi. Eius ductu Euphroſyna à Sylua monaſterium SS. Trinitatis fundat.108. Deſtinatur Eccleſiæ Bouinenſi. 108. Renuit.ibid. Eius Bouini ſtudia, & conciones.109. Adoleſcentum Seminarium excitat. ibid. Ad Sabaudum Nuntius. 137. Conualeſcit D. Caroli ope. ibid. E Bouinenſi ad Theatinam Cathedram tranſit. 365. Quo Bouinenſium ſenſu. ibid. Deſinit viuere.423. Probatur eius caſtimonia ibid. B. Andreę percarus. & ab eo illecebræ ibid. Qui primus Auellinum pro concione laudauerit, Toloſa fuit, idem. In pauperes charitas. 423. Morti ſe comparat.ibid. Theate Neapolim traſfertur corpus, ac tumulo cohoneſtatur.424.

Paulus Tufus vita fungitur.45. Mores, doctrina, eloquentia, ibid. A Greogrio XIV. Cremonam mittitur, vt in principe templo declamet.ibid.

D. Pauli templum Neapoli conſecratur 140. Inſignes in eo reliquiæ. 190. Pleriſq. Diuorum Martyrum corporibus augetur. 341. Et Chriſti Domini Sindone. 360. Exornatur à Spinellis in B. Andreę Apotheoſi. 504. Inſtituuntur in eo mortuorũ ſuffragia. 489. Et mortuorum Sodalitiũ, ibidem.

Paupertas Theatina quantum detrimenti capiat vel à breui bonorũ poſſeſſione. 14. Luculentum eiuſmodi teſtimonium Licii. ibid.

Paupertati Maiores noſtri cauent in diſtrahendo Panormitano Latifundio. 354.

Perſæ Georgiam vaſtant. 618.

Perſicæ arboris, à B. Andrea conſitæ Roſarium, & mira.234.

Perufinum cœnobium ſucceſſu caret.61.

Peſtilentia Panormi graſſatur. 490. Vide Panormus.

Petrus Aloyſius Carafa vota in Quirinali domo nuncupat, 554. A ſacra eloquentia cõmendatur. ibi. Creatur Epiſcopus Tricaricenſis.ibi, Charitas in pauperes.ibi. In Neapolitanis turbis ſedulitas. ibid. Inſcriptum illi à Canonicis elogium. 555.

Petrus Antonius Garganus deſinit viuere. 276. Diſciplinæ in eo zelus, & reliqua virtutum ornamenta. 277.

Petrus Antonius de Ponte adſcribitur inter Clericos Regulares. 57. Troianis Infulis inauguratur. 222. Doctrina, & eloquentia, ibid. Ad Ferdinandum Archiducem Nuntius. 203.

Petrus Auitabilis fidei propagandę ſtudio flagrat.566. Dat Religioni nomen. ibid. Bernardino Sinopolitano fidei dilatandæ deſiderium aperit. 367. Socios expeditionis deſignat.ibid. In Georgiæ Regnũ curas ſuas appellit.569. Eius rei P. Generalem monet.ibid. Et literas ad S. de propaganda fide Congregationem dat.ibid. A qua in Georgiam deſtinatur cum ſociis.570. Obſignatur decretum. ibidem. Renunciatur miſſionis Præfectus. 570. Romam contendit.ibidem. Monita cùm generalia tũ peculiaria à S. Congregatione, 572. & deinceps. Et à Petro à Valle. ibid. Et à Pontifice facultates. 575. Diſcedit Roma.579. Neapoli ægrotat, & conualeſcit.ibid. Meſſanæ mora.580. Melitam ſoluit cum ſociis.581. Moniales Melitæ iuuat. 582. Conſtantinopoli in ipsũ, ac ſocios procella. 587. Reuertitur in Italiam.589. Iterum in Orientem ſoluit.590. Babyloniæ ope Virginis conualeſcit.591. Quid illi cum Calocero in Georgia. 598. Allegatur ad Pontificem à Rege Iberiæ. 600. Pontificem, ac S. Congregationem de gentis moribus docet.601. Quid ab Auguſtis Patribus petierit. 603. Abit ad meliores, 634.

Petrus à Valle Iberiæ Orientalis miſſionem noſtris commendat.568. Inflammatque mirificè Auitabilem, & Iacobum de Stephano.569. S. de propaganda fide Congregationem de eius gentis ſtatu monet. ibid. Monita Auitabili perſcribit. 575.

Petrus Bonſius Florentinę rei fauet. 36.

Petrus Bambellus Florentinam noſtram bibliothecam auget.37.

Petrus Caracciolus creatur Comitiorum Præſes.160.

Petrus Card. Aldobrandinus mittitur Legatus ad Gallum, & Sabaudum.100. in D. Silueſtri domo tabulas teſtamenti conficit.ibid. Rauennatem coloniam poſtulat, ac iuuat, 192. Excedit è viuis.435. Collata ab eo in noſtrũ Ordinem beneficia.

D. Petri Damiani epiſtola de Mariana ſeruitute. 120.

Petrus Emua dat Religioni nomen. 57. Ad Cremenſea Infulas vocatur.296.

Petrus Giardina Georgianæ miſſioni deſtinatur, 632. Eius animi conſtantia. ibid. Sed conſilium ſucceſſu caret. 633.

Petrus Gueuara Religionis vota nuncupat 57. Eius in Panormitana lue prouidentia. 493.

Petrus Matta in alteram transfertur Cathedram. 296.
Petrus Romanus Gregorio XV. carus. 435.
Philippus Bilis creatur Epiſcopus Calienſis. 297.
Philippus Card. Spinellus Policaſtrenſe Sacerdotiū Hilarii Cortoſii fidei committit. 173.
Philippus Doria noſtros hæredes dicit, Panormi. 354.
Philippus Gonzaga adoptatur in Ordinem 252. Genuæ moritur cum omnium deſiderio. ibid. Deſcribitur indoles, 371.
Philippus Hiſpaniarum Rex Tertius puluerem à Diuorum Lipſanis excutit de genu. 113.
D. Philippus Netius quàm acri examine Vrſulam Beniacaſam explorat. 402.
Philippus Sammartinus Marchio Taurinēſi cœnobio adeſt liberaliter. 445.
Philippus Maria Guadagnius in Ordinem cooptatur. 144.
Pinelli Sacellum ex citant Genuę in D. Syri. 202.
Placentiæ noua excitatur Eccleſia, & deſcribitur 97. Eò immigrant ſolenni ritu Patres. ibid. Conſecratur. 98. Conſtruitur inibi domus. ibid.
Placentiæ in ſolenni B. Andreæ Apotheoſi patrata ab eo mira. 505.
Placidus Mirtus ad noſtros aggregatur. 96. Qua conſtantia. ibid. Mortuorum Montem Neapoli in D. Mariæ Angelorum domo excitat. 396. Fundandę Theatinæ coloniæ allegatur in Hiſpaniam. 453. Iter intendit cum Polono Oratore Makouskio. ibid. Ineluctabiles in negotio perficiendo moræ. 454. Studiorum collegia agitat. ibid. Sui opinionem excitat inſigni eloquentia. ibid. Aulam dictione ſuſpendit. ibid. Margaritæ Auſtriacæ percarus. 455. Excitatum à Regina templum petit, ac ſpe cadit. 456.
Placidus Filingerius Senior in Ordinem adſciſcitur. 57. Mantuam legatur à Mediolanenſi Gubernatore, grauiſſimo negotio conficiendo. 307. Margaritæ Gonzagæ percarus. 308. Honores reſpuit. ibid. D. Laurentii templum à Sabaudiæ Duce petit, & impetrat. 443. Ferrarienſem coloniam agitat. 374.
Platienſis domus agitatur. 195. Tribuitur noſtris D. Laurentii ædes, ibid. Eò allegatur Cornelius à Lama. ibid. Noſtratum inibi induſtria, & Oratoria. 194. Diuinæ inibi prouidentiæ ſubſidium. ibid. Platientium beneficentia. 195.
Pœnæ, earumque infligendarum ratio ſtatuitur in comitiis. 439.
Polonica expeditio tentatur ſemel. 456. Et iterum. 457.
Pompeius Card. Arigonius noſtris comitiis adeſt. 147. Eius modeſtia, & ad Patres verba. ibid. Capitulum dimittit. 148.
Præcepta, & cenſuræ noſtris ordinationibus annexa abrogantur. 439.
Præpoſiti Generalis auctoritas definitur. 11. Conſultores tres, qui illi conſilio adſint, conſtituuntur. ibid. P. Generali duplex ſuffragium. ibid. Nulla illi condendi leges facultas, 12. quis illi vitæ cultus. ibidem. Vt communi obſeruantiæ vacet, cauetur. ibid. Inſtituitur eius muneris cenſura. 100
Præſidis auctoritas in Capitulo generali inſtauratur. 80.
Priuilegia noſtris conceſſa. 459. In vnū corpus reducuntur Alexandri Peregrini opera. ibid. Confirmantur à Gregorio XIV. 17. & à Clemente VIII. 39. Habetur eorum delectus. 81. Confirmantur à Paulo Quinto. 294. & à Gregorio XV. 435.
Proſper Farinacius noſtro Ordini addictus. 416. Moritur, & in noſtro Quirinali templo ſepelitur, excitato ſibi viuenti tumulo præclari operis. ibi. Legata noſtris eius bona, & ſcriptorum monumenta, quę luci dantur Zachariæ Paſqualigi opera. 416.
Prouidentia Numinis in noſtris ædificiis. 152 in rem Theatinam proniores curæ. 157.
Platiæ præſens eius ſubſidium. 195. Noſtris Iberiæ peregrinantibus opportuna. 627.
Pudentiana Zagnonia Bononiæ piè moritur 205. Eius ſpiritus rector Syluius Brunus. ibid. Deſcribitur fusè virtus. 206. & deinceps. Funus, & ad tumulum inſcriptio. 212.
Pugna ſpiritualis, compoſitus à Laurentio Scupulo libellus. 278.

Q

QVintinus Antuerpienſis ex fabro ferrario pictor. 400.

R

RAuennæ conſtituitur domus, 192. Ædes ſpiritus Sācti tribuitur noſtris. ibid. Eccleſiæ antiquitas, & ab Epiſcoporum

porũ per columbam electione celebritas. ibid. D.Seueri inibi electio.ibid. Cardinalis Aldobrandinus adeſt conſtituendo domicilio.193. Fauẽt rei Rauennati Cardd. Caietanus, & Vidonus.ibid.

Reliquiæ Diuorum digne veneratione.198. His ditatur Neapolitanum D. Pauli templum.199.

Rhegium Neapolitani Regni Vrbs noſtratũ coloniam poſtulat.269.

Ricciarda Bernia, Mantuana Virgo moritur.412. Ab infantia ſanctimoniæ ſpecimen.ibid. Eius maturius virginitatis votum,& honeſtatis tuendæ ſtudium. 413. Afflictatio. ibid. Diuinis illecebris deſtituitur inſigni tolerantia.414. Scribere nullo præceptore diſcit.ibid. Humilitas, preces,deuotio.ibid. B.Andreæ Auellino addicta. ibid. Dæmonum artes ludit. 415. In ſuprema vita pietas. ibid.

Romanis annui Conſules, non perpetui.30

Romę D.Andreæ templum fundatur. 26.

Romæ Comitia ann.1589.11. & an.1593. 30. Et 1595.58. & 1598.80.& 1601.110 & 1604.147.& 1607.190.& 1612.294. Et 1615.356.& 1618.386.

D.Roſaliæ Lipſana Paulini templi reliquias augent.200.

Roſtuanus nouus Iberiæ Rex.618. Eius in noſtros beneuolentia. ibid.

S

SAlnator Ferrarius Sodalitium Seruorũ Deiparæ inſtituit.263. Eius in formandis moribus facultas. ibid. Quos animorum motus in eo Sodalitio excitare ſolitus erat, ibid. Comparatur D. Vincentio Ferrerio.264. Eius in proximos charitas. 308. Humilitas. 309. In mortis articulo cum communi hoſte luctatur.312. Diuorum aſpectu recreatur.ibid. Moritur cum ſanctimonię fama.ibid. Ab eo poſt obitũ beneficia.ibid.

Sanguis ab extincto B.Andreę corpore vbertim manat.218.

Sannelius Antiſtes ſacram ſupellectilem noſtro Quirinali cœnobio legat.538.

Scandiani Marchio Ferrarienſem noſtri tẽpli ſubſtructionem iuuat.376.

Scipio Spina Epiſcopus Licienſis angularem Lapidem Irenianæ ædis noſtræ iacit.14.

D.Sebaſtiani Genuę gynæceum noſtratum opera ſuis regendis conſcientiis poſtulat. 389.

Secularium cum religioſis viris conuictus regulari diſciplinę quam incommodus. 526.

Seculum alterum noſtri Ordinis, integra regulari obſeruantia.479.

Seraphina Peſſula apud noſtros ſepelitur. 154. Eius virtus.ibid.

Serui D.Virginis inſtituuntur in Vici Æquẽſis vrbe.119. Propagatur Neapoli deuotio, & Panormi,& in Gallia Ciſalpina.ibi Præcipuè Taurini.ibid. Fauent Sabaudię Principes.120. Confirmatur à vetuſtate pietas.ibid. Seruorum Sodalitium Panormi inſtituitur.263. Nomen illi à Sagena. ibid. Quanto cum mortalium fructu id operis exercetur. ibid. Inſignis in eo Sodalitio Deiparæ Imago. 269.

Seruitæ in noſtrum Veronenſe domicilium litem intentant fruſtra.103.

D.Seuerus Columbæ deſignatione Rauennatis Eccleſiæ Antiſtes.192.

Sigiſmundus Rex Poloniæ ad Mandinam Apoſtolicum Nuntium ſcribit. 70.

Silueſter Afflictus vota concipit.552. Euehitur ad Inſulas. Antiſtitis partes implet. ibid.

Silueſter Sclaueta fundandæ Coſentinę domui deſtinatur.481.

Silueſter Tuſus id Venetiis euincit,vt S.Andreę moniales vota nuncupent.7. Capuæ Sacrarum Virginum collegii inſtitutionem iuuat.65. Epiſcopus Motulenſis. 71. Moritur.103. Eius humilitas.ibid. In Epiſcopatu curæ.104.

Sindon Chriſti Domini Sabaudis Principibus addicitur. 358. Seruatur mirè ab igne.359. Eius exemplar D.Pauli templo donatur. 360.

Siracuſas euocantur noſtri.261. Hieronymi Stincæ ad Siracuſanos oratio. ibidem. Tribuitur noſtræ familię ſitus percommodus. 262. Intentatur lis de loci ſitu. ibid. Panormi dirimitur.ibid. Fauent Religioſi homines noſtris.ibid. Quàm læta huiuſce domus incrementa. 262.

Simeon Caraſa vota nuncupat.297. Archiepiſcopus poſtea Materanus,& Meſſanenſis. ibid.

Simeon Raus ſanitati mirè reſtituitur,Beati Andreę ope.236.

Sixtus Quintus nouum in Ordinem regimẽ inuehit.3. Moritur.15. Laudatur.ibidem, Noſtro Inſtituto benificus. ibid. In Alexãdri Card Montalti purpura noſtris ſuperſtes.ibid.

So.

Sodalitium D.Hieronymi Aſini in noſtri re gunt 131.
Sodalitia à noſtris Licii 6. Qui in ijs floruẽ rint virtutum fama.ibid.
Sodalitiũ ſub auguſtiſſimæ Eucharistiæ auſpiciis, ac nomenclatione Genuæ inſtituitur.271. Quæ inde in venerabile Sacramentum pietas,& cultus. 272.
Stephanus Mariana Neapoli moritur. 511. Perſtringitur viri virtus. ibid.
Stephani Pepe dictio extemporanea,a c frugifera.345.
Stephanus Quarāta ſolenni ritu vouet. 552. Studia,munera,Inſulæ.ibid. In Inſulis curæ.553. Inſcriptum illi marmor Canonici ponunt.ibid.
Stephanus Sanctinus in tyrociniis moderãdis cùm primis verſatus. 439. Nouitiorũ inſtitutio,ab eo conſcripta in morem inducitur. ibid.
Stephanus Solis Caſtelblancus creatur Epiſcopus Sarneſis. Eius in ſuæ Eccleſiæ cõmodum curæ,atque operum monumenta.ibid.
Stephanus Spinola Epiſcopus Albintimeliẽſis.138.
Studiis leges præſcribuntur.a 56.
Surrentũ euocantur noſtri homines. 197. Vrbis laudes libatę.196. S.Antonini ędes noſtro Inſtituto tribuitur. 197. Eius Diui in dæmones vis. ibid. Mirabilia in eius templo.ibid.
Syluius Antonianus Pontificis iuſſu comitia adit.58. Quid Patribus ſignificat.ibid.
Syluius Brunus deſinit viuere.367. Mantuanis Principibus,ac reliquis commendatiſſimus. ibid. Bononiam figendæ domui mittitur.93. Pudentianæ *Zagnoniæ* ſanctimoniam,ac mores regit. 205, & deinceps. A Margaritæ Ferrarię Ducis confeſſionibus.150. Mantuanum Clariſſarum gynæceum curat,151.
D.Syri Eccleſia Genuæ corruit, & à fundo excitatur.200. Martyrum Lipſanis augetur. 342. Quæ transferuntur ſolenni cultu.ibid. Eam Eccleſiam Monachi olim incoluere.9. Qui abſcedunt 20. Quo tempore conſecratum Templum. 11.

T

TAurinenſe domicilium agitatur. 441. Quod vrget Cardinalis Mauritius. ibi. Infantis Catharinæ in eo fundando curę. ibid. Taurinum adeunt Dionyſius Denti ce,& Caietanus Coſſus.442. D. Pauli eccleſiam ineunt. ibid. Tùm ad Diui Michaelis transferuntur. ibi. Mox in SS.Trinitatis templum.443. Demùm D. Laurentii eccleſia ab Amedęo Duce Clericis Regularibus excitatur.443. Quæ fundatur ſolẽni ritu.444. Et à Sabaudiæ Principibus celębratur,ibid. Excitatur in ea Sodalitium Seruorum D.Virginis.ibid. Et alterum à bona morte nuncupatum.ibid.
Templarii qui olim fuerint. 270.
Teramus Caſtellus Ibericæ miſſionis ſtudio flagrat.612. Procurationi animorum vacat.ibid. Dat Congregationi nomen.613 Vide Gregorius.
Theimurazins Georgiæ Princeps ſuis terris pellitur. 595. Eius mater morte afficitur. 596. Regnum recuperat.ibid. Eius cultus 609. Noſtros laudat.ibi. Alteram in Georgia coloniam fundari cupit.ibi. Alia poſtmodum in noſtros indoles, 616. Sedat auaritiæ pœnas ibid.
Theodorus Albertinus Iſabellæ Barilis pietatis rector. 471.
Theodoſius Apicella Bergomenſe domiciliũ inuiſit.83.
Theologiæ moralis facultas quàm neceſſaria.a 56. Eius ſcholæ pręcipiuntur.ibid.
Thomas de Afflicto adoptatur à noſtris.144
Thomas Aquinas vota nuncupat. 107. Eius in Cardinalis fratris morte æquanimitas. 436. Indoles,atq. in ęrũnis patientia. 437. Eligitur Capituli generalis Præſes. 438.
Thomas Bargonus ſeucrioris vir diſciplinæ fato concedit. 546.
Thomas Brancia piè moritur; 213. Multiplex eius virtus narratur. ibid.
Thomas Caracciolus dat Cõgregationi nomen. 351. Exploratur cum laude conſtantiæ propoſitum.ibid. poſtea Epiſcopus Cyrenenſis, & Archiepiſcopus Tarentinus. ibid. Flagrante Panormi peſtilentia, offert ſe ſe decumbentium miniſterio.491. Qua arte luditur eius ardor, ibid.
Thomas Carpineus ab Alphonſo Mutinenſium Duce de ſuſcipiendo religioſo Inſtituto conſulitur. 550. Eius in Mutinenſi Oratorio vis dicendi.345.
Thomas Gueuara Panormitanum domicilium fundat.132. præficitur alteri mox D. Ioſephi domui.136. Meſſanenſem item coloniam ſtatuit. 194. Eius in B. Andreæ ſtudium excitatur.299. Vita fungitur.382 Eius virtus. ibid.
Thomas Guindatius B. Andreæ ſanctitatem

tem puer enunciat.217. Eloquentia, & literarum ſtudia.ibid.
Thomas Lomellinus D.Syri templi excdificationem iuuat.201. Sacellum in eo ſplendidè conſtruit.202.
Thomas à Montibus renunciatur Epiſcopus Cotronenſis. 81. Eius in ea Sede nauitas. ibid. Moritur.204.
Thomas Muſcottola piè moritur.417.
Thomas Pelliccionus ſe dat Congregationi, 144 Ingenium.ibid. Religioſi Inſtituti mētem induit Andreæ Auellini adhortamentis.ibid.
Thomas Perronus vitç ſāctimonia inſignis.7
Thomas Sanfelicius Montiſpeluſii Epiſcopus 421.
Turris à ſpeculis,religioſiſſimum Romæ gynæcēum.121.

V

VAlerii Pagani D. Pauli templi reliquias inſigni auctario cumulat.599.
Vbaldus Pellizzarius piè moritur, 346. Andreæ Caſtaldi de eius obitu epiſtola. ibid. Deſcribitur eius virtus.347. Quędam poſt obitum ab eo beneficia. 348.
Venetiis nouum fundatur templum.25. Iacitur ſolenni ritu primus lapis à Card.Priulo ibid. In ea exædificatione diuinæ iuſtitiæ exemplum. ibid. Et diuinæ prouidentiæ. ibid.Conſecratur à Ioanne Zane Patriarcha templum.26.
Venetiis D.Andreæ moniales ſolennia vota nuncupant noſtratum opera. 7.
Veronam euocantur noſtri à Cardinali Valerio. 23. Fixum olim in ea Ciuitate domicilium. 22. Cur poſtea Patres deſeruerint, 23. Redeunt.24. Tribuitur iis ædes Deiparæ à Glarea.ibid.Concinnatur domus, ac templum Valerii Card.ære.ibid.Quàm munificè.ibid. Adeuntibus Patribus facultatē penè Epiſcopalem cōcedit Cardinalis.ibi. Mariana à Glarea domus in examen reuocatur.& retinetur.102.
Vicarii domorum Capituli conſulto inducūtur.190.
Vicentiæ Marianum Sodalitium in fidem ac cipiunt noſtri.97.
Vicentini noſtrum Ordinem petunt.62.præcipuè Gens Thienæa.ibid.Et Michael Priulus Epiſcopus.ibid. Deſtinatur D. Stephani Eccleſia, ibi.Marcelli Toloſæ in fundanda ea domo labores. 63. Iuuant munificè Vicentinam coloniam ciues.ibid. Et Conſtātia Piccolominea,ibid. Conſecratur Eccleſia, & exornatur. ibid. Addicitur illi corpus vnius ex D.Vrſulæ ſociis.64.
Victoriæ Piccolomineæ oſſa Neapolim trans ferenda curat Conſtantia Careita filia.20.
Victorius Amedæus Dux Sabaudię D.Laurētii templum noſtris excitat.443.
Vicus Æquenſis Ciuitas Patronum ſibi B.Andream cooptat.521.
Viglienę Marchio facultatem extrahendi Martyrum corpora è Romanis cœmeteriis impetrat.330.
Villa ſuburbana noſtratum remiſſioni permittitur.480.
Villæ ſuburbanæ Genuę magnificētiſſimę.64
Vincentia de Oda Neapoli piè moritur. 158. Eius vitæ inſtitutum,& pietas deſcribitur, 159. & deinceps. Tumulus.166.
Vincentius Capycius renūciatur Gallipolitanus Epiſcopus.70.Eius in Inſulis ſedulitas. ibid. D.Caroli Borromæi pileolo Paulinam lipſanothecā donat.199.Diē obit ſuū.422. Eius in Ordine,& in Inſulis mores. ibid.
Vincētius Carafa aggregatur ad noſtros.144. in Georgiam deſtinatur.610, Propoſitum Georgianæ expeditionis voto firmat.612. Conſtantiam iterum Melitæ probat, 614. In Georgia offert ſe ægrotantium miniſterio,625.Ex peſtilentia breui moritur, ibid. Deſcribitur eius virtus 626.
Vincentii Card.Iuſtiniani beneuolentia conceditur noſtris Genuæ D.Syri Eccleſia 200 Quæ reſtituitur,& à fundamentis conſtruitur 201. Ciuium ibi magnificentia in ſacellis adornandis.202.
Vincentius de Cardenas Diuorum pignora Paulino templo addicit.200.
Vincentius Gilibertus renūciatur Præpoſitus Generalis.438. Eius animi partes.ibid.Ad Capituli Patres Oratio. ibid. Taurinenſe domicilium ſtatuit.441.Taurini declamat ibid.In Veneto Senatu perorat.448. Conſcriptorum Patrum officia pro B. Caietani Apotheoſi poſtulat.ibid.Prona Senatus voluntas.ibid.Reficitur Præpoſitus Generalis 479. Linguarum ſtudium promouet.252.
Vincētius Gilibertus iunior Ibericam expeditionem capeſſit.633.
Vincentio Mantuæ Duci ſalus Anthèæ precibus.39.
Vincentius Maffus piè moritur.56.Commendatur à multiplici virtute.ibid. Eius de cōſtituendis Definitoribus ſententia.15.
Vincentius Paganus Acerrarum Epiſcopus. 174. Abdicare Infulas curat. ibid.
Vincentius Pagellus è vita decedit. 280. Indoles,& virtus.ibid.
Vincentius Riccardus votorum ſacramento authoratur.57. Parmenſis cœnobii poſſeſſionem

ſionem init. 542. Admouetur Ieſuatorum inſtitutioni. 362. Generale tyrocinium format, ac temperat, ibid. Aliam inducit te giminis formam. ibid. litterarum ſtudia inuehit. ibid. In illum obloquutio, 363.

Vincentii Scarpati multiplex virtus deſcribitur. 364. & deinceps. De eius vitæ ſanctimonia vulgi opinio, 267. Quid illi cum piſca, tore. ibid. Spiritum ponit profundè ſenex, 368. Marianam Imaginem diuinitùs accipit, ibid. Quę collatis beneficiis mortalibus ſalutaris. 269.

Vincentius Spinellus Tarſiæ Princeps B. Andreæ Apotheoſim celebrandam ſuo ſumptu ſuſcipit, 503. Quo defuncto, ſuccedit operibus, ac pietati Ferdinandus frater. 504.

Vincentius Tuſus creatur Vritanus Epiſcopus. 70. In Epiſcopatu curæ, ibid. Mortem illi prænūtiat B. Andreas. 232. Moritur. 103.

Vincentius Vguccionus D. Nicolai Sodalitiū Florentiæ regit. 307.

Violantæ Parpaliæ Cerſenaſci Marchioniſſæ noſtros ſtudium. 445.

Virginitas coniugio innexa. 184.

Viſitatio qàm vtilis communi rei. 6.

Vocalium eligendorum ratio. 31. Sint ætate maturi. ibid. Habetur etiam perſonæ, ac dignitatis ratio. ibi. De eorum electione Romæ turbæ. 142. Diſſiantur. ibid.

Votū de dignitatibus Eccleſiaſticis nō acceptandis nuncupat Matthæus Bencius. 52.

Vrbanus Octauus creatur Pontifex in B. Caietani peruigilio, 451. Eius in Theatinum Inſtitutum voluntas. ibi. Eius ad Georgianos Principes literæ. 576 Et ad Theimuratium, & Metropolitam. 604.

Vrſula Benincaſa Neapoli piè moritur. 396. Theatinam ſe mori profitetur. 397. Natales, & cunæ, ad quas lunę globus mirè cernitur. & excubat Deipara. ibid. Nomen diuinitùs imponitur. ibid. Moeror à mortaliū culpis. ibid. Inſitū corpori pondus, ibi. Eius cauſa, & eruditorum iudicia. ibi. Familiares illi mentis exceſſus. 398. Cordis in ea palpitatio. ibid. Explorantur raptus. 399. Solitudinis in ea amor. ibid. Mentis. ardor in ſolitudine. ibid. Cœli delicias deprecatur. 400. Chriſti Crucifixi Imaginem pingit, pingendi omnino rudis. ibid. Excitanda olim in ſolitudine templa prędicit. ibi. Eccleſiā Deiparæ Conceptionis ſacram fundat. 401 Organi ab ea ſonus. ibid. Ad Romanum Pontificem legatio. ibid. Inſtitutus explorandæ Virgini conuentus. 402. Peracrè de ea examen, pręſertim à D. Philippo Nerio. ibid. Ab Euchariſtiæ fame penè moritur, eademq. reuiuiſcit. ibid. Romanæ matronæ magiſtram illam poſtulant. 403. permittitur redire Neapolim. ibi. Congregationem fœminarum fundat. ibi. Eius in Deū amor. 404. Euchariſtiæ in ea deſiderium. ibi. Martyrum cruciatus cupit, & ſuſtinet. ibi. In proximos charitas. 405. Mortalium ſupplicia ſibi depoſcit, & impetrat, ibi. Purgatorii pœnas ſubit. ibid. Humilitas, celebritatem odit, iniurias gratanter excipit. 406. Fœminarum ſolitudinem, inſtituta, leges prædicit. 407. Noſtratum vigiliis addicendam eremum prænunciat. ibid. Eiuſmodi eremi poſita Panormi rudimenta. ibid. Mortem ſibi prædicit. 408. Celebratum ingenti cōcurſu funus. ibid. Abſumptum à charitate eius corpus. ibid. Neapolitani patronam eligunt adhuc viuentem. ibid.

D. Vrſulæ Moniales Mantuę noſtris auſpiciis reguntur. 551. 389.

X

Xenodochium Italorum noſtris Matriti tribuitur. 456.

Z

Zaccharię Paſqualigi opera prodeunt in lucem Farinacii ſcripta. 416.

Zaccharias Iberiæ Orientalis Patriarcha noſtros humaniter complectitur. 597. Ad illum Vrbani Pontificis literę. 607.

FINIS.

Errata	Corrige
Pag. 7. cepit	cepit
32. propriores	propiores
35. quam poſt	poſtquam
58. aptentis	appetentis
69. ſtrenuò	ſtrenuè
83. nouus	nauus
309. redidit	pedibus
128. manificentia	munificentia
134. milla	millia
136. poſitus	petitos
146. proprius	propius
183. anni	annis
199 ſalmone	ſulmonis
217. labori	labore
247. voluntaria	conſultò admiſſa
269. Quæ beneficia	per quam beneficia
ibid. depluet	depluam
270. configuitatis	conſignatis
271. proſequeretur	proſequerentur
320. modeſtia	moleſtia
371. opportuniſſime	opportuniſſimè
410. vel exiguus labe	vel exigua inertiæ labe
418. conſumpſitq.	conſumpſiſſet
437. opportuniſſimis	opportuniſſimis

Errata	Corrige
Pag. 441. loco	locus
450. que	qua
456. Caſtiliæ	Caſtellæ
461. iiſdemque	iiſdemque
474. Aquinati parem	Aquinati ſimilem
ibid. contus eſt	viſus eſt
509. reliſis	religioſis
511. pſalmodia	pſalmodiæ
529. pietates	pietati
531. minimè poſſet	ægrè poſſet
533. Inferorum pœnas	Inferorum ignes
514. tyrocinio	tyrocinio
536. vocatus	vocatum
543. aliquod	aliquid
585. opes	opem
580. laberi	ſorberi
582. ex iis vnam	ex iis vna
593. ne	ac
609. magnoperè probauit	vtrem tē audiuit
629. acuti	audi
625. Petraboire	Petraboileute
627. exiſtimarent	exiſtimaſſent
ibid. iuuarent	iuuaret

[illegible] · ROMA · [illegible]